Est. 21. Tab. 2.

TOMVS QVINTVS.

VITARVM SANCTORVM PATRVM, NVMERO NONAGINTATRIVM,

per Simeonem Metaphrastem, auctorem probatissimum conscriptarum.

Et nuper instante R. P. D. Aloysio Lipomano Episcopo Veronense ex Græcis Latinitate donatarum, cum scholijs eiusdem solitis, contra hæreticorum blasphemias.

Librum hunc Occidentalis Ecclesia primum nunc videt, & recipit, quem latinum fecit Gentianus Heruetus Gallus.

Menses qui horum Patrum consumationes continent sunt,

Nouember.
December.
Ianuarius.
Februarius.

& non respexit

Beatus uir cuius est Dominus spes eius,



in uanitates & insanias falsas

VENETIIS,
In vico Sanctæ Mariæ Formosæ, Ad signum Spei.
M. D. LVI.

SERENISSIMO AC POTENTISS. DOMINO D. FERDINANDO AB AVSTRIÆ, ROMANORVM,

Vngariæ, Bohemiæq́; & cæterorum Regi inclito
Aloyſius Lipomanus Eṗs Veronenſis
indignus ſalutem in Domino
plurimam.

LIBRVM hunc Symeonis Metaphraſtæ in quo innumeræ ſanctorum vitæ deſcriptæ continentur, quæ perpetuo ſilentio ſuppreſſæ videbantur, ex græco auctore meo per veteri bene, de humano genere merendi ſtudio, meisq́; ſumptibus latine redditu tot annos à bonis viris expectatum & deſideratum nunc tandem noſtris legendum offerimus, Hunc verò tibi ſereniß. ac potentißime Rex duplici de cauſa dedicamus. tum quòd vel is ſolus es, qui ſanctorum vitas non ſolum in ore, ſed (quod multo maius eſt) in opere ſemper habeas, ſemperq́; imiteris, tum quò eam quæ in te maximè propenſa eſt animi mei voluntatem atque obſeruantiam hoc ſaltem tenui pignore teſtatam relinquerem, Nam cum tecum tribus & quadraginta diebus de S. D. N. Papæ iuſſu fuerim, quàm abs te benignè viſus? quàm dulcibus alloquiis acceptus? quantis demum me tibi gratum eſſe ſignificationibus oſtendiſti. Cum vero à te dimiſſus Poloniam verſus per regnum tuum Bohemicum iter facerem, quid obſecro diuinus propè ille filius tuus Ferdinandus Archidux verè non tantùm os, ſed & paternam ipſam referens pietatem pro me cohoneſtando non fecit? ubiq; maxima hominum gratulatione exceptus ſum, vbique ſtudioſißimè inuiſus, & luculentis muneribus ornatus, vbique ſplendidè imò verò regiè cum tota mea familia alitus & ſuſtentatus, quid denique mihi ex Regni illius abditis & reconditis omnino non patuit? deeſſem certè mihi ipſi, nec virum bonum gererem, ſi hæc omnia non in quàm gratißimum animum collata fuiſſe teſtimonio aliquo demonſtrarem, Accipe igitur Rex benegnißime eo animo, quo tibi exiguum hoc munus offertur, nec quid hoc ſit aut quantum inſpicias, ſed quàm prompto, quamq́; hilari animo detur, nam & viduam illam pauperculam. quæ duo ære minuta iactauit in gazophylacium, plus omnibus iactaſſe ipſius Domini Saluatoris ore comprobatum eſt, Vale Serenißime atque ad Dei gloriam & Chriſtianæ fidei ornamentum diutißimam ac fœlicißimam vitam agas. Dat. Verſouiæ in Ducatu Maſouiæ ſex Id. Octob. M. D. LV.

AD LECTOREM.

PRiusquam ad sanctorum uitas quæ in hoc Quinto Thomo continentur legendas accedas lector candidissimæ, aliqua tibi indicanda sunt quo tutius & auidius earum lectioni insistere, & ex eis fructum uberiorem percipere ualeas.

Illud quidem primum est, omnes has uitas de Greco in Latinum nostro hortatu, nostrisq; suppetijs, a Genzano Herueto Gallo uiro docto, recens fuisse translatas, easq; nunc primum occidentalem Ecclesiam suscipere. Quæ quali quantoq; thesauro hucusq; ob earum ignorationem priuata fuerit, postquam totum uolumen percurreris, tu ipse iudex optimus esse poteris.

Deinde & illud nosse debes Metaphrastem qui eas Græce compilauit, in duodecim menses librum diuisisse, & singulis eiusdem mensis diebus, illius sancti uitã supposuisse, quem ad Dominum migrare contigisset. Quod & uidebis in principio cuiuscunque uitæ, in quo diem celebritatis sanctorum inscriptum reperies.

Hoc cum ita sit, & habeas in hoc uolumine uitas sanctorum per quatuor menses tantũ dictatas, præpara te ad habendum etiam alias in futurum quæ supersunt, quibus locus aptus in Sesto Tomo relinquetur. Cur autem isti quatuor Menses nunc tantũ, & nõ alij in lucẽ prodierint, ratio tibi in principio sequẽtis Mensis reddetur.

Scito demum Simeonem Metaphrastem uirum sanctissimum extitisse, & apud Græcos patres Beatorum catalogo ascriptum, unde plenissima fides eius scriptis adhiberi potest, pro ut de illo grauissimorum, pariterq; doctissimorum patrum testimonium habemus. Qui autem illi sint ad tuam quoque fidem confirmãdam, sicut & meam corroborant, eos hic subijcimus.

Psellus primo uir ille egregie eruditus, & inter Græcos eloquentes honorabili in loco connumeratus, eius uitam ornate & composite describit, quæ inter uitas sanctorum mensis Nouembris primum obtinuit locum, eam si integram legeris, omnia quæ huius sancti uiri sunt, abunde scire poteris.

Theodorus deinde Balsamon Antiochenus Patriarcha qui, ut attestatur Gregorius Patriarcha Constantinopolitanus in eo libro quem pro Concilij Florentini defensione ædidit, quadringentis annis antea fuit, & Nomocanonem Græcum interpretatus est, Is exponens LXIII. Canonem Sextæ Synodi Constantinopolitanæ, quæ dicitur in Trullo, & sub his uerbis habetur, Martyrologia quæ falso conficta sunt ab ijs qui sunt inimici ueritatis, ut Christi martyres dehonestarent, & eos qui hæc audiunt ad infidelitatem attraherent, iubemus non esse in Ecclesijs publicãda, sed igni tradenda. Eos uero qui hæc admittunt, uel tanquam ueris mẽtem adhibent, anathemate condemnamus. Is inquam, Canonem hunc ipsum exponens, in laudem Metaphrastæ sic loquitur. Magnæ igitur habendæ sunt gratiæ Metaphrastæ ipsi felicis beateq; memoriæ, qui multis laboribus ac sudoribus beatorum ueritatis Martyrum

tyrum

tyrum certamina exornauit, in Dei laudem, & sempiternam martyrum gloriam.

Theodorus item alter Prodromus dictus, tempore Andronici Imperatoris Cõstãtinopolitani iunioris anno Domini Millesimo ducentesimo, in breui illa auctorum sacrorum librorum historia, Metaphrastæ nostri honorificã mentionem facit hisce uerbis. Qui ecclesiam sermonibus suis ornarunt, hi sunt, Magnus Dionysius Areopagita, magnus Athanasius, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, Nyssenus, Cyrillus, Maximus, Ioãnes Chlimax, Nilus, Ephrẽ Syrus, Metaphrastes suaui loquẽs.

Nicephorus etiã Callistus Xãthopulus lib. xiiij. historiæ suæ ecclesiasticæ cap. li. scribens de Simeone Stiylite, ita ait, Si quis admirãda sancti Simeonis Stylitæ facta nosse uelit, eum ad historiam eius legendam mittimus, quam post magnum Theodoritum, optime qui eodem nomine appellatus est, Simeon Metaphrastes conscripsit, nouum quoddam & admirandum in ea ex omnium generum cibarijs conuiuium omnibus proponens.

Ad hæc Concilium Florentinum sub Eugenio. iiij. celebratum, in septima Sessione quæ habita fuit Ferrariæ die. xxv. Octobris, honorabilem Metaphrastæ nostri sub his uerbis agit memoriam. Nonnullos uestros doctores in medium producemus, complures uero alios ad aliud tempus reseruabimus, qui omnes professi fuerãt sanctum etiam ex filio procedere. In primis igitur Simeon Metaphrastes uestris in Ecclesijs celeberrimus accedat, qui in beati Donysii uita inquit, terminũ corporeæ peregrinationis accipit, & quæ spiritus sũt, spiritualiaq́; exercet, ac in cœlos Christus meus ascendit, ad paternamq́; sedem reuertitur, & spiritum qui ex ipso procedit, discipulis suis demittit, ut ipsi gentem infidam regant. Ex huius sancti sententia præstantissimi patres, apparet Spiritũ sanctum ex filioq́; procedere, et reliqua. Isdem etiam uenerabilis Simeon, et a Gennadio Scolario Patriarcha Constantinopolitano in defensione Concilij Florentini, et a Corinthio Rhetore Græco, ornatissimis uerbis nominatur.

Leonardus denique Iustinianus patritius Venetus, ut nobilissimus, ita & doctissimus, in prefatione uitæ beati Nicolai quam de Græco in Latinũ uertit, de eodem Metaphraste loquens, ita ait, Magni Nicolai uitam scribere orsus sum, neque omnia in eum libellum congessi, sed ea tãtum quæ apud Græcos idoneos, maxime apud Simeonem Metaphrastem de illo scripta, & Ecclesijs probata inuenimus.

Vides quanta pro hoc uiro adducta sunt testimonia? & quod Sanctus, quod doctus, quod idoneus, quod eloquens, quod in Græcis ecclesijs celeberrimus sit, quod inter eos computatus qui ecclesiam sermonibus suis ornarunt, quod sanctorum uitas descripserit. Lege igitur quæ nunc tibi proponimus, alacri animo benigne lector, ut ad creatoris tui amorem, per sanctorum eius exempla in dies magis ac magis te accendere possis.

INDEX VITARVM SANCTORVM

Quinti Tomi per ordinem Alphabeti.

FINIS.

Catalogus rerum, quæ in sequentibus sanctorum vitis pro catholicorũ dogmatum assertione, contra recentes hæreticos continentur.

DE SACRAMENTIS *in genere.*

IAnua Regni cœlorum non nisi spiritualium sacramẽtorum claue reseratur, vnde ea semper sancti viri venerati sunt.

BAPTISMVS.

Baptizandi antiquitus per multos dies ante, pœnitentia, ieiuniis & orationibus præparabantur.

Ritus qui ex consuetudine Ecclesiæ in baptismo adhiberi solent, puta exorcismum, & catechismum, obseruandos esse.

Baptizatos mos erat etiam olim inungi sacro chrismate, & tradi illis, si essent adulti, corpus Christi.

Aqua baptismi regenerandi noua semper veste indui soliti erant.

EVCHARISTIA.

In eucharistia rite consecrata verum Christi corpus & sanguinem contineri.

Ad dignam sumptionem sanctissimæ Eucharistiæ non sufficere solam fidem, sed opus esse etiam munda conscientia.

Communionem sub vtraq; specie non esse necessariam, vt aiunt hæretici.

Sanctis viris semper mos fuit, obitum suũ Dominici corporis & sanguinis perceptione munire. Et etiam antiquitus sacra Eucharistia ad infirmos deferebatur.

Sacram Eucharistiã apellari viuifica, atq; diuina mysteria, & aliis huiusce generis præclaris nominibus.

POENITENTIA.

Operis satisfactio requiritur ad salutem peccatoris, nec prodest sola Christi passio, aut credere culpam sibi remitti.

Veram pœnitentiam non esse duntaxat nouam vitam, sed cum ea dolorem de peccatis commissis, & firmum propositum de non commitendis in futurum.

ORDO SACER.

MATRIMONIVM.

PAPATVS.

SACRA SCRIPTVRA.

TRADITIONES PATRVM

CEREMONIÆ.

Horæ canonicæ nocturnæ & diurnæ.

Humicubationes antiquis sanctis in vsu fuisse, & valere ad obtinēdū aliquid à Deo.

Antiquus ecclesię mos est primo die Quadragesimę capita fidelium benedicto cinere signari: Et in dominica ante Pascha oliuarū ramos benedictos distribui: Atque in die Purificationis beatæ Virginis candelas cęreas etiam bn̄dictas in manibus afferri.

Cantus in ecclesiis antiquitus fuit in vsu, psalmodia, & hymnorum recitatio.

Orare cum genuflexione, & capitis detectione, siue totius corporis prostratione, nec non cum lachrymis, & vigiliis.

Litaniarum in ecclesia antiquus vsus, similiter & Antiphonarum, & Responsoriorum decantatio.

Orare cum manuum extensione, & oculorum ad cœlum eleuatione.

Orate ante cibum Christianus mos. Idē & post. Cum etiam cubitum imus, & cum ex lecto surgimus.

Aquæ & aliarum rerum benedictiones, & consecrationes licitas esse, & atiquis patribus in vsu fuisse: Similiter & dedicationes Ecclesiarum, & altarium cum reliquiis sanctorum, & cemiteriorum benedictiones.

Signare se vel alias creaturas signo crucis, & fidem habere ad Dominum, murus est inexpugnabilis, quo etiam dæmones effugantur, & magna miracula patrantur.

Accendere in die luminaria, & habere etiā in nocte ecclesiis, & ante sanctorum tumulos, antiquus mos fuit.

Processiones faciebant etiam antiqui Patres, præcedente signo venerandę crucis, vbi & stationes ac visitationes ecclesiarum fiebāt cum orōnibus limitatis & genuflexionibus.

Episcopos & presbyteros solere aliis benedicere, & ad eorum benedictionem visibilia quoq; gratiarum munera pręstari à Deo.

Vigiliæ sanctorum cum ieiunio antiquitus obseruabantur, & hymni in nocte ob celebritatem sequentem canebantur.

HABITVS ET VICTVS.

Vestitus simplicitas, vtilitas, & asperi-

IEIVNIA.

FESTI DIES.

SANCTI.

IMAGINES.

Mors

MORS ET MORTVI.

SEPVLTVRA.

HÆRETICI.

FINIS.

PSELLI ORATIO ENCOMIASTICA IN SANCTVM SYMEONEM METAPHRASTEM.

Symeonis quidē Metaphraſtis feſtum celebratur. 27. Nouē. ſed quia ipſe eſt auctor huius operis, eius uitam duxi cæteris præponendam.

CVM & vita & dicendi facultate magnum, Symeonem laudare ſtatuerim, cuius per uniuerſum orbem terræ eſt nomen & res geſtæ celebratæ, neſcio quibuſnam verbis vtar in eo laudando, ut quidnam dicturus ex omnibus, ſufficientem præbebo laudationem. Hic enim vir, non ſolum erat ornatus eloquentiâ, & mentem habebat promptiſsimam ad gignenda præclara cogitata, & linguam tanquam Nili fluentum, non poſt longum temporis curriculum, ſed quotidie riuis ſcatentem eloquentiæ & mundantem opportuniſsime. ſed & morum temperatione, & quod omnes uirtutes erat complexus, & quod erat exemplum iis qui volebāt honeſte & moderate viuere, gloriam inſignem ſibi comparauerat.

Hunc ergo virum clariſsimum, ſuo tempore, ut ita dicam, produxit Conſtantinopolis, prima primum pulcherrima ciuitatum, pulcherrimū, vt ita dicam, patronum ciuitatis. Quæ cum ei dediſſet vt ex ipſa naſceretur, & tali ortu eum ornaſſet, ab eo hoc viciſsim accepit, ꝙ eum produxerit 1 qui vel ſolus ſuffecerit ad ei dandū pulcherrima præmia ciuitatum. Et fuit honor, quem ex illo habuit, priore maior & magnificētior quod tunc quidem pulchritudine & magnitudine ſuperabat alias ciuitates. Veluti quidam locus paradiſi, ambitu & circuitu. poſtea autem propter illum, floribus quoque ibi genitarum virtutum alias longo interuallo ſuperauit. adeo vt etiam ſi non ſic fuiſſet ornata ab initio, ei ſufeciſſet fœtus hic admirabilis, vt ſe poſſet conferre cum prǽſtantioribus.

1 Nota ex Sanctorum natiuitate ciuitates illuſtrari.

Et vires quidem incomparabiles ſtatim & à primo, vt ſemel dicam, ortu etiam florente capillo, oſtendebat. non ſecus atque leonum catuli oſtendunt protinus ſupercilium & denſam colli iubam. Ei enim flores pullulabant intelligentiæ. & habebat prudentia profundam quandam radicem, & quodam admirabili fulgore mens micabat. Hæc aliis quidē ſuffeciſſent ad abſolutionē in illo autem agnoſcebantur veluti quædam prius deſcriptæ figuræ, quæ præſignificabant perfectam eius naturam. Quomodo ergo arbores quæ germinant præter naturam, parum egentes manu quæ earum curam gerat, ſi aliquam acceperint irrigationem, & pulchritudine & magnitudine adhuc magis augentur, ita etiam illi quoque erat celerrimum ingenium & quod protinus in altum erigebatur. Quamobrem is ſua ſponte præbebat ſe oratore, ad philoſophiam autem profundus animæ ſinus copioſa ſenſa dabat & cogitata.

Poſtquam autem aſpexit ad ſcholas Philoſophorum, & illinc quędā accepit principia quæ eſſent adiumento ad inuentionem eorum quę quęruntur, repente aſſurrexit & euaſit ſublimis. & ex radiis inueni ſolem. vel à ſole, vt ita dicam, aſpexit ad radios. partim quidem ex poſterioribus

A

priora ratiocinatione colligens. partim autem ex prioribus, quæ natura sunt secunda concludens. Cum autem sciret quod perfecta nostra naturalis duobus est ornata, nempe fœtibus mentis & linguæ fluentis: & qđ ex illis qui eum præcesserunt sapientibus, alĳ quidem consummauerunt mentem per philosophiam. alĳ verò per dicendi facultatem linguam expurgauerunt. & præter vnum aut duos, reliqui ad alterutram declinauerunt. & aliis quidem, densis epicherematibus lingua fluxit instar fluuĳ. alios autem celebrarunt præclara mentis sensa & cogitata, adeo vt hi quidem essent propemodum elingues: illi autem à perfectiore diserti intelligentia, ille inter vtrosq; medius, fuit veluti quoddam vinculum eorum qui tunc erant disiuncti. & menti linguam adiungens, & verbis mentem adhibens: & arti quidem dicendi adiiciens philosophiam, ad efficaciorem & apertiorem operationem, philosophia autem artem extollēs, & ambo inter se contemperans sua pulchritudine, vocalem, vt sic dicam, mentem, & linguam effecit mente præditam. Philosophabatur itaque cum morali probabilitate. & fungebatur munere oratoris cum philosophica profunditate. & erat vtrisque generibus ex equo accommodatus. & neque Philosophus odio habebat argumentum ciuile, videns id esse coloratum tincturis philosophiæ. neque orator egreferebat scientiam, artificio dicendi sibi placens.

Hinc veluti quędam lampas omissa & in altum sublata è Dyzantio, visa est veluti quædam fax in aere omnibus ciuitatibus, & erat re vera locus, ueluti mundus quidam cœlestis, resplendens omni genere doctrinæ & per vnum qui facem ferebat, partim quidem illustrans vniuersum orbem terræ. partim autem præter lucem propriam alienis quoque coruscans fulgoribus. & quod est admirabilius, & propter qđ illum quispiā magis fuerit admiratus, cum esset genere clarus & ex illustri familia natus, & abundaret diuitiis & iis quæ segniorem effecerint quempiam ad disciplinas: multi enim sibi proponunt doctrinam & eloquentiam tanquam opum parandarum materiam, non ut assequantur ea quæ sunt meliora, sed ei studentes vt se in rebus vanis voluptate expleant, ille externis fortunæ adminiculis vsus est ad philosophiam. Hinc factum est vt nec eos æmularetur philosophos qui erant nimis otiosi, nec oratores qui nimis redundabant. Nam illi quidem veluti immenso lumine circūfusi radiis Philosophiæ, statim clauserunt oculos, & virtutem nequaquam deduxerunt ad actionem. neque magnifice vsi sunt dogmatibus. neq; duces fuerunt ciuitatum, neque quæ didicerunt proposuerunt in medio populo. sed promissas quidem barbas alebant tanquam messes inutiles, & vultu tristes erant & seueri.

Deinde alĳ quidem, cum non opus esset, per forum currentis, intemperanti vsi sunt dicendi vbertate, alĳ autem dolia quædam habitarunt se eis circunscribentes. Alĳ autem in dialecticis interrogationibus viam suā consumpserunt. Alĳ autem quęsierunt de naturalibus positionibus, quasdam inutiles contradictiones & lites in vitam afferentes. Et hoc ipsum euenit plurimis ex oratoribus, qui prudentem artem fecerunt occasionem insipientiæ. & cum oporteret eos eligere & meditari quæ ciuitatibus sunt conducibilia, illi, partim quidem ipsi fingentes, partim autem vtentes tanquam rebus repositis, nouam quandam scenam tragicam in vitam

introduxerunt. Sed ille non sic, longe quidem ab eo absfuit. sed neque vestem mutans, neque aliquid remittens de magnificentia, nec huiusmodi neuitatibus genus suum dedecore afficiens, neque ciuiles causas fingens & refingens, neque inaniter fungens munere rhetoris, generis quidem decore vtebatur omnino ad benefaciendum, virtutem autem quam sibi parauerat ex disciplinis, 2 habuit protinus occasionem splendoris & magnificentiæ. Nam cum imperatoribus euasisset amabilis, eius fidei committuntur quæ sunt omnium maxime honorabilia, vt qui prope tribunal quidam staret, propter sapientiam: reipublicæ autem administrationem, propter ingenij solertiam, & rerum curam acceperit.

2 *Vides studium disciplinarum humanarum non esse christianis inutile, aut à scholis explodendum, sicut garriunt hæretici.*

Et primum quidem præfuit rebus magis arcanis: & secretorum consiliorum fuit particeps cum Imperatoribus. Postquam autem eius fides fuit in his rebus spectata & prędicata, simul cum adytis mundanas quoque curas suscepit adeo vt Imperatori renunciaret ea quæ afferebant exteri, & rursus exteris ea quæ iubebat Imperator, & erat veluti quoddã accuratum vinculum administrationis. Atque orbis quidem solaris, pars quidem est alibi, pars verò est apud nos. Ille verò ipse, totus erat apud Imperatorem, & in ipsis negotiis. Quomodo enim superius significauit oratio, versatile & ad omnia accommodatum habuit ingenium, adeo vt & prius consultaret, & exequeretur ea quæ consultata fuerant, & barbaros procul propulsaret à finibus Romanorum, alios autem superaret aut copiis aut artibus, & gentes in suam redigeret potestatem, temporibusq; & rebus dexterrime vti posset, quod mutaretur quando oportebat, ꝙ innouaret qñ expediebat, quod eandem seruaret speciem quando bonum videbatur. Sed neque erat vir expers gratiarum & leporum. Sed ad omnem leporem ac gratiam conueniente doctrina temperatam erat ei lingua instructa & animus. Cum autem esset ei magnificus & amictus & habitus, simul cum incessu mores quoque mutabat ad id quod videbatur, vt qui esset gratiosus & affabilis, & eoipso omnes subridens ad se attraheret. Præterea autem manu quoque minime erat parcus, vtpote ꝙ duæ res eam extenderent, nempe diuitiæ & voluntas. Habebat autem ita quoque vt oportebat nonnullas partes ex iis quæ consueuerunt nostrã fidem constituere. Hæ autem erant, sed cur non perfectius vtor oratione, neque eum rursus ad capitale reduco principium, quod est maximum caput rerum illius. Vado ergo ad primum argumentum, si autem ea quæ sunt dicenda, nonnulla præmisero.

Gloriosa quidem sunt certamina quę suscepta fuerũt à Martyribus aduersus inimicos, partim aperte, partim obscure. Quidni enim, cum fuerit eorum præclara fidutia & mens inexpugnabilis: & interruptos fuisse eorum habitus: & neglexisse naturam. & telorum sectiones & eiectiones: & postremo vitę contemptus? His autem nihilominus refulsit vita quoque monasticæ exercitationis. Nam hic quoq; est 3 carnis consumptio. & delitiæ, non se dedere delitiis, in iis in quibus non oportet, & à mũdo separari & ad Deum cum ipsis euolare corporibus. & innatis resistere affectionibus, & iis quæ à malis spiritibus affluunt extrinsecus. Est ergo amborum præclara uita, & olim quidem fuerit & erit rursus. sed non clare interim fuerat cognita eorum hic remuneratio. sed arcani quidem libri, quos multis in eorum restitutione legent angeli, accurate monimenta

3 *Tu qui monachos tra ducis, uide hic quod sit eorum propositum & institutio.*

contininent eorum martyrij & exercitationis. Qui autem ante hunc beatum virum, res gestas illorum scripserant, non sunt assecuti illorum magnificentiam. sed pactim quidem de eis sunt mentiti. partim autem cum non possent rebus eorum respondentem afferre orationem, bonum illis conscripserunt quod nec erat vlla elegantia ornatum, nec laude prosequendum. ut qui pulchram subiecerint sententiam, nec eam uerbis ornarint decentibus. neque accurate descripserint seuitiam ac atrocitatem eorum qui punierunt. neque Martyrum in dandis responsis prudẽtiam. Quinetiam Monachorum adulterarunt exercitationem, simpliciter ac quasi tenere & vt accidit referentes quæ studiose ab illis facta sunt.

Hinc factum est vt non nulli ne uel legere quidem sustinerent ea quæ sunt literarum mandata monimentis, aliis autem ea quæ dicebantur pręberent ridendi materiam. & compositionis inelegantia, & sententiæ absurda & nulla consequentia, & dictio vilis & abiecta, erant iis qui audiebant insuauia, & odio habebantur potius quam admittebantur, & propter eos qui conscripserant, nobis ludibrio habebantur ad mirabilia Christi seruorum certamina & trophea. Et omnes quidem aperte scripta insectabantur maledictis. Eorum autem loco afferre meliora, aliis quidem propter animi socordiam, aliis autem ut quod esset opus perfectissimum & maximi studij. & cui ne tota quidem uiri uita suffecerit, neque vires aderant uolentibus: nec iis qui poterant, uoluntas. Sed non etiam admirabilis Simeon eodem modo quo ij fuit affectus. Sed cum eis procedens ad scriptorum usque reprehẽsionem, deinde processit ulterius. & iuuenile aggreditur facinus, uel felicem potius actionem quam nullus omnium gessit feliciter, per quam ille euasit clarior omnibus qui sunt vbique eruditis. & Deo consecrauit ea quæ sunt omnium pulcherrima. Martyrumq; certamina & cursus, & Monachorum abstinentiam atque patientiam ornauit ac decorauit, & eandem quam illi adhibens beneuolentiam, gratias vicissim accepit ab omnibus.

Quid enim cum hoc opere contulerit quispiam? Quamnam antiquam gentilium narrationem, aut vniuersæ terræ dimensionem? An quæ à persis gesta sunt & ante illos à Babyloniis. & quæ postea ab Alexandro Macedone fortius peracta fuere certamina? Nam hæc quoque laudem & honorem afferunt iis qui ea scriptis ornate & eleganter mandarunt. Sed multi quidem in eorum lectionem studium suum conferunt, propter compositionem eorum qui scripserunt. Quæ autem hic vir egregius, cum eo quo docet ornatu orationis scriptis contexuit de iis qui martyrium susceperunt & iis qui se in virtute exercuerunt. duplicem habent ęmulationem, nempe & imitandæ eius compositionis, & morum ad ea quæ sunt optima transformandorum. Dixerim autem tertium quoque quod non est his inferius, sed accuratius etiam & excelsius. uidelicet quod eorum quæ constituunt ac confirmant euangelium, sanctorum scriptis mandata memoria est caput aliorum præcipuum. Atque quod ille quidem elegerit hoc scribendi argumentum, est id certissimum testimonium illius prudentię. Quod autem talibus vsus sit sententiis, & dictione quæ est dilucida, & probabilitatem ac ueritatem habet ueluti innatam, est quidem argumentum illius quoq; sapientiæ. maximum aũt huius signum statuerit quispiam, quod se pulchre accõmodauerit temporibus & auditoribus.

Et vt

Et vt de hac parte dicam, & aliqua vtar digreſsione. Non ignoro huius viri opera non eſſe magio., ſtudio nec iis qui linguæ ornamento vtuntur nimis rhetorice, nec iis qui ſuum ſtudium poſuerunt in diſciplinis, ſed nec iis qui ſtuduerunt naturæ contemplationi: quod nec in iis dicendi generum mixtio eluceat: nec figuræ dicendi ſint aperte. neque vlla naturæ dubitatio & ſolutio. neque lineares demonſtrationes cum importunis nominibus. neque philoſophicæ ſententiæ quę ſubiectum uerbis in altum tuebant. Volunt enim qui ſunt ſapientiæ ſupra modum ded ti, omnia ſcribi ad oſtentationem, non ad morum correctionem. Ego autē dico huius viri ſcripta nullo horum eſſe priuata. Sed quoniam non ad oſtentationem comparabatur eius ſcriptio, ea non ponuntur frequentia, neque ſtatim à principio, neque ubique, neque apud omnes. ſed quando res dat ei occaſionem, vſus iis quæ poſtulat oratio, redit rurſus ad ſcopum propoſitum. Eius enim oratio neque ad ſophiſticam intuetur iactationem & forenſem apparatum. neque ad artificioſam naturalium rerum excogitationem. neque ad linearum contemplationem: aut curioſiorem numerorum intelligentiam. Sed neque eſt ei ſtudio cœli motus. aut quemadmodum inerrans mundus procedatur circa ſtellas errantes. Sed neque ſunt ei curæ conſonantes aut ſemiuocales, neque qui per eas fit concentus. Propterea hæc quidem amandat tanquam ſuperuacanea, nonnunquam tamen eis vtens & in tempore. veritati autem adhæret & à falſo alienæ narrationi. Dictionis autem ſciebat quidem multos modos. vſus eſt autē eo qui ſufficiebat ad auditionem ſimul & bonorum & vulgi. & utriſq; partibus ſimul ſatisfacit. Nam dictionis quidem numero & pulchritudine eruditum attraxit auditorem, & ſatis deliniit gratiarum illecebris. eo autem quòd eſſet clara & ſucculenta oratio, effecit vt aures imperitorum ab eius voce penderent. ambos rurſus induxit breuitate & probabilitate.

Ego enim, vt nihil dicam celans quod ſit vero minus, ſcio quidem eſſe multa dicendi genera pulchriora. perfectiorum inquam Oratorum, & quorum exemplar non eſt vulgo propoſitum ad imitandum, propter ſonum & numerum orationis, præſtantiorem autem dicendi formam. iis ſcriptis quæ componere ſtatuerat neſcio an quiſquam ex omnibus vnquam adaptauerit. Sed & ſi quis ex illis qui & dictione excellunt & ſententia, eiuſmodi argumenta ſuſcepiſſet, accuratiorum quidem & elaboratiorem effeciſſet orationem. Sed non itidem dico omnibus auditoribus congruentem & conuenientem. Nam & proœmia eius orationum ſtatim attingunt ſubiectum. & parum procedens, oſtēdit ſui ſcripti ſcopum. & in nonnullis orationibus cum totum argumentum recepiſſet in ſummam, id ſtatim in partes diuidit. ſe autem accommodat perſonis & temporibus. Et eſt quidem omnibus idem color orationis, & vna qualitas dictionis. morum autem varia eſt mutatio, &, ut dixerit quiſpiam, artificioſa non per artem res mutans, ſed quod unicuiq; rei & perſonæ incidēti conueniebat interpretans. Tanquam autem ad archetypa exemplaria ad res antiquiores intuens, nec ab illis recedit, ne videatur aliquid aliud facere: & ad exemplar quoque totam tranſmutat dicendi formam, non diuerſam faciens materiam, ſed quod in dicendi genere peccatum erat corrigens: neque ſententias innouans, ſed conuertens figuram dictionis, & ei incidens oratio in diuerſitatem narrationum, & varietatem argumen-

torum, non confunditur neque perturbatur, sed tanquam optimus gubernator, cum ei nauis agitaretur fluctibus, stabat quietus clauum tenens artificiosissime.

Porro autem in nonnullis quoque orationibus describit patriam eorũ qui laudantur, ab vniuersa terra separans, & deducens ad vnam partem. Deinde loquitur etiam nonnihil de fluminibus: & de eorum principiis differit naturaliter, & de opportunitate ciuitatum, & de temperatione aeris, & de temporum conuenientia, etiamsi ij qui sunt re vera auribus paulo surdioribus, ea quæ dicuntur non exaudiunt. Multifariam quoq; tractat partes orationis, alias quidam maiori contentione: alias vero lenius & sedatius. In gratia autem narrationum quis ex omnibus cum eo contenderit? Quis in compositione? Quis in numerorum suauitate? Quis in concinnitate in omnibus congruente? Atque volo quidem contendere ꝙ non sit ampla grandis eius oratio. nuncio autem eius orationibus ne hanc quidem deesse gratiam, sed alicubi quidem eas esse amplas & redundantes, in pluribus autem graues & temperatas. Cum has autem duas vias sibi proposuisset, martyricam constantiam & monasticam in exercitatione tolerantiam, currit quidem in vtroque stadio, non cum pedum pernicitate, sed cum celeritate orationis. Maxime autem monasticum percurrens curriculum, euadit seipso robustior & fortior. Aures quidem certe mihi pinguefacit, quando eius oratio ascēdit quidem montes, subit autem speluncas, sub pinu autem aut quercu aliqua collocat exercitatorem: & vile alimentum & illaboratum ei offert ex herbis, & potum ex fontibus. eiusmodi enim narrationes ornat quibusdam florentibus pulchre dictionibus & variis rosis figurarum, & ea quæ tũc flebāt quasi subiicit oculis. Virum ergo laudo quidem propter eiusmodi facundiam & gratiã. non minus autem ꝙ pulchre tractarit argumenta. Nam etsi à me multa quoque de multis scribuntur: non habent eorum opera talem zelum & imitationem, sed viris quidem fortasse doctis videbuntur digna in quæ studium conferatur, & ea æmulabuntur propter dictionem & varias figuras. multi autem contemnent, quod non sint eis curæ quæstiones & sententiæ nimis arcanæ.

Porro autem dicunt eum non leuiter & quasi aliud agētem hanc rem esse aggressum: neq; ipsum id sibi proposuisse vt faceret quantum vellet, sed Imperatoris adhortationes eum ad hoc adduxerunt, & iis quibus curæ erat doctrina & intelligentia, & promptus ei fuit apparatus, & nõ paruus orbis eorum qui primo dictionem notis excipiebant, & eorum qui postea transcribebant, & alius post alium, ille quidem prima faciebat, hic verò secundo exscribebat, & post hos, aliȷ̃ qui quæ scripta fuerãt pulchre intelligebant, vt quod scriptores latuerat, ad propositam corrigerent sententiam. Nam propter scriptorum multitudinem non licebat ei sæpe eadem reuoluere & intueri. Sed etsi fuerit multus labor & maior quam par esset solicitudo, imo vero digna quę in hoc adhiberetur, semētem tamen longe vicit spica, et seges qualis nondum fuit vsque in hodiernum diem. Quocirca etiamsi nihil aliud à viro illo fuisset elaboratum, & non alia omnia quæ vel singula sufficiunt ad laudem conciliandam, opus tamen tale suscepisse, & id tam præclare effectum reddidisse, viro pro quouis ad laudem suffecerit.

Atque ego quidem nolo conferre eius opera cum ſcriptis externorum ſapientum. Quid enim ſi ex his alij quidem compoſuerunt Parathenaica: alij autem prælium Peloponeſiorum & Athenienſium, magnifica dictione compoſuerunt: & alij quidem contra oratores decertarunt: alij vero pro oratoribus, in quibus eſt quidem inſignis & manifeſtus redundans verborum ornatus: eſt autem breuius & imbecilla vtilitas. Cum his ergo nollem ego meum conferre Athletam. Sed ſi quis mihi hoc dederit, ego eum exæquauerim iis qui laborarunt in conſcribendo euangelio, & profundum verbi ſunt interpretari. Quorum enim ſunt fines æquales, eorum ſunt etiam principia ſimilia, & ſi ſalus animarum, apud vtrunque eſt finis argumentotum, quidni etiam fuerint cauſæ inter ſe pares, & ſteterint ſcriptores in eadem trutinam: aut vt dicam quod noſtrum eſt, fuerint etiam ex æquo hæredes? Quam multis autem fortis viri coronis non fuerit coronandus hic vir admirabilis: imo verò quibus non eſt iam coronatus, cum ad 4 Deum aſcenderit, & apud illos ducat choros quorum mores & vitam hic circũſcripſit. Nam vel in fine oſtendit qualem vitam egerat. Non.n eum veluti abſciſſum aut diuiſum fuiſſe dicunt ij qui viderunt ſed videbatur veluti à quondam vinculo liberari: & hilari nutu ſe extendere adducẽtes angelos, & quodammodo ſeipſum tradere illorum manibus, vt cito emigraret è corpore.

4 Ecce quo ſancti poſt mortem recipiuntur in cælo, & Deum uident.

Et ſic quidem eſt mortuus, fuerunt autem ſtatim omnia & non tunc ſolum ſuam odore plena, nec in diem tertium, ſed etiam in multos dies poſtea, donec fuit ſolus conditus in ſepulchro, & loculus perpetuo talem odorem emiſiſſet, niſi ſe aliqui tam inique geſsiſſent, vt aliud corpuſculum propter eum deponerent. Simul atque enim hoc magno illi viro accidit, deſiit fons ille ſuauis odoris. Atque hic quidem contactus ò virorum omnium optime & eruditiſsime, ſatis ſuperq; oſtendit puritatem tuam & ſanctitatem. Nam alia quoque tibi ſufficiunt ad accuratiſsimã virtutis conſummationem. Tu 5 autem ſis mihi propitius, ſi non perfecte expoſui omnem tuam virtutem, neque ex omnibus tuis bonis tibi parem attuli laudationem, nec mihi iraſcaris propter ea quæ ſunt à me prætermiſſa, ſed eorum quæ ſcripſi memineris, ſi eorum qui hic ſunt eſt vlla memoria veſtris puriſsimis & diuiniſsimis animis. In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

5 Fruſtra peteret ſanctum ſibi fore propitium, ſi non digne eum laudauit, ſi ſancti eſſent penit⁹ mortui, uel ignorarent quæ circa nos aguntur, ut dicunt quidã hoc tempore.

Cum quo patri cum ſancto Spiritu, gloria honor & potentia nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum Amen.

Nouemb. 1.

NICETÆ PHILOSOPHI

Iesu Christi serui, Encomium sanctorum & effectorum rerum admirabilium, Cosmæ & Damiani, qui dicuntur Anargiri.

QVAM dilecta tabernacula tua Domine virtutum, inquit in spiritu beatus Dauid. Quęnam autem intelligenda sunt hæc tabernacula, quam multitudo eorum q sunt sanctificati in ueritate? Apostolorum, inquam, primum diuina chorea cœtus prophetarum cõuentus Antistitum. & præclari & Deo digni cœtus Martyrum. & omnes populi qui Deo delectantur qui præsentia quidem despiciunt vt instabilia: ad ea autem sola quæ manent, spe contendunt & diriguntur. & quidquid quidem est in terra amabile, tanquam inamabile auersati: omne uero suum desiderium, ad id quod est proprie solo spiritu delectabile applicantes, illius diuinam & sanctissimam præclare sunt assecuti charitatem, hi Dei tabernacula & ualde dilecta, qui mentis puritate totam in se collocant diuinitatem Eos nos quoque diligamus, qui solum dilexerunt dilectum, & eos qui sunt digne ab eo dilecti. Et re ipsa in eos ostendentes nostram dilectionis affectionem, eis tandem tribuamus & gloriam, quod est pulcherrimum eorum quæ habemus. Sic enim fiemus participes charitatis quæ omnem mentem superat eius qui in ipsis habitauit, nempe Dei.

Sed ad omnes quidem simul laudandos velle linguam immitere, proinde esset ac stellarum quæ sunt in cœlo choreas enumerare. Non autem, quoniam omnes simul laudare, est maius quàm vt id possit humanum præstare ingenium, omnes deinceps & seorsum laudare est nobis propterea despiciendum. Absit vt tantum absimus à ratione aut amica in illos affectione. Duo autem sancti sunt nobis hodie addicendum propositi qui ad sui quidem laudem, ad Dei vero gloriam adhortantur. Duo solum corporibus, iisq; fraternitate secundum naturam coniunctis non duo autem animis, non operatione propemodum, non voluntate, non gratia, nec spiritu. An non per hæc vobis patet propositæ scopus orationis? Nam cum sanctorum fratrum par vnum audieritis, vnanime, vnius sententiæ, vna fide, & gratia, & vna spiritus virtute consummatum, diuini Anargyri, Cosmas & Damianus statim, vt arbitror, vobis venerunt in mentem, sed enim neque ad aliquem alium sanctum nunc fortasse est vobis mentem facile dirigere. Nam sicut astra luminosa diuinus Cosmas & Damianus, ex cœlestibus adytis ad Christi ecclesias mystice despicientes, & luce intelligenti & viua gratia & eorum diuina replentes dilectione, nihil aliud q̃ suam gloriam, & bona opera & curationes concedunt cogitare. Atque sunt quidem alij quoque duo Anargyri, iisdem nominibus & spiritibus gratia resplendentes, sed illi quidem fuerunt consummati martyrij certaminibus. Hi vero, quod ad inferiorem quidem ortum attinet, orti ex partibus Asiæ inferioris. Pios autem assecuti parentes, cum pater è viuis excessisset, alebantur à veneranda & in primis ornata Theodote, muliere honesta quidem corpore, anima vero honestiore,

nestiore,

uestiore, casta carne, animo castiori, temperante moderata, pia & fideli, generosæ matris generosi fœtus, matris non corporis solum, sed etiam spiritus filij, & natura & instituto, non maternam solum virtutem & fidē, tanquam vitalem rorem, ab infantia à statim simul attrahentes, & in ea eruditi, sed etiam desuper à cœlesti patre, perfectiorem gratiam & virtutem, tanquam bona terra & pinguis, perenniter accipientes: & in ea perfecti erant opportune suum fructum reddituri.

Sed videamus quisnam sit eorum fructus: & quemadmodum cum patri cœlesti fuissent grati & accepti, eo gloriæ peruenerunt & magnificentiæ, vt sint clari & insignes in vniuersa terra. Etenim nō certaminum contentionibus, neque tormentorum & suppliciorum varijs generibus, ostenderunt fidei probationem. Sed beati mentis rectitudine, in omnibus præceptis Domini se certe gerentes, vitam exercuerunt & mores Apostolicos, conscientiæ autem Deo purum implentes testimonium, aperte implentur donis Apostolicis. Nam quod etiam intus in conscientia consistat testimonium, sic consideremus. Vnicuique quidem vita, veluti aliquod stadium, patet iis qui decertant. Sunt vero hic quoque duo scilicet Agonothetæ. vnus quidem in cœlis sanctus, ab interitu alienus, & præmia ab interitu aliena proponens victoribus. Alter autem infra, in regione quæ est sub cœlo ambulans, & in abducendis in errorem hominibus occupatus princeps tenebrarum, qui victis proportione respondentes præbet remunerationes, sceleratus eos mancipans turpissimis affectionibus, & ad proprium interitum attrahens. Arbitrisque ergo partibus primum inducitur probatio, & boni quidem ministris omnem virtutis speciem, & omne Dei præceptum porrigentibus, & summo studio & diligentia singula suadentibus recte gerere, & sic aduersarium repellere. mali vero adiutoribus, omne simulachrum fornicationis & omnem vitij formam contra inducentibus: & eorum mentem à Dei præcepto blanditiis auocare tentantibus, & ad sui interitum attrahere machinantibus. Quicunque ergo hanc tentationem diligenter animo cogitauerit, & bona conscientia vel recto mentis vsus iudicio, aduersarij quidem omnes insultus repulerit: & ab omni mali simulachro suam mentem & templum impollutum conseruauerit: omnem autem virtutis speciem, frequentibus laboribus & multis sudoribus in seipso plantauerit, is cum nulli reprehensioni affini martyrio, quæ in agendo versatur præcepti confessione legitime certauerit, is quoque dignam victoriæ coronam ad similitudinem Martyrum retulerit. Quicunque vero viuificum præceptum, & vitam quæ est ex Euangelio abnegauerit, & seipsum tradiderit omnibus voluptatibus & iniquitatibus, quomodo non Iesum factis negauit, etiam si eum lingua mentiatur? Is re vera execrandis sacrificauit simulachris.

Hi ergo magni pietatis decertatores, Cosmas inquam & Damianus, fideles & prudentes cultores Domini, non vanorum solum & manu factorum Deorum, tanquam abominationum cultum sunt abominati, omni idolatriæ infensi & superstitioni, solum autem Deum vere patrem, Deum filium, Deum spiritum sanctum, tanquam vnam veram lucem quæ in tribus solibus cernitur & creditur, credentes & colentes, vnam diuinitatem potestatem & regnum. Non solum ergo hoc modo a pueritia ad finem vsque sequentes testes veritatis, cōspecti sunt socij illorum con-

fesſionis : ſed etiam reſiſtentes carni & animi affectionibus , quas multi effuse colunt tanquam Deos. Dico autem libidine & gloriæ cupiditati, quas conſequitur totum examen vitiorum . in his fortiter repugnantes: & validis laboribus exercitationis grauem omnino delentes aduerſariū. Sed non ab animali & quæ eſt ad tempus vita ſuperati non à ratione alienis deliniti cupiditatibus : neque prudentiæ carnis ſacrificantes ſed ſpiritu & veritate Deum colentes, aſſequuntur etiam perfectam victoriæ renunciationem . cum apparuerint vere Chriſti Martyres & omni maiores exceptione . Tali ergo certamine decertarunt aduerſus Diabolum & peccatum. & cum honorificentiſsimum illi honore digniſsimi ſic oſtendiſſent martyrium, iure conſequuntur præmia quæ dantur victoribus.

Quomodo autem hoc ab eis factum eſt? Cum continentiam quidem cum qua ab ineunte ætate fuerant educati, præclari illi viri ſibi feciſſent familiarem, patibilem animæ partem ſufficienter in ea exercentes, libidini nullum ad ſe dederunt aditum. Omnē vero ſenſum & omne membrum per illam , erudientes & componentes , & ſe conuenienter præcepto conſeruantes mundos ab 1 omni inquinamento carnis & ſpiritus, ſeipſos Deo & patri exibuerunt dignum Deo templum. Cum autem humilitatem cum manſuetudine pure amplexi eſſent, renuntiarunt ſpiritui ambitionis & gloriæ cupiditatis, & cum eum omnino abieciſſent, & ab omni ſua actione cogitatione & ſermone penitus exterminaſſent, ſic puram & ſinceram virtutis operationem Deo offerebant. Quo eſt ergo vitium impudentius & magis contentioſum , eo magis aduerſus id humilitate vtentes, & hominibus placendi cupiditatem & omnem arrogantiam & hypocriſim , tanquam ex eo prognata & Diaboli amica , è ſuo corde radicitus euellentes , perfecte Chriſtum & integre admiſerunt ad habitandum. Sic cum inanis gloriæ inſidias forti animo effugiſſent, malorum radicum, auaritiam inquam, per id quòd nihil poſsidebant penitus amandarunt. Quomodo enim probi Athletæ, contendebant aureos & argenteos Deos è mente ſua abiicere tanquam inquinamentum : vt in ipſos manentibus impollutis, Deus qui eſt ſolus impollutus & purus pure requieſceret : Sic etiam hi mentis maculas & ſordes & animæ prophanationem, non aurum ſolummodo & argentum & alterius materiæ magnificentiam , ſed in ea amorem & affectionem eſſe ſcientes , eorum recuſarunt omnino poſſeſsionem non quòd omnino poſsidere, iis ad peccatum reputētur qui in ſe poſsident, ſed quod ipſi viuerent euangelice aut potius angelice & immaterialiter cum corpore : & virtutis doctrinam vitam ſuam mundo proponerent . Sciebant enim, vere ſciebant ut qui à Deo docti erant, plura habendi cupiditatem ſeu auaritiam & eſſe & nominari cultum ſimulachrorum.

1 *Vides quod ſeruāre uirginitatem nō eſt res impoſsibilis , adiuuāte ſemper gratia Dei , quæ tamen nunquam deeſt uolentibus.*

Cum hoc autem nobis quoque videre liceat explica ſi videtur auari animam, & eam videbis plenam mutis ſimulachris. Videbis auri & argenti & veſtium immenſam & interminatam phantaſiam: & omnium poſſeſsionum ſomma , omniumq́ꝫ rationum & ſtudiorum cogitationes, per quæ ſolent illa multiplicari. & non ſolum in iis qui habent, ſed nihilo minus etiam in pauperibus & egentibus, quod eſt maxime riduculū aut in primis miſerabile, licet ſæpe hāc videre affectionem. Qui eſt eiuſmodi, eſt vere templum ſimulachrorum , & plenus eiuſmodi ſpectris. Iis ergo

qui ſunt tales, & mens & animus toto tempore in his verſatur: & memoria eorum afficitur, lætatur, titillatur: in ea incumbit cogitatione, dormit & vigilat cor eius circa theſaurum, in eum totus eſt defixus, cogitando quonammodo pecunias amplificet & ea paret quæ ad victum pertinent, ei viuit, eum ſpirat, in eo confidit, & morbi & ſenij & cuiuſuis alterius huius vitæ calamitatis, non Chriſtum ſed aurum miſer, eſſe ſtatuens depulſorem. Perpetuo id ruminat, & de eo multiplicando eſt ſolicitus, & quemadmodum ergo non eius ſimulachrum colit in animo, quod amore & affectione in ipſo impreſsit? A quo totam vitam ſuam vult pendere, quomodo non eum colit vt Deum, cum ſic eum honoret & affectione mentis ſic amplectatur, vt etiam eum qui vere & Deus, propter ipſum non audiat? Quomodo vero diuiniſsimam Chriſti pulchritudinem, quæ eſt immaculata, materiæ expers, & inacceſſa naturæ, mens contemplabitur, quæ fuerit ſuperata à pulchro auri colore: & præoccupata ab illius contemplatione: & veluti tota deaurata adeo vt craſsi & nullo ſenſu præditi eorum mores auro fiant conformes? Hæc quidē auri amantes & Chriſtum odio habentes, & nec damnum in quod incidunt reputantes: neque lucrum ſcientes eſſe vanum & nullius pretij: & à Dei quidem charitate & fide alienati: ſibi autem ſupplicium in die iræ & reuelationis & iuſti Dei iudicij tanquam theſaurum recondentes.

At nō diuini Anargyri & vere homines Dei Coſmas & Damianus, ſed quomodo florebant in aliis omnibus virtutis dotibus: ita etiam mores ab omni auaritia alienos, conuenienter diuino Apoſtolo oſtendentes, ex ipſa actione ſortiti ſunt dominationem. Ambo enim à pueris vnam artem exercentes, nempe corporum medicinam, vt in ea facile ſe recte gererent Dei imitantes benignitatem, non artis opem auro permutabant laborantibus, non argento, non ære, non aliqua re eſculenta, neque vlla re tenuiſsima, gratis autem omnibus, non ſolum hominibus ſed etiam beſtiis medentes, cauſam autem curationum non ſibi attribuentes, ſed grato animo Domino acceptam ferentes. Qui vero ſic in paruo fideles apparuerunt, quomodo non in magno euaſuri erant fideliores? Et qui toto vitæ ſuæ tempore ſeminabant ad iuſtitiam, Deo fœnerantes miſericordiam, quomodo non ij à Deo iure percipient fructum vitæ? Tunc autem cum ſpiritus accepiſſent primitias, ſic ferebantur ad perfectionem. Quænam eſt ergo arra eorum perfectionis? Videamus ꝗ Deo digna, & philoſophemur, Non qui pollicitus eſt ſe eos eſſe glorificaturum qui ipſum glorificant, quoniam quod eorum quæ ipſi inſunt eſt pulcherrimū & maxime proprium, vidit eos perfectam perfecte exercuiſſe charitatē, per ipſam de cætero cum eis verſabatur, tāquam cum iam familiaribus: & præclare habitans in bonorum ſtudioſo mentis eorum propoſito, eo vſus eſt ad commune hominum beneficium, & omnium operatoris ſpiritus eos ornat omne genus donis Hinc Hippocratis quidem longam artem multum valere iubentes: experientiam autem damnantes vt periculoſam: Galeni vero loquacitatem & eorum qui ſunt eis ſimiles, infinitos ſermones & inania ſtudia deſpicientes, quomodo viuebant ſpiritu, ita etiam ſpiritu, vt diuinum ait eloquium, incedebant. Hinc etiam eodem diuino ſpiritu, obeuntes morbos humanorum corporum, medebantur cuiuis morbo & cuiuis ægritudini. Et licebat illic videre apoſtolicam gra-

Anargyri, ſine pecunia nuncupati ſunt S. Coſmas & Damianus.

tiam euidenter operantem, licebat videre in his viris apostolicis præclare perfici domicam virtutem & præceptum. Nam ij quoq; ab eo accepta potestate, ambulabant super scorpios & serpentes & omne potestatem inimici, Egrotos curabant, Dæmonia expellebant, Leprosos mundabāt; Claudos sanabant gratis cum accepissent, gratis quoq; dabant oībus.

Hic est modus vitæ quam agebant venerandi Anargyri. Hic cursus erat sanctis, viuere euangelice: ab ineunte ætate ad finem vsque se recte gerere, vt Christianum decet in terra versari. Hoc erat solum munus filiis lucis, ambulare tanquam filios lucis, & luce suorum verborum & actionum luminum patrem sanctificare. Munus erat eis contendere fieri omnium sanctorum participes. Patriarcharum quidem certe benignitatem & hospitalitatem & pietatem, quinetiam à malitia remotos simplicesq; mores imitabantur & vitam non fictam. Prophetarum vero in peccatores seueritatem, pro iustitia zelum & in omnes veritatem & simulationis vacuitatem. Et apostolorum quidem nullum apparatum, & carere pecuniam, & diuitias curationum, & copias charismatum, & varietatem, vt semel dicam, donorum spiritus. Martyrum autem aduersus cōmunem hostem animi fortitudinem, aduersus quemuis cultum simulachrorum victorias & præclara facinora, quibus & præmia cœlestia & quæ non marcescunt coronas sunt merito consecuti. Imitati sunt sacerdotum quidem Christi pietatem, grauitatem, 2 castitatem & virginitatem, integrum seipsos sacrificium, & animam & corpus spiritui consecrantes. Monachorum autem continentiā; quietem ac silentium, perpetuam & quæcunque deficit in mente precationem, & omnium sanctorum, vt semel dicam, fidem imitantes, spem desiderantes, chariratem recte exercentes, in pace migrant ad Deum charitatis. Sed non ambo eodem die.

2 *Ecce quo etiam in Orientali Ecclesia sacerdotes Christi castitatem & virginitatem aliquando seruauerunt.*

Cum autem diuinus præcessisset Damianus, breui post tempore, diuinus quoque Cosmas eum ad Christum est consecutus. Operæ pretium est autem id quod accidit in eius exequiis in memoriam reuocare miraculum. Nemo autem credere dubitet si est præter naturam id quod factum est, ad naturæ constitutorem & transformatorem intuens. Nam cum, postquam diuina illa & vere sancta anima, cum gloria diuinorum angelorum, & ineffabili splendore & lætitia ad sanctissimum Dominum abiisset, qui pretioso illi corpori iusta faciebant, dubitarent quomodo id oporteat sepeliri (scitis vero omnino causam huius dubitationis, nempe trium ouorum acceptionem, & sanctorum breuem propterea indignationem) fit de cætero miraculum omnium miraculorū maxime nouum & elegans. Ad eos de ea re dubitantes repente accedit Camelus. Camelus ille qui operatione Satanæ ante confractus, manu beati Cosmæ colligatus fuerat & sanatus. Is ergo cum tunc adesset, corrigit hominum dubitationem, & veluti curationis q̄ assecutus fuerat gratiam referens, qui erat mutus vocem accipit humanā: & iubet eum fratri adiungi. O noua & inaudita, O terribilia Dei miracula. Homines dubitant, Cameli philosophantur. Qui sunt ratione præditi, consilium capiunt de iis diuidendis qui non possunt diuidi rationis autem expers natura commodato accepta oratione, à superis enim, scilicet venit hic iussus, ostendit q̄ essent aliene à ratione, dicens nullam esse iustam causam cur eos corpore disiungerent

gerent

gerent qui sunt alioqui coniuncti in omnibus, quibus quomodo est vnus Dominus, ita etiam vna fides, vna anima, consilium vnum, & vnus spiritus, quomodo etiam vocati sunt in vna spe eorum vocationis. Qui cum q̃uo carne, ita etiam spiritu natu sint fratres, eis esse honestum & valde iucundum semper habitare & corpore & spiritu, quomodo etiam prædicit diuina scriptura.

Num autem cum essent quidem superstites viri illi admirabiles, operam nauabant curandis hominibus: eos uero neglexerunt cum essent ad Christum resoluti? an miracula quidem faciũt, sed minora? an illis quidem maiora & prioribus magis admirabilia? sed ad breue tempus? An semper quidem, non autem vbiq;? Nequaquam. Quo est autem mens sensu, & spiritus corpore leuior & potentior, tantum hi terra dimissa & trãslati in cœlum, cum ab ea quidem quæ est in carne recesserint conuersatione, ad spiritum autẽ perfectius accesserint, benignius simul & efficacius, bona opera efficiunt. Atque tunc quidem paulo post eorum decessum, cũ re vera ad illum accessissent Agricolam, cui cum per os somno hians exitialis irrepsisset serpens, grauiter eum cõuellebat & interna exedebat, eum vocibus & supplicationibus ipsos 3 inuocantem, per os rursus euomere fecerunt malam bestiam: & à graui illa & lætifera calamitate hominem liberarunt. Post hæc autem mulier quædam insignis periclitans, & magnis votibus tanquam magnos Seruatores Cosmam inuocans & Damianum, in domum suam reuersa est conseruata, quam maritus quidem prius peregre proficiscens, sanctis prudenter commendarat, à malo uero Dæmone persuasum, qui iurabat se eam ducturum ad maritum, & ex ædibus progressam, deinde periculo mortis ab ipso illaqueatam & ne periret in discrimen venientem, ipsi repente accedentes conseruarunt.

3 *Notã miracula quæ fiunt ad horum sanctorum inuocationẽ.*

Quid his diuinius aut celerius. Etenim cum diuinis & maxime intelligentibus mentibus, vt purissimi, coniuncti illi beati: & cum celeri & supermundana natura, potestate qui est in eis diuini spiritus contendentes, adsunt omnibus qui indefessi semper eos sincere & germane inuocant, & manu incorporea & viua virtute tangentes, non solum corporum affectiones & morbos immedicabiles, sed etiam alios casus et uarias calamitates diuinioribus curant adumbrationibus. quas nec fieri potest vt omnes enumeremus, nec est huius præsentis instituti. Quis est enim adeo incredulus. Quis adeo stultus & hebes, vt nullam ex eis gustarit & senserit utilitatem? Non enim quomodo Greci nominarunt Diostoros, ita etiam hi præsunt humanorum corporum medicinæ. Nam illis quidem sicut in aliis à veritate aberrantibus, spem habuisse in Diis & Dęmonibus: ita in his quoq; inerat in vanis hiasse attonitos nominibus, & temere fiduciam habuisse in rebus inanibus. Nobis autem qui re vera pendemus à Christi veritate, per sanctos Anargyros uerissimum est ab eo nobis propositum domum curationis.

Sed ò par diuinum & beatum. 4 O' oculi puri & luminosi puræ ecclesiæ & lucidæ, per quos eius corpus illuminatur. O' vbera, diuina & pulchra, tanquam duo fontes è quibus non lactis sed viuæ gratiæ emanant curationes. O' manus eorum quibus sunt membra luxata. O' paralyticorum genua, pedes claudorum & mutilorum. Omnibus enim facti omnia ad Dei imitationem sustentatis quidem eos qui concidunt: erigitis

4 *Hic sanctos inuocat; & petit ab eis ut tollant malas sui corporis habitudines, q̃d situm dicit esse in eorum potestate.*

autem eos qui sunt confracti. Hæc est quæ à nobis ad vos proficiscitur laudatio, breuis quidem & longe vestris meritis inferior. Sed mihi ignoscite, quod deest orationis perfecto animi nostri studio & bona voluntate rependentes: & malas corporis nostri habitudines, vt quod sit in vestra positum potestate, tollite, & sic implentes domo Christi quod est in vobis, ad ipsum dirigite. Ad gloriam patris & filij & spiritus sancti, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

ITEM VITA, ET MIRACVLORVM *sigillatim narratio, Sanctorum & gloriosorum qui gratis medebantur, Cosmæ & Damiani.*

PIETATE & vera religione paulo ante resplendente, & euangelica prædicatione mundum vniuersum occupante, cognitum fuit par admirabile gratis medentium Cosmæ & Damiani. Eis optigit patria quæ est Asiæ quidem proxima. erant autem quod ad genus attinet honestißimi. Et horum quidem clarorum & admirabilium virorũ, vt oratio significabit, pater, cum vitæ à Deo institutę viam esse ingressus, pietatemq; & verum Dei cultũ fecisset maximi, futura vere apprehendens & amplectens: & ea quidem quæ cernuntur prætercurrens tanquam abiecta et incerta: quæ autem sunt illic vbi est Christus sedens ad dexteram patris mirandum in modum amans, relictis his sacrosanctis geminis, hinc excedens ad cœlestia transit tabernacula quæ dilexit insigniter. In eos autem secunda vsus est fortuna mater, erat vero ei nomen Theodote: quæ eos quidem patri faciebat similes, eorum autem omnibus modis curam gerebat, & in virtute educebat: quæ honesta quidem moribus, anima autem honestior, & carne casta, erat omnibus exemplar temperantiæ, mitis ac moderata, & omnem amplectens bonitatem.

Atque arctam quidem & angustam viam elegit hæc puerorum eruditrix, eo vtens Duce qui non foras expellit eos qui ad ipsum veniunt, sed porrigit manum paratam ad eos excipiendos. Maternos autem gressus alacri animo sequebantur pueri adhuc ætate tenerrimi, virtutis nouũ sulcum secantes: & recens compacto eius thalamo aureas & quæ frangi non poterant columnas subiicientes. Lætabantur nõ ingratum laborem suscipientes. Magno studio contendebant vt essent pariter benigni & misericordes: vt in parentem & eruditricem essent beneuolentißimi: vt in cohabitando & simul viuendo esset quę abrumpi non posset cõiunctio. Quid ergo? pro iis præmatura misericordia effloruit & gratia, fuerũtq; gloriæ & honori ei quæ erat circũcirca regioni, vt qui prædicarentur ab omnibus. animi quidem rectitudine ad omnia Domini præcepta ambulantes: Apostolicis autem gratiis ab eo locupletati. Nam cum vitam suam perfecte instituissent, carnis perturbationum resistentes multitudini: & ad bonum se, vt ita dixerim, à primis exercuissent carceribus: easdem quoque quas Christi Martyres consecuti sunt remunerationes. Adeo.n. amplexi sunt moderationem, & animæ solum repurgarunt ab iis quæ

sunt contraria, eaq; a vana iactatione & pecuniarum, examine non profanatam adeo cõseruarunt, vt solos sol aspexerit primos in terra Cosmam & Damianum post Deum patrem, renouasse spiritum humilem in suis visceribus.

Quãobrem exultabat quæ erat eorum mater secundum carnem, intelligens hos geminos cum ea contendere in operatione virtutis. Ex quo factum est vt si quis eos non ipsi nominibus, sed Anargyros, idest pecunia vacuos dixerit, significet Cosmam & Damianum. Fuit autem viris admirandis impositum hoc cognomen, eo q; re ipsa eis suffragaretur veritas. Communiter enim præbebant omnia omnibus vt volebant: Nil vero possidere vsque adeo summe exercuerunt, vt non solum secundam abiecerint tunicam, & conuenienter præcepto indumentum calceorum; sed nec manu quidem baculum vnquam gestandum susceperint. Contra autem ipsi potius se aliis debere esse statuebant pro manu: pro baculo: pro quolibet quod tegit & fouet: pro quolibet quod erigit & cõfirmat, placidum & mitem Iesum imitantes, qui non vt sibi ministraret sed vt ipse ministraret aliis. Aperta itaque arrogantiæ & insuperbiæ insania ab eis tunc supra modum fuit victa & conculcata. Seruabant autem innocentiam conuenienter ei qui dicit. Videbam has rectitudines.

Eorum vero qui ægrotabant recreationem, non disciplinarum & artis esse effectum existimabant: non opus vocabant medicamentorum, sed solius esse donum eius qui est præstantior. & quãuis se multum quidem in Hipprocratis, in Galeni autem placitis se magis exercuissent, cum rebus omnibus tutiorem didicissent esse diuinam virtutem, tam quammaxime amplectebantur: & feruenti in Dei amorem spiritui, rectũ in se spiritum adiiciebant. per quem omne genus morbos nullo negotio superabant, & super scorpios & serpentes incedebant, & ea faciebant quæ erant arte superiora. Quęcunq; enim mutilauit natura ea se posse aggredi ad curandum ars desperat. Illi autem non orborum despiciebant oculos, non leprosorum differebant curationem, non claudorum pedes habebãt contemptui, sed ipsos quoque qui sub aspectum non cadunt expugnabant Dæmones, in diuinum figmentum eis potestatem auferentes. Propterea semper ad eos confluebat ægrotorum multitudo vt qui essent benignissimi & munificentissimi. Præterea vero ea quoque ab eis alebatur, non variis cibis et qui opus habebant aliquo apparatu, nihil enim horum erat curæ sanctis, quomodo nec in morbis, compositionibus & temperationibus eis accommodatis: sed solis, vt ostensum est, precibus ad curationem.

Cum autem totam vitam consumpsissent, eos qui erant eiusdem generis beneficio afficientes: & eorum qui vnquam extiterunt fuissent maxime hospitales, & omnium quos auditione accepimus maxime frugales, recti, & nulli affines reprehensioni, iustissimi, datæ gratiæ perfecti dispensatores, cum tam multos annos vnicuiq; indigenti pro meritis distribuissent, & pacifice vixissent, migrarunt ad Dominum pacis. Non erat autẽ omnino Dei ambos simul de medio tollere, & tantum bonorum aceruũ simul auferre: & suo figmento afferre tantam animi ægretudinem. Et ideo vnum quidem prius, alterum vero postea vitæ finis excipit, sed contra atque processerat eorum ortus, processit excessus. Damianus enim qui natus erat secundus, cum non morbis eius corpus extribuisset, sed id spirita-

libus sudoribus cõsumpsisset, primus hinc excessit. Paulo post autem eũ quoque diuinus ad Christum consecutus est Cosmas.

Sed cum ad hunc locum peruenit oratio, adiiciam aliquam narrationem quæ auditu quidem erit noua & inaudita: est autem sanctorum moribus conueniens. Cum in vita essent adhuc superstites viri maxime admirabiles, cum aliquando repente & præter spem accessissent ad mulierem cuius paralysi erat corpus dissolutum, id constrinxerunt: ac confirmarũt & eam a maximis necessitatibus liberarunt & doloribus. Ea admirabili beneficio obstupefacta & lætata, quoniam offerre sanctis videbatur esse nimiæ audaciæ, voluit fratres donare tribus ouis. Illa autem vel solummodo visa fuit amandata. Non æquo vero animo ferens se non fuisse admissam, stans prope partem beati Damiani. Cur, inquit, me miseram existimastis tanquam abominationem? Cur autem tanquam à scelesta aliqua famula vos auertitis? Ad hæc vero calidis lachrymarum effusis fontibus rogabat et supplicabat. Deinde terribilibus quoq; adiurationibus eum mouens, effecit ut acciperet ea quæ attulerat. Postquam autem fratri quoque ea quæ fecerat supplex communicauit, grauiter ferebat diuinus Cosmas, gemebat, indignabatur, eum laudare non poterat, vt qui simpliciter in quoddam magnum facinus incidisset. Dicebat eum vendidisse gratiam spiritus quam gratis acceperant ab omnipotente, molestis affligebatur stimulis afflictionum propter tria oua, idq; cum non audiisset, adiurationes, nec spectaret ea quibus flexus magnus fuit Damianus. Et ideo immortalem ferre dolorem statuebat etiam post mortem fratris. Neque enim mecum sepeliatur frater, dixit moriens, neque tangatur meum corpus ab illius corpore, cuius dexteram audiui fuisse extensam ad accipienda munera.

Cum sic cogitasset bonus Cosmas, longe abfuit vt se fratri demitteret. Quanquam non siuit Deus iram esse incurabilem, sed ei dixit in somnis. Noli temere fratri irasci. Neque enim quæ sunt oblata accepit propter munera: sed quòd nollet meum omnem despicere, cum hoc ei mulier ante alia abiiceret, & per ipsum eum valde adiuraret. Hinc factum est vt ille quidem iram remitteret, etiamsi iis qui aderant diuinam illam non dixerit apparitionem, ex eo autem omnino clarum extitit, quòd Camelus, deposita, quodammodo vacuitate rationis, cum quod est maximum & maxime admirabile, vocem subiisset humanã, vt paulo post ostendemus, iusserit vt is cum fratre mandaretur sepulturæ. Cum enim totum vitæ cursum confecisset beatus Cosmas, vt rursus paulo altius repetam narrationem, & cum non sufficeret amplius corpus multorum dierum ieiuniis, in bonorum Angelorum manus tradidisset animam, qui diuinũ corpus illius efferebant & exportabant, erant animi valde dubij vbinam id deponerent, tempus vero producentes, differebant sepulturam.

Cum autem sic essent perplexi, & prætetea quidem quæ visa erant fratribus aliquid facere non esse tutum existimarent: rursus vero indignũ seputarent vt qui ex eodem vtero prodierant, non eandem assequerentur sepulturam propter paruam occasionem, certo & maxime admirabili signo. Deus eam sustulit controuersiam. Quidam enim Camelus cui fuerat

5 pes aliquando contritus, ab inclito autem Cosma facto 5 signo crucis

Sanctus Cosmas si- inuenerat statim curationem, etenim brutorum quoque curationis pro-

pter

pter insignem misericordiam suam curam gerebat, cum tunc apparuisset alicunde ex mõtibus, humano est locutus sermone: & eum iussit deponi apud fratrem, adeo pulchre animal expers rationis decidit cõtrouersiam, & superna prouidentia pro pede reddidit mercedem: & non corrupit gratiam ingrati animi vitium. sed in re quæ conuenienti opus habebat ratione, fuit vtilis iis qui ipsum curauerant. Et illi quidem sic fecerunt: Camelus autem reuersus fuit ad sua pascua.

gno crucis facto camelo curationem inuenit.

Nullus ergo tunc erat qui non eos vocaret Seruatores, 6 & illorũ defleret priuationem, nullus erat qui non damnum esse statueret, sanctorum Cosmæ & Damiani decessum. Lamentabatur multitudo eorũ qui curati fuerant. Flebiliter eiulabant ĳ qui erudiebantur. Ab adolescentibus luctus, à viris fletus, à mulieribus excitabatur eiulatus lachrymabilis. Hanc calamitatem ne infantia quidem ignorabat, etiamsi qui ad Deum transierant, erant paratissimi ad omnem petitionem: & bonis prioribus adiecerant ea bona quæ sunt post mortem: & benigne bona opera suppeditabant. Nondum.n. humiconditum fuerat Cosmæ corpus, & vir quidam operarius qui manibus sibi victũ parabat, cum ab agri colendi laboribus in soporem fuisset resolutus, perniciosum serpentem suis excepit visceribus. Cum ergo ab illo grauiter conturbaretur, & intestina eius exederentur, mortis tenebatur desiderio præ mali quod eum premebat magnitudine à quo non poterat liberari: & non tacẽdis vocibus sanctum illud par inuocabat. Illi autem cum non in somnis sed re vera ad eum aperte accessissent: & vt ex imo euomeret iussu suo effecissent: & curationem ei breui præbuissent, euanuerunt.

6 *Vides sanctos dici seruatores, & tamen nullam Domino Iesu Christo fieri iniuriã.*

Deinde haud ita multo post illustris quædam mulier, quam eius maritus peregre proficiscens, vt ad eam custodiendam diligentissimis & ad ferendum auxilium acerrimis, sanctis commendauerat & vt ad eum veniret iusserat, quando aliquis ad eam accessisset litteras ab ipso afferens, & ostendens annulum quo signabat: ipsa Dæmoniaco consilio veniens in periculum, liberata fuit à necessitatibus quæ vitari non poterant, nominis sanctorum opportune recordata. Spectrum enim quoddam Dæmoniacum, quod ei qui peregre erat profectus eo ipsa inuidebat, ꝙ eis qui erant acres ad defendendum suam crediderat vxorem, ad decipiẽdum q̃ potuit probabilissime effictum, simul quidem & mariti mandatum vt quod despici non poterat reuocabat in memoriam: & seipsam ad eum breui adductorum affirmabat & iurabat. Ea autem cum non posset intelligere quidnam strueretur, illud spectrum est secuta. Ille vero in profundissimum eam detrudit barathrum, in quod & erat casura: & luctum quidem marito conciliatura, Dæmonium autem ad risum motura, nisi sancti illi qui depositum acceperant & innumerabilibus oculis eam custodiebant, quæ verbis non põt exprimi maxima celeritate venientes, eam conseruauissent. Sic mulier cum maius q̃ sperabat inuenisset auxilium, & in domum suam esset reuersa, sanctis ferebat acceptum & illis agebat gratias, ꝙ soluta esset eius calamitas.

Tam multis virtutibus & miraculis clari fuerunt viri beati cum essent superstites. tam multis muneribus nostram ornarunt naturam etiam post mortem suam. Sic Cosmæ & Damiani benignitatem & singula beneficia cogitantes, diuinæ letitiæ & exultationis dies ne in fu-

turum quidem nos deficient. In Christo Iesu Domino nostro Iesu. Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

CERTAMEN SANCTORVM

& gloriosorum Martyrum, Acindyini Pegasij, Anempodisti: Aphtonij & Elpidephori.

ETIAMSI per se primi Christum natum ex virgine adorarunt, & donis eum honorarunt, ij tamen postea Christi seruos propter ipsum inhumanæ punierunt. Hoc autem cum ex multis aliis est euidens, tum ex argumento quod nunc est propositum. Nam cum superbus ille sapores sceptra teneret Persica, & declinasset ad tyrannidem, & ad Christianos qui erant in eius potestate persequendos fuisset incitatus, magna quædam caligo, Christi fuit offusa Ecclesiæ, & ea repleta fuit tumultu & confusione. Nullus autem ex Persis erat negligēs in acriter defendenda sua religione. Quamobrem eos qui Christum colebant quotidie criminantes, manui regiæ tradiderant. Inter quos beatum quoque Acindynum, Pegasium, & Anempodistum, qui latebant in quadam domuncula, Regi indicauerunt, vt qui & Christianorum tenerent opinionem, & multos ex iis qui ad ipsos ventitabant, Christi dogma docerent, & persuaderent vt regia despicerent decreta. Ille autem valde iratus iussit statim sanctos comprehendi & coram se sisti.

Cum vero adfuissent, iram statim illinens ficta moderatione. Filioli, inquit, quos paulopost erat excarnificaturus, dicite mihi quænam est vobis patria, vnde genus ducitis, quodnam est vobis studium. Sancti autem responderunt, & patria & genus & studium est fides in trinitatem quæ est vnus Deus à quo ad omnes qui sunt, essentia, & ad eos qui viuunt, vita, tanquam à fonte aliquo perenni, deriuatur. Hæc cum audiuisset Tyrannus, vt videtur, inquit, mea lenitas & ꝙ nō sim procliuis ad supplicia vos reddidit cōtumaces & audaces ad rñdendum. Dixit vero statim Acindynus. Quænam responsio facta fuit secus quam oportet: aut quid tibi videmur non respondere vt conuenit? Quoniam, inquit, alia respondistis, q̄ de quibus fuistis interrogati. sed nisi accedentes cito sacrificaueritis, pœnitentia ducti frustra flebitis. S. Anempodistus libero verborum fluento dixit Tyranno. Oportebat quidem ò Rex, nos de hoc verbo ne minimum quidem rñdere, sed ferre silentio tuam in nos contumeliam, sed quoniam feruor fidei in Christum non sinit nos tacere, audi nos hæc tibi dicentes. Cur de patria genere & studio curiose inquiris? Hæc enim omnia, vt prius diximus, est nobis trinitas omnium architectatrix. Deos autem quibus nos iubes sacrificare, nec nouimus: nec sunt omnino. Oportet enim amare veritatem, Dæmones vero scimus esse deceptores & animis afferre interitum. Qui cum à Deo creati essent, & ab eo qui fecerat defecissent, igni æterno sunt damnati. Tyrannus autem his ad iram accensus, eis mortem minatur acerbissimam. Cui sancti, perinde

ac si bona esset pollicitus non autem tormenta minatus, responderunt. Vix tandem agnouisti id quod est nobis vtile & salutare.

Tunc ergo iubet eos à quatuor viris extensos per totum corpus virgis cædi. Illi autem cum totam mentem ad Deum sustulissent, ita affecti erant cum virgis cæderentur, perinde ac si patientibus aliis ipsi adessent spectatores. Propterea plagas quidem negligebant: conuenientes autem canticum ad Deum psallebant, dicentes. Vidisti Domine, ne sileas, & ne ” discedas à nobis. Deinde qui eos torquebant lictores, defessos iam quòd diutius producerentur tormenta, alij recentes excipiunt. Cũ autem hanc quę erat supra hominem vidisset Tyrannus Martyrum tolerantiam, & eos tanquam inani quidpiam ferre plagas citra dolorem, in maximam adductus admirationem & correptus vertigine, statim cadit supinus, adeo vt qui aderant putarent eum esse mortuum. Deinde cum ad se rediisset, licet non ad id quod oportebat & veritatem, cum ex Athletarum quæ superabat hominem tolerantia, oporteret eum deduci ad pietatem, apparuit ille magis ab ira superatus: & iubet Martyres funibus extendi in aere: & ignem subter eis accendi: vt duplici tormento eorum animæ celerius erumperent. Illi autem quouis ferro & quouis adamante fortiores, tanquam ad tormentum recentius etiam recentiorem ostentantes tolerãtiam, & non in viuente corpore & dolorẽ sentiente, sed in quodam inanimo supplicium sustinentes, ipsum quidem negligebant: ad preces vero linguã & mentem conuertebant, dicentes. Qui es illuminatio nostra Christe ” Deus noster: qui propter nos passus es iniurias: & in ligno fuisti exten- ” sus: & precatus es pro iis qui te interimebant, patientiæ & tolerantię de- ” creta nobis proponens, aspice ad humilitatem nostram & afflictionem: ” & libera nos à machinationibus scelerati animi huius tyranni. Sciant ” omnes nos te habere Dum in cœlis qui potest omnia: & qui est sine ” principio tuum patrem: & adorandum tuum & sanctissimum spiri- ” tum, in secula. Amen. ”

Cum sic essent precati, in nostra forma apparens Dominus, soluit quidem vincula: ignem autem irrorat, quomodo pueris olim in Assyria, & sic sancti illæsi & salui producti sunt in conspectum Regis. Ille autem cum esset valde crassus & insipiens, necque ad mirabili spectaculo obstupefactus, neque Martyrum inuicta motus patientia. Quid, inquit, vobis videtur, eos appellans nominatim, num hæc vobis parua persuaserunt tormenta vt à pernicioso quidem vestro errore discedatis, nostris autem edictis cedatis? an adhuc vultis permanere in errore, vestris freti præstigiis? Respondit B. Acyndinus. Præstigias quidem neque scimus neque vnquam didicimus, neque vnquam talibus vsi sumus imposturis. Sed quoniam Dei vires inseparabiles, & quæ sunt supra naturã signa diuina putas esse præstigias, visioneque & non re vera hæc fieri suspicaris, eris deinceps mutus & lingua impeditus, vt ex te ipso testimonium feras Dei virtutis. Si potes ergo dicere, dic quibusnam Diis nos iubes sacrificare? Non erat autem vox, neque auditio, sed erat mutus non secus atque Dij eius, solo nutu indicans animi voluntatem. Cuius amentiam Christi serui arguentes & irridentes, dicebant. Recedimus, tu autem nihil nobis omnino dicis.

Cum autem finxissent sancti se recedere, erat Rex mutus similiter,

crebro defigens oculos in eos qui circunsistebāt, & nutu iubens vt sancti comprehenderentur. Deinde cum ministri quod volebat non possent intelligere, præira & dubitatione effectus semi insanus, rupit chlamydem: & id quod fibulatorium dicitur humi disiecit, & sic eos qui aderant vocabant ad misericordiam Christi autem milites & ipsos & tyrannum miserati propter amentiā, O' hominum cæcitatem dixerunt, q̃ sua spōte claudentes oculos, intueri nolunt lucem veritatis. Sed aperi Domine oculos cordis eorum, vt illuminentur luce Dei cognitionis: & tua considerent miracula, & adorandum & sanctum tuum nomen significent. Cū hæc autem essent precati, eis apparet exercitus angelorum, quorum splendorem ferre non valentes qui oculis animæ caligabant, humi ceciderunt. Sancti vero cum Dei consuetum sensissent auxilium, ei obtulerunt gratiarum actionem, dicentes. Deus noster, refugium & virtus, adiutor in afflictionibus quæ inuenerunt nos valde sed surge & nobis fer adhuc auxilium: & libera ab iis quæ nos circundant vexationibus propter nomen tuum.

Filius autem interitus ne tunc quidem intelligens, nec se effectus melior, sed quasi à se discessisset, gemitus & suspiria emittebat: & faciem pulsabat: & similis erat ei qui est animo perplexo & nescit quid agat. Quem cum benigni Christi benignus discipulus sic affectū aspexisset Acindynus, dolore oppressus, effusis propter eius cordis cæcitatem lachrymis, conuersus, Quoniam, inquit, neque Dei disciplina ò homo, fecit te eius virtutem intelligere, sed tua sponte sic manes improbus, gaudens tenebris impietatis, & amplectens ignorantiam: sit tibi potestas loquendi citra impedimentum, & nihil sit quod tuæ linguæ obsistat. Illi autem protinus quidem soluuntur frena linguæ: oculi vero animæ minime soluuntur à nube quæ eos obstruebat. sed perinde ac si nihil noui accidisset, neque quidquam esset passus, pergebat ea quæ prius exequi: & in eosque circunsistebant, præ animi dubitatione irā volens immittere, vt cuius animus esset plenus dedecore. Acindynus quidem, inquit, & eius socij, & Pegasius & Anempodistus, eum quē par est finem iam accipient. Porro autem vos quoque ò pessimi omnium ministri, nequaquam sinam: & sumam pœnas quas vestra mœretur inobedientia. Iubet ergo grabatos afferri ferreos: & ignis multum substerni, qui aspergatur adipe & pice & resina: & sanctos recumbere supor bos candentes grabatus. Illi autem perinde ac si in quodam roscido & florido prato essent recubaturi, constanti vultu magnoq; & excelso animo, insilierunt in grabatos. Deinde cum se multis horis extendissent, canebant Psalmum tempori conuenientem, dicentes. Igne probasti nos sicut probatur argentum. Posuisti afflictiones super dorsa nostra, &, da vt magno & forte animo feramus eos qui adsunt cruciatus. Da etiam circunsistentibus vt agnoscant nomen sanctum tuum quibus & tuam virtutem & tua nota fecisti miracula.

Cum ij hæc dixissent, audita est vox ē cœlis dicens. Quoniam factis vestram fidem confirmastis, vestræ petitiones deducentur ad effectum. Hanc ergo diuinam vocem effectus statim est consecutus. Nam quicunque ex circunsistentibus digni sunt habiti qui eam audirent, exclamauerunt. Vnus solus est verus Deus quem colunt Martyres, vnus fortis vnus inuictus, & præter ipsum non est Deus. Vos ergo estis beati qui

aduentus

aduentus eius in terram fuiſtis teſtes, & propter eius deſiderium animas ad mortem tradidiſtis mortem quæ vitam æternam conciliat. Cæterum vt nobis quoque manum prębeat & nos extrahat ex profundo interitus, eum rogate. Martyres autem cum eorum precum duxiſſent rationem, & 1 oculos in cœlum ſuſtuliſſent, Altiſsime Deus, dixerunt, aſpice ad ſeruos tuos qui nomen tuum inuocant in veritate, & voluntariam irrigationem attribue nouæ tuæ hæreditati, iis, inquam, qui nunc crediderunt in nomen tuum, vt ſit eis medicina eos qui à te proficiſcitur, id quod peccati eſt morboſum expurgans: & ſciant omnes te ſolum eſſe Deum, & omnia ó Rex, tuæ obedire potentiæ. Simul autem cum fine orationis & repente emicant fulgura: & erumpunt fulmina: & vehemens cadit pluuia, adeo vt metu correpti aduerſarij huc & illuc diſpergerentur. iis ſolis qui Chriſto crediderant, relictis ſolis cum ſanctis Martyribus, ad quos ſancti. Ne timeatis, dixerunt, qui vos Chriſto dedicaſtis, nam hæc propter vos extiterunt.

1 *Attende orationem cum eleuatione oculorum in cœlum.*

Cum ergo vna voce Deo emitterent glorificationem, acceſsit multitudo angelorum, candidis eos induens veſtibus, quæ forte oſtendebant purgatam eſſe animam fide & aqua. Rex autem cuius cohiberi non poterat inſania, vt par erat dixit ſanctis. Quod veſtræ iuuentuti parcerem & ſpeciei, id vos fecit meam contemnere potentiam, ſed re ipſa omnino ſcietis vos ea facere quæ ſunt inutilia & vobis non expediunt. Sed quoniam non ineſt nobis minor potentia ꝙ potentia, adhuc veſtram tolerātes ſtultitiam, conſulimus vt pareatis, & hūc dulcem ſolem lucrifaciatis: & non mortem præmaturam & acerbam attrahatis: ſed accedentes, Dominis Diis ſacrificetis. Sanctus autem dixit Acindynus. Nos vnum nominus Deum qui eſt in cœlis, & ei ſoli ſeruimus qui poteſt corpus & animam damnare igne æterno. Ad hæc Rex, Ego quoque, inquit, volo vos vnum ſolum Deum adorare. Et quomodo, dixerunt Martyres, nos iubes ei ſacrificare? Me, inquit, ſequentes facite quomodo me videritis facientem. Sed tu quidem, dixerunt Martyres, facies ſicut ſcis. nos autem rurſus conſequenter faciemus vt didicimus.

His lætatus Rex, Et cur hoc, inquit, non diu ante feciſtis: ſed me coegiſtis ad hoc quod eſt præter naturam, vt in vos inueherer qui eſtis mihi chariſsimi, quod vtinam non feciſſem. vos tamen tāquam patri filij ignoſcite, qui vos caſtigando conuertere coactus ſum etiam præter ſententiam. His dictis currum conſcendit: & accerſiuit ſanctos vt cum ipſo conſiderent. Illi autem, Abſit, dixerunt, O' Rex, ut nos eo procedamus dementiæ, vt tecum audeamus conſidere, & tuam potentiam tanta afficere contumelia. Sed qua à uobis, inquit, afficior contumelia, ea eſt mihi optabilior & pluris facienda quam honor aliorum. Cum autem fuiſſent in templo, vno ex ſanctis manu apprehenſo ſimul cum eo eſt ingreſſus, Eius vero animo magna diffuſo lætitia, Magna eſt Iouis inuicti potentia, clara voce exclamauit. Deinde ad ſanctos conuerſus, quid, inquit, vobis videtur, an vt ipſi primi inchoemus ſacrificium: an nos id vobis concedamus facere. Quomodo veſtra voluerit potentia, Sancti reſponderunt. Rex autem permittit ſanctis primum precari. Cum ipſi ergo 2 genua inclinaſſent ea preces Deo offerrent, totum templum fuit terræmotu concuſſum; & quæ in eo erat ſtatua, cadens fuit confracta. Rex itaque ter-

2 *Et hic attende orationem cum genuflexione.*

ritus è templo exiliit. Deinde cum surrexissent sancti ab oratione, & vestigia lachrymarum adhuc apparerent in eorum vultibus, Hęc sunt vestra Deo inuisa promissa, dixit Rex? hac'ne spe vos adduxi in templum Deorum. Sancti autem nos dixerunt, in nullo mendacio deprehendisti ò Rex, sed quod polliciti fuimus hoc fecimus. Ille vero, si ad talem deduci finem vestra, vt vos dicitis promissa putassemus, nec omnino quidem attendissemus ea quæ à vobis dicebantur. Restat ergo vt vos pro meritis factorum remuneremur.

Dixit, & statim iussit tres afferri lebetes, & in eos iniici plumbum: & maximum ignem in eis accendi: ex vtraque autem parte lebetum stylos infigi, qui duo capita & ea diuisa habebant superne, per quæ demissis catenis, & lumbis sanctorum comprehensis, eos in lebetes demittere, & rursus sursum trahere. Hoc ergo horribile supplicium subeuntes, canticum canebat vnusquisque sanctus, & suo nomini & pœnæ conueniens. Nam
" beatus quidem Pegasius. Quoniam apud te est fons vitæ, dicebat. In
" lumine tuo videmus lumen. Insignis autem Anempodistus pedes mei
" steterunt rectitudine, & lucerna pedibus meis lex tua, & lumen semitis
" meis. Diuinus verò Acindynus, comprehenderunt nos dolores mortis.
" Pericula inferni inuenerunt nos, sed etiamsi per ignem transiuimus, ipse
" Domine educes nos in refrigerium. Qui erat autem anima occecatus Imperator, cum vidit sanctos à plumbo nihil pati, propius ad illos accedens. Noui, inquit, vestras præstigias, & cum catenas suis tetigisset manibus, demisit sanctos in lebetes vsque ad collum. Quorum submersione plumbum effusum supra lebetes, eos prope reliquit vacuos. Statim ergo dixerunt sancti tyranno. Tu quidem cum tua manu velles nobis mortem afferre, à scopo excidisti, Deo nos omnino conseruante, labor autem tuus in caput tuum conuertetur: & colliges fructus dignos tuis operibus. His autem hæc dicentibus, ceciderunt quidem & dissolutæ sunt catenæ.

Vnus autem ex ministris admirabili obstupefactus spectaculo, exclamauit, Magnus est Deus Christianorum: & tyranno dixit, ò crudelissime. Quo vsque tuis iussis nos vexas, iubens nos aggredi ea quæ sunt inutilia, Nos enim qui tibi cedimus, videmus pati, potius quam Christi martyres. Tyrannus autem conturbatus repentina eius mutationem, iram quidem apud se celat, sed mansuetudinem simulans apud Aphtonium, hoc enim erat nomen ei q crediderat. Iube eos, inquit, cito egredi ex lebetibus. Illi vero salui, non secus atque aurum ex fornace, repente emergentes, accesserunt ad Imperatorem. Egregius autem Aphtonius, recenter compactam fidem veluti confirmans. Notum tibi sit, inquit, ò Rex, quod Deum adoro quem colunt Christiani, & ei soli seruio: & nec his sanctis adiungo. Ille autem magna eius audacia & fiducia obstupefactus, bonis verbis & honorum promissis eum conabatur potius inducere, dicens. Ego tibi causa fui huius mutationis, qui te tādiu reliqui in ea in qua fuisti collocatus militia, & non sum te maioribus dignatus honoribus, sed si quid huc vsque defecimus, id iam implere studebimus Nihil ergo veritus, dic libere qua suam cupias dignitates. tuam enim petitionem nequaquam omnino renuemus. A' Christo autem recens electus miles. Desiderio, inquit, ò Rex, eam accipere militiam quam ipse non potes præ-

bere: sed solus Rex immortal s qui scit etiam dona largiri immortalia. Cum ergo eius firmam & stabilem didicisset sententiam, eum statim cō demnat vt ei caput feriatur gladio, pro supplicio ea largitus quæ erant ei maxime optanda. Qui cum lubenter ei accepisset sententiam, Ago tibi gratias, inquit, Domine, quod me seruas qui sum indignus, propter magnam tuam & ineffabilem misericordiam. Propterea anima mea te laudabit & nomen sanctum tuum glorificabit, nunc & in secula. Amen.

Deinde ad sanctos conuersus. Ego quidem, inquit, O' Domini mei dilecti, ingredior vitam mihi propositam. Rogo autem vestram benignā & misericordem animam, ne recordemini eorum quæ iussus in vos feci. potius vero pro me rogetis communem Dominum, vt sit mihi clemens & propitius, & ne me separet à vestra portione. Cui sancti martyres. Bono animo dixerunt, O' frater, beatam vitam ingredere. Beatus enim es propter tuum decessum, q primus nostrum sisceris coram optata trinitate: 3 & tui laboris accipies remunerationes, æternam lucem consequens & gloriam sempiternam. Quocirca tu potius memento tuorum sociorum: & precare vt cum quod superest certaminis perfecerimus absq; vllo impedimento, eadem quæ tu præmia & eandem adipiscamur hæreditatem. Hæc cum sancti dixissent, eis diuinus circūfusus Aphtonius, cū & in eorum colla desiderij effudisset lachrymas, & iucunde illorum mēbra esset amplexus, ducebatur ad mortem. Deinde cum ad locum peruenisset definitum, beatum caput ei amputatur: & apud Deum beatam deponit animam. Qui autem forte aderant Christiani, cum veluti ad quēdam thesaurum accurrissent, & mundis sindonibus 4 pretiosas eius reliquias inuoluissent, in loculo deposuerint, consummationem sociorum, eius adhuc expectantes, vt maiores diuitias sic sibi reconderent.

3 *Ecce quō animæ sanctorum è corporibus migrantes, corā sanctissima Trinitate sistuntur.*

4 *Et pretiosas eius reliquias mundis sindonibus inuoluissent, in loculo deposuerūt.*

Post hæc sanctis dicit Rex. Ne existimetis, inquit, me vobis æque leuem ac facilem mortem allaturum, atque male perdendo Aphtonio. Nam paulatim acerbissimis tormentis carnes vestras consumens, miserabilem vobis mortem afferam. Hæc cum dixisset, bubulos iubet afferri cultos, & sanctos in eos iniici martyres. Deinde in aquam immitti. Hoc autem cum factum esset maxima celeritate, eis beatus apparet Aphtonius 5 simul cum tribus indutis candidis vestibus, quorum diuina virtute disrumpuntur cullei: & terræ illæsi redduntur ab eis martyres. Cū sic ergo conspecti fuissent à tyranno, arbitrans ille non fuisse factum qđ ipse iusserat, statim surrexit ad supplicium sumendum delictoribus, & statim iussit eorum manus amputari gladio. erant autem quatuor numero. Deinde eos sic pro sanctis immitti in profundum maris. Quod quidem cum fieret & mari traderentur, exclamabant, Domine excipe nostros spiritus, & cum sanctis tuis Martyribus nos etsi simus indigni connumera. Deo autem inuisus & plane Dæmon saporius, cum statim beatos viros, Acindynum inquam & Pegasium & Anempodistum iussisset includi in carcere, ipse seipsum grauissime cruciabat, anxius propter res præsentes & magni animi fluctibus agitatus, & nec cibum quidem omnino sumere sustinens.

5 *Vides num S. Apthonius sit mortuus, an magis uitam subliniorem uiuat?*

Iis ergo qui primas partes apud eum obtinebant conuocatis. Cur me solum, inquit, reliquistis in his quæ sunt proposita laborare: ipsi autem otiosum delegistis silentium, nec verbo nec facto vllam opem mihi fe-

rentes? Sed si aliquid quidem noui & insoliti velim afferre, vos statim habeo resistentes & reluctantes. Nunc autem eum nihil noui introducat: sed patrium nostrum dogma despiciatur & ne cadat veniat in periculū: & nulli vestrum veniat in mentem ne vultu quidem dolorem præ se ferre, de summa rei plane venio in dubium & mœrore enecor. Adhæc Elpidiphorus qui tunc erat primus senatus, & fidei Christi ardens amator, & ad summam quidam Nicodemus & Christi occultus discipulus. Et q̄ tibi, inquit, ó Rex, hac in re opem ferre possumus? Neq; enim potentia tua nobis indiget, quæ rerum experientia omnibus antecellit, & habes potestatem voluntati consequentem. Copia autem instrumentorum quæ sunt comparata ad torquendū, eorum quæ sunt facienda aperte suggerit tibi deliberationem. Rursus dicit tyrannus. Quid vero, Ego me solus possum latrare aduersus hos impios? Sanctus vero respondit, si hoc tibi videtur operosum ac difficile, sine, inquit, eos sua abire voluntate. Immanissimus vero Sapores, sed quantum, inquit, das ex tuis verbis cōiiciendum, videris illis potius q̄ nobis adhærere. Nam mihi verba communiter ad omnes facienti ipse solus das responsa: & suggeris vt impios relinquam impunitos.

His sic à Saporio dictis cū suspitione, beatus Elpidiphorus, Quoniam sum, inquit princeps senatus, hi mihi merito contēdunt primum dicendi locum. Sed ij quoque dicant quod videtur vnicuique, quoniam vis O' Rex omnino verum aud re. Quidam autem vnus ex senatoribus habens animam diuina gratia illuminatam. Quid re vera mirum est, inquit, O' Rex, si Elpidiphoro qui est princeps senatus & nihil insipiens respondet aut in decorum, nos dicere concedimus? Rex autem cum id quod erat rē vera deprehendisset. Video, inquit, vestram mentem non recte affectam in nostram potentiam. Quidam vero nomine Philologus, ætate iunior, ingenio acutissimo, zelo ardentissimus. O' Rex, inquit, mala quæ tuum animum de nobis inuasit coniectura, non in nobis bonum exitum desinet. Es enim plenus suspitione, vt qui cogites omnibus tua condemnatione afferre exitium. Tyrānus autem ira repletus propter repentinam Philologi loquendi libertatem. Quis, inquit, te delegit vt dares tam duram & asperam sententiam? Ad hæc vir ille egregius, non iram tyranni reueritus, nec de eius potestate solicitus, Quid vero quando verum dixerit quispiam O' Rex, te ne oportebit illico irasci? Deinde etiam intuens ad omnes qui aderant senatores. Per salutem, inquit, vestrum omnium, tali viro nihil oportet respondere. Quomodo enim veram accipiet orationem quæ furore repleta est anima? Propter hæc tyrānus ira repletus. ira inquam ad similitudinem serpētis vt dicit diuinus Dauid, milites iubet stare pro foribus, vt eos qui ei repugnabant & primum omnium Elpidiphorum ense conficeret. Quidam autem Callistratus cum esset Regi amicissimus, eum collo amplexus, orabatur vt iram reprimeret. Omnes vero simul libere loquentes: Miserrime Regum, dicebant, pulchre scies nos nō eadem quæ tu sentire, neque similiter tueri impietatem. Et hæc cum dixissent, exierunt eo sic relicto. Sed ille cum esset nox & ad summam filius tenebrarum, habuit noctem opem ferentem rebus pessimis. & cum primū illuxisset, sedens pro tribunali, iubet tres fossas effodi: & in eas immitti bestias & serpentes: & sanctum Acindynum cum suis in eas iniici.

Postquam

Postquam ergo sanctos eo immisissent, Deus Deus noster ad te de luce „
vigilamus, psallebant Martyres. Sitiuit te anima nostra, sitiuit Deum vi „
uum & fortem Sed tu fac nobis cum conuenienter tuæ mansuetudini: & educ nos è lacu miseriæ Quoniam benigna est misericordia tua & bonitas quæ non potest exprimi. Interim autem dum precarentur splendidi accesserunt angeli, veluti quibusdam virgis ferreis bestias abigentes, & vnũquemque è sanctis manu accipientes eos illæsos è fossis eduxerunt. Sed Rex cum oporteret rursus Christi intelligere potentiam, & cessare aliquando aggredi quæ non possunt effici, ille iussit sanctos rursus suspensos cædi. Cum autem vidisset eorum carnes multis horis conscindi, fortiq; & generoso animo resistere certaminibus, iubet eos è lignis deponi, & eis capita amputari. Ipse enim magis erat defessus intentans supplicia, q̃ Martyres sustinentes, ea quæ intentebantur: & summa fortitudine vicerunt illi infinitam crudelitatem. Cum iam autem ad mortem abducerentur, qui ab eis illuminati fuerant ad pietatem, simul cum senatu, dimittis nos, dicebant, O' Doctores pietatis super cathedram pestilentiæ, in medio Ecclesiæ malignantium, cum ad mensuram ætatis in Christo nondum peruenerimus. Beati autem illi eis responderunt. Qui docet hominem scientiam Christus Deus noster, qui est illuminatio animarum nostrarum, ipse vos illuminabit & reddet intelligentes, firmosq; faciet & stabiles fundamento suæ fidei.

Relata sunt hæc Regi: & q̧ magna multitudo sequeretur sanctos eorũ cædens prohibens. Ille autem statim emittit cateruam militum in eos q sequebantur sanctos, cui iussum fuerat vt eos expelleret, sed egregij illi viri qui ad finem vsque statuerant resistere peccato, hoc nihili faciens, maluerunt potius mori cum sanctis. Quorum constantiam cum tyrannus rursus intellexisset, iussit omnes simul cum sanctis interficis suæ occidẽdi homines cupiditatis prætextum accipiens eorum amorem pietatis Cum autem ei suggessissent quidam quorũ erat magnus zelus in simulachra, q̧ fuisset senatus causa horum malorum, iubet beatum adduci Elpidiphorum, vt qui apud eum ferret primos honores. Ille autem conuersus ad inuictos Martyres qui nondum erat consummati, Rogate, dixit, prò me patres in spiritu, duces meæ in Christum fidei, vt ego quoque à vestro cœtu non excidam, cui sancti. Esto bono animo, dixerunt, O' frater, esto bonò animo, & ne sis animo anxius. Nos enim præcedes primus sistendus coram cœlesti Domino. Cum eos ergo esset amplexus, ducebatur ad tyrannum, eum autem tres quoque alij consequebantur, qui erãt eiusdem animi & instituti.

Tyranuus autem, Quid vobis, inquit, accidit ò stulti, vt Deorũ quidem patriam dimitteritis religionem, adhæreretis vero his impostoribus? Seu nisi cito resipiscentes ad priora redieritis, vos excipiet acerbus vitæ finis. Cui Elpidiphorus interrito & constanti animo. Notum tibi sit, inquit, O' Rex, q̧ Deus qui non sunt non colimus: & tuo dogmati repugnamus. Fac ergo id quod tibi videtut. Quoniam hoc vobis placet, inquit Tyrannus, sequendo hos impios eiusdem quoque esse finis socios, neque nos vos vestro frustrabimur desiderio: sed vestra capita iubeo gladio amputari. Cum autem sancti hanc audiuissent sententiam, lætiq; & exultantes ducerentur ad mortem, eos quoque consequentibus militibus

qui erant numero circiter trecenti, qui cum diuino, inquam, Acindyno & eius sociis mori maluerunt, & sic venire ad Christum cuius misericordia est supra vitas, mortem gladio accipiunt, magnam animi alacritatem eis afferente Acindyno & excitante animosq; addente ad martyrium.

Iam autem interfectis militibus & senatoribus, quamprimum accersit tyrannus B. Acindynum, Pegasiumq; & Anempodistum: Deinde vulpina pelle indutus, clementiamq; & mansuetudinem simulans peruersissime. Quænam est, dicebat, talis vestra constantia vt vitæ præsentis sitis prodigi, & eam morte commutetis? Testis sit mihi sol qui est iucundus omnibus, q; propter vestram mortem mihi scinduntur viscera & anima. Misereor enim vestræ ætatis & iuuentutis & corporis quęq; pulchritudinis, cuius vel miseretur bestia & ei parceret. Credite ergo mihi qui vestra magnam curam gero & consulo quæ sunt vtilia. Videtis enim quomodo nulli pepercerim senatori nec militi. Vestri autem paternę curam gero & vos amplector, vt qui vestram didicerim virtutem & fortitudinem ex constantia in tormentis. Si enim mihi parueritis, vos primis dignabor honoribus: & concedam dona digna vestra virtute. Sancti autem, nec tibi, dixerunt, nec nobis frustra labores exhibe. Sed nec tu nobis parcas, nec te nostri vlla moueat misericordia. mentem enim nostram nunquam flectes, aut bonorum promissis aut nimis malorum intentatis, aut metu mortis quæ est tibi terribilis. Quomodo enim mortē timuerint, quos hoc magis afficit molestia, q; semel & nō millies possint mori pro Christo? Fac ergo cito id quod à te iam est iudicatum. Nos enim expectat chorus sanctorum: vt etiam magis tibi agamus gratias propter celerem consummationem.

Ille autem deposita persona & ficta ablata mansuetudine. Non per Deos, inquit, non assequimini id quod desideratis. Iubet ergo eos cum fuerint ferro vincti in tutissima seruari custodia. Ipse autem cum tota nocte considerasset quanam morte eos afficeret, mane iubet in fornacem ignis ardentem diuinos iacere martyres, vt omnino consumptis sanctis eorum corporibus, ne cinis quidem relinqueretur Christianis desiderij sui solatium. Qui cum mox educti fuissent è custodia eis magna voce acclamauit tyrannus. Ecce præmia vestræ inobedientiæ, ostendens manu fornacem. quam nullus alius, sed vos vobisipsis accendistis. Acindynus ergo beatus Christi martyr cum intellexisset q; esset malitiosus & versipellis tyrannus. Forte, inquit, Prophetice tibi nomen imposuit mater. id enim patrem Dæmonum significat. Tu autem non pater Dæmonum, sed es aperte filius eius qui fuit homicida ab initio, quoniam eius opera imitaris, vt qui hominum sanguine sicut ipse delecteris. Ille vero cum verbi acerbitas eius animum momordisset, matre sua accersita. Quid mihi, inquit, O mater nomen sibi vult. Illa autē, scio, inquit, hoc esse tibi paternum. Quidnam vero possit significare nescio, sapores autem, sed isti, inquit, cacodæmones dicunt hoc significare patrem Dæmonum. Quòd si habeant veritatem in hoc sibi suffragantem, non illos sed te prius tradam morti acerbæ. Illa vero subridens, Omnino, inquit, nisi hoc aperte nossent, non ita auderent loqui multis præsentibus. Hinc factum est vt ira quæ cohiberi non poterat inuaderet hunc execrandum. statimq; cum simulcum Deo communem abnegasset naturam: & nec ipsum omnibus

charum nomen matris esset reueritus, quod vel ipsis feris & animalibus rationis expertibus affert reuerentiam, ei manus iniicit, manus, O' diuina iustitia, homo in matrem, & matrem iam vetulam, & filius matri impingit alapam, egregiam ei reddens mercedem nutritionis, aut potius lubenter dixeris, qui maiorem iure erat redditurus, quod illa tale malum in lucem ediderit. Illa autem procidens ad pedes sanctorum, Seruate meā senectutem, dixit cum multis lachrymis. Ipsum enim, vt video, Satanam, illum ipsum ego genui.

Ille autem illam nihilipendens & repellens, intuens ad Martyres, Vestra, inquit, in malis perseuerantia, efficit vt vobis fornax accendatur amplius. Illi vero, tua mater, aiunt, curæ tibi sit in præsentia. Quid enim animi habeamus iam satis es expertus. Tyrannus autem, quid ea, inquit, sit mihi curæ? Si tibi, inquiunt, remittetur scelus qui iniustas manus in ipsam matrem intulisti. Sed si pro filio, inquit, mater precata fuerit, Dij mei ignoscent. Illa autem oculos statim in altum tollens, Christe vnigenite, inquit, Dei fili, filio meo ne remittas, neque in hoc seculo neque in futuro. Ille autem rursus iniquus, Longa, inquit, vt videtur, & multorum annorum senectus tuam mutauit & corrupit mētem: & ideo tam facile induceris vt nobis malè preceris. Ad hæc anus illa sapiens. Sed si ego, inquit, qui te genui sum inops mentis, tu qui ab ea es genitus, quomodo saluā mentem habere existimaberis? Non ergo, inquit, Tyrannus, ab eo quod decet aberraui: qui tibi quæ es eiusmodi, talem intuli tibi alapam impingens contumeliam. Illa autem, tibi, inquit, testificor, ꝙ Dei q omnia aspicit oculum & iustum illius iudicium non effugies.

Cum ea sic respondisset, mutus euasit sceleratus, vix tandem autem dixit iis qui aderant. Hinc tollantur impij & in ardentem fornacem iniiciantur: quoniam contendunt non parere nostris iusis. Hanc vero quæ abiurauit se meam esse matrem, & violauit ius naturæ, relinquite eam sua voluntate ambulare. Illa autem beata. Deum, inquit, iuro me esse morituram cum hac trinitate Martyrum. & neque morte neque vlla re alia me vnquam ab his esse seiungendā, Tyrannus vero, bonæ terræ malum germen præter expectationem. Hæc res, inquit, non est mihi magnæ curæ: fac vt tu volueris. Cum ergo Martyres fornaci appropinquassent, tollentes 6 in cœlum oculos, dixerunt. Dn̄e Iesu Christe vera lux, quæ ante secula è paterna effulsit gloria, agimus tibi gratias quòd nos corrobasti vt ferremus pro te certamen: & non permisisti vt comprehenderemur à laqueo venantium: sed tanquam passerem animam nostram ex eo liberasti. Et nunc Domine confirma nostros animos, vt possimus aduersus hunc ignem nos fortiter gerere. Nobis quoque adsis in tempore excessus ex hoc abiecto corpore, & defende nostras animas. Te enim freti & tua virtute hanc flammam ascendimus.

6 *Ecce hic orationem cum eleuatione oculorum ad cœlum.*

Cum itaq; fuissent milites prope os fornacis, & intolerabilem eius ardorem non possent sustinere, sancti qui eos viderant territos. Quid statis, dicebant, quod iussi estis non facientes? Si hic qui est conseruus & est ad tempus ignis, vobis visus est tam terribilis: ignis illi gehennæ qui nunquam desinit & nunquam extinguitur quemadmodum à vobis tolerabitur? Et quomodo, dixerunt illi, potuerimus effugere quod vos dicitis supplicium? Nisi abnegato cultu idolorum, dixerunt sancti, Christo

vero Deo vere credideritis, non poteritis illa effugere ſupplicia. Adhæc milites. Quando, dixerunt, Regis iuſſui ſeruientes, vobis inferebamus ſupplicia, contremiſcebamus & timore afficiebamur, vt qui expectaremus nos aliquid graue eſſe paſſuros. Nunc autem veſtram conſecuti doctrinam & admonitionem, ſumus tranquillis animis, aliquam ſpem ſalutis, vt par eſt, expectantes ſed vos cum in nos feceritis quæ oportet & vult veſtra fides, ad Regem æternum adducit. hunc enim in quem cadit interitus iam ſumus abominati. Propter hæc Martyres repleti lætitia, Dominum, dixerunt, vna voce laudemus, quoniam bonus: & ſuauis euadat ei noſtra laudatio qui ædificat animas eorũ qui ad ipſum fide accedunt: & gaudio propter eorum ſalutem implet cœleſtia. Excipe Domine eos quos hora vndecima conuocaſti ad vineam tui martyrij: & da eis mercedem dignam tua bonitate, eos referens in munerum priorum tuorum decertatorum.

7 *Crucis muniti ſignaculo tanquam armis inexpugnabilibus.*

Milites ergo veluti quibuſdam armis inexpugnabilibus, Chriſti muniti 7 ſignaculo, ſimul cum ſanctis, Acindyno, Pegaſio & Anempodiſto fornacem ingreſsi ſunt, cum eſſent numero viginti & octo, ne ipſa quidem tyranni matre relicta, ſed cum eis ſimul egreſſa. Chorus autem angelorum circa fornacem ſanctos videbatur excipiens, & cum eis hymnum canens. Martyres autem cum ſacras animas apud Deum per ignem depoſuiſſent ſecundo die Nouembris, locum repleuerunt odorem ineffabili. adeo vt qui illic aderant Chriſtiani quæ dici non poteſt voluptatem ſenſerint: & eum laudarint qui re ipſa implet quæ dicit diuinus Dauid, & in ſanctis ſuis ſe oſtendit mirabilem. Quorum ſacre 8 & prætioſæ reliquæ depoſitæ ſunt in loco qui dicitur Ireneſſus, ex quibus manat maxima gratia ad eos qui accedunt. Ad gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quem decet maieſtas & laudatio cum eius principio carente pater & uiuifico ſpiritu nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum Amen.

8 *Nota quod ex ſacris & pretioſis martyrũ reliquiis maxĩa manat gratia ad eos q accedunt.*

CERTAMEN SANCTORVM
& glorioſorum Martyrum, Atepſimæ, Ioſeph, & Aeithalas.

Nouember 3.

TVREBAT in Chriſtianos Saporius Rex Perſarum: & Magis qui erant pars Perſarum iuſsit vt eos perſequerentur. Qui etiam acrius inuadentes eos quos perſequebantur, cogebant colere ignem & ſolem. Qua de cauſa beatus quoque Acepſimas ab eis comprehenditur, qui ortus quidem erat ex patria Naeſſon, quæ eſt quidem ſita in finibus Perſarum: eſt autem epiſcopali ornata dignitate. ętate ſenex, vt qui eſſet octogintannos natus: ſenex prudentia, mitis & moderatus, ab ira alienus, abſtinenter vitam agens, egenos impertiens ſuis facultatibus, intentus orationibus forma elegans, anima elegantior: & externis moribus, iis qui illos cernebant ſignificans internam conſtitutionem: & factis & verbis pietatem enuncians. & vitæ & rectorum dogmatũ magiſter effectus Chriſtianis. Quo factum eſt vt totam aduerſariorum aciem tanquam aduerſus fortiſsimum Antagoniſtam

ſtam in ſe euocauerit. Circa quem quidem etiam antequam comprehende retur, fit tale quid Prophetice.

Puer quidam demulcebat eius caput, purgans à pediculis qui ei afferebãt moleſtiam. Id ergo amplexus, Beatum eſt, inquit, hoc caluum caput, erat enim glabrum, quod quidem propter Chriſtum ſuſcipiet martyriũ. Ille autem verbo fuit letatus: & puerum ſtatim viciſsim cõplexus. Fiat mihi ò fili, inquit, ſecundum uerbum tuum. Cum autem quidam familiaris & amicus Acepſimæ adeſſet cum hæc dicerentur, erat vero is quoque vicinæ ciuitatis Epiſcopus, ſubridens rogauit puerum, dicens. Dic mihi ò fili, ſcis ne de nobis aliquid: Puer autem à Deo inſpiratus. Tibi quoque, inquit, ad tuam redeunti ciuitatem, non licebit eam videre: ſed è vita excedes in pago qui dicitur Aethradaran. Quæ quidem ambobus euenerunt ſicut puer prædixerat. Sed hæc quidem antequam Martyr eſſet comprehenſus.

Cum autem eſſet captus & duceretur per domum ſuam, prope accedens quidam ex familiaribus, Diſpone aliquid de domo tua, ei dixit in aurem. Ille vero, hæc, inquit, illam manu oſtendens, non eſt amplius domus mea. ego enim mox migro in domum ſupernam. Cum autem fuiſſet in ciuitate Arbel, & productus eſſet ante principem Magorũ, erat vero ei nomen Adrachus, rogauit eum an eſſet Chriſtianus. Poſtquam autem magna voce hoc fuiſſet confeſſus. Sunt ne ergo inquit vera quæ fama celebrantur, quòd contemnas iuſſa regia: & quòd vnum prędicas Deum contra edictum regium? Beata autem illa ſenectus nullo timore affecta. Quęcunque, inquit, talia de nobis audiuiſti, ſunt vera. Vnum enim Deum prædico conuenienter iis quæ ſunt apud nos ſcripturis: & eis quid ad me ventitant conſulo vt hoc dogma teneant & tueantur. Magus autem, Audiuimus, inquit, te aliis præſtare prudentia, quæ longo tempore & experientia comprobatur. Nunc vero non ſicut audiuimus licet nobis intueri. Nihilo enim melius es affectus quàm puer inſipiens. Cuius eſt enim ſapientiæ aut ſanæ mentis decreta regia deſpicere, & ſolem ſplendidiſsimũ & ignem nolle adorare, quæ quidem ipſe quoque Rex adorat. Reſpondit Chriſti Pontifex. Valde mihi videtur deſipere imperium Perſarum, quòd dimiſſo creatore ſtatuerit colere res creatas. Quis enim ſanæ mentis in animum induxerit Dei honorem tribuere iis quæ facta ſunt à Deo, ſicut vos facitis vos impie gerentes, & hic ipſe Rex veſter. Ille autem, Nos impia, inquit, facere audes dicere, qui tale elementum adoramus & ſolem viuificum colamus, O' tu vere impie & nugator, vt vanæ defenſorem religionis? Sed niſi tu ceſſeris, iuſſui Imperatoris, & adoraueris eos quos ipſe adorat: ne ſenectus quidem te liberabit quominus patiaris grauiſsima, neque quem colis Deum crucifixum.

Deinde diuinus ſenex. Tibi obſtruatur os cœleſtem ò execrandæ, ſi putes te tuis minis mihi poſſe perſuadere, vt deficiam à patrio dogmate, quod didici ab ineunte ætate & ad hanc conſeruaui caniciem. Si autem neque me, vt dicis, eripiet ſenectus, neque Deus quem colo à veſtris manibus non ideo id quod eſt prę̃ſtãtius mutabo deteriori. Quid enim mea intereſt viuere hos paucos dies? Nam paulopoſt etiam abſque vobis à me exigetur commune hoc naturæ debitum. Non adorabo ſolem, non colam ignem. Nemo meam irridebit ſenectutem. nemo mihi dabit vitio

quod ſim vitæ cupidus, vt qui breui vita vendiderim tantorum bonorum beatitudinem. Propter hæc ira repletur ſceleratus: & ſacroſancta ſenectus ſtatim flagris cæditur, adeo grauiter vt ſanguinem quidem totum ſolum reſtagnaret: nullus autem relictus eſſet locus corporis illæſus. Cum vero parum eſſet relaxatus à plagis, iubet eum rurſus vinctū catenis ſiſti ante tribunal. Dicebat autem, vbi eſt Deus tuus quem colis O' Acepſima? Veniat & te è meis manibus eripiat. Deus meus, inquit, ille, O' ſceleratiſsime, qui cœlum implet & terram, poteſt me è tuis manibus eripere. Tu autem cum ſis terra & cinis, in quem audes ſuperbire? ſub quo ſternetur putrefactio, cui vita eſt morte grauior, qui viuentem Deum nō cognoueris. propterea tanquam flos agri exſiccaberis: & vita miſerabiliter euerſa, traderis, igni qui non poteſt extingui: vt quem nunc adoras, illic reipſa punitus ſentias, non eſſe ignem Deum, ſed ipſum quoque alium noſſe opificem, qui eſt etiam Deus omnium quæ cadunt ſub aſpectum.

His maiore ira incenſo Mago, grauiores catenæ ſanctum circumligarunt: & eum tunc interior accepit cuſtodia. Die autem ſequenti comprehenſus etiam fuit maxime venerandus presbyter Ioſeph, ortus ex pago qui vocatur Bethlabuca, q̄ exponitur recte ſcribentis, ipſe quoque ſenex & iam intra terminos Dauidicos, vt qui eſſet ſeptuaginta annos natus. Senectuti autem decori erat quędam gratia: & ſpecies venerandos canos reddebat lætiores. cuius anima quidem zelum ſpirabat, & dogma Chriſtianorum mirandum in modum defendebat. Summe vero is deditus erat temperantiæ: & continebatur cor eius metu diuino. Præterea autem comprehenditur etiam in primis colendus Diaconus Aeithalas. Eum pagus aluit Bethnoadara, vir & ſpiritu feruēs, & qui Chriſti caritate valde accendebatur. Erant autem ei mores propenſi ad arguendū & pleni dicendi libertate inſtar magnum Eliæ, vt qui vitæ, vt opinor, ſequerentur libertatem & animæ puritatem. Florebat vero in eo quædam quoque grauitas, quæ ei conciliabat ab oībus venerationem. Cum autem ambo producti fuiſſent ante iudicem, is toruo oculo eos intuens, O' genus, inquit, perditiſsimum. cur in ſimpliciores homines irrepentes, & veſtris doctrinis eorum oculos præſtringentes, deducitis ad falſam Chriſtianorum religionem? Beatus autem dixit Ioſeph. Nos nec vti præſtigiis nec fallere didicimus. Verum autem & ſtabile dogma defendentes, eos qui errant circa religionem deducimus ad veritatem, docentes, adorare vnum Deum, qui eſt cum aliis rebus Dominus ſolis & ignis. Dixit vero Magus. Quodnam autem dogma eſt veritati conſentaneum. idne q̄ Rex totius terræ, ipſe & eius proceres defendunt, an quod viles & abiecti homines, ſicut vos qui decepti eſtis, prædicant?

Viles quidem & abiecti homines ſumus nos, reſpondit Chriſti ſacerdos, hoc iubente Chriſti præcepto, quoniam non in diuitiis & ſuperbia viſum eſt Deo noſtro viam hominis dirigere. Et ideo nos ſæpe noſtra ſponte nos humiles reddimus, facultates noſtras prodigentes pauperibus, pro iis nos accepturos æternas expectantes diuitias. Nam ſi in congregandis diuitiis ſtudium poneremus, tantum ex noſtris manibus commodi percepiſſemus & tantas opes collegiſſemus, quantas nec tibi quidem licet qui eas colligis ex pauperibus, & metis alienos labores. Nos

enim propriis manibus laborantes. iuste quæsitis pauperes impertimus. Vos autem soli auaritiæ deliti & plura habendi cupiditati, non solum nihil ipsi operamini: sed præterea etiam aufertis aliena. Quoniam vero nos quoque dicis amare diuitias: quodnam in eis bonum inesse animaduertentes, nos ad eas parandas defigeremus? Non sunt eæ fugitiuæ & valde infideles? Non hodie quidem huic adsunt: cras verò migrant ad alium, priori Domino quodammodo abnegato? Non magnam in eum qui possidet concitant inuidiam? Non eæ labores & bella aperte architectantur? Non latronum & furum attrahunt oculos? Quòd si dicis ex iis aliquam oriri voluptatem, aut gloriam magnum quid esse reputas, quid'nam ea differt à somniis & vmbris? Parua affecit voluptate: deinde cum aduectarit vespera, extincta est & redacta in nihilum. Quòd si etiam in præsenti vita parum manserit, mors tamen iam aduenięs eam quoq; habet simul abeuntem. acerba autem supplicia, eum qui se hic dedidit voluptatibus, tenebunt perpetuo.

Hæc cum sic dicerentur, interpellans Magus, Has, inquit, prolixas mittens nugas, maximo Deo soli & igni cultum vt par est exhibe. Adhæc dixit Christi adorator. Ne erres, neq; putes te hoc vnquam tuis esse contemplaturum oculis me, inquã, relicto effectore solis & ignis, illius opera adorare: & adeo repugnare meis verbis & doctrinę. Crudelissimus autem Magus postquam audiuit hæc verba, ira accensus, iubet statim eum extensum verberari virgis malis punicæ cuius rami erant spinosi. Cum vero sacras illas carnes laniarent filij interitus, Ago tibi gratias, dicebat Athleta in cœlum extendens oculos, q̃ dignatus sis me meo sanguine tinctum peccati sordes pure abluere. Lictores autem, propter ea quæ dixerat, in ipsum magis ira repleti, tum plagis ita consciderunt, vt vox quoque ei interrumperetur. Deinde duabus catenis circundatum includunt in carcere, ei pulchrum vel inuiti solatium dantes Acepsimam. illic enim fuerat prius inclusus.

Ad venerandum autem aspiciens Aeithalam Iudex qui erat animo implacabilis. Tu vero qui dictis, inquit, implebis'ne iussum Regis, & adorabis maximum solem: & gustabis sanguinem: & cum muliere habebis consuetudinem: & liberaberis ab iis quæ tibi impendent malis. an eris etiam sicut alij contumax & inobediens? Christi autem Martyr Aeithalas, vere semper florens & cœlestis planta pietatis. Tuæ, inquit, immundæ & canine appetitionis est hoc munus, sanguinem gustare, & pro Dei quæ Dei sunt colere. Absit autem vt ego adeo cæcutiam corporis & animæ oculis, vt hunc videns Solem ad eum vsque consistam: & Deum omnino putem id quod apparet: & non vlterius progrediar sinceriore oculo cogitationis: & Deum quidem id quod mouet: rem vero creatam reputem id quod mouetur. Si autem mihi sic iudicanti & plagas & mortem minitaris: non ideo mihi persuadebis vt discam tuum dogma & negem veram religionem. Propter hæc iratus impius Sed nullus, inquit, sane mentis mortem vitæ prætulerit, idq; propter stultam & minime consideratam constantiam. Quamobrem nec tibi credendum est dicenti te paratum esse mori pro tuo dogmate & religione. Respondit sanctus. Vestri qui à vana spe pendent, & nullam æternæ vitæ habent expectationem postquam hinc excesserint, iure existimari potuerint esse & vitæ

cupidi & amantes corporis. Quorum autem spe vera & firma alitur anima, quod & ea sit immortalis, & sit rursus cum suo corpore coitura post mortis dissolutionem, & æternæ vitæ furura particeps, iis præsens vita res est parua & cōtemnenda, & mors minime terribilis. Verax est enim Deus noster & magister qui dicit. Nolite timere ab iis q occidunt corpus: animam autem non possunt occidere.

Tunc iubet vir ille ferus eius quidem manus alligari poplitibus: & longum lignum in medio vtriusque transadigi. sex autem viros robustos ab vtrisque ligni extremis conscendentes, fortiter præmere sacrosanctum illud corpus de industria factis saltibus: & ossa eius cōfringere & dissoluere: Deinde etiam mali quoque persicæ virgis eum verberari. Indomitus autem ille Athleta, & cuius nulla refrangebantur spiritus, perinde ac si nullum dolorem sentiret à tam insigni cruciatu, magno & excelso animo aspiciens ad iudicem. Vt videtur, inquit, corpora hominum quæ discerpuntur tibi aliquam afferunt voluptatem, instar canum aut coruorū eis impleri cupienti. Scias ergo me nullam, ducere rationem horum tormentorum quæ à te inferuntur. Aut ergo noua excogita supplicia: aut scito me ea nihili facere. Magus autē statim conuersus ad lictores. Cur, inquit, misericorditer flagris cæditis impium? Videte enim quomodo dum ei parcitis, ad nos incessendos contumeliis maxima inuehitur libertate. Illi vero veluti quodam stimulo eius sermone excitati, tam fortiter inuaserunt, vt ex grauitate eorum qui ascenderant, & ex vehementia eorum qui tendebant, & ex crudelitate eorum qui flagellabant, compages quidem corporis ei fuerint dissolutæ: ossa autem sint confracta: & carnes sint discerpte. Eum ergo portantes, quoniam pedibus minime vti poterāt, tanquam onus aliquod proiiciūt vt in custodiam, in qua etiam inclusum erat illud par sanctorum.

Cum quinque dies præteriissent, eos è carcere eduxerunt, & duxerunt in locum qui vocabatur paradisus, prope quod erat templum ignis qui ab eis colebatur. In quo cum præsedisset ille sceleratus, Ocyus mihi dicite, inquit sanctis, an adhuc permaneatis in eadem stulta cogitatione: an consilium mutaueritis in aliquid melius & salutare. Sancti tāquam vno ore protinus responderunt. Notum tibi sit Iudex, ꝙ quam ab initio habuimus cogitationem, in ea adhuc persistimus & perpetuo persistemus, non minis, non tormentis, non donis, nullo denique alio omnino mutati. Sed vnum Deum adoramus, & eundem solum esse Dñm omnium eorū quæ sunt cognouimus. Hæc cum audiisset Magus, aliud cursus nouum excogitat tormentum, & iubet eos cingi funibus per axillas & lumbos & tibias, in unoquoque autem cingulo lignum inici & circūagi, & fune vehementer torqueri. Quod cum factum esset, erat acerbum spectaculum & mitibus oculis lachrymabile. Nam ligna quidem circūagebantur: funes autem conuertebantur, & carnes inde præmebantur: & ossa conterebantur, erat vero valde grauis contritio, etenim iis quoque qui procul erant remoti audiebantur fragor ossium. Erat autem id quod eis dicebatur inter tormenta. Volūtati Regis nolite repugnare. Deinde id quod è cōtrario dicebatur à sanctis. Qui Regis vestri voluntati cedunt, Dei voluntati resistunt. Atque erat quidem hora tertia quando cœpit tormentum, vsque ad sextam autem sic patientibus Athletis est productum.

Defessus

Defessus itaque Iudex iussit eos rursus abduci in carcerem. Quamobrem fuerunt abducti, non suis pedibus, sed portati ab aliis, q̄ ij essent omnino morte affecti. Imperatum autem fuerat custodibus, vt si deprehensus fuisset aliquis eos vel cibo vel potu vel indumento impertiens, is vltimo subiiceretur supplicio. In hunc ergo carcerem coniecti Christi milites, omnem afflictionem, omnem vexationem propter ipsum sustinentes, tres annos inclusi permanserunt, nullam aut famis recreationem, aut malorum quæ erant in custodia inuenientes consolationem, nisi aliqui ex iis qui erant simul vincti eorum miserti, parum quid nutrimenti eis latenter præbuissent. Qui enim in carcere assidebant custodes, eorum quidem calamitatum miserebantur & senectutis. Sed cum nihil possent facere quod ad eorum pertineret curationem propter metum iudicis, solum ex eorum malis dolorem accipiebant & afferrebant lachrymas commiserationis.

Deinde post illam acerbam & diuturnam afflictionem, cum esset in eo loco Sapores, is autem dicebatur Bithmada, eos educit è custodias is cui fuerat commissum vt eos castigaret, dixisses si vidisses, illos esse vmbræ similes, longa afflictione adeo extabuerant. Deinde eos sistit ad tribunal. Ardasabor, erat autem is princeps omnium Magorum qui erant in Perside. Ille vero statim eis dixit. Quid autem, estis Christiani? Sancti vero, certe dixerunt, Christiani, & solum Deum viuum adorãtes, & ipsi soli seruientes. Tyrannus autem. Videtis, dixit, quemadmodum quę vobis illata sunt tormenta, attulerunt vobis magnam afflictionem? multo autem magis diuturna vexatio & inclusio. ea enim & formam vobis mutauit, & effecit vt ita extabesceritis. Quamobrem vobis consuluerim vt mihi pareretis afferenti ea quę sunt vobis conducibilia, & vobis parcatis, & solem lucidum adoretis. Sin minus: restat vt grauissimæ morti subiiciamini. Respondit sanctus Acepsimas. Non me latet summo esse tibi studio dogma patrium: & hoc tibi esse propositum, si modo fieri posset, vel vi vel persuasione efficere vt omnes attrahas ad eandem religionem. hoc autem de nobis nunquam tibi veniat in mentem, vt putes vel blanditiis vel minis vel aliis intentatis malis posse nobis pesuadere vt deficiamus à nobis semel confirmato dogmate & à confessione. Parati enim sumus omnia pati potius q̃ à fide in Christum deficere. Nõ ignoro, inquit, Tyrannus, q̄ cum vobis Christianis mors putetur esse quies, omne studium à vobis ad hoc ponatur, vt iis fruamini quorum spem cõcepistis. sed non licebit vobis cito consequi id quod desideratis. Nam cũ prius vestras carnes paulatim consumpsero, acerbum vitæ finem vobis imponam. Cui sanctus. Et iam prius, inquit, à nobis audisti, & nunc id quoq; certo scias, q̄ neq; tuorum tormentorum neq; minarum nos vllã ducimus rationem. Nam qui in præcedentibus malis nobis manum præbuit adiutricem, ipse nunc quoq; nobis fieret opem: & efficiet vt non difficiliter feramus ea quæ nobis intentabuntur. & si velis facere periculum nostræ in profundo senio fortitudinis, nihil obstat. Scies enim te frustra laborare & aggredi ea quæ sunt inutilia.

Propter hæc ira repletus iudex, iubet afferri flagella ex corio crudo cõfectas, & subiici eorũ oculis. Deinde dicit sanctis, Iuro, inquit, ipsum magnum Deum & inclitam fortunam saporis, nisi imperio eius obedieritis,

his vestras carnas consumam vestri nulla motus misericordia Quod si etiam contigerit vt vos citius moriamini dum flagris cædimini, at ego sic quoque puniam vel mortuos: & membratim dissectos proiiciam auibus & canibus. Sanctus autem dixit Acepsimas. Cum per rem creatam & non per Deum iuraueris, & etiam per fortunam hominis, vereor ne nō sit tibi curæ iusiurandum: & non serues ea quæ sunt à te iurata. Si autem ea seruare omnino constituisti, ecce tibi nostra corpora, iis vtere vt lubet, nulla, vt dicis, nostri motus misericordia, neque nobis quidquam parcēs. Cum sic dixisset, iussit sceleratus iudex eum extensis manibus valde verberari in dorso & in pectore. Eo vero crudelitatis processerunt qui flagellabant, vt nihil omnino intermiserint, donec carnes auulsæ ab ossibus simul cum sanguine in terram defluerent. Præco autem clamabat, pare Regis voluntati & viue. Dei vero Pontifex, donec erant ei vires, contra clamabat. Ego Dei mei voluntatem viribus ab eo acceptis exequar. vestri autem Regis voluntatem ne summis quidem auribus accipio. Cum autem & vox ei interrumperetur, & vires iam paulatim dissoluerentur, & mors iamiam adesset, oculis in cœlum sublatis cum in Deum confessionem conseruare firmam & immobilem annuendo asseuerasset, in ipsa rerum grauium & difficilium tolerātia inuictam illam animam tradidit Deo Agonothete.

Adhuc autem iram spirantes acerbi illi tortores in corpus iam mortuū sæuiebant instar coruorum. Deinde cum præcipitem impulissent, & in plateam tanq̃ profanum aliquid scelerati proiecissent, adhibent custodes, vt ne sepulturam quidem consequeretur ab vllo ex Christi amantibus, maximum metum Dæmonum depellere contendentes qui re vera erant illorum cultores promptissimi. Tribus autem diebus postea occupatis custodibus propter aduentum filiæ Regis Armeniorum, quæ vt esset Obses pacis tunc data fuit Regi Persarum, surripitur à Christianis re vera thesaurus qui nunquam consumitur.

Cum sic ergo B. Acepsimas decimo Octob. eo modo quo dictum est finem vitæ accepisset, sanctissimus Ioseph post eum fuit introductus. Ad quem se propius admouens iudex profanus. Vidisti, inquit, quàm acerba morte amicus tuus fuit vita priuatus & tu nunc quoq; nisi meis monitis parens, similibus subiectus suppliciis, eandem q̃ ille mortem subibis diuinus autem Dei sacerdos. Quod, inquit, prius dixi ei cui iudicandi munus ante te obtigerat, hoc nunc quoq; tibi dicam, q nunquam Creatori præferam rem creatam: neque id quod est conditum adorabo, sed conditorem, quandiu fuero compos mentis. His dictis præses correptus magno furore, iussit eum similiter extensum atque priorem, flagellari boum neruis: & acclamare præconem, eum fore saluum si Regis pareat voluntati. Ille autē, vnus est Deus, exclamabat, & præter ipsum nullus alius, quo & viuimus & mouemur & sumus, cui etiam cultum offerimus rationalem, regia iussa parum curantes. Cum vero multas horas verberatus fere iam esset morte affectus, arbitrari eum esse mortuum, sustulerunt & in forum proiecerunt. Deinde cum restituissent aliquas spiritus reliquias adhuc in eo manere, includunt in carcere.

Post eum autem tertius fuit introductus sapiens Aeithalas. Cui iudex, vita, inquit, & morte propositis ante tuos oculos, gloriaq; & ignomi-

nia, ne eligas deterius relicto meliori. nec eandem ineas viam quam ij qui præcesserunt, qui sua stultitia dignum vitæ exitum acceperunt. Tu autē meum sequens consilium, & maximos honores consequeris: & munera à Rege accipies. Sin minus: cum tibi causa fueris suppliciorū innumerabilium, oībus quoq; iucundissima luce per vim priuaberis Diuinus autem Aeithalas, me inquit, puderet cœli & terræ, si cum mei amici qui & premebantur senectute & grate processerant, fortissime decertauerint, ipse & vitæ cupidus & tormenta extimescens conspicerer, qui sum ætate vegetiore. Non per Christi mei mortem, ero vitæ hic agendæ cupidus. Nō pro iis quæ videntur bonis, non pro asperis rebus prodā pietatem. Propter hęc magna extitit ira præsidis: & in sanctum illata sunt flagella. Ille autem ipsum sordidū canem vocauit & ignauum, & quomodo, inquit, meus tua est infirma & imbecilla, ita etiam tormenta, quæ sunt infeliciū & abiectarum animarum terricula, non vero fortium virorum, quorum animi, desiderio Christi sunt inflammati.

His Iudex obstupefactus qui erat mente captus. Quid hoc, dixit confessoribus, sibi vult, q̄ isti qui dicuntur Christiani, vitam præsentem despicientes, mortem tantopere sitiunt? Illi autem, Quoniam, aiunt à patribus traditas attendentes doctrinas, credunt alium esse mundum præsenti longe meliorem & admirabiliorem, propter quem vitam quoque præsentem despiciunt. Interim autem dum hæc dicerentur, & temporis prolixitate & ab iis qui ipsum torquebāt vehementissima plagarum illatione, corporis quidem quod multum decertauerat dissoluebantur compages: carnes vero quæ lacerabantur cum ipso sanguine in terram defluebant. Cum eum autem iussisset parum relaxari Iudex, tanquam eius motus misericordia. Si volueris, inquit, parere iussui Regis, sunt apud nos medici qui plagis tuis citò medebuntur. Cui statim sanctus. Si solo verbo, inquit, posses meis mederi plagis, O' tu qui es mēte & anima saucius, ne sic quidem tibi animum adhiberem cum ea suadeas quę sunt plane stulta & remota ab intelligentia. Tentans dixi, inquit, Iudex. Nam etiam si tu velles parere iussui Regis, hoc tibi nihil prodesset, cum plagæ iam tibi mortem procurent. Quamobrem ego quidem efficiam vt sis exemplo omnibus Christianis, ne tam secure magistratus afficiant contumeliis. Sed si in aliis, inquit sanctissimus Martyr, dixisti sæpe aliena & falsa, nunc etiamsi nolles dixisti vera, & quod est omnino propediem euēturum. Me enim re vera bonum posteris exemplum statues fortitudinis & animi magnitudinis, qui tanquam ad exemplar aliquod ad nostrā intuentes tolerantiam, facile ferent tua & tui similium tormenta.

His quæ dicta sunt fuit obstupefactus Iudex: & accersito quodam ex iis qui apud eum multum poterant, qui dicebatur quidem Adesche, ortus autem erat ex ciuitate quæ vocabatur Arbel, Hos, inquit, accipe & duc ad tuam ciuitatem, Christianorum manibus obruendos lapidibus, volo enim tuam solertiam hoc mihi efficere. Propter quam causam nec eis quidem gladio volui mortem afferre. Cum eos ergo onerariis iumentis tanquam inanimum aliquid imposuisset & alligasset, ille profectus est in patriam, quoniam non poterant insidere iumentis cum essent eorum membra omnino dissoluta. Quamobrem humi iaciebantur in iis locis in quibus eos oportebat diuersari, tāquam mortua corpora, & cum adducti

essent in ciuitatem Arbel, eos accipit carcer obscurus & tenebricosus, in quo cum putrefactio carnium eis ex plagis orta esset, effluebat multa sanies: & sanctos grauissimi dolores inuadebant, & maxime quod non permitteretur vlli ex Christianis ad eos accedere, & eorum vllam curam gerere. Quædam autem mulier pia & timens Dominum, quæ habitabat in finibus huius ciuitatis, intempesta nocte venit ad carcerem. & multis pecuniis delinitis custodibus, effecit vt sanctos latenter acciperet: & domum suam quæ non longe aberat, seruorum suorum manibus portatos duceret. Deinde iis productis qui nec loqui quidem poterant, eis abstergit saniem: Lenibus autem quibusdam medicamentis sedat eorum dolores, mundis alligat linteis, vnguentis vngit pretiosis, & in omnibus ostendit quod esset pia & Christi amans, osculans quidem mēbra Martyrum, & eis illachrymans, sanie autem quæ ex eis distillabat seipsam inunges.

Cum vix tandem autem ad se rediisset Ioseph. Tua quidem, inquit, in nos misericordia & munificentia, O sacrosancta mulier, Deo erit accepta & nobis qui pro eo decertamus. Nos autem tam immodice deflere, est multum remotum à vera & certa spe Christianorum & nostra fide. Cui honestissima mulier. Mihi quidem animus est gaudio repletus, consideranti quod Christus vobis tantam dederit fortitudinem, vt magno animo ferretis tantā dolorum acerbitatem: magis autem læta ta essem si vos vidissem martyrio consummatos. Lachrymari vero est proprium humanæ naturæ, quæ mouetur misericordia eius quod est sibi genere coniunctum. Sed non oportet te dolore affici neque lachrimari propter nos, respondit diuinus Ioseph, cum omnino scias quod quę propter Christum suscipiuntur afflictiones, æternam concilient lætitiam & regnum cœlorum. Die autem illucescente rursus latenter restituuntur in carcerem.

Cum sex autem menses præteriissent, deponitur quidem à magistratu is qui sanctos acceperat vt lapidibus obruerentur. Alius autem eo sæuior ei succedit nomine Zeroth. cui etiam Rex imperauerat vt comprehensi Christiani Christianorum manibus obruti interimerentur. Cum ergo venisset ad ciuitatem, & ignis templum esset ingressus vt ignem adoraret, ei dixerunt ignis adoratores. Sunt quidam hic iam longo tempore Christiani in tuta inclusi custodia qui prius, vt nobis fuit significatum, grauissimis subiecti suppliciis ac tormentis, non potuerūt induci vt suam abnegarent religionem. Hæc cum ipse audiuisset, eos statim iubet sisti pro tribunali: & eis dicit, Cum Rex sapores munitas quidem & validas euerterit ciuitates, & multas gentes oppugnatu difficiles redegerit in seruitutem, quomodo vos qui estis quidem in eius potestate, eius autem terræ habetis vsumfructum, perinde ac qui ab eo defeceritis, eius iussa tātopere despicitis? Adhæc Ioseph ille admirabilis. Si tyrannidem, inquit, & rebellionem aliquam mouissemus aduersus Regē vestrum, oporteret omnino ipsum illatis armis & coacto exercitu nos inuadere: aut alium certe aduersus nos mittere, qui esset & manu fortis, & rerum experientia præditus, & ad ducendum exercitum idoneus. Sed tantum abest vt nos talia aggrediamur, vt non alium sed te aduersus nos emiserit, qui cum fœminis potius quæ degunt in thalamis quam cum viris pugnare studuerit. Nos enim nos ipsos tanquam oues tradidimus ad occisionem, vt qui didicerimus esse subiecti omnibus potestatibus.

Dixi

Dixit præses. Me ad iram, vt videtur, prouocans, vt vitam tibi citius adimã, nos his insectaris contumeliis. Sed non assequeris id quod desideras. longo enim tempore & mora te protraham: & multis tormentis te paulatim consummam. Iubet ergo eum funibus vinctum à summis pedibus, suspendi capite: exsiccatis autem boum neruis ei plagas infligi. Sic ergo venæ aperte tormentorum violentia, tanquã ex fonte præbebant fluxum sanguinis. Qui vero circunsistebat populus, Iudicem accusans immanitatis, ad misericordiam mouebantur & ad lachrymas, scupens sacrosancti senis tolerantiam. Quidam autem ex Magis qui circunsistebant, secreto accedentes ad Martyrem, dicebant. Elam nobiscum ingredere in nostri Dei templum, si à multis aspici erubestis. & cum sacrificaris, liberare a supplicis. Ille autem, Discedite à me, clara voce dixit: Discedite qui operamini iniquitatem. Quoniam Dominus exaudiuit deprecationem meam. Deinde cum tres horę iam præteriissent, iubet eum relaxatum à vinculis coram se sisti. Et quid, inquit, pares iussui Regis, & vitam morti præfers, an non? Respondit sanctus. Absit vt ego vnquam eam vitam cupiam in qua me Sol viderit sibi potius quàm eius effectori tribuentem adorationem. Quid autem, est ne tibi, inquit, mors vitę præponenda? Sanctus dixit. Certe, hæc enim mors mihi vitam æternam conciliat: & est nobis causa multorum bonorum: quæ nec possunt cerni oculis, nec audiri auribus, nec mente comprehendi. Adhęc ille ironice loquens & veluti irridens Martyris responsionem. Magnas ergo, inquit, nobis debes agere gratias, si tã multa bona tibi conciliauimus. Omnino autem efficies vt eorum quoque simus tecum participes, vt qui tibi fuerimus adiutores ad acquirendam talem beatitudinem: Sanctus autem. Ne ironice, inquit, nobiscum agas o Iudex. Nam nos quidem & inimicos diligere, & iis qui nos odio habent benefacere, à diuino præcepto didicimus. Cæterum quandiu sumus viui in vita præsenti, Deum precamur vt ab errore discedentes discatis pietatem & veram religionem, vt vobis quoque sit pars & sors in futuro in Dei bonis quæ dici nequeunt. Non est autem nobis datum vel à supplicio eripere & vel bona dare, hoc est enim in solius Dei positum potestate, qui habet etiam potestatem iudicandi viuos & mortuos.

Dixit Præses. Eiusmodi contentionibus missis in præsentia, & iis bonis quæ à te somniantur, pare Regis imperio. Te enim talibus & tantis subiiciam suppliciis, vt per te alij quoque persuadeantur Christiani, ea que tenent manibus nequaquam commutare cum iis quæ spe apprehenderunt, Sanctus autem. Hoc, vt ipse quoque nosti maxime cupio, quamcitissime transmitti ad æternas mãsiones. Quod si mihi alios innumerabiles intuleris cruciatus, aut etiam post te alius consummatus inueniar in Christi gratia. Habeo enim Deum me confirmantem, propter quem hæc pati constitui. Non ero autem, vt iudicis, Christianis adhortatio ad negandam pietatem propter tua tormenta, sed incitamentum potius ad verum Dei cultum. Ipsi enim me videntes in tali senectute tuos vilipendere cruciatus, habebunt pulchrum exemplar fortitudinis, nec deerit illis quem imitentur. His auditis, preses beati senis interrita constantia obstupefactus, iubet portatum ab aliquibus, quoniam ingredi non poterat, rursus includi in carcere.

Deinde aſpiciens ad beatum Aeithalam. Te ne quoque, inquit, inuaſit idem ſtupor: & maximi luminaris recuſas adorationem? Rñdet præco veritatis. Viuit Dominus Ieſus Chriſtus viui Dei filius, in quem ſperaui à iuuentute, ꝙ immutabilem habeo cogitationem: nec mihi vllus perſuaſerit vt Dei honorem tribuam rebus ab ipſo creatis. Poſtquam hęc audiuit ille ſuperbus & barbarus iubet ſanctum alligari talis & ligno appendi. Ille autem magna voce prædicabat ſe eſſe Chriſtianum. Magis erat defeſſus flagris cedendo impius, quàm ſanctus aliquid loqueretur remiſſum & indignum ea quæ pro Chriſto eſt oſtendenda fortitudine. Iubet ergo eum de ligno deponi, & eius loco induci Manichæum qui corã Martyre aperte ſuam obiuraret religionem. Iubens ergo torquere Manichęum, cogebat ad negandum. Ille autem primum quidem reſiſtebat: & aduerſus plagas videbatur decertare Cum autem violentius verbera intentarent qui flagellabant, & eum plagæ vehementer vrgerent victus à doloribus, ſtatim inficiabatur: & Anathema maneti & eius dogmatibus exclamabat. Afferunt itaque ad eum formicam, iubentes interficere. Ille autem eam ſtatim accepit & interfecit. Propter quod ſanctus lętitia diffuſus, & ob id quod factum fuerat ridens propemodũ, Grauia paſſus, inquit, defecit adorator Manetis: & cædem feciſſe eſt conuictus, vt qui Deum ſuum interemerit. Ego autem meipſum beatum exiſtimo, vt Paulus, quod Chriſti virtute aperte corroboratus qui dixit. Ego vici mundum conſeruo ſpiritum & animum inuictum.

Propter hæc iram repletus, inſanus iudex, ſpinoſis malis perſicę virgis iubet ſanctum verberari Plagę autem ſic eum confecerunt vt prope eſſet mutus, & nec ſentiret quidem verbera quæ infligebantur. Quamobrem cum eum traxiſſent tanquam iam mortuum, foras eiiciunt. Quidam autem ex Magis cum forte illud corpus vidiſſet nudatum, & naturæ contemplatione motus eſſet miſericordia, panno eum operit. Qui vero erant eiuſdem cuius ipſe religionis, cum aſpexiſſent quod ab eo factum fuerat, criminantur eum apud Præſidem, qui eum acerbis ſtatim cædit flagellis: & ab immiſericordibus eam accipit mercedem miſericordię. Beatum autem Aeithalam adhuc ſpirantem tradunt in cuſtodiam. Cum vero accepiſſet iudex maximum quendam Præſidem, nomine Saborium, in eius vicum aduenisse qui appellabatur Macellaria, ei Martyrum mandat examinationem. Ille autem non minus impius & ſæuus quam præcedentes aſpiciens ad ſanctos. veſtram, inquit, reueritus caniciem, & veſtrę miſertus afflictionis, ſuadeo vt ſolem adoretis, & guſtetis ſanguinem ſacrificiorum, vt à morte acerba liberati, omnibus iucundam vitam lucrifaciatis. Sancti autem tanquam vno ore dixerunt Carniuoris canibus mos eſt ſanguinem guſtare, non hominibus. Tibi vero potius conuenit iis exatiari qui es inſtar canis rabioſus & latras & efferaris in eum qui te fecit.

Poſtquam autem iuſsit ſanctos flagris cædi, eorum miſericordia moti qui circunſtabãt. Decoctione, dicebant guſtata loco ſanguinis, ſeruemini: & liberemini ab iis quæ vobis íminent ſuppliciis. Illi vero reſponderunt Abſit vt vel geſtu vel vllo alio modo inquinemus puritatem noſtrę fidei, & hanc longęuam ſenectutem dedecore afficiamus. Verſutus autem ille Præſes & admodum malus, At ſi ad vos, inquit, pura caro fuerit al-

lata, ne eam quidem gustabitis? Sancti dixerunt, Ex immundo quidnam mundum, & ex pollutis tuis manibus quidnam fuerit impollutũ? Omnibus ergo missis his tuis machinationibus, in nos velis cito proferre sententiam. Frustra enim laboras aerem verberãs, & per inscitiam eum pulsans qui non potest domari. Cum ergo communiter cum iis qui considebant consultassent, & tulissent sententiam vt sancti Christianorum manibus obruerentur lapidibus, congregant Christianorum multitudinem. cum quibus comprehenderunt etiam admirabilem illam Isdandul, & cum beatum Ioseph rursus exportassent, sistunt eum in Prætorio. Sãctus autem annuit Præsidi vt ad se accedat propius, vt qui arcanum aliquid esset ab eo auditurus. Cum is vero statim accessisset propius, Martyr os implens saliua, execrandum illum vultum conspuit, &, Non te pudet, inquit, O' impudentissime, tam immaniter & tam hostiliter in hanc communem insultare naturam, & corpus iam morte affectum rursus producere ad examinationem? Ille autem ab iis quoque qui considebant propter hanc nimiam crudelitatem probris affectus, & mirandum in modũ irrisus, ad suam cathedram redit pudore affectus.

Cum autem sanctum paulo longius dimouissent & manus pone vinxissent, fossam ei fodiunt, & eum ad lumbos vsque demissum infodiunt. Deinde comprehensos circunsistunt Christianos: & pulsantes iubent eos virum inclitum appetere lapidibus. Cum quibus sacrosanctam quoque Isdandul & similia faceret vrgentibus, dixit illa. Nihil vnquam à seculo tale fuit auditum, vt cogatur fœmina extendere manum aduersus viros sanctos, quomodo vos nũc facitis, qui aduersus inimicos quidem non decertatis: in nos autem arma tollitis: & patriam quæ degit in pace sanguine & cæde impletis. Illi vero obelisco longe arundini alligato, eo sanctum pungere imperabant. Illa autem, absit, inquit, vt ego id faciã. Nam ego id prius lubenter cordi meo affixero, q̃ per ipsum sanctum corpus vel minimum attingam. Sic illa quidem virilem ostendens constantiam, conspecta est potentior, quam cogitarant parricidæ. Sanctum aũt tam crebris lapidum niuibus obruerunt, vt cerneretur solum caput, reliquo corpore obruto lapidum congerie. Quod quidem caput cum quidã ex impiis principibus vidisset adhuc moueri, iubet vni ex lictoribus vt accepto lapide quantum poterat manus capere: in id desuper immitteret. Quo'd quidem cum factum esset, & pondere lapidis caput esset contritum, beatus Christo tradit pretiosam animam. Atque 1 venerandum quidem illud corpus adhibitis custodibus conseruabatur tanquam thesaurus aliquis. Cum tres autem dies preteriissent & iam aduenisset quartus, extitit magnus & terribilis terræmotus. Deinde cum sic apparerent fulgura, & maxima tonitrua cum eis erumperent. ignis è cœlo demissus, custodes quidem redigit in cinerem: lapidum vero congeriem educit tanquam puluerem, Deo omnibus reddente manifestum honorem in Martyrem, corpus autem non apparet, seu q̄ Deus prouidisset vt id transferretur iis quos ipse nouit modis: seu q̄ hominum manus id sustulissent.

1 Nota venerandum eius corpus, non vile dicit cadauer, aut ossa emortua.

Venerandum autem Aeithalam cum in vicum qui dicitur patrias abduxissent, efficiunt vt Christianorum manibus ipse quoq; obruatur lapidibus. Cuius corpus Monachi quidam ex iis qui illic habitabant noctu aduenientes, inscientibus custodibus id auferunt, re vera furtum

laudabile facientes, & rem luce dignam non tenebris. Deinde cũ ei iusta fecissent, deponunt in quodam loco insigni. Quo autem in loco sanctum
2 contigit interimi, facit Deus 2 admirabiliter quiddam dignum & sua potentia, & gloria Martyris. Planta quædam myrti illis enata efficitur omne genus morborum liberatio. Cum quinque ergo annis per hãc plantam sic fierent miracula, qui gentium falsam tenebant religionem, inuidia moti & non ferentes intueri hæc miracula ad confutandam falsam eorum religionem, plantam excindunt radicitus Multi vero ex iis qui erant animo purgati, longo tempore videbant lucem in eo loco, & diuinas virtutes ascendentes & gloriam emittentes ei qui sanctos suos glorificat. Consummatus autem fuit Christi Martyr Aeithalas mense Iunio, eandem constantiam et fortitudinem q̃ ĳ qui ante ipsum fuerunt consummati, ad mortem vsque ostendens, auxilio & gratia Christi veri Dei nostri. Quem decet gloria & honor cum principio carente eius patre & sanctissimo & viuifico spiritu, nunc & semper & in secula seculorũ. Amen.

Ecce magnum miraculum q̃d facit Deus ad ostẽdendam martyris sanctitatem.

VITA RES GESTÆ ET CERtamina *sancti patris nostri Ioannicij*.

Nouemb. 4.

VIAM quæ ducit ad virtutem sciunt omnes esse asperã arduam & difficilem, idq; aperte ipsa discunt experientia. Et ideo multis quoq; indigent quæ ad ipsam excitent, partim quidem adhortationibus, partim autem vitæ quoq; historia eorũ qui in illa prius sunt ingressi, quod etiam magis ad eam attrahit sine molestia: & efficit vt non despondeant animum propter difficultatem itineris. Ei enim qui vitam est ingressurus asperam & difficilem, suadens & adhortans quispiam minus persuaserit. Ostendens autem multos eum iam cõfecisse, & adoptatum tandem finem peruenisse, sic magis persuaserit vt prõpto & alacri animo iter aggrediatur. Talem esse existimo magni quoq; patris Ioannicĳ vitam, & longe iucundissimam & longe vtilissimam, & quæ ipsa quoq; potest vel valde socordem excitare ad studium virtutis. Dicantur ergo res illius quoad eius fieri poterit: & vobis piis ac religiosis in medium proferantur, vnde scilicet cœperit, & ad quem finem tandem peruenerit. Sic autem habet.

Quartodecimo anno tyrannidis Leonis filĳ Constantini, qui etiam generis seriem traxit ex Isauria, admirabilis Ioannicius procedit ex maternis thalamis. Cui patria quidem fuit prouincia Bithynorum: vicus autem qui vocatur Marycati, situs ad borealem partem Apolloniadis. Parentes qui factis ipsis veram reddebant appellationem, Myritzicius & Anastaso. Erant enim tanquam pulchram rosam iustum Ioannicium edituri pietati, qui à vita ad vitam, vt dicit D. Apost. euocabat multos vnguento pietatis: & à lapsu peccati faciebat surgere: & viam ostendebat salutarẽ, vt iam ostendet oratio. Statim ergo ab ineunte ætate cum sensilibus cibis aleretur & educeretur vt puer, non disciplinatum orbem & mundanam elegit sapientiam: sed eam quæ ad eũ adducit & ei reddit familiarem, quæ est etiã initium sapientiæ: nempe Dei timorem, & eius

manda-

mandatorum insistere vestigiis. Proficiebat ergo in dies in virtute & diuina disciplina, & pulchro augebatur incremento. Quid autem Dominus, qui est velox ad bonorum remunerationem? Nondum magnus Ioãnicius è prima ætate excesserat, & munus obiens quod ei fuerat mandatum à parentibus, in consueta pascua porcos immittẽs, ille quidem eos signabat figura 1 crucis, & ipse consuetas preces Deo reddebat. Illi aũt permanebant indiuulsi, nullo nec hominum nec bestiarum dãno omnino affecti, donec vespere reuersus sanctus eos domum rursus ageret.

1 *Signabat porcos figura crucis, eos mittens in pascua.*

Cum autem ille quidem iam excessisset ex Elphebis, tunc cum esset & corpore agilis, & aspectu præ se ferret speciem hominis nõ ignaui, haberetur vero accuratus militum delectus iussu eius qui tunc rerum potiebatur: tunc hic quoq; vir admirandus relatus fuit in numerum excubitorum. Erat autem exercitui quidem iucundus propter moderationẽ: inimicis vero terribilis propter fortitudinem, vt qui eos sæpe vel solo aspectu in fugam verteret. Cum se ergo sic gereret & tanti fieret ab exercitu, apud Deum adhuc pluris fiebat, quatenus eius pręcepta ad vnguem obseruabat. Hoc ergo vidẽs malignus, & cum aliam virtutem tum eius Deo familiaritatem & coniunctionem ei inuideret, in eum latenter comparabat insidias. Quamobrem cum aliquando hominibus communem offudisset caliginem, vt non diuinis imaginibus eum quem par erat honorem tribuerent, peruenit etiam vsque ad Ioannicium: capitq; & expugnat hunc virum præclarum inter exercitatores: & inducit eum ad perniciosam 2 sectam Iconomachorum. Ab illo autem tempore diuinis imaginibus non modo quem par erat multi honorem tribuebant: sed nec earum quidem auditionem auribus omnino admittebant. Totis vero quinquagintaseptem annis, figura à Christo susceptæ humanitatis, crimini dabatur & contemptui habebatur ab iis qui pugnabant aduersus imagines. Cum quibus fuit abductus & captus hic quoq; vir admirandus: & pauci fuerunt qui maligni laqueum effugerint. Atq; hæc quedem sic se habebant: & Christi figura nostrę similis, proh dolor, despiciebatur, & nihili omnino putabatur.

2 *Et hic sanctus abductus est in secundam despicientium diuinas imagines quæ durauit annis. 57.*

Postquam autem huius sceleris operatores cum impietate miserabiliter perierunt: & Romanorum imperium trãsiit ad coniugem eius Irenem, quæ res Christianorum tuebatur & habebat in honore. etiamsi propter metum mariti, non poterat eo superstite libere eloqui veram religionem. Cum ea vero in imperio fuisset constituta, tunc ipse quoq; Christus qui propter nos carnem induit, rursus honorabatur figuris: & exoptatæ sanctorum imagines, in ecclesiis, in foris, in populo cernebantur. Sed ne sic quidem multi huius Iconomachorum hæresis acerbitatẽ eluerunt ex animis, sed cum temporis diuturnitate ad mali habitum peruenissent, ægreferebant se ab eo liberari. Quorum vnus erat hic quoq; præclarus Ioannicius: qui non erat promptus nec velox ad mutationem: neque omni vento conuertebatur aut circũferebatur, sed morum ostendens grauitatem etsi in re non laudabili, permanebat in iis quæ sibi recte opinari videbatur: & diuinis imaginibus nullum cultum tribuebat. Deinde quid fit? Eum venatur egregius Agricola qui nouit terram animi vniuscuiusque: & eis accipit semina fidei orthodoxæ. Quomodo autem?

Mittitur ab Imperatore ad Occidentem cum toto exercitu. Illinc aũt

reuertens, transiit per quandam partem Olympi, & nutu diuino iter fecit prope quędam ex Monachis qui in eo monte exercebantur. Deinde ille apparens ex sylua, O' fili, inquit, Ioannici, si magnum tibi est, inquit, Christianum esse & nominari: cur Christi imaginem despiciens, efficis vt labor virtutis à te frustra suscipiatur? Hæc audiuit vir diuinus, & miratus est quod ei euidentissime dixisset de omnibus. Humi itaque cadens, petiit veniam quod ille ignorans fuisset ingratus in Dominum, & affirmauit se deinceps Christi 3 imaginem & omnium qui ei placuerunt honoraturum cum omni proposito. Ab illo ergo tempore, beatus ille Satellitis officio fungens in vestibulo regiæ, recubabant in 4 nudo solo. eratque orationi intentus in ieiunio. Nam etsi conuiuia inibat cum aliis, cibum tamen non sumebat vsque ad satietatem, sed eatenus vt illis quidem non videretur ieiunare: corpus autem ei consisteret & ad pernoctem illam inseruiret stationem.

3 *Diuina ope reducitur ad uerum cultũ imaginum uir sanctus.*

4 *Vides sancti exercitia, Humicubatiões, Orationes, Ieiunia.*

Cum ille ergo totos sex annos his vacaret, egreditur gens Bulgarorũ Thraciam depopulans. Aduersus eos autem ducit exercitum qui tunc erat Imperator Romanorum, magna & valida manu coacta, in quorũ numero erat hic quoque pietate plane iuuenis. Magnum itaque prælium fuit inter eos commissum, & ex exercitu Romanorum cadit magnus numerus. Quid ergo ille inter viros fortes magnus & inter exercitatores pietatis maior Ioannicius? Erat tanquam alius Dauid, alienigenas quidem perrumpens cum multis milibus: plurimos autem liberans ex iis qui erant eiusdem generis, adeo vt quidam ex illustribus Romanis, machina quidem ex loris contexta caperetur à Bulgaris, is vero ea gladio dissecta, à manu hostili hominem liberauerit. Hęc cum tunc ipse aspexisset Imperator, & eius esset virtutem admiratus, cupiebat scire patriam & quod esset ei nomẽ. Ille autem præter hæc docuit etiam ordinem militiæ Imperator vero omnia statim, ne memoria exciderent, Scribæ iubet mãdare scriptis, & magnificentia remunerationum confirmauit defessam manum huius egregij militis. Hinc magis incitatus, vnum quendam ex inimicis qui steterat in via angusta, & multos occidebat ex Romanis, vir ille strenuus facto in eum impetu, illum priuauit capite, qui multis aliis capita abstulerat. Sic aduersus hostes qui videntur præclara facinora, erant signum tropheorum quæ erat erectutus contra inimicos qui non apparent.

Vide autem quomodo hinc fuit deductus ad suscipiendum contra illos certamẽ: & iam ad luctandum est aggressus: & grauis armaturę mentem abstinentia 5 à cibis & oratione pulchre armauit. Nam cum à pugna aduersus eos qui cernuntur hostes se sensim & pulatim dimouisset & se deinceps collegisset, versabat animo ea quæ Dei virtute aduersus hostes fortiter gesserat, & se posteriori tempore dicebat acerbum illud damnum accepisse, quo Christi sui imago in honore ab eo non habebatur, & telis pœnitentiæ sauciabatur eius animus, & in hunc modum secum loquebatur. Oportuit me tali Domino seruire, & non solum aduersus hos qui cernuntur inimicos: sed etiam armari in eos qui non cadunt sub aspectum. Quod quidem ergo habeo maxime in votis nempe dari mihi tempus in quo possim carnem subiicere spiritu, & soli Deo animum adhibere. Hinc se dedit totum solitæ orationi, & cum vidisset montem qui supereminet

5 *Arma contra Diabolum, abstinentia à cibis & oratio.*

a dextera Bithyniæ, qui apud nos vocatur Olympus, concepit animo vitam quietam & amantem solitudinis.

Cum venisset ergo in vrbem regiam, & valere iussisset ea quæ sunt in ipsa oratoria, & emigrationis postremam reddidisset adorationem despicit quidem referri in numerum procerum Imperatoris. Despicit autem maxima adipisci & pluris fieri quam vulgus. Despicit paternā affectionem, postponit viscera matris, & cum parum congressus esset cum parētibus profectus est ad iucundam quietem & silentium, cum solos viginti quatuor annos se pulchre gessisset in hac inferiori & mundana militia. In transitu vero cum accessisset ad Agaurorum monasterium, accipitur ab iis qui illic erant Monachis, & monasterij Pręfecto Patri Gregorio aperit suum animum, q̄ scilicet amet vitam quietam: & q̄ velit solus sub Deo viuere, omnem humanam vitans consolationem. Ille autem laudat quidem propositum. Sed hęc dicebat conuenire iis qui versati sunt in diuturniori exercitatione, & ad eius habitū quodammodo peruenerunt. Ego vero tibi consuluerim, non eam primo vitam eligere quæ est remota ab omni hominum societate: sed cum viris piis & Monachis te prius coniungere: & discere tempus & ordinem orationis. Deinde obedientiam doceri & modestiam: & sic ad vitam accedere anachoreticam, ne si ad eam irruperis priusquam didiceris, cum te oporteret ferire, feriaris, & cum superare, supereris miserabiliter.

Hæc cum ille monita audiuisset, illinc quidem recessit, cum venisset autem vespera, hospitio excipitur à quodam viro pio & religioso, vt qui pulchre cognosceret huiusmodi habitacula, & caueret ne vnquā diuersaretur in ædibus alicuius qui esset diuersæ à recta sententia, cui cum animum aperuisset, quoniam erat adhuc omnino ignarus literarum, abducitur ab eo in quoddam propinquum monasterium quod vocabatur Vtotelas, & cum in eo didicisset solam elementorum institutionem, cum intellexisset hoc monasterium esse tumultu plenum, ascēdit ad alium monasterium quod dicitur Antidij: & cum illius præfecto suum declarasset propositum, docetur ab eo cuiusmodi sit palæstra in diuinis certaminibus, deprimere scilicet cogitationes & omnem altitudinem quę extollitur aduersus Dei cognitionem. Cum duos autem annos in eo perseuerasset, & Dei patris Dauid hymnorum triginta psalmos didicisset, & ostēdisset satis validas esse eorū ansas aduersus omnem insultum aduersarij, paulopost incessit eum desiderium transeundi ad montem qui supereminebat. Totos ergo septem dies vacans orationi, petebat vt sibi appareret certus Dux viæ quam desiderabat. Septimo autem die, audit hic nouus noster Moses, vocem desuper iubentem, vt parum accedat ad montem, & assequatur id quod desiderat.

Cum ergo ille hanc audiuisset, accessit ad montem: & quemnam locū inueniret aptum, ad suam habitationem vndique circunspiciebat. Ascendens ergo in montem incidit in duos Monachos quibus 6 tunicæ quidem erant confectæ ex pilis, victus autem erat ex herbis quæ illic nascebantur, & tantus vt solum possent viuere, & vt tanquam angeli in terra viuerent cum corpore. Eis ergo communicauit ea quæ animo versabat & meditabatur. Illi autem postquam preces solitas Deo pro eo obtulissent, sigillatim narrarunt de omnibus quę interrogabat, adiicientes q̄ post

6 *Ecce asperitatem vestitus, & austeritatē victus horum monachorum.*

quinquagesimum annũ exercitationis, & circa ipsum finem vitæ, ei inferetur tentatio, esse autem inuidos & malignos eos qui eam sunt illaturi. Sed illis quidem labor in caput eorum conuertetur. Tu autem, dicebant, nihil graue patieris, quod etiam postea deductum est ad effectum, quomodo etiam suo tempore declarabit oratio. Si cum hæc prædixissent, & tunicam, eam Lebetonarium vocat lingua illius regionis, est autem ex pilis contexta, ei tradidissent, recesserunt, hoc aduersus omnes insidias & insultus fuit ei arma inexpugnabilia & fortissima, vt ille narrauit postea. Deinde cum illinc emigrasset in montem, qui vocatur Cichalix, degebat sub Dio & absque vllo tabernaculo.

Cum Gregorius autem de quo prius diximus, sancto rude excitasset habitaculum, vt esset ei paruum tegumentum ab imbribus & niuibus, se in eo inclusit. Sed quoniam multi illuc accedebant, eum conuenire cupientes, & illi gratum & familiare silentium interrumpentes, illinc discedens in quendam vicum. Hellesponti, in quodam monte nemoroso & aditu difficili se collocat, in quo cum foramen quoddam agustum & profundũ sub terra fodisset, in eo manebant nusquam progrediens, non habens Coruum cibi suppeditatorem sicut Elias: sed cuidam caprarum pastori hoc cõmitens, vt ille vicissim ab eo maiora acciperet. A quo quidem pastore ipse singulis mensibus panem 7 & aquam tanquam quoddam plane nouum accipiebat epulum. Tres totos annos silentio in eo transigens, precationis quidem curam gerebat & hymnorum ad Deum noctu & interdiu: Erat autem hoc eius opus delitiæq; & consolatio. Hæc verba in ore habebat veluti quoddam condimentum, quæ assidue ab ipso canebantur. Spes mea Deus, refugium meum Christus, protectio mea spiritus sanctus. Quocirca licet videre multos hoc pulchrum dictum ab illo acceptum in ore ferre perpetuo.

7 vide miram sancti abstinentiam.

Cum sic ergo se haberet, & extolleretur talibus cordis ascensionibus, voluisset autem aliquando venire in quandam domum oratoriam ex iis quæ illic erant, in qua multi erant congregati ex prædiis quæ erant circũcirca, accidit vt conueniret etiam quidam ex eius commilitonibus. qui cũ hunc magnum vidisset inter exercitatores, & ipsum non amplius esse existimasse, statim est recordatus veteris illius sui familiaris & amici Ioannicij, illius vultus effigiem & staturæ magnitudinem reputans, etiamsi longa illa media, & voluntaria in lacu inclusio multa destruxisset ex iis quibus poterat cognosci. Stabat ergo illum perfectus memoria repetens, is autem ei magis magisq; ille esse videbatur. Postquam vero in eum oculis curiosius coniectis, re vera cognouit hunc illum esse amicorum & familiarium amicissimum Ioannicium, eius statim collum circũdans ardenter complectebatur: aperte ostendebat se pendere ab illius anima ei lachrymę distillabant prægaudio, & in memoriam reuocabat veterem cõsuetudinem. Deinde ille quidem excurrit reliquis sociis rem volens significare. Ioannicius aũt volens magis latere, peruasit in montes Conturiæ in quibus degebant feræ, seorsum cum Deo congrediens.

Cum tunc autem forte fortuna venisset in ædem oratoriam, incidit in virum quendam & mulierem qui conuenerant vt festum patrium peragerent. Qui cum sanctum vidissent, in primo occursu, illo insolito & terribili eius spectaculo obstupefacti, ne potuerũt quidem interrogare quisnam, nec esset omnino cum eo conferre sermonem. Erat enim vir satis

quidem

quidem iustę magnitudinis: pannis autem obsitus & nudis incedens pedibus: & totus capillatus, & coma mirandum in modum promissa. Illi ergo cum sanctum vidissent sic affectum, affecti sunt timore. Ille autem placida & miti voce iussit eos esse bono animo: & ab illo timore recreauit. Deinde eos rogauit quænam esset via quæ recta ferret. Illi vero dixerunt ante flumium fluere qui non erat transitu facilis, & tunc maxime cũ tam multi imbres ad eum affluxissent. Tunc enim acciderat vt vehementer plueret, & ideo restagnaret fluuius. Ille autem cum circa mediam noctem surrexisset, O' pedes speciosos, O' ingressum illum admirabilem aquam ascendit nec fuit madefactus, & transmittit incontinentem qui erat ex aduerso.

Illinc autem venit in templũ magistro Christo dilecti discipuli quod erat Ephesi ei autem statim sua sponte apertæ sunt portæ illius templi. Ille vero ingressus cum Domino suas preces reddidisset, rursus egreditur: & cum esset egressus, protinus clauduntur portæ, & rursus reuertitur in Conturiam, & conuenit quasdam Monachas, matrem, inquam, cum filia. Quarum filia quidem iam erat defessa libidine, mater autem studebat admonitionibus motus eius carnis comprimere. Cum in eas incidisset sanctus, & propter puellæ vitium esset animo perturbatus, puella ad se vocata, iubet eam manum suam collo illius imponere. Quod quidem cum factum fuisset vt iusserat, rogauit vt puella quidem liberaretur à malo quod eam vexabat: in se autem graue illud malum recideret. Atque illa quidem liberata à bello carnis, ordini Monachorum se vt prius restituit, In sanctum autem graue illud bellum excitabatur. Cum autem intelligeret turpes cogitationes eum ad facta non honesta impellere, inuenit Draconem quẽdam ex serpentibus in quadam quę illic erat spelunca, & seipsum statim prębet ab eo exedendum, vel per vim cogens inuitum eius corpus tangere. Malebat enim mori, quam animi sui nobilitatem volũtati carnis esse mancipatam. Atque ille quidem se præbuit Draconi. male autem cogitationes quæ sunt semina Draconis qui cadit in intelligentiam, protinus recesserunt, & si qua volũtas carnis ei exhibebat molestiam, ea quodammodo tota flaccescebat & morte afficiebatur. Simul autem morte quoque affectum fuit statim ipsum animal, & exhinc aduersus omne genus feras tam quæ sub aspectum cadunt quam quæ non cadunt data est potestas decertatori.

Aliquando enim ille quidem Dauidis psalmos dicebat memoriter, mouebatur autem quidem aceruus lapidum, & sancti ad se attrahebat oculos. Cum ergo quendam maximum serpentem punicei coloris ex eo vidisset apparentem, & quam in manu habebat virga eum percussisset, eum nihil spirantem reddidit, & morte affecit. Deinde rursus quoque tẽpore hiberno ille quidem subterraneam quandam & obscuram subit speluncam: In ea autem habitabat Draco, vt qui spelunca vteretur pro cauerna. Lucebant vero Draconis oculi, & videbatur beatus pater ignem intueri. Neque enim priusquam esset expertus, putasset vnquam Draconem inesse in spelunca. Cum ergo visum sibi esset ignem in spelunca accendere, ligna collegit, & Draconis oculis imposuit, ea volens accendere propter tempus hibernum. Cum is autem excussisset ea quæ fuerant imposita, intelligens pater esse bestiam, non fuit ignauo nec abiecto animo

nec vllo timore est affectus, sed paulum declinans ad dexteram speluncæ, nullum malum passus versabatur simul cum Dęmone.

Agebatur vero iam duodecimus annus ex quo morabatur in solitudine homo Dei: venit autem ad eum à superis prædictio, vt illinc quidem migraret, habitaret autem in monasterio quod vocatur Eriste: & habitũ indueret monasticum. Nam cum tanta esset virtute, nondum vestem induerat monasticam, sed adhuc magnorum monastici habitus certa minũ erant ea quæ dicta sunt præexercitationes. Venit itaque æstate ad prædictum monasterium: & Stephano Pręfecto Monachorum qui in eo erant

8 aperit reuelationem. Ille autem postridie nihil cunctatus, solitas 8 fundit preces & sacras dicit orationes: & eum veste induit monastica. Tali ergo habitu monastico indutus qui erat monachus vel ante habitum, aut etiam supra Monachos, & à certaminibus separabat ad certamina, & à laboribus procedebat ad labores, se includit in loco qui vocatur Critama: & se ligat catena quæ erat longa sex vlnas.

Etiam antiqui monachi cum certis precibus & orationibus veste monastica monatios induebant.

Iam autem erat tertius annus ex quo in eo degebat, & cum ei visum esset ire ad Chelidonem, vt cõueniret virum quendam virtute insignem, erat autem is magnus Georgius, venisset autem ad fluuium Goram, incidit in Draconem qui cohibebat aquæ fluentum, & transitum ei interrũ-

9 pebat. Et eũ quidem precatione & 9 signo crucis mortuũ statim tradit aquis. Tres autem annos cum magno versatus Georgio, cum ab eo totum didicisset psalterium, abit rursus ad Pastorem Antidij, cum Pachomio discipulo. Et cum illinc rursus venisset in monasterium Agaurorum, ascendit cum aliis Monachis in montem propè situm: vt essent spectatores domus quæ in eo ædificabat. Construebatur enim in eo monte quoddam habitaculum iis qui erant in monasterio, quod & volentibus maiorem conciliabat quietem & silentium, & perfectiorem cum Deo coniunctionem. Cum ergo venissent in montem, hircus insignis magnitudine alicunde è grege apparuit. Itaq; qui cum hoc beato patre erant Monachi cum vidissent hircum, & eos inuasissent humanæ quædam cogitationes, animo versabant quonãmodo eum caperent: & vt illius pellem in vtrẽ transmutarent maximi faciebant. Cum in eo ergo inhabitante spiritu cognouisset pater ea quæ erant in mente Monachorum, vnum ex iis cui nomen erat Sabas, ad se vocans, iubet hircum ad se adducere. Illo vero interrogante, si in fugam fuerit conuersus, quomodo eum comprehenderet. Vade solum ò frater, inquit, ille magnus: ille autem lubens veniet & te sequetur. Conuersus vero ad alios Monachos, rogauit an hirci pellis esset apta ad vtrem componendum. Illi autem maxime, inquiunt: & antequã hoc diceres nos id cogitabamus. Interim autem ductus fuit hircus à Monacho Saba: & pater vel in verbis ostendens benignitatem, transmittit rursus pecudem ad sua pascua, non solum hinc commiserationem, sed etiã amputationem docens suarum voluntatum.

Precatione & signo crucis statim draconem reddidit mortuum.

In hoc autem monte versans, iis etiam qui genere attinebant ad Imperatorem, Nicephorus vero tunc Romanum adiministrabat imperium, prædicit eius mortem paulopost esse venturam. Nono ergo anno eius imperij erumpentes Hunni Thraciam populabantur. Satis autem magno coacto exercitu, Imperator quidem eos prius vicit. Post hæc vero coactis copiis Hunni vexauere Romanos. Quo tempore ipse quoq; Im-

perator sauciatus, cum imperio ipsam quoque finit vitam. Sceptrorum autem & imperij hæredem filium relinquit Stauracium. Cum esset ergo Stauracius in imperio constitutus, ij quibus de morte Imperatoris Nicephori ab admirabili Ioannicio prius fuerat significatum, paulopost quã Imperator decesserat, recordati eorum quæ prædicta fuerant, accesserunt rursus ad hunc magnum patrem: & rogarunt de filio eius Stauracio, an sit longo tempore victurus in imperio: ille autem prædixit rursus quoq; celerem fore mutationem, & vt aiunt, rem esse in acre nouaculæ. Breue tempus intercesit, & imperio translato ad Michaelem generum, euenerunt ea quæ prædicta fuerant. Hic autem Michael antequam perueniret ad imperium, dignitatem habebat procuratoris palatij. Non multo itaq; post tempore Hunni rursus in Thraciam faciebant incursiones. Itaque Imperator erat valde solicitus quonãmodo & eos graui inuaderet exercitu, & quemadmodum eos malè haberet. Interim autem ille quidem Leonem Armenium præfecit orienti. Leo vero qui iãdiu maximo amore tenebatur imperij, hoc solum animo versabat quomodo eo potiretur, & quidquid non ad id tendebat, id paruum existimabat & non magni momenti.

Cum ergo rursus bellum ex ortum esset aduersus Hunnos, & nec primo quidem cum eis conflixisset Armenius, sua sponte tergis datis, Romanos affecit dedecore, vt simul quidem & Michaeli maculam inureret, & eum graui afficeret animi ægritudine. Cum ergo Leo hoc consilium cepisset & id fecisset, fraudeq; & simulatione conciliasset animos militũ, persuasit vt eum solum spectarent & in eo solo spẽ salutis collocarent, vt qui imprudentius & inconsideratius in his rebus se gererent: & bonis quæ habebant in manibus stulte præferrent ea quæ expectabantur. Leo ergo cum induisset personam beneuolentiæ in Imperatorem, simulabat se eum maximi facere & colere. Post illam autem cladem ab ipso de industria & voluntariæ conceptam, cum reuersus esset Michael Byzantium, illo tempore proferens quod iamdiu parturierat, & qui intus erat Leonem aperiens, iis relictis qui Romanorum agros populabantur, quã maxima potuit celeritate armatur aduersus suos: & ab iis qui aderant renunciatur Imperator: & ad omnium clarissimam peruenit ciuitatem. Michael vero vel inuitus ei cedit imperio, cum iureiurãdo ab eo accepto sibi prius cauisset, & fide dignis, vt putabat, promissis se muniisset, q; ei cum vxore & liberis permitteret agere vitam priuatam.

Ille autem cum primum ascendit ad imperium, veluti omnium oblitus, & nihil curans eorum quæ Deo teste iurauerat, primum quidem Michaelem & eius coniugem cõdemnat exilio. Paulopost vero habitu Monachorum vel inuitos induit. Non eo vsque autem constitit: sed etiam paucis post diebus eos à se inuicem separauit: nec eos simul habitare sinit in regione, sed illum quidem in vnum locum, hanc vero in alium relegauit. Vide autem quo procedat improbitas potestatem consecuta. statim enim qui & nomine & moribus erat bellua, in ipsum proh dolor, Christum & eius imaginem rabie exagitatur, multis afficit suppliciis veræ pietatis adoratores, ab iis quæ habebant alienans & exterminans, q; non Christi & eius sanctorum imaginem cum ipso conculcare in animum induxissent. Quamobrem Nicephorum quoq; sanctissimum Patriarcham,

si non à sacerdotali deponeret rectione, graue esse putabat & sua amētia indignum & importunitate. Propterea ergo tum à sede dimouet qui vere erat dignus qui regeret, quoniam nec luci quidem conueniebant tenebræ. Theodoto autem ex Natolia, cui erat cognomen Melissenus, vt qui esset eiusdem sententiæ & moribus similis, introducto, replet Ecclesiam magna abominatione.

Illo autem tempore cum per montes Prusensium magnus hic pater se exerceret, Gurias quidam qui ipse quoq; erat vnus ex iis qui vitam susceperant anachoreticam, & videbatur præstare aliis in Monachorum certaminibus, & summus exercitator & amator virtutis ab omnibus existimabatur & nominabatur, & cum quis duxisset Guriam: adiiciebat etiam exercitatorem, vtpote q hinc magis agnosceretur q̄ ex nomine proprio. Is cum videret se longe abesse à vera virtute Ioannicij, & venerandam illam exorcitatoris appellatione ad eum transire, ei dissecabatur & laniabatur animus inuidia. Dum autem inuidiam parturiret, cædem peperit. Quomodo autem declarabit oratio. Ea enim versans in animo, & quærens ad effectum deducere id quod meditabatur, cum sancto de industria studet vitam agere, cum magnus Ioannicius propter maximam animi simplicitatem, Guriam supinis, vt dicitur, manibus accepisset & foueret. Ille autem in principio quidem magnam simulat pietatem, & erat virtutis histrio præstantissimus. Cū non alio autem spectaret q̄ vt latenter inuidiæ gratificaretur, sub specie propinandi, sancto venenum porrigit. cum ipse prius bibisset longe acerbius inuidiæ & malitiæ. Insidiosum autem sic epotum poculum sanctum multis affecit doloribus. Sed qui per eum colebatur Dominus, non passus est eum diu vexari. ne nimis gloriaretur vitium aduersus virtutem. Sed in somnis misso

10 præclaro inter Martyres 10 Eustathio, ei donat priorem habitum & sanitatem. Ille autem in honorem eius quod tunc factum fuerat admirabiliter & præter opinionem, ædem oratoriam extruxit & monasteriū: quod quidem extat vsque in hodiernum diem. Neque enim ad liberationem solum à doloribus fuit ille dulcis somnus & lætus ille aduentus Martyris, sed ad maiorum miraculorum simul & rerum principium & fundamentum.

Si sancti martyres à Deo mittuntur ad conferendas sanitates, nō sunt illi emortui ut dicunt quidā.

Aliquando enim in quadam nocte ille quidā volebat necessario dare corpus quieti, vt se recrearet, promptiorió; & alacriori animo rursus labores aggrederetur. In quodā autem loco qui illic vergebat ad Orientem, non in somnis sed re vera videt aquam emitti copiosam & perspicuam, & multas cæcas pecudes illic stare & ex ea bibere. Et ille quidem desiderauit scire quidnam sibi vellet visio. hoc vero solum resciuit ab iis qui in ea regione habitabant, q in eo loco prius ædificatum fuerat templum Dei genitricis. Cum itaq; venisset ad locum qui sibi apparuerat, aquæ quidem fontem non inuenit, cū eum autem vidisset bene esse situm & pulchrum, & alioqui aptum ad Domini donum ædificandum, in eo pulchrum templum excitat: & construit monasterium, cum non pauci

11 illis se 11 totondissent, & ad certamē spiritale se prompto & alacri animo præparassent, & ab illo erudirentur ad virtutem. Sanctum ergo non fefellit visio. Non enim ostendit id quod factum fuerat, sed id quod erat futurum. Nā q in loco quidem qui apparuerat fuerit habitaculum matris

Vides quod qui monachus fiebat, tondebatur.

tris

tris Dominis nostri,testabantur multi qui ipsis hoc viderant oculis. Oues autem & aqua scaturiens, illæ quidem significabant sanctos qui templo assidebant. hæc autem suauissimum illud fluentum eius doctrinæ. Quod eæ vero essent orbatæ oculis,id ostendebat animæ eorum cæcitatem.

Interim autem dum Dei excitabatur habitaculum,erupit quidē pluuia, serpentes autem emissi è terra, morsibus prohibebant eos qui in illo laborabant. Sed ille quidem statim 12 manus tollit ad cœlum Deum rogans,nubium autem crassitudo mutata est in summam seueritatem,& qui operi erant intenti,manebant illęsi a nocumento morsuum. Quo quidem tempore sancto quoque pro viribus opem ferente iis qui ædificabant, & ad tollendum lapidem manum porrigente, vipera emersit è lapide, & manum apprehendens ab ea diu pependit: & immisit ei totam veneni acerbitatem. Sed nobis apparuit alter Paulus, etiāsi non primus chori Apostolorum, sed eorūdem quibus ille donorum potestate præditus. Nam ille quidem manum concutit:acerba vero illa vipera humi cadit: & erat ei manus illæsa, adeo vt nō appareret an fuisset omnino percussus. Sed non eo vsque constitit vehemens eius contentio & studium in ædificandis ædibus oratorijs,sed etiam opem tulit iis,qui ædificabant, & post ædificationem conseruabat omnino suis precibus illæsas ædes quas ædificauerat, habens perpetuo oculos ad Dominum, qui est eorum qui ipsum timent vires & firmamentum, euellens quidem, eloquco pedes eorum,nō tradens autem in manus eorum qui affligunt, neque dedecore afficiens eas qui sustinebant quomodo licet videre in eo quod est nobis propositum ad narrandum. Ipsum enim eduxit in tantam latitudinē ab afflictione, & ita leuauit grauitate corporis, vt quodam tempore suæ orationis,in sancto templo mentem suam omnino intendēs ad sublimiorem contemplationem,sublimis cerneretur & elatus,& ne terram quidem omnino tangens, tanquam qui ad supernam vocaretur conuersationem quam ille desiderabat.

12 *Ecce orationem cum eleuatione manuum ad Deum & illius exauditionem.*

Quidam enim Eustratius nomine, qui eandem vitam quam beatus exercebat,magno in eum erat zelo affectus & incitabatur ad eius imitationem: & maximi faciebat videre ea quæ fiebant à sancto. Eum ergo aliquando secutus cum esset preces consuetas Domino redditurus,cum se vt potuit abscondisset ne ab illo videretur & ibi permansisset toto tempore precationis,stupuit quidem ꝙ adeo ardēter & vehementer esset intentus orationi:stupuit autem etiam ꝙ res diuina in eum ostenderetur: & ꝙ non solum spiritu sed etiam corpore sublimis ab ei cerneretur & assurgens à rebus terrestribus.Hoc ergo cum cognouisset ille beatus, tantum abfuit vt eum propterea laudauerit, vt eum etiam curiosū aliquid fecisse sit suspicatus & grauiter increpauerit,dicens Non habitabit iuxta te malignus. Ita studebat seorsum inuocare Dominum. Quænam autem fuerunt deinceps præclare ab eo gesta, & ad quæ nam transit oratio.

Mulier quædam cum eam in orbem multi circundedissent & inuasissent Dæmones & eam ad turpia irritarent desideria, cum nesciret quanam ratione vitaret periculum,confugit ad Ioannicium qui erat promptus ac paratus ad eam defendendam: & ei enuntiat Dęmonum insidias: & eo vtitur adiutore contra aduersarios. Ille autem precatus est Dominum ne mulier amplius vexaretur à Dæmonibus;bellum vero in se con-

uerteretur: & illa liberaretur ab animi perturbatione. Confidebat enim se posse eorum sustinere impetum, cum haberet manus doctas ad bellũ, & ad arcum æneum cõposita brachia. Ille ergo statim quidem 13 precibus tanquã telis Dæmones confixit, cum nec primum quidem eius impetum sustinuissent. Mulier autem fuit liberata ab animi perturbatione: & domum reuersa, Deo vniuersorum & eius seruo Ioannicio acceptam ascribebat salutem.

13 *Precibus tanquam telis statim Dæmones confixit.*

Quid ergo qui omnia audent improbi & malitiosi Dæmones? Non satis duxerunt se fuisse semel affectos ignominia: nec eis suffecit semel fuisse victos: sed missis insidiis quæ structæ fuerant in fœminam, sanctum aggrediuntur: & quæ aduersus illam fabricãtur, ea per turpes cogitationes ei contra inferre conabantur. Quibus cum is ab initio dominari non seruire didicisset, vt qui esset vndique munitus armatura iuuenilium certaminum, eos rursus vincit, & eorum machinas ad nihilum redigit. Non hic autem solum neque propter ea quæ prius diximus, decertat aduersus malignum genus Dęmonum: sed etiam puerum qui aliquando ab iis intempesta nocte in montibus nemorosis & in uiis deducebatur & trahebatur, & iamiam erat ab eis è præcipitio deturbandus, apparens Sanctus, erat enim si vel solum eis apparuisset terribilis, liberauit ab insidiis, & deduxit in viam rectam.

Cum ergo sic perageret exercitationẽ, & inimicos qui intelligẽtia apprehẽduntur facillime prosterneret, erat in ore omnium, alio quidem narrante eius quæ in exercitatione versabatur vitam laboriosam: alio autem simplicitatem & in sermonibus soliditatem & magnam vtilitatem: in exercitatione vero grauitatem & constantiam: aliis autem enuntiantibus eam quam in Dæmones habebat potestatem. Ille enim & verbis multa efficiebat: & valebat præcibus. Cum ergo hæc se sic haberent & tam multa de eo dicerentur, multos habebat illuc accedentes & interrumpentes exercitationem. Deus enim eum posuerat ad acquisitionem salutis, vt magnus dicit Apostolus, vt qui in ipso viueret, vigilaret, & dormiret. Quamobrẽ aliquando quidem liberabat accolas à nocumento serpentum & ferarum, eas interimens & de medio tollens, partim quidem virga sua, partim autem signo crucis, aliquando vero à Dæmonum insidiis & tyrannide liberabat eos qui in eos incidebant, vt qui à Deo accepisset concurrentem cum voluntate potentiam. Cum ergo didicisset ꝙ quæ est in solitudinibus molestia, parum aut nihil differt ab vrbium tumultibus, diligenter conuenienter Domino bonum persequens, rursus migrat in montem Thricalicis, ardentius & fortius adhuc seipsum recreans: & ipse seipso quodammodo effectus magis strenuus ad certamina spiritalia.

Nemo autem hæc audiens de magno inter exercitatores, inaniter cogitet, ꝙ non est verisimile eum vbique adeo refulsisse, qui animo præceperat in sanctas imagines impietatem, & eas aliquo tempore noluerat honorare. Si quis hoc admiratus fuerit tanquam incredibile & contra opinionem, is quoque prodigiosa existimauerit quę facta sunt à piscatoribus orbis terræ, & prę cęteris à Paulo qui prius fuit persecutor ecclesiæ. Ad gratiam autem videbitur etiam dictum esse à Domino illud, Qui credit in „ me, opera quæ ego facio ille quoque faciet. Vbi autem pones illud quo-

que. Si habetis fidem ſicut granum Sinapis, dicetis huic monti. Tranſi, „
& tranſibit? Si hæc ergo ſunt euidens & certa veritas: ea etiam quę ſunt „
omnino facta ab hoc vero admirabili, ſunt aliena à mendacio. Sed enim redeamus vnde digreſsi ſumus.

Cum fuiſſet in hoc monte Trichalicis, non extendit tabernaculum, non fixit tugurium, ſed ſub dio & ſine domo vitam agere conſtituit, vt qui magnifico tecto vteretur cœlo. Sed ne ſic quidem viuens latuit, ſed Euſtratius quidam ex monaſterio Agaurorum, eius amore captus, cum non poſſet manere in regione. eum enim cogebat amor ille diuinus, & ꝙ valde eum iflammaret ſtudium ſanctarum imaginum, cum ad eum acceſsiſſet, & nihil amplius expectaſſet quam conſuetam precationem, ſtatim eſt ſciſcitatus an diu duraturum eſſet imperiũ Leonis. Ille autem videns eum magna animi affectiõe commotum, ꝙ pro diuinis imaginibus maximum caperet dolorem (in eas enim erat impius hic Leo vt ſi quis alius) & ideo properaſſe ad interrogationem, non ſubſtitit: neque reſponſionem eſt meditatus, ſed vt qui ſpiritus profunda ſcrutaretur, & haud ita diu abhinc futuram præſignificauit eius euerſionem: & prædixit futura. Nam non multo poſt eo de medio ſublato Michael arripuit imperium, qui non auxit quidem perſecutionem aduerſus Chriſtianos: ſiuit autem eccleſiam eſſe ſub Hæreticis, vt qui neque Iconomachorum hæreſi omnino acceſſerit, ſed in eius zelum effectus ſit mollior, vt etiã multis videretur benignus: neque vllum Orthodoxum dogma prior inceperit, adeo vt contingeret neque ipſum à vitio abſtinere neque ſalutem defendere, ſed malitioſe potius hæreſim quidem ſiuit creſcere: fidem autem Orthodoxam minui & diffluere. Et hoc quidem ita ſe habebat.

Poſtquam autem Leo fuit interfectus, venit rurſus cum quodam alio Euſtratius, diuino huic viro renuntians euentum eorum quæ ipſe prędixerat. Contritum eſt autem ab eis aliquantum temporis in ſermone. Quidã vero Elias nomine qui exercebatur non procul à ſancto, ipſum magnum Ioannicium excepit conuiuio & eos qui venerant ſimul cum Euſtratio. Diuinus autem Ioannicius huius vitæ accuſans vanitatem, & verbis oſtendens quam eſſet inſtabilis & infida, communiter iubebat vt ſe procul remoueret ab vrbibus & vicis. Eliæ autem dicebat hoc magis conuenire quàm aliis. Is vero, De hoc, inquit, O' pater Ioannici eſto bono animo, vt maiorem autem huius rei fidem faceret, dicebat quod in totis annis præcedentibus fuiſſet ſolitarius & ſe remouiſſet ab hominum congreſsione. Vnus itaque & alter dies præterierat ex quo hæc dicta fuerant. Ille vero Monachus Elias ad eum accedens, poſtulabat eius preces, vt propter morbum qui eum inuaſerat iret ad quoddam prædium quod emittebat aquas calidas Cum autem ille quidem nollet, hic vero inſtaret: & poſtremo ad imbecillitatem fratris ſe demittens ſanctus eum emiſiſſet, vix potuit ad aquas calidas accedere. Cum eum autem liquiſſet animus, & ab iis qui illic erant ſublatus, in quadam cella quæ erat ad mõtem fuiſſet locatus, circa mediam noctem exceſſit ex hac vita, prioribus bonis ſuæ exercitationis hanc ſolam habens gratiam, ꝙ in hac extrema cogitatione ductus eſſet pœnitẽtia, ꝙ omnino ceſsiſſet curationi corporis. Sed nobis reuertendum eſt ad magnum Ioannicium.

Hic vir diuinus ſolebat obire cum virga, & ſi ſermone potius quàm

virga opus haberet aduersus suum gregem. Cum is ergo aliquando transiret per loca quædam transitu difficilia, accidisset autem vt ea illi è manu excideret, angebatur animo quod virga periisset, nec eius inueniendæ vllam inueniebat rationem. Deinde cum in ea quærenda despondisset animum,
14 flexis 14 genibus consuetas preces reddebat Dño. Illa autem rursus venit per aerem: & in sancti manum fuit imposita, & ille quidem statim per quoddam arbustum antrum subiit, vt quod sibi quoddam gratum arripuisset habitaculum. Id autem erat breue admodum & habitabatur à Dæmonibus, qui postquam viderunt sanctum virtute quadam quæ sub aspectum non cadebat roboratum, &, vt dicit Paulus, in die malo, thorace iustitiæ & fidei clypeo gloriantem, fuerunt ita omnino accensi, & ab ipso aliquid passi, hi quoque par pari referunt. Cum vero obscuris omnibus insultibus fuissent propulsati, eo valde munito precibus, tandem missis aduersus animam machinationibus. aperte aggrediebātur irridebant. vociferebantur, pulsabāt, fugiebant, expectantes fore vt ei afferrent terrorem. rugiebant. in faciem inuadebant. mouere videbantur speluncam. Cū autem ille nihil ostendisset quod esset pusilli & abiecti animi: illi vero moto omni rudente suæ calliditatis & malitiæ, postremo omnem spem abieissent aduersus tanti viri virtutem & cōstantiam, miserabiliter victi & in fugam conuersi. Quid nobis & tibi? Venisti ad nos torquendos ante tempus, hi quoque ad ipsum clamabant, quomodo etiam meo Iesu hi qui aduentum illius non sustinebant. Cum autem speluncam vel inuiti reliquissent, non poterant inuenire aliam quam habitarent. Vbique enim adesse sanctum visione apprehendebant, persequentem & fugantem, & eos increpantem tāquam feras aliquas arundinis. Sic sine iniquitate currens dirigebatur: & excitatus ad occurrendum inimicis, inueniebat Deū præuenientem, ipsum quidem circundantem misericordia, malos autem male perdentem. Et à quāta quidem turba & molestia, Dæmonum fuga liberauerit eos qui erant in monte, in quo habitare, vt dicit Psalmographus, ipsi Deo complacuit, illis scribēdum & beneficiū literis mandandū relinquamus. Nos autem conuertamur ad ea quæ deinceps sequuntur.

Flexis genibus consuetas preces reddebat.

Cuidam Senatori ægrotabat vna ex suis filiabus, membraque erant ei soluta cum esset pia & Christianam seruaret religionem. Qui autem sancti sororem duxerat vxorem, aduersus Christi imagines grauiter furebat & in eas inuehebatur.
15 Accedens autem beatus, illam quidem 15 precibus & signo crucis à graui morbo liberauit. hunc vero cum admonens non posset persuadere vt à graui illa abstineret insania, tradidi, disciplinę. & viscerum despecta cognatione, & sui sanguinis oblitus propter veram religionem, precibus eū orbat oculis. Ita zelus pietatis & veri Dei cultus gloriatur etiam contra ipsam naturam. & verum in Deum desideriū est validius necessitate cognationis. Nam illam quidem, etiamsi genere ad eum non attineret, quoniam tamen Christianam obseruabat religionem, à morbo liberauit, hunc autem, etsi sororem duxisset in matrimo-
16 nium, quoniam cum diuinis pugnabat imaginibus, visum 16 priuauit, & æquum censuit vt oculi qui erant manifesti, castigarentur pro iis qui non cernebantur oculis. His par est illud addere.

Precibus & signo crucis mulierem paraliticam sanat.

Nota magnum miraculum in contemptorem sacrarū imaginum ostensum.

Huic magno patri erat studio, si quos ad se audiebat ascendere, è monte descendere & eis obuiam procedere. Cur hoc faciens? Magnā in ascensu

resecans

resecans uexationem eorum qui ad ipsum ascendebant. Est enim asper & accliuis ad montem ascensus, & non facile nec expeditum iter præbens ascendentibus. Aliquando itaque is cui obtigerat Chalcedonis Pontificatus, &, cui. Niceę Petrus, & Theodorus Prefectus insignis gregis studij, cum Ioseph & Clemente ad ipsum ascondebant. Hoc autem cũ cognouisset sanctus, uolens eorum magnam leuare uiæ molestiam, ad eos descendit è monte. Cum vero hominis Dei essent partes & facere & dicere ea quæ essent Deo grata, in sermone quem ad ipsos habuit, censebat humilitatem esse præferendam omnibus virtutibus. Postquam autem ad cibum sumendum iam accessissent. Ne conturberis, inquit fratri Ioseph, sed sis paratus ad exitum. Hoc quidem tunc sic dictum, quidnam sibi uellet dubitabatur ab iis qui audiuerant. Cum autem post decem & octo dies Ioseph è uita excessisset, recte intellexerunt quid sibi uellet quod magnus dixerat. Diuinus ergo hic pater sic se habebat: & tantam gerebat curam fratrum utilitatis, ut omnia ei parua uiderentur & nullus pretij, nisi etiam suam animam poneret pro fratribus, in hoc quoque meum imitãs Dominum, qui cum esset Pastor & non mercenarius, animam ponebat pro ouibus.

Iam agebatur quidem quintus annus imperij Michaelis: quartus decimus autem ex quo Bulgari fecerant expeditionem & decesserat Nicephorus, à quo tempore multi Romanorum cum patria libertate amissa detinebantur captiui manibus Bulgarorum. Venit itaque in mentem illi benignæ & clementi animæ, si quomodo eos posset educere à laboriosa illa & afflicta vita. Interrogans autem accepit carcerem illum in quem illi erant coniecti, esse obscurum & tenebricosum, adeo ut eis usuueniret ægreferre ꝙ non cum patria vitam quoque amisissent, quod quidem eũ magis angebat. Huic ergo proposito omnibus postpositis, relinquit quidem illam gratam & solitam uiuendi rationem: & uia quæ intercedit confecta, non curauit custodes qui eos circunsidebant, sed non uisus ad eos accedens, statim pro oĩbus copiis usus est figura 17 crucis: & ea perfractis uinculis & claustris portarum, tãquam ab inferis & vmbra mortis, quomodo meus Iesus reuocat eos qui illic sedebant: & potat non aquis sed sermonibus salutaribus uiuificæ doctrinæ, admonens ne essent sicut patres eorum generatio peruersa & exasperãs. Sed deinceps spem in Deo ponerent: & non obliuiscerẽtur eius remunerationum, præterea autem filiis quoque nota facerent illius mirabilia. Deinde cum in luce sicut Moses tota nocte eos traduxisset, usque ad nostros fines eos transmisit & conseruauit. Cum autem vim afferrent & urgerent ij qui seruati fuerant, & quis es ò homo Dei, sepe rogarent, non celauit quidem nomen: dixit autem se hanc gratiam soli Deo ascribere.

17 *Figura crucis Ioannicius frangit uincula & claustra portarum carceris, & mirabiliter inde captiuos Romanos liberat.*

Cum hoc nescio an sit conferendum id quod vsuuenit iis qui fugiebant ex Aegypto. Nam illorum quidem inimicos aqua obruit, hi autem consecuti quod optabant consequi, nulli fuerunt causa calamitatis, sed & hi domum redeunt: & sanctum rursus excepit grata illa quies & silentium in monte Thricalicis. Illo autem tempore Inger ille non secus ac uernis floribus, florebat laboribus exercitationis. Hinc factum est ut crearetur Antistes Nicenæ ecclesiæ. Cæterum is non habebat fructum rectæ fidei. Huius decessum cum præsciuisset Pater, quodam Monacho ex Eliæ al-

taribus, is erat Basilius, ad ipsum emisso, mēdacio & vmbra dimissa iussit eum tandem adhærere veritati. etiamsi stultissimus ille Inger, in improba Iconomachorum hæresi commori statuerit miserabiliter.

Sed cum ad hunc locum peruenit oratio, illud mihi venit in mentem. Nauigauit aliquando sanctus adoraturus, S. Theophanis tabernaculum quod est in Sigriana. Illinc reuertens & lacum præternauigans qui est ad borealem partem Apolloniadis, appulit Thaso. Qui in illa autem vitam susceperant monasticam, & omnes accolæ grauiter vexabantur à serpentum qui in ea erant multitudine. Iis enim repleta erat insula, non paruum afferens damnum habitatoribus. Cum ergo sanctus in ea esset, veniunt ad eum omnes qui habitabant insulam: & supplices ei procidunt: postulantq; & rogant vt eis opē ferat, vt eos, quod eius fieri poterit, liberet à nocumento serpentum. Et ille quidem miseretur eorum calamitatis: & veluti quædam tela quæ torquentur in serpentes, emittit preces, 18 illi autem protinus proserpunt è suis cauernis, & relicta insula se in maris profundum proiiciunt. Atq; noster quidem Iesus in aquis contriuit capita Draconum. Illius autem discipulus & quo ad eius fieri poterat imitator, per illas ipsas eos suffocauit.

18 *Precibus liberat insulam à serpentibus.*

Ab hoc tempore profectus est ad alium locum quietis ac silentij simul autem cum eo profectus quoque est Daniel qui præerat Monachis qui erant in Thaso. Ei vero erat frater Monachus, cui erat nomen Euthymius. cui etiam dicitur pater prædixisse non multo post futurū decessum, sic dicens. Frater Euthymi, sis paratus. mox enim ad supernam proficisceris peregrinationem. Et sic quidem dixit Euthymio. Ipse autem cum voluisset ingredi antrum quoddam breuissimum, & quod vix sufficiebat ad habitandum, incidit in Dæmonem qui erat prioribus longe sceleratior. Ab illo enim spelunca appellabatur Toparcha. Qui cum non ferret habitare cum Ioannicio, niger & terribilis accessit ad Danielem, vt eum quidem terreret: ille autem accepto quoq; Ioannicio recederet. Sed ij vt qui sibi confiderent, erant interriti: & illius fugam potius expectabant Cum ergo vidisset malignus eos adeo fortes & constantes, Danielis quidē pedibus circūuolutus, admirabilis autem Ioannicij lateri plaga imposita, ei quidem tantum dolorem attulit vt esset mutus totos septem dies: ille vero statim euanuit. Sed sanctum quidem rursus accipit mons Trichalicis.

Si quid autem postquam, illinc abierat molesti aliquid acciderat iis q erant in monte, id rursus totum de medio ablatum est eius aduentu Et nunc quidem 19 eruca quæ nocumentum afferebat oleribus, precibus & signo crucis fugabatur à circuitu. nunc autem iis qui illuc accedebant mors præsignificabatur. Et illi quidem rebus suis prouidebant, & se parabant ad excessum. Malignus autem & hostis humani generis, lupus erat, vt dicitur, frustra hians. Ita etiam cuidam viro Isacio qui fœminæ inseruiebat Monachæ, quoniam prædictum fuerat à sancto, fore vt mox ad eum veniret vitæ finis, & ideo oporteret eum se parare ad decessum: ille autem negligenter viueret & remisse. Deinde etiam rursus ad ipsum Dei hominem ascendisset. Cur, inquit, adhuc mundanis occupatus sollicitudinibus, nullam futuri curam geris. Sed ille quidē partim à Domina coactus: partim autem etiam sua sponte inductus, in possessionum enim

19 *Precibus & signo crucis erucam fugat.*

cura gerenda erat valde vtilis, ad nihil est excitatus eorum quæ oportebat: neque sibi vltimum parauit viaticum. Non multo post autem morbus & necessitas quæ eum inuasit, fecit vt & monasticum indueret habitum: & ei, proh dolor, mortem attulit euestigio. Sed quod attinet quidem ad Isacium, necessitati non voluntati quispiam id acceptum tulerit: huic autem magno patri vere paternam adscripserit affectionem, quod ei mortem predixerit, etiāsi ille nihil mutatus in priori socordia sit mortuus.

Sed enim hinc quoq; nota fiunt omnino ea quæ iustus faciebat vel p transitum. Isacij Domina, cum esset & Monacha sicut à me dictum est & vetula, & præfecta monasterij Clubiorum, ad ipsum aliquando ascendit simul cum filia precationis gratia & benedictionis. Ille autem accepto baculo quem mater manu tenebat, tradidit in manum filiæ. Conturbata ergo mater puellæ dixit. Mihi pater, magis conueniebat baculus, qui corpus meum fulcit ac sustinet magna ex parte propter senectutem. Ille autem nihil ipsi omnino respondens, reipsa significauit futurū. Paulo post enim illa quidem è vita excessit: hæc vero prouecta fuit ad præfecturam monasterij. Abhinc autem hic admirabilis Ioannicius migrauit ad montem asperum & arduum, qui appellabatur mons Corui, utpote q̃ sancto prædictum fuisset ab iis qui in solitudine ei occurrerant Monachis dederant Lebitonarium, eum aliquando venturum ad eum montem Sed quæ nam sunt quæ ab ipso, uel ab eo potius qui in ipso habitabat spiritu, in eo monte facta sunt admirabiliter.

Pascebant quidam in ipso oues: & cum quasdam ex eis amisissent, ad eas quærendas montem obibant in oēm partem. Eos sanctus neque vnquam auditione acceperat: neque uisu cognoscebat. Cum ergo in eos incidisset, & nomine vnumquēque vocabat: & viam quam ipse ignorabat, neque enim omnia omnino scire sancto concedit spiritus sanctus iubebat docere. Et illi quidem viam ostenderunt: ille autem refert gratiam, nempe pecudum inuentionem, & iubet eos ire in solitudinem, & oues illic esse inuenturos: Cum in eam ergo venissent sicut illuc iusserat, offendunt oues errantes, præter omnem eorum expectationem, idq; cum sæpe in eis quęrendis laborassent, etiamsi tunc non potuerāt in eas incidere. Quo circa id acceptum ferebant illius uiri uiæ ignorationi, q̃ digni essent habiti qui eum conuenirent & cum eo colloquerentur. Neque enim qui in eum incidebant ipsum uidebant nisi ille uoluisset, & ut sequenti Eustratio esset exēplar humilitatis si non uideretur ab iis q incidebant, ad ipsum conuersus, dicebat. Pręcibus tuis ò frater Eustrati, ne ab iis quidē sum conspectus.

Cum autem ascendisset in montes Antidij monasterij, qui quotidie in rebus diuinis extollebatur: & cellam ædificasset angustissimā & breuissimam, prioribus maiores suscipiebat labores uirtutis: & dignus habebatur maiori contemplatione. Corporis quidem certe afflictionem existimabat esse alimentum animæ. Hinc factum est vt multis rarofuerit manifestus, quomodo etiā habuit multos eius vitæ amatores, Satis enim erat si vel solum uideretur, ad acre quidem desiderium eorum qui videbant animis instillandum, & immittendum zelum æmulationis, & ad virtutem excitādum eum qui esset vel hebetissimus. Porro autem cum unius ex iis qui tūnc erant magistri coniux, erat uero is, ut opinor. Stephanus, ancillarum improbitate & curiosis ac maleficis artibus esset emote mē-

tis, ſeipſam tradit medicis. Multæ quidem manus medicorum medicamenta innumerabilia: plura artis adiumenta. Poſtquam autem cognouit ſe inutiliter laborare. ſtatuit quidem aliis vale dicere, ad magnũ uero confugit Ioannicium. Ille autem precatione quidem dat mulieri ſanitatem. hanc autem ab ea petit mercedem, vt ea in Dei portus ingrederetur in confeſsione & hymnis, & iis qui offenderant peccatum remitteret.

Hic omni ex parte bonus, vt ad alium tranſeam, cuidam nomine Stephano, viro quidem exercenti virtutem & iuſto in omnibus viis ſuis, qui quæ erant in anima ei multo ante dedicarat, cum poſt longum tempus veniſſet ad eum viſitandum. Eſto, inquit, O frater, paratus ad exitum. Is autem cum conieciſſet quidnam ſibi vellet quod dictum fuerat, quoniam quod ad eum quidem attinebat iam erat paratus, vt qui ſuper fundamentum virtutis quod præceſſerat diligentius ſuperædificauerat, paulopoſt prompto & alacri animo hinc exceſsit, poſt exceſſum innumerabilibus reſplendens miraculis. Ita etiam Thomæ, qui eum ſequebatur & eius labores ad virtutẽ & humilitate ſuperabat alios, ſignificauit ꝙ ex improuiſo eſſet in morbum caſurus, & ꝙ morbum mors quoque eſſet conſecutura. Hac ergo prædictione is ſimul & animo magis fuit excitatus ad exercitationem: & ſubit finem vitę. Ita etiam cum eum qui pręerat monaſterio Agaurorum cognouiſſet ſe adiunxiſſe Hæreticis, iam autem à præfectura exceſſerat Euſtratius, vt qui viam declinaret impiorum, cum poſt vnam & alteram admonitionem vidiſſet eum non deſiſtere ab hæreſi, Quoniam, inquit, te ſæpe ad fidem ortodoxam deducens ò Antoni, ita enim vocabatur, inuenite reuocatu difficilem, hoc tibi dico poſtremũ. Si non amplius peccare perrexeris, ſequens eos qui ſunt diuerſæ opinionis: ſed eam etiam quæ à Domino tibi afferenda eſt diſciplinam grato animo ſuſtinueris, nõ minima merces tibi reponetur, Hæc dixit iuſtus: & ſtatim altera pars corporis Antonio flacceſcens fuit quaſi morte affecta. Quadraginta itaque totos dies cum magno animo eam tuliſſet diſciplinam, & nec minimum quidem verbum contemptus ex ore emiſiſſet, & nec Hæretici deinceps eſſet aſſenſus, è vita exceſsit, maligni effugiens artes & machinationes, & parua caſtigatione aduerſus eum referens victoriam, & victor fuit renuntiatus & corona redimitus. Sic ille Dei extendit benignitatem & clementiam: tam certo ſpopondit veniam ĳs quibus erat quidam paruus fomes pœnitentiæ, eo autem quod venientem corporis mortem præſignificabat, aperte efficiebat ne homines morte animæ morerentur.

Sed ad alia me vocat oratio: & ad ea accedo. Conſtantinus quidam creatus Conſul, ſolebat quidem venire ad hunc virum admirabilem. Is autem illi rurſus hoc viciſsim reddebat, ꝙ eius orationibus conſeruabatur ab ira alienus, neque propter aliquid quod accidebat facile mouebatur aut excandeſcebat. Is erat aliquando aſcenſurus ad magnum Ioannicium. Cum autem accidiſſet vt miniſtro acriter iraſceretur, eum ira abripit, & manu repẽte famulum percutit. Deinde cum ad ſe rediiſſet Conſtantinus, valde cruciabatur animo ꝙ ab ira fuiſſet ſuperatus, & ad magnum hunc patrem accedens, rem ei renunciat. Ille vero ſeriam & conuenientem ei infert increpationem. Conſul verò tanquam filius qui à patre mandatum acceperat, ab illo tempore ſi quando ſenſiſſet ſe longius efferri

ferri quam conueniabat, apud se dicebat. Cessa ab ira, & vnice animum. Statimq́ꝫ verbum res ipsa sequebatur. Nam & sensim ab ira desiit, & rursus ad se rediit. Atque quod à sancto quidem factum est in Constantinum fuit huiusmodi. Quod autem in filium eius iam dicam.

Ascendit is quoque aliquando ad hunc Dei seruum, cum pater id ei iussisset. Lingua autem ei lababat & balbutiebat. Cum ergo cum sancto sermones contulisset, intelligens ille ꝙ in dicendo titubaret, iussit ei linguam porrigere. Hoc autem factum fuit sicut iussit. Ille vero implorato auxilio eius qui potest facere vt aperte & distincte loquatur, simul quidem effecit vt adolescenti esset linguæ instrumētum promptum & expeditum: & effecit eius animam ad Dei exequenda præcepta viuidiorem, & ei immisit bonorum æmulationem.

Sed eum quidē ꝙ talibus esset dignus, talibus est remuneratus, in aliorum autem cum venisset conspectum, ab eis tamen nō cernebatur. Aedificabatur enim in monte Baptistę & præcursori quoddam templum, cuius vitam hic æmulabatur. Forma autem ædificij, à magno Ioannicio fuerat descripta iis qui ædificabant. Cum ergo sancto visum esset aliquādo venire ad contemplandum ædificium: vt videret an opus procederet vt constituerat: cum ad eum locum venisset, accedunt etiam ad eum quidam alij, vt virum admirabilem simul & viderent, & aliquo eius sermone fruerentur. Cum ergo illuc venisset Ioannicius qui iuuenili erat exercitatione, & illi etiam venissent, ille quidem stabat iuxta ipsos, considerans quomodo procederet ædificium. Illi vero videntes eum tamen non videbant. Deinde ille quidem cum vidisset ædificium, rursus conuersus est ad speluncam. Illi autem in loco assidebant expectantes quando esset venturus. Quidam ergo ex iis qui erant cum ipso Monachis, is autem erat Ioannes, cum rem cognouisset, existimat hoc eis visum esse molestum: & sancto dicit. Non oportet eos qui propter te tantum iter confecerunt, reuerti tua non conspecta virtute. Scis rem esse molestam & quę cor ipsum tangit medium. Sanctus vero laudauit quidem illorum institutum, & pro eis est pręcatus. Conuersus autem ad Monachum. Quomodo à nobis, inquit, fieri possit quod Deo non videtur? Nam ego quidem stabam sine vllo tegumento in medio oculorum illorum. Illi autem, si Deo id ita visum esset, me omnino vidissent, etiamsi me abscondissem. Postquam hæc à sancto audiuit Monachus, eis significat. Illi vero reuertuntur nihil ęgreferentes. Et hoc quidem est eiusmodi. Sed illud quidem quomodo non est narrandum.

Theodorus quidam qui modo vitam susceperat, monasticam, cupiebat de rebus Sancti discere ab iis qui ad ipsum ventitabant: & quænam esset eius vitæ ratio: & cuiusnammodi aspicietur: & quidnam faceret aut diceret: vt si nihil aliud, at de Ioannicij quidem certe rebus posset narrare, & hinc memoriam suis relinqueret posteris cum ij qui hæc ab illo audiuerant, suis rursus narrarent posteris, ꝙ hæc & hæc ab hoc aut illo audiuissent. Cum autem narraret aliquibus quæcunque audiuerat, illi autem dicerent hæc non esse admittenda citra examinationem. Sed horum, dicebant, effectorem si velis videbimus. Ille autem statim fit eis dux itineris, & rursus ascendunt ad sanctum: & eum alloquuntur. Cum vero sermo ab eis produceretur, vsa quæ alicunde è sylua eis apparuit, conturbat

eorum animos. Ille autem iubet eis ipsi panem porrigere: & hortatur vt ab illo magne timore recreentur, recordantes eius qui dedit potestatem conculcandi Leonem & draconem, qui quidem sunt vrso longe terribilio res, & illorum quidē animos, liberat à metu. Vrsum autem iubet reuerti ad sua latibula. Hoc quidem sic factum fuerat, & finito sermone illi recesserunt, nihil aliud habētes in ore nisi magnum Ioannicium. Hinc factum est vt essent, acres ad virtutem: & ad similem zelum incitarentur: & dicerent Monacho Theodoro. Non ex tuis verbis credimus, sed ex iis quæ ipsi audiuimus & vidimus, vt dicit Euangelista. Hæc'ne sufficiunt, an ex rebus sancti vultis alias adiiciamus. Sed quomodo si hæc silentio dederimus, non pulcherrimarum rerum detrimento pios affecerimus.

Cum vellet aliquādo pauperibus oleum suppeditare ad cibum, multi enim pauperes sæpe illuc accedebant, quibus etiam præbebat quidquid habebat. Cum ergo vellet aliquando eis dare oleum, hoc enim tunc habebat, iubet Monacho qui ei inseruiebat, afferre duo vasa, vnum plenum, & alterum inane. Ille autem alioqui quidem existimabat superuacaneum afferre vas inane. Quid enim, apud se dicebat, opus est inani vbi est plenum? tamen cum non posset transgredi patris mandatum, hæc duo ad ipsum attulit, nempe plenum & inane. Cum autem forte fortuna contigisset vt vas plenum esset perforatum, oleum vero effunderetur, erat perplexo animo Monachus. Cum autem id ei venisset in mentem, transmutat oleum ex pleno in inane: & sic indigentibus datum est ad misericordiam. Tunc cognouit Monachus prophetice dictum fuisse à patre, vt simul cum vase pleno afferret alterum inane. Hinc erat ei vultus confusus, ꝙ sciret se aliquantulum dubitasse de mandato patris. Ne illud quidem æquum est prætermittere.

Magnus hic Pater cum toto vitæ tempore se præclare & admirabiliter exercuisset, non solum post vitam, sed etiam cum esset in corpore, fecit multa admirabilia & quæ erant præter opinionem. Non enim Dæmones solum eum formidabant, eius non ferentes præsentiam: sed morbi

20 quoque qui mortem minabantur, eius 20 precibus & signo crucis solue

Precibus etiam & signo crucis lepitheros morbos soluebat.

bantur. Eius quidem certe familiaris & amicus Eustratius graui morbo affligebatur, sanguinem vomens ex intestinis. Ille vero cum id ei prius significasset Eustratius, veniens scitit quidem sanguinem. ipsum autem iussit esse bono animo. Eustratius ergo cum viri aduentu à morbo conualuisset, transit ad Leucadum habitaculum quod solent vocare Metochium, se volens defessum afflictumq́ recreare & aliquod adipisci solatium. Res autem ei contra cessit: & incidit in calamitatem longe priori grauiorem. Vehemēs enim eum adorta febris acriter laniabat, & vocem ei adimebat: donec recordatus præclari inter eos qui se exercebant Ioannicij, ei tanquam præsenti supplex procidit, & rogauit vt à morbo præsenti liberaretur. Interim autem ad dormiendum conuersus, cum visus esset videre magnum Ioannicium adstantem, colloquentem, confirmantem, morbum superauit: & salutem illi acceptam tulit, quem habuit eum lętificantem à iuuentute, & tunc liberauit à calamitate.

Me iampridem volentem oratione prætercurrere, non sinunt quæ sequuntur. Nam sceptra quidem Romanorum tenebat Theophilus. Ille autem congerendo auro totus inhiabat & ab eo superabatur, & alioqui

non ferens esse Christianus, & se impie gerens in diuinas imagines: & quo potestate, ita etiam Iconomachorum dogmate alios superans, talem laqueum abscondit omnibus Christianis. Scribis & exactoribus omnem simul vicum occupat volens facere duo quę sunt pessima. nēpe & auaro suo gratificari animo tributorum exactionibus: & sibi fieri manifestum vnūquemq; qui doctrinam sequebatur Orthodoxam, vt & eos vi caperet, & efficeret vt vel inuiti adiungerentur hęresi Iconomachorum. Cū ergo hic vir diuinus incidisset in quendam exactorem. Quid hęc sibi volunt, inquit, ô frater. Rex te iam accersit factorum tuorum redditurum rationem, & ne sic quidem intelligitis. iam enim imminet & vrget, vt vides, iustitia. & nisi improbam hanc mētem mutaueris, peribis quidem miserabiliter miserrime autem punieris. Atque ille quidem dicebat eum qui est in cœlis: exactor autem putabat suum Regem eum accersere. Lætus itaque iam erat & bona spe præditus, vt qui sciret q; propter tributa diligenter exacta, esset apud Imperatorem magna consecuturus. Eius autem spem irrisit futurum: & ea quæ à sancto dicta fuerant finis est consecutus: & statim nouacula iræ Dei inebriata excindit exactorem, vt immortales illę post mortem pœnæ de eo sumantur.

Reuoluens itaque aliquis ea quæ à Santo prædicta fuerunt, & quàm maxime perscrutans, ea nunquam inuenerit excidisse à veritate. Nam cū aliquando duo simul venissent in domunculam, in qua ille erat, vt magnum conuenirent Ioannicium, Petrus & Plato erant eorum nomina, postquam ille eos satis instruxit ad virtutem, alter rogauit Sanctum vt ad ipsum veniret singulis annis: & eius aspectum dignus esset qui consequeretur, & illo qui fluit instar mellis frueretur sermone. Ille autem, De cætero, inquit etiamsi velles non me videbis amplius. Is ergo apud se dubitabat quidnam obstaret quominus ad sanctum ascenderet: & considerans nihil inueniebat quod ad illum aduentu reputaretur præstantius. Non multo post autem quidam ad eum ascenderunt. Volens ergo ipse quoque cum eis ascendere, quoniam ille quidem pedibus, illi autem equis, iter ingrediebantur, defessus domum rediit. Hinc factum est vt grauiter animo angeretur. q; ei accidisset vt frustraretur proposito. Cum itaq; nō multo post ad se rediisset, rursus conatus est ad eum ascendere, & rursus fuit prohibitus ab ascensu. Deinde cum sæpe alias alia incidente difficultate se repulsum esse cognouisset, & recordatus esset eorum quæ à sancto ei dicta fuerant, mansit apud se, rem adscribens Ioannicio diuina quadam prouidentia, ad vtilitatem omnia dispensante.

Aliquando rursus qui omni ex parte bonus erat Ioannicius cum esset in otio, & se totum dedisset orationi, dixit se videre quēdam Petrum qui tollebatur in cœlos, & circundatum gloria quadam & luce ineffabili. Illi autem Petro fuerat commissa pręfectura cuiusdam monasterij. Illo vero tempore quo vir admirabilis dignatus fuit hac contemplatione, contigit vt is à corpore disiunctus, spiritu ad cœlos ascenderet, & ex hac vita migraret. Nihilominus autem admiranda quoque est eius loquendi libertas apud Imperatores. Neque enim solum lætabatur probris pro Christo affectus aut patiens persecutionem: sed cupiebat etiam pati maiora, recte sciens q; per ea maiora cōsequeretur. Hinc discipulorum Christi loquendi libertatem, & pro Magistro acceptas plagas ducebat esse beatas, perse-

ctum gaudium illud nominans cuius ij fuerunt participes.

Duos itaque viros illustres, & quos sciebat esse præditos maiore dicendi facultate quàm alios ad ipsum misisset Imperator, rogauit an oporteret Christi honorare figuram. Cum is autem ad hoc diuine & non cum mundana respondisset persuasione & sapientia, tantum abfuit vt qui missi fuerant ab Imperatore aliquid adducerent contra ea quæ ab ipso dicta fuerant, vt relictis iis quæ prius tenebant, recte & vt eis exposuerat pietatem & veram didicerint religionem. Cum ad sanctum autem rursum venisset Eustratius Præfectus monasterij Agaurorum, quoniam res Dei & ecclesiarum erant tunc mundanis perturbatæ fluctibus. Quousque, dixit, res ecclesiarum non reddentur ecclesiis? Quousque augebuntur res persecutorum, & immanes eas lacerabunt bestiæ? Ille vero Parum, inquit, sustine O frater, & intelliges Dei potentiam, erit enim quidam Methodius qui tenebit eius clauum: & eam diuino spiritu gubernabit, qui tollet quidem diuisionem & dissectionem diuinitatis: decretis autem fidem constituet Orthodoxam, & ad summam pacem & concordiam rediget seditionem: & eos qui restituerunt dextra altissimi subiunget.

Breue tempus intercessit: & Theophilus quidem ex hac vita excedit: Michael vero & Theodora imperium suscipiunt. Methodius autem vir re vera sacrosanctus & homo Dei in sacris collocatur sedibus, & vt semel dicam, cum omnia ab eo fuissent traducta ad fidem orthodoxam, & sopitus esset omnis fluctus & sedata tempestas, & res essent quietæ, quædam alia seditio excitatur à piis, & res ecclesiæ rursus erant diuisæ: & redactæ erant in duas opiniones. Nam alij quidem volebant habere in ministerio eos qui dignitatem sacerdotij acceperant ab Iconomachis, vtpote quod hoc nihil pietati efficeret. Illi autem profanis sancta tradere manibus, putabant omnino esse impium, & minime Deo gratum, nec admittendum. Et qui Deo quidem vere viuebat Methodius, ægreferebat, angebatur, corde lacerabatur, putabat magnum Paulum resonare in auribus, propemodum hæc loquentem. Vtinam sine à Christo anathema pro fratribus meis secundum carnem, si modo steteritis nobiscum, & communiter trinitatem glorificauerimus. Et ille quidem sic se habebat, Illi autem parati erant omnia pati potius, quam dimittere ea quæ visa fuerant adeo vt hinc in partes rursus scinderetur cœtus ecclesiæ: & alij quidem se cum his: alij vero cum illis se coniungerent. Dei itaque amicus Ioannicius incidens in res adeo turbatas, partim quidem per se, partim vero per litteras, veluti fistula reuocabat diuulsam partem gregis, & ei qui est solus Deus, qui est solus bonus pastor & non mercenarius, conciliabat. Maxime autem Archiepiscopi Methodij iam labantem recreabat animum, multa quidem etiam alia scribens: ante omnia autem iis qui homousion absurde & alieno modo scindunt, nouasque & absurdas opinantur diuisiones, eisne aurem 21 quidem omnino adhibere suadebat: non sal, non tectum cum his habere commune: non eos alloqui: sed quam maxime declinare eorum congressionem, Admonebat enim ne posse quidem eum sancte reputari sacrificum, qui cum qui sacrificatur contemnit & vilipendit. Scribebat autem Methodio vt illos potius haberet circa diuinum sacrificium, quos nosset cum eo sentire in dogmate Orthodoxiæ. In fine vero epistolæ, valere eum circa sanam rationem optauit magnus Ioannicius.

21 Vides nullo pacto communicãdum esse cum hæreticis, uides quõo omnes sancti uiri eos semper auersati sunt, & uerbis & scriptis eis restiterunt.

Cum

Cum hæ venissent literę, diuinus quidem Methodius momoriæ mandauit ea quæ scripta fuerant. improbi autem homines eam rem irridebãt & habebant ludibrio, & male ab ipsis bonus audiebat Ioannicius. Ille vero cum cognouisset ꝙ ipsi eum calumniarentur, ita stans vt omnes eũ possent exaudire, de Deo & rebus diuinis differens, ita eos vi cepit & in suam redegit potestatem, vt non solum abstinuerint à sua in eum insania: sed etiam eorum mentes ad id quod est melius cõuerterit: & iis dimissis quæ prius eis visa fuerant, orthodoxæ fidei dogma didicerint vt ipse exponebat. Sic frequentissimus ille populus victus fuit ab vnius huius virtute. & totæ ciuitates dependebant ab vna illius sententia, iis quæ longo tempore meditata fuerant breui depositis. Es quidem sic curæ fuit communis vtilitas: & sic fratres est complexus.

Cum autem oratoriarum ædium quas ædificauerat fieret 22 dedicatio, multa ab illo eo tempore facta sunt miracula, etiamsi non adesset. Phalanx enim Dęmonum repente apparens super tumulum veluti corporata, eos qui illic aderant redegit ad dubitationem. Cum ergo spiritu qui in eo habitabat rem cognouisset magnus Ioannicius, & vtilissimo vsus esset medicamento precationis, eorum quidem metum abstulit: Dęmonum autem multitudinem vertit in fugam: & fecit eos liquescere tanquam ceram à facie ignis. Quicunque vero aliquibus grauibus afflicti morbis, ad veneranda illa templa confugerunt, eos iis quæ ipsos vexabãt liberatos, fecit domum abire sanos. Quid ergo non est hic viri illius admirandum. An ꝙ eum etiam non præsentem fugerent Dæmones? An ꝙ eos qui à malo aliquo premebantur, liberauit à dolore. Nam vel solã eius precationem aduersas timuisse phalanges, est indicium fiduciæ ad Deum. à malis autem liberare eos qui illuc accedebant, est & feruoris & commiserationis, Sed hoc quidem est eiusmodi. illud autem qui suam silentio præterierit?

22 Cum oratoriarum ædium quas ædificauerat fieret dedicatio.

Ad eum aliquando ascenderunt ij quibus fuerat commissa præfectura templorum quæ ipse extruxerat. Cum autem sanctum conuenissent, & eum fixis oculis aspexisset quidam ex eis, ei venit in mentem cogitare, Si hic diuinus pater Ioannicius summe subiit labores exercitationis, & se multorum dierum afflixit ieiuniis: cur non carnis vicit multitudinem: sed est adhuc similis iis qui sunt bonæ habitudinis corporis, & seipsos in tibiis pinguefaciunt? Cum autem is hæc mente versaret, dixit hic vir admirabilis. O' Macar, erat enim hoc ei nomen. Cur cogitationes ascẽdunt in cor tuum? Non sunt mihi tibiæ plenæ carnibus, sed vides quemadmodum tumescant cum sint inanes & flatuosæ, quod quidem solet facere malus cibus stomacho susceptus. Illum autem statim subiit pœnitentia: & multum reprehendit vanam suæ mentis cogitationem: & petiit veniam eius quod ei in mentem venerat.

Sub id autem tempus Ismaelitæ prælio confligunt cum Romanis, & multi quidem Romani interficiuntur: multi vero bello capti abducũtur captiui. Horum vnus qui erat adolescẽs, erat magni Ioannicij cognatus. Itaqꝫ qui genere ad eum attinebant, sancti inuocabant auxilium, vt adolescentem liberaret à captiuitate. Is autem etiam priusquam vocaretur cito venit, & cum circa mediam noctem fuisset in carcere, & apparuisset vni ex iis qui cum illo detinebãtur. Surge, inquit, & alterum excita, & is

eum qui est post illum. Hoc autem facto vt iusserat, eis quidem protinus sunt soluta vincula cum catenis, vt nec omnino quidem viderentur fuisse vincti. portæ vero sua sponte sunt apertę: & sunt egressi ij ad quos prius ne licuit quidem ingredi. Cum autem iam in suam rediissent regionem, in via incidunt in quosdam canes, feroces quidem & immites iis qui prę-teribant, vel ipso autem aspectu terribiles. Et illi quidem nesciebant quid agerent: magnus autem tunc quoq; accedens Ioannicius, densa caligine offusa canum oculis, illęsos & nullo modo affectos eos trāsmittit, & suis eos restituit. Illi vero toto tempore vitæ suæ in ore habebant gratiarum actionem: nec vllum tempus eis obliuionem induxit beneficij.

Cum autem oporteret etiam aduersus extrinsecus illatas à maligno tentationes, illius egregij viri in multis ostendi fortitudinē, ita dispensante prouidentia, & tradente iustos in manus eorum qui ipsos affligunt. non vt eos tentet sed vt reddat illustriores, Epiphanium quendam Monachū malignus subiens, qui & virtute videbatur insignis, & in illo monte se exercebat, mouet aduersus sanctum. Cur hoc machinans. Ambos volens auellere à laboribus virtutis, vt illi ne daretur quidem otium, propterea ꝙ ei pararentur insidiæ. Sed Epiphanij quidem animæ immittit inuidiā. Ioannicio autem ne potuit quidem omnino interrumpere intensam exercitationem. Et ille quidem comatum & frondosum illum montem exussit, vt simul cum sylua flamma sanctum quoq; depasceret. Ille autem cum spiritus quæ in eo erat gratia id præsciuisset, transiit ad alium: & malus fuit deprehensus Epiphanius, & seipso deterior. Quid ergo admirabilis ad hoc Ioannicius? Non fuit excitatus ad vindictam, non ei maledixit qui parabat insidias, sed vt mitis eius qui est mitis discipulus, & amice eum adiit, & humiliter est allocutus: & rogauit vt diceret causam cur ei vellet esse inimicus. Ille autem plaustris probrorum, vt dicitur, & contumeliarum eum est insectatus, & tandem egregius ille Epiphanius virga quam habebat in manu, quæ in extremo ferrum habebat acutum, in medio ventre percutit sanctum. etiamsi illæsus permanserit vir misericors: & ad reconciliationem hortatus sit Epiphanium. Sed ille perniciosо illo animo nihil mutato, permansit in eadem maleuolentia. Hoc autem sancto prędictum fuerat ab illis Monachis, qui eis ab initio dederant illam tunicam pilis contextam. Tentatio enim, dixerunt illi, ad te veniet in fine, sed ipsa quoq; erit irrita.

Cum autem sanctus iam ad profundam processisset senectutem: & illis admirabilibus laboribus exercitationis euasisset infirmus, in monasterio Antidij extructa cellula illic se includit. Si quando autem eum vocaret tempus vt illinc egrederetur, transibat per viam publicam, ne ab illis quidem visus magna ex parte, à quibus ne volebat quidem omnino aspici. Quinto vero anno imperij Michaelis, qui Ecclesiam regebat Methodius, cum magni Ioannicij ad Dominum excessum præsciuisset iam appropinquare, ad eum venit: & vltimas preces ab eo petiit. Ille autem cum maximi fecisset conuenire Methodium: & in longum tempus cum eo produxisset sermonem: & deinde sacro cœtui & recens electo gregi ea quæ ad pietatem opus erant suasisset, dicens vt immobiliter & stabiliter permanerent in fide orthodoxa, neque euerterentur à profanis vocibus Hæreticorum: & inter se conseruarent concordiam: neque blasphemam

& maledicam linguam mouerent in Pontificem, subiunxit quod nec multum tempus post suum decessum viueret Methodius. Qua quidem in re non fuit falsus. Tertio enim die postquam hæc dixisset, erat vero tertius Nouemb. D. Ioannicius spiritu quidem migrat ad eum quem diligit, deductus à choris Angelorum. corpus autem deponitur in loculo. Methodius aūt qui clarissime refulsit inter Patriarchas, ipse quoque octauo mense post illius decessum excessit ex hac vita, quartodecimo Iunij.

Quænam autem sunt ea quæ facta sunt in morte & post mortem admirabilis 23 huius Ioannicij? Dissolutorum membrorum confirmationes, homines liberati à malignis spiritibus, si solū ad capsam illius accessissent. Quidni enim erat Ioannicius iis rebus vel post mortem glorificādus, cuius decessum columna ignis significauit iis qui erant in monte Olympo: quem præcesserunt angeli paradisi portas ei aperiētes, & transmittentes ad eam quæ est illic beatitudinem, pure appariturum ante faciem Domini. & simul versaturum cum Angelicis ordinibus, à quibus beata trinitas laudatur & glorificatur, Nunc & in nunquam desitura secula seculorum. Amen.

23 *Miracula quæ post sanctorum mortē ad illorum loculos fiunt, testimonium præbēt sanctitati illorum & uirtuti.*

VITA ET MARTYRIVM
sanctorum Galactionis & Epistemes.

PHOENICIAE quæ est ad montem Libanum, multæ, quidem sunt aliæ quoque ciuitates tam ad austrum quā ad septentrionem, eius autem est ea quoque quæ est aliarum ominium præstantissima & ad partes sita boreales, Emesa. quæ quidem tulit & aluit virum nomine Clitophontem, genere insignem, diuitiis nulli ciuium inferiorem: intelligentia aliis longe acutiorem. Ei coniuncta erat vxor nomine Leucippe, alioqui quidem bonis moribus, & tali marito conueniens, & ne pulcherrimis quidem cedens forma corporis: vno autē hoc solo erat infelix, quod esset sterilis. Quo de causa cum multis probris à marito appeteretur, magna opprimebatur animi ęgritudine: & curis vexabatur: & nihil non moliebatur cupiens solui ab his vinculis. Nouemb. 5.

Cum ambo ergo hoc sibi probro ducerēt & dedecori quod nō essent parentes filiorum, neque vllum essent habituri hęredem suarum facultatum, per quem genus rursus eis conseruaretur, quoniam acciderat vt illo tempore valde inualesceret cultus simulachrorum: & cuidam Secundo ciuitatis Emesæ rectio committeretur, gentili quidem religione, animo autem plane barbaro, cui nihil aliud erat curæ nisi omnes euertere Christianos, & pietatem pro viribus excindere radicitus: quoniam, inquam, res piorum in tanto versabantur periculo, vnusquisque fuga sibi salutem comparabat: Vnus vero nomine Honofrius, habitu Monachus, moribus bonus & religiosus omnino quidem recedere, & in tali tempore ac tempestate relinquere periclitantes animas imbecilliorum, statuit non esse viri pij & eius qui se ascripsit choro eorum qui sunt eiusmodi. Verum enimuero cū libere eloqui pietatem, & in pericula seipsum coniicere, iudicasset non esse alienum à reprehensione, neque consentaneum legibus veræ religionis, te-

nebat medium: & alba veste contegens monasticam, erat animo vere monachus: & ea exercebat quæ ei vitæ cōueniebant, & ita callide eludebat impietatem. Itaque propter pietatem paupertatem simulans, erat mendicus voluntarius, & domos obiens ob vsum rerum necessariarum, ipse dabat potius panem qui potest confirmare animos, eos in quos inciderat instruens sermonibus pietatis: & adhortans fugere pro viribus ab iis qui se procul à vita remouent, & separant à creatore.

Cum ergo aliquando accessisset ad ędes Clitophontis, petebat alimētum, manus extendens, & voces emittens quæ possent inducere animum ad misericordiam. Accidit autem vt tunc esset Leucippe conturbata & plena tristitia, vtpote ꝙ maritus ei exprobrasse sterilitatem. Cum ergo Honofrio qui videbatur molestus iussisset occludi fores: ille autem vt qui nihilo magis sciret quid vellet: & ꝙ accessisset potius daturus quam accepturus, propterea instabat petens, donec propter hanc laudabilem impudentiam fuit accersitus & benigne acceptus. Motis ergo verbis & sermone producto, de se quidem narrauit Leucippe ꝙ manca esset ei matrix: & ꝙ nullus Deus esset inuentus vsque in hodiernum diem, qui eam posset relaxare ab ĳs vinculis, & liberare à dedecore filiorū egestatis. Sed merito, inquit Honofrius, non es consecuta, quod petebas, quę tales voluisti adiutores habere sterilitatis. Nam qui ipsi exercuerūt opera plena probro & dedecore, quomodo possent ipsi alios à dedecore liberare? Sed si nunc audiens, & verum Deum velis agnoscere qui cūcta potest, videbis ad te solam redeuntem vtilitatem. Quinetiam tuum genus poteris afficere beneficio, tanquam quandam hæreditatem ad eos transmittens verā religionem. Leucippe his adhibebat animum: & se tanquam bonam terram præbebat verborum illius seminibus.

Hic autem vir diuinus primum quidem excelsæ trinitatis diuinam introduxit ei cognitionem. Deinde eam est adhortatus ad studium virtutum. Deinde eam docuit sanctificationem quæ efficitur ex salutari baptismate: per quod erit expurgatio priorum inquinamentorum. Ostendit autem habitum quoque monasticum quo erat quidem indutus, sed eum tegebat, declinans insultum malignorum venatorum, & quod accessisset propter eius salutem, simulans, petere eleemosynam. Illa vero ad hæc respondit. Timeo, inquit, ne inciderim in duo contraria. Vnum quidem ꝙ iis qui hanc habent fidem & appellantur Christiani magnæ quidem intenduntur minæ ab eo qui nunc rerum potitur: grauiora autem sunt quæ eas consequuntur supplicia. Alterum vero ꝙ si ego transeam ad pietatem, & recedam à decretis maiorum, si qui mecum cohabitat, non subierit eandem mutationem, sed deinceps sequatur eam quam nunc tenet religionem, quomodo in vno & eodem consenserimus, qui debemus esse vnum cum simus maxima parte diuisi? Hanc mihi solue dubitationem: & me liberabis ab aliarum rerum solicitudine.

Ille autem cum & multa alia dixisset, & adiecisset. Tuus quoque maritus mox conuertetur ad eandem religionem, ei adeo paruit vt ancillis quoque statim iusserit, vt facerent quod ipse diceret. Cum vnum ergo ex doliis quæ alicubi illic erant in orto, ita iubente Honofrio illæ aqua implessent, catechismo prius instituta Leucippe, aliis quoque ab eo factis

1 Ecce quō in collatio- quæ fiunt de 1 more Christianis, diuinum baptismum consequitur. Paulopost

Lopost autem illinc quidem recessit Honofrius, ei diligenter præcipiens, vt fidem seruaret & Christi præcepta. Leucippe autem fingens se ægrotare, erat, separata fugiens mariti consuetudinem. Neque enim volebat cũ iam esset purificata spiritu, & diuinum accepisset lauachrum, id polluere incestis mariti congressionibus. Cum autem dies aliquot præteriissent, agnouit se in vtero concepisse, quod etiam paulopost euadit manifestũ Clitophonti. Ille autem ignorans veritatem Nunc mihi, inquit, videris O' vxor placuisse Diis immortalibus: & propterea digna es iudicata cuius curam gererent. Illa vero cum se parum retinuisset, Ne mihi, inquit, Deos nomines o' Marite, nolo enim, sed Deum vnum qui est vniuersi Dominus & effector, qui tui & nostri curam gerit, qui non solum potest soluere sterilitatem, sed etiam facile est illi facere quęcunque vult. Ille autem & quis est hic, inquit, aliorum fortissimus: & qui nos tã benigne intuetur? Leucippe autem. Mihi inquit is in somnis apparuit ò suauissime, formam quidem habens humanam, manus autem extensas in cruce, qui etiam mihi vteri statim soluit vincula, & ad hanc conceptionem excitauit admirabiliter. Cur ergo non nos quoque eũ potius attendemus & colemus, & omnia nostra ab eius benignitate pẽdere oportere statuemus.

ne sacri baptismatis semper ea obseruata sunt, quæ fiunt de more Christianis.

Dixit autem Clitophon cum parum siluisset, vt daret menti tempus deliberandi. Scio, inquis, quem dicis. nempe is est qui colitur a Galilæis: & re vera habet magnas vires & inexpugnabiles. Sed quis foret eius qui rerum potitur sæuitiam? Leucippe autem iubenter quod dictum fuerat arripiens, Interim quidem, inquit, ò caput mihi venerandum, occultus erit noster in eum cultus. Sic enim effugerimus impiorum malitiam. Licebit vero aliquãdo eius virtute nobis opem ferente, etiam in die honeste ambulare, & lucis opera facere manifeste. Hæc dicens postquam habuit maritum, ad omnia parentem (oportebat enim & Christi apparere benignitatem, & qđ ei de marito prædixerat Honofrius minime excidere) deinceps nihil amplius reticendo, sed libere & aperte omnia de Monacho exposuit. quos is scilicet eam baptizauerit. & ꝙ hoc est quod eius matricis soluit nodos difficiles. Deinde etiam adiecit nihil esse impedimento quominus ipse quoq; diuinum baptismum consequatur. Etenim mihi inter cætera hoc quoq; prædixit vir ille diuinus, fore vt te quoq; ò charissime, mox haberem meæ fidei socium. Hæc & illa dixit: & quæ dicta sunt paulopost deducta sunt ad effectum. & ipse quoq; diuinum baptismum est consecutus: & didicit arcana pietatis, cũ diuinus & admirabilis Honofrius ad hæc rursus inseruiisset.

Cum autem iam venisset tempus pariendi Leucippes, & filium peperisset masculum, accersitus rursus Honofrius consueta vtilitas, bonum a Deo missum. & quod genitum fuerat, rursus per ipsum fuit regeneratũ beato baptismate: & ab ipso accepit appellationem. & fuit nominatus Galaction. fuitq; appellatio certa futurorum prędictio. Is enim editus fuit mundus ex mundis, & ex generosis germen vere generosum. Procedente autem tempore paulatim Galaction additamento ætatis adiecit etiam intelligentiam: atque adeo habebat ingenium supra ætatem. Traditus vero ludis litterariis & in perfectioribus exercitus disciplinis, præclara sua indole vel ipsos magistros relinquebat à tergo. Cum ageret autem vicesimum & quartum annum, curæ erat patri ei con-

uenientem vitæ coniungere sociam, cum mater Leucippe iam è vita excesſiſſet.

Erat autem tunc quædam virgo pulchritudine & morum honeſtate antecellens omnibus. Ei erat nomen Epiſtemæ, quæ nobilitatis & gloriæ famam habebat primam inter mulieres. Eam deſpondit Galaction, nunc quidem ad ſpeciem matrimonij: poſtea autem ad vnionem animæ. Cum vero vitæ cum ea ſocietatem egreferret Galaction: & aperte oſtenderet ſe eius congreſſus & complexus non admittere, propter religionis diſsimilitudinem, & quòd ea non eſſet particeps diuini baptiſmatis, à neceſſariis ſæpe exigebantur [rationes], qui eam rem ægreferebant & grauiter expendebant. Cum autem ſolus aliquando apud ſolam fuiſſet Epiſtemen, ab ea rogatus quænam eſſet cauſa odij, dixit Galaction ſe non poſſe aliter ferre vitæ cum ea ſocietatē, niſi eam viderit ſecum conuenire in religione. Dicebat.n. aperte eſſe impium mūdum coniungi cum immundo. Si ergo ò vxor, eſt tibi grata noſtra tecum vitæ ſocietas, crede mihi optima conſulenti. Et quoniam in præſentia eſt inopia ſacerdotum, qui cōſtituti ſunt ad hoc vt ad baptiſmum inſeruiant: fieri autem non poteſt vt aliter ſit quiſpiam & nominetur mundus], nos hoc donum prout tempus concedit ipſi vtcunque peragemus.

Cum autem vidiſſet eam ad hoc morem gerentem, iubet vnum ex tubis orti impleri aqua. & ita omnibus inſcientibus baptizat Epiſtemū. Ipſa autem cum poſt baptiſma octo dies præteriiſſent, nouam quandam & inſolitam videt in ſomnis viſionem. Videbatur enim verſari in quibuſdam ædibus regiis, pulchritudine quæ verbis explicari non poteſt inſignibus. in quibus tres vtrinque chori ſtabant circa parietes. Quorū vnus quidem habebat viros viſu honeſtos & veſte nigra indutos. Secundus autem mulieres quæ ſe habebant ſimiliter. Tertius vero erat virginum, in quibus iucunda quædam florebat alacritas, & liberalis gratia in vultu arridebat. Mulieres autem illæ nigra veſte indutæ, videbantur etiam habere quaſdam pennas: & ignem emittere, à quo quidquid incidebat videbatur comburi. Cum autem id quod viſum fuerat audiuiſſet Galaction, dicebat id hanc habere poteſtatem. Dixit enim hos tres choros eſſe eorū qui ſe à mundo ſeparant & ab iis quæ ſunt mundi, & ſeruant virginitatē, & elegerunt vitam agere Chriſto conuenienter. Eorum autem qui erant nigra veſte induti, ipſos dixit eſſe ſimiles Angelis. illorum enim pennæ & ignis, ſimul celeritatem & vires exprimunt inexpugnabiles.

Epiſtemę autem his auditis ſtatim oſtendit generoſum animum & rerum honeſtatum amatorem: & capta deſiderio magnitudinis eorum quę viſa fuerant. Num vero, inquit, ò marite, ſi à nobis inuicem diſceſſerimus & ad Deum acceſſerimus, poterimus eam quoque quæ eſt inter nos conſeruare affectionem? Da mihi huius rei firmam & certam cautionem: nec ego vnquam recuſabo quominus ſim tibi ſocia huius propoſiti. Cum autem ſibi inuicem ſancte dediſſent fidem nūquam eſſe à ſe inuicem animis diſiungendos, Galaction cum Deum precibus de more eſſet allocutus, ſuggeſsit Epiſtemæ ea quæ erant futura ei conducibilia, dicens. Tu quidē abi: & indigentibus quas habes facultates diſtribue liberaliter credens te non eas conſumere, ſed theſaurum potius in locum tutum reponere. Ego autem huius rei me tibi proponam exemplar. & primus rerum mearum

faciam distributionem, non auara & parca manu, sed munifice & abunde eas exhauriens. Venies autem tertio die, & prout vtrisque visum fuerit dispensabimus.

Cum ergo ea quæ habebant distribuissent & inter se conuenissent. Eutolmio omnium quos habebant famulorum beneuolentissimo sequi iusso, egressi sunt vitam suscepturi solitariam. Cum autem confecissent iter decem dierum, veniunt ad montem qui ab incolis quidem appellabatur Publius, & autem prope montem Sina. Quo in loco cum in decem Monachos incidissent qui vitam exercebãt monasticam, eis narrarunt suum scopum & institutum: & rogarunt vt adscriberentur in eorum numerum. quod quidem fit non multis post diebus. Et 2 Galaction quidem refertur in ordinem horum virorum. Epistemæ autem mittitur ab ipso ad quoddam procul remotum monasteriũ, in quo quatuor exercebantur virgines.

2 *Vides quod matrimonio per copulam non consummato licet utrique coniugum religionem ingredi?*

Cum hanc ergo vitæ agendæ rationem elegisset Galaction, quam nõ viam quidem iniit quę posset docere moderationem? Quem autem sensum non erudit, limites & modos imponens omnibus & cogens eos parere rationi? Ita autem ei curæ fuerunt 3 ieiunia, vt duos annos semel in hebdomada pane solo vesceretur eoq́ modico, & quantum satis esset ad viuendum. Cum media vero se etiam exercebat in vigiliis & in perpetuo studio orationis. Pudicitiæ autem tantam curam gessit vt nec venire quidem in conspectum mulieris vnquam induxerit in animũ ex quo fuit ad vitam adscriptus monasticam. Huius autem rei est apertum indicium, quòd cum duo Monachi matrem haberent quæ non solum curam gerebat virtutis, sed iam erat prouectæ ætatis & cõsenuerat in vita monastica: & rogarent vt eam videret & maternarum esset precum particeps, non sustinuit.

3 *Ecce sancti exercitia Ieiunia, Vigiliæ, Orationes, Pudicitia.*

Cum sic ergo se haberet & ad omnem virtutem recta via incederet, non visum est hoc maligno tolerandum. sed eum subiens qui tunc administrabat imperium, eum irritauit aduersus omnes Christianos: & effecit vt aduersus eos apertam moueret persecutionem. Eos enim inuasit, partim quidem per se, partim autẽ per similiter affectos vicarios, grauissime puniens. Ad eum autem accedentes qui tempori seruiebant, dixerunt eos qui montem Sinam habitabant, Deos quidem habere cõtemptui: vnum autem solum Deum colere eumq́ crucifixum: & ei omnem offerre adorationem. Statim ergo ille tanquam stimulo, percussus oratione, iussit cohorti militum ire ad montem, & vinctos ad se ducere eos qui ipsum inhabitant Christianos. Quo autem tempore qui missi fuerant, in locum venerant & viros diuinos erant comprehensuri, Epistemæ in dicto monasterio se exercens vt Monacha, circa mediam noctem videt somnium. Videbatur enim simul cum Galactione venire in quoddam palatium. fuisse autem eorum capita coronis à Rege redemita. Mane vero Oeconomo monasterij ea quæ viderat communicans, aperte didicit quorsum tenderet somnium. Is enim dixit palatium quidem esse regnum cœlorũ; Regem autem ipsum esse qui vere & solus & naturaliter regnat. coronas autem hoc significare, eos mox esse processores ad certamina, & aduersariis futuros plane superiores.

Cum ergo milites vt iussi fuerant accessissent, & alij omnes se in fu-

gam coniecissent, inueniunt duos solos Monachos, quorum vnus erat Galaction. Cum ergo ille quoque ab eis ductus esset, & hoc resciuisset Epistemę, & sedisset in loco sublimi montis ex quo ipsa videns non poterat videri, illa cernebat oculis quæ ne potuisset quidē auribus accipere. vinctum abduci Galactionem & qui esse grauia passurus pro certo putabatur. Se ergo humi prosternēs, vehementer rogabat ancillam vt fineret eam properare ad Galactionem, & si liceret, eadem subire vincula. Si autem vitam quoque illum oporteret relinquere, ipsam quoque eandem mortem esse subituram. Inter vtrunque enim iampridem conuenisse, ne vnquam disiungerentur ab eadem mente & affectione. Graue ergo & indignum esse dicebat, si tempore vocante ea videretur esse oblita pactorum conuentorum. Ministra autem verbis quidem primum conabatur eam abducere ab incepto. Cum autem non persuaderet, sinit eam facere quod vellet.

Illa ergo cum eas quæ cum ipsa erant postremo esset allocuta, institit vestigiis Galactionis. Cum autem prope esset, Domine mi, clamabat, & Dux meæ salutis, ne me quæ tua sum recuses: nec obliuiscaris eorum quæ inter nos conuenerunt. Quæ cum audiuissent acres ministri impietatis, è media via sunt reuersi, & comprehensam iisdem circundant vinculis, cum nihil aliud dixissent, sed valde lætati essent ad ipsam interrogationem. Galaction vero ne sic quidem affectus, à diuinis abstinebat admonitionibus. sed & ingrediens & circundatus vinculis, ea dabat quæ par erat monita. Ne te, dicens, O' vxor, fraude circūueniant inimici, aut grauia ad terrorem intentantes, aut iis quæ sunt mundi incitantes ad impietatem. Interim autem dum hæc dicerentur, venit quidam festinanter, & vultu magnum tumultum significans, in crastinum diem esse reseruatam sanctorum examinationem, cum ita sit visum Præsidi. Mane ergo Iudex iubet eos adduci in locum in quem mos est adduci reos iudicandos.

Cum ij autem magno studio producti essent, Præses statim non de fortuna, non de ea quæ ipsos tulit patria non de aliquo alio ex iis quę cōsueuerūt: neque accessit ad verba quę possunt persuadere: sed torue & minaciter intuens Galactionem. Quis hic est tristis & cogitabundus, nimia ira dixit incitatus: & cuinam alij diuinum cultum tribuēs, Deo negligit? Galaction autem nihil formidans, neque de solita quidquam mutans cōstantia. Vita quidem, inquit, sum Monachus: à Christo autem habeo ꝙ vocor Christianus. cui etiam vt qui recte sentiam tribuo cultum. Cum vero sanctus eum multis probris insectaretur, & Deos eius ludificaretur, & æque amentes vocaret eos qui colunt hæc inanima, pone vinctum manibus iussit execrandus eum verberari immisericorditer. Cum is autē flagris cæderetur, aspiciens Epistemę & mirandum in modum ægreferēs. ò, inquit, insatiabilē animum ad puniendum. cur tales plagas intentastis membris tam iuuenilibus & consumptis multis laboribus exercitationis? Quomodo autem manus ministrorum tot illatis plagis non obtorpuit? His Præses ad iram magis accensus. Hanc impudentem & temerariam, inquit, fœminam ad lineam vsque tunicam nudate vestibus, & flagris valde cædite, vt caute discat loqui, & non se tam arroganter gerat aduersus superiores.

Hoc autem cum factum esset magna celeritate, & in longum iam esset

productum

productum supplicium, aduersus omnia quidem quæ inferebantur molesta & aspera. Martyr mirandum in modum decertabat: minime vero intermittebat vociferari aduersus Iudicem, & ei exprobrare rei turpitudinem, ꝙ naturam quam oporteret quidem manere non venientem in conspectum hominum, nõ solummodo sustinuit aperire: sed multis etiam videntibus iussit cruciare. Propterea te, inquit, manent illic supplicia. Cęterum hic quoque nondiu ab hinc vos iustum Dei puniet supplicium. Dixit, & euestigio secuta est iustitia, & visu orbati conspecti sunt qui erant circa Præsidem. Hoc autem, sanctæ quidem gloriam, iis vero qui puniebant, conciliauit salutem. Oculorum enim cæcitas, depulit animæ nubem: & eos illuminauit luce Dei cognitionis. Propterea confessi sunt se Christo credere: & rursus cum luce animę acceperunt etiam lucem oculorum corporis, viri non duo aut tres, sed quinquaginta tres numero.

Sed licet hæc facta fuerint, Præses adhuc mente cæcutiens, vtpote ꝙ vitium esset ei alte impressum, iubet in extremo acui arundines & infigi sanctorum vnguibus. Quod cum celerrime factum esset, sancti in doloribus maiorem ostendebant fortitudinem, ei propter quem hæc sustinebant magnas agentes gratias, & falsos Deos afficientes contumeliis. Iudex autem rursus iubet eos priuari manibus simul & pedibus & præterea lingua. propriam quodammodo voluptatem capiens sanguinora anima in hominum qui sunt eiusdem generis suppliciis. Cum autem hæc cito facta essent, Martyribus nihilo secius eodem medose habentibus, qui erat quidem sæuus in iudicando, crudelissimus autem in puniendo, fert vltimam in Martyres sententiam. iubens eos mortem subire gladio. Atque ij quidem hinc excesserunt, sacris eorum capitibus amputatis quinto Nouembris. Pretiosa autem eorum corpora cum in quodam vase pretioso imposuisset is quem diximus Eutolmius, qui sequi iussus fuerat à Martyre, effecit vt etiam ab aliis 4 haberentur in honore. Ad gloriam Patris filij & spiritus sancti, vnius Dei in trinitate. Quē decet omnis honor maiestas & magnificentia, nũc & semper & in secula seculorum. Amen.

4 Vides quõ pretiosa sanctorum corpora habeantur in honore.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI

Pauli Confessoris Archiepiscopi Constantinopolitani.

Nouemb. 6.

QVANDO Constantius Constantini magni tertius filius tenebat sceptra Romani imperij, Arriani persecutionem mouerunt aduersus pios. vt qui adhæc à Constantio plurimum haberent adiumēti. & Athanasium quidem exterminatum accepit Occidens. diuinus autem Alexander Antistes Byzantij cum vitę fini appropinquasset, nullum quidem suæ ecclesiæ constituit successorem: sed cum duos præcipuos elegisset ex aliis, populo hanc dedit optionem. vt si velint quidem Doctorem & virtutibus resplendentem habere Pontificem, Paulum eligerent quem ipse 1 ordinauit Presbyterum. Sinautem habitu solum grauem, & vestitu extrinsecus honestum, Macedoniũ, qui fuerat iam olim ordinatus Diaconus & iam vergebat ad senectutē. Hæc cum eis dixisset, transit ad sedes meliores. cum fuisset quidem Pontifex viginti tres annos, vixisset autem nonaginta octo.

1 Ecce quõ presbyteri & Diaconi semper ordinantur ab Episcopis.

Circa electionem autem eorum qui dicti fuerant extitit cōtentio. Nam Arriani quidem magis aspiciebant ad Macedonium. Ortodoxi vero eligebant Paulum. Vincit tamen suffragium Orthodoxorum. & eligitur Paulus Byzantij Episcopus, in ecclesia quæ appellatur Sanctæ Irenes, quam tempus à noua separans, concedit vt vetus nominetur. Constantius autem cum haud ita multo post Constantinopolim rediisset ex Antiochia, iratus fuit electo, quod non ex eius sententia processisset electio, & congregato Arrianorum conciliabulo, condemnauit quidem Paulum vt quiesceret: Eusebium vero qui tertio mutabat sedem, ex Nicomedię Episcopo creat vrbis regiæ Episcopum. Sed cum ille quidem impie hæc fecisset, reuertitur rursus Antiochiam. Eusebius autem omnem mouebat lapidem vt ex sacro symbolo tolleret homousion, id est consubstantiale.

2 Celebratur dedicatio 2 ecclesiæ Antiochenæ, quam Cōstantinus quidem magnus excitauit à fundamentis: Constantius autem studium adhibuit vt consecraretur. & dedicationis prætextu congregantur Episcopi numero nonaginta. Maximus vero Antistes Hierosolymorum, vir pius non aderat. neque Romæ Iulius, nec per se, nec per aliquem ex subiectis. Congregatur ergo synodus præsente etiam Constantio. Eusebiani autem student ante alia vt deponatur Athanasius. Primam vero in eum intentant accusationem, ꝙ fecerit præter regulam. regulam dicentes quam tunc ipsi ediderant. Reuersus enim, aiebant, ab exilio, non communi sententia, sed ipse sibi tradidit episcopatum. Secundam autem, ꝙ cum in eius aduentu exorta esset seditio, multi sint mortui. Tertiam, ea quæ facta sunt Tyri, Ex quibus condemnato pietatis Athleta, eius loco cōstituunt Gregorium qui eadem quæ ipsi sentiebat. Et cum hæc ausi essent, audent etiā fidem transformare. nihil quidem aperte reprehendentes eorum quæ facta sunt Niceæ: sed improbo & malitioso consilio semina prius iacientes ad destruendum homousion. Et quæ Antochiæ quidem habita fuit synodus, cum hæc & huiusmodi alia ausa esset & quosdam fecisset canones, fuit soluta.

Vides quā antiquus sit usus dedicationis Ecclesiarum.

Eusebius autem fungitur legatione apud Iulium Romanum Episcopum, machinans vt confirmaretur lata in Athanasium sententia. Sed nihil effecit eorum quæ sperabat. Paulus vero Pontifex cum Romam venisset & alij non pauci Episcopi: quinetiam ipse quoque Athanasius qui fuerant expulsi comparatis ab Eusebio insidiis, simul Romæ degebant. Sanctus autem Iulius cum intellexisset esse calumniam quæ facta fuerant aduersus Pontifices, eos litteris munitos mittit ad Orientem, suam vnicuique reddens sedem, & eos simul reprehendens qui ipsos deposuerant.

3 Atque suas quidem ecclesias ij rursus 3 accipiunt, & mittunt litteras ad eos ad quos scriptæ fuerant. Cum Eusebius itaque interiisset, Paulus in suam sedem restituitur. Qui autem partes Arrij sequebantur, in ea quæ nunc ad Paulum dicitur ecclesia, eligunt Macedonium. qui blaspeme quidem filium dicebat esse patri similem, circunscribens homousium: sanctissimum autem spiritum à diuinitate omnino alienum.

Tu qui impudenter negas Rom. Pont. potestatem habuisse super orientales Eccle. Vide num hi iniuste depositi Epi, eius auctoritate sedes suas recipiant.

Cum Athanasius autem suam recepisset ecclesiam: qui confidebant rursus Antiochiæ, etenim rursus conuenerant conantes vicissim criminari Iulium Romanum Episcopum, protinus impium Gregorium quem ipsi præter leges elegerant, mittunt Alexandriam. Et eum quidem reducebat

Prætor Alexandriæ,secum ducens septem millia militum. Quod cum resciuisset Athanasius,Romam iterum nauigauit. Populus autem Alexandrinus non ferens rem tam nefariam, ecclesiam quæ vocabatur Dionysij non recte id faciens,exussit. Cum vero resciuisset Constantius qui agebat Antiochiæ,Paulum præconem veritatis in suam sedem esse restitutum,iubet Hermogeni Duci exercitus qui mittebatur in partes Thraciæ, exturbare eum ex ecclesia. Et ille quidem cum venisset Constantinopolim,studebat facere vt ei fuerat imperatum. Populus autem non est hoc passus sed & domum eius incendunt: & ipsum extractum interimunt. Quod quidem cum audiisset Constantius, ægerrime tulit quod factum fuerat. & cum ipse venisset in ciuitatem, sanctum quidem Paulũ ex ea expellit: & ciuitatem multat frumento, ablato ei dimidio domi, quod illius pater, benignus scilicet & clemens Constantinus,ei donauerat. Erat autem summa donationis,octoginta millia panum quotidianorum. Irascebatur autem etiam Macedonio, non solum quod præter eius sententiam fuisset electus. sed etiam propter cædes quas ipse seditionem agitans fuerat causa faciendi.

Eo itaque dimissio 4 venit Romam: & versabatur simul cum Athanasio: Refert ergo quæ passus fuerat Romano Episcopo. & rursus munitus eius litteris & Constantis Imperatoris, statim reuertitur: & suæ sedi restituitur cum magno gaudio exceptus à ciuitate. Constantius autem rursus id factum ægretulit. & rursus ab eo prodit iussus. qui iustum mittebat in exilium. Itaque cum eum accepisset Præfectus Philippus, sanctum quidem mittit in exilium, eius vero loco in ecclesia reponit sancti spiritus hostem Macedonium. Processit autem missio in exilium, non aperte sed ex insidiis. Cædes enim Hermogenis reddidit Philippum cautionem ad malefaciendum. & honorifice quidem vocat Dei Pontificem ad lauacrũ quod appellatur Zenxippus,tanquam propter quędam in commune vtilia & arcana consilia. & illinc mittit in aulam Imperatoris: & per ipsam deinde Thessalonicam, quæ fuit patria eius maioribus. & ei quidem est prohibitũ ascendere ad partes Orientis. non autẽ in propinquas regiones.

4 *Vides hos sanctos patres Romã confugere tanquam ad tutissimum portum omniũ oppressorum Epõrũ.*

Impius autem Macedonius, militari manu ei inseruiente equitans simul cum Præfecto, Dei inuadit ecclesiam,cum se extendisset interitus ad ter mille & quinquaginta. Huius contumeliæ fuerunt etiam participes Marcianus & Martyrius, qui erant Lectores & scribæ diuini Pauli. vt qui ipsi quoque libere prædicarent homousion. Sic ergo Christianorum cædibus,ecclesiæ inimicus collocatur in sedibus ecclesiasticis. Quo quidẽ tempore & Constantius magnam construit ecclesiam quæ denominatur à Dei sapientia: & diuinus Paulus tertio paulopost venit in ecclesiam: & accepto Athanasio socio certaminis, docent Constantem ea quæ passi fuerant, qui erat quidem Imperator occidentis, erat vero frater Constantij. Cum ille autem diligenter didicisset ea quæ nefarie passi fuerant. scribit ad fratrem vt tres Episcopi ad eum veniant ab Oriente, reddituri rationem eorum quæ in Athanasium & Paulum sunt perpetrata: & simul in scriptis allaturi expositionem fidei. Et Romam quidem mittuntur quatuor Episcopi, Narcissus Cilix, & Theodorus Thrax: & Mares Chalcedonensis: & Marcus Syrus. Ii cum Romam venissent, cum Athanasio quidem & Paulo nõ ausi sunt disserere: cum autem eam quæ ab eis An-

tiochiæ exposita fuerat fidẽ celassent, & aliam composuissent, quæ aperte quidem nihil continebat blaspemum, sed non tuebatur homousium, tradunt Imperatori. & cum nihil, amplius nec fecissent nec passi fuissent, redierunt.

Cum triennium autẽ prꝑteriissent rursus congregatur Episcopi Orientales: & aliam fidem componunt: & emittunt ad eos qui sunt in Italia. Huius vero scripti fuere ministri, Eudoxius qui tunc erat Episcopus Germaniciæ & Martyrius, & Macedonius Mopsuestiæ. Erat autem eorum fidei expositio alioqui eadem cum ea quæ prius fuerat exposita: sed alienis quibusdam in fine additionibus extendebatur longius. Pontificum autem qui erat Romꝑ 5 cœtus eã minime admisit. dicentes se contentos esse symbolo fidei, quod Nicena pronuntiauit synodus. Cũ essent autem omnia plena tumultu & contentione, indicitur Oecumenica synodus sententia duorum Imperatorum, vndecimo anno post decessum in primis pij Imperatoris Constantini, eorum patris Conuenerunt ergo Sardicen, ab occidente quidem plusquam trecenti Episcopi. ex oriente autem soli septuaginta sex. Episcopi verò Orientis non admittebant ad colloquium Episcopos occidentis. Causa autem erat, q̃ Paulus & Athanasius Athletæ pietatis cum eis considebant.

5 *Ecce quõ Ro. Ecclesia fidem rectam seruauit, quam Oriẽtales Ecclesiæ corruperant.*

Cum vero nec defensores veræ religionis amouerent Athanasium: nec Hæretici desisterent ab inimicitiis quas gerebant in Athletas, à seinuicem scinduntur. & cum Philippos quæ est Macedoniæ ciuitas venissent Orientales, congregant: & tunc aperte anathemati subiiciunt homousiũ. Qui autem erant Sardicæ, eos absentes condemnant, & deponunt tanq̃ calumniatores: quæ vero Niceæ confirmata fuerat fidem corroborant. & anathemati subiiciunt homousium, idest, essentiæ similitudinem. Quæ cum cognouisset Constans Imperator occidentis, per litteras docet fratrẽ Constantium. & suadet vt sit clemens ac benignus in Paulum & Athanasium: & ne sit eis impedimento quominus suis sedibus restituanť. adiiciens q̃ nisi volens fauerit iis qui iure nituntur, ipse veniet & eo inuito ius reddet iis qui afficiuntur iniuria. Fratris itaq̃ minas extimescans Constantius, sanctum quidam Paulum non prohibuit restitui suo Episcopatui. eius autem certaminis socium Athanasium diuersis ad se accersit litteris: & cum venisset benigne accipit, & suæ sedi restituit. Sic quidem magna perturbatio redacta fuit ad tranquillitatem. & Ecclesia gaudebat se habere defensores pietatis.

Cum autem Magnentius inuasisset tyrannidem, & interemisset Constantem Imperatorẽ occidentis, rursus Arrianæ insaniꝑ procella orbis terrarum conturbabat ecclesias. & rursus quidem fugit Athanasius: eius aũt sedem arripit Gregorius: & relegatur Paulus Cucusum Armeniæ pietatis defensor. Quo in loco per laqueum consummatur martyrio, impiis noctu irruentibus. Constantinopoli autem eius loco introducitur impius Macedonius. & extruduntur pastores ex aliis ecclesiis. eas vero rursus inuadunt lupi. & gentium in Christianos crudelitatem contendit obscurare insania Macedonij. & vniuersus quidem oriens malis affligebatur: præcipue autem Constantinopolis. Quo tempore Angelius quoq̃ Episcopus Nauatianorum, vt qui ipse quoque tueretur homousium, mittitur in exilium. eratq̃ malum quod non potest explicari. non solum procedẽs

vsque

vſque ad Pontifices & Sacerdotes, ſed etiam fœminas & pueros qui Macedonij repellabant communionem occupans. Nam vbera quidem fœminarum, O' inſaniam, partim quidem in arcarum tegumenta iniecta & compreſſa excindebantur: partim autem ferro. & alia in alios excogitabantur grauia ſupplicia. Nam quæ vel à Deo alienos gentiles aduerſus communem naturam excogitare impediebat pudor, ea tunc facere impiis venit in mentem.

Extendit rabiem Macedonius etiam aduerſus regionem Paphlagonū. audiuerat enim multos ex Orthodoxis & Nauatianis in ea verſari. & efficit vt quatuor cohortes armatorum militum aduerſus eos mittātur: & armis coguntur ad impietatem. Qui autem habitabant Mantineum, coacta multitudine, cum zelo pietatis falces & ſecures & quidquid ſe obtulerat pro armis accepiſſent, aduerſus milites prodeunt in aciem. Deinde commiſſo prælio multi quidem interierunt etiam Paphlagonum: ex militibus autē omnes paucis exceptis. Hoc ergo crudele & impudens facinus, non ſolum apud eos qui erant affecti iniuria, ſed etiam apud eos qui videbantur bene velle Macedonio, iuſtum odium excitauit. Nō hoc autem ſolum, ſed etiam ꝙ corpus Conſtantini, imprimis inquam pij Imperatoris, videbatur enim ædes in qua erat ſitum minari ruinam, acceptum ſine eius ſententia tranſtulerat in templum S. Acacij. Et quoniā non placebat omnibus translatio: ſed multis videbatur impium, effodi corpora mortuorum, & maxime Imperatoris qui fuit pietate inſignis, facta eſt magna cædes. & multorum & grauium malorum quæ fecerat Macedonius, paruas quaſdam luit pœnas dignitatis.ſ.depoſitionem.

Vigebant tamen res Arrij per totum imperium Conſtantij, & adhuc magis temporibus impij valentis: donec de illo quidem ſumpſit pœnas diuina iuſtitia. Theodoſium autem Hiſpanum, iuſta ſententia Gratiani qui adminiſtrabat Occidentem, ad ſedem Imperatoriam prouexit Oriētis: & fidei orthodoxæ per ipſum robur acquiſiit. Sed ſic quidem Arrij hæreſis quæ quadraginta annos depopulata fuerat Eccleſias, pietate Theodoſij fuit exterminata: & fides Orthodoxa fuit exornata ſuis iuſtis honoribus. Congregat itaq; idem pius Imperator ſynodum, ſtudens Macedonianos in concordiam redigere cum Orthodoxis & iis qui tuebantur homouſium. Quamobrem vocat eos qui præerant eorum hæreſi. & conuenerunt ex Orthodoxis, ab Alexandria quidem Timotheus. ab Hierosolymis autem Cyrillus. Meletius ab Antiochia. aderatq; Gregorius Theologus. & Aſcholius Theſſalonicenſis: & Gregorius Niſſenus: & multi alij. erant enim centum & quinquaginta cœtus eorum vniuerſus. Hæreticæ autem cateruæ dux erat quidem Eleuſius Cyzicenus. & Marcianus Lampſacenus: & Euethius Epheſinus: & alij qui erant omnes ſimul trigintaſex.

Admonebat autem Imperator & quotquot erant Orthodoxi, eos qui ſequebantur partes Hæreticorum, vt cum eis conſentirent & tuerentur homouſion. in memoriam reuocantes, ꝙ Orthodoxorum communionem ſua ſponte admiſerunt. Hæretici autem iuſtarum reprehenſionum & benignarum admonitionum nullam ducentes rationem, ſuam non dimittebant impietatem. Propterea ergo eiiciuntur è concilio & è ciuitate. Synodus autem eligit Nectarium, qui erat quidem è ſanguine ſenatorio,

tunc autem gerebat magiſtratum Prætoris. erat vero is moribus mitiſſimus. Confirmat autem ipſe quoque ſancta Synodus expoſitionem fidei quam conſtituit concilium Nicenum: & aſſentitur omnibus Imperator. & curat cum magna exportari reuerentia è Cucuſo confeſſoris Pauli ſacras 6 reliquias. & eis procedunt obuiam longe ante Chalcedonem quicunque ex Epiſcopis aderant Nectario: & cum multis hymnis & comitatu magno eas excipiunt. & eas per mediam portantes ciuitatem, in Eccleſia quæ fuit quidem extructa ſub nomine ſanctæ Irenes, antiqua autem ſic vocatur, quam Conſtantinus Imperator ex modica excitauit ad ingentem latitudinem & magnitudinē, cui etiam præſedit, ad breue tempus depoſuerunt. & cū hymnos nocturnos peregiſſent, mane rurſus tota ciuitas, cum pari honore & gloria, in ea quæ ex eius nomine nunc appellatur Eccleſia, omnibus Pontificibus & clero, & ipſo ſimul cum eis aſsiſtente Imperatore, in ſepulchro quod ſanctos excipit deponunt, cum honorantes longis & prolixis hymnodiis. propterea quod magnos labores & grauia certamina fortiter perpeſſus pro pietate, euaſit in cœlis dignus premiis immortalibus. In Christo Ieſu Domino noſtro. Quem decet omnis honor maieſtas & magnificentia, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

6 *Vide celeberrimam ſacrarum Pauli Epi reliquiarum translationem, aſsiſtente Imperatore Theodoſio, Nectario Patriarcha & aliis Epis, atque tota regia ciuitate comitantibus, cū prolixis hymnis, honore & gloria.*

MARTYRIVM SANCTI *& glorioſi Martyris Hieronis, & Sanctorum eius ſociorum qui Melitinæ decertarunt.*

Nouemb. 7.

PRAECLARO Hieroni patria quidem erat ſecunda Cappadocum. vrbs autem Tyana. mater Stratonice, pia fœmina & timens Dominum. Cum autem Diocletianus & Maximianus Romanum adminiſtrarent imperium, viri in cultu Dæmonum ſuperſtitioſiſsimi & in ſimulachra zelum habentes maximum: eſſet vero eis nunciatum quod omnis Armeniorum regio & Cappadocum facit preter improbum eorum decretum, & reſiſtit eorum iuſsis, poſtquam ſatis longo tempore conſultarunt, electis duobus viris qui & ingenio plurimum valebant & lingua erant diſerta & volubili, & artificij multum habebant & aſtutię, eos mittunt ad vtranque gentem. Quorum alterum quidem iuſſerunt præeſſe Armeniæ. is erat Agricolans, alterum autem procurare regionem Cappadocum. ei nomen erat Lyſias. Quibus quidem non ſolum fuerat imperatum, vt eos qui non parebant edicto Imperatoris, & nolebant adorare ſimulachra, punirent: ſed etiam in numeros militum adſcriberent eos qui erant idonei.

Cum veniſſet ergo Lyſias in Cappadociam, & eos quæreret qui erāt robore inſignes, indicatur Hieron, vir manu fortis. animo generoſus, præſtantiſsimus omnium qui erāt ſuo tempore. & ſtatim mittit eum ducturos milites. Cum autem veniſſent ad eius ædes & quem quærebant non inueniſſent (colebat enim ſuum prædiolum) reſciuiſſent vero vbinam eſſet, illuc veniunt. Ille autem cum vidiſſet frequentem multitudinem in eum inuadere, & alioqui ſuſpectum habuiſſet quod fiebat, & nollet vir

ille pius militare cum impiis & sceleratis hominibus, ita vt erat in rustico habitu, eiecto manubrio securis quam manu tenebat, eo vltus est eos qui inuadebant. & vehementi in eos facto impetu, non cessauit percutere donec omnes eos fudisset, fugam valde laudantes vt quæ eis demum posset dare salutem. Deinde secundo inuadunt, simul quidem & quam amiserant victoriam recuperaturi, & rem probro ducentes, si cum sint tam multi, renũcientur fuisse ab vno superati. quinetiam ipsum quoque timentes Præsidem, si is manus eorum omnino effugisset: & multis aliis vocatis ad ferendum auxilium, sanctum simul inuadunt. Is autem antequam illi venissent, prope sitam speluncam cum decem & octo viris qui cum eo erant subiens, statim, vt vulgo dicitur, erat aquilam nubibus, eos qui ipsum inuadebant re infecta relinquens. Statim itaque isti cũ antrum circundedissent, satis multos quidem statuunt ad ostium ne aufugeret: alios autem mittunt ad Præsidem ciuitatis, petentes alios qui darent eis auxilium. Ille autem mittit quidem non paruam manum. Mittit Quiriacum quoque fratrem diuini Hieronis.

Cum autem illi simul adessent, nemo erat qui antrũm auderet omnino ingredi, vt qui Hieronis manus pertimescerent. Quiriacus autem cum videret eos in magnam adductos dubitationem, consuluit vt parum recederent. non vi sed persuasione eum potius capturum pollicitus. Quod cum factum esset, persuadet fratri vt exeat è spelũca. Quem cum assumpsisset, venit ad suam matrem. Illa autem cum rem audiuisset, & ꝙ statim coram Præside condemnandus sistendus erat eius filius, ei circunfusa valde lachrymabatur. eum solam vitæ vocans consolationem, & baculum senectutis, & recreationem acerbæ viduitatis. & ꝙ sola & absque vllo solatio mox relinquetur, orbata oculis. grauata senectute. oppressa viduitate. Ille vero cum ea cum qua par est reuerentia eam amplexus, vbi iussisset valere eos qui congregati fuerant, cum cognato Victore & duobus fratribus, Antonio & Matroniano magno & intenso studio iter ingressus est Melitinẽ, vrgentibus militibus qui missi fuerãt ad ducendũ.

In quodam autem loco cum aduentasset vespera diuersati, expectabant auroram. In ipsa vero nocte quidam candidis vestibus indutus ei apparet, miti & benigna voce dicens. Ecce ò Hieron tibi salutem annuncio. Via autem quam ingrederis est recta ante te. Non pro Rege vero terreno & gloria quæ facillime soluitur decertabis. sed pro cœlesti Rege certamen perages: & mox ad ipsum venies glorificandus. Hæc cum dixisset is qui conspectus fuerat & ineffabilem quandam lætitiam eius animo indidisset, statim recessit. Ille autem surgens lætus, amicis & cognatis qui cum eo aderant. Noui, inquit, Dei in me dispensationis mysterium: & de cętero prompto & alacri animo viam propositam ingredior. Vnus thesaurus. vna possessio. vnæ diuitiæ quæ sunt in cœlis repositę. Quę autem sunt pręsentia, nihil iuuant eos qui possident. Quid enim profuerit homini si totum mundum lucrifecerit, & suæ animæ passus fuerit detrimentum? Nihil est mihi anima pretiosius. nihil melius. Sufficit id quod præteriit meæ vitæ tempus, quod vixi in vanitate. Vado de cætero ad Deum. Vna solum me cruciat sollicitudo, nempe solitudo matris. Illa est enim vidua & defecta iis qui eam sint defensuri: & præter ea orbata luce, & quæ iam venit ad extremam ætatem, & me priuatur qui eram baculus

eius senectutis. Sed quoniam propter Christum propero ad mortem, ea ipsi omnino erit curæ, patri Orphanorum & Iudici viduarum.

Cum sic dixisset pręclarus ille Hieron, & propter parentis recordationem esset illachrymatus, confecit reliquum itineris. Deinde cum venisset Melitinem, includitur in custodia cum aliis qui erant numero triginta & vnus. Quibus dixit Sanctus. Audite meum consilium amici & fratres. Dicam quæ sunt vobis futura conducibilia non in præsentia, sed in futurum. Quo circa ea sunt omnino curæ futura iis qui timent Dominũ. Annuntiatum est edictum q; cras Præses impius est iis qui Dij non sunt oblaturus sacrificium. Si me ergo auditis, despiciamus: hoc edictum & nec simulachra velimus adorare. neque eis omnino offeramus sacrificium. Sacrificemus autem potius sacrificium laudis vero Deo nostro. & ei offeramus preces nostras. vt attendens precationem animarum nostrarum, det vt forti & excelso animo feramus tormenta quæ sunt nobis inferenda: & finem beatum assequamur. Hæc cum dixisset Sanctus. Verba tua, dixerunt ij qui simul aderant, tanquam fauus mellis extiterunt dulci nostro gutturi. Consuluisti enim nobis ea quæ sunt vere vtilia atq; salutaria. Cum ad Tyrannum autem relata fuisset sanctorum constantia: & q; imperatorium quidem edictum execrãtur Christianorum vero fidem vehementer amplectuntur. Hæc ægreferens & ira commotus cum in alto sedisset tribunali, & sanctos curasset sistendos. Quis, inquit, Dæmonum in infinitam vos actos amentiam, induxit vt aduersus tantam insurgeretis potentiam: & effecit vt imperatoria decreta despiceretis: & magnos Deos non adoraretis. Emotę mentis essemus, dixerunt Martyres, & plane Dæmonum ludibrium; si Dei cultum tribueremus lignis & lapidibus quæ sunt opera manus humanę. Nunc autem sapienti vtentes ratiocinatione, adoramus Deum vniuersorum, qui cœlum & terram verbo suo & spiritu oris sui produxit ex nihilo.

Cum autem quidem ex iis qui ascistebant Præsidi, ostendens Hieronem, Hic est, dixisse, qui restitit iis qui à te missi sunt & fecit ea quæ audiuisti. Dux ad ipsum conuersus, Vnde tu es, inquit? Cum autem is dixisset se esse ortum ex secunda Cappadocum prouincia: & dixisset patriam, dicẽs se esse Tyraneum, Dux rursus Tu es, inquit, qui iussis repugnas imperatoriis, & manuum exultas viribus, vt qui male affeceris à nobis missos milites? Egregius vero Hieron nihil omnino reueritus. Sciebat enim ipse quoque dicere cum Dauide. „Odio habentes te Domine odio habui: & propter inimicos tuos tabescebã„, se eum esse confessus est Præses autem non tanquam fortitudinem laudans quod factum fuerat, sed magis vituperans tanquam temeritatem & inobedientiam in eo quod fuerat constitutum, censuit eum puniendum. Nam quoniam, inquit, stultitia te ad tantam impluit temeritatem vt imperatoriam despiciẽs potestatem, & nostri iussus nullam ducas rationem, & ministros nostros clauis contundas, manum quæ seruiit menti ineruditæ, ab ipso cubito iubeo amputari. Dicto ergo citius factum est quod iubebatur. alios autem sanctos iubet vinctos, boum neruis cædi immisericorditer. quod quidem Martyribus magis conciliabat lætitiam quam dolorem. Multas enim horas fortiter tolerantes, Deo agebant gratias, qui pro sancto nomine dignos censuerit qui talia subirẽt supplicia. Quid deinceps est consecutum?

Carcer

Carcer excipit flagella. Verumenimuero scio quod id quod est dicendum, quomodo tunc factum sanctis, ita nunc auditum afferet dolorem vobis auditoribus. Vnus enim ex socij certaminis victor nomine, quem Sancti cognatum prius diximus, & iis quæ iam præcesserant plagis emollitus, & inferendarum terrore perturbatus ac concussus, clam accersito Commentariensi, vt eius misereretur rogabat valde humiliter & immisericorditer, & eximeret nomen suum exactis: & ipsum dimitteret è custodia. accepta pro eo mercede, prædiolo quod erat Coramis. Ille autem lubenter auditis eius præcibus, erat enim ei vicinum id quod promittebatur, dimittit victorem è carcere. qui cum noctu effugisset, inuenit salutem plenam extremo interitu. vt qui miser simul damnum acceperit & agri & animæ. illo quidem tradito ei qui visus est seruare: hac autem tradita Dæmoni. Die autem iam illucescente cum rem cognouisset Hieron, intolerabili dolore est affectus: & acerbis deflebat lachrymis cognati interitum, dicens. Hei mihi ò victor quid à te factum est? Quam grauis tua fuit negotiatio? Quomodo emisti animæ interitum? Quid teipsum tradidisti inimicis? Cur gloriæ coronis prætulisti fugæ dedecus? Cur breui vita vitam æternam commutasti? Cur breuem recreationem præposuisti lætitiæ quæ non potest terminari? Quantam autem tibi molestiã attulissent mala quæ afferuntur ab hominibus, si conferantur cum adeo acerbis doloribus quos es habiturus in manus Dei incidens, & æterno igni gehennæ traditus?

Sic ille deflens cum satis fuisset lamentatus, vocatis suis cognatis Antonio & Matroniano. Adeste, inquit, vltimam meam audite voluntatem: vt reuertentes eam perducatis ad effectum. Volo sorori quidem meę Theotimiæ dari possessionem quam habeo in Pedisia: vt ex ea sibi parans ea quæ sunt ad victum necessaria, ipsa mei martyrij peragat memoriam. Alia autem omnia quæ mihi supersunt dimitto matri, propter ipsam viduitatem quæ cura eget & auxilio: & præterea ad senectutem & cæcitatem. Manum autem meam abscissam ei tradentes, dicite vt scribat ad magnificentissimum Rusticium, qui Ancyræ administrat rem publicam, vt præbeat domum in Badesana. vt manus mea illic deponatur. Cum Sanctus sic fuisset testatus, quatuor post diebus Præses sedens pro tribunali, accersit eum cum aliis sanctis. Postquam autem multis machinis eorum fortitudinem conatus prosternere, partim quidem blanditiis pactim vero minis eos tentasset, postremo autem virgis quoque fortiter cæcidisset, & eos vidisset penitus immobiles nulli rei cedere, iubet eis amputari capita.

Cum autē educerentur sancti extra ciuitatem. psallebant in via Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Deinde cum venissent ad locum definitum, & genua inclinassent, &, Benigne suscipe ò Christe animas nostras, dixissent, eis amputata sunt beata capita. Cũ Christiani autem noctu eorum corpora sustulissent, sepeliũt honorifice. Antonius vero & Matronianus ad Præsidem accedentes, auri per multum dabant vt acciperent caput sancti Hieronis. Ille autem, Nisi mihi, inquit, tantum auri dederitis vt ex æquilibrio capiti respondeat, id vos non accipietis. magni æstimans vir execrandus sed non recta ratione, caput Martyris re vera longe pretiosissimum. Illi autem cum id tanti nõ possent emere,

Ecce Sanctorũ honorificam sepulturã.

erant animo perplexi. Sed hoc quidem vt homines. Deus autem hic quoque inuenit exitum. Vir enim quidam Senatorius, fidelis, & amãs Martyrum, cui nomen erat Chrysaphius, cum aurum pro capite expendisset,
2 id accipit à Præside. & cum templum extruxisset pulcherimmum vbi Sancti finem vitę acceperant, illic hoc sacrum 2 caput honorifice deponit & magnifice.

Sacrum caput honorifice deponit ac magnifice.

Auarus autem Præses, vt qui propter Sancti caput tantum lucrifecisset, quærebat manum ex ea quoque lucrum captans. Sed cum eius volũtatem sensissent boni Antonius & Matronianus, cum intempesta nocte eam sustulissent, fugiunt: & cum in suam venissent ciuitatem, tradunt matri manum charissimi filij, sigillatim omnia de sancto ei narrantes. Illa autem cum martyricam illam manum in manibus accepisset. & lachrymas doloris gaudio cõtemperasset, eam crebro subiiciebat oculis. deosculabatur: & tanquam totum habens eum quem desiderabat, circunfundebatur. amplectebatur. nesciebat quid faceret. partim quidem se gaudio: partim autem tristitiæ dispertiens dicendo ò qualia pro qualibus accepi ò charissime. vt quæ te quidem emisi viuum & saluum. Nunc autem pro toto & viuo solam manum accepi, partem quandam proh dolor & breues reliquias. vt magis defleam & habeam stimulum mœroris, vt quæ per eam deducar ad memoriam Atqui in dolore quidem te peperi infelix: labore autem te alui, sperans te futurum baculum senectutis. ducem imbecillatis. consolationem animi ægritudinis. Sed enim quid mihi accidit, quæ deducta sum ad lachrymas, cum me oporteat lætari & exultare, ꝙ fuerim mater Martyris: ꝙ Deo obtulerim donum mei vteri. ꝙ cum te O' charissime aluerim & erudierim & pietatem exercuerim, non te viderim cõsummatum morte communi & inutili. Vtilitatem enim magnam habet mors Martyris qua tu es consummatus. Sed me cum decesseris ne
3 omnino relinquas. sed tuis 3 intercessionibus apud eũ pro quo effudisti sanguinem, me ab hac laboriosa & calamitosa vita cito liberatam apud te statuas. hac in re mihi reddens mercedem nutritionis. Hæc cum dixisset, deposuit manum in eo loco in quo iusserat Martyr: & quæcunque mandata fuerãt deduxit ad effectum, glorificans Christum verum Deum nostrum Quem decet omnis gloria maiestas & laus cum principio carente eius patre & viuifico spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Ergo Sancti apud Deum pro nobis intercedunt.

VITA ET EXERCITATIO

Sanctæ Matronæ.

Nouemb. 8.

EOS qui sunt in vita temperantes & studiosi virtutis, pro viribus laudare, simul est sanctum & longe vtilissimum. nam & ipsi sunt laude digni. & quę de eis habetur oratio, incitat & inflammat & alios ad amorem aggrediẽdi talia. Cum autem & id quod laudatur fuerit mulier, id scilicet quod est humanæ naturæ maxime imbecillum & ad asperos suscipiendos labores molissimum, quemadmodum non est laus conducibilis viris simul & fœminis, quæ potest vtrosque excitare ad ea quæ sunt pulchra & honesta? Fœmi-

nas quidem, vt cum sint eiusdem generis, eosdem quoque labores suscipiant & easdem remunerationes. Viros autem, ne cum sint viri, cernantur cedere mulieribus & ad labores suscipiendos eis esse ignauiores. Ex iis ergo quæ vitam laudabiliter egerunt & ex virtute, fuit etiam matrona. quæ cum viris quidem virtute contendit: præclaris vero & admirandis factis eos superauit: vt in processu ostendent ea quæ dicentur.

Et quędam regio subiecta imperio Romanorum, sita in confinio. Cilicum & Isaurorum, nomine Pamphylia. quæ propterea ꝙ sit populo frequens, & habeat habitatores ex omnibus ciuitatibus, sic fuit appellata. Vna autem ex iis quæ sunt in ea ciuitatibus vocatur Perge: in qua fuit educata hæc beata Matrona. quæ a parentibus adepta liberalem disciplinam & educationem, cum iam esset nubilis, erat enim insigni pulchritudine, iungitur matrimonio marito non vulgari non plebeio, nomine Domitiano. fitq; mater vnius filiæ, cui statim ex futuris tribuit appellationem, vt quæ eam nominarit Theodotem: Deo autem eā dederit ex ipsis fasciis. Atque vt post nuptias quidem & cohabitationem, moderatione, moderatione exerceret & a fastu ac superbia alienationem, & ornaretur non ornatu qui cōsistit in ficta & fucata pulchritudine sed in interno animæ homine, adhibebat studium: & vt in temperantia vitam egeret & honestate.

Laudabile quidem & alioqui gratum est hæc persequi. Superuacaneū autem visum omnino fuerit, si præteritis maioribus & perfectioribus, voluerimus occupatos tenere auditores in horum recordatione. Quod autem ipsa aliis prætulit, hoc etiam conuenit præponere in narratione. Statuebat enim id quod dicit Apost. a se summe esse seruandum. Ille.n. dicit oportere eos qui habent vxores affici perinde ac si non habeant. Quamobrem cum sua sponte excesisset ab ea quæ illam tulit patria, diuina, inquam, prouidentia quam eius consilium habuit adiuuantem, in eam quæ primam sedem obtinet inter ciuitates, nempe Byzantium, cum marito proficiscitur. quam habebat quidem simul peregrinantem & ne minimum quidem recedentem, non tamen eorum conscium quæ animo agitabat: neque scientem aliquid quod ea mente versabat. Deinde vrbem ingressa regiam, toto die asidebat in 1 templis sanctorum. nec diu nec noctu ab eis recedens. ieiuniisq; & precum curam gerens: & facultates impertiens egentibus. & Deum asidue rogans vt sopiretur in ea innatum bellum carnis. erat enim tunc ætate iuuenis, vt quæ non esset nata plus quam viginti quinque annos.

1 Sancta uisitationibus Ecclesiarum, uigiliis, orationibus, ieiuniis et eleemosynis operam dabat.

Rogabat ergo, sicut diximus, vt liberaret a carnis molestiis. vt cū posset viuere sine marito, libere vacaret spiritalibus & diuinioribus. Quę aūt eam ad ea quæ sunt honesta incitabat, erat quædam Eugenia, quæ conuenienter nomini erat moribus ingenuis: & vna quæ 2 totam vitam consumebat in nocturnis stationibus & orationibus Cum qua ipsa quoque bona decertabat contentione exercitationis, ea quibus exercentur monachi diligēter exercens. Hęc vero q̄ quotidie fiebant ęgreferebat Domitianus: & absurdæ quædam & turpes cogitationes ei veniebant in mentem dicendo. Non recte habet continuus hic progressus: sed fit animo qui ad malas tendit cupiditates. & exhinc omnem adhibebat custodiam. ne eam quidem sinens prodire extra domūculam & ambobus erat con-

2 Nota, quæ totam uitam consumebat in nocturnis stationibus & orationibus.

ſtitutum certamen. illi quidem ne dimitteret eam facere ea quæ conſueuerat: huic autem ne abeſſet à ſacris cœtibus. Sed cum is valde repugnaret, ea multis vrgens precibus vix tandem perſuadet vt ſibi liceat facere quod vellet.

Magno itaque ſtudio venit in templum ſacrorum Apoſtolorum. In quo cum fuiſſet, eos precans intenſius, petebat vt ſibi nihil eſſet impedimento quo minus fugeret mundum: ſed eam quoque Chriſto offerrent cum eo cœtu qui iam ab eis prius ei fuit oblatus. Cum ea ſic eſſet precata, & iam aduentaſſet veſpera: & qui templum cuſtodiebant, iuberent omnes egredi, ipſa cum in quendam porticum ex iis qui illic erãt, Soſannæ cuiuſdam ei iam olim familiaris inueniſſet habitaculum, quæ ab ineuntæ ætate virginitatem conſeruare conſtituerat & ex Deo vitã agere, cum ea totam noctem peragit. Die vero iam apparente, matrona ventitat ad magiſtram Eugeniam, de rebus propoſitis cum ea cõmunicatura. Cum autem multa vltro citroque dicta eſſent, magiſtra dicebat hoc ante alia eſſe conſiderandum, quomodo ſe habitura eſſet filia Theodote: Matrona autem quæ nullum alium ſcopum ſibi proponebat præter Deum, & omnem aliam negligebat ſolicitudinem. Me, inquit, accipiat ſolitaria vita & monaſtica. Theodotem autem Soſannæ & Deo trado: & de ea iam omni cura liberor. Verba res ipſa quoque mox eſt conſecuta.

Rurſus autem quomodo oporteat ſilẽtio viuere & Deo placere quærens Matrona, per euidentem in ſomnis viſionẽ docetur à Domino. Fuit autem hæc viſio admirabilis. Videbatur enim vir quidam eam perſequi. ipſa autem fugiens ſeruata eſſe à quibuſdam Monachis quod quidem ei ſignificabat, ꝙ in monaſterio oporteret eam ſuſcipere vitam virorum Monachorum. Sic.n.fore vt & marito & aliis ſit ignota. Cum ſe ergo ad cutem vſq; totondiſſet & Eunuchi habitũ induiſſet, rurſus venit cum Eugenia in dictum templum diuinorum Apoſtolorum: & volens obſcurorum ſcire ſignificationem ex diuinioribus, Sacrum aperit Euangelium & protinus incidit in tale dictum. Quicunq; vult poſt me venire, abneget ſeipſum: & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hinc eorum quæ Deo placent indubitatam habentes cognitionem, cum ſua ei dedicaſſent: & ſperaſſent ſe eum habituras adiutorem eorum quæ fiebant, à ſe inuicem ſeparantur. Matrona autem cum, vt dictum eſt, ſe eſſe Eunuchum ſimulaſſet, & Babylam ſeipſam nominaſſet, ad Sancti Baſiani accedit monaſteriũ: & accepta à Monachis, protinus ad certamina ſe parauit ſpiritalia. non pallore vultus, nec triſtitia faciei. ſed germane potius & vere virtutem exercens, & omnibus modis ſtudens latere, vt propemodum prouecta fuerit ad ſummum vitæ quæ ex Deo agetur: & haberetur ab omnibus in admiratione, quomodo vir qui erat imbecillus vtpote Eunuchus, tam fortiter ſe gerit aduerſus labores, & omnes Monachos contendit ſuperare. magno & excelſo animo iram cohibens: & gloriam tãquam vanam deſpiciens omnem obedientiam ex ſumma cõplectens modeſtia.

Et certe non poterant inuidere. Zelus enim qui eſt ex virtute, liber eſt ab omni inuidia eum autem potius colebant tanquam magiſtrum. prius etiam incitati ad imitationem, propemodum vero etiam cognitum fuiſſet quod celabatur: & manifeſtum fuiſſet eam eſſe mulierem, niſi exortam ſuſpitionem ſpiritali amouiſſet ſapientia. Nam cum aliquo tempore ita

contigiſſet

contigisset vt in quodam orto laboraret cum Monachis, operiq; instâret promptius & alacrius, Monachus cui obtigerat vt cum ea laboraret, nomine Barnabas, in eã iniectis oculis paulo curiosius. vt qui paulo ante ad vitam monasticam accessisset ex scena, etiamsi postea profecerit in virtute: & ei commissa fuerit præfectura Monachorum, rogauit qui factum sit vt sint ei ambæ perforatæ auriculæ. Beata autem illa breuem simul & consideratam dedit responsionem, Accidit tibi quidem ô frater humanum quidpiam, alienum vero à nostra professione. cum terrã oporteat arare, non vultum humanum curiose intueri. Sed quãuis res ita se habeat, quæstionis disce solutionem. Nam quæ me olim tenuit & educauit, in me summa beneuolentia, munifice in meas aures aurea iniecit ornamẽta. Sic beata illa Monachum sapienti inuentione remouit à suspitione. eã autem subiit magnam turba cogitationum: & venerunt ei in mentem admonitiones Eugeniæ, dicentis. Rex est admodum difficilis mulierem versari simul cum viris, & tentare vt ipsa vir videatur sicut illi. Neque enim fieri potest vt perpetuo lateat simulatio. attentiori tamen cogitatione sola solum Deum alloquens, Tuo nutu, dicebat, O' Domine, vitã suscepi monasticam: & eum qui iussit sequi nunquam retro conuersa sum secuta. Quamobrem ne efficias vt ego vnquam mea spe fallar: nec ab hoc bono vnquam proposito excidam. sed tu meam defendẽs imbecillitatem annue vt meo scopo finis accidat similis. Hæc dicens videbatur etiam videre pura anima meliorem exitum.

Cum ea ergo sic haberet & vitam amplecteretur spiritalem, longo tempore ignoratæ sunt res eius à Bassiano, etiamsi non esset expers doni perspiciendi. eum tamen latuit Dei sapientia & magis arcanis quibusdã iudiciis, quomodo etiam Elisæum aliquando Sunamitis. Sero autem & longo post tempore ea ipsi extitit manifesta. Sic autem fit: Visus est in somnis videre magnus Bassianus virũ amictu quidem honestum: vultu autem decorum. & qui videbatur esse cuiusdam naturæ diuinioris: & ei ter dicere. Babylas Eunuchus, qui est vnus ex Monachis qui sunt in tuo grege, aperte quida est fœmina. simulat autem se esse Eunuchũ vt lateat. Sicut ipse autem, Acacius quoque quidam vir insignis pietate, qui fuit etiam pro tertia parte pastor monasterij diuini Abramij, eandem vidit visionem. Mane ergo cum Bassianus accersiuisset vnum ex Monachis, Ioannem quendam qui post ipsum erat secundus in monasterio, narrauit ei quod viderat in somnis. Interim vero dum hæc disserebat, venit quidam missus ab Acacio, narrans Bassiano quam ipse viderat visionẽ. Tunc ergo magnus Bassianus, volens de hac re maiorem sibi fidem fieri, in manus sumpto sacro Euangelio & explicato, in illa verba incidit, quæ dicebant regnum cœlorum esse simile fermento. quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec totum esset fermentatum.

Cum itaque intellexisset eam quæ in profundo significabatur intelligentiam, post hæc apud se cogitabat quomodo dextre aggrederetur id quod erat propositum: & hoc multis nõ fieret manifestum. Accersit ergo beatam illam. & eam torue aspiciens. Quid fuit causæ, inquit. O' mulier, ꝙ tam audax ceptum in nostris aggressa: & quæ nobis non conueniebat tentationem & probrum intulleris, tantum tempus studens latere? Illa autem id quod dictum fuerat intelligens, & formidans austeritatem,

& quę in eius vultu apparuerat acerbitatis nube obstupefacta, & maxime iis quæ dicta erant testimonium ferentem habens conscientiam, se quidem statim humi prosternit. Sancti vero pedes prehensans, verba quę multum quidem habebant humilitatis vix autem proferebantur emittit, dicens. Non tentationem o Domine, volens afferre, me retuli in numerum tui gregis: sed tentationem potius fugiens ab aduersariis, & laqueos qui sunt in mundo declinans. Cui rursus respondit Bassianus. Quomodo autem cum sis mulier, ad diuina sacramenta accessisti nudo capite & in pacis salutatione os tuum secure exhibuisti fratribus. Illa vero, Quod ad diuina quidem dona attinet, inquit, simulans imbecillitatem, non omnino auferens tegmem quod erat in capite, ita ad sacramentorum accedebã communionem. Charitatis autem apud fratres signum nunquam recusabam. Neque enim hominum vultibus, sed honminibus angelicam imitantibus impatibilitatem, meipsam offerre existimabam.

Sapientem autem responsionem admiratus Bassianus. Et cur non, inquit: in alterum o mulier te contulisti monasterium, & in quod licet ingredi mulieribus? Illa autem cum se parum sustinuisset & timorem excussisset, vt quæ accepisset occasionem vtendi pluribus verbis ad defensionem, quomodo res eius se haberent sigillatim exposuit. quod marito quidem fuisset legitimo coniuncta matrimonio, & vocata esset mater vnius filiæ: totas autem noctes versaretur in sanctorum cœtibus & ꝙ ab eo qui cum ea cohabitabat, aliquando quidem minante aliquando autem plagas quoque intentante, retardata fuisset ab eo desiderio & proposito. & ꝙ quæ siuisset aliquam rationem qua posset latere maritum & se ex sua gerere sententia Post hęc persequebatur quomodo filiam tradidisset Sosannæ. & tandem intulit eam quæ in somnis apparuit visionem. ꝙ fugiens maritum, videbatur fuisse seruata manibus Monachorum. Quod quidem intelligens, seipsam mutauit in hunc habitum, ipso quoque mutato nomine. Hæc cum audiisset Bassianus, & acre eius ingenium valde esset admiratus: & considerasset propositum eius esse admittendum, rogauit an de cętero esset ei vita eligenda monastica. Cum ea autem dixisset, Maxime. propterea enim se à mundo & iis quæ sunt mundi recessisse. De cætero confide o filia, dixit Bassianus: & cum ea dedisset monita quæ sciebat ei esse profutura, De cætero, inquit, O filia, oportet te vitam tuo capiti imponere propter legem naturę, & sic supernam expectare vocationem. nec se ea duxit neglecturum quę ad opẽ ei ferendam pertinent.

Cum ipsa sic tunc illinc recessisset, Dominus qui omnia dispensat ad id quod est vtile, filiam Matronę fecit è vita excedere & ad se assumpsit, ne aduersus ipsam esset maligno occasio, & ne ea quam iam cognitum esset esse mulierem, prætextu curæ gerendæ de filia, à diuiniore deduceret solicitudine. & in eius animo mundanas insereret cogitationes. Quamobrem non dolorem sed voluptatem ex ea re accepit. quod factum erat, non esse statuens filiæ amissionem: sed à curis de ea susceptis liberationem & earum depositionem. Ipsa ergo latebat apud Sosannam: aut Deus potius eam seruabat per Sosannam. Fama autem ea quę ab ipsa facta erant vbique annunciabat: & hic actus ad aures omnium permanabat. Quo factũ est vt maritus eius Domitianus paulatim venans veritatem, vt qui non cessasset vxorem suam inuestigare, postquam reliqua obiit monasteria,

ad illud quoque venit in quo beata fuit versata, quasdam non expressas & indecoras voces prę ira emittens, importune fores pulsans & insultans, dicendo. Quęnam est ea vis quam mihi attulistis? Quænam est hęc magna iniuria? Pulchra certe ò Monachi, pulchra sunt admodum quę à vobis facta sunt. Cur eos qui sunt pulchre coniuncti, vos male vultis diuidere? Date mihi meam vitæ sociam. Date eam quæ est mihi coniuncta legibus.

Hæc & is plura, desiderio victus & animi ægritudine, voce interrupta à dolore, exclamauit. Audiuit autem ab ipsis. Nos vxorem quidem tuam non accepimus. neque enim fas est fœminæ permittere ingressum in monasterium. Eunuchum autem quendam Monachum nomine Babylam scimus aliquo tempore nobiscum vitam egisse. Deinde repente mutatum statuisse proficisci Hierosolyma. Eum ergo cum haberet hāc caussam peregre proficiscendi, multis ante diebus à nobis discessisse cognouimus. Vbinam autem nūc degat illi soli omnino est cognitum, cuius oculis nihil est quod non possit aspici. Quod autem hæc vera sint testabitur vniuersus populus ciuitatis. Hęc cum audiuisset Domitianus: & frustratus esset cepto suæ inquisitionis &, omni pulchra priuatus occasione, se vertebat in omnem speciem. ꝙ res ei non cessisset se excrucians. propter zelum irascēs. propter eius amorem incitatus cupiditate. Atque ille quidem sic recessit, distractus his animi perturbationibus.

Bassianum autem inuasit agmen curarum, ne Matronæ anima quæ eius fide commissa fuerat vere subiisset interitum. & cum eos accersiisset qui ordine quodam erant primi Monachorum. Est, inquit, nobis amplius considerandum de ea quæ à nobis dicessit sorore. Nam etsi sexu erat diuersa: quoniam tamen in nostrum adscripta erat circulum, oportet existimare membri ablationem, eius quæ facta est à nobis disiunctionem. De iis ergo quæ ad ipsam pertinent constituamus, vt ad bonum finem perueniat. ne malignus & qui quotidie nobis insidiatur, eius superet constantiam, apto ad insidias instrumento vtens marito. Atque sic quidem dicebat Bassianus, in communi posita deliberatione. Marcellus autem quidā tunc Diaconus, hanc dixit sententiam, In Emesa ciuitate, ille enim ex ea erat ortus, dicēs esse monasterium mulierum. in quo etiam suam sororem esse vnam ex iis quæ exercentur. Si ergo tibi placet, ad id mittatur. Sic.n. licebit curam de ea deponere. Cum assensus autem esset Bassianus ei qđ dictum fuerat & id permisisset, minister statim nactus nauem quæ illinc soluebat, sancta in ea imposita & reuersus.

Illa autem cum alacri animo accepisset id quod factum fuerat, tanq̃ id non accidisset absque Dei numine, & pauca quædam accepisset pro alimentis, secundo & leui vento peracta nauigatione, venit in monasterium quod erat Emesæ. Benigne ergo accepta, tanto studio se exercebat in laboribus virtutis, vt Monachis videretur exemplar non facile, decertantibus aduersus paria eius certamina. Quo circa placuit omnibus post decessum eius quæ illis præerat, ei committere omnem monasterij præfecturam. Quo magis ergo latere studebat Matrona, eo magis Deo erat curæ eam reddere manifestam, & illius lucem ponere super candelabrum, & euidentem eius reddere virtutem. Illo autem tempore Agricola quidam prædium operās, multis diebus vidit flammam è terra

emitti. Erat vero emissio continua & nunquam desinens. Hic ergo vt q esset Agricola, nihil valens coniicere altius, Episcopo ciuitatis accedens id renunciat. Ille autem ex eo quod apparebat intelligens magnum quid significari, cum suo clero veniens ad locum, vt par erat facta oratione iussit terram fodere. Quod enim factum esset inuenta est vrna, non aurum celans, aut aliquid aliud eiusmodi quod possit demulcere animum ornamentorum cupidum. sed rem quãdam pretiosam & maximi faciendam. nempe maxime venerandum caput Ioannis Baptistæ.

Cum hęc fama in omnem partem peruasisset, nullus domi remanebat. sed cum vniuersa multitudine confluebant omnes ad spectaculum. à quibus hoc venerandum caput cum omni laude & glorificatione in tẽplum introducitur. Cum autem Matrona cum omnibus Monachis interfuisset spectaculo eius quod apparuerat, accessit & hausit ex vnguento capitis quod erat propositum. Eius communicatio facta est ea etiam inuita iis qui aderant. Quomodo autem & cur hoc ea inuita factum sit, id quod dicendum est vult vos attendere & discere. In media enim intercepta multitudine, cum ei non concederetur exitus, vtpote q vt acciperent omnes se intruderent: ex eo quod acceperat vnguento coacta est aliis impertiri. Dum autem ea distribueret, quidam ab ortu cæcus, omnes prætercurrẽs, erant enim tunc quidam sacerdotes qui diuini vnguenti faciebant distributionem, venit ad ipsam, valde instans precibus. Illa vero cum pretioso vnguento oculos inunxisset, eum fecit lucem protinus intueri qui antea nunquam viderat. Hoc eam magnam prædicauit & præclaram: & effecit vt esset apud omnes insignis adeo vt omnes dicerent eam esse quæ latere tandiu est meditata: & cum viris fecit ea quæ faciunt Monachi.

Præclara hæc fama rursus vocauit Domitianum. & velúti manũ tangens fecit eum venire ad monasterium. Cum autem audiuisset esse viris prohibitum ingressum, celans id quod volebat, simulauit pietatem: & rogat per quasdam fœminas vt orationis gratia & adorationis videret Matronam. Illa autem cum diligentiori interrogatione & signis quæ erant in vultu ex iis quæ audiebat, eius esse maritum pulchre agnouisset, quid machinatur? Petit spatium septem dierum: & post illos se per otiũ in conspectum eius esse venturam. Hoc cum Domitianus audiisset à mulieribus, ipse quidem à spe pendens, sedebat in animo versans diem profinitum, & expectans videre, & iam eam habere in manibus visione apprehendens. Matrona autem rursus studens latere, proficiscitur Hierosolyma, nihil aliud induta q̃ pannum ex pilis contextum, & modicum panis fragmentum secum ferens.

Cum septem autem dies intercessissent, vt constitutum quidem fuerat venerunt mulieres: audiuerunt autem à Monachis quæ ipsæ quoq; erãt graui oppressæ ægritudine, q ex quo eam conuenerant, ab eis non esset amplius visa: neque se scire vbinam esset. Ille vero cito abeuntes postq̃ hæc didicissent, dixerunt Domitiano. Is autem vehementiore cordis dolore sauciatus, non cessat curiose perscrutari donec venisset Hierosolyma. Et cum rursus in alias incidisset mulieres, eis describens formam eius quæ quærebatur, mouebat omnem lapidem, volens scire vbinam ea versaret. Illæ autem dicebant quidem se vidisse tali facie mulierem: nõ posse vero aperte scire vbinam esset. Vbi enim sero venerit ad diuersorium, in aliquo

quidem

quidem templo ex iis quæ illic ſunt diuerſatur. feſtinat autem rurſus alio tranſire. Nos tamen, inquiunt, tibi inſeruiemus ad eam inueniendam. Sigillatim enim diuiſæ, feſtinans quæ eam primam viderit, celerrime accedens tibi ſignificabit. Atq; illæ quidem faciebant ſicut dixerant.

Matrona autem cũ ita accidiſſet, obuiam facta accedenti Domitiano cum eum agnouiſſet, fixis humi oculis & manum terræ admouens vt tolleret lapidem, eum ex aduerſo prætereuntem latuit ſapienter. Porro autem cum illis occurriſſet, intelligens quanam de cauſa totam illam tam diligenter obirent regionem inueſtigantes, & ſe ex forma eis euaſiſſe manifeſtam, & fore vt mox comprehenderetur, eas quoque amouit ſapienti excogitatione, petens ſibi tres ſolos dies concedi eunti in montem Sinam: & poſt eos ſe venturam quamprimum & maritum conuenturam. Domitianus vero cum hoc reſciuiſſet, exiſtimans rurſus excuſationem eſſe talem reſponſionem, maxima celeritate eam perſequebatur. Matrona aũt cum hoc rurſus reſciuiſſet, & q; adeſt qui perſequitur & iam ſit capiẽda, magno metu correptaq; in quodam idolorum delubrum quod eſt Beryti, ingreſſa illic eſt diuerſata. melius rata in Dæmones incidere aut feras, q̃ capi manibus Domitiani. Nam illę quidem ſi acceperint, corpus omnino ſolum lædent. Maritus autem ſi apprehenderit, erit & Dæmonibus & feris pernicioſior, vt qui poſsit cum corpore etiam animam lædere, eam rurſus trahens ad mundum, & tanq̃ ſuam vxorem uendicans.

Cum in eo ergo eſſet, & operam daret hymnis ad Deum & precibus, audiuit Dæmones contra pſallentes & uoces ei ſimiles emittẽtes. & hoc factum eſt multis diebus. Ei itaq; terrorem afferebat id quod fiebat. Deinde cum ſe 3 crucis figura muniiſſet, egreſſa eſt aduerſus terribiles. Sed cum nullum poſſet videre, diuinam rogabat gratiam, ut manifeſtum fieret id de quo dubitabat. Statim ergo vidit manifeſtos eos qui prius non cernebantur, & uoces emittentes obſcuras, & ignem inferentes, qui rurſus cum ab ea increparentur, excedebant, & tanq̃ fumus deficiebant. Nonnunquam autem cum generoſam fœminam inuaſiſſet, illa parum progreſſa è delubro cum ad herbam ſe conuertiſſet, roſcidas & uirides herbas ad modicam conſolationem ori admouit. Qui autem admirabiliter manna aliquando pluit Dominus: & populum pauit ad ſatietatem qui erat malignus & ingratus, ſua ſpõte enatum potum & menſam ei ſimul oſtendit. Nam cum in loco ardente & ſoli ualde expoſito inueniſſet locum pauco humore grauidum: & eum acutis effodiſſet lapidibus quantum ſatis erat ad concauis manibus hauriendum, nocte iam aduentante ipſa quidem aſcendit, conſuetas preces Domino redditura. Poſtridie uero cum rediiſſet, inuenit ciſternam aqua plenam & menſamq; herbarum eſculentarum, quæ nequaquam quidem parui fiebat ab ea quæ accipiebatur conuiuio, ſed multo magis eam lætificabat quam lautę & opiparę cœnæ paratæ diuitibus.

3 Cũm ſe crũcis figũra muniiſſet.

Cum ea ergo ſic ſe haberet & Deum aſsidue oraret, hoc graue & non ferendum malignus iudicabat. Quamobrem ſuſcepta forma ſpecioſæ fœminæ ad eam accedens. Cur, inquit, Domina mea delegiſti hoc obſcurum & alienum habitaculum? Nam & longa ſolitudo & penuria rerum neceſſariarum magna eſt. & alioqui es ætate adhuc iuuenis & inſigni pulchritudine: & tibi ualde timeo, ne amabilis hic vultus ſit occaſio cupidi-

tatis libidinosis oculis: & propter loci solitudinem & quod non adsit qui sit opem tibi laturus, tuo corpori inferas contumeliam. Sed si mihi parueris, te deducam ad ipsam ciuitatem, vbi etiam domum inuenies ex tua sententia: & vt tibi placet habitabis absque vllo tumultu. neque tibi deerunt quæ sunt necessaria. Illa autem cum deprehendisset hoc esse insidiosum consilium aduersarium, hæc verba reputauit tanquam nugas: & superauit laqueum.

Sed rursus malignum illud Dæmonium non cessat omni arte eam inuadere. Itaque cum circulatricis vetulæ formam suscepisset & ignem qui videbatur emitti ex oculis, insane simul & audacter se abiiciebat ad eius pedes, terrens & loquens absurda & turpia. Cum ergo beata eius nullam duceret rationem, neque se ad eam verteret, tanquam sæuiens & insultans. Etsi, inquit, generosam fœminam non potui vincere cum esset iuuenis. sed in senectute inferam tibi quæ sunt omnium difficillima. In præsentia autem aduersus te excitabo eos qui sunt Beryti, vt quæ vilipendas delubrum eorum idolorum, & quantum in te est efficis vt habeatur despectui. Has improbas maligni insidias exceperunt reuelationes & visiones diuiniores. quomodo solet Deus consolari in afflictionibus, & per benigniora soluere quæ sunt tristia. Secundum multitudinem enim, inquit, diuinus Dauid, dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ lętificauerunt animam meam. Res autem ita se habuit.

Cum ipsa vespere vt solebat preces funderet, tres viri aperte accedentes, visi sunt psallere. & horas aliquot peracta est ab eis genuum flexio pone Matronam. Illa autem conuertente faciem vt videret quinā essent, cum leniter & placide ter dixissent ora pro nobis, protinus abierunt. Cum ergo eam virtus magis ac magis redderet manifestum, fama in omnem partem peruadebat, quod Matronam malitiam spiritus fugerent: & sint idolorum delubra vacua Dæmonibus. Quamobrem multi ad eam veniebant, vel eam solum conuenire plurimi facientes. Hinc factum est vt mulier quoque quædam nomine Sophrone, temperanter & conuenienter eius nomini vitam agens, sed quę erat gentilium dedita falsæ religioni, & cum ea aliæ quoque quæ eandem tenebant opinionem, cum renunciassent parentibus & amicis & omnibus huius mundi, seipsas Matronæ tradiderunt: & patentes aures ei præbebant. quæ etiam breui sunt baptismum consecutæ salutarem. inter quas virgo quoque quædam gentilis quę erat sacerdos idolorum, cum de sancta audiuisset & Deos suos condemnasset, & diuino zelo esset repleta, ea quidem quę à gentilibus offerebantur Dęmonibus, & consumenda erant in nefaria sacrificia, prębebat pauperibus. Ipsa autem cum discessisset ab omnibus, ad Matronam ardenti studio accendit, & se facit vnam ex iis quæ illam sequi statuerant.

Cum autem adesset dies quo oportebat peragi sacrificia: & qui ad eā genere attinebant cum populo essent congregati, ipsam non inuenientes, nesciebant quonammodo quę de more fiebant peragerent cum non adesset sacerdos. Cum vero quod factum fuerat non possent intelligere, vix tandem autem id resciuissent parentes, in Idolorum delubrum vbi erat Sācta veniunt quamprimum. & cum eam vidissent iacentem ad sanctæ pedes, in hæc verba proruperunt. Cur, dicentes, O adolescentula, Diis maximis despectui habitis, imperfecta quidem reliquisti sacrificia: popu-

lum autem in nos irritasti non ferentem eam quæ fit in Deos contumeliã. ipsa vero pro optima & quæ beata censetur vita, hanc elegisti infamem & quæ plane habetur contemptui. Dimissa ergo ea quæ te repente oppressit amentia, esto aliquando sapiens. & hoc lugubri deposito habitu, læta ad nos lætos egredere. ne sit tibi sepulchrum interitus, locus eius quæ videtur salutis. Nam si tu non facias quod iubetur, crastino die ab igne cõsumetur præsens habitaculum. Hæc cum dixissent, ab ipsa quidem nihil audiebant.

Matrona autem eis dixit amice & pacifice. hanc sinite, inquit, hæc est Dei ancilla, quæ prius erat ancilla vestrorum Deorum. Nihil est de cætero ei nobiscum commune. Hæc cum audiissent, illi quidem sunt reuersi, templi conflagrationem & alia minantes grauissima. Puella autem iacens ad pedes beatæ Matronæ, Christum valde rogabat vt obsignaretur signaculo, & quamprimum diuinum baptismum consequeretur. Cum Matrona ergo reliquas iussisset expectare, ipsa processit ad aridam colligendã materiam. & cum multum collegisset & rediisset, Quædam ex vobis, inquit, euntes quam celerrime, renunciate iis qui paulo ante venerunt, dicentes, Ignis est vobis paratus & satis materiæ. Quanam autem de causa tardat vester aduentus, vt finem accipiant minę quę sunt à vobis intentatæ? Hæc cum illi audiuissent, & sapientem inuentionem & generosos spiritus essent admirati, nesciebant quidnam contra responderent: & nec ausi sunt postea illuc reuerti. Tunc iis quæ redierant beata rursus aliud iussit: nempe vt Episcopum conuenirent & secum ducerent vnum ex sacerdotibus & Diaconum. Quod quidem cum factum esset magna celeritate, iis qui iam venerant sacerdotibus, tradidit eam quę nuper accesserat sacerdotem: & iussit eam catechismo initiare & baptismo: & rursus ad se adducere.

Post baptismum itaque adducta Euche, sic enim fuerat nominata, edocebatur in omni disciplina spiritali: & in rebus diuinis exercebatur simul cum reliquis quæ erant octo numero. Erat autem sancta adeo iucunda in sermone, & bonum odorem spirans in Deum. vt multi sæpe ex iis qui eã conuenerant, postquam cessasset loqui volentes domum reuerti, ægre ab ea discederent, vt qui veluti quibusdam vinculis essent ab ea canstricti. sui in eam amoris: aut qui cum insiti pulchra aqua se exatiauerint, & propterea grauiter ferant ab ea recessum. Porro autem ipsam rursus inuasit desiderium conueniendi Bassianum. Cum autem is esset rursus in regina vrbium Constantinopoli, in ipsa vero adesset etiam Domitianus eius maritus, repellebat desiderium eius mariti metus, ne forte in manus eius incideret, si venisset in vrbem. Quamobrem cum distractus ei esset animus his duabus cogitationibus, nempe patris spiritalis desiderio & metu mariti, in animo habebat ire potius Alexandriam, aut cuius spe fuerat frustrata Antiochiam. Hac de causa intensius vacabat orationibus: & à Domino expectabat significationẽ eius quod erat ei futurũ conducibile.

Cum in somnũ ergo esset resoluta, videbatur aspicere tres viros: quorum vnus quisque vehementer contendebat, quisnam ex his tribus esset præferendus vt eam duceret vxorem. Cum ea autem aures auerteret & putaret rem esse valde absurdam: terrebat enim somnium, vt quod esset contrarium iis quas interdiu susceperat cogitationibus. Quinam autem

vos estis, videbatur eis sancta dicere. & quæ sunt vestra nomina? Illi vero dixerũt vnum quidem nominari Alexandrum: alterum autem Antiochum: tertium vero Constantinum. Sorte autem conabantur dirimere controuersiam. ea vero cecidit in eum qui erat ętate iuuenis, nomine Cõstantinus. E somno ergo excitata, quidnam sibi vellet visionis reuelatio intelligens, statuit quidem relinquere viam quæ Alexandriam ducit aut Antiochiam. Tota autem in hoc erat vt proficisceretur Constantinopolim. hoc enim dicebat placere Deo qui euidenter ostendit significationem eorum quæ erant obscura.

Cum suis itaque sororibus somnium communicasset, videbat eas suæ voluntati resistere. non ꝙ iudicarent id quod visum fuerat aliud significare: sed ꝙ eam valde amplecterentur, & non sustinerent eam ab ipsis discedere. vt quæ non secus ac recens plantatæ plantæ ab illius verbis irrigarentur: & venirent in periculum ne eius priuatione flaccescerent. tamen quoniam, dixerunt, diuina quædam prouidentia opem tulit tuo consilio, nequaquam possumus tuum interrumpere propositum. Sed secundo loco, inquiunt, sit tibi curæ quibusnam sis nos relictura post tuum hinc recessum. Illa aũt de eis protinus Episcopum facit certiorem: & petit vt ad ipsam mittat duas Diaconissas quibus tempus virtutem confirmauit. Quę cum accessissent, beatissima Matrona, suos, veluti quoddam depositum, credidit earum fidei. & suasit plurimi facere animas earum fidei creditas. ne quas fecit Deus mundum relinquere, 4 rursus sineret, accedere ad mundi vanitatem & pacta conuenta negligere.

4 *Vides non debere qui mundum semel reliquerit, rursus ad mundi vanitatem accedere?*

Hæc cum dixisset & vltimum eis dedisset amplexum, & vnam ex eis solam secum accepisset Sophronem, nauem conscendit: & secundo vento vecta peruenit Constantinopolim. Deinde cum venisset ad templum prope mare situm quod à nomine pacis Dei dictum est Templum Irenes, Diaconum accersit Marcellum quænam esset ei aperiens. Is autem erat quem superius diximus consuluisse Bassiano vt ea mitteretur ad Monasterium quod est Emesæ. Lubenter ergo ab eo accepta, rogauit vt diceret quænam esse causa longæ huius peregrinationis. Illa autem. Nihil, inquit, aliud, quid enim posset efficere vt tantum laborem despiceret, nisi maximum quoddam desiderium eos conueniendi, & maxime, inquit, diuinum Bassianum. Propter quod iam & senectutem, & mulierum imbecillitatem, & quietam vitæ agendæ rationem, & alia omnia despiciens, soli viæ quæ ad vos ducit ineundæ intenta fui. Deinde breuiter persequitur Domitiani Hierosolyma & in Sinam montem persecutionem: & suam in idolorum delubro conuersationem: & ꝙ multitudo innumerabilis per eam accessit ad pietatem. Persequitur autem non vt quę se ostentaret, sed vt quæ teneretur veri dicendi desiderio. Est enim ostentatio aliena à modestia, & ab ea quæ nihil æque studuit atque latere. Alioqui autem accusari ꝙ ordines deseruisset quæ semel ascripta fuerat in vitam monasticam, iudicabat esse inutile, & quod posset occasionem præbere offensionis.

Marcellus autem singula statim aperit diuino Bassiano. Ille vero auditione affectus tristitia, iussit eum quam primum abire, & quietum aliquod & à tumultu alienum non procul à monasterio præstituere ei habitaculum. vt esset ei facile si vellet ad eam accedere. Ille autem cito effectũ

reddidit

reddidit id quod imperabatur. & cum aptam domum ei parasset, sanctã in ea collocat. Quem in locum cum magnus venisset Basianus, eamq; esset allocutus & dixisset quæ oportebat, quinetiam ab ea didicisset de iis quæ ei obtigerant, & eam impertiisset iis quibus indigebat, eam rogauit an sibi opus esset aliquo alio. Cum ea autem dixisset alias sorores esse Beryti, & eas velle ad ipsam venire & vna degere, hoc Episcopo Beryti statim litteris significat. & quas nominatim quærebat Matrona, iussit ad eam quamprimum mittere. Eæ ergo emissæ & cohabitantes cum Matrona, ei summam exhibebant obedientiam, illa seipsam præbente perfectissimum exemplar ad virtutem. quæ etiam multo magis quam multa ora eam prædicabat. & omnibus reddebat manifestam. Nam cum aliis Verina quoque Imperatrix, vxor magni Leonis, ad ipsam ventitabat. nec tam illam quàm seipsam in hoc statuebat honorare. Quæ cum moderate & frugaliter ab ea esset accepta, & vt oportebat ipsam accipere, illam quæ erat remota à negotiorum solicitudine & dedita philosophiæ, recessit admirans eius virtutem: & q nihil peteret ab ea quæ multa dare posset & vellet.

Euphemia autem coniux Anthimi qui fuerat Præfectus vrbis Romæ, cum fuisset sanctæ familiaris & cuiusmodi esset ipsa didicisset experientia, eam autem quæ Patricio Sporacio coniuncta erat matrimonio, in grauem morbum vidisset incidisse & qui artem vincebat medicinam & nullam vitæ spem ostenderet. cum eam, inquam, vidisset sic affectam. Si me audias, inquit, iubens valere medicos in præsentia trade te communi bono quod venit in ciuitatem, Sanctam, inquam, Matronã, quę 5 multos non solum à morbis coporis sed etiam animæ liberauit, ab impietate traducens ad verum Dei cultum. & ipsam haud ita multo post admiraberis: & alios multos ad ipsam transmittes. Hæc cum dixisset, quænam esset & qualem vitam transegisset, ei narrauit ab initio vsque ad finem. Die ergo sequenti ambæ ad eam veniunt. & cum in longum productus esset earum sermo, cum ea quę morbo laborabat manum dexteram Sanctæ apprehendisset, ad eam quæ erat affecta partem attulit. affectionem autem statim sensit leuiorem. Matrona vero rogauit causam cur eam tetigisset. Cum autem verum dixisset ea quæ laborabat. Dominus, inquit, te liberabit ab eo malo quod te detinet. nos. n. hoc non possumus efficere.

5 *Nota, quæ multos non solum à morbis corporis, sed etiã animæ liberauit.*

Quæ itaq; laborabat, ab illo tempore remisse accedentẽ cogitans mali grauitatem, in animo habebat manere apud sanctum, expectans perfectã liberationem ab eo quod ipsi afferebat molestiam. Propterea iubebat etiã manere animantia quæ ei ad vsum seruiebant. Cum autem ei nunciatum esset. non esse aliud quod eam acciperet habitaculũ. Vnum enim esse idq; habitari mercede, cum beata conferens sermones. Facultates, inquit, satis magnas suppeditauit mihi splendor generis; multasq; ædes extructas ad pulchritudinem, atque magnitudinem. Earum, inquit, quascunque volueris quę vno ambitu comprehẽduntur, parata sum ego tibi largiri, animarum quæ sunt seruandæ futuras habitacula, & principaliter ad meã ipsius vtilitatem. Illa autem cum spiritu cognouisset quam multis animabus ex hoc aperienda esset porta salutis, assensu est se esse accepturam. & cum Diaconum accersiuisset Marcellum, & ei rem exposuisset, mittit ad contemplandum ea quę promissa fuerant. Qui postquam est contemplatus,

reuersus dixit esse quidem pulchrum loci situm. vt qui à dextera quidem mare: alia autem ex parte propinquum habeat Basſiani monasterium. nō parua autem & leui sed magna opus habere diligentia.

Nondum hæc renunciabantur, & promissio consecuta est effectum. & cum donum fuisset litteris insinuatum, statim ei quoque perfectum sanitatis donum à Deo fuit donatum. Postea autem & ædes extruxit magnificentius, vt quæ eas quibus opus erat impensas ad corrigendum & exornandum munifica manu ei exhibuerit. Hinc fit vt eas vsque in hodiernum diem vocent omnes Seuerianus. Hinc cum sancta migrasset è priori habitatione, nihil omnino migrauit à scopo qui est in Deum & ab operibus. nisi quis hoc vocarit migrationē, à minoribus ad maiora transitum. Quo factum est vt suum quoq; gregem fecerit valde augeri, & ab inimicis conseruarit illæsum, operibus habens auditorem eum qui est causa bonorum. Fit etiam tale quid aliud præter cætera, quod eum fecit maiorem.

6 Celebrabatur quidem publicum & venerādum festum 6 Laurentij martyris. In eius autem templum confluxerat maxima multitudo populi, & diem in eo transigebat. Ibi duæ erant quidem sorores natura, sed moribus minime, vt quæ valde inter discreparent: genere autem erant claræ & insignes. Eæ ergo peracto festo illinc reuertentes, cum fuissent in loco in quo erat sanctæ monasterium, numerosus quidam sonus hymnorum diuinorum accessit ad aures earum. Quibus delectatæ, cum resciuissent quænam ea esset quæ potest monasterio, ad eam ingressæ sunt. Cum eam vero conuenissent, & partim quidē ex verbis, partim autem ex modestia & morum honestate magnam accepissent vtilitatem, vna ex iis spiritali eius amore capta. Tu quidem, inquit, abi, dixit alteri. ego autem manebo apud eam. me enim cepit obliuio, & mariti, & domus, & cognatorum. & vt dicam cum diuino Dauide. Elegi abiecta esse in domo mei potius quàm in mundo frui rebus iucundis. Cum autem sorori hæc dixisset Anastasia, hoc enim erat ei nomen, ea nō est illi assensa: sed aperte contradixit: dixitq; rem esse leuitatis & inconsiderati feruoris qui facile tendit ad pœnitentiam. Hæc autem dicebat animo potius mundi cupido q̄ graui & constanti. Sancta vero eius quidem laudabat ex Deo scopū. sed nec ipsa repentinam probabat mutationem. sed suadebat vt prius rediret ad maritum: & eam rem communicaret marito. dicebatq; oportere eam quoad eius fieri potest curam gerere vitæ perfectioris: & Deum perpetuo rogare vt scopum eius dirigat. Tuncq;, aiebat, vones ad me. ex animi autem tui snia succedat id cuius teneris desiderio. Etsi.n. diuinum desiderium subiit tuum animum, nec te tenere intermittit: me tamē multa impediunt ne confidam. nempe tua ætas tenera: & q̄ in suscipiendis laboribus non sis exercitata, & quod sit natura magis ingeneratum vt tibi seruiatur potius quàm vt seruias: & quod est omnium maximum, mariti prohibitio.

Celebrabatur publicum & venerandum festum Laurentij Martyris.

His dictis silebat Athanasia, animo quidem cruciata vt quę repelleretur: nollet autem contradicere & suam confirmare voluntatem. Propterea recessit, hunc scopum & propositum acerrime persequens: & vt sancta ei suaserat, vitæ temperantis & frugalis curam gerens: & veluti pręcedentem disciplinam ad vitam & exercitationem id faciens monasticā.

Porro autem cum venisset in quendam ex suis agris & seiuncta fuisset à coniuge, studebat ipsa se gerere ad sanctæ imitationem, eodem tempore cibum sumens, parceq́ue & tenuiter sicut illa comedens & 7 preces fundens ante cibum & post cibum: & alia omnia pro viribus imitans quæ faciebat beata. Cum ea autem in hoc esset, & quæreret honestam à marito coniunctionem, tale quid accidit, valde honestam præbens liberationẽ. Nam cum ea vt prius diximus abesset, maritus qui erat sumptuosus & moribus intemperans, magnos faciebat sumptus. Cum itaque redactus esset ad inopiam, persuadet puero vt clam surripiat aliquam ex arcis Dominæ & ad eum afferat. Quo quidem cum factum esset, non latuit ancillam quæ seruabat res Dominæ. A qua cum illa rursus id didicisset, de cætero tanquam honesta arrepta occasione, nulla non ratione Athanasia moliebatur separationem. Tandem autem cum marito persuasisset, & magnam partem facultatum quæ ad ipsam pertinebant secum tulisset, Matronæ fidei suam credit animam. accedensq́ue & ei suas offerrens diuitias. Hæc, inquit, mihi accipe: & repone in thesauris Christi qui non possunt surripi. & ne despicias animam quæ à sancta tua dependet anima, & omnia sua tibi dedicat.

7 *Ecce christianum morem preces fundere ante cibum & post cibum.*

Matrona autem administrationem quidem vt molestam & negotiosam reiiciens, supplicis vero propositum admittens, dubitabat quidnam esset sibi faciendum. Et Basiano quidem rem communicat: & audita eius sententia accipit quę oblata fuerant. & ex pecuniis quidem quasdam cõsumit in monasterij faciendis operibus: vt quę monasterium quidem muro circundederit: trium autem tabulatorum habitaculum extruxerit. Primum quidem & terræ propinquum, quod est ad sepulchra definitum. Secundum autem & medium quod est aptum ad hiemandum, & habet templum quod est eo tempore aptum ad quo cõueniatur. Tertium vero & postremum, quod ipsum quoque templo ornatur pulcherrimo & est pulchre accommodatum ad ver illic agendum. Quæ quidem permanent vsque in hodiernum diem, prædicantia 8 sumptuosam & magnificam ædificationem. In his quidem, sicut dictum est, consumptæ sunt nonnullę pecuniæ Athanasiæ. reliquas autem distribuit monasteriis quę erant Hierosolymis, & aliis quæ rerum necessariarum laborabant inopia, bono Marcello ad hæc pie inseruiente. Et sic quidem Athanasia amissis quæ fluunt diuitiis, acquisiuit diuitias in quas non cadit interitus.

8 *Vides quomodo etiã antiqui sancti sumptuosa & magnifica ædificabant templa & monasteria.*

Cum quindecim autem annos fuisset superstes in hac viuendi ratione, à vita præsenti liberata, felix iter ad Deum iniit. Sic grex Matronæ fuit amplificatus, multis quotidie accedentibus & volentibus pasci ab hac magistra. Cum autem instaret tempus eius dissolutionis, plane ostendebat sancta, se neque propter parata opera perturbari ad separationem. Paratus enim sui, inquit diuinus Dauid, & non sum conturbatus: neque rursus festinabat seiungi. illud quidem, vt dictum est, propterea quod confideret. hoc autem rursus, propter amorem sui gregis. Quocirca erat ei magis necessarium in carne permanere, sicut dicit diuinus Paulus: & cum maiores subiisset labores, illinc quoque plures fructus accipere. Quamobrem in fine se maioribus exercebat laboribus, sicut boni cursores: & pluribus vacabat precibus & intensioribus.

Cum Deus autem vellet ne hac quidem consolatione priuare Matro-

nam: vt antequam hinc excederet nosset futurum illic suum statum, eã arripit somnus maior solito. in quo videbatur obire locum pulchris admodum arboribus cõsitum, & qui aquis irrigabatur suauissimis, & prędium iucunditate maxima circundantibus. in quo astantes quædam fœminæ graues & honestæ, & vultu præ se ferentes aperta virtutis indicia, domum quandam interiorem ei manu videbantur ostendere, insigni pulchritudine, & qualem nec humana potest manus efficere neque lingua narrare. Vocabant autem Matronam vt illuc ingrederetur, dicentes. Hęc est tua, & tibi pręcipue definita. E somno vero excitata intellexit quorsum somnium tenderet, quod ei fidem faciebat eorum quæ erant secutura postquam ex hac vita excessisset. Cum totum ergo vitæ tempus ei perductũ esset ad centesimum annum: & solos quidem viginti quinque annos in vita transegisset mundana, reliquos autem in spiritali, hinc migrauit ad Christum quem desiderabat, relictis actionibus quæ ab omnibus quidem habẽtur in insigni admiratione, paucos vero possunt inducere ad eas imitandas. Christum ad quem accessit perpetuo supplex rogans, vt det pacẽ ecclesiis & toti populo suo salutem. qui eum vnum glorificat trinitatis in quam non cadit diuisio. Quam decet omnis gloria honor & adoratio. Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

PANTOLEONIS DIACONI

& Chartophylacis magnæ ecclesiæ Encomium in maximum & gloriosißimum Michaelem militiæ principem.

Nouemb. 8.

MATERIAE expertium spirituum Dominus, & qui in omnem carnem obtinet potestatem & administrationem. qui etiam nostram formauit essentiam: quinetiam vniuersum mondum qui cadit sub aspectum constituit, eumq; continet & conseruat propter hominem: imo vero qui propter solam bonitatem, ex iis quæ non sunt ad hoc vt essent produxit vniuersa, is est solus qui natura & proprie. & primo dux est omnium, eorumq; curam gerit & eis prouidet: & qui cuiuslibet quod dicitur & intelligitur bonum, est efficiens impertiens suppeditans & prima causa. Secundo aũt nobis constituit diuinos angelos & Archangelos, qui curam gererent & præessent generi hominum propter bonitatem naturalem. vt suppeditarent hominibus diuinos nuncios & dona: & componerent & dirigerent eorum vitam ad ea quæ sunt meliora. Et ex diuinis quidem & infinitis angelis, alios quidem vnunquenque vnicuique præesse fidelium & eum regere iussit Dominus. vt dicit in diuinis Euangeliis. Videte ne despiciatis vnũ ex his paruis. Quoniam angeli eorum perpetuo aspiciunt faciem patris mei qui est in cœlis. Similiter autem hanc quoque confirmat sententiam diuinus Propheta Dauid dicẽs. Ne des in commotionem pedem tuum. & non dormitabit qui te custodit angelus.

Alios autem vt alienas & ignotas gentes regerẽt. vt qui omnia administret, constituit pro numero gentium, vt vnus angelus totam gentem guber-

gubernaret. quomodo etiam scriptum est in cantico Mosaico. Qn̄ diui- ››
debat altissimus gentes vt dispersit filios Adami, Statuit terminos gen- ››
tium scd̄m numerū angelorum Dei. Summe aūt benedictum, & vndiq; ››
exaudiendum, & omni ex parte uenerandū militiæ Principem Michaelem, meliorum & diuinitus inspiratorum & fidelissimorum hominum esse præsidem, & eorum salutis curam gerere uoluit. quomodo ipse vniuersorum Deus dicit Mosi sacrorum interpreti. Vade ad Pharaonem ››
Regem Aegypti & educes populum meum filios Israel ex Aegypto. & ››
mittam Angelum meum ante faciem tuam. & parabit uiam tuam, ut de- ››
ducat populum in terram tibi promissam quam iuraui patribus uestris. ››
Quinetiam Propheta Daniel in uisione Angeli audiuit eum dicentem. ››
Princeps seu præses angelus regni Persarum, restitit mihi ne reuocaretur ››
populus Israel ex captiuitate Babylonis. nec est ullus qui eos mecum ››
tueatur nisi Michael princeps uester. Hoc ipsum autem sic quoq; Dauid ››
aperte significat Castrametabitur angelus Domini in circuitu timētium ››
eum, & liberabit eos. Quis enim tam strenuus fidelium propugnator ››
insigniter apparuit. ueteris & noui intercessor illuminationum: semper castra locans in circuitu fidelium: & nos redimens à telis Belial, & oīum inimicorum nostrorum qui sub aspectum cadunt & non cadunt, ut Michael, dulcis re uera & ueneranda res & nomen?

Michael qui plane est plenus pietate Archangelica. Qui propter eam quæ conuenit in Dominum reuerentiam, pietatem & grati animi uirtutem ineffabilem, & quæ mutari non potest stabilitatem, prope thronum assistit Dominicum horrendū & terribilem, cum Cherubim qui multos habent oculos, & cum Seraphim qui habent sex alas. & primum locum obtinet inter mille millia, & decies mille myriades angelicorum ordinū. & proxime & citra vllum stuporem canit ter sanctum & admirabilem hymnum, inuehens in rebellem & scelestissimum Satanam, qui tanquā fulgur è cœlo in terram fuit deiectus cum immundis & malis eius spiritibus. Michael qui est maxima & clarissima stella angelici decoris & pulchritudinis: & qui claras reddit ac manifestas omnes Diaboli insidias. Qui Adam è paradiso eiectum fraude Dæmonis inimici bonorum, texit, traduxit, & direxit, & eum terram ligone docuit fodere, seminareq; & metere: & ad reliqua quæ utilitatem afferebant instituit: & ut cum benedictione & conuenienti gratiarum actione cum sudore semper pane vesceretur effecit. vt qui ex iniuria ei contigerat lapsus, per laboriosam & Deo gratam uiuendi rationem rursus corrigeretur.

Michael qui est uerus & sincerus Dei assessor, & ducit ordines uirtūtum cœlestium: & est sapiens gubernator eorum qui in Deum crediderunt. Qui pīj patriarchæ Abrahæ, etsi non uideretur, prohibuit gladium, ne tangeret Deo gratum eius filium Isaac. postquam apparuisset omni ex parte absolutum & Deo gratum patriarchæ propositum: & in eo benedixit omnes gentes, vtpote q; ex eo secundum carnem esset germinaturus Christus uerus Deus & seruator noster. Michael fax clarissima immaterialis & inaccessæ lucis. & diuinus ductor angelicorum ordinum. Qui legeslatori Mosi oues pascenti in monte Chorin apparens totus igneus in medio rubi, eum vrebat sine ulla læsione & non comburebat omnino, signa sanctissimę Dominæ nostræ Dei parentis significans. Mi-

chael, qui diuino nutu primas partes obtinet inter ignis ministros: & terram obit, implens voluntatem Dei omnipotentem. Qui à ratione alienũ vatis Balaam prohibuit impetum terribili suo aduentu. Quem etiam cum vidisset asina & timuisset, rationis participe voce senem amentem correxit. Michael angelorum ductor longe maximus, & excellentissimus minister diuinæ legis quæ data fuit in monte Sina. Qui cum famuli Dei Mosis animam accepisset, obscurũ & exitiosum Diabolum de eius corpore cum ipso ausum verba conferre, cessare fecit & cito euanescere.

Michael qui si id interpreteris, dicitur Dei dux exercitus: & fortissimus pugnator. & propugnator eorum qui spem collocant in Domino. & flãmea romphæa quæ scindit machinationes aduersariorum, tam eorum qui sub intelligentiam, q̃ eorum qui cadunt sub sensum. Qui Iesu naue aciẽ dirigenti contra aduersarios visus fuit stricto gladio, & eum terruit hoc alieno & terribile spectaculo: & hortatus est vt manum cõsereret. & conciderct inimicos Dei hostes Michael, omnium suprema ignemq́ ferens lampas diuinitatis, quæ est principium lucis vnicaque & trina, & subtilis naturæ constitutio. qui terræ fines obit celeriter, & pie iis quibus vult Deus mutata figura apparet. Qui ad Gedeonem solaris instar radij venit, & ab ipso tanq̃ diuinus & cœlestis angelus fuit adoratus: & ignea virga tanq̃ holocaustum consumpsit cibum quem obtulerat. & eum cũ trecentis solis impotentibus corroborauit aduersus maxime impiam & infinitam Madianitarum multitudinem. Michael maxime perspicuum purissimumq́ & ab omni macula alienum speculum ineffabilis & immensæ pulchritudinis diuini & fontani radij & splendoris. & acutum telum potentis & magni Regis Dei. Qui prophetæ Nathan apparuit resplendentem tenens lanceam, & ei animum addidit ad arguendum Dei parentem Dauid propter lapsum qui acciderat. & cito vt bonorum amicus recessit, quando peccaui Domino ex profundo cordis à Dauid Rege audiit.

Michael purum & capax receptaculum beatissimæ lucis effusionis & diuinæ illuminationis. & acutissimus ac perniocilissimus gladius in eos qui blasphemant Dominum. Qui centum & quinquaginta quinque millia execrandi & impij Sennacherib Regis Assyriorum in vno momento noctu morte affecit: & ab eius tyrannide liberauit pium Regem Ezechiam cum ciuitate Hierusalem. Michael qui est lucidus & candens spiritus, multosq́ habens oculos & potentissimus, & ab omni materiali apparitione remotus, & nullam omnino admittens corruptionem. Qui vna cum Azaria & reliquis symbolice ascendit in fornacem: & veluti spiritum roris mediam effecit fornacem: & tres maxime pios pueros illæsos conseruauit. & diuina specie conspectus à Rege Nabuchodonosor, cum magna affecit admiratione. Michael qui versatur in cœlis, & æthe-rem obit tanq̃ pernix fulgur: & vniuersam quæ est sub cœlo terram vno momento peruadit. piosq́ qui affliguntur adit recreat & consolatur. Qui prophetam Danielem in lacum per iniuriam coniectum celerrime conseruauit: & sæuorum leonum ora refrenauit: & Abbacum rapuit, & ad eum cum cibo parato à Palestina adduxit Babylonem: & eum rursus repẽte in suum locum restituit.

Michael qui est magnus princeps angelicorum exercituum & ordinũ

archangelicorum, beatiſsimæq; & immenſæ legionis incorporeorum: & qui fuit veteris Iſrael rector illo tempore: recens autem electi à Chriſto cognominati Iſraelis dux validiſsimus, & cuſtos tutiſsimus, & doctor Dei præceptorum. Qui Perſarum præſidem angelum reſiſtentem ne à Babylone liberarentur captiui Iſraelitæ, repulit tanq̃ aduerſarium. & captiuos qui ſeptuaginta annos miſere habiti fuerant, in regionem patriam reſtituit, propter aſsiduam cum vehementi ieiunio & multis lachrymis diuini Danielis prophetæ pro eis ad Deum precationem. Michael qui eſt à Deo conſtitutus aſſeſſor myſticæ trinitatis, myſtaq; illuminator & initiator ſupernæ hierarchiæ, & veteris quod præteriit teſtamenti, & nouæ noſtræ electæ Chriſti hæreditatis. Qui probaticæ piſcinæ in vnoquoque tempore aquas ſanctificabat in figurā diuini baptiſmatis: & primo qui in eam deſcendebat ſtatim præbebat curationem, quocunque morbo teneretur. Michael, qui eſt ſpecioſum & maxime decorum & quod non occidit luminare totius orbis terræ qui eſt ſub cœlo. Ignea & manu non conſtructa columna ſanctæ & apoſtolicæ Eccleſiæ. auri ſpeciem præ ſe ferentes & ad cœlum vſque magnitudine pertinentes ſcalæ. per quas deſcendit omnis datio bona, & omne donum perfectum quod mittitur à benefica & bonorum largitrice natura, ad viros bonos & honeſti amatores in terra. Qui in columna ignis apparuit ſanctiſsimo Archippo & fideliſsimo miniſtro huius archangelicæ & venerandæ domus, quando ſceleratus populus conabatur ipſum ſanctum cum templo obruere aquis fluuiatilibus. & diuina & archangelica virtute, aquas quæ inſolenter mouebantur, per virgam cito in petra effudit & tranſmiſit.

Michael qui perpetuo aſpicit faciem patris noſtri qui eſt in cœlis: & lætatur, imo verò collætatur cum Domino vniuerſorum propter inuentionem eorum qui perierant: & propter vnum peccatorem qui ducitur pœnitentia diem feſtum agit cum omnibus cœleſtibus poteſtatibus. Qui tuba illa terribili & ingenti voce canenti eſt cantaturus, & fundamenta terræ & quæ ſunt ſub terra eſt moturus, quando veniet finis conſummationis: & ſurgere faciet & congregabit mortuos omnes qui ſunt à ſeculo in iactu oculi ad iudicium generale & ad accipiendam vitæ remunerationem. vt ferat vnuſquiſque ea quæ fecit per corpus, ſiue bonum ſiue malum.

Cum hunc ergo ſuſcipiendum & maximum patronum, potentemq; defenſorem, & libere & confidenter loquentem interceſſorem apud omnium Regem Deum, diuinum, militię principem habeamus Michaelem ò chari patres, fratres & à Deo collecte cœtus, pie ipſum ſemper oẽs vt re uera puriſsimum, in mundis cordibus ſemper magnifice extollamus: verbiſq; lætitiæ & ſpiritalis exultationis, vt decet Archangelum, honorificis verbis & laudibus hodie proſequamur: amoreq; & deſiderio ei offeramus & veneremur, qui ardenter concurrimus ad ſacrum eius feſtum 1 in venerandum eius templum quod eſt pij nominis, vt affatim colligamus perennes eius & ſalutares gratias & defenſiones interceſsionis. Eſt enim liberalis ac munificus Dei magnus ille dux exercitus, cum diuiniſsimo & coarchangelo ſuo Gabriele, benedicens: corroborans: gratia implens: lætificans & ornans ac decorans corda fidelium. vt qui ſit ſanctis omnibus potentior. Vniuerſam enim quę eſt ſub ſole creatam na-

1 *Nota ſacrum feſtū Archangeli Michaelis.*

turam ad lucem deducit. Omnes autem eius laudatores eximie à variis eripit necessitatibus: & eos qui in omni loco pie eũ inuocauerunt, à periculis tam quæ videntur q̃ quæ cadunt sub intelligentiam liberat.

Fidelium & orthodoxorum populorum ecclesias exhilarat. Romanorum custodit rempublicam Christi amãtem Imperatorem armat aduersus Barbaros, Christianos reddit victores. hostes inimicos persequit: ab hominum calumniis suos seruos conseruat. ab eorum qui persequuntur molestiis pios liberat. ab ingentibus maris fluctibus eos qui ipsum inuocant eripit fertilitates fructuum terræ suppeditat. eos qui in tenebris versantur ducit. eos defendit quibus fit iniuria. consolatur eos qui sunt pusillanimi. ægrotos visitat. fideiubet pro peccatoribus. Dæmonum impetus propulsat. vitiorum flammam restinguit. vt sanctitatem faciamus nos inducit. & omnes qui sanctum & venerandum eius festum 2 fide & desiderio alacriter celebrant, ex omni difficultate & noxio occursu liberat. & dat salutarem gratiam princeps Dei militiæ. ad petitionem semper vtilem deducit & ad viam pœnitentiæ. & eis peccatorum procurat remissionem. & in iustorum stationem connumerat in regno cœlorũ. Gratia Christi Dei clementissimi. Cui gloria & potentia cum patre omnipotente & sanctissimo & bono & viuifico spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

2 *Omnes qui sanctũ & uenerandum eius festum celebrant alacriter ex omnis difficultate & nexio occursu liberat.*

EIVSDEM PANTOLEONIS

Diaconi & Chartophylacis magnæ ecclesiæ, narratio miraculorum maximi Archangeli Michaelis.

MAGNAE & multæ & variæ sunt tuæ incorporeæ & magnificæ archangelicæ virtutis & dignitatis notiones, donaq; & gratiæ ó gloriosissime Michael princeps militiæ. amplusq; & re uera sublimis & multiplex decoræ tuæ materiæ expertis formæ & vitæ status. est autem parua & nihili facienda humanæ linguæ carnea potestas. angustusq; & humilis & artificio carens, qui per instrumenta corporea à nostro corde sermo proficiscitur. Quomodo ergo te, ó omnipotentis Dei princeps militiæ, pro dignitate, licet conemur, laudibus affecerimus? Quam vocem incorporeã incorporeo tuo & intelligenti ordini respondentem, per materialia & corporea labra offeremus? Quibus vtemur sonis quæ significent ineffabilem & inexplicabilem tuam gloriam? Dubitat re uera vniuersa natura terrigenarũ te laudare & celebrare qui es princeps ordinis supercœlestis. Enarrari.n. & verbis explicari non potest locus diuinæ tuæ pulchritudinis & splendoris. Quomodo enim mirabilis facta est scientia Dei ex nobis. inualuit, non potuerimus nos homines ad eam: ita etiã archangelicæ essentialis tuę bonitatis & potestatis infinita multitudo, à qua arcana et diuina emanãt fidelibus, apprehendi & inuestigari non põt humanis cogitationibus.

Sed quoniam alicubi dicit diuinum eloquium. Quod didicimus prædicamus, & quod scimus annunciamus, ea de causa mittentes infinita magnalia

gnalia tuorum miraculorum, pauca quædam apposite & conuenienter collecta ex diuinis spiritus eloquiis, conamur exprimere nostrorũ verborum coloribus, & graphice narrare magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ: & terribilium tuorum miraculorum eructare potentiam: & prodigia tua annunciare iis qui hodie fide sunt cõgregati in diuino tuo festo. vt salutis iam propositum argumentum omnibus qui ardenter ad id accurrunt, O' maxime & in primis admirabilis Michael princeps Dei militię. Hodie enim tanquam magnificentissimus quidam conuiuator, conuocabo nos omnes spiritales conuiuas ad epulum tui festi quod exortum est sole luminosius. quod positum est ad principia orbis terræ qui est à finibus vsque ad fines. in quo miraculorum & animæ vtilitatis delitiis se explent omnia corda fidelium. Sed nunc quoque vt semper miserere nostræ humilitatis qui es excelsus assessor regni cœlorum. & exorere nobis splendoribus benignæ tuæ prouidentiæ, qui à benigno Deo accepisti benignitatem benigne Michael princeps militiæ. Qui es læta & luminosa significansq; & splendida stella solis gloriæ. Qui es fortissimus pugnator & propugnator ac defensor eorum qui Dominum diligunt. Qui prouides & prospicis, eosq; firmo tuo patrocinio adiuuas & defendis. qui te inuocant, & magno desiderio ad te accedunt in diuinam tuam ædem & maxime venerandam Tu illumina nostros intelligentes cordis oculos, vt intelligamus menteq; apprehendamus & enunciemus, quoad eius fieri poterit, miracula tuæ maiestatis. Nam per te vniuersa copiosa omniũ bonorum suppeditatio datur ab omnipotenti Dei prouidentia, iis qui in te sperãt citra vllam dubitationẽ, & se conferunt ad omnẽ tui laudationẽ.

Quid autem cogitantes, aut quibus verbis vtentes in primis poterimus sufficienter ostendere diuinæ prouidentiæ & benignitatis infinitum pelagus? Ad primum enim bonum & quod præcipue primo operatur, quoad eius fieri potest, oportet aperte omnes extolli. Principaliter ergo & aperte & ex debitu debemus mente cogitare qui figuram ferimus & imaginem eius quæ ex se habet potestatem & dominium diuinæ essentiæ, quod vnus est & solus Deus, qui propter infinitam bonitatem est omnia fabricatus quæ sunt in cœlis & in terra, vt dicit diuinus Apostolus. Siue visibilia, siue inuisibilia siue throni. siue dominationes. siue potestates. siue virtutes. siue principatus siue Archangeli. siue angeli. siue Seraphim. siue Cherubim & ipse est ante omnia. & omnia in ipso cõstant. Qui hanc etiã variam condidit creatam naturam, in vnam vnius mundi harmoniam & complementum. Qui solus est ingenitus & æternus. Qui solus est expers principij, & in quem non cadit interitus, & finis. Qui solus est eiusmodi vt comprehendi & inuestigari & videri nequeat. Qui omni circũscriptione & comprehensione essentiam habet superiorem. Qui nullam potest suscipere mutationem & alterationem: estq; omnipotens & ab exitio & interitu aliena natura. fons perennis & qui nunquam exinanitur miserationum & bonitatis: omnium diuinorum donorum & gratiarum qui exauriri minime potest abyssus misericordiæ quod non potest exprimi pelagus. beatissima & summa pulchritudo, & sola re vera digna quæ ametur. Vniuersi quod dicitur & intelligitur boni, efficiens & impertiẽs & largiens causa & prima causa. Hic est qui proprer solam bonitatem essentialem & naturalem, ea quæ non erant aliquando vocauit

ad hoc vt essent: & omnia ad essentiam deduxit & constituit. eaq; comprehendit & continet: dirigit & ducit, ferens solo nutu suæ maiestati, & potentiæ.

Atque primum quidem conuenienter ei quod dicit Theologus Gregorius, mente agitauit angelicas & cœlestes potestates. & quod mente agitauit, fuit opus verbo completum & spiritu perfectum. Sicq; constiterunt secundi splendores, ministri primi splendoris. siue intelligentes spiritus, siue ignem, vtpote materiæ expertem & incorporeum. siue aliquam aliam naturam. q quàm proxime ad ea quæ dicta sunt accedat, eos existimare oporteat. Volo quidem, inquit, dicere eos primum ad malum immobiles, & qui solum habent boni motum. vt qui sint circa Deum & primo à Deo illuminantur. nam quæ hic sunt, sunt secundæ illuminationis. Mihi autem persuadet vt non immobiles sed ad mouendum difficiles eos existimē, qui propter splendorem Lucifer, et factus est & dicitur tenebræ propter elationem. & quæ sub eo consistunt potestates, architectatrices vitij, boni fuga, & nobis conciliatrices. Atque sic quidem qui apprehenditur intelligentia, & propter hæc, mundus fuit constitutus.

Cum autem prima ei recte se haberent, secundum mente agitat mundum materia præditum & qui cernitur. Et is quidem est, id quod ex cœlo & terra & iis quæ intercedunt, est constitutum & coagmentatum. Luciferum autem, eum qui à Deo defecit & cum eo pugnauit & est insolens & iactabundus, Diabolum vocat Theologus, ex voce Esaiæ Prophetæ, qui eius casum deplorat & dicit. Quomodo cecidit è cœlo Lucifer qui mane oriebatur, & cōtritus est super terram De eo enim diuinus quoque Dauid, ad eos qui similiter à diuina charitate defluxerant atque sceleratus ille & malitiosus qui defecerat, dicit. Et tanquam vnus ex principibus caditis. Princeps enim erat vnius angelici ordinis in cœlis Diabolus. non Diabolus ab initio productus & factus, sed bonus ex bono & pulcher ex pulchro & qui solus bona facit, opifice vniuersorum. Postremo autem præter legem naturæ, decretumque & rationem diuinæ iustitiæ, imperij cupiditatis œstro percitus, rebellauit aduersus Creatorem, regnum eius & gloriam sibi conans vsurpare. Secum autem attraxit etiam infinitam rebellium multitudinem, quæ suæ stultitiæ & malitiæ eum accepit adiutorem. Nam propter hanc causam impiæ cogitationis, ex cœli conuexis vehementi impetu cecidit execrandus. Nam simul atque ei venit in mētem sceleratissima & maxime impia cogitatio, fuit confestim contritus ab omnipotenti Domino qui dixit. Videbam Satanam tanquam fulgur è cœlo cadentem. Similiter autem de eo quoque dixit per Ezechielem Prophetam. Simulatq; elatum fuit cor tuum propter pulchritudinem tuam, & dixisti in cogitatione tua Deus ego sum, statim à sancto monte meo in terram te deieci per Cherubim. & interiit sciētia tua cum pulchritudine tua & dabo te in cinerem super terram coram omnibus te videntibus, fidelibus scilicet. Quomodo etiam dixit Dominus in diuinis euangeliis. Ecce do vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpios, & super omnem potestatem inimici.

Nonnulli autem discendi cupidi inquirunt, num propterea sit eiectus q Adam eum non adorauerit? Est autem stultorum & insipientium hoc dicere. Cecidit enim Diabolus priusquam factus esset Adam. quomodo

patres aperte pronuntiant omnes Angelos fuiſſe factos ante cœlum & terram. Diabolum vero eſt probabile quarto die cecidiſſe quando Deus fecit luminaria, ſicut ſcriptum eſt in Iob. Quando facta ſunt aſtra, laudarunt me magna voce omnes angeli mei & hymnis celebrarunt. Semper enim etiam non tacite angelis Dominum glorificantibus, tunc cum maiori voce eum laudibus celebrarunt, vt ſignificauit ſcriptura. propter iuſtum, ſcilicet caſum maligni illius qui defecerat. Oportet autem ſcire ex noſtris ſcriptis o dilecti, ꝙ omnis chorea & ordo habet ducem ordinis qui incipit melodiam. Sic etiam de ſanctis angelis dicit Dionyſius angelicorum ordinum diuiniſsimus interpres Non abſurde diuina & cœleſtia, ,,
materiali noſtræ hierarchiæ, pro viribus ſenſiliter, quoad eius fieri poteſt ,,
ſunt aſsimilata. Ducem vero ordinis angelicæ choreæ lucidiſsimum & ,,
maximum militiæ principem Michaelē intelligere à ſuperis accepimus.

Miraculum primum de rebelle & ſuperbo Satan & immundis eius ſpiritibus.

HIc ergo fideliſsimus & ſanctiſsimus, magnus exercitus Dux 1
Michaele, diuini conſilij pius miniſter, qui propter Dominicum & omnipotentem diuinum iuſſum in terram iecit ex cœleſtibus abſidibus rebellem & ſuperbum Satanam cum eius immundis & malignis ſpiritibus: tunc in eos inuectus, & triumphum agens de eorum malitia, cōgregatis cunctis Angelorum populis, magna voce laudauit Deū vniuerſorum. & omnipotentem Dominum. angelicos greges eo veluti ducens vt ſtatus meminiſſent immobilis & quæ bona facit ſtabilitatis. & dicit, Attendamus. perinde ac ſi diceret. Qui creati fuerant, & quibus obtigerat vt Deus increatus & in aſpectabilis eos produceret propter naturalem ſuam bonitatem, quid eis accidit qui nobiſcum huc vſq; diuinis illuſtrabantur ſplendoribus? Animaduertamus quam repente mutati ſunt in tenebras propter arrogantiam & contemptionem eius qui eos fecerat. Cognoſcamus quos fructus conciliet liberi arbitrij voluntas inconſiderata. & ſtemus immobiliter in timore quotidie diuinum miniſterium opifici offerentes. Porro autem quandam quæ eos contineret hymnodiam, vt qui in primo loco ſtaret, cum Seraphin & omnibus ſimul diuinis & cœleſtibus poteſtatibus, magna voce cecinit diuinam illam & quæ nunquam poteſt deſinere omnipotentis diuinitatis quæ eſt principiū luminis. vnitaque eſt & trina, ter ſanctam glorificationem. Sanctus ſanctus Dominus Sabaoth plena eſt vniuerſa terra gloria eius. A' Dei vero adminiſtratoria diuina gloria alienatus maleficus Diabolus, cum vidiſſet terreſtrem hominem eſſe quamuis re creata honorationem, vt qui dominicis manibus factus eſſet ad ſuam imaginem & ſimilitudinem, ſtatuit eum totis viribus ſeparare & eripere ab eius qui ipſum fecerat & honorauerat, ſalutari præcepto. Videns enim maglinus & ſceleratus ſe in extrema eſſe ignominia, valde cruciabatur: & cum nō poſſet ad Deum cōuerti, in Dei imaginem ſuam effudit improbitatem. & effecit vt homo eſſet obnoxius interitui & morti, eo eiecto è diuinis & viuificis paradiſi delitiis. Et ſtatuit Deus Cherubim & flammeam rhomphæam ver- ,,
ſatilem, vt cuſtodiret paradiſum. Sed etſi ſic quidem cecidiſſet homo qui ,,
liberum habebat arbitrium, & à bono ſtatu defluxiſſet, non eum deſpe-

xit Deus. Sed vt qui ſit natura benignus & ingens mare habeat bonitatis, veluti quædam arma ad conſeruandum validiſsima ei præbuit magnum Michaelem militiæ principem aduerſus Diaboli potentiam. vt cuſtodiret & defenderet hominem qui lapſus fuerat. vt quomodo ceciderat per imperitiam, per laborioſiorem rurſus viuendi rationem & diuinam virtutem inſtaurato prælio. victor effectus coronetur.

DE ADAMO.

11 Porro autem Archangeli Michaelis ſuaſionibus & monitis inſtru-
ctus Adam, & ligone terram fodiens, & ſudore & labore frugaliter
nutritus non fuit amplius ſeductus ab hominis inimico & Dei hoſte. nec
paſſus eſt aliam ab ipſo commotionem. Nam ab eo tempore omnino eũ
valde habebat odio, mente agitans per propheticum rorem qui adhuc in
eo inerat, illud. Ne des in commotionem pedem tuum. & non dormitabit
qui te cuſtodit angelus. Ab eo enim tempore credimus nos habere ange-
,, lum vnicuique animę ducem, vt dicit Dominus in Euangeliis. Videte ne
,, deſpiciatis vnum ex his paruis, qui ſunt minimi. angeli enim eorum aſsi-
,, due vident faciem patris veſtri qui & in cœlis. Similiter etiam dicit Ia-
cob patriarcha. Angelus qui me liberat à malis omnibus. Non dixit, Qui
me liberauit, ſed qui ſemper liberat. Quinetiam beatum Apoſtolum Pe-
trum à manu Herodis angelus Domini liberauit. Simulatq; enim con-
ſtitutum fuit humanum genus, iuſsi ſunt angeli eius vitæ curam gerere.
& vnumquenque hominem fidelem ſortitus eſt bonus Angelus, vt eius
vitam componeret & eius animam perficeret. Multi autem cum eo lu-
ctantur Dæmones à via recta eum facientes aberrare. Immundis enim
Dæmonibus non ſunt curæ infideles, ſed ij qui pie viuunt. eis enim inui-
dent & cum eis bellum gerunt. Quando autem ambulat quidem in ſan-
ctitate & iuſtitia homo fidelis, lætatur angelus qui & fuit datus ad ip-
ſum cuſtodiendum. Quando vero à via recta declinauerit, triſtis quidem
eſt bonus angelus: Dæmones autem exiliunt. Iam verò magnus quoque
dicit Baſilius. Sunt angeli qui in vnaquaque eccleſia deſcribunt eos qui
orant & ieiunant. Vide ò homo, ne propter paruam voluptatem & bre-
uem ſomnum, hoc damnum accipias, ꝙ te non deſcripſerit angelus.

Et in fidelibus quidem, vt prius diximus, vnus angelus à Deo datus
eſt vnicuique. In infidelibus autem vnanquanque integram gentem ſor-
,, titus eſt vnus angelus, vt dicit ſcriptura. Statuit terminos gentium ſecun-
,, dum numerum Angelorum Dei. Et vt Iudęorum quidem gentem cuſto-
diret conſtitutus eſt Michael magnus Dei militiæ Princeps, vtpote ꝙ
in Deum credidiſſent. Alius vero pręfectus fuit Perſis. Alius veri Græcis.
& deinceps ſimiliter Cæterum diuinus quidem & magnus Dux exerci-
tus Michael eſt princeps omnium cęleſtium poteſtatum: præeſtq; & cu-
ram gerit totius generis fidelis: & rurſus fideles qui laborant pręuenit &
conſeruat. vt qui à Deo iuſſus ſit celerem habere naturam. & tanquam
fulguris adeptus velocitatem, vniuerſam terram & ætherem vno mo-
mento percurrere. Exiliit enim, inquit. angelus qui ambulabat ante ca-
,, ſtra filiorum Iſrael. Hunc autem angelum, militiæ principem Micaelem
eſſe dixit ſcriptura in Ieſu Naue. Nam nomen eius aperte declarauit in
propheta Daniele.

Hic

Hic ergo magnus & gloriosus Dei militię princeps Michaël, & veteri vt conuenit fuit administer: & nouo magis administrat quæ sunt salutaria. Postquam enim valde irritarunt & penitus dereliquerunt Dominum Deum increduli Israelitæ: & ea de causa fuerunt penitus exterminati: & aduocati sumus qui credidimus ex gentibus: & factus est nouus Israel à Christo denominatus & Christum intelligens: nam si interpreteris Israel, is est mens videns Deum: tunc diuinum quoque militię principem Michaelem remouit à Iudæorum consuetudine bonus Deus: & ab eo tempore eum nobis electis Christianis constituit maximum defensorem & Seruatorem. aliarum gentium curam suscipientibus aperte aliis minoribus angelis Nam quo est gens quidem sancta Christianorum reliquis omnibus præstantior, eo necesse est esse maiorem dignitatem Archangeli Michaelis, qui curam gerit generis Christianorum. Non enim essentia Angelorum habet differentiam, sed dignitatis excellentia. Vult enim omnes homines esse saluos qui vniuersorum curam gerit & est natura benignus.

Sed cum miseri homines sua stultitia in errore perseuerarent & cultu simulachrorum: & nequaquam vellent id quod oportebat intelligere, & effectorem agnoscere ex magnitudine ex pulchritudine rerum ab eo creatarum, pius ille Abraham cum ex rebus creatis mente comprehendisset Creatorem: & infinitæ potētiæ admiratus esset artificium: valdeq́ ęgre ferret & indignaretur in stultos & incredulos qui rem creatam colebant vltra Creatorem Deus è cœlo eum est allocutus, dicens. Egredere è terra tua & ex cognatione tua & ex domo patris tui. & veni in terram quam indicabo tibi. Deinde sic ei apparuit in specie trium Angelorum. Ab eo autem hospitio acceptus apud quercum Mambre, præclaræ, eius hospitalitatis mercedem præbuit ei iam seni, & cum sterilis esset vxor Sarra, pium filium Isaac & in moribus & virtute ei similem. Postquā autem præter spem natus esset filius, omnibus probatiorem reddens eius animi magnitudinem fideiq́ & animi pietatem, ei rursus dixit. Abraham Abraham. Accipe filium tuum dilectum quem genuisti Isaac, & eum mihi offer in sacrificio. Ille autem simulatq́ fuerat ei imperatum rem exequebatur. & cum ligasset Isaac, & extendisset manum quæ tenebat gladium, iam guttur illius tacturam, eū repressit angelus Domini Michael, scilicet, dicens. Ne immittas manum tuam in filium. Nunc enim noui q́ tu timeas Dominum. sed aspice tuis oculis & vide ad te missum arietem ligatum. & eum offer pro Isaac filio tuo. Hunc autem angelum qui hæc dixit Patriarchæ, militiæ principem Michaelem aperte esse credimus. Etenim Iacob quoque quem frater persequebatur Esau, militiæ princeps liberauit & seruauit. Qui etiam ei animum addens ne timeret eum qui persequebatur, cum eo luctatur in nocte, & tangit eius femur, propemodum dicens. Si cum angelis valuisti luctari, quid times hominē in quem cadit interitus?

De Abrahamo

Cum autem multiplicati essent qui ex pij Abrahæ genere descenderāt vt pollicitus ei fuerat Angelus, ij in Aegypto vero male haberentur, eorum misertus est Deus qui est natura benignus, & elegit Mosem famulū suum: & per ipsum Archangelum Michaelem eum constituit ducem totius generis Abrahæ, vt educeret eos è terra Aegypti: & per mare rubrum

De Moyse

tanq̃ per ſiccam terram eos tranſmitteret. properante populo ad terram eis promiſſam quæ fluebat lacte & melle, Michaele Archangelo parante viam eius ante ipſum. Cum autem perueniſſet in regionem Moabitarum vt tranſiret per eorum fines, ei reſtitit Balac Rex Moab prohibens eum tranſire. Accerſiit quoque ipſe Rex Balac vatem quendam ſenem inſegnem, nomine Balaam, ad execrandum populum Moſis vt vinceretur. Proficiſcenti autem Balaæ in via occurrit angelus Domini, Michael, ſcilicet defenſor Iſraelitarum. Quem cum vidiſſet aſina Balaæ, declinauit & alliſit pedem Balaæ ad parietem. & eum arguit aſina humana voce, oſtendens terribilem Archangeli viſionem. Balaam autem cum aſpexiſſet ſplendorem qui ex eo emicabat, valde territus dixit.

De Balaam IIII

„ Parce mihi, parce mihi Domine. Nam ignorans peccaui. Sed hanc licet viſionem aſpexiſſet Balaam, non ſtatim eſt reuerſus: ſed venit ad Regem Balac qui eũ accerſiuerat. vt deſiderio eius ſatisfaceret. Sed ambo à ſcopo exciderunt. Nam cum in altiſsimo loco ſtetiſſet Balaam, & conſpexiſſet caſtra Iſrael tanq̃ cedros propter aquas, propheticam & benedictionem loco execrationis vel inuitus vates effatus eſt populo Iſraelitico, dicens.
„ Orietur ſtella ex Iacob: & ſurget homo ex Iſrael: & confringet duces
„ Moab. & quæ ſequuntur. Propter malum autem omnium & execrandũ ſuum conſilium, quod merebat Balac accepit exitium.

Quod autem eſſet Michael princeps Domini militiæ qui occurrit Balaæ & ei denuntiauit, vt qui eſſet dux populi Iudæorum eumq́ præcederet & deduceret, aperte oſtendit ſcriptura in corpore Moſis, vt diuiniſsimus Iudas Apoſtolus frater Domini dixit in ſua catholica Epiſtola.
„ Michael autem Archangelus, quando contendẽs cum Diabolo diſſerebat
„ de corpore Moſis, non auſus eſt efferre iudicium blaſphemiæ. ſed dixit ei
„ angelus, Increpet te Dominus. Quid autem cum Diabolo diſſereret militiæ princeps Michael, ſciemus. Conabatur hoſtis & inimicus & profanus Diabolus, cum ſumma impudentia, & contendebat in deceſſu Moſis qui Deum maxime eſt contemplatus, efficere vt eius corpus redigeretur ſub poteſtatem interitus. vt nullus videret bonum ſignum in futurum; ad humanam eſſentiã. Et ideæ dicebat tenebricoſus Satan luminoſiſsimo Dei militiæ principi Michaeli, Moſem feciſſe cędem Aegypcij. & alias in eum confingebat calumnias & criminationes. Superbo ergo & iactabundo maligni animo reſiſtens Michael Archangelus & contradicẽs: & nunc hoc nunc illud reſpondens ad ea confutanda quæ ab illo dicebantur improbe: poſtremo videns eius inſignem impudentiã, eum increpauit, dicens. Increpet te Dominus. hoc eſt, Te ò Diabole ꝑdat Deus. Statimq́ euanuit ſceleratus aduerſarius. Talis eſt enim potentia diuini & Deum contemplantis Michaelis. & hęc eſt quæ fuit diſputatio & contentio in deceſſu magni Moſis, quando eius corpus abſcondit Michael princeps militiæ. ne ſi id inueniſſent Iudęi: tanquam Deum adorarent, qui ne belluis quidem pepercerunt. Hæc Michael qui eſt angelicarum poteſtatum præſtantiſsimus.

De Ieſu Naue V

Sed is quoq; etiam poſt deceſſum diuini Moſis, cum Ieſus Naue diuinitus in populum Iſraeliticum obtinuiſſet imperium, & cum duceret in terram promiſsionis, & ſtruxiſſet aciem contra aduerſarios, & de committendo prælio diſſereret, viſus ei tanq̃ fortiſsimus miles militiæ prin-

ceps Michael, stans omnino erectus, læto vultu & veste insignis. eratque strictus gladius in manu eius. Accedens vero Iesus qui erat armatus, et acerbe dixit, vt est verisimile. Noster'ne es an aduersariorum? Pręclarus enim tuus & varius aspectus incitat me vt te interrogem. Dic ergo mihi Ocyus priusquam te cæsim aggrediar. Non enim conuenit, vt acie relicta in discrimine, ego te pergam alloqui. Arbitror enim te venire nos speculatum Sinautem venisti transfuga, abiecto hoc tuo micante gladio sis cito nobiscum: & liberare ab exitio quod impie vrbi Hiericho imminet. Sinautem es noster, cur solus stas extra aciem quę versatur in certamine? Dic mihi autem Ocyssime. ego enim ex lingua hebraica te agnoscam. Hæc cum interrogaret Iesus Naue, respondit ei Michael magnus ductor Dei ordinum. Ego præcipuus Dux copiarum Domini nunc accessi. Protinus autem abiectis armis suis Iesus Naue, humi cecidit in terram: & eũ adorauit dicens. Domine domine, quid imperas tuo famulo. Nam ego " quoque sum tuus famulus, sicut etiam Dominus meus Moses. Tu me- " cum quoque duc exercitium, me perpetuo sicut illum corroborans. Ecce enim aduersus hostes fortiter direxi aciem, fretus inuictis tuis viribus. per quas sæuus & immanis Pharao cum toto exercitu, colligatis simul curruum axibus, vt mari funditus obrueretur effecisti. & qui Dominum meũ Mosem in via obsistendo impedierunt, impios Moabitas ad internocionem deleuisti. Quid imperas famulo tuo Domine? Sanctissimus autem princeps Dei militiæ dicit ei. Solue calceos ex pedibus tuis. Locus enim " in quo stas est sanctus Quod cum statim factum esset, iussit vt audacter inuaderet vrbem illam septem muris circundatam & inexpugnabilem. & simulatque inuasisset cum septem sacerdotibus tuba canentibus, eam ad solam vsque diruit admirabiliter. & eam totam cum oĩbus ædibus & diuitiis excussit. vt qui eam domino tanq̃ consecratum donarium & prædæ primitias obtulerit. Deinde sic postea viginti & nouem Reges præter Hiericho, cum eorum exercitibus & vrbibus Iesus Naue filius consumpsit. non habens ciuitatem. non vllam belli sedem. non milites qui vllam haberent belli peritiam. sed diuino nutu & auxilio maximi ducis omnium cœlestium potestatum.

De Goliath VI

Erat enim hic militiæ princeps, qui etiam in Goliath ponè est iaculatus & eum pronum prostrauit, quando diuina funda fuit percussus Dei pa- " rentis Dauid. Nisi enim angelus Domini eum ponè percussisset, supinus cecidisset in fronte accepto vulnere.

De Daniele VII

Eundem autem maximum militiæ principem videt etiam Dei summum contemplator propheta Daniel, arguens sceleratos qui aduersus castam Susannam insanierant. & dicit alteri eorum. Expectat angelus Dei iamtenens gladium vt te secet medium. Quinetiam postquam venit in mentem Dei parenti & Regi, Dauid facti ab eo peccati, & egregiam illam compunctionem & pœnitentiam cito ostendit, cũ qua flens ex profundo cordis clamauit, Peccaui Domino, postquam vidit propheta Nathan Angelum qui erat paratus recessisse, dixit diuino Dauidi. Dominus quoque abstulit peccatum tuum: non morieris, magnam & ineffabilem benigni Dei bonitatem ei annuncians, & eum consolans.

De Sennacherib VIII

Iam vero cum execrandus Sennacherib Rex Assyriorum, plurimas gentes redegisset in seruitutem; & multas Iudeæ munitas cœpisset ciui-

tates, venit & circūdedit Hierusalem cum maximis copiis, et statuit Rapsacen sæuissimum suum ducem ad piscinam vitæ superioris. & clamauit hebraicę ad Ezechiam & Iudæos qui erant in ciuitate, blasphema uerba dicens & Satanica. Hæc autem dicit vobis Rex magnus Assyriorū. Quæ est hæc fiducia quæ confiditis, quod dicitis. In Dominum Deum confidimus? Egredimini ad Dominum meum potentem Regem Sennacherib: & viuetis & non moriemini: & comedet vir ficum suam. et bibet vitem suam. & accipiam ex vobis in terram meam: & glorificabo valde & magnificabo. & ne audiatis Ezechiam. quoniam vos decipit, dicens. Dominus nos liberabit. Num liberantes liberarunt Dīj gentium vnusquisque suam regionem à manu Regis Assyriorum? Hæc cum audiisset Ezechias, induit saccum, & ingressus est in domum suam, & fleuit vehementer dicens. Domine Deus Israel qui sedes super Cherubim, & in orbem circūdaris & glorificaris non tacite à Seraphim & ab omnibus sanctis Angelis, Tu Deus solus in omnibus regnis terræ. Tu fecisti cœlum & terram & omnia quæ sunt in eis. Inclina Domine aurem tuam & audi. Aperi Domine oculos tuos & vide, & attende sermones Sennacherib quos misit exprobrans Deum viuentem. Quoniam in veritate Domine desertas reddiderunt gentes Reges Assyriorum. Et nunc Domine Deus noster serua nos à manu eius. & cognoscent omnia regna terræ, quod tu es Dominus Deus solus. Et egressus est angelus Domini nocte illa. & interfecit ex castris Assyriorum 185 millia. Et cū mane surrexissent, inuenerunt corpora mortua. Et dum auerteretur & fugeret Dei hostis Assyrius Sennacherib, eum interemerunt duo filīj eius grauiter in gladio, cum permansisset nulla ductus pœnitētia. Cuius autem fuit hoc stupendum præclarumque & admirabile facinus & potentia. non omnium regis Domini Sabaoth principis copiarum Michael, qui non visus duxit exercitum, & aduersarios temporis momento sine gladio aperte concidit, in auxilium & custodiam suorum, qui spem suam collocarunt in Deum viuum vltionum, & qui solus potest seruare?

De Ezechia rege Hierusalem.

Sed ingrati Iudæi & stulti & increduli & ingrati, qui plurimorum diuinorum beneficiorum fuerūt immemores, post manu Angeli hostium illorum infestissimorum factam cladem, & turpem illorum fugam, ne sic quidem potuerunt intelligere & agnoscere. sed dicebant. Manus nostra excelsa fecit hæc omnia prodigia. Propterea tradidit eos Deus omnino in manus Nabuchodonosor Regis Chaldæorum. qui etiam diruit omnes muros Hierusalem. & incendit ciuitatem totam, & domum Domini. & bello capta accepit vasa sacra, & multitudinem diuitiarum eorum. & duxit omnia Babylonem. Et fuerunt Iudęi seruientes in captiuitate cum magno metu Chaldæis, colentes omnes eorum simulachra pręter sanctos tres pueros & prophetam Danielem. Hi enim soli viri pīj, etiamsi plane infantes abducti essent in captiuitatem, Dei timorem semper habentes, non cum sui generis pontificibus Scribis & Pharisæis eo deducti sunt vt colerent Deos qui non sunt, neque regium illum iussum timuerunt: sed in Deum viuum qui dat salutem confidentes, cum ducti essent ad tyrannū, audacter dixerunt. Notum tibi sit Rex quod Deos tuos non colimus: & imaginem auream quam posuisti non adoramus. Tunc Nabuchodonosor Rex, in ira & furore, iniecit Ananiam Azariam & Misael in fornacem

De sanctis tribus pueris. IX

nacem

nacem ignis ardentem Dei autem angelus Michael scilicet, simul cum eis descendit in fornacem: & nec omnino quidem eos tetigit ignis. sed excussit Angelus flammam fornacis. & transiit ignis circũcirca. & combussit viros omnes qui ipsos iniecerant. hoc est administros Regis. Tunc tres tanq̃ vno ore lætantes, laudabant & benedicebant & solum Deum glorificabant. Rex autem audiuit ipsos Deum laudãtes in medio fornacis. & cito ,, surgens dixit Magnatibus suis. Non tres viros vinctos iniecimus in me- ,, dium ignis? & aspectus quarti est similis filio Dei? Tunc cum Rex eos ,, accersiisset, egressi sunt illæsi. Cum autem diuini pueri egressi essent absq; vlla læsione, corã eis adorauit Rex & dixit, Benedictus Dominus Deus ,, Sidrach, Misac, & Abdenago. qui misit Angelum suum, & eripuit pueros suos ex igne fornacis ardentis. Tunc Rex constituit eos principes, & maximo eos honore affecit cum propheta Daniele. Pulchra re uera diuinus cantor Dauid psallit. Castrametabitur angelus Domini in circuitu timẽ- ,, tium eum, & liberabit eos. ,,

Simile autem rursus miraculum ostendit Deus admirabilium, per gloriosum Archangelum suum Michaelem, in famulo quoque suo Daniele iniecto in lacum leonum. Nam postquam regnarunt Reges alij à Nabuchodonosor, diligebatur ab omnibus sapientissimus Daniel, vt qui ex Deo somnia coniiceret. Babylonij autem inuidia moti, insurrexerunt eo tempore aduersus Cyrum qui tunc apud eos regnabat, sicut prius aduersus Darium: & dicunt ei: Rex, Da nobis vt morte afficiamus He- ,, bræum Danielem. quoniam Bel Deum nostrum contriuit: & veneran- ,, dum Draconem interfecit. & Sacerdotes & incantatores nostros occidit. ,, Sin minus, te interimemus & domum tuam, vt iudaizantem. Cum vero ,, vidisset Rex q̃ cum valde vrgerent, coactus tradidit eis Danielem. Illi autem iniecerunt eum in lacum leonum. & fuit illic sex dies. Erant autem in lacu septem leones. Occlusit vero Archangelus Michael ora leonum: & non molestia effecerunt Danielem. neque attigerunt omnino corpus eius. Cum vero venisset Rex septimo die vt lugeret Danielem in lacu, inuenit salua quæ fixerat signacula. Et lacu aperto videt Danielem stantem rectum & manus habentem extensas, & Deum laudantem & dicentem. Benedictus es Deus qui misisti angelum tuum & obstruxit ora ,, leonum, & mihi non nocuerunt. Tunc Rex cito cum gaudio Deum glo- ,, rificans, sustulit Danielem è lacu illæsum & adorauit eum. Viros autem qui Danielem accusauerant iniecit in lacum leonum. Non prius autem fuerunt in solo lacus quàm eos inuadentes leones deuorarunt: & omnia ossa eorum tãquam in puluerem comminuerunt. Hic ergo vir desideriorum Daniel, sanctissimum Archangeli nomen nobis ostendit q̃ vocaretur. Michael, idest, Dux Dei exercitus, vt qui hoc mysterium acceperit ab alio angelo.

De Daniele propheta. X

Porro vero Abbacuch quoque Propheta erat in Iudæa. Ipse aũt coxerat pulmentum, & panes intinxerat ad nutrimentum: & ibat vt id ferret suis messoribus. angelus autem Domini apprehendit verticem Abbacuch: & impetu sui spiritus. eum portauit à Iudæa Babylonem cum lentis alimento. & intulit ipsum Archangelus in lacum leonum non solutis illic signaculis. Comeditq; Daniel seruus Domini & lætatus est. Et rursus idem angelus Michael restituit confestim Abbacuch in locum suum.

De Abbacuch propheta. XI

nihil ei impedimenti afferens quominus eadem hora veniret, & eodem cibo messores suos copiose aleret. Papè quanta est diuini Archangeli pernicitas?

Validissimo quoque suo impetu, diuino nutu, similiter rursus alias assumpsit diuinum quoque Prophetam Ezechielem. vt dicit ipse Ezechiel in sua prophetia, Et aspexi. & ecce similitudo viri à lumbis suis: & inferius ignis. & à lumbis eius & superius tanquam visio electri. & accepit me à vertice in spiritu suo i medio cœli & terræ: & deduxit me Hierusalē.

De Ezechiele ꝓpheta. XII

Quinetiam Apostolum quoque Philippum similiter rapuit angelus Domini mei, & transtulit in Azotum. & non vidit amplius ipsum Eunuchus Reginæ Aethiopum, postquam ab eo accepit baptismum salutarem.

De Philippo XIII

DE MARCIANO CERIFERO.

XIIII Mētem autem impellit & mihi animum excitat eximia gratia & virtus diuini ordinum Ductoris supernarum potestatum: & ducit ad narrandum vnum solum eius miraculum. Vincitur enim & caligat omnis vis dicendi, intuens ad altitudinem & multitudinem & excellentiam infinitorum & variorum & omnis generis eius miraculorum. & recusat omnino de iis scribere. Deficiet enim plane tempus nos, vt diuinus ait Apostolus, narrantes. Est enim pelagus metiri facilius, & stellas numerare, quàm maxima quæ à maximo incorporeo quotidie in nos fiunt miracula. Ex magnis ergo & insignibus eius miraculis, audebo pauca q̄dam vobis narrare admirabilia opera. Tempore Michaelis Imperatoris & Theodoræ eius matris erat vir quidam nomine Marcianus, qui à teneris vnguiculis fuerat Cerifer venerandi huius tēpli. In ipso enim diuino & venerando & pulcherrimo templo Archangelico, omnes qui mari agitantur omne genus morborum, & accedunt in fide, & ex intemerata illa eius imagine bibunt vnguentum emanans, statim assequuntur quæ speratur curationem. In hoc ergo diuino & religioso templo assidue perseuerabat prædictus Marcianus Archāgeli Cerifer, vsque ad senectutem cum magno amore & fide: neque vnquam omnino opus habuerat Medico. sed simul atque aliquando incidisset in vllum morbū, protinus procidebat in dicto templo Ductoris ordinum Michaelis. breuiq; sanus redibat in domum suam propter totam suam in eum affectionem.

Cum eo ergo aliquando grauis morbus & plane desperatus inuasisset, iacuit in inferiore parte templi Archangeli aliquot dies cum stabili & firma in eum fiducia. Cum plurimi autem amici & medici ad eum congregarentur, & dicerent alij alia quæ ad eius pertinebant curationem. Ipso vero ne eos quidem omnino de his audire sustinente, ausus est vnus ex medicis facere ea quæ dicuntur fomenta. & iussit iis qui ipsi ministrabāt, vt ei mederentur ante matutinum, vellet an non. Cum autem fomenta composuisset medicus, domum rediit. Illa autem nocte Marcianus cum à se veluti discessisset & esset in exstasi, quomodo & vir hic pius narrauit, & subiectum argumentum ostendit veritatem, omnes templi portas vidit repente apertas: & ad lauacrum quod extabat virum terribilem cum impetu è cœlo equitem descendisse. Cum is autem ex equo descendisset in purpureo quod illic erat marmore, ingressus est in templum à plurimis stipatus tanquam Præpositi veste indutus. & impletum est vni-

uersum templum odore ineffabili. Paulopost vero cum accessisset ad lectũ Marciani, finxit se ea attrectare quæ erant in scamno, & rapere quæ in eo erãt posita ad alimentum & vsum. & cum inuenisset in catino posita quæ dicta sunt fomenta, ea accepta tulit ad Marcianum, rogans quid hæc sibi vellent: & quisnam esset qui ea temere fecisset in domo sua. Cum is autem respondisset cum tremore, dixit ille terribilis & gloriosus duobus suis Satellitibus. Tollite ea, & euntes quamprimum perforate caput eius qui me cõtempsit: & ipsa in id iniicite. Cumq; intinxisset summum digiti sui in candela quæ impendebat eius admirabilium rerum effectrici imagini, signauit caput Marciani sancto 3 oleo in figuram crucis & ex ecclesia egressus, equo rursus consenso sublatus est in cœlum. statimq; clausæ sunt omnes portæ ecclesiæ ita vt quomodo videri non potuerit. Marcianus autem magno timore affectus, & animo anxius vsque ad matutinum, propter terribilem visionem accersiit Presbyterum ecclesiæ, & narrauit ei omnia. Tunc Presbyter cum quæsiisset quæ à medico parata fuerant fomenta, nec inuenisset, Marciani quoque caput animaduertisset: & vidisset sanctam crucem in ea per sanctum oleum expressam, obstupefactus abiit quamprimum ad Medicum vt ei narraret omnia: & consuleret vt ipse quoque peteret veniam ab ordinum ductore Michaele de iis quæ ipse admiserat.

3 *Signauit caput Marciani sancto oleo in figuram crucis.*

De Medico

Cum autem venisset Presbyter in domum Medici, inuenit illic multitudinem innumerabilem & luctum qui non poterat comprimi, cognatorum, & amicorum eius sociorum, qui omnes deflebant repentinum & non prius animaduersum lætalem eius morbum. ipsum autem iacentem in medio omnium. totamq; eius faciem vstulatam. clam antemq; grauiter & magna voce eiulantem. Miseremini mei qui Deum timetis. Scindite Christiani caput meum. non fero enim dolores. Postquam vero audiuit à Presbytero verba terribilia quæ audiuerat à pio Marciano, tũc intellexit Medicas esse plagam dignam sua audacia. & statim acerbe exclamauit. Ego sum causa grauis huius meæ mortis. sed me tollite & abducite. & iacite in sanctam ædem eius. & si quid iubet eius misericordia, faciet in me indignum suum seruum. Portantes autem eum tulerunt vnà cum lecto. Marcianus autem cum sensisset tumultum, assedit. & cũ causam resciuisset, seipsum considerauit. & inuentus est omnino sanus. Tunc cito descendens de lecto suo, Deum glorificauit, suumq; defensorem & Dominum & magnum medicum & militię principem Michaelem. cursimq; egressus processit obuiam. & sustulit Medicum è lecto, & portauit eum suis manibus simul cum Presbytero: & posuit eum ante sanctam aram, miserabiliter deflentem & confitentem. Vt ei esset propitius sanctus Princeps militiæ. Marcianus autem cum per se 4 manare fecisset vnguentum è sacra illa imagine, vnxit caput patientis Medici. statimq; fugatum est acerbum illud tormentum: & ardentes faciei pustulæ sunt extinctæ. & factus est sanus omnino sicut prius. glorificans Deum & sanctissimum eius militiæ Principem Michaelem. Mansit vero de cætero Medicus illæ perseuerans & munifice offerens in eodem glorioso templo Archangelico. toto tempore vitæ suæ Dominum laudibus extollens, & eum qui fuit velox ad ferendum auxilium & eum defendendum, militiæ Principem Michaelem.

4 *Nota curationis modum. Manare fecit unguentum è sacra imagine, & illo unxit caput patientis, & statim fugatum est acerbum illud tormentum.*

DE DECEM DRACHMIS.

XV Atque nonnulli quidem dicunt esse nouem eorum ordines, conuenienter
,, parabolæ Seruatoris quæ dicit. Si mulier aliqua habens decem drach-
,, mas vnum ex eis perdiderit, non accensa lucerna eam quærit: & quando
,, eam inuenerit, conuocat amicas, dicens. Gratulamini mihi, quoniam inueni drachmam quam perdideram? Sunt autem nouem ordines incorporeorum. nempe angeli, Archangeli principatus potestates. virtutes. dominationes throni. Cherubim. Seraphim. & decimus ordo est hominum. Nonnulli vero dicunt nonaginta nouem esse earum partes: centesimam autem esse hominum, conuenienter parabolæ centum ouium, de quibus dicit Christus. Si fuerint alicui homini centum oues, & aberrauerit vna ex ipsis non relictis nonaginta nouem in montes profectus quærit eam quæ errat? & si contigerit eam inuenire, de ea magis lætatur quàm de nonaginta nouem quæ non aberrauerunt? Reuera enim nos sumus fratres qui mali aufugimus & aberramus super montes & colles nefariæ actionis & incredulitatis. quos nõ despexit pastor bonus & benignus: sed quæsiuit & supra suum humerum portauit: & retulit in numerum gregis boni & non errantis.

DE S. ARCHANGELO GABRIELE.

Laudemus ergo omnes Dominum, fratres, & nomen eius simul extollamus qui facit magna & quæ inuestigari nequeunt, gloriosaq; & admirabilia quorum non est numerus, per sanctissimum Michaelem quotidie, & olim & nunc. & hic & alibi, & multis & singulis. Nam etsi per alios sanctos angelos innumerabiles, fecit Deus admirabilium innumerabilia miracula per vniuersum orbem terræ, trium tamen solum ostendit diuina scriptura pretiosa & veneranda nomina. Michaelis & Gabrielis & aperte colendis Raphaelis. Et quod sanctissimus quidem Michael fecerit hæc omnia quæ sunt simul posita terribilia miracula, hinc patet ex diuinis scripturis. Diuinissimus autem Gabriel missus fuit ab omnipotente Deo & patre, tempore diuini & benigni in terram descensus, veluti quidam pronubus Dei verbis, ad sanctam virginem, & dixit. Aue gratia plena Dominus tecum. & hac voce depulit antiquissimam & diuturnissimam molestiam primæ parentis Euæ. & impleuit lætitia vniuersum
II orbem terræ. Prius vero sterili quoque clarissimæ Annæ, quæ in orto suo
III obsecrabat Dominum, prędixit fore vt ex ea nasceretur Dei parẽs. Quin-etiam Prophetæ Zachariæ in templo sufficienti ipse dixit fore vt in senectute gigneret Pręcursorem, quo tempore eum etiam fecit obmutescere in
IIII pœnam incredulitatis. Eundem ergo diuinissimum Gabrielem vidit rursus idem Zacharias in sanctis sanctorum, cibum è cœlis afferentem ad
V Dei matrem. Eundem autem Gabrielem viderunt etiam pastores in ortu Christi, annunciantem eis magnum gaudium & vniuerso mundo. Alij
VI quoque similiter plurimi boni insignes & diuini patres sunt ab eo in diuinis initiati mysteriis. Nam per hos duos Michaelem, inquam, & Gabrielem descendit omnis datio bona & omne donum perfectum quod desuper mittitur in terram à Deo omnipotente. Hæ enim sunt duæ maximæ & paris momenti lucernæ diuinitatis quæ est principium luminis & est vnica & trina: & quæ non occidunt luminaria totius orbis terræ qui est sub cœlo, mystęq; arcanorũ, & ad futurorum introducẽtes mysteria.

De

DE ARCHANGELO RAPHAELE.

Inducitur autem præclarus Raphael, quando Tobiæ excæcatos oculos artificiose illuminauit. Hic enim Tobias fuerat abductus captiuus in prima Hæbreorum captiuitate Niniue. Cum autem esset pius & iustus, conuenienter legi, eorum qui erant sui generis morientium in captiuitate corpora clam sepeliebat, quæ contemptui habebantur & non sepeliebantur. Quodam autem die cum reuersus esset ex hoc pio 5 opere, deposuissetque ligonem & bipalium, dormiit extra domum suam. propterea quod ipse esset pollutus conuenienter legi quæ dixit. Quicunque tetigerit mortuum, immundus erit vsque ad matutinum. Illa autem nocte calidũ excremẽtum in eius oculos demisit passer: & statim fuit excæcatus. Nequaquam vero blaspemiis incessens, perpetuo agebat gratias Deo qui id permiserat. Post hæc autem cum accersiuisset Tobias filium suum, dixit ei. Ecce ego, vt vides fili, & cæcus & senex factus sum propter multitudinem meorum peccatorum. Age ergo mittam te ad Gabelum cognatum meum. Deposui enim apud eum ante captiuitatem aliquot auri talenta. & affer ea ad sustentandas meas calamitates. Sed viam o fili nescis, quoniam est magna. Inueniamus autem hominem qui sciat viam, timentem Deum. & cum eo conueniamus de iusta mercede. Qui tibi sit viæ comes post Deum, & te rursus reducat ad meos obscuratos oculos, illæsum & lætum. Cum autem talis homo ab eis quæreretur, accesit ad eos diuinus Archangelus Raphael humana specie, præ se ferens se velle conduci mercedula. & dicit eis. Paciscimini mecum vt par est. & ego ipsum conseruabo post Deum. Recte enim scio & locum & cognatum tuum Gabelum & eius vxorem & filiam eius.

Vides sepelire mortuos esse opus pium.

Cum ij ergo sic conuenissent. & accepisset puerum angelus qui videbatur mercede conductus, cum plurimis votis, ex senis manibus, ambulauerunt sine labore multos dies. Eos vero consecutus est canis quoque è domo. Cum ipsi autẽ venissent ad Tigrim fluuium, sedit puer Tobias ad lauandos pedes: & aspexit piscem exilientem vt eum deuoraret. & exclamauit puer. Dicit ergo ei viæ comes Angelus. Ne timeas, sed eum teneas audacter. Id autem cum factum esset, rursus dixit ei. Disseca eum. & cor quidem & iecur diligenter serua in vase. fel vero in altero vase. Habet enim senex quidam ad quem proficiscimur formosam filiam habentem spiritum immundum qui vocatur Asmodæus. Qui propter eius amorem suffocauit septem viros qui eam desponderant. Loquar autem ego cum sene de contractu. & persuadebo ei, vt accipias filiam eius in vxorem. Suffumiga autem eam ex iecore & corde. & fugiet ab ea Asmodæus homines occidens Dæmonium. in supremas partes Aegypti per me ligatum vinculis insolubilibus. & non repente morieris. Et reuertetur ipsa quoque nobiscum cum multis facultatibus in domum tuam. Quod etiam factũ est, vt summatim dicam. Tunc puer seruauit cor & iecur & fel. Piscem autem comederunt.

Cum autẽ venissent. & alacriter accepti essent à sene Raguele: & verba mouissent de cõtractu, nolebat senex, timens maxime, propterea quod esset ei propinquus genere: & ostendebat eis sepulcra septem virorum. Tandem autem persuasus cum celebrasset nuptias, & eum aspexisset vi-

tium quomodo ei suggesserat eius viæ comes, Deo magnas egit gratias. & eam dedit senex vxorem Tobiæ: & dimidium suorum bonorum. & misit eos cum magno gaudio. Ipsis vero reuersis, & simul cum ea ancillis & famulis & infinita pecunia, accepta etiam à Gabelo deposito cum venissent prope modum Tobiæ, canis loco agnito procurrens ingressus est domum, & complexus pedes Tobię ei blandiebatur. Ille autem cum ex eo cognouisset aduentum filij, surrexit propere & iuit ei obuiam. & hic & illic offendebatur ad parietem non videns. Viæ vero comes dicit Tobiæ: Accipe fel piscis. & cum in foribus occurreris patri tuo, priusquam ipse te amplectatur, vrge oculos eius. & statim aspiciet. Quod cum factum esset, & protinus visum recepisset, steterunt obstupefacti, Deũ laudantes propter omnia bona quæ eis fecerat. Volentibus autem ipsis magnas referre gratias vię comiti qui existimabatur mercenarius: & prompto & alacri animo ei dare dimidium pecuniæ quam attulerant, se eis aperuit Archangelus Domini & dixit. Ego sum Raphael, vnus ex septẽ Archangelis qui Deo offerunt preces iustorum. & neque comedi, neque bibi, etiamsi vos hoc putaretis. Domino vero perpetuo agite gratias. & semper ei confitemini, ꝗ magnificauit misericordiã suã super vos. Quę cum dixisset, statim fuit sublatus ab eorum oculis. Hoc ergo solum dixit scriptura fecisse Raphaelem, quod fuit optimum & maximum miraculum. Dicit autem se vnum ex septem Archangelis, quoniam omnes ordines supercœlestium & quæ intelligentia apprehẽduntur classium & cœtuum Duces & Principes, sicut dictum est superius.

6

Celebremus lætũm, illustrem & admirabilem diẽ festum ordinum ductoris Michaelis.

Celebremus autem nos hic quoq; sincere vt debemus, O' sacrosancte & à Deo collecte cœtus, lætum & illustrem & admirabilẽ diem 6 festum ordinum ductoris Michaelis qui animas & corpora beneficio afficit. & ei offeramus dona accepta & digna. & pios ei hymnos perpetuo non cessemus psallere. vt ipse quoq; moueat vehementiorẹs intercessiones ad communem Dominum & creatorem, vt nobis det veniam, qui multiplicium peccatorum humana imbecillitate circundati sumus & miseria. Ad eum ergo clamemus & dicamus. Benigne minister benigni Domini, qui in mysteriis initias Michael princeps militię, assiduis tuis apud Regem glorię intercessionibus, omnes tuos laudatores & fideles tuos famulos, cum per pœnitentiam vt meliores euadant deduxeris, & vt sanctos decet viuant erudieris, illic colloca in statione iustorum. Te enim omnis cœtus Christianorum, post Deum & intemeratam eius matrem patronum habemus maximum & salutis defensorem. Te nostri auxilij arma validissima & mœnia aduersus omnes hostes tam qui in intelligentiam cadunt ꝙ qui sub sensum opponimus. Te nostræ defensionis diuinam & euidentissimam circũferimus gloriationem. Per te fideles Reges assequuntur trophæa victoriæ. Per te duces exercitus Christiani populi vincunt & dedecore afficiunt phalanges gentium infidelium. Per te omnis gratia illuminans, & prædictio, & sapientia, & virtus, data est fidelibus hominibus. De cætero, vt qui habeas etiam ꝙ potes, da etiam vicissim euentum petitionum. Protege semper & conserua vitam nostrã pennis tuis archangelicis: & nos libera ab omni nocumento. Cura affectiones eorum qui ægrotant. Fac vt in auram euanescant & dissoluãtur spiritus eorum qui probris insultant & iniuriis. Adhuc magis deprime

& deiice elatum & gloriosum supercilium & magniloquentiam peruersi & Dei hostis & hominibus infesti Satanæ. & fac vt cessent & otiosæ reddantur improbæ eius machinationes. Depelle Dæmonum insidias quæ aduersus nos structæ sunt. Euelle quæ ab inimico sata sunt zizania in agro ecclesiæ. Purga veri patris familias & Domini sementem. Oppugna & ignominia affice & dissolue cœtus eorum qui male sentiũt & sunt impij. Nos perpetuo confirma & corrobora intercessionum tuarum defensionibus, ad hoc vt citra impedimentum faciamus dominicam & diuinam voluntatem. Vt per tuam prouidentiam & defensionem digni habiti qui vitam agamus in veritate & iustitia, assequamur æterna Christi bona in regno cœlorum. Gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTÆ ET SEMPER *memorandæ Theoctistes Lesbiæ.*

LAVDARE quidem ea quæ sunt bona, & quæ ad virtutem ducunt & ad pietatem, beatum est, & est bonorum virorum, & qui vere digni sunt laude. Excitant enim auditores encomia. & oratio magis facit ęmulari laudes, quam eos qui sedent in certaminibus Athletarũ, ęmulatio. Etenim animi solent bonis verbis augeri & componi: quomodo corpora moderatis exercitiis. Quamobrem alios quidem facit oratio erumpere ad fortitudinem & magni animi virtutem, & veluti à Deo afflatos tractare arma manibus, & quærere aduersarios: alios autem amplecti iustitiam, & laudare æqui diuisionem, & totos ea in re versari, iniustos insectantes. alios amare temperantiam, & vincere voluptates, & magna contentione prosternere libidines. Sunt etiam quos ęmulatio facit prosilire ad philosophiam, & eam maxime persequi quæ versatur in actione. quæ mores componit, & docet accedere ad Dei imaginem, & ei effici similes, quatenus id humana potest natura consequi. despicere ea quæ fluunt. corpori non parcere. è terra surgere, & ad cœlum erigi vbi nostra conuersatio & totius corporis caput est Christus. Pium enim esse proprie & primo, est Christum colere recte viuendo & absque vlla reprehensione, & sequendo dogmata beatorum Apostolorum & patrum propter spem vitæ æternæ & regni. Sic ergo laudes bonorum & encomia fortium virorum excitãt auditores ad ęmulationem eorum qui laudantur. quomodo contra quæ sunt mala, aures corrumpunt, veluti quædam pestis inficiens corpora. Corrumpunt enim, inquit Apost. bonos mores praua colloquia. Nouemb. 10.

Sic ergo ego quoque accessi, ad vos afferens vtilitatem quę est ex præsenti narratione, quæ proderit multis bonis & digna erit quæ mandetur memoriæ & conscribatur. Nam & Deus glorificabitur qui glorificat eos qui ipsum glorificant, quomodo sacra scribunt eloquia. & auditores beatum existimabunt eum qui illa opera fecerit, & volent æmulari. Beatum enim pronuntia, dicit quidam vir magnus, eum qui est dignus beatitudine, vt iis sicut ipse proposito beatus absque certaminibus & labori-

bus. Verumenimuero eos quoque quos laudamus studemus æmulari. Quod enim quis laudat, id etiam scilicet desiderat: Quomodo contra quod odit, ei detrahit & id vituperat. Cum ergo hæc ita se habeant, & oratio ostenderit esse magnam in bonis narrationibus vtilitatem, rogo vestram charitatem, vt aures accommodantes ad præsens argumentum, & cum curis mundanis facientes inducias, pure accipiat narrationis huius magnitudinem. Sed enim nescio quomodo mei oblitus, cum & oratione & vita procul absim ab iis quæ dicuntur, & sciam conuenire hæc scribere iis qui & certamina & vitam habent parem iis qui celebrantur, adductus sum ad hoc scribendum. Sed quoniam est etiã merces obedientiæ, resq; est & salutaris & beata ducitur, merito absoluar à crimine audaciæ, implens mandatum viri ab ineunte ætate Deo consecrati, & qui elegit habitare solitudinem, conuenienter magno Eliæ & Ioanni qui est supra omnes qui sunt inter natos mulierum. Est ergo incipiendum ab alto argumentum. est enim iam tempus id referre si vos mihi attentas aures præbueritis.

Cum essem aliquãdo in Paro, fui autem, nauigabam enim in Cretam, à beato & pio Imperatore missus, qui fuit reuera felix, & felicitatem Romanorum simul cũ suo sepulchro sepeliit. Mittebar autem, partim quidem simul militans cum clarissimo illo Hemerio, viro ducendi exercitus peritissimo, qui vniuersæ classi imperabat, & vt verius dicam, ipsis etiã animi perturbationibus. ne vero si de eo quod est maximis laudibus dignum, de imperatoria, inquam, eius virtute leuiter & per trãsitum dixero, eius paruam faciens mentionem eum afficiam dedecore vt qui taceam præclara eius facinora quæ non potest consequi oratio, accedo ad præsens argumentum, illius mentionem opportune facturus. Mittebar ergo cum illo militaturus, & deducendus ad actiones artis imperatoriæ. non secus ac pullus ad matrem, ad præclarissima eius stratagemata exiliens is enim erat scopus & propositum beati mei Imperatoris: partim aũt legatione functurus ad Arabes qui tunc tenebant Cretam. Cum vero fuissemus in Io insula, & ne vlterius progrederemur ventus aduersus prohibuisset, nauigauimus ad Parum, in transitu visuri situm insulę, & contemplaturi quod illic est templum Dominæ nostræ Dei parentis Cum autem delati essemus in portum qui spectat ad Naxum (is vero sensim & paulatim fit profundus, apteq; & eleganter secedit à fluctu. perinde ac si esset ad hoc constructus, & montis concauitate inclusus vt facile hyemarent & estiuarent nauigia) descendimus. & cum parum processissemus, ad 1 templum venimus.

1 *Ecce bonorum uirorum consuetudinem, statim ut in aliquẽ locum ueniunt, primum Ecclesiã adeũt, Deo honorem reddituri.*

Cum autem suffiissemus & de more precati essemus, admirantes id circuibamus. Erat vero id spectatu dignissimum & seruans ad huc reliquias veteris pulchritudinis. erat enim vndique iusta constructum symmetria: & frequentibus erat fultum columnis ex lapide basilico. & secto lapide vestiti erant eius parietes non secus ac columnæ. Lapidem autem adeo tenuem & subtilem effecerat artifex, vt viderentur parietes esse induti textis byssinis. Marmoreus vero nitor lapidum tantum ostendebat candorem & splẽdorem, vt vel margaritarum superaret fulgorem. Tam egregius erat lapis vel potius studium artificis. qui etiam contendit naturæ tribuere pulchritudinem. Cum autem venerandæ & diuinæ mensæ

quod

quod est supra impositum tegumentum intra portam vidimus, stupuimus elegantiam. Ita enim erat tornatum vt non videretur habere naturam lapidis: neque ferre & arte & manibus esse excisum: sed simile erat cuidam succo lactis commixto, cuius suffusio fabrefacta erat ad tecti figuram. Tali ego lapide vidi aliquando lunam currum agentem Tauris. Atque iacebat illud quidem confractum. nos autem cōcurrimus & prope stetimus, execrantes & maledictis omnino insectantes eum qui contriuerat. erat enim id donarium domo Dei plane dignum.

Cum nos ergo adstaremus & admiraremur & in eum qui confregerat exclamaremus, videmus repente Monachum profectum è solitudine, & progredientem è nemore, & ad nos venientem, vultu pallidum genis macilentis. nudis pedibus. totum squallidum. 2 tunica è pilis contexta. superhumerali & capitis tegumento tunicæ similibus Zona pellicea cinctum circa lumbos. perinde ac fera hirsutum tanq̃ Angelum propitiū. Neq; enim erat similis viro qui cibo vescitur: sed carnis propemodum experti & exangui. & vt semel dicam, virtutum vel ipsius potius Dei habitaculum. Accedens ergo nos salutauit, & nos eum vicissim: & rogauimus vt diceret quisnam esset, patriamq́; & genus, & an solus hic viueret. Ille autem patriam quidem, inquit, & genus & alia quibus gloriantur ij qui habitant ciuitates, non possum dicere. Neq; enim est mihi curæ aliquid ex iis quæ sunt in terra. neq; delector iis quæ fluunt. Pater vero mihi & Dominus est Deus, cui soli vitam ago. propter quem solus per hanc errans solitudinem plusquam triginta annos perseuero Est aūt mihi nomen Symeon. dignitas autem, humilis Monachus, sacerdos & minister & mysta viui & incruenti sacrificij. Nos autem viri virtutem reueriti, tā ex verbis q̃ ex aspectu & indumentis. præterea vero ex exercitatione & maxime q̃ Dei erat sacerdos, ad pedes eius procidentes, preces postulauimus & veniam q̃ eum dignouerimus. Ille autem est precatus, & porrexit verba adhortationis: & iussit vt nos ipsos attenderemus, & non essemus tristi & anxio animo. Est enim, inquit, Deus misericors & patiens: & eos qui ad ipsum conuertuntur vlnis excipit sicut prodigum.

2 *Vide asperitatem vestitus venerandi monachi.*

Cum has & huiusmodi alias dedisset exhortationes, siluit. Ego autem cum essem curiosior, & satis pulchre viri mores intelligentem, rogaui magnum, & supplex ab eo petij, vt nos doceret aliquid ex iis quæ sunt nobis arcana. neque enim mihi videbatur esse expers diuinæ consuetudinis. Ille vero, de his quidem, inquit, satis. nōdum enim sum dignatus talibus. Huc enim veni vt mea lugerem, non vt quæ sunt supra me quærerem. Hæc autem dicebat, an fingens en vera dicens, nescio. Cum me autem dextra apprehendisset & demulsisset tanq̃ iam familiaris. etenim sic eum affecit simplicitas. Animæ enim magnorum virorum, cum sint participes eius quod est præstantius, ad ipsum contendunt accedere, & ipsius primi boni participatione, fiunt omni ex parte boni. sinceri. simplices. separati ab iis omnibus quæ sunt in nobis. quomodo etiam hic magnus cū esset iucundus & bonus, videbatur deinceps, eo quòd esset alienus à simulatione, esse vnus ex nobis. Deinde iussit nos sedere in sedibus arte non laboratis sed quæ se sorte obtulerunt. Erant autem lapides & columnæ ex eo quod corruerat. & herba densa & viridis & fons ex quo scatebat

aqua dulcis ad bibendum. & totus locus erat plenus quiete & silentio & diuinis dignus narrationibus.

Cum ergo sedisset super herbam, & me iuxta sedere fecisset, videbatur lætari quod in nos incidisset. Fixis autem ego intuens oculis. Tempus est tibi, inquam, ò pater, narrandi si quid hic vidisti pulchrum & dignum quod referatur. Sed iam loqui incipe & refer quisnam confregit mensæ diuinæ operculum. & quænam est ea fera & agrestis anima quæ ausa est tale opus confringere. etenim cogitabam eum paulatim inducere ad perfectiora. Illa autem cepit dicere. Audiuisti de illo Nisiri qui imperauit Cretæ copiis naualibus. Is cum hic fuisset & admiratus esset eius elegantiam, in animo habuit id in Cretam transmittere. Postquam autem portas est dimensus & deinde hoc sacrum & diuinum tectum: & pulchre visum est se habere, deiecit humi, & ad portas traxit vt educeret. Id vero repente factum est maius & maius idq; sæpe, donec tandem cessit Arabs. Cum autem frustra laborasset & scopum non potuisset attingere (Nolebat enim, vt videtur, res diuina inquinari & execrandis seruire sacrificiis. studebat enim, vt dicitur, id deponere in synagoga donariorũ Agar) furore correptus cogitauit id confringere.

Hæc cum audiissem, maledictis insectabar sceleratum illum & execrandum. Ille autem dicit. Ne cures. dedit is haud ita multo post pœnas insolentiæ, vt qui nauem fregerit in Eubœæ promontorio quod vocatur Xylophagus, & fuerit in eo submersus. Rogaui autem diuinum illum virum vt cibum sumeret: & vt consolaretur nostram animi ęgritudinem susceptam propterea q̄ non vlterius procederet nauigatio. Videbamur enim tempus terere aduersis ventis nobis spirantibus. Ille vero cibũ sumpsit: & nihil celans mihi dixit. Nauigabis quidem Naxum: & cum illic in portu nauem tenueris vno die, secundo die post nauigans, tertio die venies in Cretam, nihil aduersi reformidans. & tibi impositũ munus obibis vt voles, & vt tibi iussit Imperator, & reuersus pulchre accipieris ab eo qui te misit. Atque hæc quidem postea facta sunt vt ille dixit, & finem acceperunt. Cum autem precati essemus & hymnos in templo dixissemus, descendimus in nauem cum magno illo sene. Mane autem transmisimus in Naxum cum esset fretum solum decem stadiorum. Ipse vero cum Deo diuinum 3 peregisset ministerium, & nos diuinis impertiisset sacramentis, nobiscum cibum sumpsit. Deinde cœpit mihi dicere.

3 *Missam uocat peractionem diuini ministerij.*

Tu quidem fortasse ad te excusandum de non suscipiendo eo de quo sum tuam rogaturus charitatem, in medium adduces inopiam: aut seruitiorum causam: aut vxoris & liberorum & domus curam: aut aliquas alias causas, recusans id de quo nos te rogamus. Ego autem tibi rerum prosperitatem, fertilitatem, & abundantiam rerum omnium polliceor, & fore vt magnam tibi suppetat otium. Te vero rogo vt tunc memor eorum quæ tibi dixi, conscribas id quod hic factum est, quod dignum est quod mandetur memoriæ. vt Deus noster ab iis qui audiunt in admiratione habeatur & laudetur. Mirabilis est enim, inquit ille, Deus in sanctis suis: & multi etiam effecti imitatores eorum qui sunt laudati propter virtutem, æqualia consequantur. & ipse lucrifacies mercedem quæ ex iis accipitur. Cum me sic esset adhortatus, incepit.

Venatores quidam ex Eubœa huc venerunt non multis abhinc annis.

habet enim insula magnam copiam ceruorum & caprearum. Eorũ vnus vir pius & qui suæ curam gerebat animæ, narrauit narrationem valde consentaneam Dei magnificentiæ, qui suo tempore facit admirabilia & quæ sunt præter hominum opinionem. Veni, inquit, aliquando huc venatores & cum ascendissem ad diuinam ædem Dei parentis, adoraui & precatus sum, sicut mihi semper erat mos. Cum autem post preces circũspexissem, vidi in solo parum aquæ in fossa, & pauca grana lupinorum quæ madefiebant. Locus enim hic alit lupinos, quomodo reliquæ insulæ herbas diuersas. Nam alia quidem producit magnam marathri multitudinem. alia autem solummodo rutam. & alia satureiam. et alia thymum aut aliquid aliud. Quod vero fert inter omnia eximium insula, hoc magis nutrit q alia redditq; floridius. Vidi ergo, vt dixi, lupinos qui reddebantur teneri. & me quædã subiit cogitatio, q esset omnino aliquis qui vos demisisset in lacum: & q vt est verisimile, vir aliquis diuinus hanc habitet solitudinem. Hoc ergo reputans, festinabam venire ad socios qui iam iuerant in syluam. Optabam autem magnam hanc predam consequi. sperabam enim fore vt magnum aliquod lucrum ab eo acciperem. Et cum multum quidem venati essemus, tendebamus ad nauem. Sed illi quidem iuerunt ad mare: ego vero me conuerti ad preces. Ingressus itaq; hoc templum Dominæ nostræ, orabam. Video autem ad dexteram sanctæ mẽsę templi veluti quoddam subtegmen quod vento agitabatur. & rursus visus sum videre telam araneæ. Postquam autem progressus volui discernere quod apparebat, audiui vocem dicentem. Siste gradum, neq; vltra progrediaris ò homo, neq; accedas propius. Erubesco enim cum sim fœmina, à te nuda conspici.

Hæc ergo cum audiuissem, & obstupefactus fuissem re admirabili, volebam fugere. A carne enim mea pili exilierant, & erant spina acutiores. Nam quod inexpectatum repente apparet, deiicit ac deprimit spiritus, etiamsi quis videatur esse audacis animi. Stabam itaq; obstupefactus & ore aperto. Postquam autem ad me redij, animo confirmatus, rogaui quisnam esset, & quomodo hanc habitet solitudinem. rursus vox extitit, dicens. Iace mihi rogo, tunicam, & cum tecta fuero, quantum mihi iubet diuina voluntas, non dubitabo dicere. Cum me itaq; superiore amictu protinus exuissem, eum dimisi, & extra portam sum egressus. Illa autem eum accepit & se induit. Paulopost vero reuersus video eam stãtem vbi prius & erat figura quidem mulier. id autem quod apparebat erat supra hominem. pili albi. vultus niger ostendens parũ alboris, pellis quæ membrorum continebat compagem, cum nulla inesset caro. vmbræ similis. forma quæ solum humanam seruabat similitudinem. Hæc ergo, inquit, cum vidissem, timebam. contremiscebam. maledictis incessebam. & meã reprehendebam importunitatem, q cum essem curiosus, meos socios reliquissem. Tremebundus tamen & pronus humi cadens, rogabam vt precaretur: & obsecrabam vt ab ea benedicerer. Illa autem primum quidem conuersa ad Orientem, vt quæ forte vellet meum sedare animum, ne ea videretur esse spectrum, 4 extensis manibus precabatur, parum submurmurans. Conuersa autem ad me, dicit Deus ò homo, tui misereatur. sed quanam de causa venisti ad hanc solitudinem? & quo opus habens, venisti ad insulam quę minime habitatur? sed quoniam te diuina huc de-

4 **Extensis manibus precabatur.**

duxit voluntas, meæ, vt existimo, gratia humilitatis, de me te omnia docebo vt voluisti. Cum me autem rursus humi prostrauissem, ea sic cœpit loqui.

Mihi, inquit, patria est lesbos. Methymna ciuitas. nomen Theoctiste vitæ institutum monachatus. Cum autem essem adhuc infans orbata parentibus à cognatis tradita sum in monasterium virginum: & induta sum habitu 5 monastico. Nata vero decem & octo annos, in diebus paschalibus, excurri in vicum propinquum ciuitati, salutatura sororem. habitabat enim in vico cum coniuge. Noctu autem irruentes Arabes Cretenses quorum Dux erat ille Nisiris, omnes abduxerunt captiuos. Mane vero cum Pæana cecinissent enauigarunt: & huic insulæ appulerunt. Adductis autem captiuis cum quærerent pecuniam & prætia statuerent, ego accepta occasione contendens in syluam, cursu feror in intima insulæ: & de cætero non destiti fugere, donec petris & acutis lignis pedes perforaui & conscidi: & sanguine terram infeci. & tandem defecta viribus cecidi semimortua: & totam quidem noctem, non ferens dolores vulnerum, acerbe transegi, Mane autem cum scelestos Prædones vidissem nauigantes, liberata sum ab omni dolore, & repleta sum maxima animi voluptate. & nunc iam triginta quinque annos & paulo plus hic alor perpetuo lupinis 6 & herbis quæ nascuntur in solitudine, vel potius Dei verbo. recordata diuinorum eloquiorum q̃ non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod proficiscitur per os Dei. Nuda autem euasi confractis mihi pannis cum quibus abducta sum captiua. Induor vero & tegor manu diuina quæ continet omnia.

5 *Vides quod etiam fœminæ induebãtur habitum monasticũ?*

6 *Ecce asperitatem uictus sanctæ mulieris.*

Hęc cum dixisset & manus in cœlum sustulisset, egit gratias. Cum autem parum intermisisset, quoniam videbat me terram tacitum intuentẽ, & nec audentem quidem eam fixis aspicere oculis, dicit rursus incipiens. Res quidem meæ quemadmodum se habeant narraui ò homo. Peto autem, vt vna in re mihi gratificeris propter Dominum. Quando anno sequenti nauigaturus es in hanc insulam venandi causa (scio enim te omnino venturum si Deus velit) vt in vase mundo mihi accipias vnum ex intemeratis donis corporis Domini nostri Iesu Christi. Ex quo enim hanc habitaui solitudinem, tali dono nequaquam sum dignata. Hæc ergo cum dixisset, & iussisset nulli quidquam de iis dicere, cũ precatione me dimisit ad socios. Ego autẽ me omnia impleturum pollicitus, abij lætus, q̃ Deus meum implesset desiderium, q̃ me dignum censuisset qui talem thesaurũ consequerer. Quomodo ergo Sancta mihi iusserat quãdo eram cum sociis exiturus ad venandos ceruos & capreas, quas hæc insula alit multas & aliorum maximas, & visu & narratu admirabiles. Nam ceruis quidem sunt colore similes, Ceruis autem maiores magnitudine. est autem eis cornu longum, nempe duodecim palmorum. nõ vt Ceruorum, ornatum ramis & ad natis propaginibus. sed totum rectum & quod vnum solum habet porrectum stipitem. Cum ergo essem vt dictum est nauigaturus ad venationem, accepta in pyxi de parte diuinæ 7 carnis Domini, eam tuli ad beatam. Cum venissem autem in insulam, & declinassem in ędem Dei matris, eam nõ offendi. an autem adesset & lateret, quoniam mecum ascenderant quidam ex sociis: an vero abesset, nescio. hoc tantum scio me eam non offendisse. Atque alij quidem profecti sunt in syluam venaturi. Ego

7 *Nota accepi de parte diuinæ carnis Domini, quoniã in Eucharistia est uerum*

Ego autē clam reuersus sum in templum. & protinus sacrosancta mulier apparuit, induta tunica quam à me prius acceperat. *corpus Domini nostri Iesu Christi.*

Cum me autem in terram proiecissem, accurrit & cum lachrymis dixit eminus. Nequaquam hoc facias, ò homo nequaquam facias, diuinum donum afferens. ne vras ne miseram, diuina dedecore afficiens. Me itaque tunica apprehensum erexit. Ego autem eduxi è sinu meo pyxidem cum carne Domini. Cum illa autem in terram cecidisset, diuinum donum accepit, & lamentationibus & lachrymis terram rigans dixit. Nūc dimittis ancillam tuam Domine. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Quoniam remissionem peccatorum in manibus accepi. Nunc abibo quo tua me iubet potentia. Hęc ergo cum dixisset, & manus diu in cœlum extendisset, me precibus prosequens dimisit ad socios. Cum paucos autem dies venati essemus & prædam satis magnam cepissemus, reuersi sumus. Et illi quidem prefecti sunt ad nauem. ego autem cucurri vt illius beatæ preces acciperem viæ comites. Cum autem venissem in templum, & deinde circunspicerem vt eam viderem, video eam in eo loco in quo prius videram emigrasse. Cum ergo procidissem, & beatos eius pedis essem amplexus, & rigassem lachrymis, stabam mutus, diu dubitans quidnam facerem. Atq; videbar quidem sapientem & vtiliter facturus, si cum lachrymis Deo supplicans, & sanctæ motas reuerentia, rogarem vt huic rei à Deo prouideretur: & qūo is ostēdisset iussum diuinum exequerer. Quod si hoc nō essem assecutus, secunda erat, vt dicitur, ineunda nauigatio, nempe vt hanc rem sociis communicarem: & cum eis sepulturæ mandarem beatæ reliquias, 8 hymnis & canticis prosequens pro viribus. Sed vt videtur, non facile contingit se sapienter gerere.

8 *Vide quomodo Christianorum corpora cū hymnis & canticis tumulantur.*

Ego itaque non sum assecutus id quod erat honestum & decorum. sed rusticitate & ingenij leuitate Quid enim & venator & imperitus noui excogitassem? feci rem audaciorem. fide quidem, vt mihi videbar, sed minime Deo grata. Nam cum eius manum amputassem, & lineo texto inuoluissem, ascendi in nauem. Cū profundo autem vespere è terra soluissemus, & velum expandissemus, secundis ventis spirantibus ferebamur tāquam volantes. & sperabamus nos mane venturos in Eubœam. Cum autem dies illuxisset, inuenti sumus rursus stantes in eodem portu perinde ac si ab ancora aut ab aliqua remora teneretur nauis. Metus ergo omnes inuasit: & se inuicē circunspicientes, tremebundi quærebamus causam rei, sciscitantes & inquirentis num nefarium quidpiam à nobis factum sit cur arceremur. Cum vero alius aliud dixisset, intelligens ego audax meum facinus, inscientibus omnibus in templum sum reuersus: & cum posuissem manum in corpore sanctæ, descendi in nauem Hortatus autē socios, cœpi iter ingredi. Cum vero multum prouecti essemus, erat deinceps cymba volucris velum replente vēto. fuitq; rectus cursus & absq; vllo impedimento. & tunc ego rem narraui sociis. & quemadmodum beatam illam inuenissem, & quemadmodum res eius se habuissent renūtiaui. & quemadmodum donum diuinum attulissem, & ea dormiisset, & eius manum habens ingressu sum vespere: & propter eam retenti sumus, & sperabamus nauigare: & nunc recto cursu ferimur quoniam deposui reliquias.

Hęc cum illi audiuissent, & me multum reprehendissent, proram pro-

tinus obuerterunt, & magno studio in parum sunt reuersi. Omnesq; simul cursu in templum contendimus. timentes quidem & contremiscentes: fide autem freti tamen accedimus. & vidimus quidem locum in quo erat posita seruantem veluti figuram corporis. corpus autem euanuerat. Atque omnes quidem inuasit admiratio & stupor. & huc & illuc currebamus, considerantes circunspicientes, num alicubi cecidisset aut in vitam esset reuocata. & totam syluam & saltus obibamus eam inuestigantes sicubi diuinus ille lateret thesaurus. miseri & insipientes & crassi homines, & ea persequentes quæ reuera non possunt comprehendi: & diuinorum ignari miraculorum neque Elissæi reuerti miraculum, qui eos qui à Rege Syrorum missi erant ad eum comprehendēdū, latuit, cum esset in medio eorum & cum eos priuasset videndi potestate, duxit in Samariam & Regi tradidit. Mitto enim dicere de magno Thaumaturgo qui eos qui ipsum inuestigabant vt comprehenderent, in monte orans latuit vt arbor effectus. Cum ergo, inquit, sic frustrati essemus venerandis illis beatæ reliquiis, ad nauem descendimus. & à terra soluentes domum abiimus, Deum laudātes & hymnis celebrantes, qui semper facit res magnas & admirabiles.

Hæc vt à me superius dictum est cum narrasset ille beatus homo & maximus, sacramento adegit me ne hoc argumentum mādarem profundo obliuionis: nec aliquam afferens excusationem, tacerem miraculum, diuinam timens vltionem & sanctę indignationem. Roganti autem mihi tempus & diem eius decessus. vt scriberetur cum miraculo, & eius perageretur memoria dixit vir ille sanctus. Multa quidem, vt vides, ô dilecte prætermissa sunt quæ pertinent ad narrationem. Oportebat enim persequi & genus & omnem eius in insula exercitationem & afflictionem, & quemadmodum decertauit aduersus insultus inimicorum. Sed quid agā, cum is qui in magnam illam incidit, nō esset sicut magnus ille Zosimas, qui sciebat inuestigare vitam, & certamina & res gestas: sed contra nutritus in montibus & crassus, & qui hæc non audiuerat. sed hoc solum memoria tenebat vt dicebat, quod esset tempus autumni, & mensis Nouembris. Sed magni faciendum fuerit si vita beatæ scriptis mandetur & non infodiatur in profundo obliuionis. Memoriam autem, boni omnino viri & eius æmulatores, opportune referent in diem festi sicut placet. Aliquam enim gloriam afferent encomia & celebrationes iis quibus regnum cœlorum & bona æterna obtigerunt. ad quæ desiderant etiam aspicere ordines angelorum. Sin minus, æmulationem quidem certe & zelum iis qui conueniunt. & Deo laudem ac gloriam, & beatitudinem ipsorum de quibus fit mentio. Quibus enim vita tribuit gloriam, merito eos etiam beat & ornat cum prædicatur.

Hæc cum ille vir magnus nobis exposuisset & valde rogasset, nos emisit. Cum secundi autem spirassent venti, die sequenti Diam appulimus. Hoc est insigne lucrum nostræ in paro conuersationis. Hæ sunt merces quæ præter spem obtigerunt proficiscenti in Cretā. Hæc est vita beatę Theoctistes. Hæc est exercitatio, aduersus principatus & potestates, & principem tenebrarum huius seculi lucta & decertatio. Ego autem accessi implens obedientiam, & exoluens debitum. Ex quo quidnam efficietur? multa quidem etiam alia: sed hæc tria maxima. Ipsi quidem suppeditatori & administratori Deo laus confessio & gloria. Sanctæ autem ex

oratione beatitudo & anniuersaria cum eius commendatione memoria. & nobis q scripsimus munificus & magnus noster Deus Iesus Christus, pro prompto & alacri animi studio dabit remunerationem, 9 intercessionibus sanctissimæ eius matris Dei parentis diuinorum Angelorum, & omnium sanctorum. Quoniam ei gloria cum patre & spiritu Sancto, Nunc & secula seculorum. Amen.

9 *Aduertis hic sanctos pro nobis intercedere?*

MARTYRIVM SANCTI ET
gloriosi Martyris Menæ Ægyptij, cui Martyrium subiit in Cotyæo.

Nouemb. 11.

IMPERANTIBVS Diocletiano & Maximiano qui erant veri Regis hostes & inimici, ibant litterę per vniuersum orbem terræ, quæ iubebant colere impiam eorum religionem: & quæ mortem statuebant pœnam iis qui non parebant eorum edictis, & à solida fide in Christum non ex animo dimouebantur. Hinc quid non graue accidebat iis qui diligebant Dominum? Angusti erant carceres multitudini eorum qui quotidie capiebantur. Vacuę erant habitatoribus quæ fuerant aliquando plenæ domus. solitudines propter multitudinem eorum qui fugiebant, mutabantur in ciuitates. Amici veritatis, tanquam qui pessima fecissent, dedebantur suppliciis. diripiebantur facultates. euertebantur leges naturæ. patre quidem ad mortem prodente filium. filio autem patrem vicissim talibus prosequente officiis. & vbique dispersa erat nox profunda. cum fideles quidem omni ex parte expellerentur: impietatis vero defensores tota manu confirmarentur: sanguineq; & nidore sacrificiorum ipse etiam aer inficeretur. Tunc quidem tũc Menas hic admirabilis & virtute celebris resplendebat. patriam quidem habẽs Aegyptum. Patrem autem & maiores non stabiles in pietate: sed circa id quod est firmum minus firmiter affectos. Eius vero studium erat militia sub tribuno militum nomine Firmiliano. Ipse autem cum esset præfectus numeri Rutilliacorum, animi præsentia, magnitudine & pulchritudine, & omnibus aliis quibus solet exprimi species corporis & generositatis, præstabat aliis.

In Cotyensium autem Metropoli simulatque accessisset ad Tribunum, & audiuisset impium iniussum Imperatorum, abiecta Zona militari, seipsum relegauit in deserta loca. volens potius vitam agere cum feris, q̃ cum iis qui colunt simulachra. Vacabat autem 1 ieiuniis & vigiliis & diuinorum eloquiorum diligẽti meditationi. Sensibus autem optime purgatus, & anima illuminatus: & in arcanis veræ pietatis initiatus per reuelationem, existimans hoc esse illud tempus quod iam olim meditabatur, cum diem obseruasset in quo vniuersa ciuitas Cotyensium publicum celebrabat diem festum tanquam natalem: & equestris certaminis exibebatur spectaculum. cum totus populus ex alto aspiceret, collectus ex omni genere, Iudęorum & gentilium & similiter Christianorum: & omnes iam defixis oculis intuerentur certamen, relicta sua in montibus habitatione descendit in ciuitatem. & cum venisset in medium theatrum: &

1 *Sancti uiri exercitia erant ieiunia uigiliæ, & diuinorum eloquiorum diligens meditatio.*

prӕteriisset omnes qui erant in stadio: & locũ ascendisset sublimem vnde erat videndus ab omnibus, alta voce exclamauit. Inuentus sum ab iis qui me non quærunt. manifestus euasi iis qui me non interrogant, per hӕc ostendens ꝙ non coactus sed sua sponte accessit aditurus certamina.

Omnes ergo conuertit Menas ad sui spectaculum. theatrum autem despiciebatur. equorum respuebatur certamen. nihil erat cuiquam præstabilius quam illum videre qui tantam ostenderat audaciam. Et qui eũdem quidem zelum habebant in pietatem, mirabantur Martyris loquendi libertatem: & propter voluptatem summam exiliebant. Qui autem decertabant aduersus pietatem, ad eius cӕdem iudicem incitabant. Postquã autem vox Præconis indixit silentium: & sedauit populi tumultum & sonum tibiarum, statim arreptus & ductus fuit Menas ad Pyrrhum prӕsidem: qui & tunc præsidebat in excelso, & erat spectator certaminum. Is autem primum quidem eum placide alloquebatur, simulans mansuetudinem: voceq; leni & benigna, quisnam & vnde esset interrogauit. Postquam vero & patriam & genus & ipsam militiam & modum exilij protinus dixit Martyr: & ante omnia dixit se esse seruũ Iesu Christi, statim iudex fictam mansuetudinem ad naturalem conuertit sæuitiam. & examinatione reseruata in diem sequentem, eum quidem vinctum tradit in custodiam. Ipse autem cum totum diem vacasset ei quod peragebatur spectaculo, sequenti die animo æstuans processit ad examinationẽ. Omnibus itaq; aliis missis, accusabat præcipitem audaciam. Hoc enim eum magis accendebat ad furorem, vt qui sui esse contemptionem arbitraretur illius loquendi libertatem. Ille autem tanq̃ propterea magis sibi placens, respondit audacius, dicens. Sic conuenit Deũ confiteri. qm̃ lux est & tenebræ in eo non sunt. Hoc. n. nos docuit Paulus dicens. Corde quidẽ creditur ad iustitiam: ore autem fit confessio ad salutem.

Terruit itaque Iudicem eius loquendi libertas: & rursus celabat iram: & rursus simulabat mansuetudinem. & Martyris audaciam faceret cedere blanditiis. &, ne amittas, aiebat, ò Mena, vitam hanc dulcissimam: neque lucem omnibus hominibus optãdam morte immatura permutes. sed nostris pare consiliis. vt felicem quidem & beatam vitam agas, ab Imperatore autem honores & dona consequaris. & sis omnibus suspiciendus & felix iudicandus propter rerum successum. Martyr autem ad hæc valde & suauiter ridens, vt qui ea reputasset esse apertas nugas, & puerorum potius escas q̃ sapientum virorum, hæc ex bono thesauro in eum verba exprompsit, dicens. Nihil est quod mea quidem sententia conferri possit cum regno cœlorum. Neque enim totus mundus potest æqua lance expensus vni animæ comparari. Sed si vis mihi gratificari, experire potius per supplicia. Sic enim mihi veram conciliabis beatitudinem. Postquam autem Pyrrhus audiit hæc verba, non poterat amplius contineri: sed ad ei infligenda contendit supplicia. & lictores acerbius intuẽs, Martyrem quidem iubet extendi à quatuor viris: bonum autem neruis cædi vehementer. Cum sic ergo fortiter torqueretur & sanguis è vulneribus effluens terram rubram redderet, quidam ex iis qui aderant, nomine quidem Pegasius, cognomine autem Princeps, benignitatem simulans. Cum videas, inquit, ò homo, quod existit periculum ex inobedientia, prius quam carnes tuæ penitus flagris consumantur, ea cogitans quӕ tempori

pori

pori conueniunt,sacrifica. Fortasse enim propterea ꝙ sint tormenta intolerabilia,Deus quoq; tuus tibi ignoscet ꝙ id feceris.

Cum sic dixisset, Martyr torue in eum intuens: & verbis eius magis quam flagris cruciatus. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatē, aperte exclamauit. Ego enim Deo meo sacrificaui & adhuc sacrificabo sacrificium laudis.qui etiam mihi dat auxilium: & efficit vt hæc flagella vestra à me reputentur potius delitiæ, q̃ tormenta. Cum de hac tolerātia sua is nihil remitteret, liberiusq; & disertius loqueretur, se præses ad aliud conuertit supplicium. & cum effecisset vt in ligno tolleretur sublime, iussit ferreis vnguibus corpus eius laniari. Deinde tanquam irridens Iudex,& sanctum ironice alloquens. Sēsisti,inquit,ò Mena aliquem dolorem: an vis per aliud supplicium nos tibi maiorem largiri voluptatē? Martyr autem etsi grauiter laceraretur. Quid cunctaris, inquit? Putas enim me omnino posse à te terreri per hoc breue tormentum: aut quæ est in me immobilem labefactari turrem confessionis? Hæc cum audiisset Præses iussit eum cædi vehementius:& imperauit vt nullum alium cōfiteretur Regem præter eum qui est vere Rex. Martyr autem, Quoniam non nosti,inquit,quis est hic Rex quem confiteor:propterea blasphemam & maledicam linguam in eum moues: & hos in quos cadit interitus & è terra orti sunt ei facis similes.qui est etiam is qui eos constituit in imperio: & est vniuersæ carnis & spiritus Dominus. Deinde Iudex. non vt qui vellet discere, sed vt qui se simularet ignorare. Quis est is,dicebat, qui dat Regibus potentiam & est omnium Dominus? Iesus, inquit, Dei filius semper viuus cui subiecta sunt omnia quæ sunt in cœlo & in terra. Tyrannus autem. Hoc autem totum, inquit, te latuit, ꝙ Reges propter hoc ipsum quod tu dicis Christi nomē indignantes,iubent vos cruciari. Martyr vero si indignātur,inquit,indignētur.hæc nihil ad me qui sum Christi seruus. Hoc enim mihi magis est in votis, hanc pulchram confessionem ferre vsque ad mortem. vt efficiar dignus coronis quæ pro ea accipiuntur. Scriptum est enim. Quis nos separabit à charitate quę est in Christo Iesu afflictio an angustia,an fames,an persecutio, an periculum,an gladius?

Cum autem Martyri qui tandiu fuerat suspensus, recordatio eius qui fuerat in cruce sublatus, laboribus defessum & viribus defectum corpus confirmaret, Præses maiore percitus insania, iubet excoriatas eius carnes textis ex pilis confectis valde atteri & confricari.Quod cum fieret,Pelliceas, aiebat Martyr,tunicas hodie exuo: salutaris autem indumento induor.Deinde ardentes ignis lampades iussit Iudex inferri. Sed eæ quoque cum æterno igne collatę videbantur vim vrendi habere imbecillam. Videbatur enim Martyr,virtute Christi,quę intentabatur omnia despicere. Quamobrem audacter etiam dicebat iis qui ipsum puniebant. Habeo persuasum à Domino meo & Rege, non timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere.illum autem potius timere qui pōt corpus & animam perdere in gehenna. Cum vero vidisset Iudex maximam & plane inuictam Martyris tolerantiam:& alioqui animo versaret opportunissimas eius responsiones,tormentis missis accessit ad verba. &, Dic mihi,inquit, ò vir admirande,vndenam est à te inuenta hæc præclara dicēdi facultas,cum sis miles & vix dum heri & nudius tertius versatus sis in literis; vacaris autem potius bellis & certaminibus milita-

ribus vt plurimum. Cum autem dixisset Martyr, Christi hæc esse verba qui dixit. Quando ducti fueritis ad Reges & præsides propter me, ne cogitetis quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Respondit vero præses. vester ergo præsciuit Christus fore vt talia pro ipso pateremini? Martyr autem. vt qui sit, inquit, verus Deus, est consequens vt sciat etiam quæ sunt futura. Ipse enim est vniuersi causa & constitutio: & qui sciebat omnia antequam producerentur ad essentiam.

Cum autem non haberet iudex quidnam adhæc conuenienter responderet. Missis, inquit, superuacaneis his ꝓbabilibus tuis orationibus, volo te vnum eligere, è duobus. nempe vt aut nobiscum simul verseris, recte id quidem faciens: aut totum Christum confitearis. Postquam autem cũ magna libertate dixit Martyr. Cum Christo meo fui & sum & ero, dixit præses se in eum adhuc futurum lenem & patientem: & iubet ei dari aliquod tempus ad considerandum. Eius enim admirans tolerantiam simul & intelligentiam, conabatur eum ad suam traducere sententiam: ne tanti viri iacturam gentes facerent. Cum autem post hæc Martyr vsus esset in eum verbis audacioribus, Deum quidem aperte Christum confitens: Deos vero quos ille colebat, Dæmones profanos appellans, ira rursus præses accensus vehementius, iubet murices ferreos spargi in terra: & vinctum pedibus et manibus supra eos trahi per summam crudelitatem. Ille autem tanq̃ si per pratum aliquod & molles flores traheretur, illius Deos & Dæmones libere incessebat maledictis. Propter quæ iudex rursus iussit sanctum verberari in collo & genis. Ne, inquit, sic Deos despiciens, eos quoq; impudenter affeceris contumeliis. Cum multas autem horas verberaretur Martyr, astans quidam ex cohorte Heliodorus, & veluti volens suggerere ea quæ conferebant ad proposita. Domine præses, inquit, Tuam claritatem existimo non latere, quod horum qui dicuntur Christianorum amẽtia scit contemnere tormenta vel statua fortius: & mortem reputat tanq̃ dulcem aliquam potionem. Mittens ergo de his in cassum laborare cito velis in eum vltimam proferre sententiam.

Cum ergo defessus esset præses & meditaretur vltimam sententiam in eum pronuntiare, accedentes quidam ex iis qui olim Martyri familiares fuerant & amici, ipsum demulcebant: complectebantur: rogabant & supplicabant. & se existimantes suadere vtilia. Ne despexeris, dicebant, ò Mena, familiarium tuorum amicitiam: & decus militiæ: & vsum voluptatum: & vitam quæ est omnibus natura desiderabilis. & ne ignominiam quidem gloriæ, mortem autem vitæ anteposueris. Martyr vero tanq̃ virus aspidis fugiens eorum suasiones. Cessate, inquit, Dei hostes: & vos ipsos potius vtiliter corrigite: & à tanta desistite insania. Nã hæc quoq; momentanea & vobis chara vita mox præteribit. manet autem vos æternus & qui nunquam desinit cruciatus. quem cum vestro preside & eius Imperatoribus iuste adipiscemini. Cum autem vidisset iudex Martyrem tam fortiter depugnare aduersus omnia quæ ab ipso fiebant & dicebantur, nõ amplius ad alias interrogationes, sed ad ipsam ferendã se parat sñiam. & cum breuiter cum iis qui erant eiusdem sñiæ in impietate consultasset, capitis vltimã tulit in eum sñiam & lictorem quidem adesse iubet cum nudo ense: significauit vero locum extra ciuitatem.

Cum autem peruentum esset ad locum: & Martyri priore stadio secundum visum esset alacrius, postquam notos parum conuenisset, & verba sua precibus obsignasset, apparés plenus lætitia, vt qui repositam sibi beatitudinem visione apprehenderet: vt etiam gratias agens abiret ad lætitiam mox enim excepturã. Ago tibi gratias, dicebat, Domine Deus, q me dignatus sis conspici socium pretiosæ tuæ mortis. & non dederis deuorandum bestiis agrestibus: sed effecisti perpetuo puram in te seruare fidem. Hæc cum dixisset & genu flexisset ad plagam ei gladio inferendã perrexit. Post plagam autem sacrum corpus ignis accepit. & sic quidem fuit dissolutum id sancti in quod cadebat interitus. anima autem ad beatam hæreditatem deducta est ab Angelis. Hinc viri pij magnam adhibent diligentiam vt Martyris reliquiæ ex igne tollerentur: & in insignibus locis reponerẽtur. Quas quidem cum collegissent & 2 mundis sindonibus imposuissent, vnguentisq; & suffitibus inunxissent, & iusta omnia eis sanctæ fecissent, eas paulopost in suam patriam retulerunt, quomodo ante consummationem iusserat Martyr Christi. Oportebat enim eum quæ & genuerat & aluerat, eum quoq; accipere consummatũ martyrio. & non illam quidem tenere locum matris: aliam autem præter eam frui gratia reliquiarum. Hoc 3 enim consulto factum est à Christi prouidentia. Quem decet omnis gloria honor potentia maiestas & magnificentia, Nunc & in secula seculorum. Amen.

2 Nota honorificam reliquiarum martyris translationẽ, eis nempe mũdis sindonibus impositis, & unguẽtis & suffitibus inunctis, atque iustis omnibus celebratis.

3 Vide ex diuina prouidentia fieri quod quis magis in uno loco sepeliatur quàm in alio.

TIMOTHÆI ARCHIEPISCOPI
Alexandrini narratio de maximis miraculis sancti & gloriosi Martyris Menæ.

ACCIDIT vt post mortem impij & Deo inuisi Diocletiani Imperatoris, Dei voluntate imperaret Constãtinus pius & Christi amans Imperator. Cordis enim eius oculos tetigit lux intelligens: & ei illuxit gratia Dei quæ superat omnem hominis intelligentiam. potentiq; & inexpugnabili sua dextera deduxit eum ad viam salutis. Nam vbi est gratus animus & cor mũdum, illuc etiam accedit sanctus spiritus Erat autem vir qui valde timebat Deum, & omnia eius mandata exequebatur diligentissime: omnem hominem deducens ad portum salutis. Meminerat enim eius qui dixit. Nõ adorabis Deum alienum, sed adorabis Deum viuum: & reddes altissimos vota tua. Iussit autem edicta quoque scribi per vniuersum orbem terræ, vt Christus qui blasphemiis & maledictis incessebatur ab impiis & iniquis gentibus, prædicaretur in omnibus finibus: & crederent omnes in patrem filium & spiritum sanctum. Iussit ecclesias quoque ædificari, in nomine 4 omniũ sanctorum & gloriosorum Martyrum, qui propter Christum verum Deum nostrum fuere Martyres & confessi sunt pulchram confessionem. Similiter autem iussit etiam mũdum & incruentum Christo Deo nostro quotidie offerri 5 sacrificium ad conuersionem & pœnitentiam omnium fidelium,

4 Iussit Constantinus Ecclesias ædificari in nomine omnium sanctorum & gloriosorum Martyrum.

Tunc surrexerunt quidam ex fidelibus ciuitatis Alexandrinę: & quę-

5 Missam vocat mun-

dum & incruentum sacrificiū, quod quotidie iusset offerri miraculum primū.

fierunt reliquias sancti & gloriosi Martyris Menæ, vt in eius nomine sanctum templum extruerent. Vniuersa aūt illa prouincia congregata fuit in loco vbi erat templum ędificandum, vt id cito perficerent. Eo aūt perfecto Dei gratia & sancti intercesßione, erat homo quidam ex regione Isaurorum valde diues. Ingreßus est autem Alexandriam causa negotiationis: & audiuit omnia miracula & curationes quas fecit sanctus Menas, & dixit apud se. Volo ego quoque ire vt orem in templo sancti Martyris Menæ: & adorem 6 pretiosas & sanctas eius reliquias: & dem illic paruam benedictionem. vt Deus nobis ferat opem & nos seruet sancti 7 intercesßionibus. Surgens itaque accepit secum crumenā. & transiit ad lacum maritimæ. Et cum inuenisset nauigium, peruenit ad locum qui dicitur Loxoneta. & egreßus è nauigio, sibi quęsiit mansionē. erat enim vespera Deinde cum in loco inuenisset tabernā, dixit Domino tabernæ. Amice. fac mecum misericordiam: & accipe me in tuam tabernam: quoniam aduesperascit. & timeo solus viam ingredi: neque enim hic habeo vllum alium Dixit autem ei Tabernarius. Ingredere frater, & mane hic donec illuxerit. Ingreßus autem hospes sedit in taberna. Dominus vero tabernæ parauit vestes stragulas vt ambo dormirent.

6

Vt adorem pretiosas & sanctas eius reliquias.

7

Vt Deus nobis ferat opem & nos seruet sancti intercesßionibus.

Cum viri autem crumenam vidisset Tabernarius, subiit cor eius qui semper vitæ nostræ curis vacuæ inuidet Diabolus: & fecit eum vigilare donec somnus inuasisset hospitem. Cum iis autem dormiisset. surgēs Tabernarius, accepit gladium, & occidit hospitem. Deinde accepit ita vt erat crumenam. & dixit apud se. Quid faciam hoc corpore, ne quis sciat cædem quam feci, & me deferat ad magistratum? Sed surgam & hoc probe curabo. Immittam enim in sportam & iaciam in lacum. Quod cū fecisset, suspendit eum sub tecto, vt cum data ei esset potestas eundi ad lacum, eam illic iaceret. Cum hæc autem fecisset, ortus erat Sol. & timuit interdiu eum in lacum iacere. Accepit vero eius quoque caput, vt id quoque frangeret & immitteret in sportam. Ecce 8 autem Sanctus Martyr Christi Menas, venit eques cum magna multitudine, præ se ferens speciē Spatharij, accedens ad tabernam. Videns vero sanctum venientem Tabernarius, timuit, quoniam saluum adhuc erat caput hominis. & festinās accepit caput, & id suspendit in medio tabernæ, nesciens quid ageret præ metu. Cum venisset autem sanctus Menas, aperuit ostium tabernæ. & apprehendit hominem qui dicebatur Tabernarius, & dixit ei. Dic mihi verum. Vbi est homo hospes qui hic mansit. Dicit sancto Tabernarius. Non mansit hic homo hospes. Dicit ei sanctus. Si non mansit hic homo, sede hic quietus: & ego eum inueniam. Cum ergo statim sportam accepisset sanctus Menas, inuenit caput hominis saluum cum reliquis membris. & dicit ei. Non dixi tibi me propter quem huc veni hominem ex me esse inuenturum? Tunc videns Tabernarius sanctum & cohortem quę erat cum eo, valde timuit. Existimabat enim Imperatorem omnino cognouisse cædem. & misisse ad eum. Quamobrem metu perculsus, rogabat sanctū qui videbatur Spatharius, dicens. Miserere mei Domine mi, quoniam peccaui valde. & cognosco peccatum meum esse valde magnū. Vnde etiam Imperator te misit ad me miserum. & considerans Dei gratiam esse tecum, confiteor me peccasse coram Deo & coram te. Quando vidi Domine mi crumenam valde magnam, impletum est cor meum infelicis

8

Vide stupendißimū sancti Menæ miraculum quod maximam eius arguit potestatem.

felicis

felicis furore aduersus eum. & siui eum donec esset sopitus. Deinde autem surrexi & occidi eum, vt eius possiderem pecunias. Ecce autem Domine mi, nondum accessi ad eius crumenam: neque ex ea accepi aliquid. sed eã do saluam tuæ potestati. & præterea alios tibi dono centum nũmos, me solummodo libera ab hac cæde. Respondit ei sanctus Menas, & dixit. Ducere ò homo pœnitentia tui delicti, & ego tibi condonabo. Ille autem dixit. Domine Spatharie, facio vt iubes. & qua hora liberatus fuero ab hoc periculo, ibo ad sanctum Menam: & pœnitentia motus accipiam habitum. Videns autem sanctus eius pœnitentiam, dixit ei. Affer huc ad me sportam in qua iacent membra hominis. vt perfecte euadat manifesta Dei gloria in sanctis suis. Tabernarius autem protulit sportam, & eam posuit coram sancto: & ea hora in loco suo posuit oĩa membra hominis.
Tunc 9 flexis genibus sanctus Menas diu orauit clementem Deum vt suscitaret eum qui fuerat occisus. non propter hominem solum qui occiderat: sed etiam propter eos qui tunc erant Hęreticos & gentiles qui erant increduli in sanctum Dei Martyrem.

9 *Sanctus orat flexis genibus.*

Post longum autem tempus dixit sanctus Menas ei qui fuerat occisus. Tibi dico. In nomine Domini nostri Iesu Christi qui me firmauit in petra confessionis suę, surge sanus. & egredere ex hoc loco valens & saliens, et coniuncta habens omnia membra tua sicut prius, vt ꝑ te discant Hęretici & impiæ gentes, gloriam Dei nostri. scias autem ipse quoque ꝙ ego sum Christi seruus Menas. Protinus autem in illa hora surrexit homo saluus & sanus & perfectus sicut erat prius. Tũc homo stupore affectus. humi flexis genibus, adorauit sanctum Martyrem Christi Menam & eam quę cum eo erat multitudinem, dicens. Ago gratias Deo & Domino omnium, qui fecit mecum misericordiam per tuum aduentum sancte Dei. Nam cum essem somno grauatus, veniens Dominus cum magnis copiis me excitauit. Et cum ei benedixisset sanctus Martyr Christi Menas, & similiter etiam occisori, statim ab eis euanuit. Tunc cum magno gaudio, Tabernarius accepit centum illis nũmis, & hospes eius crumena, abierunt in templum sancti Martyris Menæ. & dederunt ea quæ sancto promiserant. Et statim confessus est Tabernarius coram vniuerso populo cædem quam fecerat hospitis. & quemadmodum Sanctus eum suscitauit suis precibus. Cum omnesq; autem Deum glorificassent, admiratus est hospes audiens ꝙ interfectus, imo verò membratim concisus, per preces sancti repente surrexisset. Eum vero rogauit Tabernarius, vt eius acciperet habitum. 10 Tonsus autem Tabernarius illic mansit septem annos. & sic in pœnitentia obiit & confessione. Hospes autem reuersus est lætus & exultans in domum suam, & toti Alexandriæ narrans gloriam Dei & miracula sancti & gloriosi Martyris Menæ. Ab eo autem die credidit magna multitudo gentilium & Hæreticorum, admirantes stupentes ꝙ Deus per sancti 11 intercessionem curet omnem animam.

10 *Ecce quõ qui monachus fiebat, tondebatur.*

11 *Nota, stupẽtes quõd Deus per sancti intercessionem curet omnem animam.*

Aliud miraculum ò dilecti, volo vobis narrare quod factum est à sancto & beato Martyre Mena. Alexandriæ erat quidam vir diues nomine Eutropius. Qui dixit apud se. Deus impleuit me bonis suis. Ecce vado ad artificem: & faciam duos discos argenteos. & ex eis dabo vnum templo sancti Menæ. & habebo alterum in meum vsum. & in decessu eum quoque dabo sancto pro remissione meorum peccatorum. Accersiit autem

artificem in domum suam, & dixit ei. Adesdum magister, accipe hęc vasa argentea. & iis fractis, fac mihi duos discos, nihil addens, nec alium facies alio superiorem: & in vno quidem scribe nomen sancti Menæ. in altero vero nomen meum. & diligentia vtere ad hæc opera. Fecit autem discos aurifex. & eos inscripsit. euasit vero sancti discus pretiosior & honorificentior. Eutropius autē inuidit disco sancti, & dixit apud se. Ego vado ad sanctum. ei autem dabo discum in quo scriptum est nomen meum. & tenebo discum sancti ad vsum meum, & in vltimo die vitæ meæ eum quoque reddam. Tunc abiens ad littus, constituit naui ire vsque ad templum, dicens apud se. Porro sancti discum ad meum ministerium. Cum esset autem tempus prandij dum ipse nauigaret parauit seruus eius mensam vt ipse pranderet. Accepit vero seruus discum sancti: & Domino suo cibum in eo apposuit. Postquam autem impletum fuit prandium, abiit seruus eius ad lauandum discum in lacu. Ecce autem extitit magna caligo, & cecidit discus in aquam. Timens vero seruus ne eius Dominus id sciret & eum tormentis perderet, exutus se proiecit post discum. Quando autem sciuit Dominus quod factum fuerat, magno dolore est affectus: & scidit vestimenta sua eiulans & dicens. Hei mihi misero, valde peccaui. Inuidens enim disco sancti, cum eo seruum quoque meum perdidi. Quid faciam nescio. non enim habeo hominem qui mihi seruiat. Hei mihi, fuit hæc res mihi magno probro & dedecori. Si enim sciuerint ꝙ discum sancti retinuerim, quanto me probro afficient? Vtinam priusquam hoc significarem, pro vno disco dedissem templo tres discos. duos argenteos, & vnum aureum: & ad me non peruenisset. hoc malum opus & dedecus hominum. Satius enim fuisset eos dedisse quā seruus meus morte acerba mihi periisset. Quòd si dignus censear qui vel eius corpus videam vt sepeliam, dabo duos discos templo sancti martyris Menę: & eius serui quē perdidi dabo pretium. quoniam sum transgressus retinens sancti discum in vsum meum.

Eo autem hęc sic deflente & dicente, nauis venit ad portum. Eutropius autem aspiciebat in littore apud se sperans & dicens. Fluctus corpus eius omnino traxerunt ad littus. inuentum vero id sepeliam. Dixerunt autem ei nautæ nauigij. Quàm est hoc à ratione alienum, ꝙ cum duobus diebus nauigauerimus, tu modo quæris eius corpus. Dixit Eutropius. erat. n. valde fidelis. Spero in Deū & in sancti Menæ intercessiones, qui eum q erat membratim concisus & mortuus, excitauit saluum & integrum, ꝙ eius corpus videbo ante mortem meam vt id sepeliam propter probrum hominum. Hæc cum ipse dixisset, ecce puer veniebat cum disco sequens nauem. Eutropius autem cum vidisset puerum procul stantem, secum quoque discum habentem, & nauem circūeuntem propter Dominum suum, Nautæ viso puero, proram nauis admouerunt littori. Cum hoc autem vidisset seruus, apprehendit funem nauis & in eam est ingressus. Quādo vero vidit ipsum Dominus eius, amplexus est eum lætus & dicens. Ecce bonus meus seruus mortuus erat & reuixit: perierat & inuentus est. Lachrymantes autem omnes propter id quod factum fuerat, eum sunt consolati. Ille autem dixit. Lætabor & exultabo, ꝙ Deus mei hodie est misertus per intercessiones sancti Martyris & defensoris mei Menæ. Cui nō narrabo ò sancti, Dei admirabilia & hæc signa quæ in me ostendisti?

Vnum autem me cruciat & vnum horreo, quod si omnia mea tibi obtulero, non sufficiunt. quoniam peccaui & non memini eius qui dixit. Non concupisces res proximi tui & maxime sancti: Nunc autem fili, dic mihi, quid tibi accidit in lacu. & quomodo fuisti ex eo liberatus? Dixit puer. Domine mi, Quando accessi vt lauarem discum in lacu, orta est magna caligo, & cecidit à me discus in lacum. & dixi apud me. Quid faciam, aut quomodo me excusabo Domino meo? Timore itaque affectus me ieci in lacum. Quando autem ingressus sum aquam, vidi virum valde lucidum, & alios duos stantes cum ipso. & dixit eis. Tenete aum. & ab illa hora nunquam separati sunt à me donec huc veni. Statim autem cognouit Eutropius celerem fuisse adiutorem magnū Christi martyrem Menam. & Deum laudauit qui dedit talem potestatem sanctis suis. Deinde ambo simul euntes venerunt in templum sancti Menæ. & dedit illic duos discos, & seruum illum vt seruaret illic sancto loco. & sic reuersus est in domum suam. Laudans & benedicens Dominum Deum & omnes sanctos eius qui per ipsos dat 12 salutem populo. 12 *Per sanctos dat Deus salutem populo.*

Erat mulier quędam sterilis in regione Phecozeletarum. Ea erat valde diues in auro & argento. à parentibus autem & marito eius vocabatur Sophia. Erat autem eius quoque maritus valde pius & virtutis studiosus. Cum vero audiisset mulier illa sterilis de beato & glorioso Christi martyre Mena, & eius miraculis, dixit apud se. Ibo ego quoque humilis & abiecta in tēplum sancti. & cum ille adorauero, deflebo peccata mea. quoniam non est mihi filius vt sit hæres mearum facultatum. Scriptum est enim. Transibit mundus & cupiditas eius. Tollam ergo aurum meū & omnia mea. & veniens in templum sancti Menæ, ea illic dabo pro remissionem meorum peccatorum, & omnino in futuro vitam æternam possidebo. Surrexit autem mulier, & accepit omnia quæ habebat, & clā iuit sola in templum venerandum sancti Menæ, nec fuit vllus è domo eius qui animaduerterit ne id renuntiarent marito suo, & is eam retineret. Cum autem ingressa esset sola in solitudinem, & peruenisset ad vnum milliare à templo sanctæ & gloriosæ primæ martyris Theclæ, ea ambulante, ecce quidam miles ex iis qui viam custodiebant propter latrones, venit eques accurrens. & cum vidisset mulierem, ingressus est Diabolus in cor eius. erat autem hora sexta diei. & quando aspexit eam ambulantē solam, voluit ei id facere ad quod eum incitabat œstrum libidinis. Mir. III.

Cum itaque tenuisset mulierem, dixit ei. Quo vadis ò mulier? Putabat autem mulier eum voluisse rapere diuitias quas ipsa secum ferebat ad ministerium Martyris. & dicit ei. Ecce ego vado ad templum S. Menæ. Ille ei dicit. Ecce locus est desertus, & nemo est qui nos aspiciat. age dormiamus simul. Si autem mihi non obedieris, ego te occidam hoc meo gladio. accipiam autem tuas pecunias. Illa vero respondit cum lachrymis. Ne ò Domine mi turpem hanc rem feceris, in me quæ sum humilis & abiecta. Egressa enim sum è domo mea, vt vadam in templum Dei & defleam peccata mea. neque vllum alium cognoui vnquam nisi meum maritum. Time eum qui dixit. Non concupisces res proximi tui. & memento eius qui dixit. Alienæ parti ne appropinquaueris. Condona mihi miseræ, & ne cogas me hoc facere. adiuro te per Deum & sanctum eius Menam, quod me & magno dedecore afficis, & hoc peccatum tibi non con-

donabitur,neque in hac vita,neque in futuro seculo. Miserere mearum lachrymarum & parce meis gemitibus. Quod si me dimittas, præbeo tibi duo numismata. Ille autem nolens eam valde tenebat: & gemens dicebat mulier. Vndique mihi sunt angustiæ. Deinde etiam flexis genibus, cum lachrymis clamabat & gemitibus. Ecce Domine tu scis occulta hominum: & cognoscis non esse meam voluntatem,neque hanc iniquitatem.

13 Clamansque magna voce dixit.sancte Dei Mena, 13 fer mihi opem.

Ecce quomodo mulier sanctũ inuocat, & ille statim adest & fert opem.

Cum autem miserabilis illi eam iecisset humi, vt ei afferret vitium,alligauit equi sui habenas pedi suo. Tunc sanctus Christi martyr Menas, qui eos liberat qui ipsum inuocãt in afflictione,ea ipsa hora accedit eques. & mulierem rapuit è manu militiæ: & eam portauit ad equum suum. Equi autem frenum tenens sanctus, magna vi eum trahebat. erat autem alligatus pes militis. & currens equus Dominum suum trahebat super terram, donec venisset in templum sancti martyris Christi Menæ. Eum vero videns vniuersus populus fuit obstupefactus. Interdiu enim magna multitudo populi congregatur in templo sancti Menæ. Ille autem miles quãdo vidit gloriam sancti, accepit equum suum edonauit templo sancti martyris Menæ. & ab illo die non peccauit miles vsque ad horam mortis suæ:sed versabatur in precibus & supplicationibus. & cum multis lachrymis rogabat sanctum,vt ei condonaret hoc peccatum.

Mir. IIII. Erat Alexandriæ Hebræus quidam negotiator, habitans prope quendam Christianum. intercedebat autem magna amicitia inter Hebræum & Christianum. Quodam vero die vadens Hebræus ad negotiandum, reliquit in domo Christiani crumenam bullatam. Quando autem reuersus est Hebræus à negotiatione,misit dona ad Christianum,propterea quod aurum custodiisset. Quando autem dona ab eo accepit Christianus, eum illudens in corde suo dixit. Reuera & dona accipiam: & si tuas quæsieris pecunias, nihil habebis. Porro autem sic quoque vxori suæ est locutus. O vxor,si videatur,negemus huic Hebræo aurum suum. & si pergat repescere,iuremus ei: & sic recedet. Nam quod propter eum fit iusiurãdum nos non lædit,quoniam Hebræo iuramus & non Christiano. Illa autem dixit. Domine fac vt tibi videtur. Sequenti vero die surrexit Hebræus & venit ad Christianum. Christianus autem Diaboli suggestione negauit,dicens. Nihil vnquã nobis dedisti. Inter se autem diu litigarunt, adeo & illuc tota congregaretur ciuitas Postremo autem Hebræo venit in mentem vt diceret Christiano. Frater, audiui à multis de sancto & glorioso martyre Mena, quod magna eius sit gloria, & ignominia afficiat eos qui iniuste iurant. Surge ergo, eamus illuc, & iura quod apud te nihil reliqui. & vade in pace. Dicit Christianus Hebræo Sed non ingreditur Hebræus in templum Christianorum. Dixit Hebræus. Si non possum templum ingredi, stabo foris in porticu. Christianus autem despexit iusiurandum, dicens. Sanctus Menas est nostri misserturus, quoniam Hebræo iuramus & non Christiano.

Quodam ergo die ierunt ambo in templum sancti Menæ ad dãdum iusiurandum. Dixit autem Hebræus Christiano antequam ipse iuraret. Amice, time Deum, & miserere animæ tuæ. Accipe quas vis pecunias, & redde mihi reliquas: solum ne iures. Christianus autem ne sic quidem voluit eum audire. Tunc Hebræus humi inclinatis genibus,dixit cum lachrymis.

chrymis. Deus qui me dignum censuisti vt venirem & ingrederer in templum sancti & gloriosi tui martyris Menæ, sis tu arbiter inter me & hũc Christianum. & magna voce clamans, dixit. Sancte Mena, etiamsi sim indignus qui te nominem, attamen tu quoq; hodie signa ostende vt semper. vt ego quoq; humilis & abiectus te glorificem. Ingressus autẽ Christianus in templum, & nullum omnino habens Dei metum in corde suo, iurauit Spectabat autem Hebræus, & expectabat fore ut omnino in eũ fieret aliquod signum. Sed in eum vsus est sanctus lenitate & patientia. Quando uero peractum fuit iuramentum, ambo sunt reuersi domum. Cum autem ambo egresi essent è loco illo ad tria milliaria, conturbauit Christiani equus Dominum suum, & eum iecit in terram: & cecidit annulus sigilli scrinij è sinuo suo. Quæsiuit autem, & id non inuenit Gaudebat autem Christianus se cecidisse ex equo, arbitratus hanc esse iurisiurandi remunerationem. Deinde surgens equitauit, & simul proficiscebant. Cum autem peruenisset ad locum qui dicitur Loxonetas, simul ingresi sunt in forum, & emerunt cibos & sedentes comedebant. Pœnitentia aũt ductus fuit Hebræus & dixit. Cur credo ego in sanctum Menam. quoniam nulla vidi ex mirabilibus quæ facit quotidie. vtinam non eum iurassem fortasse ductus fuisset pœnitentia: & potuisset mihi aliquando dare aliquid ex meis. Clamans autem dicebat cum lachrymis. Hei mihi, sic omnia mea deuorauit. Quid faciam nescio Gratias autem agens dixit, Reddam votum meum & solicitudinem meam Domino & sancto martyri Menæ: & ut Deus iubet sic fit.

Cum autem sederent ambo, ecce uenit seruus Christiani, ferens crumenam cum rationibus. Quem cum uidissent ambo sunt admirati. Dominus autem serui magno timore est affectus: & interrogauit seruum suum, dicens. Vnde uenisti, & quid portas? Respondit seruus & dixit. Veni ad te missus à Domina mea, ut iussum tuum impleam. Dixit autem Dominus eius. Quem iussum? Dixit seruus. Domine mi, hodie uenit magnus miles, eques ad Dominam meam, habens annulum sigilli scrinij tui. & dixit ei. Cape mulier hunc annulum sigilli. nosti ne eum? Illa autem dixit, Noui. Ille uero dixit. Maritus tuus rogans me misit ad te, dicens. Mitte ad me crumenam Hebræi per seruum meum: quoniam valde torqueor à sancto Mena. Et propterea Domine mi, ad te huc attuli depositum. etsi non credis, ecce annulum sigilli scrinij tui. Ille enim miles eum dedit Dominæ meæ. Tunc surgens Hebræus accepit marsupium suum bullatum. & lætus magna voce clamauit & dixit. Magnus est Deus & sanctus eius martyr Menas. Admirabilis est fides Christianorũ. Nullus in te sperans Dñe, & in virtutem & auxilium sancti tui martyris Menæ, vnquam pudore afficitur. Ecce Domine, ego quoque fio Christianus per intercesiones sancti martyris Menæ.

λογαρίου

Deinde cum marsupium accepisset Hebræus, reuersus est cum magno gaudio in templum sancti Menę. & ei donauit tertiam partem marsupij, nempe mille nũmos, dicens Ecce sancti Dei coram te dixi ei. Quocunque vis nũmos accipe è marsupio, & da mihi reliquos: nec hoc in animum induxit vt faceret. eos accipit sanctum templum tuum pro luminaribus. Fugiens ergo ab eo tempore vanam Iudæorũ superstitionem, cum fuisset catechesi institutus cum domo suo, baptizatus fuit in nomine patris &

filij & spiritus sancti: & cõnumerata fuit vniuersa eius domus inter omnes Christianos, cum pietate & veritate Deum laudans & sanctum eius

14 Martyrem Menam. ꝙ eos qui 14 iniuste iurant & transgrediuntur nomen Dei & sancti, pudore afficit & vt nihili fiant efficit. Ab hoc die, seu iuste seu iniuste, nullus ausus est iurare in templo sancti. Christianus autem abiit gemens & tremẽs in domum suam, accepitq; dimidium bonorum suorum, & obtulit sancto Menæ. & illic motus pœnitentia deflebat peccata sua. & non discessit à templo sancti, donec decessit, cum in pœnitentia ambulasset ad Dominum, & consecutus esset veniam à sancto & glorioso Martyre Christi Mena.

Vides quõ Deũs probro afficiat eos qui in sanctorum tẽplis peierant?

DE QVODAM CLAVDO & quadam muta.

Mir. v.

Erat quidam vir Claudus ac mancus à puero. & non poterat nec pedibus ambulare neque laborare manibus. & neque à medico neque ab vllo homine ei ferebatur auxilium. Cum autem ipse quoque audiuisset ab omnibus, curationes & miracula quæ fiebant à sancto Mena, rogauit quosdam qui eum illuc deduxerunt. Cum eum autem vidisset turba, est admirata. Inuenit vero illic quoque Claudus mulierem quandam claudam quæ nunquam est locuta. Permanebant autem ambo illic, à superis petentes curationem. Cum is autem fuisset lõgo tempore in templo sancti Menæ & non fuisset curatus, valde iratus fuit sancto Menæ, dicens. Sancte Dei, quomodo video, omnia quæ de te audiui sunt falsa & non vera. Illa autem nocte Sanctus apparuit claudo & dicit ei, O homo cur mihi succensuisti? Quid vero tibi mali feci. Sed quoniam, vt dicis non possum te sanare. Nisi feceris quod dico tibi, non sanaberis in æternum. Dicit ei Claudus. Quid faciam Domine mi. Dicit ei sanctus. Si velis esse sanus, abi nemine sentiente. & veni ad stragulum mulieris mutę: & dormi cum ea. & accipies curationem. Experrectus autem Claudus est admiratus, putans sanctum eum illudere aut tẽtare. & dixit apud se. Hei mihi misere, nescio quid agam, Veni vt quęrerem sanitatem mei corporis. & vt videtur, sanctus me impellit ad fornicationem, & maxime in templo suo. & si hoc fecero, timeo ne mihi aliquid fiat deterius. Quamobrem iterum indignatus Claudus, rursus dixit Sancto. Sancte Dei, cum me non possis curare, suades vt me præcipitem in fornicationem. Talis ne est doctrina sanctorum? Rursus ergo tertio ei in somnis apparens sanctus, dixit. Fac quod tibi dixi. & tunc accipies sanitatem. Ille autem experrectus dixit. Sancte Dei, facturus sum quod iubes, & vt iubet Deus & tuum auxilium. Deinde cum aspexisset ubi iacebat muta, expectauit donec sopori se dedissent omnes turbæ quæ erant in templo. & tunc surgens, & se trahens, peruenit ad stragulum mutæ & apprehensum mulieris pallium traxit, & eam nudauit. Quando autem nudauit eam, excitata est à metu turbata muta, & est locuta. O violentia vir supra me ascendit. Ille autem præ metu & pudore, volens se è stragulo præcipitare & fugere, surrexit sanus in illa hora, currens instar cursoris. Tunc admirati omnes quod fa-

15 ctum fuerat, nempe ꝙ & muta esset sanata, & claudius surrexisset sanus, narrans eis ea quę in somno viderat, omnes Deum laudarunt, qui per sanctos suos 15 præbet omnibus curationem. & sic ambo domum redierunt, Deum & sanctum Menam laudantes & glorificantes.

Nota, qui per sanctos suos præbet omnibus curationem.

VITA SANCTI PATRI NOSTRI

Ioannis Archiepiscopi Alexandrini, qui dictus est Eleemon, idest misericors aut eleemosynarius.

BONORVM virorum scriptis mandare actiones, & memoriam eorum tradere posteris, conciliat magnam vitę vtilitatem Quendam enim zeli stimulum immittit animis piorum, eorum quæ ab eis recte gesta sunt narratio: & ad similia facienda adhortatur. Quarum vna est ea quoque vita quæ nunc nobis est proposito ad narrandum, boni, inquam, Ioannis cuius actioni nomen est conueniēs. Vocatur enim Eleemon, id est misericos, propter magnam suam ad hoc propensionem & summam bonitatem Quem tulit quidem insula Cyprus, & aluit tanquam plantam aliquam florentem & comatam virtutibus: clara autem Alexandria eum sortita est Pontificem & 1 Patronum ciuitatis. Ei pater quidem erat illustris, nomine Epiphanius. Cui etiā virtutis præstantia effecit vt ei cōmitteretur illius insulæ rectio. Mater autem honesta & quæ tali marito conueniebat, vt quæ resplenderet corporis & animæ pulchritudine. Ioanni cum tales obtigissent parentes, non effecit genus suum dedecore: sed studuit potius id ornare. adeo vt arbor ex fructu fieret manifesta: & non ipse ex illis ornamentum acciperet: sed illi potius gloriarentur filio, cum cognoscerentur esse patres talis filij.

Nouemb. 12.

1 Sancti patroni sunt ciuitatum.

Cum autem recte educatus peruenisset ad mensuram ætatis, vel inuitus à parentibus vxori iungitur matrimonio. cum qua habitare cùm vt parentibus obediret admisisset, auersatus est coniunctionem, temperantiam & continentiam amplexus etiam in matrimonio. Sed magna soceri importunitas coegit magnum Ioannem cedere naturę legibus Ex quo efficitur quidem pater liberorum. Patrem autem vocari cito ei est ablatum, immatura morte ei præceptis filiis. Postquam autem cum ramis radicem quoq; simul excidit cōmunis hostis generis: & abstulit ei vitæ sociam, propter omnia quidem agit gratias grata & memor anima, Deo qui dederat & abstulerat. eā autem rem efficit materiam virtutis. & cum illorum priuationem reputasset esse curarum depositionem, Deo perpetuo ita assidebat vt diuelli non posset & ad Christi portam assidue pulsanti, ei aperiuntur viscera diuinæ benignitatis. Itaque ipse quoque illa imitans pro viribus, aperit viscera & portas omnes & manum indigentibus. non misericordiæ guttas aliquas parce præbens. sed emittens imbres benignitatis: & ambabus manibus opes effundens inopibus.

Hinc euadit omnibus manifestus, non priuatis solum & principibus sed etiam ipsi Imperatori. Heraclius autem tunc sceptra tenebat Romanorum. Quamobrem cum ciuitas Alexandrina tunc esset orbata Patriarcha, adhunc virum toto contendit desiderio: & rogat Imperatorem ne ipsa à scopo suo excideret: sed ab eo Pōtifice pasceretur eorum ecclesia. Et ille quidem magnum illum accersit protinus: & omnibus modis conatur ei persuadere, vt ad sedem ascendat. Ille autem strenue resistit, dicēs se timere rei magnitudinem: nec se posse tantam sustinere dignitatem. Cum vero Nicetas dignitate Patricius, qui tunc multum poterat apud Im-

peratorem: & beato Ioanni erat frater spiritu: & vinculis amicitiæ erat ei optime coniunctus: & alioqui recte sciebat virtutem eius incomparabilem: & nouerat illum si vllus esset alius ea sede esse dignum, vehementer instaret Imperatori, dicens ne eum remitteret, sed vel inuitum ad sedē eueheret: vrgens Imperator maiore impetu & spiritu, persuadet Ioanni vt suscipiat Pontificatum. vt qui reputauerit non sine Dei numine fuisse tantam Alexandrini populi commotionem & Imperatoris contentionem. Fit itaque sedis Marci successor tempore quidem nescio quotus post illum: sed non multum remotus à vita illius & virtute. quomodo etiam possunt ostendere quę statim post susceptam rectionem recte ab illo gesta sunt. Postquam enim ascendit sedem, hoc ante alia omnia contendit, vt renouaret Marci prædicationem & fidem patrum qui præcesserant: & Hæreticorum quæ enata fuerant zizania euelleret radicitus. Nam cum Petrus Cnapheus blaspemam quandam in diuinitatem additionem hymno ter sancto ausus esset inserere: & ei quod est Sanctus immortalis, adiecisset. Qui crucifixus est propter nos, diuinus ille vir, hac blasphemia sublata, impatibilem & immortalem diuinitatem suo dogmate asseruit: & gregem ita sentire docuit.

Cum autem inuenisset septem sola Orthodoxorum oratoria, ea efficit decies plura, vt qui ea 2 septuaginta constituerit. Deinde omne confert studium, vt qui capti fuerant omne genus hæresibus, conuerterentur ad pietatem. fuitq; zelus eius vehementissimus in ordinationibus. vt eę quidem puræ essent à lucris & muneribus: nulla autem earum fieret citra examinationem. Præterea autem maximam adhibebat diligentiam in defendendis iis quibus fiebat iniuria: & ne Iudices gratificando personis ius proderent: sed iustitiæ trutina ponderarent iudicia: & nec eos ad gratiā aspicerent nec ad odium. Quod autem erat ei maximum & maxime proprium, erat misericordia in pauperes: & in curandis indigentibus insatiabilitas & procliuitas quæ non poterat comprimi: & nihil omnino parcere pecuniis: adeo vt etiam sæpe ad fundum ipsum perueniret. Cum itaq; præter alia sua beneficia extruxisset Xenodochia & Nosocomia & Ptochotrophia, eis frumentum attribuit quotidianum, Tantæq; hæc erant ei curę, vt etiam pauperibus fœminis quibus ad pariendum non erant habitacula, neque aliquid eorum quæ sunt apta ad earum curationem, septem domos attribuerit in diuersis locis ciuitatis: effeceritq; vt in eis essent lecti & stragula & suppeditatio alimentorum qua reficeretur indigentia parientium. Præter hæc pauperibus quoque Clericis prouidebat: & vnicuique eorum pecuniæ præbebantur annuæ. Non eis autem solis, sed etiam Episcopis quibus sumptus minime suppetebant ad victum.

2 Laudat sanctum à constitutione tot oratoriorum.

Sed quid hæc ad magnum mare eius liberalis voluntatis, & vastum illud pelagus benignitatis: Erat enim alter Nilus copioso fluento eleemosynę. non solam, vt ille, rigans Aegyptum: sed ipsam vniuersam, vt semel dicam terra circunfluens. Quis enim ex iis qui vndiq; aduentabant, victu indigens, si ad ipsum accessisset, tristi vultu & vacuis reuersus est manibus: & non est benignitatem abunde consecutus? Imo vero cuinam ex iis qui egestate laborabant, vbicunque terrarum eum esse accepisset, non ea præbuit quæ ad vsum sufficerent? Nam cum tunc Persæ populati essent vniuersam Syriam, qui eorum manus potuerant effugere, & laici

tam

tam ĳ qui magistratum gerebant q̃ priuati, & Clerici cum Ep̄is, confugiunt Alexandriam. Quibus omnibus diues ille & minime angustus conuiuator quotidie suppeditabat quæ erant ad vsum necessaria. non ad indigentium aspiciens multitudinem, vt aliquid faceret quod esset sordidi & illiberalis animi: sed ad eum qui operit manum & omne animal implet benedictione. Cum autem Rasmiszus Dux exercitus Chosroe vastasset & depopulatus esset venerando loca Hierosolymorum, postquam hoc audiuit ille homo Dei, & q̄ omnia sancta fuissent igni tradita, deflet quidem non secus atque Hieremias id quod factum fuerat Non hactenus autem constitit eius commiseratio: sed mittit etiam Ctesippum quendam virum pium, tradens ei multum auri, frumentumq; & alia alimenta & indumenta. & ad ea vehenda iumenta plurima. tum vt aspiceret vastitatem: tum etiam vt eos qui remanserant ex captiuitate, satis per ea quæ dicta fuerunt recrearet. Præterea autem Theodorum quoque Amathuntis Episcopum, & Anastasium præfectum magni montis Antonĳ, & Gregorium Ep̄m Rinocurorum, emittit ad eos recipiendos qui abducti fuerāt in captiuitatem, vim auri præbens propè innumerabilem.

Quēadmodum autem hoc quispiam mandauit silentio, & non potius miseri cordum auribus p̄p ipsum fuerit gratificatus, vt quod magis significet q̃ is in eleemosyna longè diligentissimus fuerit & vehementissimus. Nā cum primum eius fidei creditus fuisset pontificatus, iis accersitis qui res ecclesiæ dispensabant, iis etiā simul audientibus q̄ erant à secreto, Non est, inquit, iustum ò fratres & imministerio socĳ, vllius alterius rei curam gerere prius q̄ Christi. Euntes itaq; per totam ciuitate, sigillatim describite meos Dominos. Cum autem illi postquam hoc dixisset dubitaret, & quinam essent Patriarchæ Domini interrogarēt. Quos vos, dixit ille, pauperes & mendicos soletis appellare, eos ego Dominos meos & adiutores nomino. Nam ĳ soli mihi possunt opem ferre vt à Christi regno non excidam. Postquam autem cito factum fuerat quod iusserat, intellexit omnes qui numerati fuerant efficere septem millia & quirgentos: & iussit vnicuique eorum dari sumptum diurnum Post hæc suum conuertit studium, ad hoc vt iustis ponderibus & mensuris vterentur qui vendebant in ciuitate. Quod quidem pulchre fecit vir iustus publice proscriptis edictis. Porro vero hoc quoq; ab illo factum est quo magnam curā gerebat eorum quibus fiebat iniuria. Nam cum accepisset multos ad eum accessuros, & de iis quæ illis factæ fuerant iniuriis supplicaturos. ab iis qui ipsum sequebantur arceri, quid facit? Duobus hebdomadæ constitutis diebus, quarto, inquam die & die parasceues, sedens in tēpli porticibus, se cuilibet volenti prębebat adeundum. nonnullos ex iis qui erant virtute insignes habens secum considentes. Quibus sæpe dictitabat, illud dignū quod scriptis & memoriæ mandetur, si nobis dicens, qui sumus homines licet omnino ad Deum accedere absque vllo intercessore, & de quibus volumus eum rogare: quomodo non ipsi quoque nostris conseruis portas aperuerimus absque vllo impedimento? & non cuilibet cui est opus benignam aurem præbuerimus? Scimus enim qua mensi fuerimus mensura, eadem nos esse mensum vicissim accepturos.

Cum autem vt consueuerat aliquādo præsedisset & nullus accessisset, surgens vespere recessit tristis & lachrymans, Nullo vero audente rogare

causam cur esset tristis, diuinus qui aderat Sophronius. Quid est, inquit, ó vir diuinæ, quod te affecit molestia & animi ægritudine bonam tuam impleuit animam? Ille autem miti & leni voce. Hodie, inquit, miserandus Ioannes non ab aliquo vllam accepit mercedem: neque vllum vel minimũ piaculum potuit offerre Christo pro multis & magnis suis delictis: quomodo neque alias vnquam. Quod hoc illo minus, nisi etiam maius dixeris, quod dicunt esse cuiusdam Imperatoris Romanorum, qui dixit. Hodie non regnauimus: quoniam neminem affecimus beneficio? Cum itaq; sacrosanctus intellexisset Sophronius quid sibi vellet quod ab eo dictum fuerat. Te potius inquit lætari oporteret & non tristitia affici ó beatissime Domine, ꝙ tibi cõmissum gregem feceris viuere in tanta pace, vt nullus de re aliqua cum vicino habeat controuersiam: sed tanq; Angeli aliqui absque vlla lite et contentione homines viuant in terra. Cũ autem verum esse quod dixerat inuenisset vir mitissimus, statim fuit traductus ad animi lætitiam: & pro eo Deo egit gratias. Hoc dicunt etiam esse imitatum qui Heraclio in imperio successit Constantinum. qui etiam huius diuini viri fuit filius secundum spiritum.

Sed quæ sunt proposita persequatur oratio: & tradet auribus ea quæ sunt auditu digna & vtilissima. Tunc autem cum ad beatum Ioannem accessissent ij quibus fuerat commissa distributio eleemosynæ: & tale qd annunciassent, ꝙ scilicet puellæ quædam bene ornatę & quæ collo gestabant monilia, ipsæ quoq; conueniunt vt sint particeps eorum quæ dantur pauperibus: & periissent an eis quoque præbere oporteat, mitissimus Ioannes torue in eos intuens. Si humilis quidem & abiecti Ioannis, vel potius ipsius Christi ministri esse vultis & distributores, parete diuino eius iussius qui iubet dare cuiuis petẽti. Sin autem dicitis vos esse alicuius alterius, qui imperat vt examinetis vitam & statum mendicantium, Sciatis ꝙ neque Christus ipse neque humilis Ioannes opus habet curiosis ministris. Nam si nostra quidem essent quæ dãtur, & ea à nobis illata essent in mundũ, fortasse aliqua danda esset venia ei qui parce eis vteretur. Si autem Dei sunt omnia quæ sunt, eius omnino iussum in iis quæ sunt eius seruare oportet. Sin autem vos subiit timor ex incredulitate ne forte multitudo impensarum suporet redditus ecclesiasticos, ego ne tantillum quidem sustinebo esse socius vestræ modicæ fidei. Persuasum enim habeo ꝙ etiamsi contingeret vniuersum mundum uenire simul Alexandriam, egentem bñficentia, hoc Dei thesauros nequaquã in angustum redegerit.

Postquam autem enim eorum incredulitate admonitionibus curata, eos emisit, iis qui considebant munificum eius animum stupentibus, talem retulit narrationem, dicens. Mihi cum essem quindecim annos natus & uersarer in Cypro, quadam nocte puella quædam apparet in somnis eximia pulchritudine & quæ uerbis non potest exprimi. erat autem splendide vestita. & oleagina corona erat ei caput redimitum. Cũ uero prope me stetisset: & manu latus pupugisset, me territum è somno excitat. statimq; non amplius somnium, sed reuera aderat id quod apparebat. Rogaui autem eam quænam esset & vnde ueniret: & quomodo ausa esset accedere ad me dormientem Illa autem subridenti & læto vultu me hilariter & placide intuens. Sum, inquit, prima ex filiabus magni Regis. Si tu me tibi amicam paraueris, potero te ei efficere familiarem. Nulli.n.

maior est apud eum quã mihi fiducia. quoniam ei vt è cœlo descenderet in terram & carnem acciperet humanam ego persuasi. Hæc dixit, & statim recessit. Ego vero cum ad me rediissem,& id quod visum fuerat mẽte versarem, iudicabam eam esse misericordiam. Propter eã enim & Deus in terram venire, & hominibus similis conspice non est dedignatus. Statim ergo surgens iui solus ad ecclesiam. mane enim iam illucescebat: & fio obuiam viro pauperi qui erat nudus & valde affligebatur frigore. Ei cum me exuissem ea veste qua eram indutus,trado.apud me dicens. Sciã an sit verum & non deceptio id quod à me est visum. & prius ꝙ venissem in ecclesiam, ad me accedens vir quidam candidatus, tradit mihi auri centum nummos alligatos, Hæc accipe,dicens, ò amice. Ego autem etsi eos lubenter accepissem,ductus sum pœnitentia.& quãprimum conuersus, cogitabam id reddere ei qui dederat, vt qui non indigerem. Is aũt qui dederat, protinus euanuerat. Tunc intellexi visionem non esse phantasiam, sed apertam visionem. Ab illo tempore cum aliquid aliud præbuissem,videam,dicebam,an conuenienter promissioni sit mihi Christus centuplum redditurus. Cum autem millies sic faciens ipsis factis rem ita esse essem expertus, dixi apud me. Cessa. Quousque tentabis eum qui non potest tentari? Cum ego,inquit,tam euidentia accepissem argumẽta, isti, inquit, qui sunt sordidi & illiberales,venerunt vt me arriperent & efficerent socium suæ infidelitatis:& me vocarent ad immisericordiam.

Huius maximam benignitatem cum considerasset quidam aduena, cogitauit eum tentare qui erat superior omni tentatione. Cum se ergo pannis induisset,accedit ad eum euntem ad visendos eos qui erant in Nosocomia. Solebat enim hoc bis & ter facere in hebdomada. & verbis lugubribus. Miserere mei, inquit, Domine qui sum captiuus. Ille autem iubet distributori dare ei sex nummos. Ille vero iis acceptis & mutato habitu, per aliam viam accedit rursus similiter rogans. Beatus autem ei rursus iubet dari sex nummos. Ad magnum autem virum accedens is qui dabat, illi in aurem significat eum esse qui paulo ante alios sex acceperat. Cum vero simulans tertio rursus venisset ad accipiendum. Distributor innuit Patriarchę,eundem esse rursus significans. Ille autem illud pręclarum rursus dicit & facit. vt qui dixerit, Da ei duodecim nummos Num ille ipse est Dominus meus qui me tentat? Sed hæc quidem sic. Oratio autem vult etiam alia plurima tractare, significantia qualis esset vir ille summus circa benignitatem.

Mercator quidam possidens nauem propriam, cum ei infelicissimæ cessisset mercatura,graui premebatur inopia. Ei ergo cum accessisset & petiisset aliquid auxilij, beatus iubet dari quinque libras auri. Quas quidẽ cum accepisset & ea quibus opus habebat esset mercatus, nauigauit. Postquam autem fuit circa Pharon, vi ventorum vexatus, amittit quidem ea quæ vehebat:nauigium vero solum seruat vacuum. Accedit ergo rursus ad Patriarcham, simul quidem tragice deflens id ꝙ acciderat: & eũ ad maiorem vocãs commiserationem. Ille aũt cum audiisset,hortatur quidem ne animum despondeat. aperte autem subiungit, dicens. Nisi iis quæ tibi reliquæ erant ex iniquitate, ecclesiæ quoque pecunias coniunxisses,non hoc tibi contigisset. Rursus ergo iubet ei dari decem libras auri, iubẽs ne eas iniiceret cum aliis. Quamprimum ergo nauigauit mercator:

& accidit vt pateretur priori grauius naufragium, vt qui cum naue onus simul amiserit. Cũ ergo in extremam cecidisset desperationem, & victus esset animi ægritudine, & nec tanti illum quidem posset cohibere motum animi, & iam manum sibi esset allaturus. Deinde cum quod factum erat ergo rursus resciuisset Patriarcha, eum accersit. Ille aũt accessit veste dis-rupta, coma euulsa & caput habens cõspersum cinere. habitu miserabilis. miserabilior autem grauitate calamitatis. & multis lachrymis lachrymas oculorum attrahens. Quem etiam hic magnus cum vidisset, Propitius, inquit, sit tibi Deus. Cur propter pusillum & abiectum animum ita es affectus? Confido in Deo meo, ꝙ de cætero tibi nauis nullum patietur naufragium. Sed scias hoc tibi nulla alia de causa accidisse, nisi ꝙ hæc nauis non iuste non honeste à te esset acquisita.

Hæc cum dixisset, iussit ei dari vnam ex nauibus ecclesiæ impletam viginti millibus modiorum frumenti. Qua quidem accepta, nauigauit ex Alexandria: & vento vsus secundo cum seipsum tradidisset ei qui ferebat, ducebatur nihil sciens vbinam esset. Nam cum viginti dies & totidem noctes nauis sic curreret, neque ipso, neque vllus alius ex iis qui erãt in naue, nec ex astris, nec ex regionis indiciis, vbinam essent poterant discernere. nisi ꝙ soli gubernatori apparebat Patriarcha, cum eo clauũ dirigens. Cum autem præteriisset vicesimus dies, perueniunt ad insulas britannicas. Quem in locum cum appulissent, inueniunt famem crudelissimã, famem quæ homines illius regionis misere conficiebat. Cum autem eorũ principem conuenissent: & ab eis cognitum esset ꝙ frumentum afferrẽt, magna animi alacritate impleta est tota ciuitas: & eos cum magna accepit lætitia, non sine Dei numine eos aduenisse reputans. Cum autem insulares totum frumentum emissent, pro dimidio quidem aurum præbentes, pro reliquo autem stamnum: ita enim inter vtrosque conuenerat: & mercator iam rediret, fit res quædã quæ digna est si vlla alia, que memoriæ quidem & scriptis mandetur. admittere autem & credere nisi fidelissimis auribus, nequaquam est facile.

Cum enim iam Decapolim peruenissent nauigãtes, Nauclerus de naue descendens, cum in quendam incidisset amicum & familiarem arte aurificem, datis ei quinquaginta libris è stamno quod acceperat, pro eo accepit pretium. Ille autem cum id vellet igne probare, vt sciret quodnã esset, inuenit argentum probum & purissimum. Arbitratus itaq; Nauclerum id magis facere vt tentaret ꝙ quod verum esse putaret, accedens eũ probris est insectatus, dicens. Quid hoc à te factum est? An non sufficit tẽpus ad fidem faciendam vsque in hodiernum diem, ꝙ sine dolo versamur in contractibus? Tu autem nunc, vtpote tentans, argentum deposuisti pro stamno. Protinus ergo eo quod dixerat obstupefactus Nauclerus. Nihil, inquit, per ipsam ò amice veritatem, nihil fecimus vt tentaremus. sed scio me tibi stamnum aperte præbuisse. Si autem Patriarchæ precibus mutatum est in argentum, non est hoc nouum & alienum. Ille enim hæc potest qui aquam in vinum, & rursus aliquando id mutauit in sanguinem. Vt autem vel hinc possis credere, ascẽde in nauem, & totum disce cuiusmodi sit naturæ. Ille vero ingressus, aperte inuenit ipsam sicut erat argentum purissimum. Nauclerus autem cum omnia statim ab initio vsque ad finem exposuisset, ad gloriam Dei & laudem Patriarchæ qui fuit ei gratificatus,

tificatus, omnes euocauit auditores. Sed pergendum est ad sequentem narrationem.

Ad magnum aliquando euntem ad ecclesiam accedit quidam nobilis, cui fures quas habebat facultates diripuerant: & qui sic erat ad extremã redactus paupertatem. cuius misertus quæ tam breui tempore acciderat inopiæ, iussit ei dari quindecim libras auri. Ille autem qui iussus fuerat dare, partim quidem cedens inobedientiæ, partim autem suggestione eorum qui administrabant res ecclesiæ. tanquam non essent multa reliqua, vtpote ꝙ nesciret magnus Ioannes thesaurum recondere, præbuit quinq; solas ei qui rogauerat. Beato autem Ioanni ex ecclesia egredienti, mulier quædam vidua admodum diues, ei tradit chartam in qua scriptum erat donum quingentarum librarum. Quam cum legisset, intellexit ex ea quæ in ipso habitabat gratia, id quod non fuerat factum prout iusserat, de diminutione, niquam, quindecim librarum auri. Cum eos ergo qui id fecerant accersiuisset, de eo examinauit. Cum ij autem de re gesta mentiri conarentur, & nõ solum in re prius, sed etiam mendaces existere in sermones, eo ipso qui rogauerat accersito cum resciuisset eum accepisse solas quinq; libras auri, ostendens illis chartam mulieris. A' vobis, inquit, Dominus est exacturus alias mille. Si enim vos quindecim libras, vt à nobis statutum fuerat, ei qui rogarat præbuissetis, mille & quingentas Deo præbuisset mulier. Vt autem factis fides fiat eius quod vobis est incredibile, accersite mihi, inquit, hanc piam mulierem. Cum ea autem accessisset & aurum promissum attulisset, Dic mihi, inquit, patriarcha, an tantum pecunię statuisses Deo offerre ab initio. Illa vero cum sensisset illum non latuisse id quod seorsum ab ea factum fuerat, magno metu correpta, vniuersum arcanum enuntiauit, dicens. Reuera Domine mille & quingentas libras scripseram in charta tibi data. Paucis autem post diebus cum eam euoluissem, inueni mille nescio quomodo sua sponte deletas. Hinc iudicaui Deo omnino non placere vt plures quingentis libris offerem. Hæc illis qui audiuerãt magnum metum iniecit. & accidentes simul ad pedes magni Ioannis, petierunt vt sibi remitteretur peccatum inobedientiæ. Illi autem Christi amanti viduæ multam à Deo precatus benedictionem, dimisit beatus Ioannes vt abiret in pace.

Huic munifico animo & manu inuidens malignus Dæmon, suggerit Patricio Nicetæ, quem ei fuisse amicum & familiarem prius diximus, vt quiddam sua virtute indignum cogitaret & diceret. Accedens itaque ad beatum, Manus, inquit, Imperatoris eget multis pecuniis, vt quæ ad necessarios vsus reipublicæ quotidie consumat. Nam ipse quoque vides in quantas angustias redacta sit res publica. Oportet ergo vt quæ temere & ad nihil quod oportet à te consumuntur, deferantur ad ærarium publicũ. Ille autem nihil propterea conturbatus. Non est, inquit, iustum vt quæ Regi cælesti sunt consecrata, prodantur Regi terreno. Est hoc enim plane sacrilegium, & non paruum in Deum peccatum. Si autem tibi visum est sic facere, ecce quæcunque sunt ecclesiæ: ea accipe & fac vt volueris. si quidem te nulla ratio ab hac abducit sententia. mea enim voluntate ne obolum quidem dimittam eorum quæ sunt reposita. Nihil ergo nescio quomodo ex eo repressus vir ille admirabilis, vocat eos qui sequebantur: & statim iubet tollere pecunias, nihil aliud relinquẽs Patriarchę nisi solas

centum libras auri. Interim autem dum descendebant ij qui eas portabant, occurrunt quibusdam ascendẽtibus ad Patriarcham, qui mellis amphoras afferebant ad eum. in quorum nonnullis inscriptum quidem erat, Primarium: in aliis autem, Fumo carens. Postquam ergo hæc vidit Patricius, & agnouit inscriptionem, significauit Patriarchæ vt ad ipsum mittatur vna ex amphoris. Cum is autem cuius fidei hæc commissa fuerant, eorum, vt mos est, fecisset periculum, & deinde intellexisset quod in eis factum erat miraculum, & beato Ioanni significasset ꝙ sunt omnia auri plena, illico vnum mittit ad Patricium quod inscriptum erat Mel primarium. Ad eum autem mittit etiam litteras, quarum hæc erat vis. Dominus qui dixit, Nõ te dimittam, nec te derelinquam, ipse pro iis quas tua celsitudo nũc abstulit pecuniis reddit alias. Id autem tibi declarabit quę nunc ad te missa fuit amphora quę est vna ex iis. Scias ergo ꝙ Deum qui spiritum & alimentum omnibus suppeditat, homo in quem cadit interitus nequaquam poterit in angustum redigere. Porro autem præcepit etiam iis qui ferebant amphoram, vt eis præsentibus aperiretur in conspectu Patricij: & ei renunciarent, ꝙ aliæ omnes quos vidit ita se habent, & sic sunt aure plenæ.

Cum eum ergo inuenissent conuiuantem, ei tradunt epistolam, ostendentes etiam amphoram. Quam quidem postquam vidit, Irascitur mihi omnino Dominus meus, inquit, neque enim vnam mihi solam misisset. Qui autem portabant, quomodo fuerat eis imperatum, cum in eius conspectu aperuissent amphoram, & pecunias effudissent, annunciabãt fuisse reliquas auro similiter repletas. Cum vero perlegens epistolam, inuenisset ꝙ homo Deum non potest in angustum redigere, ad se postea reuersus & timore repletus (eorum enim quæ non recte facta sunt pœnitentia cito mouetur generosa virtutis amans anima) viuit Deus, exclamauit. Nec humilis Nicetas sustinebit tẽtare eum in angustum redigere. Cum statim itaque surrexisset, & quascunque ex ecclesia sustulerat pecunias rursus sumpsisset, & ipsam quæ missa fuerat amphoram, quinetiam è suo libras trecentas addidisset, ascendit ad patriarcham, veniam petens inconsiderati consilij. Ille autem eum lubenter excipiens, neque ei exprobrauit: neque aliquid locutus est quod ei afferret molestiam. sed verbis potius animum consolantibus & spiritalibus admonitionibus confirmatum amandauit. Ab eo autem tempore tanto fuerunt inter se coniuncti vinculo amicitiæ, vt etiam Patriarcha fuerit eius filiorum susceptor. Vt autem non solum per vberiorem laxamq́; & solutam viuendi rationem cognosceretur animus eius incomparabilis, & bona spes eius in Deum fidei: sed etiam per angustiorem, quam esset probatus esset euidens. Clarum est enim ꝙ sunt vtraque periculosa, nempe & res secundæ quæ eneruant & emolliunt à Deiq́; recordatione eiiciunt: & res aduersæ rursus quæ in arctum cogunt, pusillumq́; & abiectum animum efficiunt, propterea prouidet Deus vt iis cadat in egestatem. Quonammodo autem id prouisum sit dicam.

Cum magna multitudo eorum qui manum persicam effugerant confugisset Alexandriam: & esset magna alimenti penuria. maxime ꝙ nec illo tempore Nilus ascendisset vt consueuerat: & pecuniæ ecclesiæ essent consumptæ, coactus est ille magnus mille libras auri mutuas accipere ab aliquibus. Cum autem eos quoque consumpsisset, agitabatur magna so-

licitudine: & Dei orabat benignitatem, vt in rebus dubiis aliquam viam excogitaret. Sed etiamsi ad tantam redactus fuisset inopiam, non fuit tamen victus à calamitate. non diuinas leges & sacras constitutiones affecit dedecore: nec intermisit commissum sibi gregem accurate regere. Itaq; cum quidam Clericus ex iis qui secundas nuptias cõtraxerant, abundans diuitiis, vellet consequi gradum Diaconatus, resciuisset autem has Patriarchæ angustias, & arripuisset tempus tanquam opportunum, si pecuniis leuata inopia assequeretur id quod desiderabat, chartam tradit beato Ioanni quæ sic habebat. Cum accepissem angustias in quas redacta est munifica dextera mei Domini, non existimaui oportere me quidem degere in delitiis & rerum abundantia: Dominum autem meum redactum esse in angustias. Sũt apud me frumenti quidem multa millia: auri autem centum libræ & quinquaginta. eas velim per te dare Christo, si tantum
iudicatus fuero dignus eius ȝ diaconatu per sanctam tuam ordinatio- 5
nem. Inuẽtum enim est alicubi tale quid dictum fuisse apud Apostolum, ex necessitate legis quoque fieri translationem.

Habes hic bigamos ad maiores ordines ex antiqua patrum regula non esse promouendos.

Eum ergo seorsum accersit Patriarcha, non volens multis præsentibus eum afficere dedecore. & dicit ei. Tua quidem oblatio ò fili, est magna & huic tempori necessaria. Sed est vitiosa, & propter hoc ipsum non admittenda. Non ignoras enim ꝙ oues quæ ex lege offerebantur, si non essent vitij expertes etiamsi essent magnæ, non poterant admitti ad sacrificium. Qua de causa nec numera Cain Deo fuerunt accepta. Illud autem, Ex necessitate etiam fieri legis translationem, hoc ab Apostolo dictum esse scimus de lege veteri. Quid enim tibi videtur quod situm est apud fratrẽ Domini Iacobum? Sic autem habet. Qui totam legem impleuerit, in vno autem lapsus sit, esse omnium reum. Fratres autem nostros pauperes, etiamsi nos versemur in inopia, at qui eos alius Deus vsque in hodiernum diem, ipse eorum quoque de cætero curam geret. si modo nos eius mandata seruemus immobilia. Quid est enim quod facere non possit, aut quod sit difficile ei qui quinque panes in deserto aliquando multiplicauit, si decẽ modios qui sunt in meo horreo benedixerit, eos in magnam augere multitudinem? Quamobrem tibi ò fili cõueniet id quod Simoni dictum est in Actis. Non est tibi pars neque sors in hac parte. Nondum ille dimissus domum re infecta redierat, cum magno Ioãni significatur duas naues ecclesiæ in portum appulisse, ferentes ex Sicilia multa frumenti millia. Quod quidem cum ille audiuisset, procidens in genua, Deo egit gratias, dicens. Qui te quærunt, Domine & seruant tua mandata, non minuentur omni bono. Quamobrem magnifico sanctissimum nomen tuum, ꝙ non permiseris seruo tuo vt tuam gratiam venundaret pecunia. Sed sic quidem in angustiis dilatatus vir inclitus, non pro vsu rerum necessariarum prodidit accuratam regulæ obseruationem.

Oportet autem dicere etiam indicium magnæ quam habuit tolerantię: & narrare ꝙ̃ se perfecte gereret in hoc præcepto. Duos quosdam ex suis Clericis qui inter se inuicem fuerant debacchati, vir admirandus subiecerat segregationi. Quorum vnus quidem pœnam lubenter subierat. alter autem cum eam inuenisset tanquam prætextum suæ socordiæ, precum quidem & congregationum nullam omnino curam gerebat. vacabat autem omnino suis cupiditatibus. Deinde minabatur etiam se magni illius

viri summam illam & sanctissimam simplicitatem calliditate aliqua circunuenturum. Dicunt vero aliqui hunc quoque eum esse qui Nicetæ Patricio suggesserat vt pecunias tolleret ecclesiæ, dum existimaret se ea ratione Patriarcham affecturum molestia. Cum ergo hoc magnus cognouisset Patriarcha, timens ne forte is à Diabolo consumeretur, eum erat vocaturus & dignaturus commiseratione. meliore autem prouidentia mandatur obliuioni id quod animo cogitabat. Vt suprema eius humilitas fieret euidens maiori commiseratione. Nam cum 4 adesset dierum omnium præcipuus, ipse autem adstaret in tribunali & incruentum offerret sacrificium: ea ipsa hora in qua sacrum velum aufertur à sanctis donis, recordatus eius qui odium in eum conceperat, & memor præcepti Dominici, quod iubet quidem dimittere donum ante altare: procedere autem prius ad fratris reconciliationem: & tūc donum offerre, significat Diacono vt connexam resumat petitionem, & sæpe dicat donec ipse redierit. Ipse autem ventrem prætexens egressus est ab altari. & mittit magna celeritate ad se vocans illum Clericum, qui quidem mox aderat. Sanctus vero procidit ad eius pedes, nihil omnino auersans oculos eorum qui aderant, veniam postulans. Deinde ille qui prius fuerat insipiens, videns hoc sacrosanctum caput proiectum ad suos pedes, fuit statim fractus animo, timens ignem de cœlo & quæ, illinc mittuntur fulmina. Ipse quoque pronus cadens petiit ab eo veniam. Beatus autem Ioannes, Deus ambobus, inquit, ignoscat fili mi. Deinde eum quoque secum assumit. & cum gaudio & cum quanta dici non potest voluptate aram ingressus, tunc ausus est Deo dicere cum fiducia. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Abhinc ergo fuit hic Clericus adeo modestus & moderatus vt visus sit dignus qui ordinaretur Presbyter. Sed hoc quidem sicut diximus, est indicium magnæ illius tolerantiæ & moderationis.

4 *Vides nō omnes dies æquales esse, cū hic adesset dierum omnium præcipuus?*

Aliud autem narrabo quod est non multum dissimile ei quod præcessit. Est Angelorum, ait quidam ex Patribus, nequaquam depugnare, sed esse in pace perpetua Dæmonum autem irreconciliabiles per totam vitam exercere inimicitias. hominum vero sapientum breuiter quidem fortasse irasci: cito autem & paulopost currere ad recōciliationes. Cum ergo huic magno Ioāni accidisset vt nonnihil esset ira percitus aduersus eum cuius sæpe mentionem fecimus Patricium, illo quidem defendente rem iniustam lucri causa: non patiente autem Ioanne propter zelum iustitiæ, cum iam hora aduenisset vndecima, Patriarcha per nuntium primum ex Presbyteris ei significat, dicens. Sol iā est in occasu ò vir maxime venerande. Ille autem hoc verbo tanquam stimulo aliquo compunctus animo, statim surrexit & venit ad Sanctum. Quem cum ille lubens excepisset & esset amplexus, Crede mihi, inquit, nisi fuisset mihi exploratum ꝙ te molestia affecissem, forte nihil dubitans aut pensi habens ipse ad tuam venissem magnificentiam. Quid enim si communis quoque noster Dominus non est dedignatus obire ciuitates & vicos, vtilitatis gratia & curationis? Omnibus autem qui aderant admirantibus summam moderationem, dixit ei Patricius. Non amplius capiunt aures meæ inquit, o Domine delationes eorum qui criminantur. Cui dixit sapiens Magister, Persuasum tibi sit, inquit, ò fili fidelissime, ꝙ si simpliciter & absque examinatione essemus aures præbituri omnibus, pararemus nobis examen decies mille

peccatorum:

peccatorum : & maxime nunc in hoc tempore , quando refrixit omnibus charitas. Scio enim ego, ꝙ propterea ꝙ credideram aliquibus quibus obtigerat rectio ciuitatis. & eorum verbis solum essem inductus, nonnullos cum minime oporteret sæpe affecerim molestia. Quo factum est vt non paucorum me de cætero subierit pœnitentia. Quamobrem cum semel & bis & sæpe incidissem in fraudem eorum qui criminantur. de cætero apud me constitui, non amplius aliquid pronuntiare in aliquem priusquam audiissem ius vtriusq; partis. & iis qui facta ad me deferebant sum minatus, ꝙ si deinceps fuissent deprehensi inanes aliquas nugas ad meas aures deferre per calumniam , easdem daturi essent pœnas quas qui est reuera calumniator Ab illo itaque tempore excisa fuit omnis calumnia Sycophãtarum. Quamobrem tuam quoq; rogo magnificentiam, ne tam simpliciter & tam facile admittas malignorum hominum calumnias : sed eas prius diligenter examines. Neque enim hinc mala nascuntur mediocria. sed & bonorum publicationes, & verbera, & cędes sæpe per mendacium multi innocentes subierũt: & ab iis propemodum est euersa vniuersa vita hominum. Has admonitiones cum tanq̃ à Deo accepisset Patricius, pollicitus est se eas esse perpetuo seruaturum.

Aliud addatur iis quæ dicta sunt , ꝙ satis potest exprimere eius mansuetudinem atque patientiam. Magni Ioannis consobrinus erat nomine Georgius. Is contumelia affectus ab aliquo Caupone ciuitatis, vehemẽter fuerat morsus & id ferebat grauissime. Id enim faciebat & magnum quod erat inter eos discrimen. nempe & eius cum magno affinitas: & nimiæ sordes & humilitas eius qui fecerat iniuriã. Accedit ergo seorsum ad beatum Ioannem adolescens, lachrymis & dolore cordis quo angebatur deplorãs iniuriam. Cùm sic eum vidisset victum ab omni perturbatione Patriarcha, volẽs eum demulcere & veluti recreare, &, Ausus est, inquit, omnino os aduersus te aperire , & omnino contumelia afficere aliquis eũ qui est mihi charissimus ? Benedictus Dominus rẽ in ipso faciam vt admiretur omnis Alexandria. Postquam autem vidit eum propter id quod dixerat paululum remisisse de animi ægritudine. Fili, inquit, mihi iucundissime. Si re uera vis meæ paruitatis esse & nominari consobrinus , para teipsum non solum aduersus contumelias : sed etiamsi sit amplius aliquid dicendum , etiam aduersus ipsa flagra. Vera enim nobilitas non ex sanguine & carne, sed ex virtute animæ accipit formam & characterem. Statim ergo accersito principe Cauponum, ei denunciauit ne consuetum deinceps vectigal acciperet ab eo qui suum consobrinum affecerat contumelia: aut aliquid ex iis quæ ab eo de more dabantur ecclesiæ. Propter quę admirati omnes incomparabilem illius patientiam, intellexerunt oẽs hoc esse supplicium quod erat miratura tota Alexandria.

Sed forte in iis quidem quę ad ipsum pertinebant tam diligenter cauebat ne memor esset acceptæ iniurię: alios autem negligebat in rebus huius modi ? Nequaquam. Cùm enim resciuisset quendam ex Diaconis nomine Damianum odio habere propinquum vt qui recordaretur acceptæ iniuriæ , denuntiauit Archidiacono vt in tempore participationis sacramentorum ei ostenderet eum qui memor erat iniuriæ. Cum ergo cognouisset, eum manu accipiens. Vade, dicit ei, & fratri primum reconciliare, vt vult præceptũ. & tunc sumes sacramenta Christi qui non est memor

acceptæ iniuriæ. Ille autem pudore affectus, præsentibus omnibus promisit se hoc esse facturum. & tunc eum impertit sanctificatis. Deinceps ergo inuasit timor non solum Clericos sed etiam laicos. & cauebant ne vllum odio haberent & essent acceptæ iniuriæ memores. timentes ne multis præsentibus sic pudore afficerentur, Sed tam accurata quidem & exacta fuit eius vita, tam quod ad ipsum attinebat quã quod ad eos qui ab illo pascebantur. Pręter alia autem bona, in sacrarum quoque scripturarũ cognitione summe laborauerat & plurimum erat meditatus, non sine voluptate & studio acerrimo. Licebat ergo videre quotidie in congressione quæ fiebat in secreto, eum nihil ferè aliud loquẽtem aut quærentem quam narrationes Patrum qui erant magni nominis: & problemata dogmatica & quæstiones ad scripturam pertinentes. Hæc autem maxime, propterea ꝙ tunc abundabat multitudo Hęreticorum. ad quos euertendos asciuerat eos qui illis temporibus erant excellentissimi. Ioannem, inquam, & Sophronium. Porro autem ei quoq; erat studio conseruare consessum nulli detractioni affinem & nulli vano sermoni. Quòd si quis ex iis qui considebant tale quid proposuisset, ille ingeniose & apte id repellebat, iniiciens bonam aliquam quæstionem & animæ vtilem. Si is autem esset crassus & plebeius & qui non recedebat ab iis quæ sunt consueta, præsentem quidem non male tractabat: nec se iracunde & aspere in eum gerebat. Præcipiebat vero ne eum sinerent amplius esse è consilio. vt per eum vnum fierent alij cautiores & diligentiores.

Vt autem mortis memoriam suæ cogitationi profunde imprimeret: & eam perpetuo haberet præsentem & ante oculos, quid facit? Iubet sibi extrui monimentum. ei autem finem non imponi, sed semi perfectum sic relinqui. Deinde eos qui præfecti erãt operi, cum esset festum aliquod insigne, accedentes in conspectu omnium qui considebant, aperte dicere. Monimentum tuum in hodiernum vsque diem est imperfectũ Domine. Iube ergo vt id finem accipiat. Incertum est enim qua hora fur ingrediatur, nempe mors. Sed quis illius victus tenuitatem & quæ erat circa vestem & stratum vilitatem & mediocritatem recte enuntiauerit. Cũ aliis enim ne hanc quidem neglexit virtutem, adeo vt vulgus & eos qui sunt contempti in his ne superaret quidem. Quidam certe ex habitatoribus ciuitatis qui erat ei familiarior, cum resciuisset quomodo res se haberet, cilicium emptum triginta sex nummis mittit ad beatum, plurimum rogans ne id recusaret: sed se eo indueret. Hoc ergo cum & propter viri fidelitatẽ, precumq; contentionem & ardorem facere voluisset, non cessauit tamen tota nocte lamentari. vt postremo exposuerunt qui ei assidebant. Quis, dicens, non condemnarit me miserũ Ioannem, si mihi quidem liceat tegi tegumento triginta & sex nummorum: fratres autem mei, proh dolor, secundum Christum, sub dio perpetuo degant confreti frigore: & nec minimum quidem & vilissimum pannum habeant: quorum plurimi quidam ventre vacuo & incœnati recumbunt: & vel ipsas, hei mihi, quæ à mensa mea cadunt micas cupiunt, sicut pauper Lazarus. Heu heu ꝗ multi nunc hospites & peregrini ad hanc venerunt ciuitatem, qui non habent vbi caput reclinent, esurientesq; & sitientes iacent in medio foro. Ego autem me delicate omne genus explens bonis præter alias delitias hoc quoque nunc sumptuoso induor tegumento. Quid ergo illo die expecto

me auditurum? Quid aliud, quam, Recepisti bona tua in vita tua. pauperes autem mala. & propterea ipsi quidem nunc accipiunt consolationem, tu autem cruciaris pro meritis. Sed benedictus Deus, non amplius eo tegetur humilis Ioannes. sed eius pretio induentur pauperes.

Cum primum itaque illuxisset, mittit cilicium in forum venundandũ. quod cum vidisset is qui obtulerat, rursus emit & ad eum affert. Ille aũt accipit quidem: rursus vero mittit ad forum. Cum autem bis & sæpe hoc factum esset, magnus Ioannes significat ei qui offerebat. Videamus, dicens, quis ex nobis prius defatigabitur: ego quidem ipsum vendens: tu autem emens & offerens. erat enim valde diues. Quamobrem dedita opera volebat magnus Ioannes ex eo lucrifacere, vt illius bona ad pauperes affluerent. Dicebat autem etiam tale quid, quod si quis, ab his delicatis & diuitibus, & maxime iis qui sunt immisericordes, posset arte aliqua & ratione ad ipsas vsque auferre tunicas, vt benefaceret indigentibus, ab eo quod decet minime aberraret. Sic enim res duas efficiet pulcherrimas. vnã quidem, quod illorum animis salutem conciliabit. alteram autem, quod ex rebus alienis non paruam neque leuem sibi parabit mercedem. In testimonium autem eius quod dicebat, adducebat etiam id quod magnus fecit Epiphanius, qui effecit vt pecuniæ Ioannis Episcopi Hierosolymitani, pia quadã via & ratione distribuerentur pauperibus. Addebat vero aliud quoque quod à fideli quodam & amante veritatis dicebat se audiuisse Cypri. qui sic narrabat, ea quæ dicebat iureiurando confirmans.

Cum essem in Aphrica, habitabam apud quendam Publicanũ, valde quidem diuitem, sed admodum immisericordem & pauperem quod attinet ad misericordiam. Cum autem accidisset vt tempore hiberno sol luceret calidius pauperes simul congregati calore fruebãtur. Vt solet autem in his euenire, domos enumerabant. illas quidem quæ erant misericordum & sua communicantium, beantes: eas autem quæ possidebantur à parcis & nihil elargientibus, miseras dicentes & execrãtes. cum quibus, inquit, etiam meum connumerauit Dominum. Sic itaque inuicem rogabant, an aliquis vnquam illinc fuisset eleemosynæ particeps. Cum vero nullus esset ex omnibus qui affirmaret se accepisse, vnus ex illis. Sed quid, inquit, mihi dabitis, si ego hodie recedens illinc consecutus fuero misericordiam. Cum autem de ea re pacta conuenta inter se fecissent, pauper cum fuisset ex aduerso vestibuli publicani, inuenit ipsa hora Pistorem trahentem mulum pane onustum: ipsumque venientem per viam quæ tendit ad ædes. Cum itaque pauperem ex aduerso stantem vidisset Publicanus, & solo tristi habitu prouocantem eum ad misericordiam. neque enim vel solam vocem audebat emittere, ne virum irritaret alienum à misericordia, sic quoque furore percitus, vno pane arrepto, & eo vsus tanquam lapide, iacit in pauperem. Quem ille protinus accepit, & abiens ostendit aliis. affirmans quod accepisset ab ipsis manibus publicani.

Nondum duo dies præterierant. & publicanus morbo correptus mortifero, cum mentis subiisset extasim, videbat à se exigi rationem suarum actionum. Deinde videbatur etiam adesse trutina vtraque discernens. in cuius sinistro quidem lance videbat nigros congregatos, & multa eius turpia facta in lance deponentes. In dextero autem, viros quidem cãdidatos & forma terribiles assistentes: nihil vero boni inuenientes quod contra

possent in lance colloquare: esseq; mœstos & tristes, & dicentes. Nihil habemus aliud quod opponamus, nisi panem illum quem duobus ante diebus, & nec ipsum quidem sponte, dedit cuidam pauperi. Cùm in altero itaque lance eum imposuissent, fecerunt trutinam ex vtraq; parte ex ęquo propendentem. Tūc illi Publicano dicunt viri candidati. Recedens adde huic pani & operare. Nam illi quos vides nigri sunt te accepturi. Cùm statim itaq; experrectus esset & ad se rediisset, agnouit vera esse quæ visa fuerant. Nam quæcunque ab ineunte ætate ab eo facta fuerant, & quorū iam erat oblitus, videbat illos Aæthiopes vtiq; congregantes & in lancem imponentes. Quamobrem sæpe obstupefactus, Papè, dicebat, quāta est virtus eleemosynæ. Si enim vnus panis, isq; per iram pauperi proiectus, tantum potuit: à quam multis malis se poterit liberare, qui hilariter bonis suis impertitur pauperes? Adeo ergo munifice vsus est eleemosyna: & tam abunde ambabus, vt dici solet, effudit manibus, in ventres pauperum infundens. vt postquam omnia profudisset, ne suo quidem parceret corpori: sed eo quoque aleret pauperes vendita libertate vt paulo post clarius ostendemus.

Ei enim eunti in telonium occurrit nauta nudus ex naufragio. Quem quidem cum vidisset, veste statim se exuens quæ erat delicata & sumptuosa, ei donat, multum precatus vt ea perpetuo indueretur. Ille autem partim quidem erubescens vti veste magnifica: partim vero aliarū quoque rerum egenus, in fore exponit vt venderetur. Cum autem reuertens Publicanus eam vidit pendentem, magno fuit affectus dolore, & erat tristis, reputans q̄ non ei licuisset relinquere pauperi aliquod monimentū suæ misericordiæ. Hęc cum cogitaret ei obrepit somnus. In somnis autem ad eum accedit vir quidam insignis, sole specie alacrior: crucem quidem habens in capite, indutus autem veste quam ipse dederat Nautæ. Qui cū prope accessisset, Cur, inquit, chare Petre, hoc enim erat nomen publicano, angeris & cruciaris? Ille autem perinde acsi nosset quisnam esset qui loquebatur. Quoniam, inquit, Domine, quæ tu nobis abunde præbes, ea nonnullis sępe impertientes, non videmus eos recte vti iis quæ data sunt, propter turpe lucrum. Ille nondum implerat orationem: & qui apparuerat ostendens ei vestem, Agnoscis ne hanc, inquit? Cum is autem affirmasset, ille rursus. Ecce, inquit, ex quo tu mihi eam præbuisti, ea perpetuo induor.

Postquam autem eum dimisit somnus, hæc mente agitans. Benedictus Dominus, aiebat. Si Christus videtur esse vnus ex indigentibus, non desistā donec ipse quoq; sim vnus ex iis minimis. Statim ergo vocato Procuratore domus q fuerat ab ipso emptus, volo, inquit, tibi credere quoddam arcanū, quod si enuntiaueris, aut nisi effectum reddideris quod volo, procul recedes à meo conspectu & venderis in barbara regione. Hæc cum dixisset, decem libras auri ei tradit, quæ erant ei soluendæ ob negotiationem. Deinde, Me quoque, inquit, assume ad hanc negotiationem. Hoc est enim arcanum, & cum me abduxeris ad partes sanctæ ciuitatis, illic me vende Christiano alicui tanquam mancipium. Quod autem ad te ex eo redibit pretium quantūcunque fuerit, detur pauperibus. Cum postquam diu institisset vix tandem ei persuasisset, venit cum eo Hierosolyma. Quo in loco cum in quendam amicum qui erat quidem arte Aurifex incidisset

Procu-

Procurator,erat autem ei nomen Zoilus, qui propter aliquem casum re-
dactus erat ad inopiam Seruus est,inquit, mihi valde bonus. quem si me
audiens emeris,nihil erit impedimento quominus ad pristinam redeas feli-
citatem. Est enim non solum bonis moribus: sed etiam in fundendo auro
summe exercitatus. fuerat enim Petrus huic quoque arti summe deditus.
Ille autem statim in medium adducens paupertatem cum qua conflicta-
batur, dicebat se non posse eum emere. Sed tamen ille verbis amici per-
suasus,& auro accepto fœnori, emit zelo feruentem Petrum triginta nū-
mis. Quos cum accepisset Procurator,iuit Constantinopolim.

Licebat ergo videre eum qui propter Christum voluntariam suscepe-
rat seruitutem, diligentissime Domino suo inseruientem in omnibus quæ
ad vsum domus pertinebant. ieiuniisq́ vacantem et vigiliis. quæ facie-
bant vt res Domini incrementum acciperent. & vt benedicerentur eius
vltima,sicut Iobo, magis q̃ priora. Qui etiam summam eius virtutem
venerans, cogitabat eum manumittere, etiamsi ille id minime admiserit,
volēs potius in seruitute propter Christum perpeti,q̃ cum libertate qui-
escere. Sed quis dicere omnino potuerit eas quæ ei à maligno inferebantur
afflictiones. Quicunque enim erant è familia, tanquam emotæ mentis
quempiam reputantes,aliquando quidem eum irridebant:aliquando au-
tem alapas infligebant: & non desistebant ei omnibus modis afferre mo-
lestiam. Quotiescunque autem contigisset eum contumeliis à conseruis
affectum dormire cum animi ægritudine,toties ei assistebat in somnis qui
in Aphrica ab eo visus fuerat. ferensq́ eius vestem: & pretium triginta
aureos habens in manibus. Ne sis tristis, aiebat, frater Petre. Ego enim
etiam tuum accepi pretium sicut prius vestem.

Intercessit aliquantum temporis: & quidam qui erant eiusdem cuius
Petrus regionis, arte aurifices, voti 5 causa & adorationis, peruenerunt
ad loca veneranda. Quos Dominus eius, vt qui essent eiusdem artis,do-
mum ductos accepit omni benignitate Petrus autem cum eis ministraret
& viros agnouisset, seipsum celabat pro viribus: & omnibus modis co-
nabatur latere. Illi vero tanquam per figuram corporis eum indagantes,
agnouerunt. Et primum quidem inter se susurrabant. dubitationem enim
eis afferebat similitudo. Postquam autem illum ipsum esse aperte agno-
uerunt,communiter eum statim alloquentes qui eos inuitauerat. Quid si-
bi vult,dixerunt, q vir talis tibi ministrat, qui est vnus quidem ordinis
senatorū,splendore autem nulli est secundus? Is enim qui nunc nobis ser-
uit in mensa, est Petrus publicanus. de quo Imperator quidem magnum
accipit dolorem, magnum autem Senatus quoque,vt qui euanuerit. Eos
hæc verba dicentes cū audiisset Petrus,statim humi quidem iacit discum
quem habebat in manibus: cursu autem descendit ad vestibulum. in quo
adstabat quidam adolescens ab ortu surdus & mutus, qui nutu poterat
claudere & aperire. Cui Petrus. Tibi dico,inquit,qui es surdus & mutus.
In nomine Christi Dei nostri, audi me & aperi. Ille autem, Sicut iubes,
respōdit: & statim aperuit. Ille verò currens protinus est egressus. Deinde
ascendens Ianitor lętus narrauit quod in ipsum fecerat miraculum. Dice-
bat enim se vidisse flammam ignis procedentem ex ore magni Petri ad
aures eius peruasisse. Quæ, inquit,cum me totum circunfulsisset, repente
fecit audire & loqui Hęc cum narraret is qui prius erat surdus & mutus,

5 *Vide peregrinationē ad loca sancta voti & adorationis cā.*

subiit omnes stupor & admiratio. & statim q̃ maxima potuerunt celeritate aggresi sunt eum persequi. Cum vbique autem scrutati essent, non poterunt eum quem quærebant comprehendere. Quamobrem eos magna subiit pœnitentia: & deplorabant q̄ non magis animum attendissent. quo factum erat vti Dei hominem tantis afficerent contumeliis, verberantes & insultantes, & ipsum quotidie irridentes.

Tales erant misericordis & clementis Ioannis animæ benignæ & humanæ narrationes. Maxima enim ex parte quæcunque incitabant ad commiserationem & amorem in pauperes, ea volebat dicere & audire. Assidue quidem certe inuestigabat vitam eorum Patrum qui fuerunt celebrati propter eleemosynam. & in hoc per totam vitam magnum ponebat studium, vt qui vellet eadem via qua illi ingredi. Cum itaque aliquando incidisset in vitam diuini Sarapionis Sidonij, non cessabat virũ illum admirari & res illius narrare quemadmodum cum aliquando in egentem incidisset pauperem, se pallio exuit & ei dedit. Deinde cum obuiam factus esset alteri algenti, similiter ei præbuit tunicam: & de cætero sedit nudus, vlnis solum tenens Euangelium. Deinde ab aliquo interrogatus quisnam eum nudasset, Hoc, inquit, ostendens Euangelium. Cum vero eo quoque vendito, pro eo acceptum prætium distribuisset pauperibus, cuidam Discipulo qui eum rogauit, Vbi est pater paruum Euangelium? Crede mihi, inquit, fili, parens ei qui dixit, Vende quæ habes & da pauperibus. ne ipsi quidem libro in quo hoc scriptum erat statui parcere. Addatur hoc quoque iis quæ dicta sunt, afferens auditoribus non mediocrem vtilitatem.

6 Quidam Monachus illo tempore puellam ducens spetiosam, obibat 6 ciuitatem. cum autem quidam ex ecclesia eum vidissent ad multorum offensionem eam circumagentem, introducunt ad beatum Ioannem. Ille autem verbis illorum inductus, vt qui existimasset eos zelo diuino illum admonuisse, ipsum & puellam iubet vehementer cædi: deinde eos in diuersis custodiis includi. Cum autem factum esset quod iusserat: & eos accepissent custodiæ: & noxiam aduentasset, Monachus ei apparet in somnis. ostendens tergum notatum vibicibus & stigmatibus. ei dicens simpliciter & placide. Quid verò, hæc tibi placent Domine? Crede, nunc quidem certe semel deceptus es vt homo. A' somno autem excitatus, accersit illico Monachum, educens eum è custodia, pręplagis vix valentem ingredi. Deinde cum in eius vultum coniecisset oculos, agnouit eum esse qui fuerat ab eo visus. Cumq; vellet scire an tam multas accepisset plagas, q̃ multas habens in somnis apparuerat, iubet eum linteo succinctum aperire dorsum. Cum diuina autem prouidentia fuisset linteum solutum, apertæ fuerunt partes occultæ. & conspectus est Monachus propemodum exectus & mancus virilibus. etiamsi propter florem ætatis non fuisset prius immunis à suspitione. Statim ergo eos qui illos detulerant, è suis gradibus deturbatos tres annos arcet à communione. Pio vero Monacho se vt par erat excusauit: & rogauit vt ei condonaret peccatum admissum per ignorantiam. Sed hoc solum dixit se non laudare, q̄ nullo adhibito custode obiret ciuitates, cum esset Monachus & videretur adeo iuuenis: & traheret secum fœminam: & esset multis causa offensionis. Ille vero cum ea qua par erat reuerentia & modestia

Vides scãdalum esse magnum, monachũ habere secum puellam, & cum ea obire ciuitatem?

Benedictus Dominus, inquit, Domine, non mentior, Non multis ante diebus cum essem Gaze, & illinc festinarem ad adorandum sanctos Cyrum & Ioannem, hæc puella mihi vespere fit obuiam: & ad meos pedes procidit, rogans vt mecum iter ingrederetur, eo ꝙ vellet esse Christiana: erat enim Hebræa. Ego autem Dei veritus iudicium, qui dixit ne expusillis aliquem despiceremus, obediens admisi eam viæ comitem. maxime confidens ꝙ cum essent mihi membra ita affecta, non esset facile inimico struere in me tentationem. Cum illuc autem venissem & vota reddissem, feci eam catechismo instrui & baptizari. & de cætero eam circunduco in simplicitate cordis: & mendicans eam ale. studens si possim eam collocare in aliquo monasterio virginum. Hæc cum audiisset ille beatus Pape, inquit, quam multi sunt occulti serui Dei, etiamsi sint nobis ignoti! Cum autem Monachum donaret centum nummis, ille non accepit, dicens. Monachus si habet fidem, non indiget pecuniis. Si autem omnino amat, est omnino fide defectus. Hæc cum dixisset & adorasset recessit.

Quàm magnum autem studium poneret beatus vt mortis meminisset: & ꝙ plurimi faceret efficere ne eius recordatio deleretur, dictum quidem est prius. Dicetur autem nunc quoque. Nam cum lætalis morbus aliquando inuasisset ciuitatem, maximæ illi erat curæ accedere ad ægrotorum visitationem, & eorum qui decedebant sepulturam. Sæpe autem etiam assidebat iis qui emittebant animam: & eorum oculos suis tegebat manibus. Iubebat synaxes quoq; celebrare pro iis qui 7 dormierant asserens & affirmans defunctis multum prodesse quæ pro eis fiunt commemorationes & sacra ministeria. Ad fidem autem faciendam eorum quæ dicebantur, tale quid etiam narrabat quod factum fuerat non ita multo ante. Dicebat enim ꝙ à Persis quidam abductus captiuus, in custodia quę appellatur Lethe asseruabatur vinctus. Lex autem erat apud Persas vt qui coniecti erant in eam custodiam, nunquam reuocarentur. & ea ratione consentaneum est eam fuisse vocatam Lethen, idest obliuionem. Illinc autem cum quidam potuissent aufugere & in Cyprum venire, affirmarunt parentibus adolescentis eũ esse mortuum in custodia. Ille vero tres quotannis synaxes celebrabant tanquam eo mortuo. Quatuor anni præterierant, cum filius illinc aufugiens redit domum. Quem cùm parentes non tanq̃ qui fugisset è custodia: sed tanq̃ qui surrexisset è mortuis, cũ magno stupore aspexissent: & fuissent ineffabili voluptate repleti, & alia faciebant & dicebant quæ anima quæ talem vidisset faceret & diceret: & quemadmodum ei tanq̃ iam mortuo fecerant iusta quæ fiunt mortuis. & cum eum docuissent quinam essent ij dies. nempe dies sanctorum Theophaniorum: & dies salutaris Paschæ: & dies sanctæ Pentecostes. Hæc cum ille audiuisset & in memoriam reuocasset, parentibus affirmabat ꝙ his ipsis diebus relaxabatur à vinculis aduentu cuiusdam qui gestabat lampadem, & fruebatur omni securitate: diebus autem sequentibus tenebatur vinculis sicut prius.

7 *Nota contra eos qui negant uirorum suffragia defunctis prodesse.*

Talibus vtens factis & narrationibus, fuit multis occasio salutis. Propterea plurimi quoque imitantes illa quæ fiebant tempore Apostolorũ, & vendentes ea quæ habebant, eorum pretium afferentes, deponebant in eius manibus. volentes id ab ipso distribui pauperibus. Cũ quibus vnus quispiam, accedens, auri septem libras cũ dimidia obtulit affirmans nihil

amplius auri apud se remansisse. Petebat autem ab eo vt duas gratias acciperet. nempe vt & seruaretur quidem eius filius illius precibus. referretur vero nauis absque vllo periculo, quæ quidē emissa fuerat in Aphricam. Cum autem post preces triginta dies præteriissent, moritur quidem filius tertio vero die post eius mortem, nauis quę redibat ex Aphrica, cum fuisset ex aduerso Phari, in graue incidit naufragium. adeo vt vniuersum quidem onus perierit: sola autem nauis fuerit salua cum vectoribus. Cum autem prius audito nuncio de filio, adhuc vigente animi perturbatione accessit de naue tristitia, id eum plane obruit. Quod quidem postquā cognouisset Patriarcha, id nihilo minorem ei attulit animi ægritudinem. Deum itaque rogauit vt inuisibiliter eius animam attingeret: & increparet tempestatem animi ęgritudinis, & transmutaret in tranquilitatem. In somnis itaque nocte sequenti illi apparet vir figura & lineamentis similis Patriarchæ, ei dicens. Cur ita victus es à tristitia propter ea quæ acciderunt? Num tu me rogasti vt hæc precibus à Deo postularem, nempe vt & tuus saluus esset filius. & ecce eius gratia est saluus, vt qui à vitæ malis dimissus sit illæsus. Si enim vixisset longius, non bonus sed improbus erat euasurus, & indignus eo qui creauerat, Quod ad nauem autem attinet, nihil dubites ꝙ nisi Deus fuisset exoratus à nostra mediocritate, erat cum ipsis viris in profundum transmittenda: & præter onus fratrē quoq; & alios amisisses. Non oportet ergo esse tristis: sed propter hoc ipsum ferenda sunt potius quæ accidunt grato animo. Nihil enim eorum quę fiūt fit sine Dei iudicio. etiamsi sint nobis ignota multa ex illius iudiciis. Postquam ergo eum dimisit somnus, sensit cor suum satis magnam accepisse consolationem. Statimq; profectus procidit ad beati viri pedes, magnas ei agens gratias, & quam viderat noctu narrans visionem. Ille autem suasit, vt non ipsi, sed Deo qui omnia dispensat ad vtilitatem, acceptam ferat gratiam.

Sed quemadmodum non eos solum qui Christo offerebant, & vt dicit diuinus Apost. in benedictione seminabant, ille benedictione dignos duxit & accipiendas: sed eos etiam qui in ipsum erant parci & illiberales prudenti ratione studuerit inducere ad eleemosynam, declarant quidem etiam multa alia: declarabat autem etiam quod factum est in Troilum Epm. Eum enim cum esset auarissimus & parcissimus, statuit traducere ad amorem eleemosynæ hoc modo. In Ptochotrophium quod ipse construxerat vt solebat vadens, assumit etiam Troilum. Cuius comitem cùm cognouisset habere in sinu triginta libras auri. Sunt, inquit, à te hodie curandi sanctissime Troile nostri in Christo fratres. Ille autem tanq̄ eo sermone pudore motus, & volens non existimari tenax & sordidus, sed potius simplex & liberalis, iubet ei cui creditæ fuerant pecuniæ, vnicuique eorum qui illic erant pauperum præbere vnum nummum Cum vero totum aurum iam fuisset consumptum, & aduentitius ille & non ex affectione ardor ad eleemosynam fuisset refrigeratus, grauis dolor & magna pœnitentia incessit inuoluntarium benefactorem. Domum itaque reuersus inopinato horrore & febre correptus, decumbebat in lecto. Cum esset autem iam hora prandij, eum ad conuiuium inuitat Patriarcha. Qui cū accepisset quemadmodum se haberet, ad causam morbi non ignoraret, nō sustinuit eum quidem despicere sic vexari & pati; se autem inire conuiuium.

uium. sed statim surgens ad ipsum venit. & dicit subridens. Ne putes ô cõminister, me tibi vere dixisse vt è domo tua largireris fratribus secundum Deum. sed quoniam tunc aurum non habebat ad manum Comes meus, accepi ad te mutuo Nunc vero adsum triginta, inquit, libras ad te afferẽs, quas etiam soluas reddo tuæ virtuti. Postquam ergo solum vidit aurum in manibus Patriarchæ, horrorem vicit, mala febris discernit vires ei redierunt: & visus est habens vultum alacrem & viuidum. vt hinc fieret manifestum, ꝙ omnino redditum morbum soluit, hoc etiam primũ ablatum, eum vocauit cum non esset.

Cum aurum ergo in illius manus dedisset Patriarcha, postulabat vt litteris ei mercede cederet. Ille autem lubenter sua manu conscribit syngrapham quæ sic habebat. Deus misericordiæ & clementiæ, ipsam mercedem redde Ioanni meo Domino & Patriarchæ Alexandriæ, triginta auri librarum quæ à me fuerunt distributæ pauperibus. Ego enim mea accepi. Patriarcha ergo accepto chirographo, illum quoqꝫ simul accipit mensæ futurum participem. Quem cum comedisset dormientem, volens Deus excitare à graui somno auaritiæ, & efficere vt sciret quanta fuerit priuatus remuneratione: & disceret benignitatem, & immittit quodammodo extasim. & videbatur sibi videre domum quandam pulcherrimam & splendidissimam, & cui elegantia & magnitudine nulla poterat conferri. Supra vestibulum autem inscriptus erat titulus aureis litteris. Mansio & requies æterna Troili Episcopi. Postquam vero his lectis est lætatus, existimans domum sibi datam fuisse ab Imperatore, accedit vir quidam insignis, & qui videbatur esse vnus ex senatu, habitu similis Cubiculario, habens quosdam alios ante se ambulantes. Qui postquam appropinquauit vestibulo, aspiciens ad fores, iubet quamprimum deiici titulum: pro illo autem poni alium, quem inquit, iubet Dominus orbis terræ. Statim autem fuit positus hanc habens inscriptionem. Mansio & requies æterna Ioannis Archiepiscopi Alexandrini, empta triginta libris auri. E somno itaque surgens obstupefactus, exposuit Patriarchæ visionem: & ipse suum vitium animaduertit: & mores mutauit: & facere eleemosynam ardente & aggressus: & pro eo ꝙ erat prius parcus & tenax ad dandum manum habuit promptissimam.

Sed Deus qui permisit Iobi dissipari & exinaniri diuitias ad eius virtutis faciendum periculum, permittit etiam similia accidere huic beato Patriarchæ. Erant enim tredecim naues eius ecclesię quę quidem oneratę cum essent in mari adriatico, incidũt omnes simul in naufragium. perijtqꝫ vniuersum onus quod erat ter mille & trecentarum librarum auri. Ii ergo quibus fuerant commissæ naues adducentes has inanes, appellunt in portum Alexandriæ: ipsi autem confugerunt in templum. Quod quidẽ cum cognouisset Patriarcha, Deo quidem propter hoc quoque agit gratias. ad illos vero mittit litteras remissionis, ea sola quæ Iob dixi, dicens. Dominus dedit fratres. Dominus abstulit. Egredimini ergo pro hoc nullum timentes periculum. Dominus enim erit solicitus de crastino. Cum autem multi ex ciuibus venirent ad eum consolandum, prior ipse eis dixit. Non oportet vos ô fratres, tristitia affici propter periculum nauium, cuius ipse solus sum causa. Nisi enim magnos & elatos sumpsissem spiritus propter alienorum elargitionem, imo verò Dei ipsius, hoc nequaquam acci-

disset. Volens itaque Deus meum tumorem comprimere, permittit hãc accidere mihi calamitatem. Est enim eleemosyna sæpe causa superbiæ ei qui non aduertit. Paupertas autem, sicut scriptum est, virum reddit humilem. Ego sum igitur causa duorum malorum. vnius quidem, q̄ mercede eleemosynæ priuatus sum propter vanam gloriam. Alterius vero q̄ propter eam procuraui amißionem tantarum pecuniarum: & nunc ad me attraho vniuersum iudicium animarum quę rediguntur ad angustias. Sed Deus, etiamsi non propter me sed tamen propter curam quam gerit eorum qui indigent, suppeditabit ea quæ sunt ad vsum necessaria. Illud enim, Non te dimittam, neque te relinquam, ab eo dictum est. fidelis aũt est, qui promisit. Sic ij qui venerant ad sanctum consolandum, ipsi sunt potius ab illo dimißi accepta consolatione.

Non multum temporis præterierat: & Deus nouo Iobo duplicat facultates, eratq; in egenos liberalior & munificentior quam prius. non in egenos solum abundantiam, sed in eos etiam quibus fiebat iniuria, ostendens commiserationem. Cum enim iret aliquando ad diuinos martyres Cyrum & Ioannem præcaturus, accesit ad eum quædam paupercula, dicens se fuisse à genero graui iniuria affectam, & se eius indigere auxilio. Cum ij autem qui erant eius vię comites, consulerent vt dum rediret viseret & consideraret quæ ad eam pertinent, misericors ille non sustinuit, dicens. Sed quomodo Deus attendet meas præces, si ego differo eius supplicationem? Quis autem fideiusserit fore vt viuam vsque in diem crastinum, & non si ante eam moriar, futurum me apud Deum inexcusabilē propter eius supplicationem? Hæc cum dixisset, minime recesit à loco, donec mulieri iustum reddidisset iudicium. Hic ergo qui summam curam gerebat indigentium, cum audiuisset de filio viri misericordis. q̄ cum pater eius decesisset, iis magna laboraret inopia, propterea quòd pater eius quidquid habebat lubenter consumpsisset in pauperes: eum autem soli Dei parenti commendasset Mariæ, cuius templo asidebat noctu & interdiu, accersit quendam iuris peritum: & clanculum iubet, vt in veteri charta conscribat testamentum cuiusdam viri nomine Theopempti, dicens id ostendere me & patrem huius pueri esse veros & germanos huius consobrinos: & ostendat puero exemplum testamenti. vt certior factus de ea quæ illi mecum intercedit cognatione, nihil formidet, sed audacter ad meam veniat humilitatem. Facta sunt autem omnia sicut ei visum fuerat: & cum adolescente venit ad Patriarcham. Iurisperitus. Scriptum ostenditur testamentum. Confitetur magnus ille magnus ille cognationē. amplectitur adolescentem tanquam germani consobrini filium germanißimum. Dat ei pecunias, possesiones: alias multas facultates. coniungit eum matrimonio cuidam illustri fœminæ Alexandrinæ. & breui eum reddit ex obscuro nobilem: ex abiecto insignem: ex paupere diuitem. studens ostendere esse verißimum diuinum illud verbum, quod dicit se non vidisse iustum derelictum: neque semen eius quærens panem.

Alius autem quidam senex Monachus qui vitam agebat perfectam, nomine Vitalis, volens magni Ioannis facere periculum, non præter alia quæ habebat bona ne esset quidem facilis ad condemnandum, cum quietem & silentium ageret in monasterio magni Seridonis, venit Alexandriam. Quo cum venisset, exercet vitæ genus, quod apud homines qui-

dem est valde probrosum & obnoxium vituperationi, & quod multis afferre potest offensionem: Deo autem erat valde gratum. Ingressus enim ciuitatem senex iam sexaginta annos natus & amplius, suum in id conferebat studium vt describeret omnes meretrices quæ erant in prostibulis. Porro autem incipit etiam seruire mercede, pacto initose quotidie duodecim obolos accepturum. quorum vno lupino, quidem emens, eos comedebat post occasum solis: reliquos autem vna nocte dabat vadens ad vnam ex meretricibus, dicens. Hæc accipe: & conseruate mihi hac nocte impollutam. Quod cum faceret, stabat tota nocte in angulo habitaculi illius mulieris genu flectens, & linguam psalmis exercēs assidue: & supplices manus pro ea ad illum tendens. Mane autem exiens eam adigebat iureiurando, se nemini id esse indicaturam. Vnam itaq; ex iis quæ ausa fuerat contemptui habere iusiurandum & aperire arcana, facit senex precibus possideri à Dæmone. adeo vt nulla deinceps ausa fuerit eius vitam enuntiare. Ipse autem volens effugere gloriam ex hominibus, & animas educere à peccatis, quando erat apud aliquē mercenarius, accipiens quod datum fuerat, cum esset abiturus fingebat apud se dicere omnibus audientibus. Abeamus iam infelix senex. Scis enim ꝙ illa te expectat illam significans ad quam erat diuersurus. Ad eos autem qui irridebant & eum probris ac maledictis impetebant, se excusans tanq̃ pro mala quæ fiebat re uera actione. Quid verò, An non ego quoque sum ex iis qui carnem gestant & cedunt eius legibus? An solis prohibitum est Monachis manere extra corporis voluptates? non sunt ipsi quoq; participes naturaliū affectionum similiter atque alij? Deinde quibusdam consulentibus & dicentibus, Vnā saltem tibi accipe mutato vestitu. & ne sis tam 8 multis offensioni. vt neque Deus per te blasphemetur: neque Monachorum pretiosus habitus probro afficiatur: & omnium iudicium in tuum caput attrahatur. Multis hæc ei dicentibus, ille sesimulans irasci & ægreferre. Sed non ego, inquit, vos audiam, dicebat cum magno clamore. Quid mea refert, si vos, vt dicitis, offendimini? Discedite à me: Quid rei mecum est vobiscum? Ex vestro, inquit, consilio cum fœmina coniungar matrimonio: & me iniiciam in curas innumerabiles & de victu solicitudines Cessate me ludificari & criminari. Non estis enim mei iudices. res meæ sint mihi curæ. Est enim alius qui est iudicaturus orbem terræ. qui etiam reddet vnicuique secundum opus suum.

8 *Ecce quomodo meretricum contubernia, monachorum famā maxime lædunt, & populis scandali occasionem præbent. Nota etiam pretiosum habitum monachorum.*

Multi ergo hæc verba audientes cum acerbitate & vociferatione, alij quidem cessabant reprehendere, eius impudentiam timentes & audaciā. alij verò conabantur eum apud sanctum criminari. Sed ille vt qui à Deo didicerat quali virtute esset senex, minime attendebat ea quæ dicebantur ab ipsis, vt qui ante oculos semper descriptum haberet illud excisi Monachi. Suadebat autem omnino vitare accusationes quę fiebant aduersus Monachos, præclarum illud verbum Imperatoris Constantini in ore habens. qui in Nicena synodo libellos accusationum datos aduersus aliquos Episcopos non admisit, dicens Si in Episcopum aut Monachum fornicantem incidissem, sustulissem meam chlamydem & ei imposuissem, vt à nullo oculo videretur. vt qui recte sciret ꝙ delicta talium virorum, si multis fiant manifesta, non solum efficiunt vt contemnantur quę sunt honore digna & reuerentia: sed etiam magnum præbent incitamentum &

occasionem ad vitium. Sed sic quidem magnus ille repellebat calumnias quę intentabantur aduersus magnum senem. Ille autem non cessabat ab hac operatione. sed etiamsi probro & dedecore à multis afficeretur, ipse vnum solum spectabat, nempe salutem animarum. Iis uero qui aduersus eum lingam mouebant, peccati sui precabatur veniam. Quod autem hoc studium nō fuit ei infrugiferum & inutile: sed multis attulit salutem, hinc est manifestum. Videntes.n. mulieres eius pernoctem stationem, & linguam diuina perpetuò canentem: & pro earum mutatione & ut seruarentur assiduam precationem, desistentes à malis actionibus, gerebant curam temperantię. & alię quidem legitimo coniungebantur mrimonio. alię aūt sic manebant, desistentes à flagitiosis actionibus. alię vero mundo perfecte renunciantes, uitam eligebant monasticam. Nemo aūt cognouit occultā eius ex Deo uitam, quandiu fuit in uita superstes: nec quēadmodum simulando nequitiam, à malis moribus traduxit malas mulieres.

Quamobrem cum aliquando egrederetur ex habitaculo eius quæ primum locum tenebat inter meretrices, ei occurit quidam libidinosus propter hoc ipsum ingrediens vt data pecunia expleret libidinem: & sancto impingit colaphum. Quousque, dicens, ò Christi illusor non desistes à malis actionibus? Ad hæc homo ille admirabilis. Miser, inquit, est tibi incutiendus colaphus, vt tota fere Alexandria ad tuos clamores congregetur. Non multum intercessit temporis: & vir ille diuinus migrauit ad Dominum, cum esset in parua quadam cella quam construxerat in loco quę dicitur porta solis in qua quoddam paruum habens oratorium, faciebat in eo multas synaxes. Quo in loco congregabatur etiam multitudo impudicarum mulierum, quæ consequebantur ab eo curationem, adeo vt qui vitam agebant libidinosam & voluptariam, & irascerentur & succenserent. vt cui ptopter rem malam scilicet inuiderent, dicētes. Quomodo fieri potuit vt hic impostor tam multas ad se attraxerit? Cum dormiisset ergo sicut dictum est & nemo sensisset, accedit repente quidam deformis Aethiops ad virum libidinosum qui ei colaphum impegerat: & eius genis incutit grauem & validum colaphum. adeo vt eius sonus ad maximum vsque spatium fuerit exauditus. Qui deinde ei dixit. Accipe hunc colaphum quem ad te misit Monachus vitalis sicut prædixit. Protinus ergo miser volutabatur correptus à Dęmone & ad ipsum fuit congregata tota ferè Alexandria, sicut ille vir iustus prædixerat. Cum itaque vix tādem post multum tempus ad se rediisset, rumpit vestes: & surgens cursu contendit ad sancti domunculam. Miserere mei, clamans, serue Dei Vitalis, qui in Deum & in te multum peccaui. Omnibus ergo videntibus qui aderant, postquam domui senis appropinquauit, ipsum iaciens & discerpens Dæmonium dimisit.

Cum ergo hęc vidissent, ingressi domunculam, inuenerunt sanctum qui genu flexerat, & Deo per precationem animam commendatam emiserat. Deinde humi aspicientes, vident scripturam quæ sic habebat, Viri Alexādrini nolite aliquid iudicare ante tempus. donec venerit Dominus. Confitebatur itaque omnibus præsentibus, is qui liberatus fuerat à Dæmone, mala quæ Sancto fecerat: & quæ audiuit prophetice ab eo dicta, quæ etiā passus est. Fuerunt ergo hæc statim renunciata Patriarchę. & ipse cum simul venisset cum toto clero vbi legit eam quæ erat humi scripturam, paulo

paulopost dixit. Si fuissem inductus verbis eorum qui calumniabantur, fuisset mihi incussus ille colaphus. Tunc etiam congregatur vniuersum agmen meretricum ad iusta facienda venerando corpori. Quæ quidem eũ efferebant cum 9 aromatibus & lampadibus, valde deflentes priuationem eius doctrinæ à qua ad eas magna manebat vtilitas. & tunc exponebant eius vitam, iis quę, dicebantur fidem omnibus modis facientes: ꝙ non ob aliquod malum ad eas ingrediebatur: & nec visus sit vlli earum ne manum quidem admouisse, aut ad latus, omnino accubuisse. Ad eos autem qui illarum reprehendebant silentium, & dicebant eas fuisse multis causam offensionis, illius pręceptum adducebant ad sui excusationem: & quæ à Dæmone inflicta fuerat plagam ad disciplinam ei quæ nõ obedierat. Ipse autem qui colaphum dederat & contra acceperat, nunquã intermisit cum Dæmon eum reliquisset, beati sepulchro assidere, quod effectum est thesaurus multorum miraculorum: & illius commemorationem de more cum psalmis peragere. Deinde paucis post annis reponitur in monasterio Monachi Seridonis. & cum illi fuisset tradita beati Vitalis cella propter magna in ipsum fidem, illic vitam quietam in silentio transegit perpetuo, donec peruenit ad finem vitæ præsentis. Præterea autem Patriarcha quoque magnas Deo agebat gratias, ꝙ non permisisset vt aliquid diceret aut cogitaret indignum beata, illa & gloriosa anima. Alioqui autem multi quoque ex iis qui habitabant Alexandriam, meliores euaserunt, qui propensi erant ad condemnandum, & hanc malam didicerant consuetudinem. Sed talis quidem erat vir ille sanctus & res eius hoc modo se habebant. 9

Vide Christianum sepeliendi morem. Efferebant inquit, senem cum aromatibus & lampadibus.

Sufficiet autem id quoque quod est dicendum, ad testandum ꝙ esset tardus vir ille admirabilis ad condemnationem. Quidam iuuenis impudicus ciuitatem obiens Alexandriam, eum virginem quandam ex iis quæ vitam amplexæ erant 10 monasticam, à via recta abduxisset, & deinde eam suæ libidinis & intemperantiæ fecisset delitias, paulopost cum ea aufugit Byzantium. Quod quidem cum resciuisset vir diuinus magno dolore est affectus: & vt dicitur, omnem mouebat lapidem, studens eos à lapsu reuocare. Aliquanto autem tempore interiecto, accidit vt cũ apud quosdam ex clero narraret & beatus quandam narrationem quæ poterat eorum animæ afferræ vtilitatem, illius quoque iuuenis qui hæc recentia fecerat fieret mentio. quem qui tunc aderant protinus condemnabant & abdicabant tanquam vno ore omnes. dicentes eum non solum duas, vt apparebat, perdidisse animas, sed etiam multas alias, quibus hoc malum erat exemplar propositum. Eorum itaque magnus ille nimis facilem reprehendens condemnationem. Nolite, inquit, ò filij, nolite esse lingua tam prompti ad detrahendum proximo. Nam sic quidem futurum est vt vos omnino in duo mala incidatis vnum quidem, transgredientes præceptum illius qui iubet non iudicare ante tempus. Alterum autem, ꝙ ignorantes quod hucusq; factum est, vos magna facilitate constitutis Iudices. Est enim omnino incertum an hucusq; permaneant in peccato: an mutati sint ad correctionem. Ego enim, inquit, aliquando legẽs vitam cuiusdam magni ex Patribus, incidi in talem narrationem plenam vtilitate. Sic autem habebat.

10

Hoc factum non improbarent nostri temporis hæretici, qui moniales omnes institutũ deserere suadent, & adulterorum amplexibus iũgi, quod scelus est maximum.

In Tyrum ciuitatem venerant duo Monachi aliquo fungentes mini-

sterio. Alterum vero eorum cum venisset in quendam locum, quædam meretrix cui nomen erat Porphyria, sequebatur clamans. Venerãde Pater serua me, sicut olim Iesus Christus meretricẽ. Ille autem humanarum rerum nihil reputans, eam manu acceptam multis videntibus egreditur per mediam ciuitatẽ. Manauit itaque fama in omnes partes, ꝙ ille Monachus in vxorem accepisset Porphyriam. Cum ipso autem obiens Meretrix vrbes & vicos, incidit in infantem humi iacentem. Quem quidem cum benigni sustulisset vt aleret, secum eum portabat. Cum aliquo autem tempore venissent Tyrij ineum locum vbi versabantur: & Meretricem vidissent in vlnis tenere infantem, veluti irridentes & egregium hunc virum ludificantes. Re uera, ei dicebant, à scopo non aberrasti. Pulcher enim tibi filius natus est ex Monacho. Qui etiam Tyrum reuersi, eam rem vbique disseminarunt, ꝙ ea ex Monacho peperisset filium, qui illius expressam conseruabat effigiem. Ita ferrè sunt homines prompti ad credendum suspitionibus, & maxime qui sunt mali & flagitiosi, & à se habent acceptam credendi occasionem. Statim enim tanquam è propinquo seipsos testes accipientes, alios accusant facile. simul quidem se volentes explere delitiis talium cogitationum & verborum: & cupientes esse alios similiter improbos: & sic studentes vitare plagas quæ inferuntur eis à cõscientia. Monachus autem cum totondisset Porphyriam, & ei monasticum imposuisset habitum, vocat eam Pelagiam: & concedit ei vt in monasterio virginum agat silentium. Cum vero præsciuisset diem sui decessus, illa quoque accepta redit Tyrum. Eam autem puer quoque sequebatur iam septem annos natus. Ad omnes vero peruenit fama eorum aduentus, ꝙ scilicet reuertitur Porphyria cum Monacho suo coniuge. Deinde cum ægrotasset Monachus & ad mortem iam spectaret, plurimi ad eum accesserunt exhabitatoribus eius visitandi gratia. In quorum conspectu cum iussisset afferri thuribulum plenum candentibus carbonibus, accipit eos carbones & infundit in sinum. & omnibus audientibus. Benedictus, inquit, Dominus, qui olim rubum seruauit incombustum, is mihi fuerit testis fidelis, ꝙ quomodo meas vestes non attigit hæc quæ est in igne vrendi vis: ita nec ego attigi mulierem toto tempore vitæ meæ. His auditis omnes obstupuerunt, Deo dantes gloriam, qui eos qui ipsum in occulto colunt scit aperte glorificare. Hæc cum fecisset & dixisset Monachus, in manus Dei deponit animam. Propterea vobis omnibus suadeo ò filij spiritales, sicut etiam prius dixi, non esse promptos ad condemnationem. Contingit enim nonnunquam, vt eius quidem qui est fornicatus, aut aliquid aliud deliquit, peccatũ aperte factum sciamus: in occulto autem factam ignoremus pœnitentiam. Oportet autem Dominicam quoque timere vocem quæ dicit. In quo iudicio iudicatis, iudicabimini.

Neque verò suadebat solum cauere hoc delictum: sed eorum etiam qui diuina præcepta negligunt volens corrigere socordiam, tale quid fecit dignum quod mandetur memoriæ. Cum enim cognouisset multos negligentiores, post lectionem diuinorum Euangeliorum exire ex ecclesia & vanis ac ociosis vacare sermonibus, solemni quodam die relicto sacrificio, ipse quoque è templo egreditur & sedet cum vniuersa multitudine. Omnibus autem hoc stupentibus, Non oportet, inquit, admirari. Vbi.n. sunt oues illic omnino oportet esse pastorem. Nam cum propter vos &

vestram vtilitatem soleamus synaxes celebrare: Si vos autem foris versemini, contingit inutilem à nobis capi laborem, statui cum egredientibus vobis simul egredi & rursus ingredi cum ingredientibus. Hoc multos correxit & à mala abduxit consuetudine. Non illos vero solos studui corrigere qui extra congregationem otiosis vacabant sermonibus: sed eos etiã qui citra rationem intus inter se conferebant sermones: & maxime eos qui erant è suggestu. Si quando autem vidisset quempiam post vnam & alteram admonitionem nequaquam posse corrigi, eũ statim eiiciebat, apud eos vocem vsurpans Dominicam. Domum Dei oportere esse domum orationis. Contra autem eorum qui in diuinas congregationes erant studiosiores, illi accepta erat pietas. eosq; & laudabat & ad gradus prouehebat. Quod quidem apertius indicabit id quod iam est dicendum.

Duo Clerici eius ecclesię, artem exercentes incidendi corium, erant inter se vicini. Quorum vnus quidẽ mulieri coniunctus matrimonio, habensq; filios, & patrem & matrem cũ ipso habitantes, quos quidem alebat omnes suis manibus. non negligebat tamen diuinas congregationes. Alter autem etsi erat solus, & artis peritior, & in operando diligentior, ne sibi quidem soli parare poterat quæ erant ad vsum necessaria. Ei itaque qui erat eiusdem artis inuidens, & non amplius ferre valens quam animo conceperat inuidiam, eum aliquando solum offendens. Adiuro te, inquit, per Deum, ne me celes sed hoc mihi aperias, qui fit quod tu sis semper quidem diues, idq; cum sis in operando negligens. mihi autem qui sum diligens & laboriosus contra accidit, & iam redactus sim ad extremam paupertatem. Ille autem volens eum reddere diligentiorem qui erat negligens in adeundis congregationibus quæ fiunt sacrorum causa. Mihi quoque, inquit, ò frater, res erat redacta ad maximas angustias. Ex quo autem mihi persuasi diuinis vacare congregationibus, nonnunquam eo vadens aurum in via inuenio, quo factum est vt mihi sint congregatæ omnes quas vides copiæ. Sed si me audias, ipse quoque me euntem sequere: & hinc non vulgarem habebis consolationem. Paret dictis. & ad singulas diuinas synaxes cum ipso ventitans, sentiebat domui suæ factam à Deo benedictionem: & bono consultori agebat gratias. Ille autem scena mox aperta, manifesto dicit socio se nũquam aurum in via inuenisse: sed volens, inquit, te excitare vt venires ad diuinas congregationes, finxi hanc auri inuentionem. Hoc cum peruenisset ad aures beatissimi Patriarchæ, & eius bonum commendat propositum. & eum 11 ordinat Presbyterum. 11

Hic reuera bonus pastor, diuinus inquam Patriarcha, credens Principi pastorum Christo, qui iubet, si persecuti fuerint ex vna ciuitate, fugere in aliam. cum esset Alexandria tradenda manibus Persarum, diuina prouidentia illinc quidem recedit, migrat autem in suam patriam Cyprum, suũ ei corpus largiturus vt quę eum aluerat. Pręsciuerat enim iam appropinquare decessum. Is itaque cuius sæpe mentionem fecimus, Patricius Nicetas, accepta occasione ex eo quod persæ irruperant, obsecrat virum diuinum vt veniat vsque ad regiam ciuitatem, precibus & benedictione impertiturus Imperatorem. Ille autem cum sciret qualis esset fides viri clarissimi, annuit quidem petitioni. Cum ambo autem naue veherentur & iam essent in medio mari, incidunt in grauem tempestatem. Cum vero nauis iam vehementer quateretur fluctibus, & mox esset mittenda in pro-

More orientalis Ecclesiæ hunc clericum coniugatum ordinat presbyterum, quod talium promotionem non impedit, & permittit promotos perseuerare in matrimonio prius cõtracto.

fundum, visus est nocte illa qua fuerat excitata tempestas, Patricius in somnis videre Patriarcham cum pauperibus, aliquando quidem per totã nauem circuncursantem: aliquando autem cum ipsis manus extendẽtem, & è cœlis petentem auxilium. Cum autem iam in Rhodum insulam peruenissent, ille ipse Patriarcha cum à se discessisset, reuera videt & non in somnis, splẽdidum virum Eunucho similem, aureum sceptrum habentem in manibus, & ad eum accedentem dicere. Vocat te Rex Regum. Statim ergo accersito patricio, cum dixisset qualem habuisset visionem, Tu quidem, inquit, ò vir splendidissime, studuisti nos deducere ad eum qui regnat in terra. Qui autem cœlum & terram & omnia sua tenet ditione, prior ad se accersiit. Ille vero hoc dicto tristitia affectus, & dolore repletus, non potuit quidem eum retinere. Sed cum venerabilium eius precum fructum iucunde accepisset, quam potuit officiosissime eum dimittit in Cyprum.

Cum autem in suam ciuitatem peruenisset Amathuntem, iussit scribis vt scriberent testamentum quod sic habebat. Ioannes humilis quidem seruus seruorum Dei: propter autem mihi impositam Pontificatus dignitatem, gratia Christi liber. Ago tibi gratias Domine Deus meus, ꝙ me dignum censueris qui tua tibi offerrem: & ꝙ ex mundi bonis nihil aliud sit mihi reliquum nisi tertia pars nummi. quam ipsam iubeo quoque dari pauperibus qui sunt mei fratres in Christo. Quando enim Dei permissione creatur fui Episcopus Alexandriæ, inueni in meo Episcopatu circiter octo millia librarum auri: ex oblatione autem piorum collegi denis millibus plures his pecunias. Quas cum cognoscerẽ esse Christi, Christo etiam dare volui. cui nunc quoque trado animam. Cum hoc testamẽtum sui fecisset ille magnus homo Dei, deposuit spiritum in manus Dei viuentis. In eius autem sepultura fit miraculum, quod nulli cedit ex iis quę vnquam facta sunt mirabilia. Nam cum esset deponendus in æde oratoria admirabilium operum effectoris Tychonis, in quadam capsa in qua erãt condita duo corpora Episcoporum, videre licebat hæc mortua corpora veluti animata, tribuere cultum beato corpori. Nam à se inuicem seiuncta id medium accipiunt. Et hoc quidem quod euenit in eius sepultura, visum est multorum oculis. alterum autem eo non minus, procedens declarabit oratio.

Quædam enim muliere orta in oppidulo quod tulerat Patriarcham, postquam resciuit eum iam esse migraturum ad Dominum, magni & grauis peccati sibi conscia, accurrit ad beatum: & calidis lachrymis profusis eius pedes tangens, petebat illius peccati absolutionem. Ille autem, Si credis, inquit, meis precibus te esse ab hoc peccato absoluendam, oportet omnino te id prius confiteri. Cum autem dixisset se non posse id labris proferre, iussit id scriptis significare. Cum vero videret eam id ægreferre, iubet vt ipsa id scribat & suo ipsius sigillo muniat: & sic ei tradat sedulã. Cum sic ergo factũ esset, & in eius manus tradita fuisset obsignata schedula, rogabat mulier eum obtestans, vt nihil eorum quæ inerant veniret ad cuiusquam cognitionem. Quinque dies abhinc præterierant: & magnus ille excedens è vita, migrauit ad iustorum tabernacula, cum nihil de ea re cuiquam dixisset omnino. Cum autem mulier, diuina quadam forte prouidentia, non adfuisset illo die quo excessit è vita, ea accedens ad sepulturam,

pulturam, & dubitans ne forte quæ eius fidei commissa fuerat schedula, neglecta & in Episcopatu relicta deprehenderetur ab omnibus, dolore affecta à se propemodum discesserat. sed cum fide ardentissima se rursus collegisset, quam maxima potuit celeritate venit ad illius capsam. & tanquam eo viuo clamabat. Quid hoc fecisti ò vir diuinæ, mihi peccatrici. & nunc afficiar ab omnibus probro & dedecore? Quod enim ne tibi quidem potui aperire propter lapsum insignem, hoc erit omnibus manifestum. vtinam ne cogitassem quidem te de hac re conuenire. Existimans enim per te pœnas futuras effugere, & hoc non sum assecuta: & quod ex eo oritur dedecus mihi conciliaui. Sed enim non recedam à tuo sepulchro: neque omnino hinc surgam, nisi de iis quæ petiui me feceris certiorẽ. Persuasum enim habeo te non esse 12 mortuam sed in Deo viuere: & te apud eum posse quæ vis facere.

12 *Fatetur fidelis mulier sanctum nõ esse mortuum, sed in Deo uiuere ad hæreticorum confutationem.*

Hæc dicens & alia his similia, tribus diebus & totidem noctibus venerandæ eius capsæ assedit. & ò Dei miracula, vltima nocte egreditur è capsa vir ille admirabilis. simul cum iis qui cum eo iacebant Episcopis. eiusmodi enim erat id quod apparebat. & ei dixit. Quousque ò mulier, clamans, es iis qui hic sunt molestia? Nostra enim vestimenta iam tuæ humectarunt lachrymæ, fluentes instar fluuiј. Cùm hæc dixisset, tradit ei schedulam sicut erat ab illa obsignatam. Deinde agnoscis ne hanc, dixit, ò mulier? Accipe ergo, & eam soluens vide Dei opera admirabilia. Cum illa autem surrexisset & ad se rediisset, videt quidem rursus sanctos suam capsam ingressos. Habens vero schedulam in manibus, illæso manente signaculo. Quod quidem cum soluisset, priorem quidem scripturam inuenit deletam. alienam autem videt positam subscriptionem quæ sic habebat. Propter Ioannem seruum meum deletum est tuum magnũ peccatum. Declarabit autem id quoq; quod de eo dicendum est, quanta esset viri virtus, & quantam beatitudinem ex ea sit assecutus.

Nam vir quidam nomine Sabinus, temperanter admodum & è virtute viuens, monasticam & à negotiis remotam vitam exercens Alexandriæ, hora qua beatus decessit Ioannes, putabat existens in extasi se eum videre egressum ex Episcopatu cum vniuerso clero, habentem in manu lampadem & iter ad Regem ingredientem, viro quodam splendidissimo, habitu cubiculario, eum accersente: & puella quadam speciosissima, vt diceret etiã ipsum solem ei primas partes cedere in pulchritudine, cui erat caput oleæ corona redimitum: & aliquando quidem eum præcedente: aliquando autem manum quoque tangente, & simul incedente. Cum aũt diem adnotasset is qui viderat. Erat vero memoria Menæ magni Martyris: tunc autem venissent quidam è Cypro, ab ipsis accepit, quod illo ipso die quo hęc visa sunt, inclitus Ioannes excessit ex hoc mundo.

Vir quidam alius Alexandrinus, qui erat ipse quoque ex iis qui sunt pietate insignes, vidit ea ipsa nocte examen pauperum & multitudinem orphanorum & viduarum quæ numero non poterat comprehendi, habentem in manibus ramos oliuarum, & præcedentem Patriarcham euntem ad synaxim. Sufficiunt hæc testimonia maximæ magni Ioannis ad Deũ fiduciæ. Quod autem est maximum & caret omni dubitatione. Celebrabãtur anniuersaria magni & admirabilium operum effectoris Tychonis. Deinde cum perageretur de more hymnodia, & simul esset cõgregata po-

13 puli multitudo, Deus admirabilium, volens 13 apertum reddere, quantum fuerit apud eum gloriam consecutus, is qui fuerat eius benignitatis, quoad eius fieri poterat, æmulator, Ioannes inquam qui cognomen accepit à misericordia, voluit vt ex eius diuinis reliquiis copiosa scaturirent vnguenta, emittentia suaue olentem odorem curationum. Quibus fruentes qui in ea inciderant, communiter Deum qui sic eos qui ipsum glorificant longe amplius glorificat, gratis labris glorificarunt. Cui nos quoq; oportet quam conuenit offerre glorificationem. glorificantes patrem & filium & spiritum sanctum. vnam in tribus diuinitatem & potentiam. Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Ecce quomodo quæ ad sanctorum tumulos dei uirtute apparent miracula, apertam faciunt populis dei in eos beneuolentiam & gratiam.

VITA SANCTI PATRI NOSTRI
Ioannis Archiepiscopi Constantinopolitani, qui dictus est Chrysostomus, idest os aureum.

Nouemb. 13.

OMNIVM quidem eorum qui se ex Deo gessere vita est piis vtilissima: vt quæ sit non solum exemplar & forma, sed etiam adhortatio ad virtutem. Immittit enim stimulum bonæ æmulationis & accendit piam animam ad imitationem. Vita autem patris Chrysostomi, est auditu quidem aliis iucundior: ad imitandum autem salutaris & vtilis. Nam ille quidem vir non solum habebat linguam conducibilem iis qui audiebant: sed etiam vitam multo magis vtilem iis qui eam imitantur. Imo vero si verum dicere oporteat, quomodo illam in dicendo habebat inimitabilem: ita etiam hanc quam in agendo nemo potest assequi. Verumenimuero res illius sunt omnino narrandæ & imitandæ pro viribus. Nam pictoribus quoque non sunt despicienda pulcherrima exemplaria, quatenus facilem non habent imitationem: sed quod sperent fore, vt si ea tandem assecuti fuerint, clari & insignes reddantur id imitatores excitat ad æmulationem. Mihi autem oratio media quadam via est ingressura, vt nec quæcunque ab eo facta sunt persequatur: neque prætermittat ea quæ sunt præcipua. Nam illud quidem ferè est eiusmodi vt fieri non possit: hoc vero non est vtile. sed illa quidem dicat, quæ dicta, auditoribus plurimum afferent vtilitatis, prætermissa autem damni plurimum: alia vero relinquat aliis.

Hic ergo verus homo Dei, & germanus, si vllus alius, post eum qui erat eiusdem nominis, præco pœnitentiæ. qui lingua simul & voce & ore & in omnibus aureus: imo verò longe auro pretiosior, genus quidē ducebat ex Antiochia. Antiochia, inquam, quæ sita est in Cœle Syria. Cum tā claram autem haberet patriam, nec parentes quidem habuit minus nobiles. Fuerunt enim ij quoque suspiciendi & splendore vitæ paucis secūdi. Erat enim ei pater Dux exercitus & qui multis abundabat opibus. Nomen autem patri quidam erat secundus, matri vero Anthusa. qui primum quidem erant religione gentiles & tenebantur profundis tenebris ignorantię: etiamsi postquam eis natus esset filius & diuino baptismate regeneratus, fuerunt ij quoque veritatis luce illuminati. Ex his ille ortus, cum esset adhuc puer ætate, nequaquam habuit puerile ingenium. Neque enim faciebat aliquid indecorum. neque erat occupatus in ludicris & lusibus Sed qualis procedens futura esset planta, ipsa omnino seipsam indicabat. De-

inde diuinum assequitur baptismũ corpore adhuc valde tenero & molli. Oportebat enim eum cuius vita ad Christum inclinabat, non manere amplius Christi signaculo non signatum. Qui eum autem baptismo tinxit fuit Meletius, qui optime administrauit sedem Antiochenam, sede virtutis longe altior. Postea autem eius quoque parentes diuino tradit lauachro. Neque enim par erat, vt cum ad lucem gratiæ accessisset filius, qui ei causæ fuerant vt in lucem ederetur, non eiusdem cuius filius essent splendoris participes, Deinde Grammatico traditus vt primas disceret disciplinas, erat fax iniecta in ignem: neque vllo omnino opus habebat stimulo, nec aliquo qui eum esset incitaturus. Quãquam disciplina, & diuturna in vno loco mora, & assidere occupatum, sunt omnino iuuenibus ingrata & iniucunda. quõ contra saltationes & translationes cursusq; & motiones sunt ei gratissima. Ille autem se totum dedebat disciplinis. Cum bono itaque ingenio simul concurrens studium, effecit vt breui plurima disceret.

Cum autem ab ineunte ætate tenuitatem amasset & à fastu alienationem, erat superior omnibus blanditiis & rebus superfluis. neque committũ multitudinem secum ducẽs ad ludum litterarium: neque equo vectus iter ingredi sustinens. Sed nec aliud quidquam delicatum aut splendidum, vt qui esset ex tanta domo, ostentare contendens. Itaq; cum Parẽtes quidem valde instarent, & eam rem esse sibi probro ducerent, nec ij soli sed etiam Pædagogus & con Discipuli eadem facerent, & ei exprobrarent q; esset nimis vilis & abiectus, multum aberat vt ille persuaderetur eorum verbis, & sibi congẽtam & gratam repelleret moderationem. Quamobrem cum eum aliquando conuenirent Parentes, & causam rogarent cur eis dedecori esse vellet tam tenuiter viuens & instar cuiusdam plebeij, ille reuera sapiens & lingua plane inuictus. O' cur mihi, inquit, frustra vultis exhibere negotium, perinde ac si nos primi vitæ tenuitatem & moderationem statuissemus colere, ægreferentes? Deinde statim adducebatur in exemplum Daniel & tres pueri. Ex quibus ille quidem, inquit, propter animæ contritionem & spiritus moderationem, ab ore leonum adiri non potuit. Illi antem coniecti in fornacem ignis, tantum abfuit vt ab ipso vincerentur, vt etiam propemodum viderentur ministro igne vtentes: & in inimicos qui circunsistebant eũ absque vllo immitterent impedimento. Alioqui autem vbique inuenio diuinam scripturam, hanc quæ apud vos iudices habetur contemptui humilitatẽ vbique magnifacere, & vt nihil magis commendare: fastum vero & honoris studium reprehendere: idq; pusilli & abiecti esse potius animi quam excelsi & magni ducere. Quãobrem non ego ignoranter pluris facio hanc medio critatem: Deum enim didici his delectari (solet enim simul cum externo habitu affici anima) & gratiam quidem præbere humilibus: is autem qui contra se habent aduersari. Hæc illo dicente, parentes obstupuerunt. Consecuta est autẽ omnino quæ à verbis, vel potius quæ à factis procedebat vtilitas. adeo vt talem eis daret mercedem suæ in vitam productionis: & qui ab eis quidem solũ acceperat vt esset, vt bone essent eis munifice redderet. Vix tãdem autem à parentibus persuasus, in hoc eis paret, qui alioqui se in aliis præbebat obediẽtissimum, vt nequaquam quidem cum pluribus, sed vno ex famulis eum comitante, iret ad ludum litterarium.

Non multum interiectum est temporis: & pater quidem excessit è vita præsenti. mater autem vt quæ præmaturam subiisset viduitatem: & propter puerum adhuc tenere ętatis, vitæ fluctibus agitata, multis & variis quotidie vexabatur casibus & molestiis, quas eæ sole aperte sciunt quæ illas sentiunt. Quorum quidem paruam illa ducens rationem, duo ex omnibus maxime curabat: nempe vt & post sui mariti decessum nullius amore caperetur, poterat enim eius ætas adhuc capi his laqueis. & filium sic educere vt nulla alia ostēderetur mater talis filij. Postquā aūt ille didicisset grammaticam & 1 orbem disciplinarum, deinde etiam peruenit ad summum dicendi facultatis atque philosophiæ. vt qui illam quidem ꝗ optime acceperit à Libanio, cuius erat insignis fama in arte dicendi: hanc autem ab Andragathio diligenter audiuerit. Quid fit? Desiderium maioris eruditionis, in pluribus enim bonis assequendis laborabat cupiditate, efficit vt veniat Athenas. & illic simul versans cum præstantissimis Rhetoribus & Philosophis, sic & mentem locupletauit, & linguam summe exercuit, vt nulli facile concederet vt esset cum eo conferendus. Hinc factum est vt breui esset insignis non solum Athenis, sed etiam in vniuersa Græcia. adeo vt ipsi quoque Præfecto Prætorio res videretur esse digna magno studio, vel solum venire in conspectum Athenarum.

1 *Tū qui dicis liberalium disciplinarum studia ab Ecclesia esse tollēda, uide nū sanctus hic uir orbē earum didicerit.*

Cum ergo quodam tempore haberet concionem, & eos conuocaret ex Atheniensibus qui & gloria & dicendi facultate tenebant primas partes, ei curæ fuit vt sanctum quoque officiose vocaret & honorifice: statimq; missum fuit vehiculū & alius qui ad hoc expedit comitatus. Sed ille hęc tanquam superuacanea & inutilia & veluti inane itineris adiumentum repellens, solus viam est ingressus suis vtens pedibus. quod quidem sibi faciendum constituit is qui est sanus, & non propter arrogantiam & vanam gloriam ea sustinet facere quæ ægroti. Quamobrem magis stupentes eius moderationem, & eam quæ apparebat constitutionem, ducentes esse imaginem animæ quæ non apparebat, ipse primus Prætorio præfectus & qui cum eo aderant, ei accedenti lubenter assurrexerunt: & eum aspexerunt oculis reuerentia plenis & beneuolentia. Deinde etiam vi attrahentes, resistebat enim propter vehementem amorem moderationis, primo loco eum dignati sunt, publiceq; ornarunt eloquentiæ laudibus & aliis priuilegiis. Fieri autem non poterat vt toleranter hæc ferret inuidia: nec sine dolore hæc aspicerent inuidorum oculi. Nam cum vanam gloriā summe sibi vendicarent, existimabant illius honorē illorum honori detrahere. Quomodo accidit vt tunc quoque afficeretur Anthemius, qui non parui quidem fuit nominis propter studium eloquentiæ, gentilis autem erat religione, & alioqui lingua profusus, & volens ei nimium indulgere. qui sancti laudibus non minus morsus ꝗ si ipse fuisset summa affectus contumelia, in eum vehementi spiritu inuehebatur: & iniustum vocabat id quod factum fuerat. & dicebat esse nefarium, hospitem & aduenam primos sic honores consequi: & maxime, aiebat, eum qui à nobis plurimum differt religione. Propter quæ primum inuidiam ægreferens Præfectus, Quidnam, dixit, fuerit præter rationem, Si vir qui est & tali genere ortus, tantaq; & doctrina & modestia præditus, fuerat iudicatus à nobis honore dignus. cum etiam præter alia, ipsum honorem fugere, honorem acquirat apud eos qui sapiunt & recte sciunt iudicare.

Deinde

Deinde autem Ioannes quoque placide eius sermonem excipiens, Nõ oportebat, inquit, ò Anthemi, eum qui sibi vendicat philosophiam, ita superari ab honore hominum: & eum persequi tanquam rem magnam & magna contentione appetendam, qui non solum nobis prodesse, sed etiam plurimum potest lœdere, quod attinet ad virtutem. Quid enim fuerit re vera homo ex eo seipso melior? Quòd vero dixisti me esse dissimili vobis religione, erubescerem si viderer tacere, ducens hoc esse pudendum. Ego enim Deos neque noui: nec me eos vnquam esse adoraturum professus fuerim. Absit vt adeo desipiã & sit mihi lingua tam temeraria. Sed vnus mihi Deus est Christus qui cognoscitur in patre & in spiritu. qui & omnia ab initio produxit ex nihilo: & nunc ineffabili ea virtute continet: & annos nobis fructus suppeditat: & manum aperiens, omne animal implet benedictione. Sed non Christus, dixit interpellans Anthemius, producit hos fructus annuos, sed elementa mundi suis temporibus producunt Deorum prouidentia. Nondum finem acceperat eius sermo, cum à maligno spiritu possessus, & terræ allisus, misere iacebat rugiens, lachrymarum & timoris simul causa iis qui aderant. peruertens quidem oculos, stridens autem dentibus: spumam vero ex ore turpissime expuens.

Hæc cum aspexisset Præfectus & qui circa illum erant, eos subiit admiratio & stupor. & erant pleni tumultu. Deinde ad beatum Ioannem accedentes, fiunt ei supplices, & rogant vt velit opem ferre affectioni. Ille autem, Quis enim fuit illo benignior, vt qui benigni Christi esset imitator. & calamitatis hominis est misertus, & cum pro eo rogasset eum qui vel solus potest opem ferre, ei qui iacebat duplicem affert curationem. Nam cum iste liberatus à Dæmone sensisset in quanto malo esset versatus, arbitratus non sufficientem iam esse curationem, causam quoque propter quam venerat ad tantam calamitatem, rogabat curari, ne eadem ei rursus euenirent. Ille autem, Sciebat enim veri Dei ignorationẽ eius esse causam, consuluit vt prompto & alacri animo quam primum adiret Pontificem ciuitatis: & rogaret vt in diuinis catechesi ab eo initiaretur: & quo latentium animę vlcerum veniret curatio, & à Dęmonibus quos colebat omnino liberaretur, assequeretur lauacrum regenerationis. Paret eius dictis Anthemius: & cito accedit ad ecclesiam. & cum Domino credidisset baptizatur: & fit multis exemplum vt credant in Christum. Clarorum enim & magnorum virorum in melius aut deterius mutatio, solet multis esse causa ad idem mutationis. Hinc factum est vt Athenarum Episcopus cum aspexisset quantam eius ecclesiæ accessionem fecisset Ioannes ille aureus, verbis & monitis crebro eum sibi insinuaret, & vt sibi esset successor, iam enim erat grauis ætate, procuraret. Aliter autem Dei prouidentia de eo statuerat, in maiori omnino & excelsiori candelabro magnam illam lucem positura.

Cum vero in Atheniensium doctrina plurimum profecisset, viscerum maternorum & patriæ rursus est recordatus: & rursus Athenis rediit Antiochiam. Deinde hęc parua esse putans, nempe orationes & conciones, & quęcunq; ad superuacaneã pertinent ambitionẽ, 2 Angelicam seu monasticam vitam statuit suscipere. ad hoc consultore & instituti socio vtẽs Basilio quodam suo familiari, & qui erat vnius animæ & fraterni cum eo spiritus. Non is autem erat ille qui & patriã & sedem ornauit Cappa-

2 *Vides quomodo monasticam uitam appellat angelicam?*

Monachatus. n. uia compendiosa & facilis est, qua ad cœlum itur.

docum, vt quidam existimant, decepti à similitudine nominis. Si quidem ad fidem huius rei faciendam hic ipse sufficit lingua aureus, qui satis illud ostendit in libris de Sacerdotio. Dicit enim eum esse ipsum secutum toto tempore: & easdem attigisse disciplinas: & eosdem habuisse præceptores. Quod autem maxime omnium prohibet non hunc esse magnum illum Basilium, est, quod ipsum quidem ostendit eiusdem patriæ, fuisseq; & genere pares & diuitiis Quomodo vero statues hęc esse magno & huic maximo communia quæ sunt maxime diuersa? Si quidem plurimum inter se differunt Antiochia & Cappadocia. Sunt autem multa quoque alia. per quæ coniici potest non esse hunc magnum Basilium: sed quendam alium ortum Antiochiæ.

Cęterum ab hoc instituto tunc sapientem abducunt & ciuitas & mater multo magis, ad persuadendum efficacia ei temperans lachrymarum medicamenta. Nam ciuitas quidem tanquam fœtum proprium & à se educatum eum amplectebatur, & eum perpetuo volebat retinere. ea enim valde mouebatur suauitate eius orationum, quarum maximam partem cõsumebat in iudiciis, assidue illuc ventitans, & partem defendens inferiorem, & eum qui habebatur contemptui recreans. Mater autem, vtpote mater, magis germane eum adiens, doloresq; partus & lactationem ei in memoriam reuocans, & mala viduitatis, & quæcunque poterant attrahere filium vt matris misereretur, arcebat à proposito. Sed satius est vt illi ipsi hanc relinquam narrationem. Neque enim omnino fas est nec cõueniens, vt cum ei liceat sua per se dicere, nos illis relictis ex nobis ipsis faciamus narrationem. Dicit enim ipse in libris de Sacerdotio, induens amicum qui eum erat abducturus ad id cuius studio tenebatur. Deinde matrem quæ hoc resciuerat, miserabiliter accessisse & id prohibuisse. Sic autem habet.

,, Postquam enim sensit consilium quod à nobis capiebatur, me dextera
,, accepto, & in domo ei attributa ad sedendum collocato prope lectum in
,, quo nos pepererat, emittebat fontes lachrymarum: & adiungebat verba
,, lachrymis miserabiliora, sic apud nos lamentans. Mihi, inquit, ò fili, vir-
,, tute tui patris diu frui non licuit cum Deo ita visum esset. Nam dolores
,, in partu propter te acceptos mors illius consecuta, tibi quidem orbitatem,
,, mihi autem viduitatem attulit ante tempus, & mala viduitatis, quæ eæ
,, solę demum quæ illa passæ sunt scire aperte potuerint. Nulla enim oratio
,, potuerit consequi tempestatem illam & fluctus illos, quos subit puella,
,, è domo quidem paterna nuper egressa, & rerum imperita, & qui cohiberi
,, non potest repente luctu oppressa, & necesse habens maiores suscipere so-
,, licitudines quam pro ætate & sexu. Oportet enim, vt arbitror, famulorũ
,, socordiam animaduertere & corrigere, & maleficia obseruare. cognatorũ
,, insidias propulsare. publicanorum iniurias & inhumanitatem in exigen-
,, dis vectigalibus magno & excelso animo ferre. Quòd si relicto etiam in-
,, fante decesserit qui est mortuus. si sit quidem fœmina, magnam quidem
,, sic quoque matri præbebit solicitudinem, à sumptibus tamen & metu li-
,, beram. Filius autem eam quotidie implet timoribus innumerabilibus &
,, pluribus solicitudinibus. Mitto sumptum pecuniarum quem necesse ha-
,, bet facere, si eum educare cupit liberaliter. Nihil horum tamen mihi per-
,, suasit vt secundum inirem matrimonium, neque alium sponsum intro-

ducerem in domum patris tui. sed mansi in tempestate & tumultu. & r.ō effugi ferream fornacem viduitatis; primum quidem adiuta à superno auxilio. afferebat autem mihi non paruam malorum consolationem, & ꝙ tuum vultum viderem assidue, & mortui animatam seruarem imaginem, ad illius effigiens accurate expressam. Propterea cum esset adhuc infans, & necdū loqui didicisses, quando parentes maxime delectant pueri, mihi magnam præbebas consolationem. Atqui nec illud mihi potueris obiicere, ꝙ viduitatem quidem fortiter tulerimus: patrias autem facultates tibi minuerimus propter necessitatem viduitatis. quod quidem scio accidisse multis qui in orbitatem inciderant. Nam eas quoque vniuersas reliqui integras. & quæ debebant expendi vt vir bonus & probus euaderes, non cessaui ea ex meis & quas domo attuli expendere pecuniis. Nec existimes me hæc tibi nunc dicere exprobrantem. Sed pro is omnibus vnam à te peto gratiam, ne me in secundam iniicias viduitatem. Sed expecta meum decessum. Fortasse breui post tempore decedam. Nam spes quidem est adolescentes esse ad longam venturos senectutem. Nos autem qui consenuimus, nihil aliud quam mortem expectamus. Quando vero me terræ mandaueris & cum ossibus patris tui miscueris, longas suscipe peregrinationes: & mare nauiga quodcunque volueris: tunc nullus est prohibiturus. Quandiu autem spiramus, sustineas nobiscum habitare. neque Deum offendas, non temere in tanta mala coniiciens, quæ te nulla affecimus iniuria. Nam si me quidem potes criminari ꝙ te attraho in huius vitæ solicitudines, & cogo te rerum mearum curam gerere: non leges naturæ, non educationem, non familiaritatē, nec aliquid denique aliud reueritus, fuge tanquam hostes & insidiatores. Si autem omnia facimus vt magnum tibi paremus otium, adhoc vt hoc vitæ iter ingrediaris, Si nihil aliud, hoc saltem te nostrum retineat vinculum. Nam & si dicas te amari ab innumerabilibus, nemo tibi præbebit vt tanta fruaris libertate. Nemo enim est cui tua bona existimatio sit æque curæ atque est mihi.

Hæc refert lingua illa egregia: & quemadmodum Basilius quidem subiit iugum Diaconatus, sperans fore vt eum haberet eius ordinis sociū. Ille autem gradum dubitans suscipere, pulchre eum promisso impellit, tanquam ipse quoque iam futurus esset eiusdem particeps. Et tunc quidē recusat ordinationem victus à sua in eam reuerentia. Cum aliquanto autem post tempore vix suscepisset 3 ordinem Lectoris, non libros sacros legebat solummodo: sed etiam spiritu sapientiæ eos interpretabatur: & magna verbi luce & bono euidentiæ vtebatur in expositione. Quanuis autem tanta esset gratia præditus, & vniuersus populus penderet ab eius lingua, ægre tamen ferens tumultus qui erant in ciuitate, & vitans quidquid facit ad ostentationem, vt qui arceretur à desiderio quod ab initio animo concipiebat, quod erat sub Deo viuere, & ei soli fieri manifestum, tristitia afficiebatur: angebatur animo: plurimi faciebat solicitudinem: & tanquam illic absconsum inuenturus thesaurum, ad eam festinabat. Cum hoc ergo animo versaret, opportuno tempore obseruato, iubens omnes valere cognatos, amicos, familiares, plausus ciuiles, ostentationes, quinetiam eorum quibus fiebat iniuria defensiones: & nec viduitatem matris cogitans, nec sororis curam reputans quæ iuuenili corpore subierat iugum

3 *Ecce ordinem lectoratus.*

virginitatis, opusq; habebat vt ei diligenter prouideretur: atque adeo ipsam quoque domum parum curans, relicta ciuitate, relictis omnibus, toto pede ad vitam quietam transfugit.

Deinde cũ esset ætas adhuc iuuenilis, & si esset ei corpus natura male affectum & valetudinarium, se tradit monasteriis in quibus vita agebatur accuratior & asperior quam in aliis. & cum totam vestem exuisset cum sapiẽtia carnis, aut vt verius dicam, illam prius exuisset, induit amictum ex 4 pilis contextum, corpus adhuc affligens, & veluti quandam nubem attenuans: & lumini mentis præbens libertatem. Maximum autẽ ponebat studium in legendis libris diuinarum scripturarum. Quod quidẽ faciebat tam diligenter, & vim eorum quæ in eis insunt nihilominus in mente imprimeret: deinde manu propria & labore digitorum eas interpretaretur vt dictum est: & quæ sunt comprehensu difficilia aperta redderet studiosis: & quam sententiam ipse collegerat cum labore præberet iis qui volebant accipiendam citra vllum laborem. Si ergo propriis laboribus panem præbere, conciliat mercedem: esurientes animas sic exatiare, quantæ fuerit causa remunerationis? Sic ergo diuinas scripturas interpretans, deinde etiam eas exornat eo quod ad mores pertinet. vt illud quidem esset ad mentis illuminationem: hoc autem ad morum curam gerendam. aut si mauis, illo quidem illustraret solum diuitias spiritus quæ iacent in profundo: hoc vero etiam aperte deduceret vt eius essemus participes.

4 Induit amictum ex pilis cõtextum. Ecce asperitatem indumẽti, ut corpus affligeret.

In hac grata quiete & silentio componuntur ab eo libri de sacerdotio, in quibus quanta quidem sit dignitas sacerdotij, qualem autem esse oporteat eum qui hoc est dignatus, accurate ostendit. Tunc etiam scribit orationem ad quandam illustrem mulierem, quæ paulo ante viderat noctem viduitatis, & magno luctu grauabatur, eam leniter recreans: & ostẽdens viduitatem non esse rem vilem & abiectam: sed magnam & venerãdam esse eius dignitatem: eamq; magnis laudibus esse dignam, quæ suam in defunctum integram conseruauit conscientiam: se secundis nuptiis non reddidit infamem, vt quæ beneuolentiam mentita sit in maritum. Deinde etiam de virginitate scribit alium librum. diuinam eius ostendens pulchritudinem & magnum eius ornamentum. Stagirio quoq; scribit pulchras orationes & valde præclaras. Hic vir erat ei valde familiaris: fuerat aũt possessus à maligno Dæmone, qualia sunt Dei iudicia. Liber vero illum quidem accipit scribendi occasionem: per vniuersam autem procedit philosophiam. eum dixeris esse commune documentum virtutis grati animi & tolerantiæ, vt qui compositus sit tanta in dicendo probabilitate tam multisq; necessariis Rhetorum argumentis aut vt melius dicam, diuinis & spiritalibus gratiis. adeo vt hoc ipsum q; inciderit in Dæmonem, existimaretur non esse abominandum nec auersandum, vt quod fuerit argumentum maxime vtilitatis. Tunc etiam compositi sunt ab eo duo libri de compunctione. quorum vnus quidem fuit inscriptus ad Demetrium. alter autem ad Stelechium, eum qui est studiosus virtutis accuratissime elaborantes, & acrem stimulum compunctionis piis immittentes animis. Sed hos quidem scripsit libros ne caderent illi ad quos scripti fuerant: neque maligni laqueis pius implicaretur: sed staret firmiter in bono proficiens. Alium autem scribit ad eum qui, proh dolor, iã erat lapsus, seu per-

cussus

cussus telo peccati. ei vero qui lapsus erat nomen fuit Theodorus, vt nō concideret neq; desperaret salutem, tanq̃ benignam manum ei porrigens orationem. & iacentem erigens: & non concedens vt omnino permaneret in peccato. Sed sic quidem erat eius per libros doctrina, cum voluptate magnam habens vtilitatem.

Multo autem magis ex factis adhibuit doctrinam: vt qui perpetuo quidem vacaret orationi, & omnem exercet virtutem, ad eā futurus aliis tanq̃ exemplar. Humilitatem 5 vero ita erat amplexus, tanq̃ in ea alio modo vellet primas partes obtinere, in eo q̧ nulli alij cederet extremum omnium. Partem quoq; diei sibi deputabat ad visendos ægrotos, è domo quidem omnia illis præbens pro viribus. maxime autem consolationem eis afferens oratione: & omnibus modis eis ostēdens benignitatem. Quid autem, modestia quidē, vt diximus cedebat nemini: in castitate vero aut continentia aut alia virtute est ex omnibus aliquis cui cederet? Et quis illum vel adeo non nouit, vel nescit esse verax, vt ei quod dicitur assentiatur? Sed sic quidem ille sepulchre gessit in omni virtute, melius q̃ vt eum quis posset imitari. Porro autem hæc quoque ille tribuunt tanq̃ eximia, q̧ neque ipse vnquam iurauerit postquam aufugit à mundo: neque vlli iusiurandum detulerit. nulli detraxerit: nunquā sit mentitus nulli sit male precatus: faceta ac scurrilia neque ipse sit locutus: neq; alium dicentem sustinuerit. Dicunt autem ipsum quoque mediocrem somnum sumpsisse cū esset opus: sic autem sumpsisse. Funis ex alto demittebatur alligatus extremis. cui & manibus & barba ipse innitens, quendam modicum neque ipsum firmum, sed imbecillum & ementitum somnum gustabat.

5 Vide chorum uirtutum sancti uiri.

Cum sic vitam ageret, valde quidem studebat latere: & neminem habere qui esset eius conscius. Nulli enim eorum qui mala fecerant, vt illi omnino curæ fuit latere. Hoc autem erat difficile, cum & virtus sic se habeat natura, & eum qui ipsam exercet soleat facere manifestum: & Deus præterea velit cultorem suum glorificare. Itaq; illum quoq; sic in præsentia aperit Vir quidam genere Syrus, nomine Hesychius, ætate quidem iam prouectus, tempore autem fere quoque æqualem habebat exercitationem. qui ipse quoque erat vnus ex illis qui in sacro illo exercebantur monasterio. cuius vestigiis insistere cupiebat magnus ille Ioannes, dum nondum esset virtute summus. Ei nocturnas preces Deo offerenti apparet quiddam diuinum & fortius q̧ vt id intueri humani possent oculi. quod & veretur lingua in medium adducere: & quod est auditu in primis horribile. Sed est adhibendus animus. Etenim non minus metu quam voluptate mixta est narratio. Viri quidam veste candidi, aspectu terribiles, è cœlo quidem visi sunt ad eum descendere: Ioanni vero lingua aureo qui ipse quoque noctu precabatur uenire in conspectum. Visi sunt autem vnus quidem librum: alter autem claues habere in manibus. Deinde Ioannes noua illa eorum forma obstupefactus, timore fuit correptus, & se simul humi deiecit Illi autem eum manu apprehendentes erigunt & metu soluunt: & iubent eum esse bono animo. Cum uero rogasset magnus Ioannes, quinam essent, qui cum tanti essent ad eum uenirent, sed ne timeas, illi dixerunt. Nos enim uenimus ad te missi à Christo. Sic dixerunt: & statim alter eorum manus porrigens, dicit, Hoc accipe. Id autem erat liber. Ego enim, inquit, sum Ioannes, cui Dei sapientia pectus di-

misit & permisit vt super ipsum recumberem nihil veritus. Quæ tibi quoque per nos faciet scripturas comprehensu faciles: & deducet ad illius cognitionem. Similiter autem alter quoque manum porrigens, Accipe, dicit, has claues. Me autem scias esse Petrum cui eæ fuerunt à Deo traditæ. Quem nunc quoque crede per me eadem te dignari gratia. adeo vt quemcunque ligaueris aut solueris super terram, ita etiam se habeant in cœlis. Ad hæc cum beatus ille erubesceret & consternaretur animo, & tanta gratia se esse indicaret indignum, diuini illi viri eum recreant & implent audacia. Deinde cum eum crucis figura obsignassent, & visu essent eum osculari, reuolarunt in cœlos.

Hæc cum vidisset vir ille insignis, diu mansit plenus metu & stupore adeo vt cum Monachi eum viderent sic affectum, & rogarent quænam esset causa, vix eam aperuerit, indicens eis silentium, & vt hæc celaretur Ioannes. Ne demus enim, inquit, ei occasionem vt hinc recedat. Illi ergo his quæ dicta sunt obstupefacti, hinc deinceps futuram eius vitam conijciebant. quod scilicet esset facturus magna & admirabilia. Et facta quidem sunt re uera innumerabilia, Deo glorificante magnum illum in operibus. Nobis autem pauca & paucis sunt narranda pro viribus.

Vir quidã Anthiochenus, illustris genere, vita splẽdidus & magnificus, morbo quodam magnum sentiebat dolorem in media parte cranij. Tãta autem erat vis morbi & adeo intensa, vt oculus sua sede esset emotus, vt qui vi mali non potuisset resistere: & ita videretur omnibus res lachrymabilis. Is cum uenisset ad monasterium in quo degebat magnus Ioannes, multum quidem rogabat: multas autem emittebat voces ad mouendam misericordiam, petens curationem. Is vero fuit quidem misertus. Quidni enim, cum esset omnium hominum clementissimus? Dixit aũt hæc esse præmia sceleratorum factorum & in Christum incredulitatis. Si ergo, aiebat, toto animo ad eum accesseris: & deinde prioribus relictis studiis, vitę rationem aggressus fueris ei gratam & mundam, nihil erit quod obstet quominus sequatur curatio eius quod te cruciat. Cum is autem & se fateretur credere, & polliceretur vitam mutare in melius, & illius castissimas manus deoscularetur, & dolenti parti vestem admoueret, non solũ fuit caput liberatum à dolore: sed etiam oculus qui vi ab eo fuerat exturbatus, fuit loco priori restitutus, Satis erat hoc quod dictum est vt esset signum euidens fidei sancti, & vt significaret magnum gratiæ adiumentum quod à Deo erat affatim consecutus.

Vult autem oratio alterum quoq; adiicere nihilominus præcedente, quod nequaquam se patitur mandari silentio. Cuiusmodi enim fuerit id quod Archelao acciderit scitis vtique, & quodnam in eum factum fuerit miraculum: qui erat quidem Præses Antiochiæ, & obtinebat primas partes in ciuitates: arcano autem casu lepra quædam quę in eius fronte effloruerat, eum magna afficiebat molestia, vt quæ eum pudore afficeret & efficeret vt omnium vitaret oculos. Cum itaque multum vsus esset medicina vt quæ posset ei opem ferre, nihil aliud fructus ex ea accepit quam vt spe blanda illuderetur, donec constitit eam esse fallacem. Cum autem sanctus vix tandem ei venisset in mentem, & ad eum venisset seruentiori spiritu, tetigit sanctos illos pedes: & morbum ostendit. & petiit vt consequeretur curationem eius quod illum male habebat. Is autem & miser-

tus; & calamitatis vt qui esset clementissimus, & flexus fuit precantis vocibus. Deinde cum eo pactus est vt à malis declinaret operibus de cætero, petens etiam vt priora peccata corrigeret. Quod quidem cum esset pollicitus, præbuit ei 6 curationem, dicens, In nomine Christi laua te aqua vbi fratres solent bibere. Quod cum factum esset, fecit similiter atque siloe. & consecuta est lepræ sanatio adeo pure vt nec morbi quidem remaneret vestigium. Quanta Archelaum propter hoc incessit lætitia? Quantum perfudit gaudiū? Quantas effecit hoc vt Deo ageret gratias? Quid non dico quod est maius & perfectius? Quanti fuit ei studij causa vt ad animę aspiceret curationem? Sancti enim verbis adeo fuit captus, & adeo studuit re uera exequi id quod ei promiserat, vt nihil differret, neque rei daret vllam moram temporis: sed iis quæ habebat statim distributis pauperibus, aliorum deinceps esse statueret versari in iis quæ ad hāc vitam pertinent: & eius sectari somnia ex iis stulte illudi: ipse autem veniens ad monasterium in quo erat illius medicus, voluerit esse in numero illorum qui illic exercebantur: & sub eo præceptore vitam eligens perfectissi mam, illic vsque ad finem studere placere Creatori.

6 *Sanctus Archelai lepram curat in nomine Christi & lotione aquæ.*

Hoc multos ex iis qui erant illustres Antiochiæ excitauit ad similem æmulationem: & adiunxit numero eorum qui salui fiunt. Similiter enim Deo suas propter egentes dedicantes facultates, alij quidem relati sunt in numerum huius sancti monasterij quomodo etiam aiunt illum Theodorum qui fuit vnus ex valde illustribus: alij vero uentitabant ad alia quæ in ciuitate erant monasteria. Omnes autem intuebantur ad uitam Ioannis tanquam vnum exemplar. Nam etsi erant apud singulos qui uita & ordine præstabant aliis: is tamen erat omnium primus eruditor & magister.

Verum enim vere vult oratio aliorum quoque meminisse eius miraculorum: & ea non dari obliuioni quæ reuera non sunt digna quæ dentur. Nam vir quidam nomine Eucleus cui inuidia Dęmonis excisus erat oculus, statuit vitam suscipere monasticam in eo monasterio in quo erat sanctus, cumq; accessisset & 7 habitum mutasset & vitam, magnū Ioannem attrahit ad misericordiam. Audit itaque illum sic ad verbum orantem: & magno feruore commiserationis sic animum inflamantem Deus ò frater, tibi medebitur. & illuminabit tuos oculos, & cordis & corporis. Simul cum hoc dicto cōcurrit etiam curatio: & illuminatus erat oculus. & eo vtebatur similiter atque alio. Simpliciter & leniter à me narrantur miracula, dum ad orationis aspicio longitudinem, & nihil volo fuse ac prolixe persequi. Sed nullo opus est ornamento externo, & iis quæ ea possunt extollere: sed sufficiet eis sua pulchritudo & magnitudo. Quocirca sunt etiam nihil alia eodem modo narranda.

7 *Semper nouūs Monachus cum uita & habitum mutat.*

Mulier quædam, ciuis Antiochena, nomine Christina, profluuio sanguinis septem iam annos grauiter laborabat. Cum ea ergo diu vsa medicis, agnouisset eos vana spe ducere & mora inutili, vehitur à iumentis, & viro sequente defertur ad hoc sanctum monasteriū: & proiicitur in vestibulo. Ille autem ad sanctum ingressus cum dixisset causam aduentus, à sancto reprehendetur ꝙ non fecerit vt erat consentaneū, & ꝙ ignoraret id quod erat sibi futurum conducibile. Cur enim, inquit, eo præterito qui hæc potest curare, accessisti ad virum qui est obnoxius iisdem affectioni-

bus. ab eo postulans ea quæ facere non est in eius potestate. Sed tamen hęc dic vxori. Si asperis & peruicacibus his moribus eiectis, te moderatam & benignam ancillis præbueris: & manum quidem largam & diuitem pauperibus aperueris, precationemq; & continentiam obliuioni non mandaris, animę curationem cito consequetur curatio corporis. Accipit hęc mulier: & significat se nihil omissuram eorum quæ iusserat. Postquam autē audiuit ille à marito vxoris promissionem. Abite, inquit, iam enim curata fuit à Christo vxor tua. Hoc cum ipse abiēs reuera ita esse vidisset, statim cum vxore linguam quidem mouit ad gratiarum actionem pedes autem ad iter. Cum vnum iis quæ dicta sunt adiecero, aliorū rursus suo tempore faciam mentionem.

Leo magnitudine maximus, & cuius vires sustineri non poterant; & qui erat visu maxime terribilis, & ad inuadendum acerrimus, illo tempore versabatur in locis quæ sunt circa Alexandriam. Is erat Agricolis quidem malus vicinus: viatoribus autem graue spectaculum & occursu formidabile. Magno enim impetu in eos irrumpens, plurimos occidebat & simul in ventrem transmittebat. eratq; ex æquo & damno perniciosissimus & ad eum de medio tollēdum difficillimus. & cum magna & viuida manus eorum qui prope habitabant in ipsum inualisset, agnouit se suo malo hoc esse ausam. Celerrime enim in omnes incurrens, alios quidem solo rugitu loco motos vertit in fugam. alios autem ore discerptos exedit. aliorum vero cum corpus dilacerasset vnguibus, reddidit miserabiles. Quid enim aliud nisi sauciatos à Leone? Hinc quid accidebat? Neglectos quidem agros relinqui ab Agricolis: ad loca autem in uia diuertere viatores, propterea q; bestia sustineri non posset. Postquam autem iam ad extremam redacti dubitationem, vix tandem recordati fuerunt hominis Dei, frequentissima multitudine ad ipsum venientes, narrabant ipsa mala quibus leo eos affecerat. & ab ipso petebāt vt eos solueret hac calamitate. Ille vero cum paucam fidem eis prius exprobrasset: & q; eis visa esset bestia inexpugnabilis causatus esset cōtemptionem diuinorum præceptorum. Vobis quidem, inquit, omnibus est Deus placandus in templū simul conuenientibus id autem quod do vobis, erat vero crux, ponendum est in iis locis per quæ transit leo. & absit quidem omnis metus. sit autem perfecta fides. & haud ita multo post manifesta vobis quoque erit mei Christi virtus. Cum hanc illi 8 crucem accepissent, & sicut eis fuerat imperatum fecissent, & die sequenti illuc venissent, ô Domine & Deus omnium, & admirabilium operum effector ineffabilis, belluam vident iacētem mortuam ad ipsam basim crucis. Sed missis in præsentia quidem miraculis, transeamus ad orationis seriem.

8 *Vide miram uirtutē signi sanctissime crucis.*

Cum ille ergo beatus sic quatuor annos vixisset in hoc monasterio, partim quidem iis quæ dicebat, partim autem & magis, iis quæ faciebat inducens ad virtutem, euasit clarus & omni ex parte celebratus. omnibusq; & linguis & auribus magnam afferebat voluptatem aliis quidem dicere. aliis verò ea quæ dicebantur attendere ex æquo amantibus. Cum hæc illi non modo grata essent, sed ea etiam ægreferret (Non minus enim q̃ ex Deo viuere, studebat sic viuendo latere vt antea diximus) rursus constituit aufugere & se ab oculis hominum subducere. Cum itaque clanculum aufugisset & seorsum viuere statuisset, totos duos transegit annos,

viuens

viuens solitarie, & soli Deo apparens. Non erat ei lucerna non lectus, non mensa. neque aliquid huiusmodi quod faciat ad ministerium corporis. Solum autem erat ei parum 9 panis quod præbebatur ab aliquo ex vicinis. algori vero & ęstui & omnibus iniuriis aeris erat expositus & cũ eis cõtendebat. Quoniam autem oportebat ipsum quoque cum esset homo, ostendi esse obnoxium naturæ infirmitatibus, quid fit: & quomodo res illius dispensantur: & qualibus sępe solet Dei sapientia vti occasionibus, alia per alia cõtexens & varians facileꝗ & magno artificio dispensans? In imo ventre accipit sensum doloris: & eius renum soluuntur vires, vt qui fuisset superatus à nimiis frigoribus.

9 *Ecce sancti uiri paupertatem, abstinentiam, & patiẽtiam.*

Compulsus ergo ab hac necessitate, vel potius deductus ab eo quo ducebatur spiritu, vt esset multis causa salutis, ad ecclesiam præter spem venit eius luminare. & cum omnibus quidem, præcipue autem magno Meletio, fuisset causa magnæ lætitiæ, & ab eo fuisset iucundissime acceptus & recreatus, deinde etiam ab eo accipit ordinem Diaconi. Cum autem in hoc gradu pulcherrime, & vt Deo gratum erat, totos quinque annos se gessisset, tam eis orationibus quas propter summã ingenij copiam habebat ex tempore, ꝗ iis quas per otium componebat, & meditatione maiori elaborabat aurea lingua, imbris instar effundens, pulchre rigabat faciem ecclesiæ. Cum postea autem Meletius venisset ad Episcoporum synodum quæ congregata fuerat Constantinopoli. vt eos quidem deponeret qui cum spiritu sancto pugnabãt non in spiritu Dei: Gregorium autem illum Theologum in sede collocaret: & illic quæ sunt caduca & ad tempus, permutasset manentibus, hic vere aureus, simul quidem vitans omnem excellentiam, & bonum amplectens silentij & quietis, reuertitur in primum monasterium. Sed cum illinc rursus recessisset reuertitur Antiochiam, non migrans temere nec sine Dei numine, vt alius duce vtens sua ratione: sed Deo eum mouente & vocante, modo quodam diuiniore & præstantiori ratione. Magno enim Flauiano qui Meletio paulo ante in sede successerat, Deo in 10 aurora canenti sacros hymnos apparens Angelus, in monasterium in quo erat Ioãnes iussit ire quam citissime: & eũ ducere ad ecclesiam & consecrare Sacerdotem, futurum ei vas electionis quomodo Paulus: & verbo comprehensurum vniuersum orbem terræ. Eadem autem hora ad Ioannem quoque venit similis uisio. Nam illi quoque oranti adstans Angelus cum magna gloria & splendore, iubet aperte Flauianum sequi ad ecclesiam, & accipere ordinẽ Presbyteratus. Ille autem cum non ignorasset quidem visionem esse diuinam: reuereretur autem alioqui & dubitaret facere quod ei fuerat imperatum propter moderationem, dicitur vocem audiuisse diuiniorem. Quæ Deus statuit quis poterit vitare? Cum sic respõsum accepisset beatus, & simul intellexisset esse grati & prudentis famuli, non repugnare Domini voluntati, accersit Monachos: & cum eis dixisset se esse abscessurum, affert eis dolorem qui non potest verbis exprimi. Postquam autem eos uerbis satis est consolatus, deinde de eo quoque quod erat illis utile futurũ sollicitus, electis duobus ex omnibus, qui erant & uita & sermone reliquorum omnium præstantissimi, fratrum curam eis committit.

10 *Nota in aurora canenti sacros hymnos.*

Interim autem dum hæc fierent accedens Flauianus, cum maxima uoluptate beatum allocutus. Diu quidem, inquit, desideraui te conuenire

o uir sapientissime & in primis venerande. Nō licuit autem vsque in hodiernum diem cum vacarem curis ecclesiasticis. Nunc vero cum Deo ita visum sit, ad te venimus charissimam animam. Deinde cum ei etiam diuinam aperuisset visionē, quoniam statuerat magnus Ioannes, sicut diximus, Dei nutui omnino non repugnare, & maxime cum diuina visio per vtrunque fuisset confirmata, rogat illum ipsum Pontificem ut illo ipso die sacrum peragat mysterium, ut sint omnes participes sanctificatorum: & ij qui fratrum curam susceperunt, consequantur illius benedictionem. Post hæc autem, inquit, quo Deo visum est sequar ipse quoque prompto & alacri animo. Facta sunt hæc, & cum sequenti die esset abiturus simul cum Pontifice, fit res lachrymabilis piis animis si vel solum audiatur. Eum circunsistens vniuersus chorus Monachorum, perinde ac si eo ꝙ ille simul cum eis esset viuerent, & diuisione simul quoque essent eis auferendæ animę, quid ad mouendam misericordiam non dicebant & faciebant? Quam non vel summam edebant lamentationem? Eum demulcebant: amplectebantur. se membris illius implicabant. Desipere eos faciebat animi perturbatio. existimabant se cum liceret vel ipsa esse corpora coniuncturos. reditu sibi interdicebant. fugiebant monasterium tanquam fieri nō posset vt amplius suis aspiceretur oculis. Cum autem secante oratione, partim quidem magni Ioannis, partim autem Pontificis admonentis & aliquando etiam acerbius increpantis, sunt ab eo auulsi, alij quidem inuiti redierunt, crebro ad eum se ipsorum conuertentibus oculis, & pedum iter interrumpentibus ꝙ diuisio esset inuoluntaria. alij cum magno Ioanni iter ingressi sunt recta contendentes ad ecclesiam. Omnes autem vndiq; confluebant & currebant vt ei fierent obuiam. Non minus ad ipsum Antiochia, quam prius ad Baptistam in Iordanem Israel.

Cum autem eū ordinaturi essent ut Deus iusserat, & dies adesset præstitutus, aderat quidem omnis cœtus fidelium, & simul etiam aderat uniuersus chorus Pontificum. Cum ad aram uero sacram accessissent: & ipse quidem, ut fas exigit, caput Pontifici submisisset: ipsi autem eius manus fuissent 11 impositæ, miraculum quoddam hic quoque facit Deus: & ostendit eum qui initiabatur esse dignum, & ex sua sententia illum dignatum fuisse Sacerdotio. Columba enim & colore alba, & specie valde pulchra, templum superius circunuolans, illico descendit & insidet capiti eius qui ordinabatur. Superuacaneum esset omnino immorari in interpretandis iis quæ sunt manifesta. Cui enim non est manifestum hoc esse signum sancti spiritus? Cum itaque copiose ad eum affluxisset spiritus sapientiæ, licebat quidem videre frequentiores congregationes, & populum ad eum audiendum conuenientem: eius autem linguam quæ mouebatur assidue & orationis fluento inundabat. Quo tempore cum sermonem extolleret altius q̄ vt id vulgi ingenium caperet, mulier quædam quæ prompto quidem & alacri animo concurrerat, eorum autem quæ dicebantur altitudinem assequi non poterat, ne dubitauit quidem eius orationem aperte reprehendere & eam vocare infrugiferam. propterea ꝙ non adepta esset id quod desiderabat. Hoc cum ad aures illius peruenisset, efficit vt intellectu faciliorem & apertiorem componeret orationem. Tunc autem quidā ex iis qui tenebātur amore eloquentię, valde delectati melle illius linguæ: cōsiderantes illius orationes esse & vtiles & veras, sensisq; diuinis plenas

11 *Semper cum impositione manuum presbyteri ordinati sunt.*

clarasq; & apertas, & cum quanta gratia & quanto dicendi flumine quantoq; artificio & quàm pulchra compositione proferrentur, alij quidem eum os Dei & Christi: alij autem, quod magis inualuit, eum Chrysostomum vocabant, id est os aureum.

Post hæc Flauianus quidem, arbitrans fore vt eum post se haberet Antistitem ecclesiæ Antiochenæ, eum ad hoc inducebat & rerum curam ei volebat tradere. Cum autem turba solicitudinum, & in eiusmodi rebus distrahi animum, ei minime esse gratum, id quidem lubenter repulit: soli vero doctrinæ & infirmorum visitationi vacandum esse censuit. Quo quidem factum est, vt Christi quod omnia potest nomine, ab infirmitate multos liberauerit. Eum enim rursus insignem voluit reddere spiritus. Satius autem fuerit iterum paucorum meminisse sicut sum polliciti. Illustri cuidam mulieri Antiochiæ nomen erat Euclia. Ei vero erat dilectus filius qui ardenti febre laborabat & veniebat in mortis periculum. Quid igitur mater imitatur Chananeam: & non minus quam filius suis inflammata visceribus, accedit ad beatum, emittens voces illis similes: & non similiter vt illa in filia, sed in filio miserabiliter rogans vt consequeretur misericordiam Sed oportet animū attendere & considerare, quemadmodum egregio illi viro erat animus animas etiam curare. illasq; multo magis, quoniam vt male paterentur corpora, has inueniebat causas. Et hoc quidem iam euasit manifestum per ea quæ præcesserunt: à nobis autem rursus quoque ostendetur. Videntur enim pueri parentes fuisse in vita agenda socordes & negligentes. Cum enim cōcitate & insane admodum ferretur mulier ad supplicandum, habebat enim maximam lamentandi occasionem, vt quæ post quatuor filios iā mortuos, ipsum quoque visura esset mori, ille cum spiritum in eo habitante vidisset ea quæ latebant, & cognouisset ꝙ peccata parentum filiis mortem cōciliauerant cum ea publice accusasset, Hunc quoque, inquit, quintum, nisi eorum quę fecistis vos subierit pœnitentia, videbitis euestigio mortuum & exanimem. Cum autem parētes his auditis veram & sinceram promisissent pœnitentiam: & quæ facile moueri poterat animam incitassent ad misericordiam, ille misertus calamitatis, aquam iubet afferri. Quam cum ter quidem 12 signasset in nomine sanctæ trinitatis, & ter ea aspersisset illum qui ægrotabat, sanum & à morbo liberum reddidit ei quæ genuerat. Atque ij quidem vt qui vellēt referre gratias ei qui curauerat, magna vi auri sanctum donabant. Cum autem dixisset se ne minimum quidem velle accipere eorum quæ dabantur, dicens se nolle Dei donum pecuniis venale proponere. Sed si, inquit illis, vobis curæ sit manifestum reddere, ꝙ Deo vere agitis gratias pro curatione, ostendite esse veram promissionem. & relicta omni improbitate bona opera exercete. Sic ei qui vestri est misertus referetis gratiam. Sed hoc quidem est huiusmodi. Quod autem nunc est dicendum nihilo est eo minus, & ad animæ vtilitatem, & ostendendam gratiam quæ in magno Ioanne habitabat.

12 *Aquā ter signata abstergit febricitantem puerū, & eum sanat.*

Qui illo tempore erat Præses ciuitatis, laborabat morbo dogmatum Marcionis, & fauebat illius sectatoribus: & ideo parti orthodoxæ erat causa malorum innumerabiliū. Huius vxorem is qui arcane & benigne hæc variat, dimisit laborare morbo torminis intestinorum. Illa autem à malo superata, omnem quidem refellit medicinæ artem. omnes vero

qui eadem sentiebant, uocantes adorationem, non eam melius affecerunt, imo vero deterius, mali tempus ei producentes uana spe curationis. Vix tandem autem Ioannis gratiæ recordati, cum hoc apud se statuissent, ꝙ si per ipsum fieret a morbo liberatio, simul etiam desisterent a morbo dogmatis qui est longe grauior. Cum sic sibi persuasissent, in lecto decumbentem afferunt mulierem, & eam statuunt pro foribus templi, desiderantes inuenire Flauianum & beatum vultum Ioannis. Sācti ergo ad eos egrediuntur. Neque enim par esse neque honestum censebant vt eis 13 templum pateret, quorum anima non patebat dogmatibus pietatis. Primus autem eis dixit verus ille homo Dei, beata, inquam, illa & suauis lingua. Quid vos mouit ut statueritis uenire ad templum Christianorum, qui Christum quidem auersamini: Marcionem autem plurimi facitis & habetis in magno honore? Quod quidem plane satis ostendit, ꝙ illius cultores conuocaueritis ad morbi aut alicuius molestiæ liberationem: & ꝙ cum illi precati essent, non assecuti sitis curationem, quod quidem vobis accidit præter expectationem. Discedite ergo ab hoc sacro templo. quoniam nec vos poteritis omnino Christum tentare. ne hoc stulte putetis. Illi autem dicebant se parentum errore esse captos & usque in hodiernum diem fuisse superatos a mala consuetudine. Sed per Christum, aiebant, uos rogamus, miseremini pœnitentium. Sic enim cum eo ꝙ corpus recte afficietis, efficietis etiā ut sana sit anima. Sciatis enim fore ut nos nequaquam amplius abstineamus a communione uestra quæ est ex uera pietate.

13 *Vides quod etiam antiquitas hæretici ab ingressu Ecclesiarum repellebantur?*

His flexus magnus Ioannes iussit aquam afferri. cui cum diuinum signaculum 14 iniecisset Pontifex, sic enim illic ei persuasit, mulieri infudit in Christi nomine. Quod quidem cum factum esset, quæ in lecto decumbebat statim surrexit sana. & cum marito & ciuibus vna voce vnanimes Christum magnificabant. Deinde etiam ad Sanctorum genua procidentes petierunt veniam prioris ignorantiæ & domum redierunt & cum multas quidem pecunias egenis distribuissent, triginta vero libras auri, partim quidem ad sumptum peregrinorum, partim autem ægrotorū, partim vero egentium, Xenodochio tradidissent: & ab illo tempore a Marcionistarum cōmunione omnino abstinuissent, insaniam & amentiam res illorum vocantes, Christi sacrosanctæ assidebant ecclesiæ. Cum autem illi omni adhibito studio, & omni, vt dicitur, rudente moto nihil omnino perfecissent, & desperassent fieri posse vt ipsi ad eos redirent, Præstigiatorem & Magum Ioānem appellabant. & plurimis aliis contumeliis, ciuitatem obeuntes, eum afficiebant. Ille vero tantum abfuit vt vel minimum curaret contumelias, vt eis potius similiter atque Dominus gloriaretur. Alioqui autem diuinitus immissam calamitatem ad eos mox esse venturam ille prædixit. Paucis.n. post diebus cū magnus terræ motus fuisset Antiochiæ, ipsa domus quę Marcionistarum susceperat cōgregationem. corruens, & domus quoque plurimæ cum iis qui eadem sentiebant labefactatæ, perdiderunt quandam incredibilem eorum multitudinem & quod est maxime admirabile, & quod aperte ostendebat eā diuinitus immissam fuisse calamitatem, cum tāta periisset multitudo eorū qui male sentiebant, nullus ex iis qui recte sentiebant simul cū ijs periit.

14 *Aquā ab Epo crucis signo signata, et mulieri infusa, liberatur illa ab intestinorum dolore.*

Hoc cum ita factum esset, & pios corroborauit, & correxit multos ex iis qui male sentiebant. & licebat videre in vniuersa regione ciuitatis, do-

mos

mos quidē oratorias Deo excitari,templa autem simulachrorum,si quod remanserat,dirui funditus & in terram deiici viros autem qui philosophię curā gerebant & virtutis, magnaq; ornati erant intelligentia & acumine ingenij,à magni huius viri prouidētia emitti ad multorum salutem.Certum autem eius quod dicimus testimonium, sunt ea quæ facta sunt in monte Ammano. vbi eos qui habitabant qui erant impij & immansueti, & nihil differebant à bestiarum immanitate, ille ad tantam mansuetudinem deduxit & pietatem. vt à patribus quidem datam neglexerint religionem,rem valde difficilem,& quæ si vlla res alia,multos vincit absq; ratione: prompto autem & alacri animo transfugerint ad lucem veritatis. & nec hactenus stiterint. sed etiam multi ex iis pietate vsi munificentius,viri, inquam, & mulieres, illi quidem Monachorum, hæ virginum iugum subierint. Quæ autem in Casio monte & in templo quod illic erat gentilium ab illo viro facta sunt, quis est adeo inuidus aut negligens aut deses, vt id sustineat prætermittere? Quo in loco cum tantus error prius esset diffusus, & multitudo quidem assidue veniret innumerabilis, fieret autem immensum animalium sacrificium propter cultum, proh dolor, Dæmonum, perierunt illa omnia & extincta sunt zelo illius magnæ & quæ à Deo mouebatur animæ. Neque hæc sunt digna quæ mandentur silentio,quę facta sunt in fastigio ciuitatis in templo Veneris. & q; non solum studuerit vt id dirueretur: sed etiam vt in eo loco viri sancti habitarent,terribiles iis qui eo subibant Dæmonibus.adeo vt illi quidem procul expulsi fuerint, tanquam armis quibusdam terribilibus intentatis eorum virorum precibus.homines autem qui circuncirca habitabant,non solum à lęsione illorum liberarentur:sed etiam maximam acciperent vtilitatem, cum possent versari cum Monachis qui perfecti erant in Dei timore. Illius mentis & studij etiam est opus,quæ fuit in arce Beli qui dicitur: profani templi destructio & ad solum vsque demolitio. Potest etiā quæ circa Seleuciam habitatur regio, gloriari præclaris factis illius viri. Nam & simulachrorum templa illic diruta,& diuinas ędes extructas,& viros virtutis studiosos illic ad habitandum collocatos inuenies. Quis enim zelum sigillatim enuntiauerit illius Apostolicæ & solicitæ animę?

Ne ergo in immensum nobis crescat oratio, reliquis omnibus prætermissis quæ recte gesta sunt in hoc presbyteratu, ea procedet ad tempus Episcopatus. Non multum enim intercessit temporis, & Nectarius quidem Præsul Constantinopolis, migrat ad Dominum. Protinus autem quærebatur quispiam qui esset dignus ea sede. Cum alij ergo aliis, vt fieri solet in eiusmodi rebus,primas partes tribuerent. (Fit enim in iis maxima ex parte examinatio, non ex virtute eorum qui asciscuntur, sed ex eorum qui sunt potentes in eos beneuolentia, quæ vel est pura ac sincera, vel accessit muneribus) oporteret autem sanctum spiritum vincere:& eū præfici qui ad quod ipsum erat ab eo prædestinatus: & superari omnes ab Ioannis virtute & eloquentia, & ei primum locum cedere in ecclesia: & alioqui eius fama plenæ essent omnes aures,adeo vt etiam bona illius auditione accepisset Imperator,is uero erat Arcadius. Cum hæc ita se haberent, tandem cum & qui ecclesiam regebant, & qui rempublicam administrabant,cum Imperatore in vnam conuenissent sententiam, mittuntur litteræ ad Flauianum Pontificem Anthiochiæ:quę simul quidem & Ne-

ctarij mortem ei significabant: & aureum Ioannem, quod terrā & mare continet miraculum, atque adeo ipsum etiam cœlum tangit, ad ipsum accersebant. Pontificem autem cum in manus sumpsisset epistolam & eam perlegisset aiunt tradidisse Ioanni. eum vero cum legisset multum quidē ingemuisse propter ea quę scripta fuerāt: & multas etiam lachrymas emisisse ex oculis propter contritionem spiritus, dicentem se esse indignum, & qui longe abest vt tanta rectionis cura debeat ei committi. Nam paruæ naui, aiebat, non est tutum magnum onus imponere. Cum sic diceret, eum consolabatur Flauianus & apte erigebat verbis, pro medicamentis spargens eius animi ægritudinem. Ciuitas autem postquam sensit hoc damnum, damnum enim non ferendum iudicabat vnusquisque Ioannis priuationem, id ægre & intoleranter ferebant. Deinde etiam tanq̄ violentum aliquid & tyrannicum passuri, & aliis cessuri ea quæ ad ipsos pertinebant, clamabant aduersus eum qui misit. Quid uerò adeo ne est infelix Constantinopolis iactantes, adeo ne expers uirorum bonorum? Ad tantam'ne uirtutis inopiam venit urbs maxime regia? Est'ne adeo inops in iis quæ sunt principalia, quam oportebat in omnibus superare, ut à nobis opus habeat eo qui sit illorum præfuturus ecclesiæ? Sed nos nec tam stulti, nec tam negligentes, nec tantopere erimus proditores, ut eis nostro bono tam facile cedamus. Caput prius nobis auferent quam illum à volentibus nobis sint accepturi. Hæc dicentes, deinde etiam suum consilium confirmant iureiurando, non permittere iis qui missi fuerāt: sed esse potius paratos ad patiendum, si quid essent facturi.

Cum itaque Episcopus habuisset concionem, & verba fecisset apta ad persuadendum, vt efficeret ne populus contradiceret, illis ea erant inanis strepitus, & uana auriū molestia. Quid enim dicendo posset persuadere, cum eos lingua esset priuaturus. lingua quę tam pulchre quidem canebat, & cuius cantus erat adeo utilis & salutaris: Quam non audire, damnum est non mediocre, sed uel ad ipsam vsque peruadens animam? Deinde cū qui missi fuerant pararent uim afferre & trahere Ioannem, ipse ingressus, emissis iis qui erant præcipui ciuitatis, rogabat plebem ne quid noui moliretur: neque res aggrederetur nimis acriter & inconsiderate. affirmans se non sua sponte se traditurum iis qui missi fuerant. Cùm sic dixisset, vix magnum repressit eorum impetum. Neque enim se cura omnino liberarunt: sed etiam per uices custodiam adhibebant, ne aliqua in eū fieret proditio. Hæc Imperatori significantur litteris. & qui missi fuerant, affirmabant Anthiochenorum constantiam se nihil remittere. Ei ergo & ciuibus vehementius accensus fuit amor in Ioannem. Solet enim negligi quod facile capitur. Quod autem aliquam moram affert & dilationem, prouocat desiderium. Cùm ergo apud se considerasset quemadmodum posset & id quod desiderabat assequi, nec ideo res esset in vllum uentura periculum, scribit per arcana ad comitem Antiochiæ. Ipse autem cum Ioannem accersiuisset extra ciuitatem, tanq̄ de quibusdam rebus necessariis cum eo communicaturus, eum licet ualde reluctantem & repugnantem multis quos habebat paratos imposuit: & sic nullo omnino animum aduertente ipsum iis qui missi fuerant traditum emittit.

Cum ergo ille verus homo Dei, toto illo confecto itinere, iā esset prope vrbem regiam, hoc primum honore afficitur in ingressu voluntate Im-

peratoris, Qudquid erat clarum et illuſtre non ſolum in eccleſia,ſed etiam ex magiſtratibus , ſex milliaria progreſſum extra ciuitatem , ridentibus oculis et læto vultu ſignificantes animæ lætitiam,ei fiunt obuiam: & eũ ſplendidiſsimus afficiunt honoribus . Sic & iis à quibus diſceſsit ardens immiſit deſiderium illa deſiderabilis & maximi facienda anima : & iis ad quos acceſsit maximam attulit voluptatem. Erant autem vtraque multiplicis Dei ſapientiæ, & benignitatis quæ omnem intelligentiã vincit & orationem, vt & illius oſtenderet virtutem & q̃ ſit amabilis : & efficeret vt ipſe utriſq; mercedem conciliaret. Ambos enim honeſti amore teneri fuit cognitum. illos quidem ꝙ cum dolore dimiſerint . hos autem, ꝙ cum lætitia exceperint. Cum vero eſſet ingreſſus & interceſsiſſet paruum ſpatium temporis, aderat dies conſecrationis. & cum adeſſent quidẽ
15 Epiſcopi prouinciæ. adeſſet autem etiam Theophilus Alexandriæ. 15
qui primus ex aliis feſtinauit vt intereſſet beati Ioannis conſecrationi: & eſſet quidem Februarÿ dies viceſimus ſextus : liceret autem coniicere ꝙ cum ſimul lætaretur chorus ſanctorũ , ne Angeli quidem abeſſent ab hoc diuino feſto, qui erat in terra Angelus, ſacro chriſmate conſecratur : & in excelſo loco eccleſiæ collocatur , qui erat re uera ſtella lucidiſsima , & iucundiori luce hominum illuſtrabat animas . qui & habebat vitam orationi conuenientem : & orationem quæ decebat talem vitæ puritatem. cui perſuadere non minus erat facile quam cuius alÿ ſolummodo dicere. Cuius vox quidem erat lenis , lenis autem congreſsio . oratio uero quæ adeo placide & iucunde fluebat in animam , & tam benigne eam attingebat, vt nullum eſſet eiuſmodi medicamentum corporis, quod cum iuuaret plurimum, nihil afferret in vtendo moleſtiæ: quomodo illa abſque vllo morſu maximam afferebat utilitatem. Deinde die ſequenti ipſe Imperator, & quicunque erant in ciuitate honorati & aliis ſuperiores, ad beatum virum accedentes , hoc enim omnino volebant , eius preces & benedictionem iucundiſsime ſunt conſecuti. Deinde ille iniecta oratione ſic dixit.

Ecce quomodo Metropolitanus aſtantibus Epis ſuæ prouinciæ conſecratur.

Cum is laudabilis qui prius, me inuaſiſſet metus , & eſſem ſummus imitator Ieſu humilitatis, terribilis mihi viſa eſt ò Imperator, terribilis, & maior quam vt meæ vires ferre poſſent, inſignis dignitas huius pontificatus. quod me etiam reddebat timidum, cunctantem ad eius ſuſceptionem. ꝙ & ad meam intuerer abiectionem, & ad magnitudinẽ eius quod meæ fidei committebatur. Quo eſt enim dignitas ſublimior , eo magis opus habet iis qui ſunt excelſi viribus , & qui confidere poſſunt in miniſterio. Cum autem nos etſi indignos & abiectos , iis quibus ſcit rõnibus, is cuius iudicia ſunt abyſſus multa, ad hanc deduxit ſpeculam: & ratione præditi ſui gregis Paſtorem conſtituit, rogo ò Imperator, per eam ſpem quam omnes habemus (neque enim mihi tutum fuerit deinceps ſilere, neque quod meum eſt ſolum ſpectando, mercenarium eſſe & non paſtorẽ) rogo ergo vt principaliter quidem vos Dei verbis aurem præbentes attentam, ſuper fundamentum fidei, aurum & argentum & lapides pretioſos, bonas, inquam actiones, ædificetis. Si qui autem præoccupati fuerũt, aut quod abſit, ſint præoccupandi humanis delictis, ea ſunt pœnitentia & ſtudio expurganda. Ad eam ſit nobis pulchrum exemplum magnus ille Dauid. Qui cum in peccatum vt homo incidiſſet , & ab homine fuiſſet

reprehensus, non vt homo solummodo, neque similiter ac vulgus se gessit gratissima illa anima. neque contumelia reprehensionem pauperi Rex repulit. sed magna moderatione & animi contritione ipsam tulit reprehensionem. & cum se peccasse non esset inficiatus, citius quam fecerat consecutus fuit remissionem. Atqui labi quidem est facile. Surgere autem, & in statum priorem restitui, est operosum ac difficile. Adeo erat mitis adeo moderatus: tam magnum fructum fuit consecutus ex diuina humilitate. Et nos ergo qui ineffabilibus Dei rationibus ideo ad vos venimus & voluntatem eius testificemur, hoc primum verbum à Christo & diuino eius præcursore accipientes, vobis annuntiamus & suademus. Pœnitentiam agite, propè est enim regnum cœlorum. Hæc autem non dubitabo vobis assidue reuocare in memoriam. vobis autem timendum est, ne si fueritis contemptores Dei testimoniorum, ab eo rei deprehendamini in die visitationis. Nihil enim nostrum, neque ex nostro ventre seu cogitatione annuntiabimus, sed quæ hausimus ex diuino fluento scripturæ diuinitus inspiratæ. Hæc autem, neminem reuerentes, neque dies, vt hoc dicam diuini Dauidis, timentes ad vos loquemur. Si uos ergo intelligatis, & aures attentas verbo doctrinæ præbeatis, vobis quidem ipsis, salutis, gaudij uero Angelis qui sunt in cœlis, magnæ autem meo quoque spiritui causæ eritis lætitiæ. Sin autem mea verba neglexeritis, & doctrinæ non patuerint aures cordis vestri, quod absit, molestia quidem afficietur spiritus sanctus: molestia afficietur meus quoque spiritus. Quod autem restat auditu quidem est molestum, sed tamen est verum, nempe me quidem futurum vobis ad conturbarionem, aut vt apertius dicam, ad condemnationem: vos vero mihi, proh dolor, ad luctum & animæ dolorem ineffabilem & immedicabilem.

His lætati Imperator & qui cum eo erant, & testimonio conscientiæ credentes quod quæ dicta fuerant recte se habebant, Deo magnas agebant gratias, quod à tali patre & pastore ei placuisset pasci suum gregem rationis participem. Sancto autem adhuc suauissimam cōtexente doctrinam, aureasque ac musica lingua canente pulchre ac modulate, Deo volēte ipsum glorificacare, Vir quidam repente possessus à maligno spiritu, seipsum intrudit in mediam ecclesiam, spumam ore emittens, & linguam adeo vt visu esset tetrum demittens. Omnibus ergo rogantibus sanctam illam animam vt misereretur calamitatis, & vt oraret pro curatione eius qui patiebatur, ipse cum eum iussisset propius accedere, & benigne appropinquans vir benignus manu eum 16 obsignasset, & effatus esset nomen sanctæ trinitatis, malignum Dæmonem iubet egredi. Protinus autem licuit videre factum consequi orationem: & hominem momento temporis fuisse liberatum à tam graui afflictione. Deinde cum magnus eum fecisset surgere, admonuit vt vacaret ecclesiæ, & sanctificatorum diuinæ communioni, & operam daret ieiuniis & orationibus. Si enim, inquit, sic feceris, non te amplius capere poterit inimicus: neque eius irretieris laqueis. Hinc animę incipit curationem, qui hęc arte alios lōge antecellebat. Melle autem miscens orationem, & mitioribus medicamentis vt iam ante diximus, si quid aliquando iniecisset amari & pungentis quod morbi vsus ita postularet, tunc ostendebat quantum esset artis peritus. Nam sic sæpe mordens & incidens oratio, & vrens ea quæ non apparent, non modo fit molesta,

16 *Signo sanctæ crucis & inuocatione sanctæ Trinitatis Dæmoniacum curat.*

molesta ei qui ægrotat, sed etiam auditu potius iocunda & suauis auresq; deliniens & demulcens.

Primum ergo aduersus eos qui prætextu cognationis mulieres introducebant, acutam & musicam mouet linguam: & ostendit eos longe grauius peccare, quam eos qui aperte exercent quæ sunt flagitiosa. quandoquidem illi quidem soli & per se sunt impudici & suam corrumpunt animam. Hi autem qui in clero versantur, totum corpus corrumpunt ecclesiæ. uerberantes vt dicit Paulus, eorum conscientiam, & se præbentes commune monimentum intemperantiæ. Sed vel absque his, quantum illi damnum afferant cohabitatione harum quæ introducuntur mulierum, recte sciet qui eam orationem legerit vt oportet. Deinde aduersus iniustam plura habendi cupiditatem, & eos qui grauem manum immittunt alienis, & effundunt in dolia, vt dicitur, inexplebilia, grauius inuehitur. plane maiorem curam gerens eorum qui faciunt iniuriam quam eorum qui patiūtur. quandoquidem illis quidem damnum affertur in aliquo eorum quæ intereunt: ipsis autem qui faciunt iniuriam, in anima quæ est punienda immortaliter. Deinceps vitam reprehendit prodigorum, qui in mensis, in ædificiis, in tali fastu & talibus delitiis gloriantur, & vt vulgo dicitur, seipsos melle aspergunt. Nunc accusat superbiam. Nunc vanam gloriam insectatur. Nūc expellit calumniam tanquam dignam quæ vituperetur. Vaniloquium rursus tollit de medio pro viribus. Periurium adeo prohibet, vt nec solum iurare etiamsi vere, dimiserit absque reprehensione: sed etiam aduersus id multas easq; præclaras habuerit orationes, ita elaboratas vt mixtæ essent vero & probabili: & ita studuerit id de medio auferre tanquam manifestam in Deum contumeliam, & omnibus ineffabilis & venerandi nominis coinquinationem. Quomodo enim præstantissimus & diligentissimus quispiam Agricola, qui vult de virtute seminare orationes, statuit prius oportere excindere radices vitiȷ & semina maligni: & nihil dimittere eorum quæ possent omnino lœdere aut offendere. Deinde cum terra sic fuerit complanata & mansuefacta, quod quidē est humanarum animarum, virtutis & philosophiæ deponere semina.

Post hæc de eleemosyna orationes, tanquam imbres aliquos opportunos effundit in animas hominum: & vsque adeo colit benignitatem, vt multorum quidem dexteram promptā reddiderit & alacrem ad succurrendum pauperibus, quæ prius erat parca & illiberalis, ne dicam auida rapiendi aliena: & alios quidem effecerit esse munificos & sua lubenter communicantes, ex pleno, vt dicitur, in inane vtrisque effundentes manibus. alios autem præferre nihil habere: & cum omnes suas diuitias pauperibus manignifice pieq; diuisissent, vitam monasticam & separatam eligere. Ex quo omnia habere alio modo ad eos rediit, vt qui Deo pro omnibus iis ditati fuerint, à quod dependebat tota spes eorum vitæ: & ad quem solum dilexerunt intueri: ex quo factum est vt cor diuitiis non apponerent, neque omnibus rebus materialibus. Humilitatem autem & moderationem adeo extulit, & tantam eius esse ostendit in humili excellentiam, vt nulla alia virtus possit cū ea conferri: sed ea sit mater & custos aliarum omnium: imo verò sine qua aliæ nihil habent quod sit certum & fide dignum: sed sint, proh dolor, vanus quidam labor & inanis. Temperantiam autem & vere pulchram virginitatem quis sic vel amauit, vel

alios qui sunt honestiores magni'q; & excelsi animi ad eius insignem incitauit pulchritudinem. vt eam propemodum ostenderit esse maiorem & sublimiorem q̃ vt ad eam possit humana natura peruenire: & superare ipsam legem: liberalitatis'q; & magnificentię potius locum tenere q̃ pręcepti? Charitatem vero quæ est omnium virtutum maxime regia, quis illo magis amauit aut laudauit: vt dubitetur maior ne fuerit laudatio an eius in eam amor? Quis est enim adeo plane lapis aut ferro in corde frigidior, vt audiens eius de illa orationes, non fiat mitis & hilaris, & ad dilectionem proximi excitetur: & non Pauli expressam effigiem putet esse illius animã? Quo'd si Paulus optauit vt vel a' bonis quæ illic sunt excideret: & aperte ostendit se hoc magis velle q̃ eos qui sunt ex Israel esse extra partem Christi: & ei cor omnino vrebatur aliorum offensionibus: ipse quoque Ioannes nihilominus inflãmabatur amore in proximum: & fratrum salutis ardebat desiderio. si illi ipsi est credendum in morali 24 in Actus homeliæ. sic dicens.

" Vellem si fieri posset vestris oculis ostendere quam in vos habeo charitatem. Nihil est enim mihi vobis iucũdius & desiderabilius, ne hæc ipsa quidẽ lux. Millies enim optarem ipse esse cæcus. si per hoc liceret vestras animas conuertere. Adeo ipsa luce mihi est vestra salus iucundior. Quid enim me iuuant solares radij, quando quæ propter vos accipitur animi ægritudo oculis meis magnas offundit tenebras. Lux enim tunc est bona quando apparet in lętitia. Animam enim quæ mœrore est affecta, videtur etiam molestia afficere. Quo'd autem non mentiar, absit quidem vt vnquam faciam periculum. Sed si quando contigerit ex vobis peccare aliquem, accedite ad me dormientem. Si non sum similis paralyticis. Si non iis qui a' se discesserunt. & vt dicam cum propheta, Et lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. & nisi iudicaret quispiam me esse supra modum ambitiosum & laudis cupidum, videres me quotidie fontes lachrymarum emittẽtem. Horum autem est mihi conscia domuncula & solitudo. Credite enim mihi. spem quidem abieci meæ salutis. dum vero vestra defleo, nunquam est mihi otium mea mala deflendi. Adeo mihi omnia uos estis. Si sensero uos proficere, præ gaudio mea mala non sentio. Si uidero non proficere, præ animi ægritudine rursus mea dimitto. ut qui lætus sim vestris bonis etsi mala habeam innumerabilia. tristis autem propter vestra mala, etiãsi innumerabilia sint mihi recte facta. Quænam enim nobis est spes si vos non proficiatis? Quænam autem tristitia, si vos recte geratis? In altum extolli videor quando aliquid boni de uobis audiuero. Implete gaudium meum. liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem. Vobis dari salutem me vero accusari ꝙ meum munus non impleuerim. Non enim curo ut per me salui sitis: sed ut solum salui sitis quacunque ratione. Hoc solum in uotum contuli, ꝙ uestrum profectum desiderio: ꝙ uos amo: ꝙ uos complector. ꝙ uos estis mihi omnia. & pater & mater & fratres & filij. & si liceret cor nostrum rumpere & vobis omnibus ostendere, videretis in magna latitudine intus esset & vxores & filios & maritos. Eiusmodi enim est virtus charitatis: facit'q; animam vel cœlo ipso latiorem.

Hæc autem non solum faciebat in urbe regia: neque eos solos exercebat ad virtutem: sed per omnem terram extendebatur. & illi curæ erant om-

nes ecclesiæ.eiusq́ cure vnus finis erant terræ termini. Ioanni enim curæ non erant mense & epulæ, ægrosq́ possidere & crumenas replere, & si quid est aliud quorum studio vulgus tenetur. sed hoc erat ei cura quæ extingui non poterat,& ossium tinea,œstrumq́ quod eius cor subibat, perpetuum eius bellum aduersus hostem nostrum. & ut suis ad nos orationibus, & frequentibus admonitionibus arceret eius insidias, & insultus prohiberet. & quãtum quidem ad ipsum spectaret, nullum sineret ex uocatis,non ex iis qui tunc erant,nõ ex iis qui postea,excidere à sorte electorum, & esse partis sinistræ. Propter hæc sermones perpetuo habebat & docebat:& nunquam cessabat diserta illa & modulata lingua nostras incantare animas. Propter ea sunt pulchræ illæ verborum Sirenes.innumerabilium illud mare bonorum. animarum lautissimę quæ consumi minime possunt epulę.panis Angelorũ.mensæ totius orbis. Quòd si ij qui alimentorum sensilium curam gesserunt quæ possunt longo tempore sufficere egentibus, quæ appellare solent Gerocomia, ipsi existimant se opus fecisse laude dignum & ita reputantur ab aliis:qui hoc diuturnum & permanens nutrimentum, suauissimas inquam orationes,assidue suppeditabat, vt non solum cum esset superstes, sed etiam cum sursum esset translatus,sitientes impleret animas,& ineuitabilia per ipsos solueret vincula,& à manu Tyranni captiuas liberaret animas, & iis qui salui fiebant magnam afferret accessionem: qui hæc abunde præbebat & liberaliter & in vniuersum tempus hoc donum extendebat, quamnam potuerit assequi linguam, quæ ei dignam contexat laudationem. Imo vero quasnam & quot linguas? Sed tali quidem anima & lingua ne ipse quidem est dignus mundus, ut dicam cum diuino Paulo.

Quod autem non ij soli qui habitabant Constantinopolim illi essent curæ, sed omnes ferè quos sol intuetur, hinc potes intelligere. Cum intellexisset Phæniciam simulachris adhuc & Dæmonibus & sceleratis templis esse deditam, regiam manum habens adiutricem, & magnam aliam manum cui persuaserat ut in id quod oportebat impenderent, secum ducens,execrãda quidem illa templa humi euertit: eorum autem loco sacras ędes excitat:& immittit Monachos qui feruẽtem zelum quodammodo spirabant, & fidem tenebant optime & accuratissime. Præterea cum audiisset Celtas implicatos esse laqueis Arrianismi,ille aduersus improbitatem contra sic machinatur Presbyteros simul & Diaconos, & eos qui diuinos libros legunt,qui similem quidem & cognatam habebant linguã, sana autem erant fide,accipiens,& eos veluti quendam,vt aiunt, magnetem, iis qui se non recte habebant admiscens, sic illos quoque comiter attrahit ad pietatem. Cum autem aliud quoque genus Scytarum qui habitabant ad fluente Danubij, accepisset sitire quidem fluentũ pietatis,opus vero habere eo qui esset potaturus, hæc significat Leontio Ancyræ Episcopo. & quoniam ille opus habebat. viris ad hęc idoneis,cum tales illinc accepisset,& ad eos quos diximus Scythas, veluti quasdam stellas misisset ad occidentales deducit ad veritatem. Præter hæc cum Marcionis hęresim resciuisset serpere in quosdam vicos Orientis, & multos corrumpere,nõ tulit toleranter,neque dilationibus & temporibus protraxit correctionem. sed statim simul quidem regia potentia, simul autem sua quoque vsus auctoritate,& litteris ad hoc simul vicinos excitans Episcopos,

tanquam morbum aliquem pestiferum qui poterat non mediocre importare detrimẽtum, efficit abesse procul ab ecclesia. Sed quemadmodum ille quidem, sicut diuinus Paulus, erat solicitus de omnibus ecclesiis, sicut à nobis mediocriter, ita etiam vere fuit ostensum. Oportet autem aliorum quoq; meminisse, in quibus ille, lingua eius tacẽte, erat occupatus, & quænam aggrediebatur opera.

Cum considerasset impensans ecclesiæ, & inuenisset earum plurimas nequaquam consumi in ea quæ oportebat, eum quidem sistit sumptum tanquam motum quempiam inconsideratum: & traducit ad vsum vere pium & humanum. & cum peregrinis ædificasset nosocomia is qui Deo appropinquabat, effecit vt illic etiam affluerent quæ sunt necessaria: eis Presbyteros præficiens valde pios & 17 coniugij expertes, & medicos quoque probatissimos ad curam gerendam ægrotorum. Erat autem hoc quoque eius opus & cura non mediocris, nempe ordo viduarum. Nam cum eas vidisset vir pręclarus non recte & ordine sed praue se gerere, pulchre quidẽ diuidit, non minus autem pie dispensat & administrat id quod ad eas pertinebat. Quæcunque enim ex iis erant ætate iuuenes, & ideo propensæ ad voluptates, iubet secundis vti nuptiis. melius esse arbitratus id quod est in tuto humile, q̃ sublime quod non est sine metu. Iis autem quæ erant vitæ melioris, & ætatis aliis prouectioris, vt quæ non essent natæ minus q̃ sexaginta annos, eis suadet vt vacent ieiuniis & precibus: abstineant autem à lauacris & maxime conuiuiis, & à sumptuosis vestibus. Habes studiose auditor aliud quoque cuius studio tenebatur, quod nõ est vile nec mediocre. nempe ad sacram synaxim aduentum virorum & mulierum. Nam nec hoc quoque relinquit inordinatum, nec in periculum adductum, nec defectum dispensatione quæ fit ex ratione. Sed hic quoque pulchre & tuto distribuit pro viribus. & viros quidem iubet noctu simul ventitare & in multitudine vt voluerint. mulieres vero noctu quidem seruare domum: interdiu autem venire prompto & alacri animo. Sic faciens, & in talibus versans operibus & solicitudinibus, studebat, sicut Paulus, esse omnibus sine offensione. & sicut ille, omnibus sine sumptu præbebat Euangelium. Sic autem ipse quoque nullo ex iis quæ erant ecclesiæ, & quibus secure licebat omnibus Episcopis, nullo modo est vsus. vt qui nunquam aspexerit ad delitias & recreationes. Quomodo enim, qui vix solum attingebat nutrimentum: conuiuia autem & compotationes ita fugiebat sicut prius diximus. vt cum nullo vesci induceret in animũ. Quamobrem? Satius enim fuerit dicere causam. visum est enim hoc multis asperum & ingratum & affine reprehensioni.

> 17 *Notent hæretici nostri temporis qui cõtendunt orientalis Ecclesiæ presbyteros semper usos fuisse cõiugio, quod ex hoc loco patet esse falsum.*

Primum quidem, q; cum ab ineunte ætate assueuisset ieiunio, idq; esset 18 ei veluti coalitum & vsitatum, à vinoq; & quouis alio quod est ventri gratum omnino abstinuisset, adeo vt solo ordei succo viueret, & carne superior cibiq; & potus expers propemodum videretur. cum ille stomachum hac aspera & quę nihil hilare habebat viuendi ratione valde corrupisset, & effecisset vt ad nullum aliud sumendum nutrimentum esset idoneus, ægre poterat aliquid admittere ex iis quæ aliis sunt grata & solida. Et ideo non lubenter aspiciebat aliquid quod esset gratum gutturi & cum voluptate sumeretur. Atque hæc quidem est vna causa cur fugeret mensas & cum aliis iniret conuiuia. Deinde etiam q; cum apud se iudicasset,

> 18 *Vide sancti uiri continuum ieiuniũ, par citatem & austeritatem cibi et potus, atque escæ delectũ.*

set, ꝙ si induxisset in animum vt communiter vesceretur cum iis qui vel amicitia antecellunt aut dignitate, necesse habebit id etiam facere cũ aliis: Nam quomodo conseruari potuerit vt nulli sit offensioni neque cuiquam afferat molestiam? Sicq; res ad multos transiens, nõ solum illi futura esset laboriosa & molesta, vt qui non esset versatus in rebus huiusmodi: sed etiam interrupturum esset necessaria & ea quibus ipse vacare cõsueuerat, orationem, inquam, & meditationem & rerum honestarum doctrinam. quibus adeo erat deditus, vt hoc sæpe paruum negligeret nutrimentum. tantum aberat vt posset vacare mensis & aliis inutilibus & superuacaneiis. Quamobrem satis apte poterat dicere illud Apostolicum. Non licet nobis relicto verbo Dei ministrare mensis. Alioqui autem si visum ei esset hoc facere, necesse erat omnino vt duorum alterum eueniret. nempe vt aut consueto alimento relicto cogeretur vesci crassioribus & iis quibus vescebantur conuiuæ. quod quidem non modo ei conueniebat, sed nec omnino id facere poterat, cum male, vt diximus, esset ei affectus stomachus: aut si hoc fugeret & tenui victu vteretur, iis qui cõuiuabantur grauis videretur & molestus: & quid aliud existimaretur quam hoc facere superbiæ causa & vanæ gloriæ? Sed de his quidem satis. oratio autem deinceps reliqua ordine persequatur.

Maximum ergo in hoc ponebat studium vt asidue uersaretur in oratione 19 & meditatione & rerum honestarum doctrina & Dei laudatione. Sed neque communes negligebat congregationes & ea quæ tempus habent constitutum utpote nocturnam, & matutinam, & quæ fit uespere glorificationem. Quinetiam contendebat Ioannes noctu procedens alios præuenire, & templi portas primũ aperire. Hæc autem cuiusmodi? Erat enim egregius Ioannes acutissimus non solum ad intelligendas scripturas quæ à vulgo non possunt cõprehendi: & ad dicti coniiciendam germane sniam ingeniosissimus: et vt dicit Solomon, ad cognoscēda dicta sapientũ & ænigmata: sed etiam ad id quod intellexerat facilæ interpretandum & illustrandum, & vt dicitur ad id vel cęco aperte ostendendum, eorum qui fuerunt ex omni seculo facundissimus & maxime idoneus. Eius erat quidem magnus amor in omnes qui cum eo ꝙ pij fuerunt, ex Deo etiam vitam egerunt. Prophetas, inquam, & Apostolos, & quibus oratio per spiritum promanauit. in eorum certe libris versebatur asidue, & in eorum verbis maximam capiebat voluptatem. Simile enim, vt aiunt, simili delectatur. Paulo autem Præconi totus adhęrescebat & ineffabili quodam desiderio ei erat coniunctus: & viuebat illius sermonibus. Nam aperte multis in locis verborum eius meminit: idq; magnas ducit esset delitias & internæ flammæ consolationem. Propter quam causam, ille quoque similiter atque ij qui amant insane. & sunt valde inflammati, fatetur se ab eo esse superatum & nõ posse ab eo diuelli. & alicubi quidem in ipso impetu orationis, cum ille ei venisset in mentem, captus fuit veluti à quibusdam vinculis: & plurimum cum eo morari magni facit & non facile potest ab eo discedere. Tam magnus & tam ineffabilis fuit eius amor in Paulum, ut qui sic dicit, uere dicat, hoc Ioanni esse Paulum, quod Paulo fuit Christus. imo vero Ioanni quoq; fuit Christus sicut Paulo. Nam tantus quoq; illius propter Christum fuit amor in Paulum.

19 *Ecce pia beati patris exercitia.*

Cum eius autem epistolas legeret hic magnus Ioannes, & in earum

conuenienti meditatione magnum studium poneret: quinetiam quoad eius fieri posset qualis esset animus Pauli scire cuperet, eum subiit desiderium earum explicandi intelligentiam, & afficiendi vt perueniri posset ad eius profundum, quod à multis nondum recte cognoscebatur. Rem itaque aggressus & illas ad verbum interpretans, apud se quodammodo dubitabat & differebat. Id autem ex eo oriebatur, ꝙ illum valde diligeret & ei vellet omnino placere. Id vero de quo dubitabat, erat, nũ Paulo gratus esset eius labor: an recte assequeretur mentem eius quem diligebat, & num longe à veritate abesset & à scopo. Hoc cum in mente versaret & dubitaret, & Deum valde rogaret vt id de quo dubitabat ei notum fieret, non diu abfuit solutio. Modus autem qualis? Est enim reuera Deo dignus & illius sapientia, Sed est attendẽdum. Habet enim varium quiddam & admirabile. Vir quidam qui magistratum gesserat & erat mũdi splendore insignis, inuido oculo conspectus & per calumniam delatus ad Imperatorem, ò acerbam inuidiam & inimici improbitatem, à regia simul & honore expellitur. Cum autem vidisset se magna laborare inopia eius qui esset opem laturus, intelligens se esse infelicem & Dominum habere aduersum, & se ideo nemini curę futurum, quoniam amicos nihil esse dicit tragœdia, si sit infelix quispiam, præterquam beatę illi animæ, & quę huiusmodi casuum moueri solet misericordia: & nulli alij similiter atque illi libere loqui apud Imperatorem, neque largiri mores, nec ipsam dignitatem, petit per aliquem intermedium venire in beati conspectum. Quod cum resciuisset, noctu permisit vt veniret, vtpote ꝙ interdiu non futurum esse tutum eum alloqui. Iussit autem Dei cultori Proclo qui erat ad hoc constitutus, vt cum venisset, ad eum facilem illi præbeat aditum. Sed enim rursus est attendendum. afferet enim oratio voluptatem simul cum admiratione.

Cum ille venisset & esset portas ingressus, vadit Proclus annunciatũ. Cum autem iam accessisset ad cubiculum in quo labori magnus vacabat Ioannes & attentus erat interpretationi, ostio statim admouens oculos & vt licebat per foramen aspiciens, videt Ioannem qui pergebat quidem scribere & in eo erat diligenter occupatus. virum autem quendam, capite caluum, qualis est Elissæi effigies, cui densa quidem erat promissa barba, super humeros sensim cum beato congredi, & cum illo loqui in aurem. Hæc cum vidisset Proclus, existimabat aliquem se non sentiente esse ingressum: & ipsum esse qui cum Sancto loquebatur. Cum itaque illi significasset id quod fuerat suspicatus, rogabat vt expectaret. Cum autem multum intercessisset temporis. & is cuius præstolabatur exitum, nondũ adesset, rursus vadit Proclus eum vrgente homine vt si vidisset cessare colloquium, statim annuntiaret. Cum vero ille rursus per foramen aspiciens, vidisset esse attẽtam & seriam collocutionem, importunum & impudens esse arbitratus interpellare orationem, reuertens dubitabat quisnã esset qui loquebatur, & quonãmodo esset ingressus cũ non fuisset ei prius annunciatum. Cum autem parum substitisset, vadit rursus: & cum rursus vidisset tam diligentem & tam seriam collocutionem, lignum vero iam pulsatum vocaret ad congregationem, accedens ad hominem, dixit eum de cætero non posse ipsum conuenire vsque ad finẽ matutinę glorificationis. & protinus eum emittit, iubẽs eum redire postridie. Venit itaque ho-

mo ille : & Proclus statim vadit nihil cunctatus. & eadem rursus vidit nihil cessante illa collocutione. Propterea ergo non ausus illum adhuc admonere, reuertitur, tristis tristi vero apparens, & qui hoc nomine merito esset accusandus, q homini qui in mala talia inciderat & tam graue tempus erat perpessus. non se benignum præbuisset, neque quam poterat opẽ ferre ei tulisset : sed aliis potius ad magnum Ioannem præbens aditum, dilationibus eum sic protelaret. Proclo autem affirmante nihil esse huiusmodi : sed se non sentiente nec sciente hoc accidisse, cum iam magna pars noctis esset transacta, nequaquam autem minueretur illa collocutio, lignũ rursus pulsatum, plenum dolore & animi ægritudine amandat hominem. non tamen ita vt futuri reditus spem abiiceret. Proclo vero admirari quidem vt par erat veniebat in mentem : sed neminem habebat quem reprehenderet. sed de se potius quærebatur, vt qui sua negligentia hoc putaret accidere. Quamobrem apud se omnino constituit, non cibum sumere, non somno ne minimum quidem cedere, neque à foribus omnino discedere, donec vel ipse primus homini daret aditum : aut saltem sciret quisnam is sit qui præcedentibus diebus clanculum fuit ingressus.

Cum autem arrectis oculis & auribus staret pro foribus, & totum animum adhiberet, hęc quidem erat nox tertia, & homo iam aderat. Statim ergo Proclus ei factus obuiam. Esto, inquit, bono animo. ego enim modo tibi fui custos diligens. neque vllus hucusque ad magnum ingressus fuerit. sed tibi primo & soli ad eum erit ingrediendum. & eum per otium conuenies quantum voles. Hoc cum dixisset, accedit quamprimum. & cum foramini oculum admouisset, & vidisset similia prioribus. illum quidem os admouentem alteri ex auribus, & tanquam arcanum quodpiam ei communicantem & submurmurantem: hunc autem chartam habentem in manibus, & qui videbatur scriptis mandare ea quæ dictabantur, intellexit Proclus non sine Dei numine hanc fieri visionem : neque humanum quidpiam esse quod apparebat, sed rem diuinam & quæ sit supra hominem. Conuersus ergo, homini dixit. Abi & mane apud te Deum rogans. Consentaneum enim est eum nolle vt tu ingrediaris, & te ideo prohiberi. Hoc enim pro certo habeas, nullius omnino ex iis qui sunt corporati, sed diuiniorem quandam & quæ est supra nos esse sermocinationem. Habet enim rursus se similiter, sicut duæ præcedentes noctes iam mihi ostenderunt. Et ille quidem sic abiit graui dolore oppressus & plenus dubitatione. Cum autem iam esset dies, neque enim siuit ille bonus cõturbatum animum sic manere absque consolatione, recordatus sanctus iubet accersi Proclum. & vbi est ille, inquit, qui tribus ante diebus ad nos cupiebat accedere, Quod quidem à nobis haud grauate impetrauit. Ille autem, Ter, inquit, tribus deinceps noctibus accesit: & permansit vsque ad matutinum. Sed quoniam alius tecum loquebatur, existimauimus futurum esse nimiæ arrogantiæ, si accedentes interrumperemus tuam collocutionem. Is autem admiratus, Et quis, inquit, noctu ad nos accesserit, & quis nos conuenerit? Deinde Proclus. Est quidem, inquit, omnino mihi ignotus. qui autem te alloquebatur, inquit, erat huic similis Ostendens Pauli 20 imaginem quæ perpetuo stabat ante Ioannem, & quam solebat assidue intueri. qui etiam videbantur tibi sedenti & scriptioni incũbenti sensim in humeros inclinare & tecum loqui in aurem. Vt autẽ ego

20 *Si tale ac tantum Ecclesiæ lumen sem-*

per ante se habebat Pauli imaginem, constat imaginũ usum licitum esse & antiquum in Ecclesia.

opinor, erat ille ipse re uera. Cognouit itaque magnus Ioannes se à Deo fuisse exauditum, de iis quæ cupiebat scire, an Paulo grata esset epistolarũ expositio: & ideo ostendisse illum ipsum Paulum qui cum eo versabatur, & ei tanquam discipulo opem ferebat in oratione: imo verò qui nihil amplius afferebat, nisi quòd iis quæ dicebantur solum seruientem porrigebat dexteram.

Cum sic sibi persuasisset Ioannes, iussit quidem Proclum parum recedere. Ille autem inclusus procidit in genua: & lachrymis plenos habens oculos, Deo magnas egit gratias, ꝙ soluisset ea quæ erant dubia. Deinde iussit Proclo ne eum negligeret qui petierat vt eum conueniret: sed iuberet vt nocte sequenti accederet. Dicit enim nihil tale amplius ab eo visum iri. Is autem vocatus accessit & rogauit de iis quæ erant proposita. Deinde Ioannes nihil differens, Quomodo enim qui in talibus erat igni ardore similis? Imperatori quidem de eo significat: & ille quidem statim cessit: hic autem fuit reuocatus, a priorem honorem rursus fuit assecutus. Aureus vero Ioannes prompto & alacri animo repletus ex eo ꝙ illam diuinam accepisset visionem, & tanquam discipulus in magistro haberet fiduciam, cum quæ restabant sacrarum illius epistolarum ad finem deduxisset & explicasset, dat ecclesiæ diuitias quę nunquam consumuntur.

Hæc ergo insignis & clara stella ecclesię, & doctor accuratus virtutis, accensus zelo pro ecclesia, & arguens sacerdotes qui inique se gerebant: quinetiem eos qui non admittebant correctionem à sacris arcens vestibulis: & non solis verbis castigans, sed etiam 21 canonibus ecclesiasticis in tempore puniens improbitatem, visus est aliquando grauis, qui erat valde mitis & clemens. Quid enim si mel quoque mordet vulnera in quibus inest vlcus? Visus est auem iis qui erant omnino immedicabiles, & quorum curatio erat omnino desperata. Nam quis aut curandarum animarũ peritior: aut in medicamentis quæ pertinent ad curationem, nempe in oratione & in modis administrationis ac dispensationis, initior ac benignior, sicut etiam iam antea ostendimus? Cæterum quãdiu circa solum quidem clerum consistebat reprehensio, & erat intra ecclesiam quæ videbatur grauitas, non erat nimius dolor, nec in eum erat odium agreste & furiosum, sed remissum & tolerabile. nec procedebat extra labra concepta molestia. Cum autem in multos quoqꝫ qui gerebant magistratus processisset reprehensio. Oportebat enim propter splendorem personarum, & quod & se & alios posset valde lædere vt non esset remissa improbitas tanq̃ impetus aquæ facile fluentis & quæ fertur per plana, eam eius verbis tanq̃ propugnaculis interrumpi. ne si esset absque vllo metu & libere se iactaret, fuse per omnia procederet & multos induceret ad æmulationem propter libertatem eorum quæ perpetrabantur. Cum sic faceret, & studeret vt ij vitam suam corrigerent quæ male & nequiter se habebat. partim quidem, rapina & auaritia. partim autem aliis quoque affectionibus & vitiis maximis, non erat amplius tolerabilis: sed lingua acerbus & mordax, & plane non ferendus non sanatura. Quomodo enim qui vel melle erat dulcior. sed ex morbo & malignitate eorum qui reprehendebantur. Porro autem quædam atiam causa opem tulit iis qui temere volebant ei esse inimici.

21 Vides canones Ecclesiasticos apud antiquos patres fuisse in magna obseruatiõe.

Eutropius enim qui tunc pręerat cubiculo Imperatoris, volens suo arbitratu

bitratu iram exercere in quosdam qui eum quidem offenderant, ad ecclesiam autem confugerant, pro lege habet suam animi perturbationem: & Imperatori persuadet vt legem ferat, non licere vlli reo confugere ad ecclesiam. aut si confugiant, licere eos secure expellere. Hæc ille studens statuere, ignorabat se gladium in seipsum acuere: & legem ferre de venia ei non danda: & portum claudere quo ipse magis opus erat habiturus q̃ alij. Diuina enim iustitia, etsi magna ex parte soleat differre, sequens leges benignitatis, & q̄ quærat pœnitentiam, at in hoc quidem certe recte faciens, eum inuasit e uestigio. Etenim ille non multo interiecto tempore cũ offendisset Imperatorem, solam ecclesiam quam affecerat iniuria agnouit auxilium. & ad eam confugiens, et tanq̃ sacram anchoram apprehendens, ab ea quærebat salutem, quam ipse stulte seruare prohibuerat. Quis ergo sanæ mentis & sciens benignitatis tempus & iustitiæ, eum iudicauerit dignum misericordia, qui, vt dicitur, captus erat suis pennis, & bos ex se præbebat flagellum? Nec ergo ille magnus homo Dei, qui & sciebat misericordiam tribuere vbi oportet, & sustinere quando oportet & differre commiserationem. Sciebat enim eo aperte spectare illud diuini Esaiæ. In stateris & mensuris sitam esse apud Deum iustitiam.

Cum is ergo iaceret ad aram & timore prope esset moriturus, hic vir diuinus zelo motus pro ecclesia, quam omnino videbat fuisse affectam contumelia ab illius legibus, ad id vocante occasione conscendens suggestum vt esset omnibus manifestus, eum opportune arguit & iussit præclaræ suæ legis facere periculum? Cur autem hoc faciebat vir sapientissimus? Simul quidem vt extolleret Dei iustitiam & leges prouidentiæ: & audaciam hominum frangeret arrogantiam: & vt illum in tempore admoneret quantum hominibus bonum sit clementia. Hæc non bonis ratiocinatoribus & qui eius spiritum non nouerant, videbantur extra tempus cecidisse: & importunus: proh dolor, existimabatur qui erat mitissimus: & accusabatur sæuitiæ qui erat omnium humanissimus. Id aũt erat omnino humanitas, & pro ea zelus vel opportunissimus vt cognoscerent qui erãt omnino duri & creduli animo & homines, vel ab humana victi infirmitate: & cum in fratrum delictis ignorarint benignitatem, eam discerent in suis. & cum dedicissent quidquid est inhumanum & immisericors, benigni & misericordes fierent per pœnitentiam. Sic ergo paulatim in nonnullorum animis non recte in eum versabatur odium. Sed de hac re quidem & de exilio quod omnem superat iniustitiam expectate paululum. Nunc autem quę id præcesserunt, & quæ nec sunt quidem prętermittenda, mandet auribus oratio.

Sanctum virum eo tempore res quædam afficiebat molestia: & igne zeli implebat eius animam. Etenim permissum erat Arrianis intra ciuitatem habere conciliabulum: quod quidem fuerat multis causa, vt eodẽ quo ipsi, laborarent morbo malæ opinionis. Opportunum itaque tempus nactus quando Imperator venit ad sacrum, festo eum ad id vocante: erat autem dies 22 Epiphaniorum. Dic mihi, inquit, ô Imperator, Si quis huic pulchræ & pretiosæ, ostendens coronam quam habebat in capite, quosdam abiectos & obscuros lapides inseruisset, videretur ne tibi hoc esse tolerandum: & non tanq̃ vniuersa per illos afficeretur contumelia, ægretulisses? Cùm is autem veritati sermonis annuisset, Quid vero, 22 *Festus dies Epiphaniorum.*

inquit,non existimas vniuersorum Regem irasci,si in pia ciuitate & quę omnino recte se habet,pars quę male sentit sinatur habitare. cum oporteat vel ab ipsis exigere vt conuertantur: vel si perseuerẽt,protinus expellere? Hæc cum audiisset Imperator, non distulit nec est cunctatus: sed primos eorum statim accersiit,& ex eis scire voluit an in animum inducerent à fugienda desistere opinione,minatus exilium & bonorũ suorum priuationẽ iis qui non parerent. Cum aũt vidisset eos esse immedicabiles,minas deduxit ad effectum: & iussit eos expelli è ciuitate. Hoc effecit vt multi errorem dediscentes se rectę adiungerent opinioni, ꝙ nollent corporis sustinere afflictionem,animæ vitium eiicientes: & ꝙ laboriosum fugerent exilium,se improbi potius dogmatis laudabili exilio condẽnantes,et vtraq; recte fugientes. Quicunque autem fuerunt omnino incurabiles, ĳ perpetuo damnati exilio, versabantur extra regiam ciuitatem, suæ animæ morbo se oblectantes: & eum deponere, non autem habere, miserabiliter erubescentes.

Deinde cum tempus aliquod effluxisset, ab iis qui intra aulam Imperatoris eadem sentiebant latenter congregati, sic eis paulatim aperta dicendi libertate, ausi sunt illi in quibusdam diebus insignibus in quibus solent cœtus conuenire. ipsi quoque ingredi ciuitatem & cogi in porticibus, & libere quædam antiphona ipsi canere cantica, composita conuenienter eorum opinioni: & quod quæuis pia auris abhorruerit, paulatim processerunt eo impudentiæ, vt etiam Orthodoxis psallentibus exprobrarẽt homousion,& id execrandi in cantico ponerẽt. Vbi sunt,dicentes,qui tria vnam defendunt esse virtutem? Hæc cum audiisset ille magnus,eum pietatis zelus magis incendit. verebatur enim ne malum sic rursus loquẽdi libertatem assecutum, esset aliis causa exitĳ. Machinatur itaque virtus contra vitium: & cum ipse antiphona composuisset cantica, & dedisset populis canenda in matutino,effecit vt sic euanescerent inanes voces Hęreticorum. Quid deinde consequitur? Fuit accensa Hæreticis inuidia & ira agrestis. ex quà lis orta est. ex ea autem pugnæ, & præter eas plagæ. Deinde insidiæ. & postremo cædes ex vtrisq;. adeo vt unus quoque ex Eunuchis Imperatricis, nomine Bryson, fauens cantoribus Orthodoxis, in fronte fuerit percussus lapide. Quod quidem cum peruenisset ad aures Imperatoris, vetuit Hæreticis ne amplius hymnos publice facerent. Satius autem fuerit de antiphonis quoque canticis dicere,quisnam fuerit au-
23 ctor eorum inuentionis. Dicunt enim diuinum & Martyrem 23 Ignatium hoc tradidisse primum Antiochenis. non domi suæ & à se inuentum: sed diuiniori quadam visione, ut ille cũ Deo magnam habebat familiaritatem, acceptum. ut qui uiderit Angelos sic inter se contra psallentes, & hymnum offerentes adorandæ trinitati.

Aduerte quam sit antiquus Antiphonarum usus in Ecclesia.

Porro autem ex iis quæ de Ioanne traduntur hoc minime est prætermittendum. Dicitur enim & multorum sermone celebratur, ꝙ cum di-
24 uinum panem consecrans 24 extolleret, totus à Deo afflatus, Quid autem horum est incredibile in tam sancta anima? quibusdam signis videbat Dei spiritum ad dona proposita descendere. Cum autem unus ex ministris qui ei assistebant, in quandam mulierem ex iis quæ desuper solebant despicere,ò tuam omnia peruadentem ò maligne improbitatem,oculum coniecisset & eam curiose aspiceret, sic quidem magno Ioanni fuit

Nota hic duos Moris semper fuisse eleuari sanctum panem in missa. Et quod multi ex antiquis patrib⁹

depulsa visio sancti spiritus. Ille autem non ignorauit: sed ministrum quidem statim mouit è sua statione: ipse vero consueta visione ne sic quidem est frustratus. Deinde futuri quoque curam gerens. iussit velis superiora muniri tabulata. Quomodo autem iustum fuerit hoc quoque præterire, quod est quidem vnum ex iis quæ de eo dicuntur piæ vero animæ potest esse valde gratum & eam accendere ad hymum Creatoris? Sic autem habet.

in oblatione sacrorũ mysteriorum sensibilibus signis uidebãt Spiritum sanctũ ad dona proposita descẽdere.

ὑπουρεα. Superiora tabulata, in quibus sunt mulieres in ecclesia, separatæ à viris.

Vir erat quidam illo tempore, qui ipse quoque idem sentiebat cum Macedonistis, & habebat vxorem quæ eandem quam ipse habebat opinionem Eum magnus Ioannes sapienter & artificiose aggressus, sua lingua ceperat & adiunxerat ecclesiæ fidelium. Deinde ille rursus conabatur persuadere eius vxori vt eandem teneret sententiam. Mulier autem vt quæ esset mulier & attenderet magis falsum quam veritatem, dicebat se quidem eadem sentire quæ maritus: & ea quæ orthodoxi similiter atque ille tenere. cor autem minime habebat idem loquens quod lingua. nolens sicut prius cum marito errori, ita veritati postremo communicare. Cùm itaq; à quodam ex Pneumatomachis panis partem accepisset, eam quidem latenter credit ancillæ fidei, ad fidelium autem sacrum accedit cum marito præ se ferens se participem fore sanctificatorum. Deinde cum panem diuinum accepisset, eum quidem rursus latenter tradit ancillæ. eius vero loco accipit eum quem habuerat ab hæreticis. Postquem aũt eum ori admouit, ò stupẽdum miraculum, ò quàm aperta & expressa fuit imago mentis eorum qui dederant, vidit eum mutatum in naturam lapidis. Atq; ipsa quidem cum enuntiasset id quod factum fuerat & credidisset, ipsa quoque fit è numero piorum. Lapis autem reponitur in quadam domo ex iis quæ sacra seruant.

Aggreditur nunc oratio, res Gainæ quemadmodum se habeant, tradere auribus fidelium. qui erat quidem genere Gallus, nihilominus autem mente quoque barbarus. Cum esset vero Romanis subiectus, & relatus in numerum exercitus, & deinde paulatim progrediens, maiores gradus esset assecutus, postremo creatur etiam Dux exercitus Romanorum, tam equestrium inquam copiarum quàm pedestrium. Is cum acriter defenderet opinionem Arrianorum, ausus est ab Imperatore petere vnum templum iis qui erant eiusdem cuius ipse opinionis, ex iis templis quæ erant in ciuitate. Arcadius ergo protinus, ille enim tunc tenebat sceptra imperij Romanorum, Dei homine accersito, rogabat vt petitio eius exaudiretur, eius virtutem illi reuocans in memoriam: & tacite significans tyrannidem quam ipsum videbat affectare. vt sic, aiebat, barbari mansuescat animus. Et sic quidem Imperator. Ille autem lingua plane aureus, statim ostendit se etiam habere aures quæ linguæ nihil crederent, & quæ possent iudicare quibusnam orationibus parere oporteat, & quibus non. Statim ergo renuit, diuini metus non oblitus & eius quam habebat dignitatis. & dicit se non esse id permissurum quodcunque acciderit. Quomodo enim sustinuerit qui non & à mente & à pietate procul discesserit, vt qui ingrediuntur rectum tramitem veritatis, & Christum defendunt esse vnum venerandæ illius trinitatis, amandentur extra sacra vestibula: ij autem qui se magnifice iactantem & audacem linguam in eum mouent, ij inquam, ò profanos pedes, intra domum illius introducantur? Sed

si quid eum veneris ò Imperator, cum tu mihi eum deduxeris in conspectum, omnem curam depone, ea solum quæ dicuntur auscultans. Ego.n. cum eo disserens persuadebo, ne ille velit ea à te petere quæ non est fas omnino præbere.

Lætatus est his auditis Imperator. & die sequenti cum simul etiam adesset vir diuinus, accedit quoque Gainas, ipse quidem sicut heri & nudius tertius petens ab Imperatore vnam ex sacris domibus. Ioannes aūt

25 dixit, non licere Imperatori 25 audere aliquid in rebus ecclesiasticis, si uelit omnino esse pius. Quid uerò, non mihi quoque, inquit, barbarus, vna ædes oratoria permittetur ad precandum. Nullum est templum, inquit magnus Ioannes, quod non tibi pateat: nec est quisquam te prohibiturus si uelis orare. Sed sum, inquit, alterius sectæ. & ideo uolo seorsum cum ea uersari in ecclesia. Non est mea petitio reprehendenda & quæ non iustam habeat occasionem. cum belli pericula quotidie adeam, & reipublicæ utilitatem vitæ meæ præferam. Sed habes ò optime, inquit sanctus, Laborum non minores remunerationes. siquidem es Dux exercitus, & consularem honorem es assecutus. Satius autem fuerit hoc quoque considerare, quam antea quidem esses obscurus et ignobilis, quantus uero sit nūc tuus splendor & quanta gloria. & quāta quidem esset antea paupertas, quantis autem nunc abundes diuitiis. Hoc te cogitantem oportet esse beneuolum, & non esse ingratum in imperium quod te sic honorauit, & nō ab eo petere quæ non licet. Cum adhæc nihil haberet Gainas quod apte responderet, prætulit silentium. vt qui pulchre re ipsa didicisset, se in uirum incidisse, qui non minus posset uersare linguam, quā ipse gladium. Admiratus est autem Imperator & qui aderant, quod tam paucis barbaricæ temeritatis refrenata fuisset loquacitas.

Nota miram sententiam. Non licere Imperatori audere aliquid in rebus Ecclesiasticis, si uelit omnino esse pius.

Cum autem aliquantum effluxisset temporis. Gainas quam iam *diu* parturiebat tyrannidem aperte edens in lucem in Thracia & Macedonia faciebat incursiones eas populares & prædas ex eis agens. Aduersus quē cum nemo auderet nec bellum fortiter suscipere, nec apud eum fungi legatione, generosa illa anima & diuino metu armata, neque timens priorem illius cum ipso contentionem, neque quidquam eorum quæ solent animū frangere & perterrere, ad eum statuit proficisci. homo in summa quiete educatus, & qui nullum vnquam tale viderat periculum nec talem perturbationem. Atque egreditur quidem valde alacri animo, ipse legatione functurus pro omnibus. Cum vero iam accederet, ambularet autem terrā intuens, gestu quidem graui & honesto, incessu vero tardo & tranquillo, manifesta virtutis vestigia in vultu significans, Barbarus hoc aspiciens, non amplius erat barbarus: sed statim & iram remisit & placide aspexit. tumore animi ei quodammodo compresso tam moderato & tranquillo spectaculo. Quinetiam eum quoque inuasit timor, recordatum illius dicendi libertatis, & qui perterreri minime potest spiritus, & verborum quę vires habent ex veritate, & quæ valde possunt animum sauciare. Propterea ergo ei processit obuiam & ad pedes procidit: & assumens eius dexteram, imponebat oculis tanquam sanctificaturam. Prætérea autem filios quoque fecit procedere ante sanctos eius pedes. Deinde cum verba & valde suauem audiisset admonitionem, facile persuadetur. & sublatis inimicitiis fit Romanis sicut prius fœderatus & amicus. Ita sæpenumero

vene-

venerandus vultus, & opportunitas & prudentia orationis, quæ vis belli non potuit facile effecerunt. & visa est plus potuisse oratio quàm gladius. Sed nunc quidem sic victus à virtute & lingua Ioannis, depositis armis pacem est amplexus.

Non multo post autem illa valde dulcia & aurea verba, erant, vt cum diuina scriptura dicam, inaures aureæ in aure porci. & Aethiops quidem mutauit pellem. & felis crocoti oblita persecuta est ea quæ consueuerat. & ipse quoque priorem complectens improbitatem, rursus cum aliis obibat Thraciam res nouas moliens. donec in Romanorũ exercitum incidit cum aliis seditiosis. & sic malus ille male perit. Sed res quidẽ Gainæ sic se habuerunt. & hæc quidem diximus pauca ex multis, quantum satis fuerit ad significandam eius peruersitatem et magni illius viri virtutẽ. Similiter autem pro ecclesiasticis quoque regulis studium, & quem pro ipsis habebat zelum, singulatim quidem nemo potest explicare. Sed tamen hoc quoque paucis, quoad eius fieri, conabimur ostendere, tãquam vniuersam aquam fontis per modicum fluentum. Cũ enim Constantinopoli Asiani Episcopi numero vigintiduo cum hoc magno Pontifice considerent, repente vno sabbatorum Episcopus quidam Valentinopolis, nomine Eusebius, ex odio ad illum accedens, porrexit libellos Synodo, qui erant aduersus Antoninum qui tũc Ephesinam sedem administrabat. Deinde etiã maximo sacramento adigit magnum Christi Põtificem, ea quæ data fuerant non leuiter & in transitu tractaturum: sed ad examinationem quam primum deducturum. Septem autem capitibus comprehensa erat tota accusatio. Sic autem habebat.

Sacris vasis pretiosis transmutatis, eorum materia vsum esse ad vasa 1
quæ eius & filij sui fuerunt nuncupata. Marmor rursus accepisse ex aditu 2
baptisterij, & audaci manu & mente in balneo suo deposuisse. Columnas 3
quæ longo ante tempore intra templum fuerant repositæ, in suo collocasse triclinio. Suum filium cędis reum, nõ diuina nec humana reueritum, 4
eum sua nimia auctoritate cõseruare adhuc immotum in diaconatu. Prędia, inquit, à Basilina, quæ erat mater Iuliani abominandi Imperatoris, 5
ecclesiæ consecrata vendidisse, & pretium sibi vsurpasse. Cum vxori suæ 6
sponte prius renunciasset, cum ea rursus coiuisse, & ex ea filios suscepisse. 7
His omnibus malis accedebat hæc coronis, quod tanquam sit licitum & permissum, auro vendat Episcoporum ordinationes, adeo vt maiores fiant qui plus præbent pecuniæ. Adhæc homo Dei placide admodum & tranquille, Frater, inquit, Eusebi, Iis quæ propter animi dolorem fiunt accusationibus maxima ex parte non sunt faciles probationes. Mittamus ergo in scriptis accusare Antoninum, cum doloris causas posśimus curare facilius. Cum is autem repente verbis vteretur acrioribus: & impudentisśime affirmaret se nulla animi perturbatione motum, sed veritate omnia accusare, dat beatus Ioannes locum iræ, arbitratus inimicitias esse causam accusationis. & cum Paulum. Heracleæ Episcopum, videbatur enim is bene velle Antonino, rogasset vt inter vtrũque pacem conciliaret, surgens ingressus est in templum. tempus enim vocabat celebrandi diuini mysterij. Sed hæc ne minimum quidem placebant Eusebio. neque cessabat ab inimicitiis: sed vehementer inuehebatur in Antoninum: & magno in eum ferebatur impetu. Incertum autem quomodo fuisset in eum mo-

tus, & quonam animi motu fuisset incitatus. Itaque accedens, alterum magno Ioanni tradit libellum, cuius erat eadem cum priori sententia. Pręterea autem rursus quoque horrendis adigit sacramentis. ipsam etiam adiungens salutem Imperatorum. non hoc quidem Episcopaliter sed fortasse ciuiliter, ne id præteriret citra examinationem.

Cum ergo vidisset illius impetum minime posse cohiberi: & eam rem ad omnium aures iam peruenisse, alios quidem iubet diuina dona offerre, non iudicãs esse sanctum, cum aures incubuerint in talium rerum cogitationem, assistere sanctificatis. Ipse autem libello in manus sumpto egreditur. Deinde tanquam volens Eusebij impetum reprimere. Ne existimes, inquit, postquam lecta fuerint ea quæ sunt in manibus, & tradita auribus omnium, te facile posse effugere eorum probationem. Neque enim nos eũ qui potest probare arcemus: neque eum qui non potest vi trahimus. Cum ille autem acerrime instaret & vrgeret vt statim legeretur, præbuit legendum. Cum vero omnia visa essent grauia, ij ex Episcopis qui erant ætate prouectiores, ab eo quod eis iudicatum fuerat esse deterius, id autem erat venditio ordinationum, statuerunt esse faciendam examinationem. Sic enim dicebant sibi facilem & breuem futuram esse diiudicationem. Si enim ostensum fuerit hoc esse verum, superuacaneũ fuerit alia examinare. Qui enim sancti spiritus gratiam non est veritus venalem proponere, is vix pretiosis vasis aut lapidibus aut prædiis ecclesiæ pepercerit. Hæc sancto quoque visa sunt. Cum ergo interrogatus is qui accusabatur negaret: & qui aurum insimulabantur præbuisse, ipsi quoque se dedisse inficiarentur, sic mansit & producta est quæstio vsque ad diem iam inclinantem.

Cum ergo quæ mota fuerant solui aliter non liceret, nisi testes producerētur, quibus præsentibus datum fuit & acceptum, quoniam accusator quidem dicebat esse sed non adesse neque in ea versari regione, intuens beatus ad difficultatem inuentionis & considerans quam arduum futurum esset opus & quam multorum dierum, productio testium, ò Apostolicã illam animam, & quæ propter socordiam nihil omittebat eorum quæ erant necessaria, statuit ipse venire in Asiam: & ea quæ mouebantur suæ ipsius fidei credidit examinanda. in corpore tam liquefacto & immensis laboribus confecto, tantam afflictionem subire constituens propter negotia ecclesiastica. Antoninus autem cũ animaduertisset nõ recte ei cessurũ Ioannis, in Asiam aduentum. Sciebat enim quomodo se ipsum plane esse reum, ita illum posse aperte omnia cõuincere, persuadet Imperatori quodam ex magnis viri adiutore ad hoc vsus, cuius agrorum ipse curam susceperat, vt sisteretur Ioanni exitus, prætextu Gainæ tyrannidis quæ adhuc conturbabat. propter quam causam necessariam esse eius pręsentiam. Et sic quidem arcetur beatus ille à suo exeundi proposito. sed ne sic quidem desistit à perscrutatione eorum quæ dicta sunt. sed adscito vno ex illis viginti duobus Asianis Episcopis qui erant in synodo, & tribus ex iis qui erant apud se Metropolitanis, eos mittit in Asiam, quæsituros de Eusebio & de eo quem ipse accusabat Antonino. cũ hoc aperte dixisset & in actis posuisset, vt qui non ad locum pręstitutum intra duos menses peruenisset, cum iis quæ vterque habebat ad sua confirmanda, esset excommunicatus.

Cum ergo qui erant iudicaturi essent in regione, qui iudicio contẽdebãt

priusquam venissent in iudiciũ, cum inter se dedissent, alter quidẽ aurum, alter verò iusiurandum & se effecturum vt bono esset animo, dilatione temporis cogitabant iudices fallere. Nam cum accusatori visum esset tẽpus producere, & sic eis afferre tædium, maxime cum eis anni tempus posset satis magnam afferre molestiam, erat enim ętatis calor vehementissimus, dixit se non posse producere testes intra quadraginta dies. Cum sic dixisset, ipse quidem productionem testium nihili faciens, venit Constãtinopolim. Iudices autem cum præter quadraginta alios õn pauciores ꝙ triginta expectassent, neque adesset vllus eorum quos sperabant, sed res esset fraus manifesta, Eusebium quidem, scribentes ad eos qui vbique sunt in Asia Episcopos, denunciant excommunicatum. Ipsi autem post hæc ad sanctum reuerti decreuerũt. Quo in loco cum in Eusebium incidissent, accusabant ꝙ pactis conuentis non stetisset. Ille vero causatus corporis valetudinem, adhuc pollicebatur se esse testes producturum. ludens ille in iis in quibus non est ludendum, & nec manum reueritus quam graui affecerat iniuria, & quam habebat consciam eius improbitatis. Sed interim, proh dolor, Antoninus excedit ex hac vita. & sic quidem præsens effugit iudicium quomodocunque potuit: futurum autem omnino expectat & quod non potest circũueniri. Quid post hæc est consecutum?

Litteræ mittuntur ad sanctum, quæ etiam erant preces ex Asia communes, tum omnium Episcoporum, tum etiam Presbyterorum, qui etiã eum rogabant & ei valde supplicabant, ne eum quidem in scriptis parcentes adiurare, quo suam vehementiorem redderent petitionem. vt ad eos veniret, excogitaturus aliquod remedium eorum ecclesiis, quæ & ab iis qui partes sequuntur Arrij, & ab iis qui plura habendi tenentur cupiditate, pessime diuexantur. Dei itaque homo & pastor bonus, non corporis imbecillitatem, non viæ longitudinem, non hyemis difficultatem, erat enim tunc eius tempus. non aliquid aliud reputans ac formidans, violẽta illa & acerrima propter Christum anima, sed hæc omnia parua & nihili ducens pro cura ecclesiarum, nauem conscendens tribus diebus venit Apameam. Quo in loco Paulus quoque & Quirinus & Palladius Episcopi eum expectabant, eos enim statuerat secum ducere in peregrinationem. cum quibus pedibus sine mora iter conficiens, venit Ephesum. Oẽs ergo Lydorum & Phrygum, quinetiam Carum Episcopi, non pauciores ꝙ septuaginta, & quicunque ex Asiæ populo erant insignes, læti ocyus confluebant, vultum illum videre cupientes, in quo florebat magna virtutis gratia, & linguam audire cupientes, quæ pulchre & suauiter influebat in animas.

Simul autem aderat etiam ille Eusebius accusator Antonini, rogans vt absolueretur à segregatione, & vt admitteretur deinceps ad communionem. Cum Episcopi autem contradicerent, dicentes non oportere admittere calumniatorem, ipse dicit se non esse calumniatorem: sed affirmabat se & momento temporis testes esse producturum, & eos qui auro fuerant ordinati. Visum est itaque synodo, etiamsi è vita excessisset is qui pecuniam acceperat, satius tamen esse propter eos qui dederant, rem deduci ad examinationem. Productis itaque actis quæ iam fuerant composita, sistuntur quidem Episcopi qui accusabantur. sistuntur autem etiam testes consequenter, quibus notum erat arcanum nefariæ propter pecunias

factæ ordinationis. Atque primum quidem perfecta negatio eorum quæ obiiciebantur. & quod res esset aperta calumnia (ita enim dicebant ij qui accusabantur) quæ nihil habebat sani nec firmi ex veritate. Cum autem probationibus eos testes assidue impeterent, eis loca & tempora reuocantes in memoriam, & quantitatem eorum quæ soluta fuerant: quinetiam species eorum quæ data sunt referrent. Cum hæc ita essent valida, reueriti illi apertam eorum quæ dicebantur veritatem: & deinde ineuitabilem iudicem pulsantem non ferentes conscientiam, persuadentur & fatentur rem vere ita se habere, subiungentes. Existimauimus talem esse consuetudinē. vt liberaremur, aiebant, à curia cui eramus obnoxij. Nunc autem si fas quidem sit vt simus ex ministris ecclesiæ: Sin minus, aurum saltem quod soluimus velitis nobis reddere. Nonnulli enim dicebant id quod solutum fuerat esse ex bonis vxorum. Adhæc magnus ille. Ego inquit, dabo operam vt vos à curia liberemini, pro ea re petitione oblata Imperatori. Vobis autem curæ erit omnino, dixit conuersus ad synodum, vt eis conseruentur, ex Antonini scilicet hæredibus, ea quæ ipsi soluerunt. Protinus ergo decretum est vt aurum quidem illis redderetur: priuarentur autem sacerdotio. Hoc solum eis datū est vt altare ingressi participes essent sanctificatorum. Ne res longe pessima veniret in consuetudinem, vel sacerdotium quod Dei donum esse dicimus, esset venale pecuniis, & iudaice eius fieret cauponatio.

Cum hæc pluribus diebus canonice iudicassent, & scripta in acta retulissent, eorum loco constituunt in ecclesiis viros verbo & vita ornatos. Non hos autem solum qui erant sex numero, sed alios quoque totidem cum magnus ille inuenisset pecuniis inuasisse in ecclesias, eos ecclesiastica regula deposuit. Erat enim ille cum in cæteris quidem rebus ecclesiasticis cautus & diligens, tum in ordinationibus diligentissimus & accuratissimus, & diu producens examinationem. adeo vt qui coaptabantur, non solum essent puri, sed auaritia quoque superiores, & vt semel dicam, nulli affines reprehensioni. Cum autem esset adeo diligens & accuratus, adhuc tamen abundantiorem adhibens cautionem, muniebat eos qui ordinabantur, & eis suadebat, id quod recte dictum est ab Apostolo, vt nemini manus cito imponerent, neque alienis peccatis communicarent. Et hæc quidem ita se habebant.

Cum autem Antoninus, vt diximus è vita excessisset, in eius sedem magnus ille, ea autem erat Ephesus, ordinat Heraclidem, genere quidem Cyprium, suum autem Diaconum. Deinde cum multorum quidem vitam sermone expurgasset, multis vero Nauatianorum ecclesiis, & eorum qui dicuntur Tessarescedocatitæ, persuasisset à priori recedere opinione, & transire ad orthodoxam, & alia fecisset plurima & maxime Apostolica, dignaq; eius mente & lingua, ad vrbium reginam reuertitur ille aureus eratq; sicut prius orationum cœlesti nutrimento nutriens, & consuetorum operum curam gerens. Ea autem erant, cura viduarum defensio orphanorum eorum qui erant neglecti & iniuriis facile petebant auxiliū. & quod erat omnium maximum, vitæ deductio ad virtutem & cura animarum. ad quod egregia illa lingua non tanquam minutas roris guttas verba emittens, sed totos fontes apte & numerosæ effundens, populum incitabat. Verumenimuero cum tam pulchre se haberet ecclesia & in ma-

gna ageret tranquillitate, grauis irruens procella magnos ei fluctus excitauit. Nam cum ille homo Dei & vitiorum animæ medicus artificiosissimus & alia quidem studeret magnopere curare: maxime autem pessimum & illiberalissimum, & aliorum omnium fere vitiorum causam, nempe auaritiam, & in eam quotidie vehementer inueheretur, non æquo animo tulerunt qui huic vitio seruiebant, suam et solius plagam eam rem esse vnusquisq; existimans. etiamsi ille nõ vllam personam priuatim perstringeret, sed communiter & obscure inferret reprehensionem.

Prima autem ex aliis, & prima ex iis qui eius amore tenebantur, Eudoxia, quam ex auditu quidem omnes scitis, cum esset, ò dedecus, pecuniæ ancilla Imperatrix. Sed enim re uera magnas ad feriendum vires habet conscientia. cum etiamsi nullus alius moueat, ipse quidem vnusquisque per se, non possimus ferre illius plagas. Hæc ergo tam misere affecta, communes illas reprehensiones, sui esse solius vt iam diximus, & non alicuius alterius, esse existimabat. Accidit autem aliquid eiusmodi, quod ei materiam præbuit vlciscendi. eum qui reprehendebat. Id vero sic habebat. Erat vir quidam Constantinopoli nomine Theodericus, dignitate Patricius, diuitiis autem valde abundans. Eius ergo diuitias illa liberalibus oculis non intuens, easq; suas facere valde cupiens, quærebat modum per quem posset assequi quod desiderabat Cum ea autem dubia esset animi, ille enim nullam dabat ansam, quid facit? Publicandi quidem eius bona capit consilium: sed cum hoc studeret facere non aperte, significat ei qui possidebat. Cum communi, inquit, dare possis mutuas pecunias, ne differas, quod propter multas, inquit, causas eis nunc opus habet. Ille autem non ad id solum quod dicebatur, sed ad id etiam quod prætexebatur intuens, & intelligens eam velle ipsum priuare bonis, quærebat aliquem qui susciperet eius defensionem. Is autem quisnam esset alius nisi homo Dei. Ad quem quidem cum protinus accessisset, eum nequaq; suæ spei pœnituit. neque enim eum inuenit solum socium curarum sed promptissimum etiam curatorem. Ille nãque nihil cunctatus scribit ad ipsam quomodo oportebat, & quæ scopus requirebat propositus. Ipsa autem statim mota iis quæ scripta fuerant, statuit abstinere & desinere eum afficere molestia.

Cũ res ergo ei tam leniter processisset, dixit ei sanctus Si Imperatrix fecisset quod animo agitabat, ipse & bonis esses priuatus, & Deo nullam habuisses gratiam. Cum autem ipse obstiterit iis quæ cogitabat, quid est consequens nisi vt non videamur omnino esse ingrati & immemores accepti beneficij? Cùm sic dixisset sanctus, is ita illum cepit, vt omnes diuitias, iis solis exceptis quibus ipse & filij viuerent, consecrarit pandocheo ecclesiæ. Hæc cum ad Eudoxiæ venissent notitiam, eius animum vehementer sauciarunt. Cum ex præsentibus certe coniecisset, q & quæ prius scripta fuerant, et magna cura quam gerebat Theodorichi, ex auaritia potius existerent quam ex humanitate, & q vellet fieri Dominus pecuniæ, significat sancto quæ in animo habebat: & acri spiritu ei exprobrat q accepisset pecunias, dicens. Oportebat te omnino sicut nos abstinere ab iis quæ pertinebant ad Theodorichum. Eam enim grauiter versabat & conturbabat cupiditas pecuniæ. magnaq; ducebatur pœnitẽtia, q eorum quę scripta fuerant cedens reuerentiæ, tam magnas non esset as-

secuta diuitias. Cùm hæc autem audiisset beatus, ei litteris significauit ea quæ par erat eum qui veritatis curam simul gerit & pietatis. Sic autem habebant ea quæ ad ipsam scripta sunt.

» Existimo ò pia filia te non ignorare, ꝙ si ipse voluissem habere pecu-
» nias, nihil mihi obstitisset. Habui enim parentes qui & multum poterant
» & multa possidebant. sed diuitias lubens cessi egentibus, existimans eas
» esse rem non dignam in quam meam curam conferrem. Quomodo ergo
» quas & ipse magno studio deposui, & quas omnibus communiter con-
» sulo despicere, eas nunc non erubui videri concupiscere? Pecunias autem
» Theodorichus mihi quidem non præbuit. sed nec ipso præbente ipse ac-
» cepi. Christo vero fœneratus est eas prębens pauperibus ille quidem recte
» faciens & sibi vtiliter. illinc enim multiplices habebit remunerationes.
» Si autem tuus sit scopus hæc Christo auferre, nos quidem nullo damno
» afficies: nec ideo nos vlla afficies molestia. sed Christum potius cuius eæ
» sunt: & illi curæ erit earum ablatio. Hoc Eudoxiæ existit primum semen concepti in eum odij. hinc paulatim in illum furorem parturiit, habens multos quoque alios qui iram accendebant, & inimicitiis eius opem ferebant. Quòd autem ille periculi nullam ducebat rationem, & in se irritãdi crabrones, & mouendi eos qui ipsum essent lœsuri, in iis in quibus aliquid negligere, erat Deum ad iram prouocare & excidere ab eius beneuolentia, iam est tempus docere. imo vero qũo ira in eum eruperit ab iis qui oderũt reprehendi, & quos auertere est difficile, vt qui lubenter, vt dr̄, se affricant.

Mulier quædam vidua nomine Callitrope, habitans Alexandriam, defertur ad Paulacium Ducem exercitus, qui tunc quidem Alexandriæ Augustalem administrabat magistratum: pecunie vero magno amore tenebatur. Defertur autem ꝙ illa abundaret pecuniis & esset valde diues. & ideo quingenti aurei à misera exiguntur. quos non vt quæ posset dare, sed vt quæ magno metu afficeretur, illi dat sitienti, omnibus bonis suis datis pignori, ab iis qui habebant mutuata. Cum autem duo anni præteriissent, finemq́ eius accepisset magistratus, & ageret ipse in vrbe Regia, & ab eo exigeretur ratio suæ administrationis, mulier quæ inuenerat tempus eam adiuuans, ascendit e uestigio, & accedit ad Imperatorem, in eum qui iniuriam fecerat vociferans, & iniustam annunciãs ablationem. Cum vero causa fuisset commissa Præfecto prætorio, & Imperator iussisset reddi mulieri quod nõ fuerat recte ablatum, ille siue personas peccatorum acciperet vt dicit diuina scriptura, siue non recte se gereret manus neque liberaliter, male effecit viduam: & non vindicem sed aduersarium potius se præbuit iudicem. Cum ergo ab eo mulier desperasset auxilium, accedit ad Imperatricem. mulier à muliere, quæ male affecta fuerat, ab ea quæ poterat opem ferre, se consecuturam esse misericordiam vt par erat iudicans. Eudoxia ergo vt quæ inuenisset venandi occasionem, & mustela, vt dicitur, odorata fuisset pinguedinem, c̃p primum accersit eum qui fecerat iniuriam. Deinde cum quæ viduæ fecisset ei dixisset, & eum esse iniustum arguisset, eum quidem multat centum libris auri. triginta sex autem solis numismatibus datis Callitropæ, iussit esse contentam. Hæc auara illa & illiberalis, & auro viuens, & aurum omnia videns sicut Midas ille in fabulis. aurum noctu & interdiu visione apprehendens. cuius in manibus iniquitas, vt dicit beatus Dauid. & dextera plena iniustitiæ.

Quid ergo miserabilis illa vidua & reuera calamitosissima, quæ talia quidem passa fuerat ab ea à qua non debebat, vt à qua sperasset potius defensionem? Ipsa ergo cum omnem spem abiecisset, vno vtitur refugio communi illo viduarum defensore. Cui cum rem renunciasset: & qualia pateretur à fœneratoribus: & quod sit vsuris omnino opprimenda. Hæc dicens, & lachrymas quæ ad persuadendum magnam vim habent effundens, euocat ad misericordiam eum qui ad ipsam erat propensissimus: & qui non minus erat promptus ad eos defendendos qui passi fuerant iniuriam, quam Eudoxia ad faciendum. Quamobrem nec ei quidem licebat cunctari: sed protinus quidem accersit eũ qui læserat. forti autem & generoso animo ei exprobrat & arguit iniustitiam. & aurum ab eo requirit. non quomodo Eudoxia, suum morbum non autem alienam plagam curans: sed libera & quæ odio malos habet mente mulierem defendens. Cum is autem adduceret multam centum librarum quibus eum multauerat Imperatrix & sic non reddendæ rationis quæreret subterfugium, beatus, Pro delictis, inquit, publicis facta est illa exactio. Tu vero non aliter effugies, nisi mulieri quingenta prius numeraueris. Cum primum autem hoc venisset ad aures Eudoxię, illa mittit ad illum magnum, iubens eum qui detinebatur absolui à crimine, vt qui se satis defendisset. Ille verò leonis pellem statim induens, Imo verò non dimittam, inquit, quoniam nec iustum est, ô Dei leges & pręcepta, cum ante nostros oculos sit ea quę fuit affecta iniuria, eaque mulier externa & vidua, quæ lachrymis operit, ait Malachias, altare Domini, indigens eo qui sit opem laturus. Quænam autem sunt Deo tantæ curæ quantæ hæc? Quod si me iubes eum dimittere, at tu redde mulieri debitum ex iis quæ illius prætextu abstulisti amplius. Hæc quidem magnus ille.

Cum autem illa semel & bis misisset, neque quidquam proficeret, cum ipse minoris faceret homines quam Deum offendere: & cognouisset rem sibi esse cum homine qui non cedebat temporibus, minas non formidabat, nec timebat ab vlla excidere rectione, quæ quidem sunt magna ex parte terriculamenta iis qui sunt parui & abiecti animi: sed constanti & generoso spiritu fortiter vsque ad mortẽ resistebat peccato, & magis cauebat male facere quam pati. Cum, inquam, cognouisset cum eiusmodi viro rem esse sibi futuram, ira plena, videbatur enim minime ferendum, vt quæ multos superabat, videretur vno longè inferior (est enim eiusmodi res mulier, nẽpe leuis & quæ facile mouetur, & plane inanis gloriæ ludibrium) iubet ex templo. & duo quidam Centuriones, eos sequente quæ sub eis erat manu, quamprimum mittuntur. quibus fuerat imperatum statim templum ingredi: & eum qui detinebatur vi illinc eripere. Et sic quidem Eudoxia: ignorabat autem se ea aggredi quæ fieri non poterant, & bellum aduersus Deum suscipere. Nam cum illi venissent, & iam essent in foribus, & irrupturi essent, ô diuinum spectaculum, ô rem plane nouam, vident Dei angelum specie admirabilem, forma terribilem, qui strinxerat rhomphæã, & horribiliter arcebat ab ingressu. Hoc illi malum cum vidissent, metu repletæ fuerunt illis animæ. & protinus nihil amplius facere decreuerunt. sed quamprimum reuersi ad eam quæ miserat, stupendum hoc spectaculum cum stupore narrarunt. Illa autem stupuit quidem ipsa quoque cum audiisset, & de suo cepto aliquid remisit protinus. Solet enim quod mentis

leuitate celeriter suscipitur, celeritate quoque simili excidere. Deinde paulopost ad scopum priorem reuertitur. & Frumētio quodā ad eum misso, neque enim tam esse negligentem sinebat amor pecuniæ, iussit persuasione potius aggredi propositum. Magnus autem minime parens eius blanditiis, dixit. Nō ꝙ delecter litibus, neque ꝙ Imperatrici resistere statuerim, vobis, videar esse supra modū contentiosus, non per sacras leges & diuina eorum qui prçcesserunt dogmata & disciplinas: sed simul quidem iniuria affectā defendens viduam & quæ omni egebat auxilio, & Imperatricis animæ salutem procurans, sic videar contra dicere.

Cum sanctus talem dedisset responsionem, & ostendisset se nihil esse cessurum, qui autem fecerat iniuriam vidisset omnem spem esse sibi irritam, & Imperatricis quam somniabat opem nihil habere momenti, & esse plane ficulneum, vt dicitur, auxilium, domum mittens aurum ex se soluit mulieri: & sic liberatur ab obligatione. Paulopost autem Eudoxia, quærebat enim faciendi quæ vellet libertatem, seu bene seu secus se haberent, & neminem esse qui contradiceret, mittens ad sanctum, & partim quidem minis, partim autem blanditiis eum aggrediens, suadet vt desinat velle ei resistere, dicens. Sed oporteret te esse contētum ecclesiasticis: ciuilia vero omnino non subire, sed eis cedere Imperatoribus: quomodo ipsi tibi rursus ecclesiasticis: cessare autem contra me conciones habere in ecclesiis. Nam ego quidem huc vsque te obseruaui vt patrem, & paternum, vt sciunt omnes, honorem tibi tribui. Tu autem nisi de cætero in nos fueris melior, scias me non esse toleraturā. His magnus Ioannes magna affectus tristitia, videbat enim cor eius parturire iniustitiam, & laborem improbe cōcipere, & iniquitatem, vt dicit diuinus Dauid, parere, dixit iis qui missi fuerant. Iubet me abscedere à rebus ciuilibus. Tm̄ autem abest vt res attingam mundanas & ciuiles, vt sim ab eis tam alienus quā ij qui diu ante sunt mortui. remoti sunt à rebus quæ ad victum pertinent: Sed cum sim Episcopus & mihi commissa sit cura animarum, apertum scio esse periculum non arguere iniquitatem. Vereor enim ne de nobis quoque dicatur illud Osee. Celauerunt Sacerdotes uiam Domini, si nos cum iniuste aliquid admittatur, id feramus silentio. Sed eum quoque qui peccat, iubet rursus diuinus Paulus coram omnibus arguere. vt reliqui, inquit, timorē habeant. Nos autē nihil illam in ecclesiis, neque nominatim, neque aperte arguimus. Quocirca nobis temere succenset Imperatrix. Si autem oratio quæ inuehitur in eos qui sunt obnoxij auaritiæ & aliis vitiis, nonnullorū mordet conscientiam, non illi nos sed seipsos potius merito reprehendant.

Hæc & alia his similia cum audiissent ij qui missi fuerant, scriptis mādarunt quæ dicta fuerūt: & reuersi dixerunt se nihil efficere, conantes in cœlum iaculari, & radere leonem, & aduersus stimulos calcitrare, nebulasq; cædere, & tumulo prædicare: & alia quæ dicuntur de iis quę non possunt fieri. Ille enim homo est metu superior & minis, & aduersus ipsam quoq; mortem erigitur. Vnum solum timet, nempe peccatum, & ne Deum per ipsum vel modicum offendat. Parua visa sunt hæc Eudoxiæ acriq; & effreni eius auri cupiditati. Quamobrem ab ira & furore non desistebat, sed apud se habitantem magis versabat iram, expectās tempus & occasionē eius qui ipsam despiciebat vlciscendi vsque ad satietatem. Cum ergo recte se haberet ecclesia, & ædificaretur in dies ad pietatem; & respublica rigaretur

retur quotidie ab eius lingua, & vitam quæ est ex Deo suauissime produceret, & enim cũ aliis malis hæc etiam quę erant vsitata & familiaria incepit contemnere. nempe equorũ cursus & theatra, cœtusq́; et orationes quæ nihil habebant vtile aut necessarium: & quod in ea ponebat studiũ, conuertit ad currendum ad ædes orationis & ad templa Domini. adeo vt inter se contenderent, quis veniret prior in templum Domini, & in eo versaretur diutius, & maiorem perciperet vtilitatem. Hæc quæ adeo pulchre & pie se habebant inuidiam magna afficiebant molestia. & ideo vehementem quidẽ & periculosam aduersus ecclesiam excitat tempestatem: grauem autem & profundam ei offundit noctem, magno illo, proh dolor, luminari, & sole animarum, procul ab ea amãdato & misso in exilium. Sed cupitis scire, sat scio, quosnam habuerit grauis inuidia qui celeres pedes ad hoc intulerunt.

Mouit quidem & alios ex Episcopis & Clericis, quorum animus erat aptus vt maligni susciperet semina, Qui fecerunt cõsilium, & non per me, hæc dicit Esaias differens in persona Domini: & pacta conuenta, & non per spiritũ meum. & nonnullos etiam qui erant ex ipsa aula Imperatoris. Ne mulieres quidem se ab hoc iniquo cœtu abstinuerunt: sed eæ quoque maligno fuerunt pars germana. Erãt quædam mulieres quæ mundo delectabantur & erant obnoxiæ vitiis. Quæ quidem q̃ ab illius lingua sauciatæ fuerant, in eum vehementes concipiunt & effundunt spiritus. Quos autẽ habuit acriores aliјs aduersarios, ĳ fuerunt Alexandriæ Theophilus: Berrhæę Acacius: Seuerianus Gabalorum: & Antiochus Ptolemaidis. Præter hos duos Presbyteri & quinque Diaconi simul eruperunt. Cercopum improbum quendam cœtum eos dixerit quispiam, aut viros sanguinum & fraudis, vt è diuina scriptura aliquid dicatur potius. Sed satius fortasse fuerit ostendere vndenam bellum cœperit in ecclesia.

Erat Alexandrię Presbyter quidã nomine Petrus, qui in Presbyteratu suæ ecclesiæ primas partes obtinuerat. Is cum nescio quomodo in odium venisset Theophilo quoniam ad machinandum aliquid & struendam calumniam, erat eorum qui ex toto seculo fuerunt ingeniosissimus, non parua labe per fraudem eum aspergit nempe q̃ mulierem quandam hęresis Manichæorum, cum eam execrandam nondum repulisset opinionem, admisisset ad communionem. Eo autem asserente, & ipsam prius illam abiurasse opinionem, & admissam esse è sentẽtia eius qui nunc est accusatoris. tanquam hoc non sufficeret ad fidem faciendam, ab eo quoque adductus est testis Isidorus Pelusiota, vir & vita & dicendi facultate vnus ex præstantissimis, & præterea ab ipso quoque magno Athanasio relatus in numerum Presbyterorum. Atque ipse quidem tanquam ab Isidoro extrema affectus iniuria, & vt ab illo conuictus, propterea quod ostendisset veritatem, Petrum quidem præter rationem expellit è Sacerdotio non propter aliam causa nisi propter inimicitias. Deinde etiam quærebat occasionem, per quam suæ improbitatis trophæum ipsum quoque erigeret Isidorum. Quod etiam facit paulopost, aliunde ad iram incitatus. Hinc autem fuit commotus.

Isidoro dantur mille aurei à Theodote, q̃ fuit vxor Theodori pręfecti prætorio. Ea vero mandauit Isidoro, vt pauperibus q̃ erant Alexandriæ mulieribus emeret indumenta. Hoc Theophilo non communicatum, in

eum peperit iram minime tolerãdam. Causa autem erat, Ne si ille, inquit acceperit, consumat in lapides vt solet & in ædificia. Cum autem interrogatus Isidorus confessus esset, & dixisset se id fecisse quod volebat quæ dederat, tunc quidẽ nequaquam ostendit se fuisse iratum sed sub Plutonis, vt aiunt, galea celat iram. in cordis penetralibus Pontifex fouens æmulationem. Paulò post autem eam aperit. & grauissimã machinatus calumniam, Sciebat enim ille sicut prius diximus, optime dolos struere & machinari insidias, cum illam mandasset litteris, & ordinem deinde sacratum vocasset ad concionem, ipso præsente in quem erat adornata calumnia. Hanc, dixit, O Isidore, ostendens schedulam quam habebat in manibus, ante decem & octo annos cõtra te mihi traditam, quoniam in aliis occupatus victus fui ab obliuione, nunc rursus propter alia forte perscrutans, inueni. Agebat autem tunc Isidorus annum vitæ octogesimum, vir qui exercitatione & laboribus longis iam consenuerat: & ipsum habebat vultum nuncium virtutis, & qui eorum qui videbant animis poterat magnam afferre reuerentiam.

Cum ergo postquam hoc sic dixisset, peteret vt protinus de obiecto crimine causam diceret, id autem erat Sodomiticæ libidinis, Isidorus statim placide & vt se dignum erat. Esto, inquit, chartam tunc datam latuisse: quomodo non rursus processit is qui dedit? attamen si ne tunc quidem aderat, at nunc adsit: & ostendens quisnam ipse sit, dicat in nos. Cum ergo nihil haberet quo posset calũnia videri fide digna, quid facit? Quodam adolescente corrupto pecuniis, eum pulchre instruit ad sycophantiã. Deinde ille abiens rem matri communicat. Illa autem partim quidem Deum timens, partim autem suspectum quoque habens quod erat in præsentia iudicium, ne forte manifestum redderet id quod erat compositum, Isidoro rem significat: & ꝙ quindecim aureos accepisset eius filius. quos ei dicebat dedisse sororem Theophili, mercedem comparatæ in illum Sycophantiæ. Hæc cum audiisset quidem Isidorus, egit silentium, soli Deo relinquens vniuersum. vt qui laudes quidem celare potius didicisset, non autem vituperationes. Adolescens vero ratus sic sibi rem in tuto magis futuram, in diuinum templum accedens, confugit ad altare. Cum autem sic magis in dubium veniret Theophilus, abdicat, proh dolor, ob tam leuem calũniam Isidorum, & arcet ab ecclesia. Deinde ille cũ hoc pro lucro habuisset & id ex eius successisset sententia, dans nullam rei dilationẽ, venit ei in mentem ad montẽ Netrię proficisci. vbi prius ab ineunte ętate egerat pulchram vitam exercitationis. Illic ergo rursus vacabat cum Deo solo congrediens. Sed ne sic quidem ei concedebatur esse extra teli iactum: neque erat euitaturus Theophili laqueos, vel potius communis omnium hostis qui hæc mala Isidoro intulerat, eius virtuti inuidẽs: & Theophilo auctor fuit vt Deum offenderet, illum oppugnans per ea quę se offerebãt. Tunc enim mota erat questio in monasteriis quę erant in Aegypto. Vult autem oratio nobis rem paulo altius repetitam declarare.

Quęstio autem erat, cum alij quidem corpus Deũ esse dicerent, planeꝗ indutum figura & persona & forma hominis, ij scilicet qui erant paulo rudiores & crassiores. alij vero eum omnino ponerent incorporeum, ab omniꝗ similitudine & forma hominũ liberum. hoc autem dicebant qui erant doctiores & acutioris ingenij. In hãc vero sententia cũ esset Theo-

philus, eos qui Deum dicebant humanę formæ similem, non leuiter sed admodum vehementer abdicabat. Quod quidem cum compertum habuissent qui erant in Aegypto Monachi minus participes rationis, id in eos immisit tumultũ. & illum de medio tollere vt qui esset blasphemus, & non sanæ opinionis, putabant esse maximum Dei cultum. Ille autem callido inuento rem quæ aderat aggrediens, Sic ego, inquit, vos intueor tanquam Dei faciem, Hoc cum illi audiissent, represserunt quidem protinus illum cædis impetum: ei autem dixerunt. Si eadem quæ nos germane sentis, vnum tibi solum deest, nempe vt libros origenis subiicias anathemati, qui maxime Deum esse corpus & faciem habere homini similem, ne sinunt quidem in aures cadere. Ad hæc Theophilus. Quid autem, inquit, prohibet quominus hoc faciam, qui ab origine maxime dissideo, & cum eo acriter bellum gero? Hæc cum dixisset & esset pollicitus, iram sedauit Monachorum. Sic ille semper anceps, & facile ad vtrunque annuens, & se temporibus accomodans. cum oporteret eum vt qui esset Episcopus, & cui commissæ erant animæ populi, non vti figmento & scena ad decipiẽdum, & sic illos relinquere ægrotãtes: sed quam fieri posset optime distinguere & verbum veritatis recte administrare. & vtriq; parti componere seditionem. paterne docentem, sed non artificiose diuersum persuadentem, dicere ipsum quidem per se Deum esse incorporeum & figuræ expertem. corpus autem & faciem & formam humanam vnigenitum Dei verbum accepisse arcanis rationibus suæ benignitatis Deinde cum etiam rursus surrexisset post mortem pro nobis susceptã, in simili scilicet figura carnis humanæ, sic in cœlum esse assumptum. hoc enim esse summæ vnionis & ineffabilis in suum figmentum beneuolentiæ: & sic manere sedentem ad dexteram patris. Nondum euasit manifestum quod dictum est: sed alia luce adhuc indiget oratio ad aperte declarãdum id quod est propositum.

Erant quatuor Monachi fratres corporibus, fratres animis, Monachorum omniũ qui erant in Aegypto, & doctrina & vita longe excellentissimi. Eis erant nomina, Dioscorus & Ammonius, Eusebiusq; & alius Euthymius. quos etiam longos vocabant ob staturæ forte proceritatem. Hi non solum ab Alexandrinis plurimi fiebant ob mores & vitæ probitatẽ: sed Theophilo quoque erant chari, & in magno apud eum pretio habebantur. & eos amabat æque ac suos oculos, & in medio cordis sui habitabant. Hæc autem ita se habebant quandiu fuit ille Deo amicus. adeo vt persuasum Dioscorum, vix enim attrahit honorem virtus, constituerit Episcopum Hermopolis. Ammonium autem & Euthymium honorarit Sacerdotio: & eis tradiderit ecclesię administrationem. & fecerit Oeconomos. Cur non dico quod eius in ipsos maximam significat beneuolentiã? Elegit eos qui cum ipso habitarent & essent toto tempore vitæ ei conuictores. vt eos nec à corporis ab animæ oculis pateretur discedere. Sed hęc quidem quãdiu Theophilus erat, vt diximus, vere Theophilus, id est pius ac religiosus. Cum autem eum vidissent declinasse ad auaritiam, & magna ex parte aurum magis amare q̃ Deum, & vt pararet pecunias acerrimum ponere studium, tanquam noxiam recusantes cohabitationem, solet enim vitium mutare facillime, elegerunt solitudinem & illic vbi prius versari.

Hanc ille disiunctionis causam cum intellexisset esse sui condemnatio-

nē, valde ægretulit: ipsosq́ manibus & pedibus, vt dicitur, cœpit molestia afficere. primum quidem illos criminans apud Anthropo morphianos, dicebat eos conuenire cum origene & eandem quam ille tenere opinionē: & decernere Deum esse incorporeum. & ideo dicit oportere eos tanquam male sentientes, & quid aliud q̄ Hæreticos, expelli Deinde finitimis quoque iussit Episcopis, vt nonnullos Monachos qui eadem quæ ipsi sentiebant, & in ima habitabant solitudine cum non prius significasset cur hæc & quidnam fecerant, iubet è monte q̄primum deturbari præcipites. Monachi ergo ille fratres venientes Alexandriam cõuenerunt Theophilum: & causam rogarunt propter quam eos ille sic condemnasset. Ille autem protinus ira plenus & instar ignis micantibus oculis, natura enim subito mouebatur impetu, nec poterat vllo modo suis manibus temperare, Ammonij collum pallio comprehēdit: Deinde etiam suis pugnis eius maxillas contūdens, acclamat, Anathemati subiice origenem. Erat autem Origenes quidem plane Patroclus: & eadem quæ ille sentire, quæsitus prætextus. Vera autem causa aperte erat in illum & fratres odium. Sic extrema contumelia affectos, viros magno honore dignos & reuerentia, dimisit cum dedecore. Deinde vicinis cū nihil opus esset acersitis Episcopis, illos sanctos cum nec adessent nec suam causam defenderent, q̄ prauum & corruptum dogma tenerent criminatus, ipsos simul & diuinum Isidorum datos anathemati abdicat. Erat autem non extreme malum, neque sic vt non esset piæ & religiosæ animæ, si hactenus repressisset impetum. Ille verò minime. sed cum quosdam abiectos & nullius nominis homūculos quinque numero, alium aliunde ex tenebris & angulis quomodocunque coēgisset. & alium quidem ex his, propter defectum ciuitatis, in viculo constituisset Episcopum, in quo ne prius quidem erat nomen Episcopatus. alium autem presbyterum. alios verò Diaconos, eis tradit libellos aduersus diuinos hos viros compositos. quos ille, ò diuina iustitia & Dei omnia intuentes oculi, latenter composuit, iubens eos sibi dari quando concionabatur.

Acceptis ergo libellis quorum ille erat pater, cum processisset & Augustali eos communicasset, ab eo petit manum militarem. vt sanctos viros vt qui malam tenerent opinionem, procul à tota Ægypto expelleret. & accipit quidem ad quingentos. Cum autem ipse quoque manum non paruam adiecisset, viros audaces & ad nouandum aliquid egregios, & deinde etiam eorum impetus dato vino incitasset, vir ipse acerrimus & cuius impetus non poterat cohiberi, noctu ducit exercitum in Monachos, contendens erigere trophæum. Quod quidem nescio an vlli alij qui esset quidem Pontifex vel minimum conueniret. Alioqui autem si nulla alia de causa, & suæ quidem certe honestatis gratia à re tam vituperanda debebat abstinere. Aut enim pręcedentem quæ ei cum viris incercessit amicitiam, dixeris esse animi leuitatem quæ eligit ante probationē. aut quod postea exortum est odium, euidentem improbitatem. cui est etiam hoc magis adscribendum. Est enim virtus eorum manifesta, & eius qui illos oderat malignitas. Atque primum quidem Dioscorum expellit è sede per quosdam suos famulos Æthiopes. Oportebat enim illum vti talibus ministris. Deinde etiā tyrannice & per vim ei aufert suæ ecclesiæ diœcesim, & montem spoliat, tanq̄ Imperator quispiam electus & præfectus bello

gerendo

gerendo contra Monachos: & eorum domos deripit. tres illos miser diligenter perscrutans, Ammonium inquam cum aliis, quos ne Momus quidem reprehendisset, & qui erant omni ex parte fratres. Cùm autem non posset omnino inuenire, se enim ipsos in puteum demiserant, viros non assecutus vir pusilli & abiecti animi, se protinus conuertit ad materiam: & tanq̃ insaniæ nimiam ostentans abundantiam, in eam effundit iram. domos illorum & omnem suppellectilem, erant autem nonnulli quoq; libri studiosorum, omnia simul igni mandans.

Accidit huic improbo Imperatori aliud quoque facinus, quod omnino quidem illi satis congruit nec est eo indignum, & autem dignum nõ paucis lachrymis. Infans enim qui incidit et sacra quædam signa sacramentorum, ea quoque ab igne consumuntur. Cum vix tandem ab ira cessauisset, reuertitur Alexandriam Pontifex cum talibus victoriis. Illi autem vix tandem securi & à metu liberi, nudi exeunt è puteo, pudenda solum succincti linteis: & obibant simul Alexandriam fugitiui, præda quam nõ potuerat assequi Theophilus & illius insania, miserabile iis qui videbãt spectaculum, etiamsi virtute erant induti splendide, & ab illa pulchre ornati. Eos cum agnouissent Alexandrini, zelo & ira statim repleti, vt sunt acres & vehementes, lampades in manus sumẽtes, & Theophilum vbicunque eum esse putabant, publice circũsistentes, nonnulli quidem cœperunt incendere: alij autem bona diripere. Cum vero iam ad sacra vasa essent venturi, Præses timens periculum, accessit eos leniens, & humanitate eorum iram volens sedare. Illi autem magis efferebantur, Theophilum tanq̃ venatici quidam canes naribus indagantes, & vltricem in eum manum cupientes immittere. Atque Præsidi quidem suadebat metus eũ iam tradere, propter concitatam illam eorum qui ipsum quærebant incursionem. Sed ille cum solis pedibus sibi quæsiisset salutem, in quodam loco secreto se infodit, timidus repente apparens qui tanta erat audacia, & mus modo picem gustans. Deinde cum Præses accepisset Monachos & eos induisset vestibus, sic enim studebat populũ sedare sicut diximus, & impetus eorum reprimere, ostendebat præsentes. Cum autem nihil proficeret, timens ne ipse fieret iræ trophæum, & lueret pœnas furoris in Theophilum, accedens iurat Theophilum nequaquam ei ostendisse causam cur eos viros quæreret: sed dixisse q̃ essent corrupti in religione: & q̃ non satis ducerent si ipsi soli ægrotarent: sed alios etiam conarentur inducere ad suam communionem. Si enim sciuissem, inquit, quod animo agitabat, non modo non præbuissem milites: sed nec illum ipsum quidẽ siuissem egredi. Cum sic dixisset, vix tandem eis persuasit vt recederent. Postea autem Theophilus, cum & ipsum Præsidem & quidquid erat clarum & illustre in ciuitate, erat enim res pecuniaria eis in magnas adducta angustias, donis explesset ad satietatem, in suam sedem, quod vtinam non factum esset, restituitur.

Atque alij quidem ex his sanctis viris alibi sunt dispersi. Dioscorus autem, & plures alij ex melioribus, non solum ex Monachis sed etiam ex sacerdotibus, eum secuti, accedunt ad Siluanum Episcopum Hierosolymitanum. Sed ne sic quidem eos siuit quiescere illa omni tumultu plena semper anima. sed scribens ad Siluanum. Non oportebat, inquit, omnino præter meam voluntatem meos excipi fugitiuos. Ignorantiæ autem est

ignoſcendum, ſi deinceps iſti non eccleſiaſtici non priuati loci fuerint omnino apud te participes. Sic cum animo omni ex parte dubij & perplexi eſſent Monachi, neceſſario quod intercedebat itinere confecto, veniunt Conſtantinopolim: & ad bonum hunc, ad quem enim alium poſſent? paſtorem accedentes, qui erat lingua quidem dulcis, magna autem miſericordia animam habebant exhilaratam, rogabant vt eis ferret auxilium qui in malum virum inciderant, & ab eo ea paſsi ſunt mala quæ nullus fere homo ab homine: &, quid enim aliud, inquiunt, vel ipſam modo inuidet vitam? Hæc cùm attendiſſet vir beatus, & vidiſſet viros numero: quinquaginta, vultu moderatos, ſermone eruditos, magna membrorum maceratione latentem magnam oſtendentes virtutem, miſertus eſt eorum calamitatis. Quidni enim miſeretur ſic affectorum qui erat humaniſsimus? & quam domi habebat conſolationem, ante omnia eis prębuit lachrymas: & aperte oſtēdit ſe ex eorum malis ſimul cum eis dolorem accipere. Deinde cum quemadmodum res eorum ſe haberent didiciſſet, eos quidem habuit in honore, & iuſsit eos in præſentia manere in tēplo quod vocatur Anaſtaſiæ. iuſsit autem eos linguam continere & nemini cauſam aperire cur veniſſent: cōmunione vero eos non impertiit, dicens non oportere quouſque de eis ſcripſiſſet ad Theophilum.

Cum autem contigiſſet quoſdam ex familia Theophili adeſſe Conſtantinopoli, eos accerſitos interrogat, an cognoſcant eos qui nunc acceſſere Monachos. Illi autem dixerunt ſe & noſſe, & ſe ſcire eos eſſe grauiſſima paſſos à Theophilo. Ad ipſum ergo ſcribit ille vir magnus, & rogat vt his viris iraſci deſinat, eoſq́ accipiat, & eorum conſpectum admittat, qui nihil habet quod ei afferat triſtitiam. Ille autem ſimulat quidem ſe exaudiiſſe: ſed cor eius nequaquam conſentiebat cum labris. Accerſit enim illos circulatores quibus Epiſcopatum & ſacerdotium indigne crediderat: & eis traditis libellis quos ipſe aduerſus eos viros compoſuerat, mittit ad Imperatorem, in eos ementitus hæreſim & præſtigias, qui erat ipſe valde peruerſa & ementita conſcientia. Cum ergo his viris bonis eſſet euidēs, odium quod in ipſos conceperat Theophilus minime poſſe curari, illi præſentem neceſsitatem adhibentes in conſilium, magno Ioanni tradunt ſcripta, in quibus ſita erant multa Theophili facta minime honeſta. Ille autem eos quidem rurſus admonet vt eum nihil accuſent. ad ipſum vero ſcribit, conſulens vt eis quamprimum agnoſcat, vt qui iam vincantur & aduerſus eum dicere propoſitis ſcriptis ſint incitati. Quod ergo tibi videtur quāprimum ſignificetur. Non poſſunt enim perſuaderi vt à ſcopo deſiſtant. Atque ſic quidem ſe habebant litteræ. Eum autem protinus inuaſit furor, non in illos, ſed in eum potius qui curam gerebat vtriuſque. Ei enim dabat nimium reprehendendi ſtudium, vt aduerſus omnes contenderet. Protinus autem ſcribit in hunc modum. Exiſtimo te non ignorare quæ decreta fuerunt à Patribus Niceæ, qui pronuntiarunt non oportere Epiſcopum iudicare extra terminos ſuæ diœceſis. Si autem ignoras, inquit, diſce, & abſtine ab iis quæ ad me pertinent. Nam ſi iudicari oporteat, erit hoc apud Ægyptios non apud te qui à nobis abes tam longo interuallo.

Cum tam acerbe ſcriptæ eſſent litteræ, viri illi deſperantes ſe poſſe à magno Ioanne conſequi auxilium, à re dubia & cuius exitum non po-

terant inuenire vincũtur : & à necessitate qua nihil est fortius, vt aiunt, persuadentur, aduersus Theophilum aut calumniatores, nihil quidẽ falsi sicut ille, sed veros libellos componere. Eos autem accedẽtes tradunt Imperatori. Ab eo vero profertur sententia, Calũniatorum quidem causæ cognitionem & examinationem esse Præfectis mandandam. Theophilum autem, oportebat enim maiori mãdari iudicium eius qui erat maior vitio, vel inuitum sisti, & hoc magno viro Iudice reddere rationem. Litterę igitur Imperatorię, alię quidem statim missæ sunt ad Pręsidem Alexandrię, vt ad vrbem regiam q̃primum mitteret Theophilum. aliæ autem ad Episcopum Romanum, is erat Innocentius, præterea vero ad Honorium quoque fratrem Imperatoris, hortantes vt mitterentur Episcopi & legati qui dici solent τοποτηρηταὶ id est locũ tenentes. vt quæreretur de Theophilo & de Monachis Netriæ. Atque calumniatores quidem à Præfectis interrogati, quoniam fieri non poterat vt mendacium superaret veritatẽ, confessi sunt omnia esse Theophili: illiusq́ belluæ Aegyptiæ aduersus innocentes figmenta & machinationes. Condemnantur itaque coërceri in carcere donec ipse veneret. Theophilus autem cum eum vidisset qui ad ipsum missus fuerat, cui etiam imperatum fuerat vt vel inuitum duceret, quoniam non bonam spem ei prænunciabat iudicium conscientiæ, neque veritatis poterat habere auxilium, quã aduersus se ad bellum valde prouocauerat, vt qui se maxime adiunxisset mendacio, ad thesauros aspexit & ad crumenas, quę quidem sciebat delinire & incantare multorum animos. & quibus intelligebat magna ex parte prodere veritatem : & non solum persuaderi, sed etiam seruos effici, eos qui lucrum existimant melius libertate.

Cum magnis itaque muneribus & ipsius Præsidis dexteram ipse placasset, ei permittebatur manere securissime. Videtur enim verũ esse quod vulgo dicitur, nullum malum facile perire. Vt autem bene in eum affecti essent qui rerum potiebantur procurans, congestis aceruis Arabicorum aromatum & cæterorum quæ erant rara & peregrina, separat ad iter ineundum. Episcopi vero Romæ ad quos scriptum fuerat vt venirent, cum essent parati, expectabant vt mitterentur litteræ quæ instarent vt venirent. ne si ante tẽpus venissent, in externa regione diu frustra sederent. Dũ hæc autem fierent, falsa fama aures scalpens Theophili quæ erant faciles ad credendum, q̃ Ioannes Dioscorum admisisset ad communionem, eum ad insignem accendit insaniam. A mala enim conscientia omnino facile creditur malus rumor, vt quæ ex suis moribus aliorum quoque mores metiatur. Ascendit itaque Theophilus Constantinopolim, non tam vt suã componeret controuersiam, q̃ vt alij inureret labem & reprehensionem. Id autem erat, vt vlcisceretur quidem Dioscorum: Ioannem vero è sede deponeret. Verumenimuero hoc quidẽ prætextu, quod librorum origenis propositurus esset interdictionem, statuit secum assumere Ep̃os qui erant suæ diœcesis. Cum fuisset autem in Cypro, Deo charum Epiphanium. qui non solum vita sed doctrina quoque erat clarus, arte inducit ad amicitiam. & si antea ei esset inuisus & male audiret, vt qui cum Hæreticorum conueniret opinionibus. Cum eo ergo & cum Cypri episcopis faciẽs concilia, prohibuit lectionem librorum origenis.

Epiphanius autem prę magna omnino simplicitate & moribus à ma-

litia liberis, quæ intra eum qui apparebat habitum insidebat Theophili astutiam non congnoscens, persuadetur ad insignem illum scribere Ioannem, vt abstineat à libris origenis. Ille autem non hæc solum, sed alia etiã quę aduersus eum facile attendebantur parum curans, ex vno solo pendebat pro omnibus, nẽpe à spe in Deũ. Sed vt & illius zelus in res honestas appareret clarius: & eorũ qui in ipsum temere gerebant inimicitias nota esset improbitas, quædam res accidit quæ sufficit ad vtrunque ostendendum: & valde grata erit auribus quæ oderunt improbos. Vir quidam illustris in hac regia ciuitate, vita pius, fide religiosus, nomine Theognostus, is cum cuidam Arriano extitisset inuisus, per calumniam accusatur apud Imperatorem. & fit eius linguæ certamen non laudabile. Accusatio autem erat, ꝙ ipsum & Imperatricem clãculum maledictis insectaretur, & lingua calumniatrice in eum vteretur. Hinc factum est vt & vniuersa eius bona publicarentur, & miser damnaretur exilio. Atque ille quidem cum proficisceretur ad ciuitatem in quam fuerat relegatus, ea vero erat Thessalonica, iamq́ prope esset, abducitur ad eam quæ est longissime remota, & à qua non licet expectare reuocationem, suo vitæ fine accepto in itinere. Eius aũt vxor, quid.n. aliud nisi esset lapis, nisi ferrũ? afflicta et perdita concursu malorum innumerabiliũ. mariti priuatione. priuatione bonorum. tam graui eius qui simul habitabat exilio, non à domo solum sed etiam à vita separante, non poterat sedare luctum, nec vnquam cessabat à lachrymis. Vnum ergo ipsa quoque nouit solatium, nempe ad magnũ illum virum refugium. & cum accessisset & quomodo res suæ se haberẽt renunciasset, inuenit ipsum diuinum medicamentum dolorum suorum longe acerbissimorum, non verbis tantum medicans, sed factis vt oportebat curans indigentiam. Quantum enim satis erat frumenti ei tribuit ex xenodochio ecclesiæ. De cætero autem expectabatur tempus quo pro ipsa intercederet apud Imperatorem.

Sed quales sunt inuidiæ insultus, vitæq́ iniqui & graues casus? Nam cum illa à prioribus malis nondum respirasset, rursus opprimitur pondere alterius calamitatis, adeo vt vna quidem effunderetur vt aiunt, altera vero influeret. Sic autem se habebat. Tempus erat vindemiæ. Eudoxia vero ipsa quoque egressa è ciuitate, ambulabat in quodam agro Imperatoris, erat autem situs non procul à vinea viduæ. Cum autem hortum ex vinea viduæ sumpsisset Imperatrix, eo vsa est. Cum quidam autem dixisset vineam esse alienam Sed ipsa quoque, inquit Eudoxia, iam relata est in numerum agrorum imperatoris. hæc enim in vsu erat cousuetudo longe improbissima, auaritia ne an execranda adulatio hanc induxerit in certum, vt quæcunque agrum Imperator ascendisset & de eius fructu gustasset, is statim recenseretur inter agros Imperatoris. agri vero Dominus vel eum cum alio permutarent, vel iustum pretium assequeretur. Cum ipsa quoque hanc attendisset consuetudinem & maxime eius moribus conuenientem, & iudicaret esset imperij proprium, facere iniuriam, & non posse aliter ostendi quid ipsa posset, aufert agrum, simul etiam studens eam afficere molestiam. acceperat enim ipsam ad beatam illam animam confugisse: & illum è sede deponendi quærens occasionẽ: sciebat enim ipsum non esset toleraturum si venisset ad eius cognitionem, sed omni ratione ei opem esse laturum. Quid ergo consequitur? Ille quidem

dem ab hac miserabili vidua miserabiliter eiulante inflammatus visceribus, scribit ad Imperatricem mouens ad misericordiam, patrum pietatē reuocās in memoriam & Dei timorem: terribilisq́ tribunalis cogitatione commouens eius animam.

Sed incuruum lignum nunquam feceris rectum: nec asperum erinacium vnquam leuem reddideris: nec effeceris vt cācer rectus ingrediatur. Mala enim consuetudo cum apprehenderit animam facilem ad improbitatem, facile imprimitur & inuritur: neque vllam audit omnino rationem. sed vix fieri potest vt deleatur, vt quæ tantum possit quantum natura immutabilis. Ipsa ergo dura & graui corde, & quid aliud q̃ mala mulier, non solum nihil, non litteras, non ipsam eius qui scripserat reuerita est oīno dignitatem: sed visa est magnam acerbitatem celare in animo. Fuit enim hoc euidens ex iis quæ rescripsit, magnum Ioannem vocans insolentem & linguæ intemperantis: & qui eum quem par est honorem ei minime tribuit: & qui ignorat eas quæ late sunt leges. ex quibus dicebat hanc vnā esse admirabilem & longe iustissimam, quæ prodigioso quodammodo, agrum quem solum ingressi fuerint Imperatores, eum protinus facit illorum, etiamsi is fuerit peregrinus & plane alienus.

Hæc cum legisset homo Dei, non fuit retardatum eius prōptum animi studium, cum statim primum facto periculo non esset assecutus. neque quod suum erat à se esse censuit faciundum: aut aliquam attulit excusationem, interiecto tempore aliquo & dilatione, vt in rebus huiusmodi solet multis euenire, dum aut cedunt dubitantes, aut tempora reformidant. sed nihili faciēs quidquid posset arcere eius impetū, vt qui paratus esset toto pede currere, ille ipse accedit ad Imperatricem: & cum multa dixisset, & omnem lapidem, vt aiūt, mouisset eam autem vidisset minime cedere, sed improbam hanc consuetudinem, tanquam inexpugnabilem & immobilem aliquam legem proferre, opus habet austeriore medicamento propter morbi repugnantiam. Redde ergo, inquit, mulieri quod suum est. Quid enim te vxori Achab studuisti comparare? Hæc postquam audiuit Eudoxia, ira magna incensa ignem spirabat: & veluti semi insana & emotæ mentis, ne poterat quidem omnino cōtineri: sed clamabat & domum implebat vociferatione, dicens. Ego me vlciscar: nec diu patiar me tanquam infamem fœminam affici contumelia. Viduę autem non modo vinea, sed nec pro pretio quidem ei quidquam omnino soluetur. Sic magnus Ioannes reuersus è regia præcipit templi ianitoribus, vt si accessisset Eudoxia, ei 26 fores protinus obserarent neque eam ingredi sinerent. **26**

Parum temporis intercessit, & aderat dies festus quo diuinæ crucis lignum in altum tollitur. Vniuersus itaque populus confluebat in templū: neque vllum genus aut vlla ætas aberat. Neque enim dies festus solum eis causa erat vt venirent: sed multo magis linguæ Ioannis auditio. Omnibus enim iniecerat tam vehemens audiendarum orationum suarum desiderium, vt sępe cum concionaretur, essent à Deo afflati auditores, & ab eius lingua quodammodo penderent: eisq́ sublime tollerentur simul animę & corpora: eiusq́ attenderent labra quæ mouebantur, non tanquā dicentis, sed emittentis quid poculentum nectareumq́ & perspicuum. Ea de causa studio erat omnibus ne abesset quisquam ab auscultatione: quinetiam vt ipsa quoque verba non semel audita negligerent: sed omni studio

Vide magni animi Episcopum, interdicit ingressum Eccle. Imperatrici.

ea per veloces scriptores exciperent, & tanq̃ thesaurum reponerent. Cum ergo hæc ita se haberent, & Imperatrix veniret cum omnibus cum magno comitatu & cum fastu regio, Ianitores steterunt in foribus & fecerũt id quod eis fuerat imperatum. Quod quidem ferens egerrime Eudoxia, cœlum terræ miscebat: & valde vociferabatur: & populum qui aderat vocabat in testimonium vt conscios ei factæ iniuriæ. Deinde etiam cum fores vi truderentur, quidam ex iis qui aderant, audacius aliquod factum volens ostendere, strictum gladium intendit in sacram illam portam. Diuina autem fuit consecuta iustitia, non vt sæpe solet lento passu, sed euestigio. Nam cum ille ensem sustulisset, simul quoque temeraria dextera exaruit & extitit otiosa. Terret miraculum Eudoxiam. Quinetiam quicunque eum circunsistebant, magno timore sunt affecti. Quod enim à diuina lingua Ioannis fuerat imperatum, non temere factum erat, neq; dependebat ab aliqua mente humana: sed diuino zelo aperte fiebat ad Dei gloriam. Quanam de causa, dicens. Ne sancta despicerentur, neq; multis sic paterent, aut potius indignis. Quomodo enim digna, ò Dei rationes & leges, quæ pecuniis furebant & rapinis, & rerum alterius tanto amore tenebatur, vt non verbis, non admonitionibus, maxime tanti viri, cederet: & non solum nõ desisteret facere iniuriam, sed etiam insurgeret in eos qui volebant corrigere? Quid aliud faciens, q̃ quod plane solent furiosi, qui & medicis & eorum qui alioqui ipsorum curam gerunt, non solum sæpe graues manus, sed sæuos quoq; dentes immittunt?

Atque sic quidem Eudoxia à sacris exclusa vestibulis, cum nihil amplius facere nec se vlcisci potuisset, imo ne melior quidem euadere voluisset, reuertitur. Qui autem in manu acceperat disciplinam, cum vt videtur non esset tam obtuso ingenio, neque similiter atque illa malitiæ immedicabilis: sed simulatq; plagam accepit euasisset cordatus, & ostenderet latentem animæ nobilitatem, accedit ad magnũ Ioannem, & in conspectu omnium confessus est se peccasse, & ostendit magnam pœnitentiam. Ille autem cum benignis oculis intuitus, & acceptionem præsentem habens pœnitentiam, q̃ propter priorem iratus fuerat impudentiam, vt qui esset promptior ab beneficium humane conferendum q̃ ad iuste puniendum, iubet ad templi lauacrum, volens imitari Christum etiam in miraculis, abluere dexteram quæ fecerat iniuriam. Quod quidem cum factum esset, eam statim habuit sanam & robustam, & ad Deum se pulchre extollentem in confessione gratiæ.

Non multo post autem Epiphanius cedens non honestis Theophili impulsionibus, ascendit e Cypro, libros quos aduersus Origenem conscripserat secum afferens. Cum vero è naue descendisset, & appulisset in templum Præcursoris, quod septem milliaribus ad occidentem abest à ciuitate, sacram peregit synaxim: & cum Diaconi secus atque oportebat fecisset ordinationem, ingreditur ciuitatem. Deinde Theophilo agens gratias, hospitio quidem accipi apud beatum declinat tanq̃ nefarium. priuato autem quodam habitaculo non honeste acceptus hospitio, & illuc peregrinos qui in ciuitate versabãtur aduocans eis legebat libro suos in Origenem. Quorum alij quidem, illius gratia persuadebantur ea vel manu defendere. alij autem hoc facere recusabant. Homo autem Dei Ioannes, Epiphanio nihil infensus q̃ intra terminos suæ ecclesiæ non abstinuisset

ab ordinatione, hoc solum rogabat vt cum aliis vt par erat Episcopis ad ipsum diuersaretur. Is vero respondit se nec simul quidem esse peccaturũ, nisi ipse prius Dioscorum expelleret è ciuitate: & libris quos scripserat aduersus Origenem sua esset assensus subscriptione. Adhæc dixit Patriarcha. Non oportet nos priusquam accurate discernamus aliquid temere facere aut dicere.

Eudoxia cum primum intellexisset hanc inter eos esse veluti dissensionem, & hanc quasi arripuisset occasionnem, accersito statim Epiphanio, Vides, inquit, ô pater, quemadmodum omnia quidem Romanorum sceptra mihi cedunt & meę subiecta sunt potestati. Ioannes autem est adeo mihi infestus & tanta est in me arrogantia vt vel extrema afficiat contumelia. Dicitur autem etiam quandam tenere opinionem quæ discrepat ab ecclesia. Tu vero, ego enim tibi do imperium in omnes ecclesias, vt nihil tibi sit impedimento: vide vt aduersus eum congreges synodum, & eum vt iustum est & honestum è sede deponas. Hæc & dicebat, & vultu apertius ostendebat iræ in sanctum vestigia: & manifeste præ se ferebat se graue & non cessaturum virus spirare in illum sapientem: nec ex tincturam prius iracundiam, q̃ quod animo agitabat deduxisset ad effectũ. Hæc cum admirandus audiisset Epiphanius, non statuit iis qui rerum potiebantur in iis quæ non oportebat gratificari: nec tanti esset faciendum eis inseruire, vt aliquid fiat præter id quod Deo videtur. Et ideo ad eam propius accedens. Non irato animo sed benigne ac placide ô filia, à te audienda sunt quæ à nobis dicuntur. Si accusetur quidem Ioannes alicuius hæresis, & non accedat vocatus, vel se purum ostensurus, vel pœnitentia correcturus ignorantiam, is mihi quidem videtur indignus Sacerdotio. & quod est imperatum quamprimum fiat à vobis. Sin autem ꝙ vobis male dixit, propter hanc solam causam visum est abdicatum esse Ioannem ab ecclesia, Epiphanium non habebitis assentientem. Est enim maxime Imperatorum propter nihil eiusmodi meminisse acceptæ iniuriæ: sed se bonos & benignos in omnes ostendere. siquidem vobis quoque est alius Rex in cœlis. quem cum vt homines peccatis, opus habetis benignum habere & propitium, propter suam mansuetudinem in eos qui sunt eiusdem generis.

Hęc verba cũ audiisset Eudoxia non ex sua sententia, inconsideratum quiddam planeq̃ quod nimiam arguebat vecordiam & præcipitationẽ, propter nimium dolorem, vel vt verius dicam propter summam improbitatem, stolide est elocuta, dicens. Nisi Ioannes fuerit è sede depositus, et exilio, ô audacem linguam, fuerit condemnatus, ipsa permittam aperiri templa simulachrorum: nec erit qui nobis volentibus sit impedimẽto quominus illa à quolibet adorentur. Quidnam habuit amplius Herodias quo tam in vitio superaret, quæ magno studio contendit vt fieret cædes eius qui erat eiusdem nominis? Nisi ꝙ non erant vtrique eadem vitia, quãdoquidem illa quidem, insigni libidine, hæc autem, immoderata laborabat auaritia. Ambæ autem, ꝙ effugere vellent reprehensiones, ab ambobus sitierunt magnopere liberari. Diuinus autem Epiphanius perculsus absurditate eorum quæ dicebantur, cum dixisset, Ego iudicij quod sic habet sum insons, protinus est egressus. Quędam autem falsa fama quę ex hoc ad omnium aures peruasit, ꝙ ipse quoque Epiphanius huic depo-

fitioni Patriarchę fit assensus, ad magnum vsque Ioannem peruadit. Ille vero aut verum ignorauit, fortasse ꝙ Deus eum celasset, diuina quadam prouidentia, vt alio modo efficeret ambos quæ vtrisque euenerunt prædicere. aut sciuit quidem Ioannes non esse verum quod fama ferebatur. lubens autem assensus est multorum existimationi, vt sic Epiphanio futurum prædiceret. Fertur ergo Patriarcha sic post hæc scripsisse ad Epiphanium. Scripsit autem simpliciter & familiariter. Frater Epiphani,
„ Audiui te consensisse meæ relegationi. Scias autem nec te ipsum tuam se-
„ dem visurum esse amplius. Adhæc sacrosanctus Epiphanius simplici-
„ bus rursus verbis rescripsit, quibus ipse quoque vtar. Athleta Ioannes,
„ feri & vince. sed nec ipse peruenies ad videndum locum exilij. Vera aũt fuerunt quæ dicta sunt ab vtrisque. Nam & Epiphanius cum statuisset nauigare in Cyprum, decedit in nauigatione: & admirabilis Ioannes priusquam perueniret ad locum secundi exilij, migrauit ad Dominum. hoc autem procedens oratio ostendet apertius.

Non multum intercessit temporis, & statim cum pluribus Episcopis Theophilus venit Constantinopolim, eum vrgente Eudoxia, & ei præbente ingressum liberum ab omni metu. licebat autem tunc videre malorum examen quod cogregabatur & Theophilo opē ferebat ad sapientis Ioannis depositionem. Quinam vero ij & vndenam ad hoc fuere cōmoti? Quænam animæ non paucis peccatis obnoxię, & quæ erant plane incurabiles. de quibus prius quoque diximus. quos cum incorruptus Ioannis calculus, veluti lapis quidam lydius, probasset esse indignos suggestu, mouerat sacerdotio. Cum multis ergo, vt dictum est, Episcopis Theophilus conuenisset Eudoxiam: seorsum cum ea collocuti ab ea in secretum admittuntur: muneribus donantur: aduersus sanctum virum linguæ eorum conducuntur: se omnibus sententiis iustum esse condemnaturos pollicentur. Cum tam iniquam conuentionem iniissent egregij Pastores & innocenti sanguine animas potius quam manus intinxissent, exeunt, cum nihil horum adhuc venisset ad notitiam Arcadij. Sed rursus quoque dantur occasiones iis qui eas quærebant ei parturiebant improbitatem: sed quæ ne vmbram quidem habebant veritatis: materiam tamen præbebant igni malarum actionum.

Non multum enim intercessit temporis, cum partem quandam libri Regum, diuinæ scilicet scripturæ, cum vsus ita postularet contexens magnus Ioannes institutæ orationi, concionatus est in ecclesia. Ea autem ita
„ se habebat Congregate ad me sacerdotes dedecoris qui comedunt men-
„ sam Iezabel, vt dicam eis sicut dixit Elias. Quousque claudi cabitis
„ vtrisque poplitibus vestris? Si Baal est Deus, ambulate post ipsum. Si
„ autem Iezabel quoque mensa ipsa est Deus, comedentes euomite. Hinc illi sapientes in malitia, cum verba quædam tanq̃ arma apprehendissent & validum auxilium, accedunt ad Arcadium, duce huius improbæ synagogæ Theophilo, alia quidem addentes, alia autem perperam exponentes. Dicebant vero viri egregij & facile persuadebant, sed quidem dictos fuisse sacerdotes dedecoris: re uera enim erant. Imperatricem autem esse aperte Iezabelem. Hinc factum est vt Imperatoris quidem in magnum Ioannem cederet reuerentia, & desiderium transiret in dolorem: datuꝗ; præda viris improbis. Eiusmodi enim res est simplicitas, ne dicam leuitas

& faci-

& facilitas. Est facilis quidem ad ædificandum. Quæ autem sunt iam ædificata sunt facillima ad destruendum. & vt semel dicam, est omnino valde infidelis & ad ducendum facilis: vento campas, vt aiunt, & res optanda sceleratis. Sic Eudoxia ex Episcopis quidem qui de Theophilo prius male dixerant, alios quidem bonis oblatis, alios autem illatis malis arcet à dicendo.

Theophilus autem liberatus ab accusatoribus, ei quæ prius non iusto ipsum affecerat beneficio, voluit parem atque adeo maiorem ei referre gratiam. & cum alios quidem donis, alios vero minis, alios autem aliis modis, quos scit inuenire malitia consecuta potentiam, persuasos ad suam traduxisset voluntatem, & effecisset vt toti à sua penderet sententia, ille tanta improbitate permiscuit & confundit omnia, vt qui rerum potiebãtur ei permitterent congregare synodum maximam aduersus Ioãnem. Cum inuenisset autem duos Diaconos, quorum alter quidem erat reus adulterij, alter verò cedis, & ideo à magno Ioanne fuerant depositi: eos vir ille egregius cum magna auctoritate ò sacræ leges absoluisset, libellos quorum ille rursus fuerat opifex, exhibere facit aduersus sanctum. libellos qui erant pleni quidem calumniis, nullum autem habebant vestigium veritatis. nisi ꝙ hoc solum moderate attingebant, etiamsi non ab eis eadem diceretur intelligentia. ꝙ aquam vel vinum vel pastillum suadebat gustare post communionem iis qui communicabant. Quid tum? erat enim hoc eius qui statuebat vt adhiberetur cautio, et qui accurate tenebat ea quæ sunt nostræ fidei, ne cuipiam contingeret cum iis quæ expuuntur etiam ex sanctificatis aliquid excidere.

Cum itaque nugaces hos libellos accepisset is qui dederat, & Acaciũ & Seuerianum & præterea Antiochum, inuictos vt ita dicam vitij propugnatores, cito in suam asciuisset societatem, extra ciuitatem, erat autem ager Ruffini, nomine quercus, situs sub Chalcedone, de sancto deponendo execrandi conferebant & contexebant consilia. Ipse vero versans simul cum quadraginta Episcopis, valde mirabatur, quemadmodum talibus criminibus obnoxius Theophilus, & deinde adesse iussus & reddere rationem, tam repente eorum qui rerum potiebantur animos potuerit capere, vt non solum de suis causam non diceret, sed aliorum etiam propemodum esset Iudex indicta ab eis omnino causa. Deinde hortabatur ne essent paruo & abiecto animo, nec tristitia afficerentur: nec hoc quod erat præsens quidpiam magnum esse ducerent, cogitantes ꝙ per multas afflictiones sit intrandum regnum cœlorum ab iis qui ipsum diligunt. Deinde rogabat ne quis sua causa vellet suam relinquere ecclesiam. sed si vultis mihi, aiebat, gratificari, mementote nostri in vestris orationibus. Hæc dicens postquam vidit eos vinci lachrymis, ecclesiam autem. vt magis ita dicam, deflere, eos recreabat spiritaliter: & indice sinistræ manus volam pulsans, vt solebat facere in curis animi. Satis, inquit lamentationum. Quid.n. vultis cor mihi frãgere? Sed videte ne relinquatis ecclesias. hoc.n. sicut prius dixi, volo à vobis si quid aliud fieri. Cum aũt dixisset quidam. Sed necesse est nos manentes in ecclesiis cõicare cum insidiatoribus & dare manum iisdem subscriptionibus. Beatus aũt protinus. Sed permitto quidẽ, inquit, vt cõices, te oĩno abstinens ab eccesię scismatibus: nequaq̃ aũt subscribas. nullius.n. rei mihi sum oĩno cõscius cur deponar.

Cum iis sic communiter colloquerentur, accedunt quidam afferentes litteras a Theophilo quarum erat inscriptio. Sancta synodus in quercu congregata, Ioanni. illum quidem adeò nude & tam ignominiose vt ne nomen quidem darent Episcopi, suam autem re uera improbam synagogam, vocantes sanctam synodum. Videbantur enim eum condemnasse vel ante dictam causam, infames scilicet & execrandi eum in quem non cadit reprehensio estq; purus & mundus. Quidam autem continebant eæ litteræ? Libellos accepimus qui erant pleni multis contra te accusationibus. Oportet ergo te venire de eis redditurum rationem. Adhæc Christi discipulus & imitans illius mansuetudinem, tres Episcopos cum duobus Presbyteris mittit ad eos ipsum defensuros, sicut ille ipse scribit in epistola ad Innocētium, is autem erat Patriarcha Romanus. Misimus ad ipsum, dicens, Episcopum Pessinuntis, Demetrium. Apameæ Eulysium. & Apiareæ Lucipinum. Presbyteros autem Germanum & Seuerum, cum ea qua nos oportebat moderatione respondentes, & dicentes nos non recusare iudicium, sed apertum inimicum & hostem manifestum. Qui enim nondum libellos acceperat, & talia ab initio fecerat, & se ab ecclesia communione & precatione absciderat: accusatores adornabat: clerum transmouebat, & desertas reddebat ecclesias, quomodo is iure potuerit ascendere sedem Iudicis quæ ad eum minime pertinet? Neque enim erat consentaneum vt qui ex Ægypto erat profectus, esset Iudex iis qui erāt in Thracia, & qui ipse erat reus hostisq; & inimicus. Sed tamen nihil horum ueritus, sed implere studens ea quæ statuerat, cum nos significassemus esse paratos diluere crimina vel mille & centum præsentibus Episcopis, & nos puros esse ostendere sicut nunc sumus, non passus est. sed nobis absentibus & synodum inuocantibus, & iudicium requirentibus, & non auditionem fugientibus sed apertas inimicitias, admisit accusatores: & eos qui excommunicati à me fuerant absoluit. & ab iis ipsis qui nondum crimina diluerant accepit libellos, & exegit cōmentarios. quæ quidem erant omnia præter 27 canonum consequentiam. Sed hęc quidem & quę deinceps sequuntur egregia illa lingua recenset: & ideo non opus est vt ea dicamus cum illam audire liceat.

27 *Ecce quomodo dolet sanctus pater præter canonum consequentiam contra eũ fuisse actum.*

Verumenimuero renuntiata defensione iis qui erant cum Theophilo, ipsi non ferenres veritatem eorum quæ dicebantur. Quomodo enim qui spem posuerant mendacium vt ait beatus Esaias, & expectabant fore vt eo tegerentur? iram effuderunt in eos qui missi fuerant: eosq; apprehensos vehementer verberarunt: & eorum tunicas disruperunt: quinetiam ferro quod tunc pararant in Patriarcham collum vnius circundederunt. quinetiam cum malignus eorum corda sic affecisset, eum mittunt in exilium in quēdam locum obscurum & ocultum, ferro sic circundatum. Illo ergo eos, vt diximus, recusante tanquam apertos inimicos, canonicum autem inuocante concilium, qui erant veloces ad effundendum sanguinem, etiam non præsentem aut aliquid respondentem condemnant, cum imbecilla quædam maledicta in vitam congessissent angelicam, visi potius ludere quam serio agere, & quę longo tempore instructa & adornata fuerat malitiam, vno die temere studentes effectam reddere. Res est enim timida mendacium & quæ facile potest terreri. & ideo actionum exercutionem nouit accelerare, fugiens omnino ne conuincatur. Deinde cū considerassent

fore ſibi vtile ſi haberent Imperatorem ſuæ defenſorē ſententiæ. vt quod improbe faciebant redderent validius, ad eum mittunt litteras in hāc ſententiam. Quoniam accuſatus Ioannes, & ſibi cum aliorum plurimorum ,,
conſcius, tum etiam ꝙ ſit reus læſæ maieſtatis (læſam plane maieſtatem ,,
nominantes, quæ ei cum Imperatrice fuerat controuerſiam) non potuit ,,
ſibi perſuadere vt veniret ad ſynodum, propterea ſi exacte conſiderentur ,,
canones, iam eſt depoſitus. & nihil reſtat niſi vt veſtra iubeat potentia ,,
eum vel inuitum mitti in exilium. ,,

Hæc ſunt egregiorum illorum Sacerdotum, qui debebant quidem eſſe tardi ad iram incitandam, vrgere autem ad benignitatem. quibus ira ad ſimilitudinem ſerpentis & lingua, rurſus enim nobiſcum loquatur diuinus Dauid, gladius acutus. Deinde cum iuſsiſſet Arcadius, eis enim credebat tanquam Sacerdotibus, neſciens eos in interiori homine, non eſſe Sacerdotibus ſed potius ſacrilegis ſimiles, quid fit? Mouetur quidem vniuerſus populus vt qui ſenſiſſet id quod erat faciēdum, & repente in magnam accenditur ſeditionem. & partim quidem vociferatur aduerſus Imperatorē: partim autem Theophili quoque & multo magis arguit improbitatem. Multi enim etiam ex iis qui erant ei infenſi iam mutati, dicebant fuiſſe ſanctum temere accuſatum, incorruptum teſtem habentes omnes conſciētiam, apertamq; & euidentem reuerentes veritatem. Tādem autem cum plus valuiſſet improbitas, imo verò cum iuſtus Ioannes hoc voluiſſet ne aliquod oriretur periculum, vt ſolet accidere in talibus ſeditionibus, profundo veſpere expellitur ſicut ipſam linguam auream licet audire in epiſtola ad Innocentium quæ ſic dicit. Quid enim multa opus eſt dicere?
Non deſtitit omnia facere & moliri, donec nos cum multa poteſtate & ,,
auctoritate, è ciuitate eiecit & ex eccleſia. & profundo veſpere attracto ,,
omni populo tractus à Magiſtratu ciuitatis per mediam ciuitatem, & per ,,
vim deductus ſum & in nauem immiſſus, & noctu nauigaui, quoniam ,,
inuocabam ſynodum ad iuſtam auditionem. Quis hæc audiuerit ſine la- ,,
chrymis, etiam ſi cor habuerit lapideum? ,,

Sed ſic quidem expulſus appellit ad os ponti quod vocant ſacrum. Deinde etiam tranſit. Prænetum, aut ab iis potius qui agebant tranſmittitur. Bonus autem Theophilus, poſtquam euenit vt ex animi ſententia fierent quæ volebat, mittit etiam litteras ad Innocentium Romanum Epiſcopum, ei ſignificans Ioannis depoſitionem. Qui cū legiſſet litteras, & in eis vidiſſet multam inſidere peruerſitatem, ne voluit quidem reſpōdere, vt qui eum magnæ temeritatis damnaſſet & arrogantiæ, ꝙ & ſolus ſcripſiſſet, & ꝙ non aperte ſcripſiſſet quanam de cauſa & cum quibus eum depoſuiſſet. Hinc cauſam Heraclidis, quam magnus ille Ioannes Epheſi conſtituerat Antiſtitem, tractans Theophilus, & ex eo illi beato tentans labem inurere, ipſum etiam iudicauit non præſentem. dicens ꝙ aliquos iniuſte verberaſſet, & per medium forum vinctos catena circunduxiſſet. Ciuibus autem contra dicentibus non oportere abſentes iudicare, volentibus vero Alexandrinis attendere accuſatores Heraclidis, ex eo orta eſt ſeditio: ex ſeditione autem ventū eſt ad manus. ex eo vero ad vulnera. ea autem mors quoque eſt conſecuta quorum omnium Theophilus dictus eſt et fuit cauſa. Hæc ſumme irritarunt Byzantinos: & eum quærebant perdere, & in profundum maris mittere eum qui erat dignus. Ille

autem postquam sensit persequentes, fuga statim sibi consuluit, & penetralia subiit Ægyptia.

Quod autem neque prius hic perturbator iure Dioscoro irascebatur: neque veram & accuratam defendens pietatem erat infestus libris Origenis: sed hinc captabat occasionem deponendi Ioannis, ostendit id quod est postea consecutum. Nam simul atque perfecit quod studebat, cum Monachis statim fœdus iniit. libros autem admisit quos prius abdicarat synodice. Sed vult etiam reliqua persequi oratio. Interim enim dum hæc fierent, Deus terræmotu terrefecit ciuitatem: communesq; eam agitabant conquassationes: & graues terrores imperatorio imminebant cubiculo. adeo vt populus tumultu impleretur, & magna voce clamans, reuocaret Sacerdotem. Quinetiã ipse quoq; Imperator vehementi stimulo tristitiæ in corde sauciatus. mouetur pœnitentia: & litteris imperatoriis q̃primum magnum illum reuocat. Brison autem erat cui datæ fuerunt litteræ, vnus ex Eunuchis qui ministrabant Eudoxię. Qui cum peruenisset ad sanctum qui Præneti asseruabatur in custodia, rogauit vt veniret & ciuitatem liberaret à periculo. Sed non ad Brisonem vsque constitit eius reditus studiũ & acceleratio. sed post ipsum alij: & post illos alij. Sicq; fuit Bosphorus plenus eorum qui mittebantur. Cum itaque eum redire agnouisset ciuitas, erat autem decimus tertius Nouembris, quemadmodũ enumerarit quispiam multitudinem eorum qui exibant? quomodo explicarit studiũ in egrediendo? Quomodo expresserit voluptatem? Plane enim imitabãtur fluenta fluuiorum, cum alij aliis agminatim succederent. Et erat quidem mare plenum nauigiis, plenum autem sonitu canticisq; & hymnis qui Deo cum magna voluptate canebantur. Hoc potest insidens animæ viri desiderium, qui virtute quidem est ornatus, est autem sortitus populi administrationem & eum amat paterne. Hoc est euidens argumentum voluptatis, qua tunc fruebantur, qui iucundis se explebant fluentis aureæ huius linguæ. Quòd enim qui eum exceperunt adeo sunt lætati, id ostendebat priuationem fuisse causam magni doloris. Magnus autem dolor, post priuationem, testatur omnino ante fuisse parem antea voluptatem.

Cum ergo reuertens esset proxime ciuitatem nolebat prius ingredi quã maiori iudicio res eius committeretur, sed populus ægreferebat: & ad audendũ iam se parabat: & in eos qui rerum potiebantur insectabatur maledictis, donec omnes in idem conuenientes, & partim quidem vtentes precibus, partim autem vim afferentes, audaciç enim aliquid habet desideriũ, vix tandem persuadent ascendere ciuitatem. Cum vero essent eum in sede collocaturi, ipse rursus resistit vehementius, dicens oportere ea quæ prius sunt decreta examinari, & omnino magis generale assequi iudicium. Sed vicit populi iudicium quod erat fortius omnibus. & sic eum rursus in sedẽ reducunt patriarchalem. Ille autem & omnes lubenter aspexit, & vt mos est pacem eis est precatus. Et sic quidem ecclesia cum suum sponsum accepisset, & quæ eam circumsistebat tunc soluisset tristitiam, florebat & germinabat irrigata suauissimis verborum eius fontibus. Sed ò inuidia malum inuictum, malum quod semper bonis insidiatur. Tibi enim omnino non licebat quiescere: neque vlla te cœpit satietas continuorum insultuum, donec ò sæua & agrestis, eum valuisti omnino abrumpere & procul à grege remouere, heu heu bonum pastorem & qui vigilantibus

oculis ei præerat. Sed quonam modo hæc euenerunt: & vndenam rursus inuidiæ tanti mali occasio?

Statua quædam argentea Imperatricis, prope tẽplum cui cognomen est Sophia, erat super columnam. In ea de more fiebant ludi quidam publici. Quod quidem cum magnus ille recte reputasset esse templi contumeliam. (Ad sacros enim qui canebantur 28 hymnos confuse & inordinatæ voces contra resonabant) sæpe autem adhortatus non potuisset facere vt cessarent, linguam laxat in eos qui hæc iubebant fieri. Itaque Eudoxia rursus ad se trahens ea quæ dicebantur, & existimans omnia ad se referri, grauiori telo iræ sauciata, erat intolerabilis nec poterat cohiberi, quantum efficere poterat, vniuersum euertere aggrediens, & nihil aliud effectum reddere machinans, q̃ opportune eum vlcisci qui visus fuerat eam afficere iniuria. Rursus ergo statim congregabatur synodus, & litteræ mittebãtur imperatoriæ, quæ & alios Episcopos & eos qui nuper accusatores fuerant euocabant. Cum autem non esset eis honesta causa mouendi ea quorum iam fuerat accusatus ars tamen non defuit malitiæ. Ad eũ enim qui in rebus eiusmodi erat ingeniosissimus & ad hæc construẽda solertissimus, nempe ad Theophilum statuerunt scribere. vt vel veniret q̃primum, vel modum eis rursus suggereret per quem possent aduersus Ioannis summam contendere veritatem. Ipse autem vt qui quomodo fugisset esset memor, venire quidem ad eos recusauit vt quod non esset sibi conducibile: mittit autem tres ex suis Episcopis, eis dato canone ad accusationem, quem prius proposuerunt Arriani aduersus validum ecclesiæ propugnaculum, nempe Athanasium. qui dicit. Si quis Episcopus aut Presbyter iuste aut etiam iniuste depositus, per se redierit absque synodo ecclesiæ, ei non detũr amplius locus defensionis. Atque sic quidem is cui nullus erat par improbitate, cochlear ecclesiæ, lybica plane fera, ex Ægypto proteus, iussit eos dicere qui ab ipso missi fuerant, nihil aliud volens efficere q̃ vt sic sua esset firma ac rata sententia: & nec viro egregio daretur locus diluendi calumnias quæ ei obiectæ fuerant.

28 *Vide antiquum hymnorum usum in ecclesia.*

δαίδυξ

Sed ille non vulpinam sed leoninam potius pellem induens, nempe veritatem dicit nec se in iudicio fuisse: neque accusationem audiuisse: neq; omnino habuisse tempus ad defensionem. ab Imperatore autem fuisse expulsum & ab illo rursus vel inuitum introductum. alioqui autem se scire hunc canonem fuisse compositum ab Arrianis. & quoniam non recte se habebat, à Sardicensi synodo fuisse abrogatum. Deinde cum simul cum Acacio & Antiocho & aliis calumniatoribus ex parte quoque Ioannis decem ingressi fuissent ad Imperatorem: & illi quidem affirmarent dictũ canonem esse firmum ac validum vt qui aperte factus esset ab orthodoxis: hi autem dicerent eum esse & mentis & linguæ hæreticæ, & maligne ab eis esse inuentum. Quamobrem sępe ab ecclesia iniuste expulsus Athanasius, deinde occasionem nactus per se rediit. & q̃ Ioãnes ne prius quidem fuerit depositus: & neque per se rursus esset ingressus. sed tuo cedens imperio, aiebant ò Imperator, imo verò per vim coactus. Postremo inscribantur, dicebant, ij qui sunt Ioannis & Dei partis, & isti, Acacium dicentes & Antiochum, qui orthodoxum affirmant esse canonem: & fateantur se esse eiusdem fidei cuius, ij qui ediderunt. & sic soluitur id de quo dubitatur, laudauit quod dictum fuerat Imperator vt quod recte se

haberet: & sic iussit eos facere. Illi autem se facturos quidem sunt polliciti, præ se ferentes se confidere: destiterunt vero vt qui sint suspicati rem minime esse tutam.

Cum res ita se haberent, & ille quidem anno integro optime administraret ecclesiam post reuocationem: isti autem quæ sibi erant propria facerent, ea vero erant artes & imposturæ: & quid non mouerent vt sanctum è sede deponerent, etiamsi non potuerint eius spiritus deiicere? cum

29 adesset festus 29 dies Paschæ, à multis molestiis quas ei exhibuerunt

Dies festus Paschæ. isti victus Imperator, significat Patriarchæ vt excedat ex ecclesia, vt qui iam à duabus synodis sit condemnatus. Ad hæc magnus ille Ioannes. Ego, inquit, cui Deus & seruator ecclesiam tradidit regendam, ab ea mea sponte vereor recedere. Si autem hoc ita tibi videtur ò Imperator, at me ex ea vi expelle. vt me possim omnino defendere quod ordines veluti deseruerim. Ad eum itaque mittentes, prohibent quidem sacrificare: concedunt autem vt in præsentia quidem versetur in Episcopatu. timētes, vt opinor, ne Deus rursus desuper ferat sententiam in eorum audaciam. & vt propè eum habentes, Dei iram per ipsum reprimant. Sic ergo seorsum interim egit vir ille magnus, cessans à sermonibus & pulchris linguę fluentis.

30 Cum autem esset dies 30 magni sabbati, Imperator fecit quod non

Nota cum esset dies magni sabbati, hoc est sabbatum sanctum. recte se habebat, nec animi erat imperatorij. Accersitis Acacio & Antiocho, rogauit quidnam oporteret & facere. Sed oportet, inquit, considerare an Deo grata sunt quæ à vobis fiunt. Illi autem, Quid enim erat eis Deus curę? In nostrum inquiunt, redeat caput Ioannis depositio. similia iis qui dixerunt, Sanguis eius super nos, & non procul ab eorum sententia, elocuti. Sic absentem condemnant virum iustum. cum nec de iis quorum accusabatur dicendi potestatem ei permisissent, quod est commune omnibus qui iudicant sine vlla animi perturbatione, neque ab illo vllam accepissent defensionem.

Cum hæc autem audiuissent qui erant à partibus Ioannis, Episcopi quidem se animi ægritudini dedentes & lachrymis, in angulis latebant & silentium agebant in habitaculis. Sacerdotes autem & quicunque erant ex clero, congregabantur ad quasdam ædes oratorias. vocatur autem locus Constantianæ. & cum magna concurisset multitudo, iis omnibus curæ erant sacri hymni & consueta glorificatio. præterea vero eos quoque qui accedebant diuino dignabantur baptismo. Timentes ergo qui erant improbi concilij, ne si in templum vt solebat venisset Imperator, & vidisset id vacuum populo, hinc quidem sentiret populi in magnum Ioannem beneuolentiam. eorum autem, vt erat consentaneum, condemnaret inuidiam, efficiunt vt quidam lucius dux militum numeri grauis armaturæ, quem etiam fama erat esset gentilem religione, vadens conuocaret populum ad ecclesiā, mansuetudine primum vtēs & persuasione, lege, vt aiunt, bœotia. Sin minus, vim etiā inferret, lanceam miscens cū caduceo. Ille aūt cum statim cum iis quos habebat quadringētis vespere irruisset, illa fecit quę par erat eos solos pati q fecerant. dicere aūt & explicare non nos oportet, sed id concedere illi linguæ oīum pulcherrimæ, & eam audire narrantem. Ipse. n. sicut fortiter sustinuit, ita etiā vere narrauit quoad accidit. Scribens. n. ad Innocentium, & quæ ausi fuerant oratione persequens, cum autem antea diximus Romanum fuisse Epm, sic rem tractauit.

Quomodo quæ hic facta sunt deinceps narrauerim quæ omnem superant tragœdiam? Quænã ea explicarit oratio? Quænam aures ea absque horrore acceperint? Nam cum nos eadem sicut prius proponeremus, repente multitudo militum in ipso magno Sabbato, die iam inclinante ad vesperam, in ecclesias irruens, vniuersum clerum qui erat nobiscum expulit, armisq; circundedit: & mulieres quæ se ad baptismum exuerant, ex ædibus oratoriis nudæ eo tempore euaserunt, metu grauis huius irruptionis, ne eum quidem quem decet mulieres pudoris ornatum induere permissæ, multæ vero etiam acceptis vulneribus expulsæ sunt. & lauacra sanguine sunt impleta: & sacra fluenta sanguine euaserunt purpurea. Et nec hic quidem malum constitit. sed ingressi milites vbi sancta erant reposita, quorum sicut cognouimus nonnulli non erant mysteriis initiati, quæ intus erant omnia viderunt. & sanctissimus Christi sanguis, vt in tanto tumultu in prædictorum militum vestes fuit effusus. & tanquam in barbarica captiuitate ausi sunt ille omnia. & populus eiectus fuit in solitudinem. & vniuersus populi cœtus versabatur extra ciuitatẽ. & in tali festo ecclesiæ erant inanes populo. & plus quam quadraginta Episcopi qui nobiscum communicabant, cum populo & clero temere expulsi sunt. gemitusq; & planctus erat in solitudinibus. & quælibet pars ciuitatis erat plena his calamitatibus. Nam propter insignem iniquitatẽ, non solum qui patiebantur, sed etiam qui nihil tale sustinebant, per consensum nobiscum dolorem accipiebant. non solum qui erant eiusdem opinionis, sed etiam Hæretici, & Iudæi, & gentiles, perinde acsi vi capta esset ciuitas. Sic in tumultibus perturbationibus & gemitibus erant omnia. Et hæc facta sunt præter sententiam pij Imperatoris, noctu hæc comparantibus Episcopis, & multis in locis exercentibus munus Ducis exercitus. Qui non erubescebant pro Diaconis Cãpi ductores habere præcedentes. Cum autem fuisset dies, tota ciuitas migrauit extra mœnia, sub arboribus & nemoribus sicut dispersæ oues festum celebrantes. Sed sic quidem lingua illa aurea. Hæc autem in festo paschæ egregij Pastores & cui animarum cura erat credita, obtulerunt ei qui surrexerat. Hinc etiam in omnem partem missa sunt edicta quę prohibebant ab Ioannis communione. quę tantam vim habuerunt perinde ac si præcepissent contrarium: & eos qui oppugnabantur magis sic confirmarunt. quem quidem modum solet tenere Deus in huiusmodi temporibus. ecclesiæ certe & numerus crescebat assidue eorum qui illi adiiciebantur.

Interim autẽ dum iam venisset Pentecoste, quoniam fieri non poterat vt occulto inimico hæc essent tolerabilia, accedentes ij quos ille inspirabat, & à quibus ipse valde obseruabatur. Tibi quidem, dixerunt Imperatori, rerum humanarum data est à Deo potestas: sed ecclesiarũ res sunt nobis commissæ. Itaque nec Sacerdotibus sanctior, nec canonibus volẽs maiorem habere auctoritatem, hęc relinque Episcopis. Tibi quidem prius quoque diximus ò Imperator, In nostrum redeat caput Ioannis depositio. Vide ergo ne vnum sic complectens, omnes pergas afficere tristitia. Non amplius hæc sustinere poterat Imperator, sed protinus aperte mittens, significat Patriarchę in hunc modũ. Accusatores tui iudicium tuum quomodocunq; se habeat, & quam depositionis tulerunt sententiam, trahunt in suum caput. Rem itaque tuam Deo cõmittens, recede ab ecclesia.

Quid hoc ô virorum longe mutabilisſime & Imperatorũm in admini-ſtrando imperio ignauiſsime, quomodo cui tantum adhibuiſti ſtudium eum accerſens Antiochia, & Chriſti ei credens eccleſiam, cuius virtutis nõ paruum feciſti periculum, eum non ſolum eieciſti ex eccleſia: ſed eum etiã virum turpiter damnaſti exilio, Chriſti gregem damno efficiẽs: quo quidem viro, vt cum magno dicam Paulo, ne dignus quidem erat vniuerſus mundus? Sed te quoque omnino cœpit mulier. Eua rurſus tuas aures quę ſunt faciles decepit miſerabiliter. quomodo per illam ſerpens, ita ipſa per non bonos paſtores cordis virus euomens.

Hęc cum magnus ille audiuiſſet, nullo mœrore aut triſtitia nec in corde affectus, nec vultu per ſe ferens: ſed virum oſtendens in tentationibus ſicut in tempeſtate gubernatorem. Adeſte, inquit, ſuis Epiſcopis, iam valere iubeamus angelum eccleſiæ. Deinde poſt factas quas conueniebat preces, de fide orthodoxa multa teſtificatur: & hortatur vt eam ſequantur immutabiliter. Præterea vero eis quoque prohibet omnes hæreſes. Cum hæc autem verba faceret, accedit quidam nuncians Deo inuiſum lucium cum ſuo exercitu accedere ita paratum vt ſi qua fiat in exitu dilatio, non ſileat omnino nec mitigetur: ſed manum quoque protinus afferat, & cum contumelia expellat ex eccleſia. Porro autem commouetur quoque populus qui ferre non poteſt tui priuationem. Expedit ergo accelerare exitum, ne forte te nimium defendens populus, quod abſit vt videamus manus conſerat cum militibus, & inducatur vt aliquid faciat nimis præceps & periculoſum. Hæc cum magnus audiiſſet Ioannes, Epiſcopiſq; aliquot porrecta dextera, neque enim vt omnibus porrigeret concedebat tempus, & oſculo miſerabiles miſcuiſſet lachrymas propterea quod ſepararetur à familiaribus, deinde etiam iuſsiſſet valere reliquos, præcepit vt ibi vtique manerent donec cum paululum abſceſsiſſet reuerteretur.

Hæc cum dixiſſet, ſacrum ingreditur baptiſterium: & ſanctam vocat Olympiadem. eſt autem omnino clara mulier vel ſolo nomine. Sed non fuerit fortaſſe deterius permittere orationi vt ſe paululum recreet eius bonorum delitiis. Ea cum & genere & diuitiis & ſpecie corporis & aliis eiuſmodi valde reſplenderet, cum viro quidẽ iungitur matrimonio: ſed nõ amittit virginitaem. ſed cum ſic cum eo vixiſſet circa viginti menſes, ille autem exceſsiſſet ex hominibus, & ſi non ea eſſet ætate cui pudori eſſent ſecundæ nuptiæ, pulchram reuera amplexa temperantiam, per totam vitam eam amare voluit: & licet Imperator eam vocaret ad matrimoniũ ſuorum cognatorum, & eam magnis afficeret honoribus, illa omnibus relictis delitiis vt quæ cum ingenuis nihil haberent cõmune, ſe 31 oblectabat ieiunio non ſolum cibi ſed etiam ſomni, pulchre exercens corpus, & id ſtudens habere opem ferens non autem inſidians ad virtutem. temperantiam ac pudicitiam complectens vſque ad cogitationem non ſolum vſque ad contactum. Poſtquam autem omnium bonorum fuit domina, ea in vſus ſanctorum ſtuduit effundere. fuitq; Diaconiſſa totius eccleſiæ propter inſignem eius pietatem & hoſpitalitatem. Eos enim maxime qui virtutem exercebant hoſpitio magnifice excipiebat, & quocunque poterat officio hilariter proſequebatur. Quæ etiam Theophilum tãquam Dei amicum obſeruans, ſuam in eum oſtendit magnificentiam. etiamſi eius linguæ impudentiam & maledicentiam ne ipſa quidem omnino potuit effugere.

31 Vide ſanctæ mulieris honeſtæ exercitia.

effugere data ei occasione, ꝙ quos ille fuerat persecutus, Ammonium scilicet & Isidorum viro Deo charos exceperit. Atque omnium quidem, sicut dixi, virorum virtutis amantium magnam curam gerebat & eis omnibus modis prouidebat. huic autem viro beato fuit etiam familiaris, quomodo Thecla Paulo, ab eius lingua tota vita dependens. Quoniam vero cum ea aliæ quoque erant Diaconissæ Procula & Pentadia & Siluana, quæ bonam partem elegerat conuenienter diuino Christi verbo, cũ ipsas quoque tunc magnus ille conuocasset, Adeste huc, inquit, filiæ animum mihi adhibete. Res enim nostræ vtique iam tendunt ad finem. nec me amplius videbitis in hoc mundo. Hanc autem à vobis extremã rogo petitionem, vt de vestra in Dei templum assiduitate & fide nihil remittatis. & quicunque hanc sedem ascenderit, fieri enim nõ poterit vt ecclesia omnino careat Episcopo, ei vos sicut mihi capita inclinetis: & mei dilectionis in precibus memineritis. Post hæc cum eas dolor vehementer inuasisset, & protinus fuissent confusæ lachrymis, & dicerent eius priuationem non futuram eis tolerabilem, & eius pedes prensarent eiulantes miserabiliter, ille, ne si populus id sensisset, afferret tumultum, annuit vni ex Presbyteris vt eas abduceret. & iumentum quidem quod solebat ascendere, volebat enim latere iussit statui ad portas occidentales. ipse autem per portam orientalem simul est egressus. & cum paucis ad littus deductus nauigauit.

Sed qualem rem, & ꝙ̃ dignam quæ commemoretur ad plane arguendam improborum malitiam, festinans oratio propemodum prætermisit? Improbum enim illud concilium, cum oporteret cum aliis malis quæ sancto intentabant, ne ipsos quidem à cæde abstinere, sed etiam inique gladio cædem in eum parturire, famulus cuiusdam ex Presbyteris nomine Elpidius, quinquaginta nummis, proh dolor, ab illis cõductus, erat viro iusto paraturus insidias. Qui quidem deprehensus. (Neque enim quibus nouit rationibus siuit eum latere Dei prouidentia) nonnullos ex iis qui eum comprehenderant iis quos habuit ensibus interfecit: alios autem grauiter vulnerauit. Sed ille quidem magnus sic nauigabat & abibat in exilium. Populus autem partim lætitia, partim dolore afficiebatur. Dolore quidem pij, qui priuati erant suauibus illius orationibus cum venerando aspectu. Lætitia vero Iudæi & Gentiles, quibus hæc res dies erat festus, vt qui illius linguæ reprehensiones omnino effugissent. reprehensiones, inquam, quæ tanquã tela in manu potentis, vt cum diuino dicam Dauide, in corda eorum immittebantur. qui & irridebant & ludificabãtur, & in Principum stultitiam risum effundebant maximum, vt Christianorum calamitatis propemodum etiam misererentur.

Fit autem statim res quædam terribilis si vel solũ ad aures perueniat, Deo hæc prouidente sicut etiam prius terremotum, ad gloriam quidem suorum famulorum, metum autem & conscientiæ terrorem eorum qui sunt audaces & temerarij. qui etiam propemodum emittebat vocem Dauidis. Qui exacerbant, ne extollantur in seipsis. Eo enim die quo magna illa stella ecclesiæ, veluti ad quendam occasum ibat in exilium, Ignis diuinus ex illa sede in qua assidens sacram effundebat doctrinam, à nulla manu accensus, per sacras catenas serpit in altum. Deinde cum tectum exedisset, processit per summam superficiem venerandarum ædium. Hinc

cum vehemens ventus flammam inuasisset, eam in domum senatus euocat quæ sita erat longo abhinc spatio. Erat autem res valde admirabilis, quemadmodum flamma tanquam animatum quidpiam, iis quæ erant intermedia pepercerit & ea transilierit. ne posset aliquis id quod factum fuerat ascribere vicinitati. & tam magnum opus & tam diuturnum, materia quidem pretiosissimum, pulchritudine autem speciosissimum, exustum trium horarum spatio redactum sit in nihilum. Sic autem ignis serpens & in orbem depascens, soli rursus parcit domunculæ in qua seruabantur vasa sacra. Quod quidem non absque Dei numine nec casu factum est: sed ne sycophantis præberet occasionem, ex sacrorum vasorum interitu, sancto viro inurendi calumniam.

Quid ergo? cum hinc oporteret improbos, tanquam percussum, vt aiunt, piscatorem sapere, illi male faciendi hinc maiorem sumentes occasionem, pergebant ea persequi quæ solebant: & multos quidem ex Episcopis & sacerdotibus: multos autem ex aliis quoque qui fauebant partibus Ioannis, vehementer puniebant. dicentes ab eis ignem fuisse iniectum dum vellent facere rem gratam Patriarchæ. Sed persequatur oratio ea quæ consequuntur, & quomodo se habuerit exilium sigillatim declaret. Sic ergo magnus homo Dei & fortissimus Athleta veritatis, à sæuis militibus ducebatur in quoddam desertum Armeniæ oppidulum nomine Cucusum, multis tunc & assidue Isauris id depopulantibus & incursiones facientibus. Fuit autem hoc factum consulto vt arbitror, vt cum aliis malis, inimicissimis quoque eorum manibus traderetur. Quæ vero ille in via passus sit, & cum quam multis decertans malis, nec sic quidem abiecerit curam Dei ecclesiarum, quemnam alium aut iucundius aut apertius aut verius dicentem audiemus quam illum? Hęc enim in vna epistola, quæ ab illo statim Niceæ scripta est ad Constantium Presbyterum, tractat lingua illa aurea.

„ Quarto mensis Panæmi Nicæa soluturus, has scribo litteras ad tuam „ pietatem. adhortans ad id quod nunquam cessaui te adhortari, etiamsi „ hac quę nunc est orta fuerit tempestas grauior & maiores excitentur flu„ctus, vt non cesses ea quæ tua sunt implere, ad ea administranda quæ ab „ initio res aggressus. ad destruendam, inquam, gentium superstitionem: eccle„siarum ædificationem: animarum curam gerendam. Ne te supinum red„dat rerum difficultas. neque enim gubernator videns mare sæuiens & agi„tatum, recedet à clauo. Sed nec Medicus ægrotum videns morbo teneri, „ relinquet curationem. sed tunc vnusquisque eorum arte vtetur maxime „ & animi alacritate. Ne te supinum faciant quæ contingunt. Neque enim „ pro malis quæ alij nobis faciunt reddemus rationem, sed etiam mercedem „ accipiemus. Si autem ipsi quæ nos oportet non ex nobis attulerimus, sed „ pigri & socordes fuerimus, nihil nos ad hoc defendet rerum tumultus. „ Nam Paulus quoque cum habitaret in carcere & ligno esset alligatus, „ quæ sua erant faciebat. & Ionas qui ferebatur in mari ventre piscis: & „ tres pueri qui versabantur in fornace. neque vllum eorum fecerunt pi„griorem hi varij carceres. Hæc ergo cogitans Domine mi, & Phœniciæ „ & Arabiæ, & earum quæ sunt in Oriente ecclesiarum ne cesset curam ge„rere. Sciens fore vt maiorem accipias mercedem, cum etsi sint tam multa „ obstacula, tu quæ tua sunt conferas. Porrò autem noli esse in scribendo ad

nos negligens: sed scribe ad nos frequentissime. Nam vt nũc cognouimus, non amplius Sebasteam sed Cucusum abire iussi sumus. quem in locum erit tibi facilius ad nos dare litteras. Scribe ergo quot ecclesiæ hoc anno fuerint ædificatæ: & quinam viri sancti migrarint in Phœniciam: & an maior factus fuerit profectus. Etenim cum ex Nicæa inuenissem quẽdam Monachum inclusum, persuasi ipsi vt veniret ad tuam pietatem & abiret in Phœniciam. An ergo accesserit velis mihi significare. De fundo Salamis qui situs est in Cyro, qui obsidebatur ab hæresi Marcionistarum, conueneram quos oportebat & vniuersum effectum reddideram: sed fui prius expulsus. Si ergo sciueris Dominum meum Quiriacum Episcopum agere Constantinopoli, de hac re ad eum scribe. & poterit vniuersum efficere. Omnes, & eos maxime qui habent ad Deum fiduciam, roga vt multis & intensis cõtendant precibus, vt cesset hoc naufragiũ orbis terrę. Mala enim intolerabilia & Asiam inuaserũt aliasq; ciuitates & ecclesias. quæ quidem ne videar esse molestus, mittens singula dicere, illud solum dicam, multis opus esse & intensis precibus.

In alia rursus epistola sic scribit. Si enim carcerem habitatis, & catena vincti estis: & cum squallidis & sordidis inclusi estis, propterea ꝙ non assentiamini eorum iniquitati, exultate & lætemini, coronemini & choros ducite, ꝙ hæc sint vobis occasio copiosarum mercium. Nam nos quoque tabefacti & consumpti sumus. mortes passi sumus innumerabiles. Hæc autem possunt melius renunciare qui vel breui temporis momento nobiscum sunt versati. cum quibus ne potui quidem loqui cum oppressus essem assiduis febribus. Quibus cum laborarem, & noctu & interdiu cogebar iter ingredi, & æstu obsessus: & vigilia perditus, & solitudine necessariorum, & egestate eorum qui mei curam gererent. Iis enim qui metalla fodiũt, & carceres habitant, grauiora passi sumus & patimur. Vix tandem autem perueni Cæsaream, tanquam qui venissem à tempestate in portum. Sed nec hic portus potuit recreare mala fluctuum. adeo nos omnino prius tempus confecerat. Sed tamen cum venissem Cæsaream, non parum respiraui ꝙ aquam bibi puram. ꝙ panem sumpsi non olentẽ nec durum. ꝙ non amplius fui ablutus fragmentis doliorum, sed inueni balneum qualecunq;. ꝙ tunc mihi concessum fuit lecto affigi. Poteram his plura dicere. Sed ne nimium sim molestus, huc vsque sisto. illud addẽs ꝙ nõ cessetis exprobrare iis qui nos diligunt. Nam cum tam multos habeamus qui nos amant, & quorum est tanta potentia, ne ea quidem assequimur quæ condemnati, vt in mitiorem & propinquiorem aliquem locum relegemur. sed cum & corpus nobis sit defessum, & metus Isaurorũ omnia obsideat, hanc paruam & vilem gratiam non sumus assecuti. Deo propter hoc quoque sit gloria. Nõ cessamus enim eum glorificare in omnibus. Sit nomen eius benedictum in secula seculorum. Aperte enim scitis omnia esse plena tumultibus & perturbationibus. Nec oportet solum rogare pro Constantinopoli, sed pro vniuerso orbe terrarum. quandoquidem malũ quod hinc cœpit sicut dictum est, vbique terrarum perdit ecclesias. Cum septuaginta itaque dies consumpsissemus in itinere, vix tandem venimus Cucusum, totius orbis terræ locum desertissimum. Quamobrem licet hinc vestræ amplitudini ratiocinari quam multa mala passi simus, & cum febribus luctantes intolerabilibus & obsessi metu Isaurorum. Et

,, hæc dico, non volens rogare aliquem vt nos hinc trāſmoueat. Perfecimus
,, enim quod erat grauiſsimum, nempe viæ moleſtiam. Sed hanc à vobis
,, peto gratiam, vt aſsidue ad nos ſcribatis & curam geratis eccleſiarum. Et
,, rurſus ſic dicit. Nam nos quoque qui tertium annū verſamur in exilio,
,, fame, peſte, bellis, frequentibus obſidionibus, ſolitudine quæ verbis expli-
,, cari non poteſt, morte quotidiana, gladiis Iſauricis, non leuiter conſolatur
,, perpetua veſtra & ſtabilis affectio, firmaq́; & immota fiducia. Quam-
,, obrem etiamſi à ſolo & mœnibus ciuitatis expulſi ſumus: ab ea tamen
,, quæ eſt proprie ciuitas non migrauimus. Si enim vos eſtis ciuitas, nos aūt
,, ſemper vobiſcum & in vobis: clarum eſt ꝙ hic quoque degentes, illam
,, habitamus ciuitatem. In veſtris enim degimus animis. & vbicūque fue-
,, rimus, omnes vos qui vehemētes eſtis noſtri amatores, in cogitatione cir-
,, cunferentes abimus. Sed enim reuertendum eſt vnde diſceſsimus.

Atque ſic quidem cum vt diximus duceretur Cucuſum quod eſt oppidulum ſolitudinis, eum excipit Adelphius qui erat Epiſcopus Anabiſi, non caſu ſed diuina quadam viſione iuſſus eum excipere. Sed nec hoc erat extra diuinam prouidentiam, ꝙ magnus ille exilio illic eſſet condēnatus. Nam cum poſt illa, ex hominibus qui impietate & ignorantia omnino laborabant, ſimulachra autem & arbores & nemora per ſummam colebāt inſcitiam: qui autem paulo plus ſapiebant, Sol ab eis adorabatur, ex iis ergo quidam, de magno enim Ioanne acceperant auditione cum quēdam adduxiſſent paralyticum in lecto decūbentem, rogabant vt eum curaret. Is vero cum tempus rogaſſet morbi & religionem, vbi audiuit tempus quidem eſſe octo annorum: ab eo autem coli ſolem. Oportet ergo ſolem tibi mederi, dixit paruum ſubridens, ſi hic eſt Deus tuus, Sed nec ipſe poteſt, inquit ille, abſque Deo quem habet. Audimus enim ſoli quoque eſſe Deum quem colit. Quid ergo, dixit reſpondens ſanctus, non illum potius Deum colitis quem ſol quoque colit? Sed nos, inquit ille, non audemus ille enim, inquit, eſt magnus & qui poteſt ſolo nomine horrorem afferre. & ſi quis non fuerit eo dignus & liber à peccato, ſimul atque acceſsit ad adorandum, igne diuino comburitur. Cum autem ſanctus hæc dixiſſet eſſe fabulas & artem maligni, qui iis qui parent mercedem conciliat interitum: & Deum huius ſolis eſſe Deum eorum quæ ſub aſpectū cadunt & quæ non cadunt. nec vllum ex iis qui ad eum accedunt reiici, etiamſi ſit peccator, modo eum ſubierit pœnitentia eorum quæ præceſſerunt. Solum itaque, inquit, crede: & ſtatim cū curatione corporis ſequetur etiam curatio animæ. Cū ſic dixiſſet ſacroſancta illa lingua, dixit ægrotus ſe credere & ſe nullum alium amplius Deum eſſe culturum. Tunc ergo beatus cum membra eius obſignaſſet 32 Domine, inquit, qui paralyticum quem per tectum cum ipſo lecto tibi demiſerunt, ſolo verbo curaſti, hunc quoque ad gloriam tuam & agnitionem tuo nutu cura. Hæc cum dixiſſet, ſtatim ſurrexit qui ægrotabat & ſtetit ſanus, vt qui fructum pietatis accepiſſet robur corporis: aut potius per morbum corporis deductus fuiſſet ad ſanitatem animæ aut etiam vtriuſque.

32 *Obſignatione membrorum paralytici, & oratione ad Deū fuſa, morbum curat.*

Hoc miraculū facit regionem cum toto cœtu credere, & innumerabiles accedere ad baptiſmum. Cum ergo ſeptem Eiſcopos cum Presbyteris & Diaconis ſufficientibus multitudini eorum qui crediderant eis ordinaſſet, inueniſſet autem quoſdam ex eis bene ſcire græcum ſermonem, eis tanquā

lingua

lingua vſus, diuinum Dauid & totum nouum teſtamentum per ipſos græce interpretatur. & formam quidem tradit 33 incruenti ſacrificij. docet autem ea quoque quæ ſunt noui teſtamenti, Deinde tradit etiam eis regulas pſalmodiæ & orationum. Cum ergo paucis diebus vidiſſet hanc recens ſtructam eccleſiam multiplicari, quinetiam Chriſti præceptorum non paruam in eis fieri incrementum, Deo magnas agebat gratias & exultabat ſpiritu. iis qui ex eis erant infirmi medicas manus imponens, & id quod eſt omnium pulcherrimum gratis largiens. Sed ille quidem in his. eorum autem qui inimicitias temere exercebant, aut eorum qui Deo & Ioanni adhærebant res quomodo? Quicunque ei communicauerant, Epiſcopi vt ſemel dicam ſacerdotes, qui propter pro Chriſto zelum odio habebant Eccleſiam malignantium, ij omnes bonorum publicationes, relegationes, mortes, & varia ſupplicia ſubierunt. Etenim oportebat hic quoque cum bonus Paſtor ad imitationem primi veniſſet in manus impiorum, diſpergi quidem oues, eas autem eſſe quoque cum magiſtro moleſtorum participes. Licebat ergo videre alios quidē implere quæ propè erant cuſtodias: alios autem cōdemnari habitare terras & inſulas procul ſitas, multis & grauibus tormentis prius confectos.

33 Nota, formam tradit incruenti ſacrificij, id eſt Miſſæ celebrationis.

Quæ autem fiebant in itinere, ea erant alia quædam tragœdia & planelias malorum. Nam cum nacti eſſent ſęuos & improbos eos qui ducebant, eis nihil omnino parcebatur: neque in eos vlla oſtendebatur clementia & benignitas: nec cum eis ita agebatur tanq̃ fuiſſent homines commiſſi hominibus: ſed tanq̃ feris potius aut Dæmonibus inanibus & homicidis. & ideo ducebantur acerbe & immiſericorditer. alij quidem ſic vexati in itinere. alij autem nudis & non ſtratis mulis iniecti non ſecus quā ſi eſſent onera inanima. Sed quis inſignem eorum dixerit inſolentiam, quis probra, ludificationem, ſubſannationem, irriſionem, quæ plagis & flagris animā tangunt vehementius: et efficiunt vt mors acerba ſit magis optanda iis qui patiuntur. Vt autem illorum dedecus haberent pro delitiis, non in domos orationum, non in aliqua alia habitacula in diuerſoriis eos introducebant: ſed in fornicibus & proſtibulis eos execrandi & ſcelerati includebant. Hæc autem omnia parua ducebant viri egregij, & malebant quidlibet potius pati, q̃ ab Ioannis parte & communione, hoc enim erat eis grauiſſimum, excidere. Quicunque vero potuerunt effugere manus perſecutorum, ipſi quoque nihilo ſecius fuerunt ſibiipſis tortores, vt qui ſe ſolitudine & extremis quibuſdam finibus condemnarint, vt qui magis elegerint habitare cum feris quàm viuere cum hominibus feris longe agreſtioribus.

Non multi dies præterierunt: & Arſacij fidei committitur qui ordinatur Patriarcha Conſtantinopolitanus. proh dolor, quis poſt diem? Qualem virum qualis annoſus, vt ita dicam, truncus excipit, facilitate eorum qui rerum potiebatur? Vir qui vixerat plus quam octoginta annos, loculo magis aptus quā throno: delirus & emotæ mentis. in dicendo quidem minime facundus: ad aliquid autem quod oporteat excogitandū ineptiſſimus: ad agendum vero ignauiſſimus. inanimis non multum diſſimilis. lecto dignus & angulo. Qui cum ex ſe eſſet inutilis: deinde etiam ex alia parte accepiſſet aduerſariam populi in Ioannem beneuolentiam, erat plane omnibus inuiſus & contemptus. Cum itaque quatuordecim

menses vixisset in sede, præ ipsa quidem naturæ hebetudine ignauiaq; & quasi torpore, nõ minus quam si naturalis finis ei euenisset præmortuus: neque vllum, vt ita dixerim, viui opus interim effecisset, excessit. Post eũ autem, viro cuidam educto ex Presbyteris nomine Attico traditur clauus ecclesiæ. Quo quidem tempore Ephesim cum nullo coërcente metu licentiam arripuissent, omnia mouere & transmutare sicut eis videbatur studebant. eos quidem qui recte & vt Deo placebat in sedibus erant collocati expellentes: quosdam autem sceleratos & profanos ad animarum exitium collocantes. cum ordinationem nulla perscrutatio præcessisset aut examinatio. sed perinde acsi esset res leuis & facilis, qui voluerat aut potius qui dederat ad sedem perueniebat. Quo tempore qui ab illa quoque beata anima iuste eiecti fuerant ab ecclesiis, rursus non difficiliter fuerunt introducti. sed hos contemptores apte aggredientes, eas emerunt pecuniis. Qui quidem Heraclidem quoque cui ab illo & septuaginta, scilicet Episcopis digne commissus fuerat thronus Ephesi, cum inclusissent & ab ecclesia expulissent, Tribuni Victoris Eunuchum, in sede virginis, malè ô iustitia & Dei patientia, malè & indigne collocant. cum non esset semi malus nec tolerabiliter improbus, sed aperte Cinędus & execrandus.

Porphyrij autem audaciam & insignem illam rei impudentiam quis lubens silentio præterierit? Is senex, & in improbitate, vt qui in ea ab ineunte ætate esset eductus, accurate versatus: præter temporis autem longitudinem nihil remisisset de intemperantia, sed contendisset vel natura videri superior in rebus turpissimis, postquam magnum iam Flauianum eorum qui in cœlis festum agunt tenebat chorus, captus desiderio in ecclesia Antiochena exercendi tyrannidem, cum obseruasset tempus in quo vniuersa ciuitas exierat, vt est mos ei antiquis, ad spectacula quæ fiunt in Daphne, Antiochum habens & Seuerianum & Acacium qui erãt aperte inimici veritatis, opem ferentes eius cupiditati. est enim simile simili amicum, inuadit sedem vt qui esset fur & non pastor: & ab his execrandis ordinatur. qui ei rei tantam adhibuerunt celeritatem, vt nec quæ de more quidem solent fieri locum habuerint. Sed isti quidem consecratores cum hæc facta essent in tenebris, se statim in pedes coniicientes fuga sibi consuluerunt, astris viam notantes: & montibus inuiis se committentes. Ciuitas autem cum quod iam factum fuerat sensisset, publice omnes conuenientes, sarmentaq; & ignem tenentes in manibus, ipsi quoque zelo non minus inflammati, irruperũt ad Porphyrium. (Sciebat enim qualis esset eius vita q̃; insolens & quã execranda) cum ipsa domo Episcopatus eũ volentes comburere. Is autem cum sensisset conceptum in se odiũ, Duce exercitus corrupto pecuniis, persuadet aduersus zelum fidelium pro pietate, iram armare dęmoniacam. statimq; fuit congregatus in eos exercitus sęuus & immanis, & quem ne facile quidem potuissent aggredi qui aciem instruxissent.

Deinde excitata est magna persecutio aduersus ecclesias. & imperatoria edicta & decreta, suggestione Attici, nullus enim pius ei volebat communicare, proponebantur per ciuitates, quę dicebãt. Si quis Episcopus Theophilo nolit communicare Atticoq; & Porphyrio, eiiciatur ex ecclesia, & priuetur bonis: ex laicis autem, qui magistratus quidem gerunt, ab honore excidant. militibus vero auferantur cingula. communis autem mul-

titudo & quę est occupata inartibus,auro multata damnetur exilio. Hęc faciebant multos vel inuitos communicare. à quibus iudicabatur quid magnum & minime tolerabile excedere à pecuniis & priuari gloria. Multi autem cum voluntarium elegissent exilium, elegerunt potius solitudinem & Monachorum tuguria habitare quam ciuitatem. Sunt etiam qui ex animi magnitudine omne periculum subire satius esse duxerunt, quàm facere aliquid quod discreparet, & esset indignum pio ac religioso vitæ genere.

Hæc cum ita se haberent, nõnulli Episcopi & clerici qui stabant à partibus Ioãnis, pro Ioanne & quæ malè se habebat ecclesia zelo instincti: quomodo enim non oportebat eos qui vel mediocriter Dei metum in vtero concipiebant & parturiebant? ad veterem Romam veniunt: & cum ipsi Imperatori Honorio & Innocentio Papæ in conspectum venissent: & illam grauem explicassent tragœdiam: quinetiam tres reddidissent epistolas, quarum vna quidem erat egregię illius animę & linguę, aperte omnia sigillatim persequens: altera autem communis cleri Constantinopolitani. tertia vero erat quadraginta Episcoporum qui cum Ioanne communicabant. Quas quidem cum communiter tradidissent, effecerunt vt qui eas acceperant, tantopere perturbarentur: & eorum animis tantum zelum immiserunt, vt ambo statim scriberent ad Imperatorem Arcadium, profundi somni eum arguentes in iis quæ ab ipso gerebantur. & ꝙ non honeste nec iuste sed plane nefarie fuit decretum Ioannis secundum exilium. & quòd oportet omnino, si est ei aliqua honesti ratio & pacis ecclesiarum, Patriarcham quidem rursus restitui ecclesiæ: & Episcoporum synodum fieri Thessalonicæ, vt quæ sita sit in medio eorum qui ab oriente veniunt & ab vrbe Roma. adesse autem etiam Theophilum, vt qui fuerit præcipua causa eorum quæ improbe facta sunt in hac relegatione. & sic causam Ioannis ab animi perturbatione alieno & iusto iudicio decidere. Propterea enim, aiebant, aliquot Italiæ Episcopos qui recta incedunt cõscientia, et sunt acres iustitię defensores, propter hoc ipsum emittere statuimus.

Cum has itaque litteras cum actis quæ propter hãc causam facta sunt à synodo Episcoporum Italorum sanctus accepisset Æmilius, erat autẽ is Episcopus Beneuenti Cathegiusq́ & Gaudentius cum Valentio & Bonifacio Presbyteris, Roma inierunt iter versus Byzantium, sequente Quiriaco & Demetrio simul cum Palladio & Eulysio Episcopis qui cum Ioanne communicabant. Ii enim prius descenderant, & Romanorũ auribus omnia aperte exposuerant. Cum autem iam in Græciam nauigassent, comprehensi fuerunt à quodam tribuno militum mente valde corrupto & deprauato. Qui cum eos cuidam ex suis tradidisset, non concessit vt viderent Thessalonicam, cum vellent illuc prius proficisci, & Anysio Episcopo tradere missus à Papa litteras. Cæterum hoc quoque erat inuentum & artificium mulierum omnium sceleratissimæ Eudoxię. Nam cum ipsa accepisset fuisse missos Episcopos Italos, & quanam de causa venirent, hæc prius est machinata, & obstitit menti eorum qui miserant. In duas itaque naues diuisi ab eo qui acceperat, decimo die appellunt in quendam locum non multum distantem à ciuitate, qui erat prope suburbana Victoris. Deinde cum illinc quidam alius nomine

Marianus eos accepiſſet, nec ille quidem ſine arte & malitia, ſed ad hoc miſſus ab Imperatrice, eueſtigio eos duxit: & in cuſtodia Thraciæ, quæ vocatur Athyras, violenta mente & manu eos incluſit.

Seorſum ergo Romani & Quiriacus Epiſcopus cū ſuis incluſi, acerbe torquebantur: grauiter examinabantur: afficiebantur malis innumerabilibus, & ab eis exigebantur epiſtolæ. Cum autem dicerent ſe non daturos niſi vidiſſent Imperatorem cum eſſent legati, primum quidem vno miſſo ex patriciis, deinde aliis quoque viris illuſtribus & epiſtolas exigentibus, tandem quidam Valerius nomine, genere Cappadox, moribus belluinus, ex re impudentiſsima & violenta volens ſibi nomen comparare, vnius ex Epiſcopis, apud quem erant litteræ ad Imperatorem & ad alios, fracto pollice, eas aufert, & pugillares, & ſacra vaſa, & quidquid argenti erat eis vſui. Quod ipſum quoque malo conſilio factum eſt. vt cum eis deeſſent quæ ſunt ad vſum neceſſaria, cogerentur aliquid facere præter ſententiam. Die autem ſequenti, incertum an ex iis qui erant Imperatricis, an ex iis qui erant Attici, quidam accedentes, volebant eos non gratis nec paruo pretio, ſed acceptis tribus millibus aureorum, cum Attico quidem communicare, Ioannis vero cauſam negligere. Cum ij autem id paſsi non eſſent, nam aliquid quoque acciderat diuinitus. Æmilij enim Diacono Paulo nomine, qui erant moderatus & temperans, diuinus Paulus in ſomnis apparens. Videte, inquit, vt caute ambuletis. dies enim mali ſunt. tacite ſignificans fraudem ad quam muneribus & blanditiis eos ſtudebāt inducere. Cum ergo non paſsi eſſent, ſed hoc ſolum peterent vt liceret redire ad eos qui miſerant, Valerius iſte cuius inſanum & violentum facinus fuit fractio pollicis, cum non ſolum eſſet audax & violentus, ſed etiā ad maleficium, vt res ipſa indicabit, callidiſsimus, naui iam vetuſtate fatiſcenti & putridæ, vt eos aperte perderet, committens, ſceleratus iuſsit eos abire. Cum ergo parum abſuiſſet qui inciderent in periculum, vix tandem euenit vt appellerent Lampſacum, & cum illic mutaſſent nauigiū, poſt quatuor menſes venere Romam. Innocentio itaq; narrant quæ acciderant Quiriaco & Palladio, an aliquid eis factum eſſet ignorantes: ſed nec de Ioanne valentes ſcire quid accidiſſet. Quæ quidē omnia obtuſum latebant Arcadium vt poſtea ſcire licuit.

Sed enim rurſus redeat oratio vnde eſt digreſſa: & narret ea quæ reſtāt de illo magno Ioanne. Admirabilis ergo ille Ioannes cum Cucuſum veniſſet, & in ædibus Adelphij, vt iam diximus degeret (illic enim eum reliquimus) multos quidem pauperes aluit pane terreſtri, tunc enim grauiſsima fames eum locū inuaſerat: longe autem plures nutrimento quod à lingua ſuppeditabatur, quod & cor confirmat & mentem illuminat. Quam multas autem de multis neceſſariis habuit orationes? Quid, in ex iis quæ contingunt aſpera & moleſta, potuit linguam ſiſtere quæ fluebat inſtar fluminum? Habuit etiam non paucas de patientia: & q̄ non ſolū oporteat non eſſe ſocordes, ſed nec offendi moleſtiis quas cōtingit perpeti. Multæ quoque ab eo diuinæ ſcribuntur epiſtolæ ad ſanctam Olympiadem, in quibus ſæpenumero vnum dicit eſſe terribile, nempe peccatum. & ei recenſet moleſtias quæ euenerunt in itinere. & eam mœrētem propter eius priuationem ſtudens recreare, efficit vt non ſit deſperandum fore vt eum rurſus conueniat. Quoniam quemadmodum cum via moleſte

lestè in summo æstatis vigore peragéretur, & vehemens eum febris inualit & mala stomachi. & qui his longe erat grauior, sceleratus Gallus cui fuit ad ducendum vir ille iustus commissus. Præterea autem, quemadmodum cum ad quoddam venissent diuersorium, omnia illis molesta acciderunt. eorum qui ipsorum curam gererent solitudo. inopia rerum necessariarum. (Vt or. n. illis eisdem verbis aureis) nullum adesse medicũ. metus irruptionis Isaurorum: & spes fore vt mox in eorum manus deuenirent. Quid verò qui præter omnem bestiarum feritatem in eum furebant Monachi, minantes se eum combusturos esse cum ipsa domo. & quemadmodum à febre malè affectum & de itinere valde festũ, qui eum abducebant, non modo eum nulla dignati sunt misericordia: sed eos etiam qui volebant prohibebant, minantes eis extrema & omnium maxime terribilia. Propter hæc autem qualem viam peregit, nempe arduam, lapidosam & difficilem. idq; cũ ægro posset ingredi, vtpote q; ei esset malè affectum corpus, quantum ex eo scribente sciri potest, quando etiam rogat beatam vt ei curæ sit vt non sit relegationis via longior, dicens. Mihi mille exiliis est ingredi difficilius. Hęc & alia his plura quæ facta sunt post relegationem, inuenerit quispiam has epistolas referentes.

Sed illuc rursus reuertor. Cum enim magnus ille Cucusi, & corporis nutrimento non paucos, & plures nutriret pane animæ, accensa ex eo inuidia facit eum rursus migrare Arabisum. Volebant enim illi scelerati & planę deploratæ improbitatis, cum ei malefaciendi nondum ipsos cepisset satietas, eum tam frequentibus cedentem afflictionibus vitam sic amittere. Sed illuc quidem abductus maioribus afficitur vexationibus. sed apertę ostendit se à Philosophia effectum superiorẽ quolibet quod posit accidere & ex his maioris virtutis sumere occasionem: & per ipsa lætus resplendere, perinde atque in igne lucem ei suggerente maiore materia. Sic ille qui erat re uera inuictus, & nec ab afflictione, neque ab vlla alia molestia superatus, sic affectus afferebat potius molestiam Sycophantis. eiusq; laus & fama valde angebat eorum animos. Quam admirabilis res est virtus magniq; facienda & beata iudicanda ab iis qui sapiunt? Nam ille quidem tot malis appetitus, manebat inuictus & inexpugnabilis, & re quæ intentabatur qualibet superior. Ii autem in quorum potestate erat hæc facere, erant miseri & timidi, & quo non miseriores? pauperem, eronem, exulem formidantes. & licet tanto esset interuallo disiunctus, efficientes vt pluribus remoueretur finibus. vt nec eius quidem fama eo perueniens inuidos eorum animos sauciaret. Hinc Pityuntem, cum sic eis esset imperatum, traducitur ab iis qui eum custodiebant. est autem id oppidulum valide desertum, situm quidem ad dexteram in fine maris pontifici. est vero finis Romanorum imperij, contiguus barbaris & crudelibus gentibus.

Cum ergo iam esset in itinere & ad hoc vltimum duceretur exilium, iam ad Deum potius profecturo & cessaturo ab his magnis laboribus, paucis ante diebus noctu præcanti, Petrus ille magnus & Ioannes, quos etiam viderat in principio vitæ ex Deo agendæ, rursus ei apparent, & lubenter eum alloquuntur, recreantes à laboribus, & victoriam aduersus Dæmones suauissime annunciantes. Deinde cum ei gratum excessum prędixisset, & quę eum quidem bona mox essent exceptura, mala autem

Eudoxiam eius persecutricem, Comede dicunt, quędam ei cibum ostendentes. quem cum comederis, non erit tibi opus alio, donec eum sumes nobiscum in quem non cadet interitus. Hæc & illi dixerunt, & ipse sumens comedit. & sic illi quidem recesserunt. ipse autem satis recreatus, lingua læta & florida, Christo qui eum tam pulchra impertiit consolatione egit gratias. Sed quis est qui hæc in lucem protulit? dixerit quispiam acrioris ingenij. Clarum est enim quod non ille, qui res suas valde celare sciebat. In promptu est quod respondeatur. Duo enim Presbyteri & quidem ex Diaconis, qui magno capti eius desiderio elegerant peregre cum eo proficisci, laborumque & dolorum eius esse perpetuo participes, oculisque & auribus hæc diuina acceperant, & hæc aliis similiter tradiderunt.

Cum autem quatenus iam finis appropinquabat, oporteret scepta magis attolli conuenienter animi alacritati Athletæ, cum duceretur in exilium, ij quibus commissus fuerat, eum tam longis & tam vehementibus vexabant ambulationibus, vt vellent eum morti tradere, nimia celeritate victum & afflictione. Itaque cum & imbres deciderent vehementes, & sol vreret ardentissime, tunc & prolixior erat eius deductio, & ab eo postulabatur vt intense ingrederetur. Vbi autem erat ciuitas aut locus aliquis, aut corporis defessi recreatio, aut lauacri solatium, aut aliqua alia breuis laborum remissio, ne parum quidem eum volebant illic manere, cum sic eis fuisset imperatum. Merces enim crudelitatis eis promissa fuerat, maiorum honorum consecutio. Sed cum ille hanc viam difficilem perageret ieiunus, vultum habuit longe lætiorem, iis qui assidue vacant delitiis & compotationibus. Atque Pityuntem quidem definitum ei locum exilij, vt ei Epiphanius prædixerat non peruenit. Sed cũ esset prope Comanos & diuersati essent in martyrio Basilisci, quem aiunt quidem fuisse Episcopum: tempore autem Maximiani in ciuitate Nicomediæ subiisse certamen martyrij & vicisse, & corona fuisse redimitum, ei apparens in somnis Basiliscus. Bono animo esto, inquit, ò frater & lætare, ambos enim coniunget dies crastinus. Dicitur autem Æedituo quoque Martyrij die præcedenti apparuisse, & dixisse, Para locum fratri Ioanni venit enim.

Cum autem simulatque illuxisset, viam rursus essent ingressuri, diem sciens magnus Ioannes tanquam ex responso, rogabat eos qui abducebant vt sinerent eum manere in loco. Cum illi autem non concessissent, sed instar volucris triginta stadia confecissent, ipse cuius voluntate omnia administrantur, ipse ò miraculum, effecit vt errorem subeuntes redirent in illum locum. eosque rursus habebat ædes Martyris Basilisci. Cum autem & tempus vocaret & iam adesset hora eius ad Deum migrationis, & egregia illa lingua esset tacitura, & claudendi essent oculi nunquam puræ illius animæ, & insignes temperantiæ summa pulchritudine, omnem quidem quam secum attulerat suppellectilem diuisit iis qui aderant. Deinde etiam cum exuisset ea quibus erat indutus, ea quoque donat. & cum se ad calceos vsque lætius & alacrius composuisset. vt etiam iis quæ apparebant liceret cum iis quæ erant intus, celebrare diem festum eius excessus
34 & migrationis & cum sic ornatus diuina sumpsisset 34 sacramenta, &
Ecce quomodo sancti consuetam effatus esset precationem, Gloria tibi Domine propter omnia: at
exitum suum diui- quinetiam se signasset signo 35 crucis cum qua vixerat: & pedes extu-

lisset, pedes inquam illos speciosos & vere apostolicos, beatum illud iter init,vt Christum videret:cum Christo versaretur. Christi perpetuo exul taret pulchritudine. sibi quidem felix ob decessum & migrationem: magnam autem afferens tristitiam iis qui res illius pulchre nouerant: & quibus vel modicum sui mellis gustum præbuerat. Fuit autem dies eius decessus, qui fuit viuificæ Crucis quam ex re ipsa solemus vocare axaltationem,quæ,vt omnes sciunt,celebratur 36 quartodecimo Septembris. Oportebat enim eum qui se nulli rerum præsentium dediderat, sed se totũ mundo omnino crucifixerat,& in nulla re alia gloriatus fuerat quàm in cruce Christi, eo ipso die festo crucis, eum ipsum quoque deponere puluerem quem habebat ex hac materia, & mundum peruenire ad eam quæ est in cœlis conuersationem.

nis muniunt sacramentis.

35 *Moriturus Patriarcha signat se signo Crucis cum qua vixerat.*

36 *Vide antiquitatem festi exaltationis sanctæ Crucis in Ecclesia.*

Tunc autem existit quoddam manifestissimum indicium omnium amoris in sanctum. Nam cum iam ad multorum aures peruenisset eum decessisse: & communis iactura in omnem partem peruaderet,multitudo innumerabilis, multitudo incredibilis virum simul & mulierum quæ pie exercebantur, ex ipsa Syria & Cilicia, ex Ponto & Armenia confluebat ad 37 adorandum beatum tabernaculũ. Quod quidem,cum ei de more sacri dicti fuissent hymni & psalmodia, & vix effugisset eorum manus qui ipsum tanquam viuum accipiebant & cum gaudio complectebantur, & id contendebant quidquid fieret non dimittere, deponitur prope Basiliscum martyrem. re uera dignum omnibus laudibus, vt quod tali fuerit animę coniunctum,& talium laborum fuerit ei socium,et ministerij grati ei qui ipsum creauit. Ad laudem ipsius boni Dei nostri,ad cuius gloriam ipse omnia faciebat, & vnigeniti eius filij, & viuifici spiritus. Quæ est beata & principalis trinitas, Quam decet gloria honor & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

37 *Nota maximum hominum cõcursum ad adorãdum sancti corpus Nota etiam christianam eius sepulturam cum hymnis & psalmodia atque depositione apud sanctum Martyrem.*

LEONIS IN CHRISTO ÆTERNO

Rege Imperatoris, Oratio encomiastica de magno Dei Pontifice & communi orbis terræ portu.
Ioanne Chrysostomo.

Nouemb. 13.

VIRI virtutem laudare iussus,viri, inquam cui cognomen est os aureũ, puto à me exigi vt flammeos currus ascendam,aut miracula ostentem Mosaica. Perinde est enim, vt ego sentio, illa quempiam audere aggredi, & lingua laudare linguam illã vere auream,& quæ vniuerso mundo seipsam præbuit pretium redemptionis. Sic autem mihi cepti audaciam cogitãti,cum res videatur eiusmodi, prohibita est omnino obedientia. arbitranti tutius esse præponere inobedientiã,cũ formidabilis sit obedientia periculosaque & supra vires. Quid vero, quoniam est periculosum,an ne eo vsque quidem tacendum est, vt nõ dicamus quàm multorum causa cernatur obedientia: an iuueniliter ab initio aggredientem dicere, propter fidei ardorem, aut illius viscerum benignitatem, immittere se oportet in mare encomiorum? Et quisnam cernitur virum illum adeo ignorare, qui non solum vt mutus & surdus sit loqua-

cissimus, sed etiam vt lapides clamorem emittant, creditur posse efficere? Horum enim fidem faciunt flammæ desiderij, quas spes in altum sublata conciliat. quomodo etiam magnus Apostolus præcipit scribens. Multũ valet iusti oratio operans. hoc est, Quæ operationem consequitur ex eo ꝙ non dubitant qui accedunt. Quamborem mittenda quidem est periculosa existimatio: paternum autem iussum curare oportet, ei qui ante omnia omnium est bonorum causa. patri luminum. ex quo omnis datio bona hominibus, vt sacris scribitur litteris, & omne donum perfectum, mentem dedicando, & sic incipiendo.

Atque si magno quidem Chrysostomo videretur deesse vitę splendor, dogmatum cœlestium tonitru. miraculorum terribilium fulgur, & alia omnia, quibus vir diuinus in terra etiam priusquam hinc migret, describitur & exprimitur opus haberet conuenienter legi encomiorum, cerea claritate, diuitiis, inquam, & patria & gloria, & aliis omnibus quæ in bonã adducunt existimationem. quibus eius parentes in Antiochia cœles Syriæ insignes, omnes illo tempore facile superarunt. Quoniam autem magnitudo eorum quæ illi insunt bonorum, non minus tegit ea quæ sunt corporis, ꝙ̃ emissio radiorum Solarium fulgorẽ astrorum pulchritudinis, cauendum est ne propter rei humilitatem & abiectionem, in eiusmodi argumentis versetur oratio. & ad ea eundum est ad quę cupio pro viribus. Par est autẽ mihi animum adhibere, dicenti eius honestos & compositos mores in tenera ætate, de his audire maius esse putantes ꝙ̃ cuiuis alij quæ expetitur se dedere operationi. Nam hoc quoque est expetendum nosse motum communis luminaris.

Is cum adhuc ventitaret ad eos qui Antiochiæ pueros erudiebant & exercebant, erat magister virtutis, non solum æqualibus, sed etiam *ipsis* magistris, & viris & patribus & seruis. moribus inimitabilis. in consuetudine moderatus. quę excelsum reddit humilitate ornatus. ludos suorum æqualium ludum plane existimans. & ab aliis sordibus expurgatus etiã ante diuini lauacri expiationem. Post diuinum autem lauacrum, quod Meletius magnus Pontifex Antiochenus, primum quidem dat magno Ioanni, postea vero eius quoque parentibus, nondum enim eis illuxerat lux diuina, vt qui paternarum traditionum, quomodo magnum quoque Paulum audimus, essent æmulatores, ad solidiorum eorum quæ sunt ex verbo alimentorum participationem Ioãnes adducitur. ingenij dexteritate se illis conformem reddens, quibus diuinus qui inest timor, scit largiri præceptorum obseruationem. carnis purgationem. diuinam illuminationem, & quem diuinæ dicunt litteræ finem desiderij. Ante omnia autem imitãs Iesu humilitatem. cuius breuis quædam detur narratio ad id quod dicitur cognoscendum. Audite vos pueri qui. Vos iactatis parentũ gloria fastu & diuitiis. & imitemini. Curæ erat parentibus vt ei esset equus, famuli & magnus comitatus, eunti ad disciplinam. Ille autem omnia contemnebat. Persuadebat omnibus vt imitarentur Iesu humilitatem. speciosos pedes præparans, vt leuiter currerent ad Euangelium. Danielem, pueros. Dauidem, verbis exemplum proponens. Illos quidem, ꝙ per ipsam ab eis ea præclare gesta sunt quæ sunt supra hominem. Hunc vero ꝙ cum aliis est etiam disciplina Dei iustificationum, dum dicit. Bonum mihi quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.

Cum

Cum ipse in his resplenderet, breue effluxit tempus, & secũdo, hoc enim erat nomen patri, contigit vitæ exitus. Quid verò mater, ætate florens & nomine, Anthusa enim dicebatur quod est florẽs? Simul florens & simul oriens, habebat ipsa id quod erat omnium bonorum speciosissimum. Ipsa cum aliis solicitudinibus quę sunt multę viduitatis magno amore curam gerebat vt filius incrementum acciperet, vt quæ vere esset illius mater. ipsa quoque illi rursus se formam præbens & resplendens. Qua ratione speciose quoque fructus præbent coniiciendam causarum nobilitatem. Cum aũt teneretur amore 38 philosophię & dicendi facultatis, ventitat ad primos doctores ex iis qui erant Antiochiæ. Libanius aũt tunc erat & Andragathius. Qui breuissimo tempore ea percepit, quæ longis annorum & noctium curriculis aliis vix tandem percipiunt, sedens optimus iudex eorum quæ percipiuntur intelligentia. & ea quidem quæ erant vtilia sua confirmans sententia. quæ autem à nugantibus aut oscitantibus fabulose conficta fuerant, iubens multum valere. Post eos, quoniam satietatem nõ poterat capere ingenium quod tenebatur amore contemplationis meliorum, migrat ad magistros qui erant Athenis matre doctrinæ. Quo etiam in loco cum quæ sunt optima capacissimo ingenio, citius q̃ spongia humorem, hausisset, erat magnæ omnibus admirationi. Hinc aduersus eum locum occupat inuidia excitata eius bonis excellentibus. Modum autem significet oratio, etiamsi maxime curet & vitet satietatem.

38 *Vides sanctos externis disciplinis operã dedisse?*

Mir. 1.

Anthemius sacerdos quidam Mineruæ, tunc Athenis in tanta habebatur admiratione, vt etiam ei fecerint statuam quæ omnes trahebat ad admirationem. Sed is quidem celebratus euadit arrogantia. Ioannes autem mansuetudine & humilitate & moderatione spiritus. Veniunt hęc ad aures Demosthenis qui erat Prefectus vrbis. & vt fit in rebus eiusmodi, capitur Præfectus amore faciendi periculum vt cognosceret eum qui excellit virtute. Congregat omnes. accersit Ioannem. Curru eum honorans iubet venire. Ille vero hoc quidem recusat, venit autem suis pedibus. Hoc efficit vt Ioanni quidem cresceret honor cum admiratione, & in gradu & in honore cathedræ: Anthemij autem aperiretur. quæ latebat inuidia. Nam cum ipse vidisset honorem quem adeptus erat Ioannes, & q̄ in cathedra esset ei superior, cum se non posset amplius continere, hæc quidem dixit. Ciuitatis mores sunt, vt video, innouati. nouæ leges sunt propositæ. Quæ sunt antiquorum, quæ sapientum, quæ familiarium priuilegia, ea tradita sunt hospitibus & aduenis. Non animaduertit autem se per hæc seipsum veteri honore priuare. cum venisset omnibus in suspitionem q̄ hæc dixerit propter inuidiam. Has iure pœnas de eo sumit iniustissima inuidia, q̄ eam genuerit ei reddens alimentum. Vide autem quæ consequuntur. Non oportebat te, inquit Præfectus, qui te iactas de philosophia, tanquam vnum ex vulgo aut ex agro feras venantem, aut aliquẽ ex iis qui latrocinantur, ita clamare & tumultuari. Nam multa sunt propter quæ Ioannes dignus est qui honoretur. Nempe q̄ & sit filius secũdi magni Ducis exercitus. & q̄ canos homines superauit disciplinis. Quinetiam q̄ à nobis coactus accepit hũc honorem. & ante omnia humilitas, est ei horum causa & conciliatrix. Sed hæc quidem Præfectus.

Quid verò Ioannes qui mansuetudine contemperauit iustitiam? primum quidem respondet iis quæ ei obiecit Anthemius. Deinde se Iesu di-

sciplinæ & iis quæ illa libere profitetur, se totum esse deditum paucis ostendens, plausu omnium excipitur. Licebatq; videre oculis orationem Ioannis refulsisse illuminatione sancti spiritus. adeo vt diceret hoc videns vrbis Pręfectus. Reuera Græcorum disciplinę cum doctrina Christianorum nihil omnino conuenit. cum illi quidem laborent insana gloriæ cupiditate: hi autē ingrediantur via illis contraria. Post hæc sequitur Ioannes, & ardore mouentis eum spiritus publice libere profitetur pietatem: in gentes inuehitur, eorumq; Deos & Dæmones. Saturnum, & Iouem, & Mineruam, & Appollinē, & reliquam Deorum gentilium seriem, serpentesq; & bestias quę ab eis coluntur qui eis debetur honorem afficiens. De quibus ij etiam qui habentur sermones, aiebat, ætherem inficiunt. Quid præterea? veram etiam lucem pergit prædicare sanctæ trinitatis; quæ in patre & filio & sancto spiritu in vna diuinitate & tribus personis, sine principio, & sempiterne, à Christianis contemplatione cernitur & adoratur. Hæc quidem Ioannes. Lætata est autem vniuersa turba quæ sequebatur partes Christi. dolore autem affecti gentiles ira fuere perciti.

Vt paucis absoluam, vna cum eis mouetur quoque Præfectus, iubens Ioānem cessare Deos ludificari. Anthemio rursus datus est dicendi locus. & primum quidem se blandis verbis insinuat Pręfecto. valde autem & prolixe nugatur in Ioannem & eius religionem, illa blaterans quę consentaneum est eum qui colit talia. Sic dixit. Sed ex quo Imperatores, contra dixit Pręfectus, Christo nomen dederunt, in altum sublatum est eorum imperium, cum vbique Christiani longe lateq; creuissent, cum quibus fui ego quoque societate coniunctus & in hunc locum sum deductus. Rursus ergo Anthemio iniectus est camus & tristitia. Eius autem orationem excipit Ioannes, & hæc adiicit, dicens. Vera dicit Præfectus ò viri. Nullus est enim locus ab extremis vsque ad extrema orbis terrarum, vbi Christus non honoratur & colitur. & si quis studiosus hęc velit discere. sciat de Iudęis qui exilierunt ab Hierusalem, q̄ postquā Christus reuixisset, à mortuis, à Romanis bello obsessi, ad tantas redacti sunt angustias, vt suorum infantium carnes pro pane comederint. Qui ergo mihi creditis, ecce Episcopus, accedite ad ipsum, & baptizemini Quoniam aūt diuinum zelum solet etiam metus quidam consequi: Quibus enim animi socordia obsidetur à molli & eneruato spiritu, vtiliter eis metus obiicitur. Eos ergo terret, zelo percitus ille Elias. Qui dicens? Nisi mihi parueritis consulenti quę dant salutem, ecce vos deferam ad Imperatores, & statim moriemini. Est enim mors melior q̄ vita quæ blaspemiis & maledictis incessit vitæ datorem, & minus habere sensus quam canes & volucres & feræ, quæ, iis cedunt quę eas mansuefaciunt mitesq; reddunt & cicures. Cum hæc libere diceret Ioannes, Anthemius grauiter quidem insurgit aduersus Christum, cadit autem grauius. Iam enim os sceleratum nondum cessarat. Christum maledictis incessere: & protinus ab immūdo spiritu correptus Anthemius, afficiebatur sicut Dæmoniaci, horrorem & fugam immitens ijs qui aspiciebant. Deinde quid? Misericordia mouetur Ioannes: & Anthemiū, & si malo adhuc vexaretur, magnis clamoribus confessum non esse alium Deum nisi Christianorū à malo liberat. Cumq; esset redactus in exstasim, omnes quidem afficit admiratione, propter repentinam mutationem. repente autem baptizatur cum tota domo. & sic

confirmata baptizatur multitudo. Nec hoc solum, sed etiam ex iis qui audierunt, omnes filij lucis regenerantur diuino baptismate. Communis hinc omnibus gaudij & lętitiæ exultatio. adeo vt re ipsa liceret intueri quod canitur, lætantium omnium habitatio est in te.

Huius lętitię causam ignorabat Antistes Athenarum. Deinde cum intellexisset, eum statuit adducere ad ordinationem. Quod cum reiciuisset Ioannes, clam aufugit & se reddit patriæ Hinc vbique terrarum fama & sermone erat celebratus Ioannes, cum ad illud tempus venisset quo lanugo solet genas vestire, vt qui annos ageret decem & octo. Quo tempore cum insignem esse Ioannem magnus animaduertisset Meletius, persuadet vt ad se veniat frequentius. Quo tempore dicitur suis condiscipulis, Theodoro qui fuit postea Episcopus Mopsuestiæ, & Maximo Seleuciæ Isauriæ, persuasisse, vt relicta vita augendę pecunię dedita, vitam eligerent tenuem & solitariam. Hinc cum magno Basilio, qui ab ipso Meletio Diaconus fuerat ordinatus, magna iungitur amicitia. & tanta, vt mutuo amore nullus ei esset ęqualis ex iis qui à principio fuerāt ei familiares. Quomodo enim ab artificibus coniuguntur harmonię: aut cum iis quæ in cœlo æquali celeritate mouentur luminaribus inconfusus ordo coniungitur coitionum: aut vt melius dicam, quomodo lux visui, & visus luci coniunctim prębet vt videatur: aut quomodo mentis cum anima, & animę cum mente nota est cognatio: aut vt dicam conuenientius, quo spiritus ignis in specie linguarum, cum verbi discipulis cognoscens coniungitur: ita etiam in his. Homines. n. spiritus, sancto spiritu coniuncti, vnam in Christo charitatis perfectam effecerunt conspirationem. Quodnam autem esset amoris inter eos vinculum, sic ostendit oratio.

Basilius qui iam vitam susceperat monasticam, secū attrahebat Ioānem. Eum autem contra attrahebat materni rursus amoris plena lachrymis oratio. Cum vero clementis & misericordis Ioannis non esset animæ & sapientię, tam multas matris lachrymas, prolixamq́ orationem & viduitatem despicere, tunc retrahitur, & matri se inuitū tradidit, persuasus non tonderi ante eius exitum. Cum materna ergo cura & prouidentia insignis esset Ioānes, Zeno Episcopus ascendit ex Hierosolymis: & populo Antiochenę ecclesię Ioannem constituit lectorem. Tunc autem dicunt eum composuisse sex libros aduersus Iudęos perpetuum recti sui ad meliora cursus tenorem vita & oratione conseruantem. Post hęc cum mater in Dei manus suum tradidisset spiritum, sacrosancto filio concedit libertatem. Atque magnus quidem Dauid in his virum iustum exprimens, dicit. Dispersit, dedit pauperibus iustitia eius manet in seculum. Ioannes autem cum matri vt decebat iusta fecisset, non solum omnes diuitias, partim quidem pulchre dispergit, partim autem Deo pulcherrime consecrat: sed etiam suum in notos & amicos & alioqui familiares. amorem postponens, à vero & qui solus non diffluit pendet amore. & cum vitam suscepisset monasticam, qui etiam ante si vllus alius erat solitarius, tanquā tunc incipiēs dat se monasteriis, quotidie ad anteriora sicut Paulus inquit, se extendens. Cum talis autem cerneretur, rogatur quidem vt fratrum suscipiat pręfecturam: sed minime id sustinet. Decreta autem & ordinem omnis bonę monasticę exercitationis diuinus hic zelotes conscripta eis tradit. Sed quid hęc etsi magna sint, si conferantur cum futuris?

Quę de eo quidem spargebatur fama, cogebat omnes lubenter ad eum confluere. Ipse autem tanquam fons quidam perennis, discernendarum scripturarum aquam effundens minime perturbatam, eam affatim suppeditabat omnibus. Licebatq; videre omnes qui ęstu & egestate & siti diuinorum exiccabantur eloquiorum, ex eius libris tanquam ex vasis, eius claras & perspicuas haurientes interpretationes, & lętos reuertentes in patriam Cum ad hunc locum peruenerim, statui silere. rerum enim mearum testis est conscientia. Quęnam est autem ratio silentij? Quod hinc rerum magnarum exoritur narratio. quarum admirabilitatem narrare, aut laudibus, vt par est, celebrare non possum. Sed quod mihi in principio procemij, id rursus quoque venit in mentem. Et mihi primum quidem ignoscat hic vir diuinus diuinęq; clemētię imitator & fideiussor. Ignoscite autem ex vobis quoque quicunque eius philosophię laudatores estis & in ea vos oblectatis. Beatus es Simon, dicitur in Euangeliis. hæc autem vox est Christi ad magnum inter Apostolos Petrum. Alium quoque Apostolum testatum est super Christi pectus recubuisse. & quæcunque fuerunt vtriusque post hæc beatitudines & reuelationes. & postremo claues regni cœlorum. Num ergo si eodem honore & gloria cerneretur hic quoque Ioannes dignatus, ei deesset aliquid quominus & esset & nominaretur par beatæ illi dignitati & ordini Apostolorum? Nequaquam. Quomodo autem & quanam ratione iam dicam.

Cum Ioanne versabatur Syrus quidam senex, nomine Hesychius, virtute tātus, vt is quoque dignus sit habitus qui assequeretur magnum donum præscientiæ. cuius conuersationis & vitæ agendæ honestatem imitabatur Ioannes. Huic seu aliquādo oranti apparent duo senes induti candidis vestibus, adstātes vbi precabatur Ioannes. Quorum vnus quidem librum scriptum, alter verò gestabat claues. Licebat autem videre Ioannem, cum eos vidisset, adorare. illos autem dicere Confide, & noli timere. Illum vero verbo rogasse quo apellamus Dominos, quinā essent q̄ dignati essent venire ad suam humilitatem. & eos rursus dicere. Ne timeas vir desideriorum noue Daniel, in quo habitat spiritus sanctus. Rex magnus Christus noster magister nos misit ad te nuncios gaudij, gaudij, inquam, quo per te fruentur omnes Dei ecclesiæ. Hæc dixisse, & ei tradidisse, alterum ex his quidem librum, alterum vero claues, subiungendo. Ego quidem Ioannes qui in mystica cœna super Christi pectus recubui, & illinc hausi fluenta Theologiæ. Ego autem sum Petrus, qui Christum Dei viui filium sum confessus. Deus vero tibi quoque dat meam potestatem. Fac ergo omnia quæcunque tibi iubemus. & cum in diuinorum præceptorum mysteriis eum instituissent: & futurorum ei bellorum & afflictionum, quæ iustis hic multæ esse solent, prędixisset euentum, tandē cum vniuersa eius membra obsignassent, eumq; amplexi essent, bonoq; & forti animo esse iussissent, recedunt. Hæc cum ille vere admirabilis vidisset & audiisset senex, apud se mirabatur. Iis autem qui eum sic videbant causam rogantibus, dixit. Regis ô fratres arcana propalare, & Dei aperire miracula, per atque adeo maius affert periculum. & incipiens, totā narrauit visionem. Cui cum data esset fides non sciturum id Ioannem, is mentes omnium impleuit admiratione. Ioannes autem tunc scripsit libros de monastica exercitatione.

Hinc

Hinc ei ascendenti ad fastigium in primis regiæ virtutum contemplationis, & subiicienti audaciam animi perturbationum, diuinitus in eas datur potestas, quæ principatum obtinet mente supernum adiuuante auxilium, & subiungente illarum feritatem. Operæ pretium est autem de omnipotentis quoq; in eum in his munificentia, contrahendo orõnem quo ad eius fieri poterit, breuiter differere. Dominicã fimbriam sicut audiuimus, necessitate morbi adacta illic quidem mulier fide tangens, accipit tactu salutem. Ergo hic quoque imitatur magistrum. Hic enim vir quidam laborabat tanto dolore hemicranij, vt mali vehementia exiliens eius oculus cerneretur pendere à maxilla. Is cum in cassum in Medicos suas omnes consumpsisset facultates, accedit aliquando ad diuinum Ioannem, rogans vt sanaretur. Ille autem dicit ei. Hunc morbũ tibi conciliarunt tua animi peruersitas & pauca fides in Christũ Seruatorem. Ille vero qui laborabat, simul atque hoc dixisset Ioannes, se totum traducens ad firmam & infractam fidem Christi, tangit Ioannes 39 tunicam: & cum eam locis affectis imposuisset, dicto citius fuit curatus.

Mir. II.

39 *Tactu tunicæ Ioãnis, illaq; locis affectis imposita, infirmus statim curatur.*

Post hunc, quidam facie leprosus, qui erat ex proceribus, nomine Archelaus accessit ad Ioannem. & quomodo Zacchæus ille, ad Dominum magnanimo motu fidei, hic quoque dicens & accedens, cũ leprosæ animæ deformitatem, Ioannis eloquiorum quæ maxime expurgabat abluisset aqua, iubet eum quoque aqua putei qua fratres vtebantur lauari. & cum lauasset, eius quoque corpus mundatur protinus Deinde propter summã in Christum fidem quam ei conciliarat illud os vere aureum & sanctum, tondetur. 40 & cum sancte fuisset monachus, insignis euadit & consummatur. Multi ex iis qui tunc erant fuerunt eius imitatores, varia quidem cogitationum vulnera medico aperientes, simplicem autem & facillimam & copiosam assequentes curationem. Vbique tunc de cætero monasteria charitatis abundantia. duplicitatis expulsio. redũdantia humilitatis. diluuium superbiæ. vita in virtute se exercens. oratio pacifica. ciborum contemptio. doctrina verorum dogmatum. Non licebat tunc videre compotationum temulentiam. non risus insolentiam. non lites. non ęmulationem. non aliquam aliam nubem quæ obstat quominus videatur splendor solis. Quorum omnium est caput vnum, benigna cura Ioannis prouidentiæ. Quid alia miracula? Nunc quidem Eucleus ille, qui inuidia Diaboli, alterius oculorũ lucem dicitur perdidisse, credit Christo. accedit. tondetur. tandem Ioannis pręcibus lucem rursus accipit. Nunc autem illa quæ laborabat sanguinis profluuio, septem annos sic affecta, persuadet coniugi, & per eum rogat quidem Ioãnem. ab eo autem docetur causam, ꝙ propter peccata permissum fuit vt puniretur. Quęnam autem ea? Sũmam inhumanitatem. pauperum contemptionem. ingluuiem, & oẽm nugacitatem. Ad hęc, quid opus est dicere multiplicia medici medicamenta, quæ in mulierem excogitauit. Quæ cum omnia per coniugem didicisset, & se ea oĩa esse correcturam fideliter promisisset, celerrime accipit sensum curationis. Quid verò de immani quoque illa fera, quæ multos quidem deuorauit ex iis qui transibant, ex finitimis autem multos egit in fugam? Dominica arma diuinus ille Imperator obiicit belluæ. & cum decreuisset vt ea figerẽur ante speluncam, facit vt ille terribilis & sæuus hominũ occisor leo, ante pretiosam 41 crucẽ mane humi inueniret morte affectus.

Mir. III.

40 *Ecce quomodo quõ monachi fiebant tondebantur.*

Mir. IIII.

Mir. V.

41 *Aduerte uirtũtem pretiosæ Crucis.*

His armis & moribus liberat quidem eos qui capti erant à captiuitate cultus simulachrorum. animum autem confert ad alia Deo grata consilia & contemplationes. Nam quoniam illud diuini Dauidis singulariter & solum esse valde amplectebatur. aduersus id autẽ contendebat benignitas voluntatem reprimens, optimo & prudenti consilio vtrunque recte administrat. Nã cum sciret, seorsum quidem esse, esse tutius & magis vacuũ perturbatione: à multis autẽ id existimari non carcere fastu & arrogantia: vti autem multorum consuetudine & se eis communicare, turbulentum quidem & periculosius, sed non carere mercede & vtilitate, sapientissime vtraque commiscet. aliquando quidem versans cum omnibus, vt omnes lucrifaceret Paulus hic nouus, aut complures, aliquando autem seorsum latens in caligine, & purus cum puro versans, nouus Moses. animarum & mentium quæ Deum vident legislator & Dux. Hinc cum amor diuinus superasset, is magnum hunc decertatorem deducit ad quandam speluncam habitãdam. in quo biẽnium in somnis ferè peragens, diuinæ scrutabatur scripturæ tam veteris quam nouæ quæ sunt profundissima. Cum autem robur corporis voluntati animæ non suffecisset, imus venter morte afficitur. & cum haberet renes frigore consauciatos, tanquam in portum venit ad ecclesiam Antiochenam. Deinde ordinatur Diaconus. Quo in ordine se quinque annos præclare gerens, scripsit sex libros De Sacerdotio. tres ad Stagirium. eos qui sunt inscripti de incomprehensibili & dissimili. & sex præterea de introductitiis.

Sed iam magni Ioannes in Presbyterum ordinationem nos vocans oratio, modum enuntiet. Cum Constantinopoli mortuus esset Meletius, qui eo venerat ad cõstituendum magnum illud luminare, nempe Gregorium cognomento Theologum, Flauianus Meletio succedit Antiochiæ. Is autem cum vigilaret vt consueuerat, quadam nocte videt diuinum accessisse angelum qui ei iubebat ordinare Ioannem, dicens futurum Ioannem nouum vas electionis. Ecce dicens ego ei de hoc mandatum dabo, & obediet. Ad quem quidem cum accessisset angelus, ei mandauit. prius narrauit futura, & quæcunque par est facere eum qui diuinus sit futurus minister. Et vt pluribus prætermissis veniat oratio ad id quod est maxime mirabile, hoc faciat. Cum magnus & hostia & Pontifex Iesus Christus filius Dei aquis mihi purgaretur, pater apparet ab alto voce testificans eum germanum esse filium. & spiritus in columbæ specie vocem illam confirmat & licet alicui audax videatur oratio propter ea quæ audet dicere iuueniliter, illa proponimus ad recordationem. Quænam? Illud,

Mit. vi. Ego dixi. Dij estis. & illud rursus si vultis. Et filij altissimi omnes. & ante ea, verbum quod est ad imaginem & similitudinem. & quęcunque ad honorem eorum qui seruant quę sunt imaginis copiosa prouidit gratia. Mihi autem hic quoque considera. Cum adesset hora ordinationis, & incruentum peragaretur 42 sacrificium, & inferius assisteret multitudo innumerabilis, & Angeli desuper intuerentur: manum imponente Episcopo & preces dicente consuetas. dicitur factum esse illud maxime nouum spectaculum. Alba columba repente deuolans, quomodo illic supra Iesum meum & Deum, in honorẽ eius cui manus hic imponebatur, stetit supra eius caput. Hoc admiratione quidem afficit & stupefacit eos qui tunc aderant, simul attrahit autem eos quoque qui audiunt. Admiratur vni-

42 *Missam intelligit, quia in ea talis offertur oblatio.*

uersa non solum quę circũcir ca sita est regio, sed etiam vniuersa quę extra fines procul remota est Syria. Sic omnes apud se cogitabãt. Quidnã ergo erit Ioanni. ꝙ ab initio ei apparuit gloria Domini? Atque ex iis quidem quę dicta sunt, rerum est demonstratio admirabilis, eo ꝙ suum ministrum honorat Rex cœlestis qui facit admirabilia, ad honorem & gloriam suorum ministrorum.

Cum hic autem orationis cursum propter satietatẽ parumper stiterimus, ea quę deinceps consequuntur peragemus alacrius. Quoniam orbis terrę creãdus erat magnus Antistes & Iudex, his quoque bonis & honestis prius exercetur. Nam cum duodecim annos transegisset Presbyter in ecclesia Antiochena, puritate vitæ decorat Sacerdotium, eorum qui videbant animas expurgans, & verbi splendores mentes omnium illustrans & sanctificans. multus in docendo. magnus ad vtilitatem eorum qui audiebant. morum potius seueritati quam pudori seruiens. Leonis fiduciam ostendens in iustitia. Qua de causa habetioribus existimabatur arrogans & insolens. Quæ mens, Quæ oratio, ostenderit vias quæ ab illo inuentæ sunt ad salutem omnium? Quarum plurimam partem dicunt in hodiernum vsque diem seruari Antiochiæ. Cogitur aliquando ab Antistite Flauiano ascendere suggestum, & ex tempore populo exponere. & vix tandẽ quidem sed vi persuasus, cum dicendi cepisset argumentum, Cum nunc primum mihi sit dicendum, & Episcopi loco cuius est munus, num vera sunt quæ mihi acciderunt? affecit omnes admiratione. Ab eo tempore omnes propterea attrahebat. omnes affluebant. relinquebant agriculturã. artes potestates. oẽs administrationes, quas multas affert hominibus laboriosæ vitæ varia & multiplex cnoditio. Ad Arcadij Imperatoris aures peruenit etiam eius fama. & tenetur eius animus magno illius videndi desiderio. Sed inter hæc breui oratione assumatur quæ ex magna cautione emersit castigatio. communis quidem omnibus, maxime autem animis eorum qui sunt sub iugo. Operæ pretium autem est attendere.

Mulier quædam prima ex iis quæ erant Antiochiæ, filium vehemẽter febricitantem, & plane deploratum adducit adhuc sapientem medicum, instans vt eum curaret. Ille autem dixit. Hoc quidẽ est Dei viuificantis. Tu vero ó mulier, abstine à tuis prioribus delictis. Scias enim cæteros quoque tuos quatuor filios, propter peccata tua & mariti tui, esse mortuos ad vestram disciplinam. Erat autem hic quoque moriturus. Sed surgite & resipiscite. & non solum filium viuum, sed etiam cœlorum regnũ accipietis. Hæc cum tãquam ex ore Dei accepissent, & se esse correcturos sancte essent polliciti, protinus filium quoque sanum accipiunt, & effectũ reddunt quod promiserant. Sed hucusque quidem procedat cursus orationis. Hinc autem eorum qui Marcionis morbo laborabant dicatur quodnam diuinum fuerit iudicium. Atque qui hoc quidem morbo tunc laborabant, quanam quidem fiducia freti multos attraherent, iamiam dicetur. Quomodo autem à via quæ tendit ad mortem liberata sit tota ciuitas, restabit dicendum ad verbi gloriam. Mir. VII.

Eodem morbo quo ciuitas laborabat etiam Præses ciuitatis, & hæc erat causa ꝙ malum cresceret. Quid ergo facit Deus, qui animarũ semper saluti prouidet? Vxorem Præsidis ferit morbo dysenteriæ. Et ea quidem omnes accersit, nihil autem ei prodest. sed omni ex parte auxilio deficitur, Mir. VIII.

Deinde quid? Confugit ad Hæreticos. Ii quoque aggrediuntur ad trium dierum vsque precationem. Nec quidquam proficiũt. Nescit rursus quid agat mulier: tandem statuit ad virum diuinum confugere. Deinde id dicit suo marito. persuadet. Postremo venit ad Dei seruum. Ioannes de his disceptat cum Episcopo. eis procedit obuiam, ex ecclesia arcens tanquam indignos. arguit hæresis. petunt ipsi veniam. assentiũtur veritati maxime autem mulier. Cum sanctus aquam attulisset, rogat Episcopum vt facto

43 signaculo 43 mulieri aquam aspergat. Hoc cum factum esset, statim mulier accipit sanitatem, reuersa suis pedibus, & pulchre effecta reddens quæcunque erat pollicita. Hoc fuit Hæreticis dedecori probro & afflictioni: & causa vt virum diuinum maledictis incesserent. Ille autem oĩa quidem despiciebat, vni solum rei intentus, nempe illorum saluti. Sed non persuadebat. Dolore autem affectus propter vniuersam ciuitatem, lamẽtabatur, dicens. Si seruator maledictis incessebatur, idq; cum Deus esset, ab ingratis: quid hoc magnum in nos seruos? Spero tamen fore vt illorũ casu Deus vniuersam castiget ciuitatem. Nõdum autem nox præterierat, & terræ motu tota concutitur ciuitas. Tenebris inuoluitur concilium Hæreticorum. ad solum vsque deiicitur. & quæuis domus Hæretici. & domus eorum fiunt eorum sepulchra. nulla læsa domo orthodoxorum. Propter hæc confirmabatur ciuitas, & augebatur fides, & Deus laudabatur. Quid præterea?

Aqua per Epũm signata aspersa mulier sanitatem recipit.

Mir. i x.

Post hanc admirabilem omnipotentis prouidentiam & iudicium non longum effluxit tempus, & decessit Nectarius Antistes Constantinopolitanus. quærebat autem quilibet eum qui esset dignus. Cum alius verò ab aliis præferretur aut etiam intruderetur, Imperatori visum est post longam de re cõsultationem, Ioannem deduci Antiochia, omnibus communiter suffragantibus & rei & litteris. Hæc cognoscit Antiochia, & quæ deinceps quidem sequuntur aggredi veretur oratio. aggredietur tamen quoad eius fieri poterit. Cum cogitaret vnusquisque se sui boni facere iacturam, ad tantam excitantur seditionem, vt timore affectus Antistes, dato iureiurando persuaserit omnibus se rem esse prohibiturum. Sicq; vix tandem sedat seditionem. ad Imperatorem autem scribit de seditione. Diuini itaque stimuli & miraculi desiderio feritur cor Imperatoris & senatus, cum hæc audiuissent. & erecto trophæo sacrum illud bellum declinantes, cum rem quæ desiderabatur plane auream ex Antiochena ciuitate surripuissent donant Constantinopoli. Quomodo? Comiti Antiocheno iubet Imperator, vt ignorãtibus omnibus Ioannẽ ad se accerseret. Quod cum fecisset Comes, & vsque ad martyria quæ sunt extra ciuitatem, sapienter admodum traxisset Ioannem, & equo impositum celeri cursu abduxisset, dedit iis qui desiderabant. Cum autem multi conuenissent Episcopi, Imperatoris parati solicitudine, cum Episcopis erat etiam Alexandrinus ille Theophilus, qui inuidia motus conabatur Ioannis gloriæ detrahere. ꝙ nulla in eum caderet reprehensio tabescens, & eum recusans manu imposita cõsecrare. Vincitur tamen vel inuitus. Semper enim vincit spiritus sanctus. Sic autem vincitur.

Multi ex iis qui diuino erant zelo incensi, Theophili malorum Iliadẽ scriptis satis pulchre mandarunt. Quam quidem tunc in manu tenens qui in imperatorio primas partes obtinebat gynecæo. is autem erat Eutropius,

Theophilo ostendit dicens. Alterum duorum eligæ, vt vel horum con-uincaris, vel impositis manibus Ioannem consecres. Aduersus eum ergo qui talia ausus fuerat, Eutropij verborum producta acies, vi expugnat maleficum periculoso & præcipiti studio. Quo quidem cum in Teophi-lum acres iam fierent incursiones in triuio cogitationum, vt est in pro-uerbio, telis appetitur. & ad manuum quidem impositionem, cum esset tempus, extendit manus. ad quas postea extendendas in eum cui eas im-posuerat minime obtorpuit. Deinde post consecrationem, 44 benedici-tur à Pontifice fidelis Imperator simul cũ suis omnibus. qui in maximo honore & verbis & modis omnibus habebat Pontificem. Ille autem pie, vt solebat, sentiebat & disserebat. Qui etiam hanc vltimam tunc dedit admonitionem. Aliæ quidem administrationes, dicens, ò Imperator & omnes qui adestis, proportione conuenientia habent & præmia & peri-cula. Sacerdotum autem & pastorum quantum sit periculum & quanta præmia, eorum quæ bene vel male gesserint in administratione, plena est vniuersa scriptura & noua & vetus. Si quis ergo quotidie opus habeat curatione, non parcam. & his adiiciebat quæ scriptura dicit de Dauide & Nathan, in exemplum. Ea lubenter audit Imperator fidelissimus: gra-taq; fuerunt toti cateruę Imperatoris. Tunc autem tunc in docendo pro-lixa vtebatur oratione, quonammodo oporteret omnes omnia aggredi: & proferebat historiam dignã quæ & in admiratione haberetur & man-daretur memoriæ, dicens. Titus Imperator Romanorum, sæpe tale quid apud se dictitabat. Hodie non imperauimus, seu non viximus, vt qui ni-hil fecerimus dignum Imperatore.

44 *Si à pontifice Imperator benedicitur, argumento Pauli Imperatore põtifex maior est.*

Mir. x.

Cum autem adhuc verba continuaret Pontifex, ecce vir quidam Dę-moniacus, illa faciebat & clamabat in medio omnium, quæ vexans co-git genus Dæmonum: rogatur Medicus vt curet laborantem. Quem quidem curat signo 45 pretiosæ crucis, & inuocatione sanctæ & viui-ficæ trinitatis, ei dicens. Ecce sanus factus es. ne Deum amplius blaspe-mes, ne deterius quid tibi contingat. Hoc ille qui erat omnibus perfectum firmamentum confessionis & fidei in Christum. Sed hæc quidem sunt quæ auditorem deducunt ad tantam admirationem. Ostendet autem procedens oratio his quoque magis admirabilia. Cum iam nauis orbis terræ clauum accepisset à spiritu sancto motus gubernator, & aduer-sas consideraret tempestates quæ multæ exoriebantur in mari mirabili ecclesiæ, quid non facit: quam non salutis excogitat machinam, donec per-ueniretur ad portum superiorem qui est tranquillus & valde expeten-dus: vt qui hominum omni genere morborum laborantium esset medi-cus admirabilis.

45 *Signo pretiosæ Crucis, & inuocatione sanctæ Trinitatis Ioannes arreptitiũ curat.*

Age verò animæ antidotorum quæ sunt ab illo sapienter excogitata, dicatur breuis quædam particula. Fuerit enim ea iis qui opus habent me-dicis, non contemnenda quædam causa salutis. Ille reprehensionum anti-doto, sic enim cõuenit dicere, in primis vtitur aduersus eos qui mulieribus vtuntur introductitiis. qui in electione aut comparatione malorum sunt omnino deterioris lenonibus. Nam his quidem morbus procul est ab of-ficina Medici: illis autem intra officinam salutis. & sibi & ij qui sunt sani, multo magis augetur morbus. Quos sapientissimus medicus, vtens re-prehensione sicut magnus qui erat eiusdem nominis præcursor, validis-

ſimæ orationis viribus à tali liberauit pernicie. Deinde aduerſus arcem vitiorum, auaritiam inquam, dirigit aciem. Deinde procedit aduerſus eos qui ſecant crumenas, quibus comprehenſa eſt etiam belluonum & aſſentatorum lues. Et iis quidem ſe applicat oratio, vt par eſt eius qui medetur. Quorum autem Deus eſt venter & gloria, quomodo ſanari potuerint cura verborum humanorum? Non ſolum certe non ſanantur, ſed etiam ab eis aduerſus medicum excogitantur accuſationes. Viſitat libidinoſos & intemperantes oratio medici, adeo tangens primum affectam mentem eorum qui ſua ſponte laborant libera ſui arbitrij voluntate, vt idem nequaquam vllo modo permiſerit. (Quis enim conuenienter Paulo, magis honorauit honeſtum & venerandum matrimonium?) ab eo abſtinere multas propter inſignem animaduerſionem & obedientiam. Ante omnia autem docendo alendos eſſe pauperes, alebat eorum qui ipſos nutriebant animas. nouus ille frumenti dator. vtpote ꝙ omnium bonorum operationem contineat & comprehendat eleemoſyna. quæ etiam docuit, Quod vni horum feciſtis, ſic omnia comprehendens. Diuini itaque viri audientes orationem, adeò trahebantur omnes ad ea obſeruanda, vt in diſpergẽdis opibus ij qui eis abũdabant, fierent pauperiores iis qui erant olim pauperes: perfecte autem fierent in Chriſto diuites, & theſaurum cœleſtem acquirerent. Propter quæ is qui hæc bona introduxerat, nominabatur Ioannes eleemoſynæ.

Quid verò Sycophantis & calumniatoribus: Quid autem iis qui inſoleſcunt faſtus elatione & inani ſuperbia? Quid vero iis qui prodiga & luxurioſa vita grauiter peccant in corpus proprium, aut etiam mentis inopia animæ ſuæ afferunt exitium: Quid ergo his ille magnus excogitauit Medicus? multiplicia opem ferentia medicamenta. à perturbationibus animi liberationem. per pœnitentiam ſalutarem operationem. Mitto dicere fructum charitatis & hoſpitalitatis: quo effecit vt omnes onerati pingueſcerent. ſuaui rore ſuorum verborum, pro muſicis canticis, in omnibus operibus ad quæ hæc vita cogit homines, diuinum canticum iubens canere. Sed forte hæc ſolum faciebat in ſua eccleſia & ciuitate & finitima regione: earum autem quæ procul erant remotæ nullam gerebat curam, ſatis habens dare ſalutem propinquorum multitudini. Mẽte mihi perſequere totius Thraciæ, Aſiæ, Ponti, Phœniciꝫ, Celtarum latitudinem, & Scythas Nomadas qui ſunt vltra Danubium: Quis locus fuit abſconſus à radio eius verborum? Re uera nullus. Sol quidem à magno Dauide laudatur & in admiratione habetur, propter magnitudinem: illuminationem: egreſſum: occurſum: ꝙ non ſit abſconſus locus aliquis ab illius calore & ſplendore. Bona aũt eius eximia ſunt ſolari radio operatione longe pꝛæſtantiora, nempe quantum præſtant iis quꝫ aliter illuſtrantur, ea quꝫ ratione illuminantur. Pꝛꝫterea hoc dicam.

Denſa caligo Marcionis exaltationum tegebat Orientem. Cum eam autem Dei gratia ſuorum verborum. ſplendore Sol noſter diſſipaſſet, extendit album diem Orthodoxæ fidei. Quid opus eſt vt ea dicam quæ ſunt procul remota? Scrutatur quantum frumenti redderet Epiſcopatus ad victum ſuſtentandum; & iis quæ redundabant ad ſumptus, ſupplet defectum noſocomiorum. Se autem volens poſteris præbere exemplar, ſua mercede ſicut Paulus contendebat viuere. Sed tamen neceſſe eſt eum

aliis quæ sunt ecclesiæ: idq́; est consentaneum. Dignus est enim operarius sua mercede. Quis vero pascit ouem, & non lacte eius nutritur? aut quis qui plantauit vineam, fructus eius nō est particeps? Ille autem cum nemine comedebat, & inuitatus recusabat. Quanam de causa? Quod primum quidem vinum bibere renuebat, prętexens calorem capitis. Nōnunquam enim vtebatur solum æstate eo quod dicitur Diarodon. Secundum autem, quod ex quadam imbecillitate eum male habebat stomachus, & nequaquam suo fungebatur munere. adeò vt sępe cū cibum sumeret, propter stomachi fastidium, minime omnino aleretur. Non ea autem solum, sed hæc quoque efficiebant vt cibi omnino obliuisceretur. Quænam ea sunt? studium doctrinæ in spiritu contemplatio. Verbi curatio. scripturarum cognitio. cura viduarum. aliorum quibus Sacerdotum corona contexitur, meditatio perpetue & solicitudo. Erant tunc quædam viduæ carnis amantes. quibus assidue suadens, studet vt alterum eligant è duobus. vt vel vitam agant quam decet viduas: vel se ad secunda conferant matrimonia. vt lex diuina maneat illęsa & inuiolata. Iis qui erant ex populo, suadebat noctu & interdiu 46 vigilare in precibus & supplicationibus. fœminis quibus non licet foras progredi, domi precari. Diuites apostolice admonebat ne nimis altos spiritus cōciperent: neque in incertis instabilibusq́; & diffluentibus diuitiis omnino spem haberent. Sed hæc quidem pauca ex multis volubiliter recensuit oratio. Hinc autem aliud quoddam existit in quo sumus principium.

46 *Nota, suadebat vigilare noctu & interdiu in precibus & supplicationibus.*

Eum quidem qui manu & imagine Dei primum fuerat honoratus, non ferēs aduersarius videre ita frui nullo labore partis delitiis & victu, effecit vt à Deo, paradiso & honore expelleretur, serpente, & cibo, & muliere & dolo, ignominiosam vitam & mortem ei machinatus. Ille etiam aduersus Deum se impudenter gerit Iob postulans. Idem non amplius sustinens videre ecclesiam quæ erat speciosa instar paradisi, & suorum fructuum, nempe filiorum, resplendebat pulchritudine: & Agricolam qui & præcepti & imaginis conseruabat dignitatem, rebellibus quæ sub ipso sunt potestatibus eum curat comprehendendum, machinis & insidiis suscitans bellum aduersus bonum Agricolam & Pastorem. Quō autem, narrabo ab alto repetens. Quidam nomine Sarapion, qui erat Diaconus sub hoc egregio Pastore, inuidia Diaboli & mulieris impulsu, indicabit autem eam quoque oratio, cum esset callidus & malitiosus, pastori vero familiaris, mouet omnem, vt dicitur, lapidem, vt odium & offensionem excitet aduersus diuinum Pontificem. Et primum quidem hoc facit. Cū Seueriano Episcopo colloquens, aut aliquid eorum dicens quę dicuntur quotidie, fretus ea quę apud Pontificem ei erat fiducia & loquendi libertate, sedens cum eo disserebat. Vt autem solet in his accidere. quodam die non ferens dedecus Seuerianus, suam attendens dignitatem & gradum Diaconi, dicitur aliquando tale quid dixisse. Si Sarapion mortuus fuerit Christianus, Christus non fuit homo. Hoc cum audiuisset vafer ille & plane factus ad malitiam, cum dictum diuisisset, apud sanctum accusat Seuerianum vt eius & Christi inimicum, vt qui dixisset, Christus non fuit homo, è sua caterua huius dicti testes producens.

Quid ergo oportebat facere Zelotem illum Eliam, ò per ipsam iustitiam. Detur enim sic inter laudes dicere. dimittere id quod sibi fuerat re-

nunciatum. non credere ea quæ dicta fuerant à testibus. procul amandare eis qui loquuntur pro Christo? Et quis non ægretulisset & reprehendisset Pontificem, cum callidus horum artifex, etiamsi tunc ignoraretur malitia propterea ꝙ actus esset peruersus, esset clamaturus aduersus Iudicem & Pastorem? Sed sicut audio iudico, inquit Cristus cum adhuc esset in hac vita & carne. Cuius discipulus iustam sic ferens sententiam, è ciuitate expellit Seuerianum, vt qui blasphemauisset. Quem cum quæ tunc imperabat, erat autem Eudoxia, hæc audiuisset esse passum, tollens filiũ Theodosium plane adhuc infantem, eum ponit ante sancti pedes. & plurimis adacto sacramentis persuadet Pontifici vt cum Seueriano ineat amicitiam. Seuerianus vero amicitiam quidem simulat. belluam autem inimicitiarum agni pelle contegit. & aduersus Pastorem facta conspiratione, non leues apud populum dispergit calumnias, de omnium amore in Pontificem moliens plurimum detrahere. Ille autem calumnias quidem quę in eum struebantur parum aut nihil omnino curabat. fama vero suę in dicendo glorię & alterius vtilitatis, efficiebat vt totæ ciuitates & insulæ confluerent & conuenirent. Nam nec Romæ quidem magnus Episcopus Innocentius, erat bonorum eius ignarus: sed eum in magna habebat existimatione, ad eum scribens & litteras vicissim accipiens. Volo paululum immorari in iucunda narratione, quõ Paulus qui est & mysta et eruditor arcanorum mysteriorum, Pontificem initiarit in mysteriis.

Cum diuinas eius epistolas earum interpres & expositos percurreret, erat, vt est verisimile, dubia & suspensa cogitatione, dicens. Quis scit an Deo grata mea sit interpretatio? Hæc cogitãs, rogabat vt de ea re à Deo fieret certior. quod etiam cito hoc modo factum est. Quidam ex iis qui Imperatori erant familiarissimi, offendit Imperatorem. qui mortem minatur. & mittitur qui apud diuinum Pontificem intercederet, vt noctu ad eum veniret propter metum Imperatoris, & sua ei exponeret. Quibus assentiens sanctus, per Proclum iubet vt veniat. Nox aderat, & simul etiam aderat is qui erat supplex. Vt eum admoneat dat operã Proclus. Deinde primum aspicit per quoddam foramen: & videt Pontificem vt consueuerat in sede sedentem & scribentem. Ea autem erant interpretatio diuinarum epistolarum. Tunc autem tunc illo terribili dignus habetur spectaculo. Videt enim Proclus diuinum Aposto. Paulum inclinatum post sedem ad caput Pontificis, & os admouentem auri eius dexterę & cum eo colloquentem. Proclum incessit stupor & admiratio quanam ingressus esset qui cernebatur. Ignorabat enim quis esset. & rogat hominẽ vt parum expectet. Rursus paulo post aspicit & semel & bis, & erat idẽ spectaculum. Reprehenditur Proclus ab illo Optimate qui dixit. Non oportebat te cum videres mortem quę mihi expectatur, alium ad sanctũ adducere. Ille autem ei affirmat se de eo nihil cogitasse. His adhuc dubitantibus, Pręco ad matutina cantica excitat ligni pulsibus. Homo itaque reuertitur, in secundam noctem spem reiiciens. Accessit secunda nox & tertia. & erat rursus simile spectaculum. His obstupefactus vix tandem sensit Proclus, nemine vidente à Deo missum esse eum qui loquebatur. Dicitq́ illi Optimati. O' optime, Deo resistente studiis omnibus, labor est inutilis. Roga ergo Deum vt tibi opem ferat.

Dies aderat & cum suppliciis recordatus esset Pontifex, rogauit an

accessisset.

accefsiffet. De eo ergo ei fignificat Proclus, qui hęc etiam dixit. Cum tu præteritis noctibus feorfum effes cum alio, ftatui non temere accedere. Cum fanctus autem rogaffet quifnam is effet, incipiens Proclus, verbis quidem totum perfequetur miraculum, digito autem per imaginem euidentifsime probans eum fuiffe Apoftolũ, totam narrat feriem miraculi. Quibus cum adhibuiffet mentem hic vir diuinus, aperte intellexit fpectaculum. & factus certior fe fuam accepiffe petitionem, Deo egit gratias. Deinde fic rurfus accerfit fupplicem: & eum conuenit: & pro eo intercedit apud Imperatorem: & priori reftituit magiftratui. impletq́ȝ prõptius & alacrius quæ reftabant ex diuinis epiftolis. Hæ funt partes meæ narrationis. Tu autem, dic mihi tuum loxiam, vatem aurei tui tripodis, qui me perfequeris: & vocem ex lauri voro gutture tuæ Phœbadis: refpõfa: nugas ex quercubus. Orphei myfteria. illos Tirefias. illos qui funt illotis pedibus. tuos veros prophetas. Mitto enim dicere Phœbi tui magnificentiam qui honore tuam afficit ftultitiam, & tibi præbet præfciẽtiam per vaticinationem. vaticinationem quam nemo poteft reprehẽdere: quæ fit ex talis & ordeo & thure: & præterea per lateres & lucernas & folia & cubos. Vereor dicere quę per infecta fiunt, & pelles, & reliqua mẽbra, ex diuerfis animalibus, per viasq́ȝ & mortuos, myfticas præfcientias. Quorum omnium quod eft re uera præclarifsimum, eft incredulitas & contumelia id quod creditur. Sed illi quidem nugentur. nobis autem ad rectum deducatur oratio, deducatur noftra quoque vita vniuerfa melius illius intercefsionibus. λοξίας

Poft hæc cognofcitur ab accufatoribus, que per Pontificem data eft falus ei qui confugerat, & regreffus ad priorem dignitatem. eosq́ȝ incendentes flammę inuidię, faciunt rabie agitari & furore aduerfus eum qui dedit falutem. huius furoris præcipuum accipientes miniftrum, Diaconum quem prius diximus Sarapionem. Quæ cognofcit quidem bonus Paftor: ea vero nihil curat. Cum autem videret multos feruire auaritiæ, ipfam autem præ cæteris Imperatricem, in eos producit in aciem gratiã fuorũm fermonum. nullus quidem perfonam publice nominans, communiter autem procurans falutem omnibus. Quod quidem eos qui illo vitio laborabant, faciebat medico fuccenfere & efferari. Iam autem venit ad caput oratio. Theodorichus ille qui tunc erat Patricius, cum effet ditiffimus, ab Imperatrice appetitur infidiis. Quid ergo facit vir ille? Confugit ad communem portum. & feruatur quidem ab iis quæ ei parabantur infidiis. Seruatur autem meliori quoque & permanente falute modo alio. Difperfit, dedit omnia pauperibus. Quomodo? Magiftri confiliis & fuafionibus. Qua ex re quid lucratur? Thefaurum cœleftem. cũ effet ei perfuafum Cornelij eleemofynæ eius quoque effe exęquandam eleemofynam. Hæc cum refciuiffet Imperatrix, non potuit amplius contineri. Impudentiam autem & aliam temeritatem fuam abfque vllo robore fancto indicat. eum bona Patricij lucratum effe nugabatur & obiiciebat. Eius enim qui erat mundus propter benignitatem admonitio, erat inquinatæ fordida exiftimatio. Augetur ergo, quid enim opus eft in fingulis immorari, in fanctum inuidia. ex ea autem odium. ex eo maledicta. ex maledictis vero calumniæ. ex calumniis concilia. Tranfmutant, ꝙ viderentur non ꝙ effent, fermones in nugas prolatas aduerfus Imperatores. Fiũt

hæc rurſus alioqui validiora ſermone habito aduerſus Eutropium. Dicatur autem modus, vt ſit multorum doctrina & vtilitas.

Hic Eutropius cum peruerſis eſſet moribus & clemens, ad malefaciendum autem malitioſus, talem laqueum, ò nouum inuentum, fabricatur inhumanitatis. Perſuadet Imperatori, apud Imperatorem enim multũ poterat, vt legem ferret ne cui liceret confugere ad diuinam & ſacram menſam. Non multum autem interceſsit temporis, & ſuis laqueis, ò iuſtam pœnam & celeritatem, capitur qui fabricatur. Cadet enim, & ad eã quam aliis ſtuduit prohibere confugit eccleſiam. Propter hæc iuſta reprehenſione ea quæ fecerat Eutropius ſuo ſermone ſapiens perſequetur Medicus, & hoc fuit accuſatoribus alia iniuſtitiæ occaſio & inſurrectio, vt qui eum non ſolum illius non miſereri, ſed illum etiam reprehenſionibus flagellare dicerent. Et huius quidem inſurrectionis dux erat & princeps Theophilus Alexandrinus. Ei autem qui accuſabatur nulla horum erat cura, ſed ſolum cultus omnipotentis. Cum eius autem ſolius curam gereret perpetuam, cognouiſſet vero eos qui morbo laborabant Arrij, in cœtus congregari, primum quidem precibus, deinde ſtudiis omnibus expellit è ciuitate. Sed non multum proceſſerat temporis, & rurſus deducti Arriani à quibuſdam ex ſenatu libere verſantur in ciuitate. Et tacenda quidem ſunt grauia mala quæ hinc ſunt conſecuta. Quinetiam quæ per ea quæ dicuntur Antiphona Arrianis acciderunt & Orthodoxis, his quidem claris hymnis celebrantibus homouſium, deiectis autem & ſuperatis Arrianis, cum vtriſque ex contentione veniſſent in periculum, prætermittens oratio, dicat modum primæ ab initio traditionis antiphonarum. Hic 47 eſt autem.

47 *Nota quando ũſus Antiphonarum cæperit in Eccleſia.*

Ignatius qui fuit tertius Antiochenus Epiſcopus, poſt magnum & ſummum Apoſtolorum ornamentum Petrum, qui etiam verſatus eſt cũ ipſis Chriſti diſcipulis, dicitur eſſe dignatus diuina Angelorum viſione per antiphona laudantium ſanctam & eiuſdem eſſentiæ trinitatem. Ex quo Antiochiæ, & illinc omnibus eccleſiis, antiphonorum, qua etiam cruces argenteę in antiphonis figuntur, data eſt traditio. Sed hoc quidem ſic enuntiauit oratio. Quoniam autem occurrit aliud argumentum hiſtorię, de Gallo, inquam Gaina Arriano, eam quoque lubens prætermittet oratio, ſtudioſos vel potius eos qui ignorant remittens ad à Deo datam hiſtoriam eccleſiaſticam, quæ hoc multis ſuppeditabit, quomodo ſancti labore & dicendi libertate os ei obſtruitur: & tunc pacem agit vir ille barbarus. Hinc ſequũtur aduerſus Epheſiorum Epiſcopum libelli Antonini: & Pontificis Epheſum migratio: & iuſta multorum depoſitio qui deprehenſi ſunt auro eſſe adepti Epiſcopatus. Deinde Paulacij à quadã vidua apud Imperatricem accuſatio. Largiamur vero nonnihil narrationi. Continebat autem accuſatio, ꝙ debitor eſſet circiter quingentorum aureorum. Eum ducit Imperatrix, nec prius eum remiſit ꝗ̃ ab eo exegiſſet quantitatem centum librarum auri: reddidit autem accuſatrici ſolum XXXVI aureos nummos. Quid ergo facit quæ accuſabat mulier? Cõfugit ad communem defenſorem. Ille autem producendum curauit eum qui accuſabatur: & ab eo exigebat id quod reliquum erat debiti. Hoc quoque reſciuit Imperatrix, quæ ſignificauit Pontifici vt eum dimitteret, cum ipſa ab illo exegiſſet pecuniam. De hac re inter vtrũque vehemens

exoritur contentio. & postremo res eo deducitur vt per impudentiā procedatur aduersus sanctum. Mittit enim duos centuriones cum suis cohortibus, vt eum qui accusabatur à sancti manibus abstraherent. Hęc auara mens Imperatricis. Quid autem qui glorificat eos qui ipsum glorificāt, nihili autem pendit eos qui ipsum contemnunt, Deus? Angelum eis mittit terribilem in rhomphęa. Quē cum illa vidisset multitudo horribiliter stantem in vestibulis & eis occurrētem minaciter, timet quidem & metu afficitur: reuertitur autem cum tremore & magna admiratione.

Et cum hæc similiter restituisset Imperatrix, metu quidem afficitur: seruat autem inimicitias, & armatur ad vindictam. Anima enim semel victa pecuniis, & vehementia oppressa auaritiæ, non potest coërceri freno mentis temperantis. Diligenter ergo quærit Imperatrix quasnam insidias inuenerit aduersus Pontificem, aliquando quidem minantis, aliquando verò blandientis personam suscipiens. Ille autem manet inuictus, firmusq́ & immobilis; ab vno solo pendens, nempe à communi omnium salute. Non possum autem satis admirari, cogitans hunc magnum & diuinum Dei seruum, os vere aureum, pręconem diuinę benignitatis, quòd propter omnium salutem adeò erat solicitus & adeò incendebatur: & omnia prouidens quæ mens Deum dignata videre, potest inuenire ad salutem, non destituebat ille eos q̄ erant eiusdem generis. adeò vt quod est maxime admirabile, vel inuiti multi p̄ ipsum salutem sunt assecuti. Sed cū hęc ita se haberent, & ecclesia diuinæ fidei illustraretur splendoribus, & illuminatione pietatis vita fideliū refulgeret, non tulit hoīum inimicus: sed sicut à me dictū est superius, conuocat rebelles quæ sunt sub eo potestates: & oīa confundit & peruertit susq́ deq́ permiscens, & multos cogens & compellens vt suam terrenam reducerent malitiam.

Et primum quidem instrumentis, quomodo olim serpente malitiæ vsus Theophilo & Seueriano Acacio & Antiocho & Presbyteris quibusdam & Diaconis, & præterea è senatu fœminis quę sunt antiqua eius arma, locupletissimis viduis & sceleratissimis, parauit mortem Sancto. Dicat aliquis Acacij Beroę Episcopi temerarium & inconsideratum sermonem, qui ad tantam peruenit amentiam, vt diceret. Sine, ego ei parabo ollam de Sancto id dicens scelestissimus. Deinde mittit etiam aliquos Antiochiam, & post ipsam, Antiochiam. Quid facturos? vt scrutarētur Sancti delicta à iuuentute. Quid dicis, in ciuitatem cœlestis illius ciuis, quę verborum & morum illius fragrantia bonum emisit odorem vsque ad cœlestem & supernam ciuitatem Hierusalem, quam intuentes etiam meretrices sanctificantur? Sed defecerunt scrutantes scrutationes, & euanuerunt in cogitationibus suis, vt dicamus cum Psalmista. Conuersus est enim labor eorum in caput eorum, vt procedens dicet oratio, & iniustitia eorum descendit in verticem eorum, hęc callide machinante & procurante Theophilo. Quales autem & quę sophisticę huius Dei hostis malitiæ vanę & inanes nugę fuerint aduersus Dominum & aduersus Christum eius, superuacaneum est dicere. Quomodo autem se gesserit in fideles & sanctos Monachos & in ipsum Pontificem, studiosis significabit lectio. Nec id solum, sed ea etiam quę fecit cum esset Alexandrię iam sunt prætereunda: quæ quidem publicabuntur in eo quod illic futurum est iudicio. Nos autem procedamus ad nostras.

Cognoſcit ergo Imperator à quibuſdam Monachis quæ ab accuſatoribus facta ſunt & Theophilo. Is autem magna celeritate & vi iubet adduci Theophilum. Scribit vero ad Pontificem Rom. Innocentium pulchre & ſapienter cum alia, tum vt cito Roma: proficiſcerentur qui de Theophilo cognoſcerent. Præterea autem ad ſuum quoque fratrem & Imperatorem Honorium, vt efficeret vt Papa exequeretur ea quæ ad ipſum ſcripta fuerant. Qui cum ea accepiſſent, ſe parant quidem ad ea implenda. Cum autem dubitaſſent, ne ſi cito mitterentur tempus tererẽt Conſtantinopoli, & alioqui operientes dum reliqui quoque congregarentur, expectant ſecundas litteras. Quid ergo vafer ille & aſtutus Dei hoſtis? Hæc cum reſciuiſſet, inſurgit ſceleratius aduerſus Paſtorum principem & illum gregem, qui Imperatori nefaria eius facta expoſuerant. & cum in eos confinxiſſet errores Origenis, magnum Epiphanium Cypri Epiſcopum ad ſe attrahit, & cum eo init amicitiam, vt congregata ſynodo ſcripta reprehenderet Origenis. His inducitur Epiphanius & fert opem Theophilo. Cuius vniuerſus ſtudij ſcopus non alio ſpectabat quã aduerſus ſanctum & eos qui dicti ſunt Monachos. Poſthæc quid? Perſuadet Epiphanio vt ſcribat ad Ioãnem, vt abſtineat à ſcriptis Origenis, & cum eis minime ſentiat. Ille autem vere magnus Chryſoſtomus cum hæc accepiſſet, ſnĩæ ſuæ fretus puritate, non curabat eos qui inſultabant: ſed de communi ſalute ſolum erat perpetuo ſolicitus. Sed hęc quidem rebus conſequenter perſequens, declarauit oratio.

Inter hæc autẽ celebratæ illius viduæ vineæ acceſsit narratio, ad quam peruenimus. Theognoſtus pius ille & fidelis, erat ipſe quoque vnus ex iis qui erant familiares Imperatori Arcadio. Inuidia autem Diaboli & Gaij qui morbo laborabat Arrij, apud Imperatorem accuſatur Theognoſtus. & iniuſta bonorum publicatione cum relegatione damnatur ſimul cum vxore & liberi. & vt paucis abſoluam, priuſquam perueniſſet ad locum in quem erat relegatus, in itinere via vitæ peracta migrauit ad Deum. Huius vxor reuerſa accedit ad virum diuinum, & de ſe omnia docuit. Hic autem miſericors & Chriſti imitator, corde dolorem accipit ob ea quæ acciderant & ob fœminę viduitatem: & pulchre quidem conſolatur & quæ par erat ei ſuadet. rurſus vero conſiderat quemadmodum viduę ſua reſtituantur. Cum is autem de eo eſſet ſolicitus, aliud malum excitauit malignus aduerſus mulierem viduam. Erat enim tempus vindemiæ propter quam Imperatrix egreſſa erat ex vrbe. & neſcio quomodo prius ingreſſa fuit in vineam viduę, & ſua manu exectum botrũ comedit. Deinde docetur vineam eſſe alterius. Inducunt legis quod eſt in rebus eiuſmodi auxilium, quæ vineam Imperatrici adiudicat ſiquid tale contigerit: & Domino aliquod pretium vel aliquid iubet reddi. & iuſſu Imperatricis refertur vinea in numerum ſuorum ſub vrbanorum. Hoc autem non temere & ſimpliciter iubebat, ſed hæc duo meditata. Vnum quidem, propterea ꝙ iraſceretur viduę vt eam magis affligeret. Alterum autem & cuius maiore ſtudio tenebatur, vt acciperet occaſionem vexandi Pontificis. cogitante illa fore vt reſiſteret, & in legem incideret & offenderet imperium.

Sed illa quidem ita ſe habebat. Pontifex autem quomodo? Suadebat, ſupplicabat, vt decebat eius philoſophiam. Quid illa contrà? Ea dabat

responsa quæ erant plena impudentia. romanæ legis auxilium, & quęuis alia, quam ex aduerso obiiciebat, vana phantasia suæ arrogantiæ. Rursus ergo temperat Medicus medicamenta salutis. Quod autem laborabat, curari non póterat. Alia est præterea species curationis, soluens causas per quas videbatur id quod male erat affectum laborare grauius: soluens iniustos prætextus. nempe ꝙ hæc lex quidem lata esset ab Imperatoribus, sed qui forte erant à fide alieni. Tu autem es aiebat lex, & tibi obtigit vt imperares. & est tibi conscientia quæ cogit, & quæ rem optime nouit & intelligit. Ne permittas vt multi coacti te nouam vocent Iezabel, & quæ de Nabuthe scripta sunt in veteri testamento. Hęc sapientis medici quæ perpetuo adhibebat medicaměta, male affectam fœminam magis inflammabant, adeò vt nec medicum quidem admitteret, imo verò repelleret, & quam nefarie cõceptam celabat bilem aperte in lucem proderet. Sic quidem repellitur Medicus. Quid verò quę deinceps consequuntur? Aderat dies festus 48 & celebris Crucis in altum elationis. 48
& iusserat Pontifex vt portæ Ecclesiæ clauderentur soli Imperatrici. *Dies festus & celebris exaltationis sanctæ Crucis.*
Ecce ergo primus ingreditur Imperator, & fidelissimi populi vniuersa multitudo cum ipso & circa ipsum. Cum autem incepisset Sanctus de more concionari, vis sanctissimi quæ eum illuminaret spiritus, reddidit elegantiorem verborum pulchritudinem cum eo qui loquebatur. Et quid opus est dicere, ad quantam admirationem veniens multitudo, applausit exultationibus sacræ dilectionis? Cùm hæc autem fierent intra tẽplum, ecce etiam Imperatrix cum reliquo qui eam stipabat comitatu. & aliis quidem omnibus ingressum seruabant liberum: ipsam vero prohibebãt. Ira adhuc inconsideratam possidebat Imperatricem. Mitto dicere quantum in diuinum Pontificem, idem est autem dicere in Deum, coutumeliis inuecta est & infremuit. Deinde cogitat quidam ex iis qui cum ipsa erãt, & tentat portam gladio percutere: eius autem manus statim arescit. Timet ergo imperatrix & statim reuertitur. Ille autem cuius manus exaruerat, accedit ad sanctum, pœnitentia ductus, & supplicans. statim curatur. & Deus per suum seruum magnificatur & glorificatur. Mir. xi.

Est'ne aliquid his iustus, aut benignius, & promptius ad conuertẽdam animam cui iustum abunde suppetit? Sed nihil iuuit eam quæ improba voluntate sequi deteriora misere statuerat. Vide autem hic mihi Imperatoris insignem virtutis abundantiam. Nam cùm res eius resciuisset, tam iis quę illa exposuerat Imperatori, quàm iis quę alios fecerat renunciare, omnia despicit & nullam eius ducit rationem, amori in Pontificem & reuerentiæ iustę nihil pręponens. maxime cum illius morum acerbitatem sciret & importunitatem. Atque illa quidem magnopere contendebat bonum illum Pastorem expellere. promptum autem & alacre animi studium eorum quę prohibebant: diuinorum vero canonum accurata regula, & ciuitas quę ab eo illuminabatur, & greges Monachorum, omnia resistebant tyrannidi Imperatricis. Quę cùm tam multa essent, suam tamen expleuit cupiditatem, aut vt verius dicam, cędem fecit Imperatrix. Atque magnus quidem Paulus vas electionis dicit. Qui volunt pie viuere in Christo Iesu, persecutionem patientur. Quinetiam ante eum magnus ille Dauid affirmat esse multas iustorum afflictiones: omnis quoque diuinitus inspirata scriptura multis in locis his concinit. Quędam autem sit ratio

cur iustis multę inferantur hic molestiæ & difficultates, honestum enim est hic parum philosophari propter multorum vtilitatem, audiamus tonitru Gregorij Theologi. Quid verò is dicit? Si.n.iugum suaue & onus Christi est leue, at hoc est propter spem & remunerationem. significante verbo quę sunt summę in vita præsenti molestię, si spectetur spes quæ illic est & remuneratio, sunt similes rebus lętis & secundis. Quinetiam hec tormenta corporis sunt tuis seruis, lętitię, audiui sapientissimum ad Deum dicentem. Quamobrem cum iustum qui nunc habetur in admiratione, audieris tradi manibus iniquorum, ne perturberis eum enim nihil tangit. sed ęgreferas voluntatem eorum qui ipsum tradunt. Sed eo redeat vnde digressa est oratio.

Non multum interim effluxit tēporis. & venit Cypri Episcopus Epiphanius. Quem cùm rursus attraxisset Theophilus, tum quod esset callido & vafro ingenio, tum quod esset moribus prędítus aptis ad alliciēdum, persuasit vt & ea faceret quæ sanctum molestia afficiebant, & ipsum reddebant Epiphanium canonum contemptorem. Quęnam aūt ea sunt? Quę prope ciuitatem factę sunt congregationes. ordinationes. Origenis. dogmatum damnationes cum pars vna solum adesset: & vniuersa denique ab eo vsurpata auctoritas, & temeritas. Qualē autem contra hæc se gessit Pontifex. nam ea quoque scire est operępretium? Patientem. fratrum amantem. canones 49 accurate sequentem. & in cęteris ita se gerentem, vt & prudentia & voluntate se homine esse superiorem aperte indicaret. Quibus motus Epiphanius aliquātulum quidem cessit & deflexit. magna autem affecit molestia eos qui ipsum impellebant. Ipsi vero quam potuerunt citissime ad Imperatricem hęc retulerunt. Ipsa autem Epiphanium celerrime trahit ad suas partes, ea docens & suggerens quæ eius iniquam explebant libidinem, & quæ sanctum deponebant, adiiciēs etiam arcanum. O' hominum audaciam, ò diuinam lenitatem, hęreticum esse Dei seruum & famulum. Quid autem contrà sapiens dixit Epiphanius, audiamus. Si est tibi quidem, inquit, ò Imperatrix, ratio cur hęresim suspiceris, adsit & causam suam agat Ioannes in pœnitentia. Sin autem hęc verba profers causa contumelię, tibi minime assentitur Epiphanius. Tunc commota illa hostis erupit in hanc execrandam vocem. Si ò Epiphani, sis impedimēto quominus Ioannes mittatur in exilium, ecce aperiam tēpla idolorum, & contendam vt ea adorentur. Non amplius ergo ferens Epiphanius aures suas pollui cœno inimicæ fœminæ, totus perfusus fuit lachrymis. & se eorum esse innocentem pronuncians, fugam omnino arripuit.

49 Vide quoties Ecclesiasticorum Canonū honorabilem faciat mentionem.

Hęc aūt nescio quomodo aliter iactabantur externorum sermonibus. Quomodo? Quòd vocatus Epiphanius sua decreuit sententia Ioannem esse deponendum. Hęc cum audiuisset Ioannes, ad eum scribit. Sapiens Epiphani. Tu meo consensisti exilio. De cętero non videberis amplius sedens in tua sede. Ille aūt ad hęc rescribit. Athleta Ioannes, feri & vince. ad locum autem ad quem mitteris in exilium minime peruenies. Sic scripserunt, & sic factum est. Nam inter nauigandum mortuus est Epiphanius. & Ioannes cum nondum peruenisset ad locum in secundo exilio, vt iam declarabimus, migrauit ex hac vita. Cum autem postquam enauigasset, resciuisset Ioannes quēadmodum propulsasset Imperatricem, pro-

fert communiter vituperationem aduersus omnem malam fœminam. Quam tanq̃ dictam ęnigmatice aduersus Imperatricem, arripuit examen accusatorum. Id itaq; per eam deferunt ad Imperatorem. Cui cum nescio quas nec q̃ multas adhibuisset ad eum inclinandum rationes, incitat vt bellum suscipiat aduersus Ioannem, & vt coacta synodo damnaretur exilio. Neque tamen sine Theophilo constitutum fuit hoc certamen: sed quamprimum ad eum missis litteris curat vt veniat cum Episcopis Indicis & Ægyptiis, & iis qui tunc propter iustas causas merito depositi fuerant à Pontifice. & vt semel dicam, confluunt omnes Chalcedonem. in qua prius parati, veniunt omnes in vrbem regiam. Cum autem tardarent qui erant Roma venturi, Imperator Arcadius nullo modo volens aspicere Theophilum, dubitabat, & variis distrahebatur cogitationibus, ignorans q Romanus Eps secundas, vt à me prius dictum est, expectabat litteras. Quid ergo Eudoxia? Clam accersit Theophilum & eos qui cum ipso erant, & eos amplis ac magnificis prosequitur muneribus: pollicetur q; se persuasuram Imperatori vt eis pareat.

Hæc cum cognouisset noster Elias & magna tuba ecclesiæ Chrysostomus, vsus tuba orationis, & non timens aciem quam in eum direxerant aduersarij, tanquam alius Moses aut Phinees aut Iesus, aut ille terribilis & diuinę armatus princeps militię, stricta rhomphæa terret aduersariorum audaciam, in concione dicens Congregate ad me Sacerdotes dedecoris, comedẽtes mensam Iezabel, vt dicam eis. Quousque claudicatis ambabus vestris tibiis? Si est Deus, ambulate post ipsum. Si autem ipsa mensa Iezabel est Deus, comedentes euomite. Præterea aperte publicans inuictam Theophili malitiam, & tenebrosarum eius machinationũ impudentiam, proponit omnia cognoscenda ab omnibus. Cum hæc regie & generose dixisset leo pietatis, vulpes improbitatis, verba fraudulenter diuidunt: & cum iisdem verbis Imperatori dedissent exemplum, coëgerunt eum irasci. & effecerunt vt Imperatoris indignatio in Theophilum, conuerteretur in Pontificem. Qui etiam iussi sunt in eum facere concilium. & cum tempus accepissent libertatis, & ad luctam se fortiter instruxissent ac muniissent: consiliis Imperatricis. donis, verbis, promissis, minis, & omnibus modis omnes congregant. & alios quidem qui resistebant plano & improborum architecto consiliorum, mittebant in exilium. alios autem vanis promissis misere redactos in seruitutem, adeo armabant aduersus Pontificem, vt eum vel sacrificaturi essent & perdituri. Hinc magnum exstitit certamen Eudoxiæ & Theophilo, dum mensis, auro, blanditiis & modis omnibus suos socios ad bellum instruunt. Deinde quid? Adornãtur & contexuntur libelli, & mittuntur ad Imperatorem, qui continent omnes vanitates & insanias falsas. Postremum vero erat, q post communionem hic Ioannes faceret omnes gustare aquam aut pastillum propter sputum, & ante omnes ipse. De cætero autem non amplius procedunt per ea quæ ipsi in eum intendebant crimina, nempe quod sectaretur errores Origenis, sed per contumelias & maledicta.

Cum hæc sic nescio quo modo struerentur: neque enim fieri potest vt structas ei insidias sigillatim persequamur, quæ ad vnum finem spectabant, nempe ad cędem Principis Pastorum & mortem, accedit ad Pastorem id quod è grege non fuerat correptum à feris illis immanibus, nempe

quadraginta duo Episcopi numero. Qui Pastorem circundantes admirabantur repentinam & diuersam mutationem. nempe ꝙ Theophilus qui erat inter reos relatus, repente sit constitutus Iudex aduersus sanctum & iustum Chrysostomum. Quid ergo pastor ille bonus, magni Principis Pastorum nempe Iesu imitator? Sed cũ ad hunc locum peruenit oratio, memini sacrorum dierum. Dominum veniẽtem ad passionem Discipulos qui tũc erant, nouum testamentum. inter se inuicem charitatem, & omnia quæ illic mystice facta sunt edoctos sigillatim apud me cogitaui: & eum qui modo erat Discipulus, similiter atque magistrum & Dominum, eos qui sub se erant initiantem mysteriis. Nam cũ omnes dolore cruciarentur propter magistrum, dicit eis ille vir sapiens in diuinis & humanis. ó quõ fieri potest vt sine lachrymis eorum memoriam tibi tradat oratio. Orate ó filij & amici & viscera quæ mihi ex omnibus præcipue estis vicissim dilecta. & Deo agite gratias. Nullus autem cernatur ex vobis se separasse ab ecclesia. Ego enim iã libor. & instat tempus meæ resolutionis. Satanas non fert meas aduersus ipsum orationes. Sed ne obliuiscamini sacræ meæ in vos dilectionis.

Cum hæc & his longe plura dixisset, quid opus & dicere lachrymas & dolorem quibus sunt repleti. Tandem omnes complexus, rogauit omnes vt irent in concilium. malebat enim mortem subire gladio, hoc lucrum esse existimans pro communi omnium securitate & salute. & rursus dicit. Vos omnino recordamini vitam præsentem esse viam. & transite quæ in ea sunt bona & molesta. nec hoc solum, sed est etiã nundinæ. emimus itaque. vendidimus. diuersamur. Nũ sumus nos meliores Patriarchis, Prophetis, aut Apostolis? Dicit ei quidam cũ eiulatu. Sed deflemus nostram orbitatem. rerum confusionem. statim ecclesiæ, & alios honores quibus affecti sumus, & ignominias quibus afficiemur. Sed ne vestras, inquit, relinquite ecclesias. Non enim à me est principium: neque ad me vsque est finis. Non enim post Mosem surrexit Iesus? Non fuit Dauid successor Samuelis: Hieremiæ Baruch: Eliȩ Elissæus? Post Paulum autem quis? Non Thimotheus. Titus. Apollo. Non alij innumerabiles? Sed si tenemus, dicit quispiam, nostras ecclesias, omnino communicare necesse est & subscribere. Communicate, inquit, vt non perturbetur neque scindatur ecclesia. sed ne subscribatis. Quonammodo hoc iubes? Quoniã, inquit, nullius mihi culpæ sum conscius propter quam deponar. Cum his sacram illam turbam magnus inter Patriarchas cõfirmasset Chrysostomus, iam concilium quod extra vrbem in Ruffini prædiis inania in eum statuerat, accersit eum responsurum ijs quorum accusabatur. Quæ autem ei significata sunt, erant huiusmodi Sancta Synodus congregata Ioanni. Libellos contra te accepimus plenos malis innumerabilibus. Veni ergo eis responsurus. His lectis hæc rescribit Sanctus. Ecclesiam propter quam Deus verbum factum est ne scindas nec dissoluas. neque extra terminos iudices, repugnans trecentis & octodecim patribus. & ne Abel vt Cain, dolose in agrum ad voces. sed tu veni potius. Septuaginta enim capita aperte continent qui aduersus te scripti sunt libelli. Sumus autem nos ex diuersis & plures Dei gratia. Et vt quȩ postea sequebantur in pauca contraham, cum sapiens Pontifex præterea scripsisset & ostendisset nullam esse eorum quæ ab ipsis fiebant consequentiam, optime & iustissime

eos

eos repellebat præscriptione, optans vt in se fieret potius Oecumenica synodus.

Hæc cum accepisset & didicisset concilium illud per lectionem, irruũt tanquam leones: et ex iis qui missi fuerant, alium quidem ceciderunt: aliũ verò comprehenderunt: alium autem coniecerunt in vincula & ferreos compedes quos illi bacchantes Pastori parauerant. Quid ergo post hæc faciunt? Cum aranearum telis imbecillioribus scriptis eum damnassent quem neque viderant, neque huius vocem audiuerant, deponunt Pontificem. & hæc referunt ad Imperatorem. Quid dicentes? Quod cum non ausus esset accedere, quod esset sibi conscius: eum autem leges deponant, hoc etiam sustinuit. Iussu ergo vestræ potentiæ aiebant vel inuitus relegetur. & det pœnas quod maledictis insectatus sit Imperatricē, eā dicens Iezabel. vel in eo morte ab occisoribus accelerata propter verbi asperitatem. Eis itaque credit Imperator tāquam Sacerdotibus, & absque vlla examinatione, missa manu militari iubet Sanctum relegari. Hæc cognouit fidelis populi multitudo, fideique feruore & abundantia, victo & deiecto metu Imperatoris, vi restiterunt. Hoc autem cum animaduertisset vir diuinus, & quæ ex eo oriebantur damna & pericula considerasset, omnes latet. & ad cædem, Sic enim ego voco illorum consilium & impetum, existimo autem vos quoque, tāquam ouis sua sponte accedit. Eum vero cum comprehendissent, vsque ad Euxeni propontidem tunc trahunt.

Post hæc quid? Quidam ex iis ducti pœnitentia, dicebant fuisse Ioannem appetitum calũniis & iniuria affectũ Nec hoc credebatur à multis. fidem autem res ipsæ magis fecerunt. Quomodo? Ex honore & emolumentis quibus sunt affecti accusatores. Sed profanum os dedecoris respōdebat his nugis, dicens. Etiamsi nihil aliud, at arrogantia & superbia Ioānis eum deposuit, suæ malitiæ improbus veterator scripturam applicans. nempe quod superbis resistit Dominus. Deinde scribit Persecutor ad Romanum Pontificem Innocētium quam in Pastorem fecerat iniquitatem transformans & varians. Sed Theophilus scribit quidem, condemnatur autem cum papa aperte res sancti cognosceret. Quorum varios ac multiplices conatus mirans Romanus Episcopus, ad Deum consugit. & petit vt illinc soluātur machinationes offensionum. Maxima itaque celeritate illinc accipit solutionē. Canima Theophili impudentia adhuc inquirebat aduersus innocentem. Hinc ad iram irritat fidelium multitudinem. Innumerabiles ex eo existunt seditiones & plagæ & diuersa pericula: & contremiscunt improbi. Vir impius celerrime fugit Alexandriam, cum vix euasisset eos qui quæsierant eum mari obruere. Sic Pater scandalorum, malus male ex regia amandatur, cum ipsis accusatoribus, & iis qui erant eiusdem sententiæ. Hæc Roma audiit etiam Imperator Honorius: & quod vt gratum facerent Eudoxiæ, Ioannem sunt calumniati. Dolore ergo affectus, valde enim amabat Imperator, & cupiebat videre Pōtificem, scribit ad fratrem Imperatorem, Arcadium, cum eo expostulans & exprobrans, quod Theophilo quem reum tenebat, locum dederit deponendi Ioannem, idque sine Romanis. Hæc cum cognouisset Imperator Arcadius, magna ductus pœnitentia, de Pontifice reuocando cogitabat. & ecce noctu venit terremotus & cadit pars cubilis Imperatricis. fuitque hoc, nam quæ intercesserũt lubenter prætermitto, causa reuocationis. Rursus ergo Pastor

bonus,oportet.n.paucis dicere,recipit gregem,cum Imperator lõge splendidius quã prius ei processisset obuiam : & ille quidem prius contenderet vt res suæ examinarentur:oẽs verò plane violenta fidei motione eum adduxissent,in sede collocassent,& vt pacem ageret effecissent. Hæc suorum seruorum Deus,qui resistit superbis & humilibus reddit gratiam.

Hinc adest quæ hospitalitate & temperantia,Scientibus loquor,Sarrã & Susannam exprimit Olympias. Paucis autem eam quoque declaret oratio,quæ voluptatem simul & adhortationem ad virtutem præbet iis, qui laudant ea quæ sunt honesta. Olympias erat,quæ temperantia,hospitalitate, & doctrina disciplinarum, non minus erat clara, quàm splendore generis, opum, & pulchritudinis. propter quæ antecellebat omnibus quæ tunc erant. Hæc marito quidem fuit coniuncta legitime,non est autẽ experta, vt quæ parum cum eo vixerit. Eam Imperator Theodosius vi postea trahebat vt nuberet cuidam suo cognato, non quidem dedignantem,sed contra ea quę par erat significantem. Dicebat enim. Si Rex meus Christus voluisset me viuere cum marito, primũ omnino non abstulisset. Et quid opus est orationem extendere, quæ contendit ad ea quæ deinceps sequuntur exponenda illius verba sapientia? Ei enim qui sapit, licet ex fimbria,vt est in prouerbio, id quod est contextum intelligere. Iussu ergo Imperatoris auferuntur et facultates gratia custodiæ. Illa autem ea re valde est lætata, & dictum protulit Imperatori quod dignum est quod habeatur in admiratione & mãdetur memoriæ. Dixit enim Ne ea custodiantur ò Imperator, sed dentur potius pauperibus. iam olim enim deprecor quę ex hac distributione accedit vanam gloriam. Statim ergo lętatus fuit Imperator cum hęc audiisset,& ei sua rursus reddit. Illa autem cum ea accepisset, pulcherrime quidẽ administrauit. seq́ꝫ exuit ac parauit ad exercitationem: & paulopost refertur in numerum Diaconissarum ecclesię. Sed ne sic quidem potuit euadere grauia retia Theophili,cũ illius hospitalitatem ignominię materiam acceperit iste Diis inuisus. Ipsa post multos curam quoque gessit Nectarij, vt quę suis manibus, quando ad Deum excessit,eius texit oculos. Ipsa hospitio quoque magnum accipiebat Chrysostomum, ei libum exhibens, propterea quòd non posset auelli à studiis. ipseq́ꝫ eam in secundo suo exilio duabus epistolis est prosecutus. Sed hęc quidem postea. veniat autem oratio ad id quod est propositum.

Post Pontificis secundam in sedem suam restitutionem, cum non multum pręterfluxisset temporis, incidit aliquid quod necessario opus habebat correctione. & suo pro viribus officio functus est, is qui erat rerum huiusmodi corrector, & rursus Imperatrix fuit valde irata Pastori. Si quis vestrum scit argenteam statuam, & qui illic fiebant ludos publicos, & diuiuam ędem. contumelia affectam, scit quod dico. Rursus ergo certamina ex certaminibus,& synodi aduersus Pontificem. Hęc cognoscit is quem persequebantur: & celebratum illum & insignem habet sermonem. Rursus furit Herodias. Hoc accendit iram Imperatricis: & rursus libere ac confidenter agunt accusatores. Et Theophilo quidem significatur vt veniat Alexandria. sed adhuc timens differt infelix. Arriano tamen canone tanquam arcu vsus, audet eum ferire iaculis ex atramento. Certus autem quem afferebant erat hic ictus, quòd absque synodo qui erat depositus, irrupisset & in ecclesiam. Quos cum conuenisset hic vir diuinus & ab eis in-

ferrogaretur, respondit. Expulsus fui ab Imperatore, fui etiam reuocatus ab ipso Imperatore. Quod placebat quidem iis qui erant recti iudicii & sententię, & Imperator iis assentiebatur. coram Imperatore autem aduersus eum decertans malignorum illorum fucorum examen, strepitu obtundebat illius simplicitatem. Tunc autem profert quidam, is vero erat Elpidus Laodiceæ quæ est in Syria Episcopus, sententiam plane admirabilem Ne tumultuemur, inquit, in conspectu Imperatoris: nefas est enim: sed subscribant accusatores se esse eiusdem fidei cuius sunt qui illum ediderunt canonem & soluta est dubitatio. Cum ergo intellexisset Imperator facilitate propositionis solui id de quo agebatur, lætus & subridens dixit, Nihil est hoc melius. Id autem quod erat propositum cum esset anceps, effecit vt caligarent accusatores. Et tunc summis quidem labris pollicentur, re autem infecta tunc exeunt.

Cum hæc alias aliter machinarentur accusatores & tesseris quodammodo luderent, menses decem præterierunt. Pastor autem ne tantillum quidem prætermittebat ex consuetis: imo verò quotidie magis ac magis augebatur eius studium. Solet enim nescio quomodo mēs quæ caret vana gloria, iucundius affici & se magis rationis compotē ostendere in casibus qui accidunt. Illi autem non dederunt somnum oculis, nullis abstinuerūt machinationibus Imperatoris mentem obsidentes, vt eam funderent & captiuam abducerent. Imperator vero aliquandiu quidem fortiter restitit & repugnauit. Quando autem omni ex parte tuta fuerunt omnia accusatoribus, nec vllus fuit qui aduersus talem insurrectionem posset amplius Imperatoris mentem fulcire & ei opem ferre, ipse quoque est mollitus: & humanum quid passus ab insidiis hostis est circunuentus. Dicam autem aperte quomodo. Erat dies 50 maximus Christi ortus. Imperator autē, vt mos est, non simul aderat. Significauit autem Pontifici se non prius communicaturum, quam ipse crimina diluisset. Sic præteriit etiam quadragesima. & die vno ante Pascha, rursus Imperator violento motu accusatorum, eadem significat. addens Duæ te condemnarunt synodi. non possum tibi communicare. Quid vero Pastor bonus, qui aspiciens aduenire bestias, non fugit & dimittit gregem. Mihi, inquit, ò Imperator à Deo fuit credita ecclesia, nec ab ea recedam. Si autem hoc tibi visum sit, vi expellar, ne accusari possim ꝙ ordines deseruerim. Quod vero Imperator in quem tyrannidem obtinebat vis inimicorum, cum eū cum metu separasset ab ecclesia, iussit degere in Episcopatu. illud cogitans ꝙ si quid rursus euenisset inopinatum, facilius esset eum inuenire ad Deum placandum. Sic magnum luminare prohibetur lumen præbere ecclesiæ. & cum rursus Imperatori exiberetur molestia ab accusatoribus, ipse eis totum permittit consilium, vt qui venerandum diem sabbati & Pontificis virtutem reuereretur.

50 Erat dies festus maximus, Christi ortus.

Quid ergo dicunt ij quibus fuerat permissum. In nostrum caput ò Imperator, sit Ioannis depositio solum cito expellatur. Rursus ergo nulla interrogatio & rursus suffragia & latæ sententię. Quæ agebat sciebant omnes. confunditur vniuersus populus. confunditur etiam dies festus. metus in fugam coniicit. & fugientes clerus, & quidquid erat fidelis populi & eorum qui gerebant magistratus, diuinum Pascha in publico quodam lauacro quod Canstantinianæ dicitur celebrarunt, vigilantes in illius noctis

glorificationibus, & eos qui erant catechesi instituti baptizantes, & ea quæ tempori conueniunt munera obeuntes. Hæc quoque cito deferunt ad Imperatorem qui ad mala erant audaces. partim quidem timentes, ne si finisset ingressus & solam inuenisset ecclesiam Imperator, populi quidem cognosceret beneuolentiam. eum autem damnaret inuidiæ. partim vero hoc agentes vt omnes qui illic erant vlcisceretur Imperator. Hinc assumpto lucio qui erat secta & sententia gentilis, & eo quem sub se recēs habebat exercitu, nēpe Thracibus armatis circiter quadringentis, secunda noctis vigilia. ò quæ illic sunt per summam perpetrata audaciam, quæ quisnam digne fuerit lamentatus? repente impudenter irruperunt. & per medias turbas ad sanctas vsque aquas procedunt. prohibent diuinorum mysteriorum celebrationem. aciem struunt contra ministros. licebatq; videre effusa diuinorum symbolorum mysteria. clauisq; percutiunt capita Sacerdotum. Sanguine permiscent sacram piscinam. Deinde quid? Fugiunt omnes. miserabile spectaculum iis qui illic erant detenti. Nam ex militibus quidem alius virginem trahebat tanquam prædam bello captam. alius autem tunicas. alius vero diuina mysteria & vasa pretiosa. Sacerdotes conijciebantur in carceres. expellebātur magistratus frequētia proferebantur edicta, & minæ intentabātur frequentiores, quæ iubebant abnegari Ioannis communionem. Sed sic quoque non cessabat, imo verò magis inualescebat & corroborabatur fides: & quomodo dictum est de exitu Israel. Quo magis eos occidebant, eo magis crescebant. Hinc eos Ioannitas nominarunt Cacodæmones.

Egreditur post hæc Imperator è regia causa exercitationis. & videt procul campum albescentem candidis vestibus eorum qui recens erant illuminati. Eo autem spectaculo afficitur admiratione, vt qui terræ florem putaret esse id quod cernebatur. erant enim recens illuminatorum ad tria millia: rogat quidnam hoc sit. Vide autem malæ linguæ deceptionem. Est, inquiūt, diuersa à recta fide sentiētium multitudo Valentinianorum. Quod simulatque dixissent, ex insidiis in eos impetum faciūt viri armati. Quæ vero post hæc sunt consecuta, quænam ostenderit oratio? Rursus plagæ: rursus tormenta: rursus vincula. carceres erant ecclesiæ plenæ hymnis & glorificationibus. ecclesiæ verò deteriores carceribus, pœnis, flagellis & tormentis plenissimæ. Duo adhuc menses intercesserunt & Imperator vi persuasus, significat Pontifici: dicens, Multitudo tuorum aduersariorum, in se attraxit id quod in te fuit constitutum iudicium. Tu ergo res tuas Deo committens egredere ex ecclesia. Hoc cum aperte sibi significatum sacrosanctus intellexisset Athleta, postquam admonuit, confirmauit, ædificauit, omnibus quæ sunt optima consuluit, omnesq; est osculatus sancto & vltimo osculo, eos valere iussit. Præterea autem cū quæ cum admirabili Olympiade erant Diaconissas cuidam valde pio ac religioso Presbytero commēdasset, egreditur ex ecclesia. simul cum ipso quoque egresso angelo qui custodiebat ecclesiam. vt qui non ferret hanc videre solitudinem. Nihilo enim melius erat tunc affecta q̃ theatrum, cum discurrerent, tumultuarentur, exsibilarent, irriderent maledictisq; sanctum incesserent. Sunt hæc horrenda & digna lamentationibus, à quibus simul etiam afficitur oratio quæ eorum meminit per incisa. Quæ deinceps consequuntur sunt magis horribilia.

Eo ipso die persecutionis siue occasus luminaris, fit tale quid maxime horribile. Terribilissima apparēs. flamma ex medio throno, in quo verbi interpres solebat interpretari scripturas, per vniuersam diffunditur ecclesiam: & catenatim assurgit in altitudinem vsque ad tectum comi. & perinde ac vipera quæ exedit vterum, fertur super tergum ecclesiæ, castigans, admonens & omnes terrens. palam ostentans audaces homines ea ausos quæ non debebant. Quid deinceps est consecutum? exoritur ventus subsolanus: & dicto citius depascit curiam. Deinde ignis perinde ac si esset ratione præditus, transit ad aulam regiam. Licebatq; videre maximum miraculum, veluti inter duos igneos montes, populum quidem qui erat intus non lœdi, domos autem quæ illic erant consumi: & ignem non audere sacra vasa tangere: & inuehi in aliam Sycophantarum audaciam, qui ausi erant dicere q; propter ablatas pretiosas materias & vasa sacra eiectus fuerat Pontifex. Nec hoc solum, o hominum audaciam, o omnipotentis tolerantiam: sed adhuc improbe & impie a malignis sparsa est fama, q; qui Ioannem amabant exusserant ecclesiam, sepulchrum re uera patens guttur eorum, Audiuntur hæc quoque a Præfecto. Ille autem vt qui secta esset & sententia gentilis, ea de causa multos quidem ex Pastoribus, Sacerdotibus, & aliis ex populo qui erant dedicati Principi Pastorum, tormentis subiicit. Procedit autem etiam aduersus Pontificem: & eū vinctum tradens militibus, solum relegat in Bithyniam. & cum esset solus, o miraculum, profitebatur libere pietatem, vt finiam orationem, in quoddam Oppidulum cui nomen est Cucusos Athleta transmittitur. Et dolose quidem hoc factum est & de industria, vt illic interimeretur ab Isauris qui eam obsidebant. Sed enim non dimisit eum Deus qui custodit eos qui sperāt in ipsum. Illic enim quidam nomine Philadelphius, diuina visione dignatus, excipit Athletam. Erat autem totus ille locus plenus cultu simulachrorum & impietate. mutantur autem. Quomodo?

Habebant qui illic erant hominem quendam paralyticum. Quem cum adduxissent, neque enim fieri poterat vt absconderetur quæ supra montē sita erat virtutum magna ciuitas, eum rogant vt ipsum curet. Ille autem accepta conuersione & fide eius qui patiebatur cum eum cito curasset, per eum vniuersam regionem, erat vero multa & innumerabilis, atttahit. baptizat. docet pietatem. & postremo illic collocat omnem ordinem Sacerdotalem. Propterea ineffabili gaudio afficitur vir diuinus. & multos qui venerant aut allati fuerant, 51 curat ab omnibus morbis. Sed cum iter quidem confecerit, maneat oratio. Mir. XII.

51 *Ioannes omnes curat ab omnibus morbis.*

Post exilium autem principis Pastorum, hoc enim ego solū narrabo, qualia in gregem sunt machinati immanes illi laniatores, & quæ ab eis facta sunt, quomodo dixerit & exposuerit aliquis multiplices cruciatus. Quinam autem hi sunt? Exilia. asperæ tractationes. publicationes. translationes. acerbę mortis machinationes, non in hac aut illa ciuitate, sed ferè per vniuersum orbem terræ. Peruenit hoc ad aures Romani Pontificis. Ex eo fit vt nouas excogitent rationes, & accusatrices litteras mittant accusatores. Sed ille quidem tunc parum patienter tolerat. eligitur autem Constantinopoli quidam nomine Arsacius, qui erat vel ipsis piscibus magis mutus, amentibus amentior. senio confectus. cōdemnatus. inutilis. Ex quo quid accidit? Omnes omnino recedunt ab ecclesia. Quid ergo

mali horum iudices? Persuadent Imperatori, & omnes cogunt inuitos assentiri Arsacio. Et alios quidem ducebat timor. alij autem contra decertantes martyrio suscepto coronabantur. Alij vero fuga salutem sibi quærebant. Intercessit totus annus & parum amplius, & moritur Arsacius. Ei autem succedit Atticus. Quænam autem ab eo fiebant? Accusationes. ordinationes. Metropolitani indigni qui mandentur memoriæ. Quidam viri boni non ferentes hæc videre, eũt Romam. Ex quibus cum resciuisset Antistes, singula refert Imperatori Honorio. Imperator autem cũ Imperatorem & fratrem scriptis ad eum litteris acriter arguisset & reprehendisset, comparatasq; insidias & machinationes ei pulchre exposuisset. increpat. admonet. adhortatur. & postremo consulit vt reuocetur sanctus.

Non latuerunt hæc Eudoxiam. quę orationis vtens probabilitate, erat enim in rebus huiusmodi ingeniosa artifex, persuadet Imperatori, vt iis qui Romæ erant expectatis, vt res essent vacuæ omni perturbatione, ô iniquum prætextum, tunc non reuocaret Antistitem. Clam autem mittens, occupat qui tunc erant portus, Abydumq; & omnem transitum, iubens ascendentes quidem Romanos male multatos & contumeliis affectos amandare. eorum autem epistolas eis ereptas auferre. Sciebat enim aperte sciebat callida in malis mulier, q; si res examinarentur, esset reuocandus Pontifex. Hæc & machinata est Imperatrix: eaq; finem acceperunt. Detinentur enim qui Roma illuc venerant coiiciuntur in custodiam, male multantur. Litteræ ab eis petuntur. Illi fortiter resistunt. resistentia autem desinit in periculum. Nam cum fregisset quidam pollicẽ Episcopi. cum litteris rapit etiam ea quæ afferebant. Deinde audent impudentes & audactes homines eis blandiri. auro misericordiam moliuntur sibi comparare. & omnem quidem dolum contexunt, nõ autem persuadent. Quomodo & quanam ratione, pulchrũ est hoc quoque dicere. Paulus diuinus Apostolus ad eos, accedens prædixit. Videte quomodo ambuletis, tanq; sapientes, non tanquam insipientes scientes q; dies mali sunt. per ea quæ tunc fiebant, ea quæ nunc fiunt tacite innuens. Quo quidem confirmati, non admiserunt escam quæ æri venatorum Eudoxiæ erat imposita. Post sextum ergo mensem ad suos reuersi, significarunt omnia. Et hæc quidem hucusque, & ita se habent. Ad ea autem quæ deinceps consequuntur procedens oratio, persequatur ea quæ sunt proposita.

Cum iam qui à diuina gratia est denominatus, toto anno in oppidulo Cucuso se præclare gessisset, & aluisset eos qui fame & siti laborabant verborum Domini, fames panis & rerum necessariarum terram inuasit. & cum hanc vrbem regiam deficere cognouisset Pastor ille bonus, eam epistolarum & orationum consolatur auxiliis. Et primum quidem eam quæ est per epistolam orationem, auditorum animas nutrientem admirabiliter, suppeditat frumenti verborum suppeditator: quæ continet viginti quatuor capita. Ad eos autem qui vitæ offenduntur iniquitatibus, habet argumentum oratio Quodnam est autem principium orationis? Medici quidem, & quæ deinde sequuntur. Præterea autem duas ad Quiriacum, & ad Constantinum Presbyterum varia scripta, & ad ipsam admirabilẽ Olympiadem. Sed nõ sic eum dimisit inuidia, Iam enim vexationes, iniurias, afflictiones nescio quam multas perpessus, trãsmittitur Arabissum. Et rursus in eo eadem facit quæ in alio oppidulo. Rursus verò inuidia se

obstetricem præbens accusatorum metui, eos impellit & incitat ad pariendam cædem, adeo vt ex accusatoribus quidam duxerit suis sociis. Videte mortuum terribilem, qui viuos terret & rerum potientes, quomodo laruæ mortuos? Quis hæc facit? Ille imbecillus: ille relegatus. qui non habet qui eum defendat. Illi autem serpentis insidias in se adhuc ostentantes, iusserunt eum iaci in quendam locum omnium desertissimum. Scientibus dico. Pytiuntem qui dicitur, finitimum accolis Tzannorum.

Adhuc autem antequam perueniret sanctus in loci solitudinem, hoc enim ego narrabo paululum intersistens, ab eo rursus videntur sicut Antiochiæ diuini Apost. Quid dicentes? Diuinam gratiam afferentes. confirmantes & corroborantes. vngentes. laudantes eum propter puritatem conscientiæ. postremo annunciantes eius ad Deum excessum. foreq́; vt ad eorum perueniret honorem & gloriam. Eudoxiæ fœtidam & infamem mortem. eamq́; ante mortem ipsum sæpe à se requisiisse. Nihil prætermittunt quod faceret ad eum docendum. Postremo eum pascunt ambrosia, dicentes. Hac tibi opem ferente, nullo alio opus habebis nutrimento. Quam cum accepisset, comedit coram duobus qui eum fideliter sequebantur. Qui etiam digni habiti sunt sermone & cōtemplatione Dei præconum, impleriq́; gaudio & exultatione quæ illinc proficiscitur. Tres ergo post hæc menses intercesserunt: & augebantur mala quibus eum afficiebant milites. quod ipsum quoque meditatum & de industria procuratum fuerat à persecutoribus. Quæ autem ab eis meditata fuerant, Deo non permittente cito interrupta fuerunt & rescissa. Quisnam aūt modus? Data enim sit hæc quoque postrema narratio summo miraculo.

Nondum Comanam appropinquarat sanctus: ecce autem noctu ei apparent Basiliscus & Lucianus martyres, dicentes. Bono esto animo, & gaudio exulta ineffabili, frater Ioannes. Cras enim simul erimus. Hoc ipsum quoque dixerunt sui templi Presbytero. vt se pararet ad 52 iusta facienda & debitas exequias diuino pontifici. Venit ergo ad locum diuinus Pontifex. Quærit vestem splendidam quæ tempori & dignitati conueniat. mutat autem ea quæ gestabat, & illa distribuit iis qui aderāt. Deinde sacrum celebrat mysterium. communicat 53 sacramento gratiæ. Fundit vltimas preces. Deinde cum de more dixisset hic inter Patriarchas diuinus & re uera magnus Chysostomus, Gloria Deo propter oīa, & facto signo Crucis subiunxisset Amen, & recubuisset, requieuit decimo quarto mensis Septembris.

52 *Si beati Martyres reuelant, sancto uiro iusta et debitas exequias celebrandas, consequens est hoc esse opus pium, & Deo placere.*

53 *Ecce quomodo ueri Christi serui moriuntur.*

Licebat autem post hæc videre tanq̄ signo dato cōcurrentes, ex Syria, Cilicia, Ponto & Armenia omne genus hominū & omnem ætatem propter vtilitatem communem & salutem. & sic deponitur patientissimum & sanctissimum illud corpus cum Martyrum quæ illic sunt corporibus. beatissima autem & diuinissima anima, excipitur intemeratis manibus immortalis omnium Regis, Domini & Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi. Quem decet omnis gloria, honor potentia, maiestas & magnificentia, nunc & in secula seculorum. Amen.

EPITOME *Vitæ S. Ioannis Chrysostomi.*

HIc sanctus erat quidem genere Antiochenus. Pater autem eius erat Dux exercitus Syriæ, nomine Secundus. Mater vero eius cognominabatur Anthusa. Præclare autem & pie educatus, cũ is fuisset decem & octo annos natus, recesit à Libanio Sophista, & iuit Athenas matrem eloquentiæ. Deinde reuersus ad suos, à Meletio Archiepiscopo Antiocheno baptizatus, ordinatur postea lector à Zenone Archiepiscopo Hierosolymitano. & cum permansisset tres annos in Ecclesia, illinc recessit, vt qui in magnum incidisset monasticæ vitæ exercitatorem. & cum apud eum mansisset annos quatuor, & in vnam secessisset speluncam, mansit solus annos duos. Deinde rursus venit ad ecclesiam, & ordinatur Diaconus. Cum se in eo quinque annos pręclare gessisset, ordinatur Presbiter à Flauiano. In quo cum duodecim annos clarus fuisset & illustris, illo autem tempore è viuis excessisset Nectarius Archiepiscopus Constantinopolitanus, ab Imperatore Arcadio Antiochia accersitus, ordinatur Archiepiscopus Constantinopolitanus, mense Decembri quarta indictione. Cum autem munus Episcopatus functus esset annos quinque, propter inuidiam fuit relegatus in ciuitatem Comanorum, prope Armeniam. Transegit autem in exilio locum loco mutans & male habitus à militibus, annos tres menses duos. Fit totum simul eius vitæ tempus, anni LII menses VIII. Mortuus est aũt XIIII Septemb. & sepultus est cum sanctis & gloriosis Christi Martyribus, Basilisco & Luciano.
54 Portatę sunt autem venerandæ 54 & sanctæ eius reliquiæ Cõstantinopolim, triginta tribus annis postea, imperante Theodosio iuniore & pontificatum gerente Proclo. & id rursus efferentes cum 55 Psalmodia luminibusq; & vnguentis quæ verbis exprimi nequeunt, deposuerunt in templo sanctorum & benedictorum Apost. mensis Ianuarij XXVII.

Nota uenerandæ & sanctæ eius reliquiæ.

55 *Efferentes cum psalmodia, luminibusq; & unguento.*

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM *Sancti Apostoli Philippi.*

Nouemb. 14.

DEI Verbum quod cum patre est æternum & caret tẽpore, voluit aliquando fieri sicut nos, & venire sub tempus, propter lapsum nostræ naturæ. Hinc factum est vt & virginis carne circunscriberetur, & id quod assumpserat Deum redderet communicatione. Cum autem eius cum corpore aduentu omnibus acquirente salutẽ, oporteret eum habere spectatores diuinę illius & ineffabilis dispẽsationis, & participes mysteriorũ: vt vniuerso generi per ipsos suppeditaret affatim reuocationem: postquam per totam finitimam & quæ circum Iordanem sita erat regionem peruasisset Ioannis prædicatio, data autem fuisset gratia spiritus, & multi ab illo baptismum accepissent, quo tẽpore meus quoque Christus fuit baptizatus, mittens versari in ciuitate idem Dei verbum quod comprehendi non potest, versabatur enim Hierosolymis, degit in Galilæa. In ea autem agebat Philippus ille admirabilis, qui erat quidem ex Bethsaida ciuitate Andreæ & Petri, tunc vero aderat in Galilæa. Qui statim ab ineunte ætate traditus est à parentibus erudiendus 1 disciplinis.

1 *Vides Apost. Philip-*

Cum

Cum autem recte fuisset educatus & in omni laudabili disciplina iam institutus esset & eruditus, libros perlegit Mosaicos, & quæcunque fuerant prædicta de Christo mysteria imbuit. quemadmodum nouissimis temporibus sit venturus, & sit omnibus communiter salutem distributurus. Iis enim qui tunc erudiebant non erat permissum, Discipulos in alia erudire doctrina, nisi libros Mosis prius legissent. Cum ergo venisset Iesus in Galilæam, & hũc magnum inuenisset Philippum, iussit ei vt ipsum sequeretur. Ille autem cum audiisset, statim recordatus est eorũ quæ ab ineunte ætate de Christo accepit & legit. & eum esse illum agnouit quem Mosis libri esse postea venturum declarabant. Ex hinc ergo is cum eo qui vocauerat magistro versabatur. & habebat virtutem quæ cum tempore prouehebatur: & connumerabatur cum præcipuis Discipulis.

pũm eruditũ in omni laudabili disciplina? Cur ergo noui heretici earum studium à Christianis scholis eliminare satagunt?

Cum autem ita boni effectus fuisset particeps, assumit etiam alios socios participationis. nec eam celat: sed cum in primum incidisset Nathanaëlem, qui longo antè tempore ei fuerat amicus & familiaris, venientis aduentum, non tanquam adhuc futurum, sed tanquam qui iam esset annunciauit. Non amplius, dicens, in spe sita est salus Israelis. sed quẽ linguę spiritu præsignificantes Seruatorem, prędixerũt in vltimis diebus Israeli surrecturum, is adest. Eum cum nos inuenissemus Iesum ex Nazaret, & eius admirabilibus & quę naturam superant miraculis non possemus non credere, omnes alios multum iubentes valere, cum eo degere constituimus. His cum summopere cepisset Nathanaëlem, etsi rem ęgreferentem, & non ex Nazaret esse boni aliquid contendentem, à tuendis quidem rebus Israelis eum abducit. Christo autem adducit obedientem. Cumq́ eum primum adiunxisset, liberius exclamauit, Rabbi, dicens, tu es Rex Israelis. Quo quidem ipse quoque Christus delectatus, vt quod profectũ esset à menti intus recte affecta, id aperit quod erat ei conueniens, futurum eum mystam maiorum mysteriorum, & regni Dei spectatorem. Quid enim dicit? Amen dico vobis, cœlum apertum videbitis, & angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Ab illo ergo tempore sacratissimus Philippus aures prębẽs sacris mysteriorum institutionibus, tota mente in illis versabatur, nulla eum cura attrahente ad alia. & luce diuinioris cognitionis expurgabat cogitationem, priorem depellens ignorationem, & internum hominem renouans.

Cum itaque ad virilem ętatem peruenisset, in Christum quidem perfectiorem assumpsit charitatem, vt reputaretur perinde atque filius, & locũ obtineret hęredis: & aduentu spiritus constitueretur princeps super omnẽ terram. Cum autem aduenisset tempus salutaris passionis, per quam patibili genere superior extitit impatibilitas, is inseparabiliter versabatur cũ Magistro. Oportebat vero illo tempore aliquos ex iis qui tenebat falsam gentium religionem. proficisci Hierosolyma ad festum contemplandum. Ii iis quæ de Iesu præter opinionem annuntiata fuerant obstupefacti (Nam ipsis quoque magna de eo nunciabatur & quæ fidem superabant. ꝙ Lazarum quidem suscitasset à mortuis: & vniuersus populus eum laudibus & bonis verbis esset prosecutus: & alia innumerabilia fecisset miracula) eum cõueniendi magno capti sunt desiderio. A quo superati veniũt ad meum Iesum. et cum accessissent ad Philippum, annunciant cur venerant. Ille autem cum Andreæ qui fuerat primus vocatus de eis commu-

nicasset, Iesu simul cum ipso eorum aduentum annuntiat. Iesus vero de
,, sua passione & gloria ei significat, dicens. Nisi granum frumenti cadens
,, in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. mortuum autem affert multum fructum. Atque hæc quidem Christus illis disseruit. Quando autem post passionem & resurrectionem se sæpe ostendit Discipulis, & illos fecit eorum spectatores quæ erant maiora quam vt caderent in cogitationem, hic ipse quoque magnus Philippus, vt qui esset condiscipulus & socius arcanorum, aderat iis quę fiebant, & erat vnus ex eorũ numero.

Cum vero Dominus & Seruator noster Iesus Christus, vniuersam quæ fiebat per carnem pro nobis peregisset dispensationem, & terrena vniisset cœlestibus admirabiliter & præter opinionem: & cũ gloria fuisset assumptus in cœlos: & ad maiestatis Patris consedisset dexteram: & spiritum paracletum iis qui ipsi eum viderãt suis Mystis misisset vt erat pollicitus in specie ignearum linguarum, eo quoque repletus Philippus se parabat ad cursum Euangelij. Cum autem ex iis alij quidem partes oriẽtales, alij autem occidentales, eas sortiti obirent, borealesq; & australes peruaderunt regiones, implentes præceptum quod eis datum fuerat, admirabili quoque huic Apostolo sorte obtigit Asia. Quam quidem in orbẽ obiens, & in omnibus quidem versans ciuitatibus & regionibus, innumerabilem multitudinem fecit veræ pietati consentire. Quos cum etiam obsignasset luce regenerationis, obtulit patri cœlesti. Quinetiam eos quoque qui affectionibus aliquibus & morbis opprimebãtur, & eos quoque quos inhabitans Dæmonium malè afficiebat, verbo solo & impositione sacræ manus curabat. mente quidem & intelligentia eos qui insultabant & aduersabantur fundens ac fugans. sensiliter autem eos qui ab illis fuerant decepti conseruans. quos & prædicationis sublimi oratione, & quæ opinionem superabant insignibus miraculorum effectionibus, tanquam retibus quibusdam capiens, paulatim deduxit ad agnitionem veritatis.

Cum autem Sacerdotes & altaria vbique in illis locis statuisset & cõstruxisset, pro sacrificiis illis quæ fiebant in Dæmonum altaribus, sacrosancte fecit in eis peragi 2 sacram mysterij celebrationẽ, adeo vt in eis seruaretur ritus Euangelij. Atque sic quidem magna multitudo eorum qui per ipsum crediderunt, ad Christum fuit adducta. Cum autem oporteret eum quoque hinc excedere, & ad Dominum migrare, tale quid ei accidit circa finem huius vitæ. Et ciuitas in Phrygia insignis, quæ vocatur Hierapolis. Ea cum aliarum omnium populo esset frequentissima, & appellata esset mater aliarum ciuitatum, sanctissimum accipit Philippum post innumerabiles pro Christo susceptos labores. Cum ergo accessisset magnus hic Apostolus vt in ea quoque prædicaret Euangelium, vidisset autem eã simulachris, & venenatis quibusdã serpẽtibus, vtpote prodigiosæ cuidam viperæ, proh dolor, cultum diuinum tribuere, zelo diuino eius animus accenditur. & intensius se dans precibus Christi nomine inuocato, hanc perniciosam & quæ multis fuit causa interitus, statim ostendit mortuam. Cũ autem aduersus tetram hanc belluam tam pulchre ei cessisset Domini interpellatio, omnes deinde valde admonuit & eis consuluit, vt eum qui est in cœlis viuum Deum existimarẽt, is enim est vere Deus: nec serpentibus in terra animalibus animum adhiberent. Qui cum sit semper Deus, perfectus, & qui nec possit comprehendi, postquam produxit hunc mundum

2 *Missam uocat hic sacram mysterij celebrationẽ. Vide ergo quã antiqua sit eius institutio, cum Apost. tẽpore perageretur.*

tam qui est aspectabilis, quã qui nõ cadit sub aspectum, hominem formatum ad imaginem suæ maiestatis, & libro honoratum arbitrio, fecit esse participem bonorum quæ erant in paradiso. iubens ab hoc solo abstinere, quod erat lignum cognitionis. Cum vero mandatum transgressum, & lapsum ab ea quę cum ipso intercedebat coniunctione, Dei non esset despicere, cum eum prius per legem tanquam per pædagogum & per Prophetas erudiisset, postremis temporibus ei placuit vt verbum quod est eiusdem cum eo naturæ, à casta virgine nobis simile nasceretur. Ille autem cum ad similitudinem hominum apparuisset, & cum perpesionibus concertasset qui erat impatibilis, & tertio die surrexisset à mortuis, sua benignitate & clementia se nobis manifestum reddidit, & in cœlos ascendit vnde descenderat. Eum autem rursus quoque venturum credimus. Qui figmentum quidem suum suscitabit: reddet autem vnicuiq; factis suis cõuenienter. Hæc vero vos quoque scietis diuina luce dignati regenerationis. & ab omni quidem execrando vitio vobis pura erit cogitatio. & ad satietatem, etiamsi his nulla sit terminata satietas, gratiis eius replebimini: & eritis hęredes annorum promissorum.

Hęc & his plura & priuatim & communiter verba faciens diuinus Apostolus, quos sciebat magis q̃ alios verbũ suscipere veritatis, eos adduxit ad lucem regenerationis: & in Pontificum & Sacerdotum numerum retulit: & templa animata & sancta Christo excitauit. Sic directo procedentem veritatem videns eius inimicus, non ferendum esse ducebat nisi eum labefactaret, & prohiberet ne pergeret vlterius. Hinc cum eos qui eo tempore gerebant magistratus subiisset, & eis tanq̃ ignem accendisset ęmulationem, efficit vt Philippus quidem ab eis comprehenderet̃, magnam manum in eis repente commouens. ei autem infert quidquid est molestum & exitiosum. Nam qui eum quidem comprehenderant, acerbe deponunt in carcere: acerbius vero flagris cædunt & verberant. Deinde cùm funibus eum à talis vinxissent, sublime suspẽdunt pręcipitem. Illud autem tacite significabat directum eius mentis ascensum ad superiora vt est consentaneum. etiamsi non eum vsque ad vltimum reliquit Deus absque consolatione. Sed cum illo tempore Bartholomęus quoque diuinus Apost. simul cum eo versaretur Hierapoli, & simul pręedicaret Euangelium, quomodo pręedicationis ita etiam perpesionis fit ei socius. & illo à talis suspenso vt diximus, ipse cruce condemnatur. Porrò autem soror Mariamna, quæ non minus erat vna mente q̃ natura: quæ erat virgo & corpore & animo, patienti quidem Philippo fratri aderat. perpesionẽ autem, quoad eius fieri poterat, voluntate & animi proposito simul attrahebat & cum eo partiebatur.

Interim vero dum hęc fierent fit res quædam noua. Mouetur quidẽ repente terra, & non solitam suscipit agitationum. Metus autem inuasit illorum animos qui ex iis quæ videbantur capiebant voluptatem. Circũagitur autem vniuersus ille locus, & in profundum quod minime apparebat demittitur. Simul autem cum solo populus quoq; attrahebatur: & in maximum veniebat periculum ne periret miserabiliter. Erant ergo omnes hoc malo perplexi & incerti quid agerent aut quid consilij caperent. Cum autem vix tãdem sensissent se luerę pœnas Philippo illati supplicij & contumelię, eum circũsistentes inuocabant Seruatorem, & pete-

bant vt eis dexteram porrigeret ad ſalutem: neque proderet animas quæ propter eum ſolum tantis agitabantur fluctibus. Dicitur autem cum ij ſic inſtarent precibus & ad miſericordiam mouendam multa dicerent, & non ceſſarent, Ieſus eis deſuper aures benignas inclinaſſe, & eius quod fiebat miſertus, eis repente apparuiſſe. & cum apparuiſſet, mala illa illico ceſſaſſe: & ſolum quod tunc mouebatur ſtabile & firmum extitiſſe: & iis qui miſerabiliter veniebant in mortis periculum, viſam eſſe diuinam virtutem quæ locum ſcalarum obtinebat & aſcenſum præbebat facilem. Hoc fuit via fidei ad ſalutem infidelibus. & ſimul quidem magnum eſſe Philippum, maiorem autem illum quoque quem ipſe annunciabat Dominum prædicarunt.

Exhinc autem qui ſeruati quidem fuerant, vt Diſcipuli liberarentur à vinculis magno ſtudio contendebat: feſtinabant autem vt è ligno cito demitterentur. Et ſoluunt quidem Bartholomæum. Philippus autem eorum repreſsit conatum. Iam enim ad eum quæ deſiderabat erat mox migraturus. Vnde etiam in ligno ſublime pendens, cum iis qui erant in ciuitate, de iis quæ erant eis futura vtilia toto die diſſerebat. & fiducia ad Dominum confirmans eorum animos, & pro eis ſupplicans, ſacroſancte cum ſacris exceſsit eloquiis: & migrauit ad eum quem dilexit Dñm, cum in manu eius ſuam depoſuiſſet animam. Pretioſum 3 autem eius corpus à Bartholomęo & Mariamna ſancte elatũ, & quæ in ſepultura de more fiunt pręclare aſſecutum, cum ſacris hymnis & honoribus in loco inſigni & ſacro eſt depoſitum quartodecimo Nouemb.

3 *Ecce inſignes exequias ſancti Apoſt. cum hymnis & honoribus, & cum depoſitione pretioſi eius corporis in loco inſigni.*

Bartholomęus autem & Mariamna cum breui tempore in eo loco manſiſſent, & pretioſis his reliquiis hymnos & honores tribuiſſent, & rurſus præclarius & firmius eos qui aderant in fide confirmaſſent, in ſuã patriam redierunt prędicantes Chriſti Euangelium. Quoniam eum decet omnis gloria honor & adoratio, cũ patre principij experte & ſanctiſsimo eius ſpiritu, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTORVM
Confeſſorum, Samonæ, Guriæ & Abibi.

Nouemb. 15.

AGEBATVR quidem ſex centeſimus annus ab Imperio Alexandi Macedonis: nouem autem annos iam tranſegerat Diocletianus ſceptra tenens Romanorum: & ſextum iam conſulatum obtinebat Maximianus: Augarus autem Zoarę filius his temporibus erat prętor: & Cognatus erat Epiſcopus Edeſſenorum: & magna excitabatur perſecutio aduerſus eccleſias omnibus qui erant ſubditione Romanorum. & nomen quidem Chriſtianorum tanq̃ nefarium probris appetebatur & exagitabatur. Sacerdotes autem & Monachi, propter firmam fidem & inexpugnabilem miſerabilibus tradebantur ſuppliciis. deſiderioq́ & metu diſtrahebantur pij. Nã cum libere eloqui veritatem propter Chriſti vellent deſiderium, refugiebant rurſus metu ſuppliciorum. Nam ij quidem qui ſe armabant aduerſus pietatem, ſtudebant vt Chriſtiani Chriſtianiſmum abiurarent: Saturnoq́

& Rheę

&Rheę se adiungerent. contrà autem fideles, vt nihil esse ostenderent ea quæ ab illis colebantur.

Illo ergo tempore Gurias & Samonas apud Iudicem accusantur. quorum ille quidem ex Sarcigitua, hic autem ex vico Ganade erat ortus, ambo educati Edessæ, quam vocant Mesopotamiam, q̃ sit media inter Euphratem & Tigridem. & antea quidem eius fama ad paucos peruaserat: post Martyrum autem certamina erat omnium sermone celebrata. Atque sancti quidem nequaquam versabantur in ciuitate: sed procul ab ea remoti, vt qui vellent procul abesse ab eius tumultibus, studebant esse Deo soli manifesti. Et Guriæ quidem continentia & charitas erat bona & honesta possessio. & ex illius studio cognomen est ei impositum. adeo vt ex nomine eum non cognoueris, nisi prius dixeris continentē. Samonę autem erat in Deum corpus & animus iuuenilis & alacris. & cum Guria virtute contendebat. Ii ergo accusantur ad Iudicem, q̃ non solum oēm finitimam Edessæ regionem sua doctrina confirmarent, & vt suæ adhęrerent fidei animum adderent: sed etiam efficerent vt despicerent persecutores: & vt illorum impietatem omnino nihili facerent doceret, conuenienter ei quod scriptum est. Nolite confidere in Principibus, in filiis hoīum ,, in quibus non est salus. Quibus Iudex ad magnam accensus insaniam, iubet omnes qui habent in honore religionem Christianam, sequentes doctrinam Guriæ & Samonæ, simul cum iis qui eos ad id inducebant comprehēsos, in tuta includi custodia. Iussus autem ad effectus est deductus. & capta occasione cùm aliis quidem ex his plagas imposuisset. alios aūt aliis tormentis subiecisset: & vt Imperatoris decreto parerent suasisset, tanq̃ qui benigne & clementer se gereret, alios quidē sinit domum abire. sanctos autem vt primos, & qui pietatem aliis impertiissent, iussit adhuc affligi in carcere, qui ipsi quoque martyrij gaudebant societate. Audiebāt enim in aliis prouinciis multos idem quod ipsi certamē suscepisse. ex quibus erat Epiphanius & Petrus, & sacrosanctus Pamphilus cum multis aliis in Cæsarea Palęstinę. Timotheus Gaze. in magna Alexandria Timotheus. Agapetus Thessalonicæ. Hesychius Nicomediæ: Philippus Adrianopoli. Melitinæ Petrus. Hermes & eius socij in confiniis Martyropolis. qui fuerunt etiam redimiti corona martyrij à Duce Heracliano cum aliis confessoribus, quorum est maior numerus, q̃ vt possit ad nostrā venire cognitionem. Sed redeundum est ad ea de quibus prius dicebamus.

Antonius ergo Præses Edessę cum concessisset aliis vt domum reuerterentur, ei in altum eiecto tribunali, iubet ad se adduci Martyres. & cum fecissent quod iussi fuerant apparitores, sanctis dicit Præses. Diuinissimus noster Imperator hęc iubet, vt & à Christianismo deficiatis quem sequimini, & imagini Iouis cultum diuinum tribuatis, thus in ara sacrificantes. Ad hęc Samonas. Absit, inquit, vt vera fide relicta, propter quam speramus fore vt vitam assequamur immortalem, manuum opus & figmentum colamus. Præses autem Imperatoris, inquit, iussa omnino sunt implenda. Respondit Gurias. Puram & diuinam nostram fidem nunq̃ inficiabimur, sequentes voluntatem hominum in quos cadit interitus. Habemus enim patrem in cœlis cuius sequimur voluntatem, qui dicit. Qui me confessus fuerit coram hominibus, ego quoque eum confitebor coram patre meo qui est in cœlis. Qui me autem negauerit coram homi-

nibus, ego quoque eum negabo coram patre meo & Angelis eius. Iudex autem. Non multis ergo, inquit, parere voluntati Imperatoris? Quomodo vero non fuerit absurdum, ea quidem quæ visa fuerint hominibus, iisq́ue qui non multum & quantum vos possunt, reipsa ad effectum deduci: eorum autem qui rerum potiuntur iussa fieri irrita? Qui Regis Regum, inquiunt sancti, faciunt voluntatem, carnis voluntatem respuunt ac reiiciunt. Deinde cum Præses minatus esset mortem nisi parerent, Samonas, Non moriemur, inquit, ò Tyranne, si Creatoris sequamur voluntatem, imo verò viuemus potius. Sed si ea secuti fuerimus quæ iubet vester Imperator, scias quòd etiam si tu nos non interemeris, nos tamen malè peribimus.

Postquam hæc audiuit Præses, iubet Anouito Commentariensi eos in tutissimam conicere custodiam. Veritatem enim ægrefert animus qui sua sponte est ad malum propensus: vt qui ægrotant oculi splendorem solis. Postquam autem ille fecit quod ei fuerat imperatum, & Martyres fuerunt in carcere, in quo etiam multi alij sancti prius inclusi fuerant à militibus, Imperator quidem Diocletianus accersito Musonio Præside Antiochiæ, iubet eum venire Edessam, & Christianos qui in ea erant inclusi, siue erant communis siue sacrati ordinis, de sua interrogare religione, & eis finem dare conuenientem. Cum is ergo venisset Edessam, & Samonam & Guriam primos curasset sistendos ad tribunal iudiciale, dicit eis. Domini hic est orbis terræ hic est iussus, vt vos aræ Iouis vinum libetis & thus imponatis. Sin minus, ego vos variis consumam suppliciis. Corpus enim flagris lacerabo. donec perueniam vsque ad ipsa viscera. plumbum autem feruens non prius cessabo vestris axillis infundere, quàm id peruaserit vsque ad intestina. Deinde nunc quidem manibus, nunc verò pedibus suspendam: & efficiam vt soluantur compages articulorum: nouaq́ue & inaudita excogitabo supplicia, quæ nec omnino quidem ferre poteritis.

Respondit autem Samonas. Vermen cuius minę sunt intentatæ, iis qui negant Dominum. & ignem qui non extinguitur, magis quàm ea quę tu enumerasti tormenta formidamus. Ipse enim cui cultum offerimus rationalem, primum quidem nos corroboratos aduersus varia hæc tormenta, eripiet à tuis manibus. Deinde etiam in tuto collocabit vbi est habiraculū omnium lætantium. Alioqui autem omnino aduersus solum corpus armaris: Quid enim animam potueris lædere? Quæ quādiu quidem habitat in corpore, tormentis euadit præclarior. ea autem recedente nullus est omnino sensus corpori. Quo magis enim homo noster externus corrumpitur, eo magis internus renouatur in dies per patientiam enim hoc propositum certamen peragimus. Præses autem rursus veluti potestans, vt si non parerent puniret iustius. Discedite ab errore, inquit, vobis consulo: & cedite iussui Imperatoris. Non poteritis enim ferre tormenta. Cui sanctus Gurias. Neque errori vt tu dicis seruimus, respondit. nec Imperatoris iussui vnquam paruerimus. absit vt tam pusilli animi simus & tā amētes. Sumus enim illius discipuli qui animam suam pro nobis posuit, diuitias benignitati & suam in nos ostendens charitatem. Resistemus ergo peccato vsque ad mortem: neq́ue quidquid acciderit, supplantabimur à machinis aduersarij, quibus primus homo captus, decerpsit mortem per ligni inobedientiam. & Cain persuasus, fratris quidem sanguine manus

polluit. genere autem & tremere inuenit præmia peccati. Sed nos Christi verbis mentem adhibentes, non timebimus eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: illum potius timebimus qui nostram animam & corpus potest perdere. Tyrannus autem, Non vt, inquit, vestras percurrentes scripturas possitis refellere quæ à nobis obiiciuntur, ideo ira non moueor & me prębeo patientem: sed vt iussum Imperatoris exequentes, cum pace domum reuertamini.

Hęc oratio nihil flexit Martyres: sed propius accedentes, Quid nostra, aiunt, refert, si irasceris & es ad iram propensus: & tanquam niues pluis tormenta? Tunc enim nobis magis bene facies, clariorem reddens nostrã probationem patientiæ, & concilians maiores remunerationes. Hæc est enim summa nostræ spei, hunc incolatum qui est ad tempus relinquere, & migrare ad æternum. Habemus enim tabernaculum non manu factum in cœlis, quod etiã sinum Abrahæ, scriptura, propterea ꝙ is esset familiaritate Deo coniunctus, solet vocare. Cum itaque vidisset Præses immutabilem eorum constantiam, statim mittens dicere processit ad castigandum, & iubet Anuino Commentariensi vtrunque vna manu suspendi: & eis toto pondere corporis diuulsis, adhuc eorum pedibus grauem suspendere lapidem, ad sensum acrioris doloris. Atque hoc quidem ita se habebat. & ab hora tertia vsque ad octauam tale tormentum forti animo tolerabant, non vocem emittentes, non gemitum, non aliquid aliud ostendentes quod esset pusilli & abiecti animi. Dixisses eos pati in alieno corpore, aut aliis patientibus ipsos solum esse spectatores eorum quæ fiebãt.

Interim autem dum ij penderent manibus, occupatus erat Præses in aliis audiendis. Deinde cum ab eis quieuisset, iubet Commentariensem interrogare sanctos, an iussui Imperatoris vellent parere, vt liberarentur à tormento. & cum ille quidem interrogaret, hi verò non possent aut non vellent respondere, iubet eos includi in interiore custodia, in lacu tenebroso & nomine & re ipsa: & pedes vsque ad diem sequentem affixos esse ligno. Die autem iam apparente à ligni quidem vinculis pedes sunt relaxati. carceris autem aditus fuit obstructus vt nec solaris quidem radius posset subire. edictum autem fuit custodibus, non frustum panis, nec paruã quidem guttam aquæ tres totos dies eis præbere. Quamobrem de cætero tenebrosus carcer & longa inedia erat condemnatio Martyribus. Cum autem adesset tertius dies circa principium mensis Augusti, apertus quidem fuit aditus carceris: illi autem in eo retenti sunt vsque ad decimum Nouembris. Deinde Iudex eos curat sistendos pro suo tribunali. Et nec tantũ, inquit, tempus vobis præbuit vt mutati aliquod salutare caperetis consilium? Illi autem respondent. Quod nobis videtur tibi iam sæpius ostendimus. tu autem fac ea quæ tibi fuerunt imperata. Præses autem statim iubet Samonam altero pede in genu inclinari: & ferreum vinculum iniici eius genui. Quod cum factum esset, eum quidem suspendit pręcipitẽ à pede quem inclinauerat, alterum deorsum trahens pondere ferri quod verbis non potest explicari: & sic Athletam moliens discerpere. Quo quidem tempore cum coxę acetabulum per vim sedem suum reliquisset, effectum est vt Samonas claudicaret. Guriam autem ꝙ esset imbecillus & sub pallidus, sinebat impunitum, non ꝙ eum benignis aspexisset oculis. non quod esset misertus eius imbecillitatis: sed vt qui quod eum punire

cuperet, potius pepercisset. Ne forte, aiebat, nobis imprudentibus consumeretur ante cruciatus.

Et iam erant quidem duæ horæ diei ex quo suspensus erat Samonas: hora autem quinta iam aderat: & is adhuc pendebat sublime. & qui circunsistebant milites mouebantur misericordia, & hortabantur vt Imperatoris pareret imperio. Sed peccatorum misericordia caput sancti non pinguefecit. Ille enim etsi acerbe premeretur à tormento, ipsos ne vllo quidem dignabatur responso, sinens eos lugere & se potius non illum dignũ censere misericordia. In cœlum autem tollens oculos, precabatur Deum ex profundo cordis, & ei reuocabat in memoriam miracula quæ à seculo facta sunt. Domine Deus, dicens, sine quo nec passerculus quidem cadet in
" laqueum. qui Dauidi dilatasti cor in afflictionibus. Qui Prophetæ Da-
" nieli vim dedisti etiam contra leones. Qui pueros Abramiæos & Ty-
" ranni & flammæ victores effecisti, tu quoque nunc Domine aspice ad
" bellum quod contra nos geritur, Qui nostræ naturæ nosti imbecillitatem.
" Conatur enim inimicus figmentum tuæ dexteræ, auertere ab ea quæ est
" apud te gloria. Sed tu benignis tuis nos intuens oculis, conserua in nobis
" quæ extingui non potest lucernam tuorum mandatorum. tua autem luce
" dirige nostras semitas: & dignare nos frui ea quæ est in te beatitudine.
" Quoniam es benedictus in secula seculorum. Atque ille quidem Agonothetæ emittebat hanc gratiarum actionem. quidam autem scriba qui aderat, litteris mandauit quæ dicta sunt.

Iussit autem Præses Commentariensi eum soluere à supplicio. Ille vero cum sic fecisset, & portasset cum iis qui aderant, iam doloribus defessum & confectum, in priorem ferentes custodiam, deponunt iuxta sanctum Guriam. Cum autem esset Nouembris decimus quintus, noctu circiter galli cantum surrexit Iudex: eum vero præcedebant lampades & Satellites. & cum ad basilicam venisset quę dicitur, vbi erat iudicium, cũ magno fastu sedet pro tribunali. & accersit Athletas Guriam & Samonam. Et hic quidẽ venit ambulans in medio duorum, & fultus vtriusque manibus. Nam & premebat inedia, & grauabat senectus, bona spe solũmodo eum refrigerante. Gurias autem ipse quoque portatus ducitur, vt qui nec posset omnino ingredi, vtpote ꝙ pes ei fuisset grauiter à vinculo sauciatus. Ad quos defensor impietatis. Cum data, inquit, fuerit vobis potestas, de eo quod est vobis conducibile simul deliberastis. Dicite, ergo an noui aliquid sit à vobis cõsideratum: & an priorũ vos aliqua subierit pœnitentia. & parete iussui diuinissimi. Sic enim vestris opibus & possessionibus, quinetiam hac suauissima quoque luce fruemini. Ad hæc Martyres. Nemo, inquit, qui sapit magnifecerit parũ manere in iis quæ fluunt. Sufficit enim nobis tempus quod pręcessit ad vsum eorum & aspectum. nec eorum aliquid desideramus. Quam autem mortem nunc nobis intẽtas, ea nos ad immortalia transmittet tabernacula: & efficiet vt simus participes eius quæ est illic beatitudinis.

Præses autem, Quæ à vobis, inquit, dicta sunt, nostras aures magna affecerunt tristitia. Ego autem paucis exponam id quod videtur. Nam si aræ quidẽ thus imponitis, & imagini Iouis sacrificatis, recte se habuerit: & vnusquisque vestrum domum abibit. Sin vero adhuc pergitis Imperatoris iussui non parere, amputabuntur vobis omnino capita. hoc enim

vult

vult & statuit magnus Imperator. Ad quæ respondens generosissimus Salmonas. Si nos, inquit, tanto affeceris beneficio, vt liberemur quidem ab iis quæ hic sunt molestiis: transmittamur autem ad eam quæ est illic beatitudinem, quantum in nobis quidem situm est, tibi reddetur merces ab eo qui nostra dispensat ad id quod est vtile. Ad hæc cum respondisset Præses vt videbatur benignius, & dixisset, Ego toleranter hucusque tuli, longas illas sustinens orationes, vt mora temporis mutati traduceremini ad id quod est vtile: & supplicium mortis non subiretis. Qui morti quæ est ad tempus, inquit, se tradunt propter Christum, clarum est fore vt ij liberentur ab æterna. Qui enim mundo moriuntur, viuunt in Christo. Nã Petrus quoque qui resplendet in choro Apostolorum, cruce fuit condemnatus & morte. & filius tonitrui Iacobus ab Herode & Agrippa fuit interfectus gladio. Quinetiã Stephanus quoque fuit appetitus lapidibus, qui primus percurrit stadium martyrij. Quid autem dixeris de Ioanne? an ne eius quidem admittes egregiam illam constantiam & loquendi libertatem, quod mori maluerit quam cubilis tacere impudicitiam: adultera vero eius caput acceperit præmium saltationis?

Rursus autem Præses. Non vt vestros quos dicitis sanctos enumeretis, vos fero toleranter. sed vt mutato cõsilio iussis cedentes Imperatoris, ab acerbissima morte liberemini. Si enim sitis nimium audaces & insolentes, quid aliud quam vos maiora excipient supplicia, quibus oppressi, vel inuiti facietis id quod nos exigimus. quo tempore nec omnino quidem poteritis refugium habere ad misericordiam. Nam quod fit per vim, ne potest quidem prouocare ad commiserationem. quomodo contrà quod sponte fit est dignum misericordia. Christi autem confessores & Martyres dixerunt. Non opus est multis, verbis. Ecce enim nos sumus tibi præsto ad omnia subeunda supplicia. Quod ergo tibi fuit imperatum ne differas exequi. Nos enim Christi veri Dei sumus adoratores. & rursus dicimus. Cuius regni non erit finis. Qui etiam potest solus vicissim glorificare eos qui eius nomen glorificant. Interim autem dum hæc dicerentur à sanctis, Præses tulit in eos sententiam vt mortem subirent gladio. Illi vero lętitia quæ verbis non potest explicari affecti. Te vere decet gloria & laudatio, qui es Deus vniuersorum, clamabant. quod tibi placuerit vt susceptum certamen perageremus: vt à te quoque immortalẽ splendorẽ assequamur.

Cum ergo vidisset Pręses immutabilem eorum cõstantiam: & quemadmodum in animę exultatione extremam accepissent sententiam, sanctis quidem, Deus, inquit, eorum quę fiunt sit inspector, quod non per me volebã vos vitę finẽ accipere: sed inexorabilis iussus me ad id cogit Imperatoris. Spiculatori autem iubet accipere Martyres, & in curru imponere: & procul à ciuitate abducere cum militibus: & eis illic finem afferre gladio. Ille autem cum per portam Romanensem sanctos noctu eduxisset, cum altus sopor teneret ciues, ad saptemtrionalem partem ciuitatis abducit in mõtem Bethelabicla. Illi vero cum fuissent in eo loco & in lętitia cordis & magna animi constantia è vehiculo descendissent, à Spiculatore & iis qui sub eo erant tempus ad orationem petierunt & acceperunt. Perinde enim acsi non sufficerent tormenta & sanguis ad intercedendum pro eis, propter summam modestiam adhuc etiam opus habebant precatione. Cum itaque oculos in cœlum sustulissent, & intense precati essent, Deus

& pater Domini nostri Iesu Christi, suscipe in pace spiritus nostros, postremo dixerunt. Samonas autem conuersus ad Speculatorem, Exequere, inquit, id quod est tibi imperatum. cumque genu simul inclinasset cum Guria, eis amputantur capita decimoquinto Nouembris. Atque hoc modo quidem se habuerunt res Martyrum.

Cum autem tertium quoque quæreret numerus, vt in his glorificaretur trinitas, inuenit, ô optimam prouidentiam, tempore quidem postea Abibum, qui autem idem cum iis qui præcesserant iter ingredi constituerat, & illo ipso martyrij die fuit consummatus. Magnus ergo inter Martyres Abibus, ex eadem quidem ex qua illi patria, nempe ex Thelsea vico erat ortus: sacro autem diaconatus fuerat honoratus Chrismate. Cum vero Licinnius teneret sceptra imperij Romanorũ, & Lysanias creatus fuisset Preses Edessę, excitata rursus erat persecutio aduersus Christianos: & Abibo vniuersum imminebat periculũ. Is enim obibat ciuitatem, diuinas cunctos docens scripturas, & magno animo confirmans ad pietatem. Cũ autem hęc venissent ad aures Lysanię, ea Lycinnio Imperatori ab eo significantur. Studebat enim vt ipse ei comitteret quęstionem habendam de Christianis & maxime de Abibo. Neque enim fuerat ei prius cõmissa. Ille verò litteris datis iubet vt morte Abibum afficiat. Litteris ergo redditis Lysanię, quęritur vbique Abibus. Ipse autem degebat in quadam parte ciuitatis, propter statum ecclesiasticum. mater vero & quidam ex iis qui ad eum genere attinebant, cum eo versabantur. Ille autem cum rem resciuisset, ne daret pœnas quod martyrij deseruisset ordines, cuidam qui erat ex primis cohortis, is autem vocabatur Theoternus, seipsum indicat: & tãdem, Quem quęritis, inquit, Abibum, ipse sum, inquit. Ille vero benigne eum intuens. Nemo, inquit, adhuc nouit te ad nos venisse ô homo. Abi ergo, & seruare. nec sis solicitus de matre nec de iis qui genere ad te attinent. Nullus enim eos potuerit omnino afficere molestia. Et hęc quidem Theotecnus.

Abibus autem cum tempus vocaret ad martyrium, nolebat pusillo & abiecto animo suffurari salutem. Ei itaque dicit. Non propter charam matrem, nec propter cognatos me reddo manifestũ: sed adsum propter Christi confessionem. Ecce enim vel te nolente apparebo coram Præside: & meum Christum prædicabo coram principibus & Regibus. Theotecnus itaque veritus ne sua sponte veniret ad Præsidem: & ea de causa ei afferretur periculum, vt qui eum non fecisset manifestum, assumit Abibum & eum adducit ad Præsidem. Hic ille est, inquit, qui quæritur Abibus. Cum autem Lysanias audiisset Abibũ sua sponte adiisse ad certamina, arbitratus eam rem esse contemptus & audaciæ, vt qui parui fecisset austeritatẽ tribunalis, eum statim curat ducendum in iudicium: conditionemque ab eo petit & nomen & patriam. Cum vero respondisset se quidem esse ortum è vico Thelsea: significasset autem se esse Christi ministrum, statim Martyrem est criminatus Præses, quod non obtemperasset iussis Imperatoris. Huius autem rei apertum esse dicebat indicium, quod Ioui thus non sacrificaret. Ad hæc, se quidem Christianũ esse dicebat Abibus, & non posse verum Deum relinquere, sacrificare autẽ inanimis & nullo sensu præditis operibus manuum. Præsis vero, eum brachia vinctum funibus, iussit in ligno sublimem extolli, & ferreis vnguibus lacerari. Erat autem suspensio

longe violentior quam laceratio. Veniebat enim in periculum ne discerperetur, cum violenta extensione ei diuellerentur brachia.

Interim dum is penderet sublimis, cōuersus est Præses ad blanditias & fingebat se esse patientem. Minabatur autem etiam grauiora si non mutaret propositum. Ille autem, Nemo, inquit, me abducet à fide: neq; persuadebit vt adorem Dæmones, etiamsi plura tormenta inferat & maiora. Cum autem vellet scire Præses quamnam ei vtilitatem tormenta conciliarent quæ corpus solum consumunt, Christi Martyr Abibus. Non ad præses vsque tempus, inquit, nostra consistunt: nec ea solum sequimur quę cernuntur. Quòd si tu quoque volueris aspicere ad spem & promissam nobis remunerationem, forte etiam dices cum Paulo. Non sunt condignæ „ passiones huius temporis ad gloriam quæ est reuelanda in nobis. Cum „ autem Præses ea quæ dicebantur damnaret stultitiæ: & nunc quidem blandiens & subiens personam patientiæ: nunc vero minans & acerbam ei mortem intentans, neutri eorum eum videret cedere, Non tibi repentinū & totum simul vitę finem afferam, sententiam ei pronunciauit: sed te lēto igne paulatim liquefactum, efficiam immitem & implacabilem animam deponere. Dixit. & cum versus septentrionem extra ciuitatem collecta fuisset materia, ducebatur ad rogum, sequente quidem matre, sequentibus autem iis quoque qui alias cognatione ad eum attinebāt. Ille vero postquam esset precatus & benedixisset omnibus, & eis osculum dedisset in Domino, accensa autem esset materia ab iis qui ad id seruiebant, in ignem iniicitur. & cum aperto ore flammam accepisset, apud eum qui dederat spiritum deposuit. Deinde cum ignis esset sedatus, qui ad eum attinebant, pretioso 1 linteo eum circundederunt, & vnguentis vnxerunt. cumq́; psalmos & hymnos vt par erat cecinissent, prope Samonam & Guriam eum deposuerunt. ad gloriam patris & filij & spiritus sancti, quæ est diuina trinitas & in quam non cadit diuisio. Quam decet honor & adoratio nunc & semper & in secula seculorum. Amen. Talem quidem vitæ finē inuenit Martyr Abibus tempore Licinij: & talem cum sanctis nactus fuit depositionem. & sic piis attulit requiem à persecutionibus. Nam deinceps quidem Licinnio fuit diminuta potentia: Constantino autē floruit dominatio: & creuerunt ei sceptra Romanorum, qui primus inter Imperatores libere professus est pietatem, & Christianis concesit viuere vt Christianos. Sed vt positis cognoscere qualem gratiam Martyres apud Deum sunt assecuti, necesse est rem ab alto repetere.

1 *Vide & hic honorabilem sancti sepulturam. Nā pretioso linteo eum circundederunt, unguentis unxerunt, psalmosq́; & hymnos circa eū cecinerunt.*

Hunni quidem Ephtalitæ Persarum finitimi, & qui ad solem habitabant Orientem. hæc gens, inquam, importuna & barbara non paucis annis post Martyrum consummationem, vsque adeo inuaserunt Romanos vt facerent incursiones vsque ad ipsam Edessam, & prædas agerent ex agris qui circa ipsam siti sunt. Romanorum aūt Imperatores acriter defenderunt ciuitatem, & breui totum collegerunt exercitum vt opem ferrent Edessæ, volentes efficere ne ea caperetur. & maxime verbis Christi confidentes quæ scripserat ad Augarum, ꝙ ciuitas nunquam esset capienda à barbaris: & ꝙ in eā primā Domini nostri & Christi effigies 2 missa sit ad Augarum. Itaque ad ciuitatem castra mouerunt Hunni, putantes se facile eam esset capturos. Romani autem mittunt auxilium Edessenis, ne in manus Hunnorum veniret ciuitas. Cum vero qui missi fuerant à Ro-

2 *Vides ex hoc loco antiquissimum usum imaginum ç*

manis iam venissent Edessam, accidit vt quidam Gotthus inter eos, & moribus barbarus & mente perniciosus, diuersaretur in domo cuiusdam mulieris nomine Sophiæ. Ei autem erat vnica filia nomine Euphemia, viuenti in viduitate & de sola filia solicitæ. Educebatur ergo matri filia tanquam germens recens pullulans, temperantiam exercens & virginitatem, & studium adhibens ne cerneretur à masculorum oculis. Erat autem puella facie decora, & insigni pulchritudine, Cum ergo in ea habitatione diu versatus esset Gotthus, nescio quomodo aspexit puellam, & ita captus fuit eius amore vt nusquam mentem alio conuerteret quàm ad virginem. Personam itaque induens bonitatis, & se amicum esse simulans, abit ad matrem: & assentationibus conans ei persuaderet, & bonorum promissis, vt ei daret filiam in matrimonium. Illa autem grauiter ferebat, & animum non adhibebat iis quæ ab ipso dicebantur. Eo vero se insolenter iactante & valde minitante, illa, Vnicam, inquit, quæ mihi est filiam viro coniungere barbaro nũquam sustinuerim. Ne ergo assenteris: nec mineris. Nam nec me emollies adulationibus: neque minis terrebis. Ille autem pergebat eadem rursus facere: & rursus suam ostendebat impudentiam. & de iisdem asidue cum matre loquebatur. Deinde etiam pretiosa afferebat ad eã ornamẽta: & affirmabat eam fore Dominam multorũ aliorũ. Mater autem puellæ ne sic quidã præbebat autem iis quæ ab ipso dicebãtur.

Deinde illo perseuerante, rursus Sophia cum nescio vnde didicisset, Sunt tibi & filij & vxor, ei respondit. nec ego tibi meam filiam dederim in matrimonium. Ille vero partim quidem amore puellæ victus, partim autem timoris Dei nullam ducens rationem, Deum testatur se nunquam habuisse vxorem nec filios: sed se eius filiam velle ducere vxorẽ, & omnium suorum bonorum eam facere Dominam. Vincitur itaque mater puellæ à Gotthi verbis. Quid enim erat factura cum esset fœmina quæ facile decipitur, & sacramentorum audiret examina, & ei metu quateretur animus. Itaque manus in cœlum tollens. Pater orphanorum, & defensor viduarum Domine & Deus, inquit, ne despexeris hãc puellam quæ viro ignoto coniungitur. Te enim eius promissorum accipio inspectorem. & te freta, vnicam meam filiam trado hinc peregrino. & interim scribitur contractus matrimonij. & cum aliquantum temporis Hunni Edessam circunsedissent, socij autem & adiutores vrbem defendissent hostiúmque impetum propulassent, fit puella pregnans ex Gotthi coniunctione. Nondũ vero tẽpus pariendi aduenerat: & Hunni quidem cum nihil potuissent facere eorum quæ sperauerant, iam in animo habebãt proficisci in patriam. socij autem & adiutores volebant redire Romam. Cum ergo Gotthus quoque paratus esset simul abire cum Romanis: & cruciaretur mater filiæ separatione, eisque scinderetur viscera, apprehendit puellam, nec sinebat eam cum Gottho discedere, etiamsi eam non poterat retinere, cum lege matrimonij & naturæ vellet sequi maritum.

Cum iam ergo abirent, mater eos assumens accedit ad capsam confessorum: & dicit Gottho. Ego tuæ fidei meam filiam non commitam, nisi tangens hanc pretiosam capsam eorum qui pro Christo passi sunt, eos dederis mihi fideiussores, quod non solum ei nihil sis molesti factura, sed etiam eius quam par est curam sis gestura. Gotthus autem protinus tanquam iussus facere id quod esset omnium facillimum & omni penitus metu

vacuum, A' manibus vestris, inquit, ò sancti, accipio puellam: & vos do matri fideiussores, q ei à me nihil fiet molesti: sed me potius habebit paratum ei implere quæcunque volenti erunt cordi. Non hæc solum sceleratus: sed magnas quoque iurat Dei vires se promissa reipsa conseruaturũ. Mater ergo accepto iureiurãdo, sanctis acclamauit Martyribus. Vobis ò Sancti meam filiam post Deum cõmitto. & per vos Gottho. Post hęc Deum precati, mater quidem amantissime filiam amplexa domum reuertitur. Gotthus autem iter init cum puella. Deinde cum venissent in regionem ex qua ortus erat Gotthus, & iam essent prope eius domum, oblitus quidem vir iste inhumanus amoris in vxorem, contempto vero iureiurando & pactis conuentis, & Dei metu procul à se mandato, ò quo usque procedit vitium? ei quidem aufert vestes: aurum quoque ei aufert: eaq́ tanq̃ serua pannis turpiter induta, Mihi, inquit, ò mulier, sunt liberi & vxor. Quamobrem voca te ancillam bello captam: & te meę vxori omnibus modis submitte & ei morem gere, eam tanquam Dominam honorans & nominans. Si enim q̃uo se habeant res nostræ enuntiaueris, aut etiam meæ vxoris voluntati non parueris, erit tibi mors supplicium.

Quomodo his affectam censetis fuisse mulierem, quæ matre quidem erat priuata, priuata autem patria omnibusq́ amicis & cognatis, & ad illius solam aspiciebat animam: & quæ longę illius spei talem viderat exitum? Omnino si non esset lapis, si non ferrum, aut aliquid aliud inanimum, iis quæ pręter spem acciderant auditis perculsa protinus emisisset animam. sed eam cõseruabant matris fideiussores quos illa à Gottho acceperat, ad malum quidem execrandi eius capitis, ad ostendendam autem maximam eorum gratiam. Valde ergo ingemiscens & suspirans ex profundo cordis. Tibi, aiebat, ò Domine, & ineffabili tuę misericordię propter hæc omnia ago gratias. Deinde etiam ad Gotthum conuersa, Bene tibi sit, inquit, q cum nos posses tollere de medio, hoc solo fuisti contentus vt me seruam faceres pro libera. Promissa re ipsa præstitisti iusiurandum re uera confirmasti. Quid ergo restat aliud nisi vt omnino inuocem eos qui ea quæ fiebant inspexerunt, quos tu tunc adduxisti testes iis quæ à te dicebantur? eis enim & non aliĳ confisa, mea sponte constitui disiungi à parente: eam quæ nos tulerat relinquere, & te solum sequi. Hęc cùm dixisset, animę oculos ad cœlum tollens simul cum sensilibus, Deus patrum meorum, cum eiulatu dicebat & lachrymis, adsis mihi miserę: & vide quid iste quidẽ te teste & tuis sanctis & confessoribus est pollicitus: quid autem nunc re ipsa facit: & nos libera ab iis malis. pro nobis intercessores ʒ tuos sanctos accipiens. qm his post te confisa, præsentia hęc mala sustineo. Cùm sic puella tacite Deum rogasset, in Gotthi autem ędes essent ingressi, aspexisset vero eius coniux puellã & animaduertisset eius pulchritudinem, Zelotypia & suspitione in animo statim repletur. Rogat itaque maritum quęnam ipsa esset & vnde esset orta: & quare eã secum nunc duceret. Ille autem eam esse captiuam & ab Edessa abductã, ductam vero esse vt ei seruiret respondit. Illa autem formam magis attendens q̃ eius verba. Eius, inquit, vultus nequaquam eam arguit esse seruam. Gotthus autem: At tu ea vtere tanq̃ ancilla.

ʒ *Nota sanctos esse intercessores pro hominibus ad Deum.*

Exhinc itaque puella metu agebat silentium: & quæ imperabantur faciebat Ocyssime. Nesciebat enim quidnam posset facere quod eam libe-

raret à malis pręsentibus. Sanctis autem assidue dicebat in corde suo. Festinate ad auxilium ancillę vestrę ô sancti, festinate. neque fraudem mihi factam despicite. Puellę vero Domina non legitima, in eam mota Zelotypia, puella grauiter vtebatur: & ei grauiora opera imperabat, perinde acsi illius labores, inuidię qua vrebatur, ipsa proprium haberet solatium. Quod autem erat omnium maximum, ne eam quidem volebat alloqui. Postquam autem procedente tempore puellam resciuit esse grauidam, Zelotypiæ flamma magis accensa, grauissimum opus ab ea exigebat. Cur hoc? Studens videre mortem puellę, fœtus facta abortione. Sed inuictæ erant Christi vires & eorum qui propter Christum passi sunt: per quas puella & superauit molestias & mansit minime lęsa à malis. Postquam autem accessit tempus partus, parit filium masculum, qui patris effigiem in seipso conseruabat & erat Gottho omni ex parte similis. Hoc cùm aspexisset Gotthi coniux & animaduertisset quam esset expressa similitudo, nihil aliud versabat in animo quàm quomodo puerum interimeret. marito autem dicebat, Ego tibi non crediderim quod cum puella non coiueris. Nam quod ex ea natum est patrem aperte confitetur, forma perinde vtens ac lingua. Ille vero affirmabat eam non verum dicere: iubebat autem ea vti tanquam ancilla, dicens. Hoc fidem faciat me nunquam cum ea esse congressam. Neque enim à me vnquam omnino in tuam tradita fuisset potestatem. Amicitias enim coniungunt amores, non disiungunt.

Tunc autem qui longo abhinc tempore humano generi est inimicus, Gotthi vxorem subiens, eam aduersus infantem furore concitauit. & propterea concepit laborem & peperit iniquitatem: & cum quoddam venenum in sinum immisisset, pueri quidem matrem emittit ad faciendum aliquid quod erat opus. Et ea quidem egreditur ad exequendum id quod fuerat imperatum: illa autem venenum immittit in os pueri. & venenũ mors statim est consecuta. Paulopost ergo reuersa mater, cum infantem quidem inuenisset mortuum, illius vero labris infusum venenum, in corde quidem sauciatur: & graui animi dolore afficitur, eum tamen celat & tenet in abdito. dolore quidem affecta vt mater. secretum autem tenens vt prudens & cordata. Deinde cum vellus sumpsisset & os infantis abstersisset, lanam apud se detinuit. experientia volens scire veritatem. Paucis certè pòst diebus cum ex amicis & cognatis Gotthus inuitasset aliquos, puella arripit occasionem: & lanam intingit in calice: & Gotthi tradit vxori, volens vt dixi verum scire, veneno ne priuata sit infante, an communi morte eum amiserit. Nam existimabat quidem quod si epoto medicamento vixisset, euidẽs esset quod nec filius eius fuisset necatus veneno. Quòd si id eam interfecisset, illud omnino passura esset quod ipsa fecit. Cum ergo Gotthi vxor nihil mali suspicaretur accipiens, ebibit calicem. statimque labor cõuersus est in caput. & in eius verticem descendit iniquitas. & cecidit in foueam quam fecit. & iuste comprehensa fuit in laqueo quem absconderat. Atque illa quidem iacebat mortua extenso corpore, fructus ferens dignos laboribus. animi autem ęgritudo inuaserat Gotthum, eiusque necessarios & qui genere ad eum attinebant: totam implebat domum mœror & tristitia ob immaturam mortem eius vxoris. Ab eis tamen lugetur vt erat consentaneum; & præclaram consequitur sepulturam, & magnifice deponitur.

Cum autem septem dies præteriissent post sepulturam, & satis temporis consumpsissent in mœrore, venit eis in mentem captiue insidiis mortuam esse eorum cognatam. Hinc factum est vt eam quidem vellent tradere Pręsidi; vt ab illo tolleretur de medio. non enim licebat eis ferro illã inuadere. Cum autem is abesset, ipsi cum inter se consultassent, in monimento in quo fuerat sepulta vxor Gotthi, eam includunt in præsentia, & sepulchrum muniunt aspero lapide. & ei adhibent custodes. Cum vero ad eam veniret odor cadaueris, magna repleta molestia, Domine Deus ,,
virtutum, dicebat puella, qui tuorum Martyrum & confessorum pro te ,,
fusum sanguinem, tanq; viuum accepisti sacrificium, ad me aspice, quæ ,,
propter tuum & eorum qui propter te passi sunt sanctorum nomen viro ,,
ignoto & alienigenæ meipsam credidi, & sum propterea damnata ad hoc ,,
tormentum, tu mihi tuum da auxilium, & me libera à pręsenti periculo. ,,
Vos quoq; sancti Christi, q illa innumerabilia certamina propter ipsum ,,
sustinuistis: & eum esse viuum Deum coram Regibus confessi estis, quos ,,
matri meę prębuit Gotthus propter me fideiussores, ipsi nunc adeste mihi ,,
in malis adiutores: nec eam despiciatis quæ se vobis dedicauit. Cum ita ,,
esset precata, non tardarunt fideiussores, neque distulerunt ei ferre auxiliũ. Sed videt tres viros luce circũdatos ad quam non patet aditus. & fœtor ille mox conuersus fuit in bonum odorem. adeò vt mirabilis quidam & suauis odor ad eam accederet. & bono animo esto, ei dicunt, ò mulier: nec time. cito enim salutem assequeris nihil omnino graue passa nec ingratũ. Neq; enim fallemus fideiussionem: neq; dilatione vtemur in salute.

Cum hæc ergo sancti ei dixissent, ea statim tanq̃ à se discessisset, resoluitur in soporem: Deiq; inuicta eorumq; qui ipsum confessi fuerant virtute, ò miraculum dignum Dei benignitate & potentia, quomodo alius quidam Abacuch Propheta momento tẽporis Hierosolymis translatus fuit Babylonem: aut vt Discipulus Philippus à facie Eunuchi Æthiopis raptus est à spiritu: eodem modo ipsa quoque 4 dormiens transfertur à monimento. & restituitur in templum confessorum simul & martyrũ. Reddita ergo huic templo Martyrum, cum mane eam somnus remisisset, videt ei rursus adstantes Christi confessores & dicentes. scis nam modo vbi sis? Cum huc ergo & illuc circũspexisset, & veluti ad se redisset, & ędem agnouisset oratoriam, impleta fuit omni gaudio: & magna affecta fuit admiratione. Lętabatur videns. stupebat animo cogitans sibi diffidebat. nesciebat quid ageret. postremo procidit ad pedes sanctorum: & eis agit gratias. Illi autem ei dixerunt. Nostra impleta est fideiussio. Vade in pace ad matrem tuam. Et illi quidem ex oculis statim euanuerunt. Illa autem ad eorum capsam accedens, & ardenter amplectens, & lachrymas voluptate & timore simul mixtas effundens, Deus noster, dicebat, in cœlo & in terra omnia quęcunq; voluit fecit. emisit è cœlo & me seruauit. Benedictus es Domine qui seruas eos qui sperant in te. Vespere habitauit mecum luctus & mane exultatio.

4 *Vide hoc in loco quã tam habeant sancti potestatem post mortem.*

Cum ergo satis longo tempore 5 preces cum lachrymis producẽtem puellam videret sacerdos qui erat in tẽplo, & audiret gratiarum actionem, dubitabat. Deinde accedens rogabat causam cur sic orans lamentaretur & tam multas effunderet lachrymas: & pro quo offerret gratiarũ actionem. Illa autem ei narrauit rem omnem, queadmodum & Gottho

5 *Ecce orationem cum lachrymis.*

à matre iuncta fuisset matrimonio. & quemadmodum cum eo abiisset fidem habens dato ab eo iureiurando: & quēadmodum fœtus qui Gotho ex ea erat natus veneno periisset: & quemadmodum fuisset inclusa in sepulchro: & qualem experta esset fortunam: & qualem à sanctis assecuta esset liberationem. Hæc cum audiisset Sacerdos, à se plane discedebat, dubitabat propter magnitudinē eius quod narrabatur incredulitate & fide eius diuidebatur animus. Vnde etiam volens de ea certior fieri, rogabat quænam esset mater puellæ, & e qua domo esset orta. Cum ea autem respondisset Sacerdoti, is quidem puellam in templo detinet, matrem autem ad se accersit. Illa vero cum ad ędem venisset oratoriam, & filiam Sacerdoti assistentem repente aspexisset, primum quidem eam ardenter amplectitur amore omnino suo fungente officio. Deinde diu inter se silent, luctu vocem reprimente, & lachrymis sermonem interrumpentibus. Nam matris quidem frangebat animum filia quæ cernebatur in seruili vestitu & habitu. Filia autem rursus animo sauciabatur, ꝙ bona spe à matre disiuncta tam turpiter rediisset, vt vel solo aspectu prouocaret ad misericordiam. Cū ergo vix tandem mater se collegisset ab acerba illa confusione, rogauit filiam quęnam ei accidissent, & quemadmodum rediisset. & quidnam fecerit eam indui tam seruiliter. Illa autem narrauit omnia matri vt se habebant, quæ post liberationem erant iucunda & dictu & auditu. Cum ergo mater quę à Deo & eius confessoribus & martyribus facta fuerant in filiam miracula ab ea audiuisset, totum illum diem oratoria ędes martyrum ambas habuit Dn̄m laudantes. Cū venisset aūt vespera, egrediuntur è templo & domum reuertuntur. Die vero sequenti & quod factum fuerat in oēm partem fuit disseminatum: & multitudo confluebat ad puellā eorum qui alioqui ad eam attinebant: Deūq; simul cum ea & eos qui propter ipsum passi fuerant glorificantes.

Aliquanto autem post tempore Deus Dominus vltionū libere egit. in altum elatus est qui iudicat terram. reddidit superbis remunerationem. Nam cum Hunni Persis se adiunxissent, & in loca quæ erant circa Edessam adhuc facerent incursiones, rursus quidem ad Edessenos in auxilium à Romanis mittitur exercitus. Vnus autem ex iis erat etiam sceleratissimus Gotthus: & venit rursus in domū mulieris. venit autem confidēter tanq̄ gener in domum socrus: nihil eorum quæ occultæ perpetrarat manifestum euasisse suspicans. Cum ergo cognouisset mater eius aduētum, filiam quidem includit in domo interiore, cogitans rem facere sapientiorē quam quæ videatur posse cadere in mulierem. Illa aūt eum excipit cum gaudio, q̄uo ipse se habeat interrogans: q̄uo vero filia iter in eius domum confecerit: & q̄uo sit conseruata: & quemadmodum cum esset grauida peperit: & quod pepererat esset ne masculus an fœmina. Ego.n. inquit, de vobis eram valde solicita, ne vobis in via & maxime filię meę graue aliquid accideret, vt quæ esset pregnans & pariendi tempus iā ei appeteret. Gotthus aūt, vt qui non ex iis quæ ipse fecerat, sed ex iis quæ ineffabilis dispensauerat bonitas responderet, Omnia, dicebat, recte tuus successere precibus. Sine vlla autem molestia viam cum tua filia peregimus: & ad ędes meas alacriter peruenimus peperit autem filium masculum. & nūc sana & lęta tibi plurimā per me dicit salutem. Quòd nisi repente missi essemus ad ferendum auxilium, ipsa quoq; ad te mecum rediisset.

Hæc

Hæc cum mater audiret, ira replebantur & versabantur eius viscera, vt quæ abominaretur bona verba factis iniustis illita. Deinde cum non posset amplius ferre iustam itam quæ in manifestam insultabat iniquitatem, infremuit tunc in virum omni ex parte longe iniustissimum. & ò fraudulente, inquit, & parricida, quid fecisti cum mea filia? Hæc ne mihi iureiurando dato es pollicitus? Propter hęc ne fideiussores & Martyres mihi dedisti eos qui passi sunt propter Christum? Sed ipsi omnino quos dedisti fideiussores, ipsi te punient propter malam tuam mentem & pœnas sument de his iniustis insidiis. eos ergo inuocabo ad vindictam quos tũc accepisti fideiussores. Hęc cũ dixisset, educit e domo filiam: &, Nosti ne quęnam hæc sit ò impie, nosti, dixit, eam Gottho ostendens: & vbi eam incluseris, & quali morti eam tradere volueris. non leges, inquit, non maximum illud à te datum iusiurandum reueritus? Sed Christi confessores & martyres Samonas, Gurias, & Abibus, quibus ergo cõfidens, eam barbarę tuę commisi dexteræ, Illi mihi pręter spem omnem eam conseruarunt, & in meum sinum restituerunt.

Hæc postquam audiit Gotthus & adstantem vidit puellam, præ pudore & metu ei vox est extincta: eratq; mutus ne os quidem valens aperire. Deinde cum res esset aperta, & conuictus esset hæc fecisse puellę, ne ei quidem loquendi potestatem facientes, qui aderant eum tuto includũt. Mater autem cum filia, adducto scriptore, cum quæ euenerant omnia recensuissent, sanctissimo Edessę Episcopo, is autem erat Eulogius, ea tradunt. Ille verò cum ea perlegisset, simul cum vniuerso Clero, vadit ad Pręttorem ciuitatis: & ei tradit quę scripta fuerant. Qui cum ea legisset, primum quidem affectus fuit admiratione & eam rem habuit pro miraculo: & laudauit Deum vniuersorum, qui per suos Martyres hoc nouum & quod omnium aures obstupefacit fecit miraculum. Deinde verò vehementer in Gotthum est inuectus qui tale ausus fuerat facinus Ægreferens ergo Pręttor, secum quidem facit considerare Episcopum. Deinde Gotthum & puellam iubet sisti: & audiente tota multitudine, concurrerat autem maxima, iubet ea legi quæ scripta erant de Gottho. Cum ea ergo lecta essent, an hæc vera essent Gotthum interrogat. Ille aũt, Quid enim faceret qui à seipso & à veritate aperte conuincebatur? Nihil horũ esse falsum confitebatur, & pro his petebat misericordiam. Pręttor autem, Scelerate, inquit, & parricida, cur ne Dei quidem timuisti iudicium, nec eius quem nihil latet oculum etiamsi homines latere liceat? Cur non timuisti iusiurandum? cur non leges Romanorum es veritus, tam impiũ aggressus facinus? Qm̃ ergo conuictus es hæc oĩa despicere, à te etiam grauius exigetur suppliciũ. Dixit, et iubet gladio caput eius amputari, & corpus eius in ignem proiici, vt ne puluis quidem sit eius pulueris particeps, nec tractatur communi omnium matri, qui se ita gesserit in cognatos.

Cum autem ad rem exequendam se pararent milites, Dei amicus Episcopus orauit Prætorem vt quantum fieri posset in eum vteretur clemẽtia: neque is sua periret amentia. Ille vero, Timeo, inquit, Christi Martyres, quos is dedit sui fideiussores. Ii enim vt quos ipse fefellerit, nisi eorum quæ admisit ego iustas de eo sumpsero pœnas. Mihi omnino non ipsi quod debetur inferent supplicium. & alioqui efficiet vt multi se gerant similiter, nisi pro iis quæ fecit iustas pœnas luerit. Cum autem ma-

gis instaret Episcopus, & vehementius pro eo intercederet, à supplicio quidem Prætor aufert ignem: perseuerat autem in eo ꝙ eius caput gladio
6 amputetur. Cũ ergo Gotthum 6 accepissent milites, & extra ciuitatem eduxissent, gladio vt eis iussum fuerat illi caput adimunt. Propter quod Seruatori Christo & iis qui propter ipsum passi sunt Martyribus emittebatur laudatio ab omnibus. Quod superbis reddiderit remuneratione. Ad gloriam Patris & filij & Spiritus sancti, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Aduerte quomodo sancti Martyres ultores fuerint periurij à Gottho cõmissi.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM *Matthæi Apostoli & Euangelistæ.*

Nouemb. 16.

IAM quidem nos quod ab eo qui nos finxerat datum fuerat præceptum seruantes, fruebamur beata illa in paradiso habitatione & conuersatione, quodlibet eorum quæ ad corpus pertinent despicientes, & in solis rebus diuinis mente occupati & eas assidue visione apprehẽdentes. Iam autem qui à priori quoque cum Deo familiaritate exciderat Diabolus, simul quidem sciens & à quanta exciderat gloria, & humano generi inuidens, & ideò moliens eum secum attrahere in barathrum, ad obliuionem præcepti deduxit hominem. & qui primus fuerat formatus, misere, proh dolor, priuatus est paradiso. Non erat autem eius qui nos creauerat, despicere ad tantum deductos interitum, & prima amissa dignitate dimittere vitã tam turpiter agere. sed ipsum verbum quod est cum patre principio carens & coæternum, cum se è sinu paterno exinaniisset, ad matrem virginem descendit propter me: & carnẽ gestat: & præter solum peccatum omnia humana suscipit. vt peccatum quidem de medio tolleret, iis autem qui sunt in terra nouum quendam in cœlos ascensum ostenderet. Cum autẽ ad hoc ministros habere oporteret, per quæ dispensationem aperiret & ministeria, & ad viam salutis homines deduceret, accersitur quidem Andr. & Petrus post eos autem Iacobus & Ioãnes, deinde Matthęus de quo in præsentia dicere cõstituimus.

Hic ergo Christi postea discipulus, erat prius Publicanus, pecuniæq; exactor & ratiocinator, vt qui in omni scientia & arte esset versatus: ingeniiq; acumine & rerum experientia primum obtineret locum inter publicanos. Cũ autem propter mundi salutem in terra versaretur Dominus, videte quam repentina fuerit eius mutatio, quam admirabilis & plane pręter opinionem. Nam transiens quidem Dominus inspexit profundum eius cordis sedentis ad teloneum: & cum insidere ei zelum virtutis, vt qui esset occultorum cognitor & cordium examinator, pulchre cognouisset, & qualis ex quali futurus esset præsciuisset, eum quidẽ vocat iubẽs sequi. Transiens enim, inquit, Iesus, vidit Leui Matthęum sedentem ad teloniũ & dicit ei, Sequere me. Ille autem nõ pecuniæ multitudinem, non turbam eorum qui circunsistebant, non hanc humi serpentem & fluentem gloriã, non quæcunque solent mentem in seruitutem & in suam potestatem redigere, quidquam apud se reputans, statim surgens neque verbis prolixis opus habuit, neque longo tempore, neque miraculorum inspectione, neque

perfectiore & diuturniore sermone. sed solum cum primum ei optandam illam & iucundam vocem audiuit, Sequere me, statim quidem relinquit telonium. relinquit autem socios. simul vero relinquit splendorem omnẽ & magnificentiam: & quouis argento & auro longe pretiosiorem emit ipse margaritam. Sic leui moribus mirabiliter mutatis, appellationem quoque mutauit in Matthæum. adeò vt etiã postea in domo accumbenti Iesu simul etiam cum eo accumberet Matthæus. Propter quod dubitant Pharisæi & interrogant Discipulos. Cur magister vester comedit cum Publicanis? Ille autem cum id audiisset, dixit. Non opus habent qui recte valent medico, sed qui se male habent. Et euntes discite quid sit, Misericordiam volo & non sacrificium. Quid hoc significans? Quòd non venit omnino vocatum iustos, sed peccatores ad pœnitẽtiam. Hinc crucifigitur quidem Matthæus vniuerso mundo. crucifigitur autem etiam vniuersis mũdanis cupiditatibus, soli Deo viuens & eius sequens vestigia: & omnium eius signorum & miraculorum inspector & particeps. vt qui toto tempore dispensationis cum eo sit versatus & relatus in numerum summorum Discipulorum, & simul procedentem tempore habens virtutem.

Cum autem aduenisset tempus salutaris passionis, & post crucem sepulturæ traditum fuisset corpus Domini: & nunc quidem Discipulis apparet post resurrectionem: nunc autem eis diu non apparet amplius, postremo assumptus est in cœlos: & illinc emittit paracletũ in specie ignearum linguarum. vt eius inspiratione gratiam annũcient gentibus. & alius ex Discipulis alio est profectus in vniuersam gentem orbis terræ, prout sorte vnicuique obtigerat. Postquam ergo hæc sic facta sunt & regiones acceperunt Discipuli, tunc etiam admirabilis hic Matthæus & magnus Apostolus, nõ ipse solus cum boni fuisset particeps aliis celauit participationem: sed etiam bonum aliis communicat: & cum se totum veluti collegisset & coëgisset, describit id quod est secundum ipsum Euangelium. & litteris mandat veram pietatem. vt quæ alij lingua docebant ea scriptis traderet, ab alto etiam ab Abraham incipiens genealogiam. & sic deinceps progrediens, primum quidem annunciat Christi quæ est secundum carnem generationem. ostensionem. deinde baptismum. Apostolorum electionem. tentationes. & ipsam sui exhortationem. & mysteriorum sacras institutiones. & quæ Christus per parabolas, & quę libere Discipulis cum turbis est locutus. quæ naturam superant miraculorum effectiones. ęgrotorum curationes. à Dęmonibus qui vexabant liberationes. panum benedictionem. in mari ambulationem. & factam in monte Thabor transformationem. Deinde etiam secundum eius aduentum pulchre descripsit oratione: & quę in eius proditione contigerunt disseruit. simulatum Pilati iudicium. & eius qui ad iuste iudicandum venit condemnationem. Deinde sepulturam. resurrectionem. in Galilæa Apostolis eius apparitionem quo tempore dixit omnem potestatem sibi esse datam in cœlo & in terra. & vniuersam, vt paucis absoluam, exposuit Oeconomiam.

Sic apud Thebanos qui imperio Persarum nondum accesserant, annũciauit salutem. & Palæstinæ obiens regiones, & congrediens cum multitudine variarum linguarum, cũ fameq; & siti & cum multis decertans afflictionibus & periculis, partim quidem illatis ab iis qui præerant impietate, partim autem à grauissimis populorum rectoribus, Seruatorem

Christum audaci voce & mente prædicauit. eos qui errore capti erant ad Dei deduxit cognitionem. ab errore abduxit. veritati adiunxit. impietatem de medio sustulit: & ad verum & solum Deum omnes adduxit. Nolens autem eo vsque suam sistere doctrinam, ad ei sorte attributam Syriæ Hierapolim, sitam prope partem Euphratis, accedit. & postquam eos qui in ipsa erant ad veritatis reduxisset agnitionem, & fidei litterarium ludum illic constituisset: & reti fidei cepisset omnes in quos inciderat: & miraculorum magnam fecisset multitudinem: & eos qui crediderant per aquam & spiritum ad Christum adduxisset, ibi sanctam ædificauit ecclesiam.

Cum autem Sacerdotes & Presbyteros ordinasset: & Diaconos in eũ gradum cooptasset. & singulis diebus versans in ecclesia: & partim quidẽ incitans ad veritatem, partim autem tradens sacramenta, eos qui vitiis aut morbis opprimebantur, aut Dæmonum improbitate veniebant in periculum, sermone & contactu manuum statim liberauit ab iis quę afferebant molestiam. Porrò autem cum ei qui vocauerat reddidisset iustam vocatione sua operationem, & fuisset plenus dierũ spiritus, ad pacis Dominum in pace resoluitur. & nobis quidem qui sumus in terra relinquit corpus gloria & hymnis ornatum: vicissim autem præclare ornans & sanctificans eos qui glorificant. Quod quidem cum multi ex iis qui salutem ab eo erant assecuti, sacris 1 laudibus ornassent & honorifice inuoluissent, ei iusta fecerunt. Ipse aũt pure & citra vllum intermedium apparet ante 2 faciem Domini: & eius quæ illic est gloriæ corona ornatur: & cum eo versatur & exultat. Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, maiestas & magnificentia, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen

1 *Vide Christianam sancti Apostoli sepulturam.*

2 *Aduerte animas sanctorum esse in cœlo.*

MARTYRIVM SANCTI
& gloriosi Martyris Platonis.

Nouemb. 18.

NON sum noua dicturus de Galatis, neque aliena ab iis qui Ancyram habitant. nec dicam incredibilia de confessore & eo cui verbum Dei fuerat commissum. Stulte enim fecerunt Galatæ vt cõsueuerant, fuit autem Plato reuera sanctissimus, qui sibi Dei creditam habebat sapientiam. & ea passus est à Galatis quæ confessoribus pati iubet lex Christi. Eum enim captum sæui & immisericordes coniecerunt in carcerem, vt qui verbum Dei annunciaret, & violaret leges Imperatoris. Acerbe ergo & inhumane iis eum affecerunt suppliciis quæ non fas est ipsam humanam sustinere naturam, grauem ostendentes insolentiam & in belluinam conuersi crudelitatem. Fortiter autem ferebat venerandus & purissimus Platonis animus, vt qui afflictiones omnes & calamitates propter Christum ferre esset meditatus. Nam non eandem quam is qui erat eiusdem nominis Plato exercuerat Philosophiam, nec erat in eadem doctrina philosophatus: sed erat quidem præstantissimus in omni verbi sapientia: fide autem antecellebat iis qui vnquam fuerunt.

Hic ergo beatus Plato multos quidem ex iis qui Ancyram habitabãt affecit beneficio. multos autem verbo illuminans fecit Christo credere: & multos

multos ex iis qui à potentioribus opprimebantur calumniis, liberauit ab iniuriis. Pro iis vero quibus ipsos affecerat beneficiis, iustæ. pœnæ ab eo exactæ sunt: aut potius seipsum lubens tradidit: fortiq; & excelso animo tulit calamitates. Erat enim eius semper ad Deum scopus, cuius etiam fuit imitator. Quamobrem cum abduceretur confidens ibat ad supplicium. Vicarius autem Agrippinus cum aperte præsedisset in Iouis Basilica, iussit sisti Martyrem, Apparitor autem dixit. Stat ante tuum tribunal Domine. Dixit Agrippinus. Cum totus orbis terræ degat in lætitia, cur es in tali & tanto errore constitutus? Dixit sanctus Plato. Vos estis qui in errore degitis: & reliquistis Deũ qui fecit cœlum & terram cum toto eorũ ornatu: & excisos colitis lapides & ligna putrida, opera manuum hominum. Dixit Agrippinus. Iuuenilis tua ætas te facit temerarium: & efficit vt sis valde insolens. Dic ergo mihi cuiusnam es religionis: & cuius conditionis & ciuitatis: & quod est tibi nomen. Sanctus dixit Plato. Si velis scire cuiusnam sim religionis, sum Christianus. Dixit autem Agrippinus. Dic nomen quod tibi fuit impositum à Parentibus. Nam ipse quoque scio te esse Christianum. Iussit vero Imperator nullum hominem vocari Christianum. Dixit sanctus Plato. Si velis scire cuius sim religionis, iam dixi tibi me esse Christianum. Si autem vis etiam scire nomen mihi tributum à Parentibus, dicor Plato & sum quidem Christi seruus ab vtero matris meæ. Sum vero ciuis huius ciuitatis. Nunc autem sum captus & ad te adductus tanquam pius & Christi seruus. Quamobrem mors est mihi proposita propter Christum, quam oportet me à te expectare. Fac ergo cito quod scis & statuisti.

Vicarius dixit. Non expedit tibi ô Plato crucifixi nomen habere in mente. Nam qui eum confitentur iubet Imperator tradi morti acerbę. eos autem qui ipsum negant donis maximis afficere. Quamobrem tibi cõsulo vt pareas legi Imperatoris, & hoc lucrifacias ne mortis acerbæ facias periculum. Respõdens autem dixit Sanctus Plato. Ego pareo meo Regi cui etiam milito: mortem autem quæ est ad tempus eligo, vt sim hæres regni æterni. Dicit Vicarius. Considera ô Plato quidnam sit tibi conducibile ne male pereas. Dixit sanctus Plato. Curabit Dominus ea quæ sunt mihi conducibilia. Dixit Vicarius. Nosti Plato iussa Imperatoris, quomodo iubeant intemeratæ eius leges omnes Christianos aut Diis sacrificare, aut vita priuari. Tu ergo quomodo audes hæc iussa euertere? & per inobedientiam eos etiam qui tibi parent euertis. Dixit sanctus Plato. Cognoui iussa Dei mei, sicut iubent eius intemeratæ leges & viuifica præcepta. nempe Dęmonum mysteria euertere & ei soli seruire. Neque enim est tibi nouum & alienum excogitare tormenta. neque rursus mihi mori pro pietate. Tu enim iam multos sustulisti de medio propter hanc confessionem. qui morte deuicta, iustitiæ acceperunt coronam aduersus Diabolum.

Agrippinus autem cum hæc audiisset, vt qui esset sæuus & belluinis moribus, & aduersus Athletas pietatis supra modum efferatus, veluti quendam cædis reum, aut alicuius alterius magni criminis conuictum, postquam ipse ab initio didicisset eius in Dominum nostrum Iesum Christum virtutem & fidem firmam & immobilem, iubet extensum sæue cædi neruis bubulis. Quod cum quam primum factum esset, & quatuor milites sanctum verberarent multas horas & defessi essent, alij autem

duodecim milites ad id mutati essent, ne vlla quidem inuenta est macula in corpore sancti Platonis. adeò vt omnes quidē obstupefacti supra modum admirati fuerint & à se discesserint: ipse autem alacrius & constātius perseuerauerit in confessione Christi: & per multas afflictiones contenderit ingredi in regnū Dei in quem non cadit interitus Dixit Agrippinus. Ego tibi consulo vt amico, vt mortem quidem declines, ad vitam autem accedas. Dixit sanctus Plato. Recte admones ò Agrippine. Fugio enim mortem æternam: & ad vitam me confero sempiternā. Dixit Agrippinus. Dic cacodæmon quot sunt mortes? Dixit sanctus Plato. Duæ vna quidem ad tempus. altera verò æterna. Ita etiam duæ vitæ vna quidem breuis. altera verò sempiterna. Dixit Agrippinus. Diis sacrifica & declina cruciatus. Dixit sanctus Plato. Fac cito ò Agrippine id quod tibi videtur. Ego enim nunquam sacrifico. Neque enim ignis, neque crux, neque ira bestiarum, neque ablatio membrorum nobis persuadent à Deo viuo deficere. Neque enim diligimus quod nunc est seculū, sed qui pro me est mortuus & resurrexit Christum.

His auditis Agrippinus iussit eum reduci in carcerem. sequebatur autē multa turba Christianorum, propter eius sanctam & gloriosam cōfessionem. Fortis autem & magnanimus Christi Martyr Plato iussit sibi fieri silentium, & postquam ipsi cessarunt à tumultu, voce sublata dixit eis. Viri qui Christum diligitis & estis amatores veritatis. Non leui de causa adeo hoc certamen. sed propter effectorem cœli & terræ & omnium quæ sunt in eis. Ne vos ergo conturbent rogo ea quæ fiunt. Multæ enim sunt afflictiones iustorum: & ex eis omnibus liberabit ipsos Dominus. Adeste de cætero et confugiamus omnes simul ad portum qui nullis agitatur tēpestatibus, nempe Christum, & ad petram quā magnus dixit Apostolus. Petra autem erat Christus. Ne ergo cedamus ò Dilecti periculis quæ suscipiuntur pro pietate. cum sciamus ꝙ passiones huius temporis non sunt dignæ quæ conferantur cum gloria quæ est in nobis reuelanda. Hæc ergo cum dixisset Christi Martyr Plato, & turbis quæ aderant addidisset animum & mentem eorum confirmasset, ingressus est carcerem lætus & Deum glorificans. Ingressus autem 1 humi fixis genibus, Dominum precatus est sic dicens. Domine Iesu Christe omnium creator & opifex, & qui tua prouidentia curam geris vniuersorū. qui omnibus tuis famulis tolerantiam largiris & victoriam, mihi quoque humili & abiecto largire ad finem vsque tolerantiam. & emitte Archangelum tuum Michaelem, vt me liberet à fallaci & malitioso serpente Agrippino. vt cognoscant oēs non esse Deos qui fiunt per manus hominum: sed te solum esse Deum qui es patiens & multæ misericordiæ & glorificatus in secula Amen.

1 Orat ad Dominūm sanctus humi fixis genibus.

Septem autem post diebus Præsidens Agrippinus vicarius in basilica ex aduerso Iouis, iussit sisti Martyrē. Dixit vero Apparitor Vincentius. Qui non paret Imperatorum legibus & vestris iussis repugnat, Plato, qui est defensor impiæ Christianorum religionis, stat ante tuum tribunal Domine. Tunc vicarius iussit diuersa & varia tormentorum genera ante ipsum statui. Lebetem æneum. sartagines ferreas. candentes crates. manus ferreas. catapultas. acutos obeliscos. vncos. rotas & multa alia terribilia. existimans infelix se per hæc esse territurum Martyrem vt Diis eius sacrificaret. præcipue autem Apollini qui pellit ad interitum. & dicit ei. Ego

quidem charissime Plato,contemplans tuam iuuenilem etatem & parcẽs flori tui corporis, & sciens parentum tuorum nobilitatem, tibi consulo priusquam rursus incipiam te torquere,vt gustatis sacrificiis serueris & sis nobiscum.hoc quoque sciens ꝙ nullus vnquam vixit ex iis qui mihi non paruerunt.quomodo rursus nullus ex iis qui mihi paruerunt,ei à me promissis bonis fuit priuatus.Ergo tu quoque ò optime Plato,si volueris me audire tãquam patrem proprium bonum tibi dantem consilium. Habeo vnicam fratris mei filiam. eam tibi dabo in matrimonium, valde magnã ei tradens dotem: & te meum proprium vocabo filium. Beatus autem & reuera fortis Athleta Christi Plato, ridens dixit. Miser & hominum inimice, fili Diaboli & administer Satanæ. Si vellem iungi matrimonio & ducere vxorem & degere in deceptione implicatus fumo huius mundanæ vitæ,dignarer ne vel in rerum mearum solicitudine accipere vxorem fratris tui filiam: aut tales habere ancillas qualis est filia fratris tui,aut ea etiã meliores, vt ego eam ducam vxorem? Tunc Satanæ scolasticus & administer patris eius Diaboli, plenus omni vitio & repletus omni genere improbitatis.nõ secus ac Draco quispiam aut leo cędem eructans, grabatum iussit afferri æneum: & in ipso deponi Martyrem: & sic ignem accendi: & fieri magnum aceruum prunarum. eumq́; aspergi oleo & resina & bitumine & cera.& eum cædi virgis subtilissimis. vt à plagis & igne nudata eius viscerum structura ei intolerabile tormentum efficiat.

Cum diu autem cederetur Martyr, dixit Sophronius Comentariensis. Infelicissime,pare magnificentissimo & maxime suspiciendo Vicario, & Diis sacrifica,& ne male moriaris lucrifac.Quid contradicis? Non vides parata propter te tormenta? Dixit S. Plato.Ego totum meum corpus ꝑ Christum tradidi. Cur ergo non desistis ò Satanæ scriniarie & inimice veritatis? te ipsum admone vt ab errore desistas,Ego enim scio quid mihi expediat. & nunquam auertar ab hac confessione.Dixit Agrippinus.Quis est Christus quem dicis? Non potest te viuum eripere è meis manibus non sacrificantem.Nunc ergo vis male mori.Scias autem ꝙ qui fuit crucifixus à Iudæis, non potest te seruare,etiamsi præstigiis tuis valde confidas. Sinautem magno Deo Apollini sacrificaris: & tuo sacrificio eum tibi placaris,potest te ab hoc qui te detinet candentis ignis grabato & dolore eripere. Sanctus autem Plato dixit.Nunquam sacrificabo,nec Apollini, nec reliquis Diis tuis. Nam qui Apollo dicitur pellit ad interitum. & omnes qui in eum credunt, eodem peribunt interitu. Vis autem scire ò stulte & graui corde delire & mente capte, ꝙ non sunt Dij qui fiunt per manus hominum, sed aurum & argentum & ligna, & lapides formati variis & diuersis coloribus: Qui oculos habent & non vident.manus habent & non palpant. pedes & non ambulant. aures habent & non audiunt. nares habent & non odorantur. & vt semel dicam, sunt opera fabrorum, & aurificum & tornatorum & lapicidarum? Isti enim quos tu Deos esse dicis,quomodo non possunt alicui benefacere:ita nec possunt vnquam lædere eos qui timent Dominum. Sunt enim nullo sensu præditi vobis similes: & non sentiunt nec cum eis offertur sacrificium, nec cum libamen, nec cum eis vllus alius exhibetur cultus. Deus autem qui omnia fecit, & cœlum extendit tanq̃ pellem: & terram fundauit super aquas. qui potest animam & corpus perdere in gehenna, Ipse in omnes

dominatum obtinens, rationalia & incruenta suscipit sacrificia quæ ex puro corde ei offeruntur. & quomodo non est absurdum vt nos relicto effectore vniuersorum, sacrificemus lignis & lapidibus ratione carētibus qui creati sumus ad Dei imaginem.

Dicit Agrippinus. Miserere tui de cętero ò miser. & si nolis sacrificare, dic solum, Magnus est Apollo: & iubebo te auferri ab hoc graui ignis quo vexaris cruciatu. abiꝗ sospes & noster amicus. Sanctus aūt dixit Plato. Absit vt ego ita mei miserear, vt meo parcens corpori, & parua accepta vt tu censes relaxatione, cum anima vadam ad gehennam ignis. Dixit Agrippinus. Recte facis infelicissime tibi mortem afferens, te hac suauissima volens luce priuare. Dixit Plato. Pro Christo mori conciliat mihi regnum cœlorum. non mihi autem solum, sed etiam omnibus qui ipsum timent. Ego vero tibi dico, ꝙ non possunt vincere qui cum Deo conātur bellum gerere: & pietatis Athletas diuersis tormentis subiiciunt. quō rursus nec qui Christum habent opem ferentem, possunt malos homines & Deo inuisos vincere propter insignem eorum malitiam. Quamobrem dico tibi Tyranne, ꝙ neque vita, neque mors, neque gladius, neꝗ fames, neque periculum, neque altitudo, neque profundum, neque vlla alia res creata potest nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Ea de causa tu magis debes mihi parere pollicenti fore vt fruaris non rebus aliquibus caducis & in quas cadit interitus, sed regno cœlorum & vita ęterna. quam habent qui ad ipsum conuertuntur, vnde aufugit dolor, tristitia & gemitus Fac ergo vt vana sit spes quam in te habet Diabolus. & discede ab hac insania. & rationali accepta dignitate, cognosce quisnam sit qui omni carni vitam largitur. Sic enim eris admirabilis, traductus ab hac improbitate & ab errore qui affert animę exitiū. Eos enim excipit qui mouentur pœnitentia Dominus noster Iesus Christus. qui vult omnes homines saluos fieri, & venire ad agnitionem veritatis quin[illegible]m vult mortem peccatoris & impij sed vt conuertatur & viuat ductus pœnitentia.

Agrippinus autem his auditis furore percitus dixit. Amentissime & à Diis aliene & inimice Imperatorum, & legum euersor Imperatoriarū, eo vsque processisti insaniæ & amentiæ, vt ad me vsque tuum errorem extenderes: & me à Deorum beneuolentia conareris abducere, & ad religionem crucifixi traducere? Dixit sanctus Plato. Scio ego ò Tyranne, ꝙ tu non pares meis admonitionibus: sed me vocas planum & præstigiatorem, quæ quidem tu es: quoniam te admonui, & consului id quod est tibi vtile. Cæterum sic quoque mei memineris quando venerit tempus: quo tempore cum lachrymis recordaberis meæ admonitionis, nec ea tibi quidquam proderit ò infelix. sed tartari profundo ibis ad supplicium æternum. Fac ergo cito id quod vis. Cordis enim tui oculos ita excęcauit Diabolus, vt non aspicias ad lucem Dei cognitionis: sed intuearis ad tenebras, vbi est paratus ignis æternus tibi & patri tuo Satanæ. Cum tres autem horæ intercessissent, & ipse depositus fuisset ex grabbato, corpus ita resplendebat sancti & beati Platonis, perinde atꝗ si ipse exiisset è balneo: & suauis quidam odor tanꝗ vnguenti pretiosi ex eo egrediebatur. Habebat enim Christi verum lauacrum, & pretiosam & veram cognitionem, per quam bono odore implebat eos qui aderant. & tota quæ circunsi-

cunsistebat turba Deum glorificabat propter fortitudinem & tolerantiam beati Platonis. adeò vt ipsi dicerent, Vere est magnus Deus Christianorum. Tam multis enim tormentis subiectus à crudeli & immisericordi Iudice, non negauit sanctum & terribile nomen Christi. sed in præclaro perseuerans animi instituto, vicit insaniam Præsidis.

Agrippinus autem postquam ei intolerabile & tale tormentum attulisset, dixit. Non tibi persuasit ò Plato grauissimum tormentum quod tibi fuit illatum, vt Diis sacrificares? Sed si nolis sacrificare, solum nega crucifixum, & te dimittam. Dixit sanctus Plato. ò cor peruersum, & mēs extincta, & anima malis tradita, & quæ nihil cogitat quod Deū deceat. Quid est quod dicis? Qui mihi tot beneficia conciliauit Seruatorē Christum negabo propter te ò crudiuore & vindex simulachrorum, rerumq́; inanimarum & mutarum defensor, & patrone erroris. Vt reddar miser tibi similis & iniquus? & non sufficit tibi solum esse talem, sed eos etiam qui iam relati sunt in numerum militum Christi, vis esse socios tuæ impietatis, in eadem via interitus studens eo supplantare qui recta via ingrediuntur? Discede à me qui operaris iniquitatem. Statuisti enim alios quoq; ad eam trahere. Confido autem in Deo meo q̄ non faciet sanctum suum videre interitum. Dixit Agrippinus. Quoniam tui sum misertus, euasisti insolens ac contumeliosus, stulta loquens & emotæ mentis. ego autem te cito tam grauibus afficiam suppliciis, vt ex te ipso mihi dicas. Da mihi vt sacrificem. Egregius autē Christi Athleta Plato dixit. Christus est Deus. & non est sanctum eius nomen negandum. Non est ęquū vt ego relinquens fontem vitæ, colam Dæmonia & libem lapidibus quorū quidem mater est ars. Si enim non fuissent artes inuentæ ab hominibus, nō eratis Deos habituri, sed plane eratis futuri sine Diis. Tūc Agrippinus multa ira repletus propter fiduciam & dicendi libertatem Martyris, surrexit è throno suo: & quam citissime indutus fibulatorio, iubet sphæras accendi ferreas, & poni in eius maxillis. Ministri autem Satanæ cito fecerunt ea quæ iubebantur. Sphærarum autem ignis fuit tanta vehementia, vt non solum apparerent eius latera, sed etiam corrumperetur interna eius viscerum structura, vt per nares eius & cerebrum emissus fuerit fumus ex calore ei per sphæras accenso. Beatus autem Plato, qui iam à multis reputatus fuerat esse mortuus, dixit Agrippino. Parua sunt tua tormenta ò potor sanguinis, & bestiis moribus similis, & sæue canis, si consideretur ira tua & immanitas. Ira tua erit parua. tormenta autem tua sint magna. Nam per tormenta quæ mihi intentas, cognosces potentiam Christi qui mihi fert auxilium.

Apparitor autem veniens prope sanctum Platonem, dixit ei. Pare ò homo iussis Imperatoris & Diis sacrifica, & lucrifac ne male moriaris. Non potes enim mortem effugere, nisi ea feceris quæ à me tibi dicta sunt. Qui autem erat vere magno & excelso animo & vere Christi Plato, apparitorem quidem non paruis incessens contumeliis, ei os obstruxit tanq̃ malo consiliario. interrito autem spiritu & animo immobili & mente nō perturbata oculos in cœlum extollens, dixit. Dorsum meum dedi ad flagella. & genas meas ad alapas. faciem autem meam non auerti à dedecore sputorum. Ne discesseris à me Domine, quoniam afflictiones propè. Ne forte dicant gentes vbi est Deus eorum? Tibi ergo placeat ò Domine

Iesu Christe, vt ego famulus tuus perfecte aduersarij effugiens tyrannidē, cum audacia & fiducia sistar ante tuum tribunal terribile hoc pulchro confecto certamine: Te enim decet & in ecclesiis & in omni loco tuę dominationis gloria honor potentia & maiestas, nunc & semper & in secula seculorum. & cum multi audiissent Amen, motus est locus basilicæ. & ne sic quidem intellexit miser Agrippinus, q Christus ei ferret auxilium. Sed dixit ei. Impie, cur es adeò emotæ mentis, & non parcis tuo corpori, cùm id videas variis modis tam acerbe cruciari? Pare ergo mihi & sacrifica Diis intemeratis, ne male moriaris. Sanctus Plato dixit. Dixi tibi sæpe: quinetiam nūc tibi dico, me esse Deicultorem, nec vt eius decreta deseram me posse in animum inducere, nec vt eos adorem qui tenere nomen habent Deorum, sunt autem adulterina & execranda simulacra. Sed non cessabo in dies assidue Deo meo procidere & eum orare vt salutem ab eo consequar. Tu autem Agrippine Tyranne, vanis affixus simulachris, & à patre tuo Satana priuatus mente quæ tu trahebat ad Dei cognitionem, & totus redactus in eius potestatem, & ad viam vitæ nolens ascendere, in ęternum punieris à Deo qui mihi fert opem. Quem contumelia afficiens, eius seruos variis tormentis subiicis, existimans te mutuaturum eorum bonum in Deum propositum.

Agrippinus dixit. Vide Plato q̄ multa siui te nugantem stulta dicere. Sed etsi sis indignus nostris sermonibus propter tuam audaciam & cor immutabile, audi quod tibi dico. Sæpe audiui multa eiusmodi ab iis qui confitentur Galilęum. nec vllus recessit viuus à meis manibus nisi persuasus sit & sacrificarit. si ergo non vis mihi morem gerere & Diis sacrificare, vide quid sis passurus. Te enim multa manent tormenta, si non audiueris ne tibi consulentem. Sanctus autem Christi Martyr Plato dixit. Infelix & inhumane & homines habens odio & auctor ac princeps omnis iniquitatis, à Deo aliene & minister Satanæ, & hæres ignis gehēnę, & digni omni supplicio, non me terrent tua verba, nec minæ mihi persuadent. Meus enim Dominus Christus, pro me suum effudit sanguinem, vt mundum redimeret ab omni iniquitate: quanto magis nos peccatores debemus pro ipso mori. vt vel per hoc grati & beneficij memores conspiciamur Domino nostro Iesu Christo. Vicarius autem Agrippinus cū hæc audiuisset & magno furore esset percitus, iussit eum cædi loris, dicēs. Videamus an Deus sit ei opem laturus, in quo sperans, imperatorias constitutiones contemnit & nostra iussa. Sanctus autem Plato his auditis, dixit. Impudentissime & sceleratissime canis, nouorum tormentorum inuentor & excogitator Agrippine. conuenienter enim tuo animi studio & instituto fuit ab initio tibi nomen impositum. Es enim agrestis quidam lupus, & effrenatus tanq̄ equus indomitus, eos præcipitans qui sequuntur impudentem & sceleratam tuam mentem. Miser & infelix, es ne adeò stultus & insipiens, & excæcatus à patre tuo Satana? Non vides quemadmodum Christus mihi in prioribus adfuit tentationibus: & nūc quoque adest leuans meos labores & curans plagarum notas quæ à te mihi imprimuntur, & vt semel dicam nunquam relinquit eos qui ipsi seruiunt? Fac ergo q̄ celerrime ea quæ tuo sedent animo. vt per tormenta quæ mihi inferuntur & indignas plagas, cognoscas Christum mihi opem ferre, qui à tua quæ cum Deo pugnat lingua non afficitur contumelia.

Ego enim ſemper habens opem quæ ab eo mihi fertur, non timebo tuas minas neque varios tuos cruciatus.

Miniſtri autem Satanæ cito fecerunt imperata. & quamprimum tanquam inanimam eum tangentes ſtatuam, ſancti membra conſcindebant immiſericorditer, incipientes ab humeris. Sanctus autem Plato dicebat. Expectans expectaui Dominum & intendit mihi. Omnes autem qui eum aſpiciebant, ęgreferebant propter ei illatum cruciatum. erat. n. Agrippinus ſupra modum inhumanus & plane ferus. Egregius vero Chriſti Athleta Plato, tanq̃ turris quædam quæ pulſatur inconcuſus manens & immotus propter ſuam fidem in Chriſtum, in ſomnis quodammodo torqueri videbatur. Hoc enim tormentum non formidans, neque ab eo obſtupefactus, non ſolum puſillo & abiecto animo non ceſsit: ſed ſe oſtendens magnanimum, lorum vnum e ſuo latere euulſum ex iis quæ lictores ex eius corpore abſcindebant, proiecit ante tribunal Iudicis, dicens. Inhumaniſsime & omnibus feris ſeuior eſto, cor tuum eſt adeò excæcatum, vt Deum non agnoſcas qui ad ſuam nos fecit imaginem: quomodo non misereris corporis eiſdem quibus tu obnoxĳ perpeſsionibus, quod membratim conſcinditur: ſed tibi eſt voluptati mẽbrorum meorum diſſectio. Hæc autem dico non vt qui fugiam mori pro pietate, ſed crudelitatem tuam & inhumanitatem reddam omnibus manifeſtam. Ego enim propter Chriſtum meum lubenter patior omnia mala quæ mihi à te inferuntur. & lubenter ſuſtineo dolorum acerbitatem vt in futuro ſeculo ęternam inueniam requiem. Tu autem ò crudeliſsime & immaniſsime, accepta pelle mei corporis, eam habe teſtem tuæ impietatis quæ te mittit ad æternum & quod nunquam deſinit ſupplicium, cum ſimulachris tuis & Dæmonibus.

Dixit Agrippinus. Cur es inſipiens & odio habes tuũ corpus ò Plato: & non curas ꝙ inteſtina tua per tua latera feruntur cum ſtercore: ſed adhuc nunc quoque & nullo ſenſu præditus? Præter hæc autem non contentus iis quæ dicta ſunt, non ceſſaſti nunc Deos inceſſere contumeliis, & venerandum meum irritare iudicium. Sanctus Plato dixit ſubridens. Si ego qui tot cruciatus & ſupplicia ſum à te paſſus, contumelioſus vocor & maledicus: tu qui ea mihi infers, num & factis debes dici parricida & verbis maledicus? Dixit Agrippinus Deos & Imperatores iam ſæpe multis affeciſti contumeliis, & ad iram me non parum prouocas. Scio autem te hoc facere vt te quamprimum occidam. Ego autem tibi tormenta inferam acerbiora, & te per partes conſumam, niſi mihi parueris & intemeratis Diis ſacrificaueris, Sanctus Martyr Chriſti dixit Plato. Sæpe tibi dixi, & rurſus dico: & non ceſſabo dicere. Ne minare verbis, ſed re ipſa in me oſtende tormenta: vt cognoſcaris faciens voluntatem patris tui Satanæ & tui Imperatoris. habẽs enim, vt prius dixi, poteſtatem mei corporis: animæ autem Deus. His auditis dixit Agrippinus. Iam experientia cognouiſti per tormenta ꝙ nec Philoſopho quidem Platoni pepercissem propter Deorum beneuolentiam, timens iuſſum Imperatoris. Sanctus Dei Martyr Plato dicit. Cognouiſti iam tu quoque ò Tyrãne experientia per tormenta quæ mihi à te ſunt illata, ꝙ corpori meo non parco propter pietatem in Deum meum, timens iuſſum Regis cœleſtis. Agrippinus autem cum hæc audiuiſſet & fuiſſet magno furore percitus,

iussit eum in ligno suspensum tandiu cædi donec omnes eius carnes simul cum sanguine in terram effundantur Præco autem magna voce clamabat. Sacrifica Plato, & solueris à vinculis. Cum vero sanctus Plato negaret se sacrificaturum, iussit Tyrannus vncis ferreis eius genas discerpi ac laniari. Adeò autem sunt laniatæ, vt facies hominis nõ cerneretur amplius, propterea ꝙ essent eius ossa plane nudata.

Postquam autem iussit Agrippinus eum de ligno deponi, dixit ei. Infelicissime, quid de cætero expectas, cum sit tota tua caro excoriata & nudata sint ossa? Morem mihi gere & cessa ab hac vana philosophia: & Diis sacrifica. & ne persistas in hac verborum cõtentione, ne malus male pereas. Dixit Martyr. Quid expectas ò Tyranne, à me aliud audire nisi fidem Domini nostri Iesu Christi? Carne enim mea excoriata & nudatis ossibus, adsum vt vides cum maiore audacia. Si ergo tibi restat aliquid aliud quod mihi debet fieri, fac cito quod vis. Tunc impius Agrippinus Martyris admirans fortitudinem, iussit eum rursus suspendi in ligno, & vehementer eius cædi vlnas & fœmorum eius latitudinem. Ita fecerunt lictores eum cedentes spatio trium horarum. Dixit autem sanctus Christi Martyr. Leuaui oculos meos in montes vnde veniet auxilium meum. Auxilium meũ à Domino qui fecit cœlum & terram. Dixit Agrippinus. Impie & à beneuolentia Deorum aliene, Quoniam dedi tibi fiduciam non te puniens vt par erat, audes nunc loqui violans iussum Imperatorum? Liba ergo Diis, & te dimittam. Dixit sanctus Plato. Si nos qui pie Deum colimus, punimur vt qui existimemur impij: vos qui Deum abhorretis: & corpus quod est iisdem quibus vos obnoxium perpessionibus, immisericorditer & indigne cæditis: quomodo damnabimini in iusto Dei iudicio, in die in qua iudicabit Deus occulta hominum? Dixit Agrippinus. Fero te loquente audacter & confidenter. miserere ò charissime Plato tuæ florentis ætatis. hoc enim tibi dedit fortuna quæ est eiusdem nominis. aspero enim te talem esse futurum, qualis ille fuit sapiẽtissimus Plato. Nam cum fuisset princeps philosophię, Deorum dogmata constituit. Quamobem benigne tecum loquor, & consulo vt sis benignus in Deos: & leges suscipias quas ipsi tulerunt Imperatores: & meis pareas admonitionibus. Sin autem mihi non parueris, scias aperte fore vt ego te cogam hoc facere diuersis & acerbis suppliciis. vt qui falso sis appellatus Plato. eius, inquam, nomine suscepto qui inter homines maximam sibi parauit philosophiam. cum tu in Deos ingratus euaseris.

Christi autem verus ac germanus miles Plato dixit. Valde magnum solacismum admittis ò Agrippine, errans in veritate. Nam cum pater tuus Satanas ab initio fuerit perniciosus, merito tu quoque qui es eius minister, facis ei similiter: & te in eius exerces actionibus. Dæmonum enim fortunam inuehis in homines Christianos, qui nec ferre quidem possunt audire aliquid eiusmodi. Sum ergo eiusdem quidem nominis cuius Plato: sed non sum iisdem moribus præditus. Quos enim mores non coniungũt ne nomen quidem eos conciliat, neque locus copulat, nisi solum pietas. Quãobrem nulla in re ei similis sum Plato præterquam in solo nomine. hoc autem mihi piam mentem nunquam poterit lœdere. Et ego quidem exerceo eam quæ est in Christo philosopiam. illius autem philosophia est apud Deum meum stultitia. Scriptum est enim. Perdam sapientiam sapientum,

pientum, & prudentiam prudentum abolebo. Nam Deorum dogmata quæ ille vt dicis posuit, sunt falsæ & fictæ fabulæ, quæ adumbrantur deceptione Dæmonum qui animis afferunt interitum, & verborum astutia vestras mentes excæcantes, abducunt à simplicitate fidei quæ est in Christum. Postquam autem cessasset loqui Martyr, eius quidem responso obstupefactus Agrippinus, mansit mutus non valens ei respondere. Cum autem paulopost iussisset eum de ligno deponi, aggressus est eum rursus blandis verbis admonere, sic dicens. Ego de cætero ô Plato, quod ad te quidem attinet sum plane animi dubius, nec scio quid debeam facere. Qui itaque te multis affeci cruciatibus, nec quidquam effeci: & adhibui blanditias, & hoc nihil profuit: Nunc statui aliquot dies tibi concedere. Forte cum sic agnoueris id quod est tibi vtile, hanc tuam relinques peruicaciã: & accedes ad Deos qui vniuersum orbem terræ administrant: & liberaberis à grauibus tormentis quæ te circunsistunt.

Hæc cum dixisset, iussit eum reduci in custodiam. iubens Commentariensi quotidie ei dare vnciam panis, & potum aquam: & prohibens ne ab vllo videretur. Verebatur enim ne quis ex iis qui ad ipsum attinebant, ei daret alimenta. ignorans stultus ꝙ non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod exit per os Dei. Sanctus autem Plato transegit decem & octo dies in custodia. & vt in ipso quoque impleretur id quod scriptum est, Iustus ex fide viuet, noluit à Commentariensi panem omnino aut aquam accipere. Sciebat enim ꝙ qui Danieli misit nutrimentum qui erat in medio leonum ipse ipsum quoque nutriet in custodia. Postquã autem custodes eum viderunt nihil sumere, veriti ne interiret à fame, eum hortabantur, dicentes. Comede ô homo, ne forte veniamus in periculum, si tu nolis quidquam gustare eorum quæ tibi à nobis offeruntur. Beatus autem Plato dixit. Ne existimetis ô fratres me moriturum propterea ꝙ non comedam. Vos enim nutrit panis. me autem verbum Dei permanẽs in æternum. & vos quidem satiant carnes: me autem puræ preces. Vos lętificat vinum. me autem Christus, vera vitis patris qui non cadit sub aspectum. Vos expectatis audire laudem ab hominibus: ego autem vocem dominicam in die iudicij qua dicet redemptor mundi Christus. Venite benedicti patris mei. possidete paratum vobis regnum ante mundi constitutionem.

Post dies autem aliquot præsidens Agrippinus in basilica, iussit sanctũ Platonem ad ipsum duci è custodia. Cum autẽ ductus esset, dicit ei. Pare mihi de cætero & Diis sacrifica, & lucrare ne male moriaris. Dixit sanctus Plato. Mihi viuere Christus: & pro ipso mori & lucrum & gloria. Fac ergo mihi cito quod velis. ego enim nũquam sacrificabo simulachris inanimis. Tunc cùm vidisset Agrippinus fidem eius immutabilem, tulit in eum sententiam vt caput ei amputaretur. Cum ergo eum accepissent lictores, abduxerunt extra ciuitatem in loco qui vocatur Campus. Stans autem sanctus Martyr rogauit spiculatorẽ, vt ei parum spatij concederet ad orandum. Qui 2 sublatis in cœlum suis oculis Dominum orauit, dicens. Ago tibi gratias Domine Iesu Christe, ꝙ sancto tuo nomine protexisti me seruum tuum: & dedisti mihi gratiam vt perfecte cursum conficerem pro te suscepti certaminis. Et nunc rogo te suscipe in pace animam meam. Quoniam es benedictus in secula Amen. Tunc cum collum suum

2 *Orat sanctus sublatis in cœlum oculis.*

extendisset, dixit Spiculatori. Fac ô amice id quod fuit tibi imperatum. Spiculator autem eum gladio percutiens, abscidit eius sanctum caput: & statim tradidit Domino suum spiritum. 3 Pretiosæ autem & sanctæ beati Platonis reliquiæ acceptæ à Christianis depositæ fuerunt in eodem loco qui dicitur Campus. Consummatus autem fuit sanctus & gloriosus Christi Martyr, Plato beatissimus, mensis Nouembris decimo octauo, regnante Domino nostro Iesu Christo. Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

3
Nota pretiosæ & sanctæ beati Platonis reliquiæ.

SANCTI PATRIS NOSTRI
Ioannis Archiepiscopi Constantinopolitani, cognomine Chrysostomi Encomium sancti Martyris Romani.

Eodem die.

RVRSVS Martyrum memoria: & rursus dies festus & celebritas spiritalis laborarunt illi: & nos lætamur. Decertarunt illi: & nos exultamus. Illorum est corona & communis gloria. Illorum sunt præmia & certamina. & totius ecclesiæ gloria decus & gloriatio. Et quomodo dicet quispiam posset hoc fieri? Quòd partes & membra nostra sunt Martyres. Quoniam siue patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Siue glorificatur vnum membrum, cum eo lætantur membra omnia. Caput coronatur, & reliquum corpus exultat. Fit vnus victor in ludis Olympicis: & totus gaudet populus, & cum magnis eum excipit laudibus. Si autem in Olympicis certaminibus, qui nihil ad illos sudores contulerunt, tanta fruuntur voluptate: multo magis hoc fiet in Athletis pietatis. Nos sumus pedes: Martyres autem caput. Sed non potest caput dicere pedibus, Vestri non egeo. Gloriosa sunt membra, sed gloriæ excellentia non facit alienationem à coniunctione quæ est cum reliquis partibus. Tunc enim fiunt maxime gloriosa, quando non abruperint eam quæ est nobiscum coniunctionem. Nam oculus quoque cùm sit reliquo toto corpore splendidior, suam tunc conseruat gloriam, quando non abscinditur a reliquo corpore. Et quid dico de Martyribus? Si enim Dominus noster Christus non erubuit fieri nostrum caput: multo magis ipsi esse nostrum caput non erubescunt. habent enim quæ egit radices charitatem. Solet autem charitas coniungere ea quæ sunt disiuncta. & de meritis non admodum accurate inquirit. Quomodo ergo ipsi cum nobis peccantibus dolore simul afficiuntur: ita etiam nos simul cum eis lętamur in recte factis. Sic etiam iussit Paulus gaudere cum gaudentibus & flere cum flentibus.

Sed flere quidem cum flentibus est valde facile. gaudere autem cum gaudentibus non itidem. Facilius enim dolemus cum iis qui sunt in calamitatibus quam gaudemus cum iis quibus sunt res secundæ. Nam illic quidem ipsa natura calamitatis potest vel lapidem flectere ad commiserationem. Hic autem in rebus prosperis, inuidia eum qui non valde philosophatur, non sinit effici socium voluptatis. Nam quomodo charitas coniungit ea quæ sunt diuisa: ita etiam inuidia diuidit ea quæ sunt vnita.

Quamobrem rogo vos omnes, studeamus gaudere cum iis qui rem recte gerunt. vt animam expurgemus ab inuidia. Nihil enim ęque expellit hūc morbum grauem & curatu difficilem, atque gaudere cum iis qui viuunt in virtute. Audi q̄ sit Paulus summus in his vtrisque. Quis, inquit, infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? Non dixit, Et ego non molestia afficior. sed, Ego non vror, dixit vrendi verbo ostendere volens summū dolorem. Et rursus ad alios scribens, dicit. Sine nobis regnauistis: & vtinam regnauissetis. vt nos quoque simul vobiscum regnaremus. Et rursus. Nunc viuimus si vos statis in Domino. Vide quantopere studebat vt res fratrum recte se haberent, qui nec se viuere quidem existimabat si illi non essent salui. Homo qui fuerat raptus ad tertium cœlum, & delatus in paradisum. & qui fuerat particeps mysteriorum ineffabilium: & tantam apud Deum assecutus fuerat fiduciam, illorum bonorum sensum non valde accipiebat, nisi etiam vidisset fratres secum esse saluos. Sciebat enim aperte, sciebat charitate nihil esse maius, neque quod sit cum ea conferendum. nec ipsum quidem martyrium quod est summa bonorum Nam charitas quidem etiam absque martyrio facit Christi Discipulos. Martyrium autem sine charitate non potest hoc facere.

Vndenam hoc sciri potest? Ab ipsis Christi verbis. Dicebant enim Discipulis. In hoc cognoscent omnes q mei Discipuli estis si vos inuicē diligatis. Ecce charitas sine martyrio fecit Discipulos. Quòd autem martyrium sine charitate non solum facit Discipulos, sed nec prodest quidem quidquam ei qui id sustinet, audi Paulum dicentem. Si tradidero corpus meum vt comburatur, charitatem autem nō habeam, nihil mihi prodest. Propterea hunc sanctum maxime diligo qui hodie nos congregauit. beatum inquam Romanum, quoniam cum certamine & martyrio magnam quoque ostendit in Christum charitatem. Quamobrem ei quoque sancta lingua fuit amputata. Etenim hoc quoque par est examinare quoniam de causa non ad alia vtique tormenta supplicia & cruciatus eum deduxerit Diabolus: sed linguam ei abscidit. Non enim hoc fecit temere, sed cum maxima malitia. est enim mala & malefica hæc bestia: & omnia facit & mouet aduersus nostram salutem. Age ergo examinemus cur nam processit ad linguæ eius amputationem, paulo altius deducentes orationē. Sic enim sciemus est Dei benignitatem, & Martyris tolerantiam, & Diaboli malignitatem. Et cum Dei quidem didicerimus benignitatem, Domino agemus gratias: Martyris autem cognita patientia imitemur conseruum. intellecta autem Diaboli malitia, omnino auersemur inimicum. Propterea enim dedit nobis Deus clemens & benignus nosse eius machinationes, vt eum magis odio habentes facilius superemus. Quòd enim cognosci posśint ea quæ mente agitat, audi quid dicat Paulus, de eo qui fuerat fornicatus scribens ad Corinthios. Confirmate in ipsum charitatē, ne circunueniamur à Satana. Non enim quæ mente agitat ignoramus. Quęnam ęst ergo causa propter quam ei linguam amputauit? Patiamini ò dilecti me rem Paulo altius narrantem.

Graue bellum fuit aliquando excitatum aduersus ecclesias. non barbaris facientibus incursiones aduersus ciuitates. nec vllis alienigenis. sed iis qui videbantur pręesse huic nostro terrarum orbi, & barbaris & ho-

ſtibus & Tyrannis omnibus crudelius & immanius vtentibus iis qui eorum parebant imperio. Non ſolum enim libertas & patria & pecuniæ & præſens vita tunc veniebat in periculum: ſed regnum cœlorum & bona quæ ſunt iuſtis repoſita, vitaq́ immortalis & Chriſti confeſsio. Nec ſolũ graue bellum, ſed nouus quoque modus excogitatus fuit captiuitatis. Non enim ex ea quæ hic eſt ciuitate expellebant, ſed ſupernæ Hieruſalem quæ eſt libera priuare conabantur. & cogebant vnũquẽque animas ſacrificare in altaribus, & ſuum abiurare Dominum & ſe Dæmonum ſubiicere tyrannidi, pernicioſosq́ & noſtræ ſalutis hoſtes colere Dæmones, quod mille mortibus & quauis geherna erat grauius & intolerabilius generoſis animis & Chriſti amantibus. Tunc tunc cũ multi eſſent ſubmerſi & fluctus in altum tollerentur, & multi nauem frangerent, beatus hic Romanus in medium eorum accedens, nõ ſtatim conſiderauit quemadmodum ſe traderet periculis: ſed eos prius qui timuerant, qui lapſi erãt, qui ſuam ſalutem prodiderant collegit. animauit. vt prælium inſtaurarent effecit. eos quidem qui lapſi erant erigens. eos autem qui ſtabant confirmans, precibus, exhortationibus, & conſiliis. de futuris & de præſentibus rebus multum philoſophans. Oſtendens has eſſe ad tempus: illas autem perpetuas. pręmia opponens laboribus coronas tormentis. brauia doloribus. docens quęnam ſit quidem vita pręſens, quęnam autem futura. & quantum interſit inter vtrãque. & q̀ mori omnino ſit neceſſe. etſi nõ hoc modo vitam finierint, omnino coacti lege naturæ paulo poſt diſcedent ab his corporibus. His & ſimilibus exhortationibus beatus ille manus erexit diſſolutas. confirmauit genna debilla fugientes reduxit. metum expulit. angorem exegit. eis animum addidit audacesq́ effecit & confidentes. Pro capreis & ceruis eos effecit leones magnam vim ſpirantes. Chriſti exercitum inſtruxit & exercuit. ignominiam noſtram conuertit in capita hoſtium.

Cum ergo vidiſſet Diabolus repente tantam fuiſſe factam mutationem: & qui nudius tertius eum timebant & contremiſcebant, ſe audacter in eum gerere & ipſum irridere, adeũtes pericula, proſilientes ad ſupplicia. & cum cognouiſſet auctorem omnibus dimiſsis, in illum deinceps omnino virus ſuum inſpirauit. omnem vim ſuam & inſaniã mouens in hoc beatum caput. Et quid facit? Conſiderate malitiam Non eum duxit ad tormenta non eius caput abſcidit. eum enim docuit tempus pręteritum hæc omnia fuiſſe facta temere. Non ſolum enim retardauit animi alacritatem eorum qui crediderant, ſed etiam magis auxit eamq́ effecit maiorem & vehementiorem. Carbones, inquit, ſubſternebant: illi autem currebant tanq̃ ad roſas. Ignem accendebant: illi vero tanq̃ in fontes aquarũ frigidarum ſeipſos proiiciebant. Latera cędebant & profundos in eis ſulcos faciebant: & riuos ſanguinis deducebant. Illi autem gloriabantur tanq̃ aureo omni ex parte circũfluentes. E pręcipitiis iaciebant & in mare demergebant. Illi vero non tanq̃ in profundum deſcendentes, ſed tanquã in ipſum cœlum aſcendentes ita affecti erant, exilientes & exultantes, & tanq̃ in ſacra pompa choreas ducentes, & ludentes in prato herbido. Ita arripiebat vnuſquiſq́ cruciatus. non tanq̃ cruciatus, ſed tanq̃ vernos flores carpentes & coronas contexentes. & inſigni animi ſui alacritate meos præueniebant cruciatus. Quid ergo, inquit, nunc fuerit agendum? Abſcindam'ne

dam'ne eius caput? sed fit id quod habet in votis. & Discipuli per facta maiorem accipiunt adhortationem. Sæpe enim eos admonuit, hanc mortem quæ est ad tempus, non esse mortem, sed migrationem & requiem. oportere decessum despicere & solam complecti animam. Si ergo caput abscidero & forti animo tulerit quod acciderit, ipsos p facta docebit apertius, q mortem sic oportet despicere. & eorum magis eriget spiritus: & mortuus eis inspirabit maiorem animi alacritatem. Propterea ergo linguam amputauit. vt priuati voce qua fruebantur Martyris Discipuli & defecti eius admonitione, fierent timidiores: & ad priorem redirent angorem & dubitationem, non habentes qui eis animum adderet, neque qui excitaret & armaret.

Considera autem mihi Diaboli malitiam. Herodes quidem abscidit caput Ioannis. hic autem non caput sed solum linguam. Quamobrem? Si abscidero caput, inquit, & fuerit mortuus, recedet non videns interitum suorum fratrum. ego autem volo eum facere testem lapsuum & calamitatis suorum militum. vt dolore enecetur, videns quidem labentes, non potens autem manum porrigere: & non valens ei ea quæ prius consulere, ei voce execta simul cum lingua. Sed qui comprehendit sapientes in sua astutia, inuentum conuertit in eius caput. & non solum non priuauit consilio: sed eos etiam magis fecit frui adhortatione, & esse spiritalioris doctrinæ participes. Nam cùm hoc obtinuisset Diabolus, vocatur de cętero Medicus ad sectionem: & fit lictor pro medico. non id corrigens quod morbo laborabat, sed id quod erat sanum corrumpens. & cùm linguam exemisset, non potuit simul cum ea vocem eximere. Sed carnis quidem abscissa fuit lingua: virtus autem diuinæ gratiæ aduolauit ad os beati Romani: & natura quidem emisit suum membrum, ferro id cogente. Dei autem gratia non siuit vocem cum ea excidere. Vnde etiam de cætero Discipuli fruebantur magis spiritali doctrina. non humana voce cuiusmodi prius verba audientes.: sed diuina quadam & spiritali & quæ nostram superabat naturam. & superne quidem omnes concurrebant Angeli, inferne vero homines. vnusquisque os sine lingua videre cupientes & audire sic loquens. erat enim re uera admirabile & præter opinionem, Diabolo quidem magnum afferens dedecus, magnam autem Martyri gloriam, Discipulis vero plurimam consolationem & magnum argumētum patientiæ. Hic enim Deo mos est vel ex alto repetitus & à principio, quęcunque contra nos consarcinarit Diabolus, ea in caput illius conuertere, & ad nostram salutem redigere.

Mihi autem hoc quoque considera. Ille hominem eiecit è paradiso. & Deus ei cœlum aperuit. Ille ipsum expulit ex imperio terreno: Deus aūt ei dedit regnum cœlorum. & in throno regio nostram fecit sedere naturā. Sic dat Deus semper dona maiora iis quibus Diabolus conatur priuare homines. Hoc autem facit, illum quidem reddens tardiorem ad nobis parandum insidias: nos vero docens nunquam timere eius machinationes. Quod quidem factum est etiam in Martyre. Qua enim voce existimauit se eum esse priuaturum Diabolus, multo maiorem & pręclariorem ei Deus est largitus. Non erat enim eiusdem momenti cum lingua loqui & sine lingua. Nam illud quidem erat consequens & commune omnibus. hoc autem erat supra naturam & eius solius proprium. Quāquam etiam

si fuisset mutus Martyr post linguæ abscisionem, sic quoque ei fuisset impletum certamen & parata esset corona. Nam quod victus esset erat maximum & apertum argumentum, quod linguam amputarit. Si enim non timebas linguam Martyris o scelerate & execrande Diabole: cur eam abscidisti? Quamobrem non dimisisti argumentum decertationum, sed occlusisti stadium? Quemadmodum enim si quis luctaturus deinde accepisset plagas quæ verbis explicari non possunt, & non valens deinceps amplius resistere, iusserit abscindi manus Athletæ, & sic eum percutiat, non est opus amplius alia probatione ad decernendam victoriam ei cui fuerint manus abscissę. Ita etiam in Martyre, apertissimum omnium argumentum victoriæ aduersus Diabolum, fuit linguæ eius amputatio. Nam etsi lingua erat mortalis, quoniam tamen ei vulnera dedit immortalia, propterea in illam ingentes omnino efflauit spiritus. sibi quidem maius afferens dedecus, Martyri autem coronam faciens splendidiorem. Quomodo enim est mirabile arborem videre sine radice: & fluuium sine fonte: ita etiam vocem sine lingua.

Vbi ergo sunt qui non credunt corporũ resurrectioni? Ecce vox mortua est & reuixit: & vno momento temporis vtraque facta sunt. Quanquam hoc longe sit maius quàm corporum resurrectio. Nam illic quidem subiecta est natura corporum. compositio autem solum est dissoluta. hic vero fuit sublatum ipsum vocis fundamentum. sed tamen rursus facta est splendidior. Quãquam si à tibia lingulas abstuleris, iacet inutile deinceps instrumentum. Sed non sic tibia spiritualis. sed etiam si sit lingua priuata, non solum non erat muta, sed etiam modulatius emittebat carmen & magis mysticum & cum maiori admiratione. Rursus quoque in cithara si quis plectrum solum eripuerit, fit otiosus artifex, ars inutilis, & inane instrumentum. Hic autem nihil eiusmodi, sed contra omnino. Os enim erat cithara. lingua plectrum. anima artifex, confessio vero ars. Plectro tamen ablato, lingua inquam, neque artifex, neque ars, neque instrumentum euasit inutile. sed omnia suam virtutem ostenderunt. Quis hæc fecit: Quid hoc ostendit admirabilia & quæ sunt præter opinionẽ? Deus qui solus facit mirabilia. De quo dicit Dauid. " Domine dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia super cœlos. Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem. " Atque tunc quidem ex ore infantium & lactantium, nunc autem ex ore elinguium. Tunc natura immatura: nunc os lingua defectum. Tunc erat in pueris mollis radix, sed fructus perfectus. Hic autem & ipsa radix erat ablata: & non prohibebatur fructus generatio. est enim vox fructus linguæ.

Sunt re uera magis admirabilia posteriora prioribus Etenim ne his fidem non adhibeatis, illa propterea præcesserunt, vt in his non conturbemini, cum in illis fuerit assuetus animus. Propterea hæc euenerunt, vt illa quæ latent & sunt vetera credantur ex manifestis & iis quæ recens facta sunt. Sic aliquando Aaronis quoque virga floruit, quo modo nunc germinauit os Martyris. sed quanam de causa Aaronis virga tunc germinauit? Quoniam erat designatus Sacerdos. Quanam autem de causa nũc germinauit os Martyris? Quoniam blasphemia & maledictis incessabatur magnus Pontifex Iesus Christus. Vide ergo quanta sit miraculi

cognatio & excellentia. Quomodo enim virga illa non vnita radice, nec ex terra trahens humorem, sed defecta ea quæ illinc proficiscitur suppeditatione, & perdita vitali & frugifera virtute, repente ostendit fructum: ita etiam hic quoque vox priuata radice, & vim non habens ex instrumēto, in sicco & sterili ore repente germinauit. In hoc quidem cognatio. in alio autem excellentia. Inter vtrūque enim fructum multum interest. Nam ille quidem erat sensilis, hic autem spiritalis, & ipsos cœlos aperiens ei qui tunc eam vocem ediderat.

Pro his omnibus gratulemur Martyri. glorificemus Deum qui hæc facit miracula. imitemur conserui patientiam. gratias agamus Domino pro gratia. accipiamus ex iis quæ dicta sunt sufficientem consolationem in tentationibus. & Dei qui nos fecit potentiam & curam admirantes ac prouidentiam, 1 omnia ex nobis afferamus: & quæ ex eo sunt omnino consequenter. Seu homines, seu Dæmones, seu ipse Diabolus aduersus nos depugnet, nihil proficient ij qui nos oppugnant. modo ostendamus nostrum promptum animi studium, & quæ à nobis afferri oportet omnia afferamus. Sic enim & Dei attrahemus auxilium: & in vita futura magna fruemur gloria & salute. Quam detur nobis omnibus consequi, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri simul cum sancto spiritu gloria, honor, potentia in secula seculorum. Amen.

1 *Esto quod omnia afferamus quæ ex nobis sunt, non tamen ob hoc gratia Dei dari dicitur ex meritis. Quia & istud afferre quæ ex nobis sunt, & promptum animis studium ostēdere, puenit ex gratia Dei, sine qua ne minimum quidem opus quod meritoriū sit attentare possumus.*

SANCTI PATRIS NOSTRI
Germani Archiepiscopi Constantinopolitani Encomium sanctißimæ Dei parentis. quando adducta fuit in templum à suis perentibus, cum esset tres annos nata.

ECCE rursus dies 1 festus & celebris matris Domini. ecce progressus sponsæ in quam non cadit vlla reprehensio. ecce primus processus futuræ eius gloriæ. ecce apertum prooemium diuinæ quæ eam erat adumbratura gratiæ. ecce clarum indicium eius eximię puritatis. V bi enim non sæpe sed semel solum in anno Sacerdos ingrediens peragebat cultus mysticos, illuc ea vt ibi perpetuo maneret à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis rem vnquam talem cognouit? Quis vidit aut quis audiuit ex iis qui nunc aut qui vnquam fuerunt, fœminam quæ adduceretur in intima sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in eis habitet & versetur? An non hoc est euidens demonstratio noui & alienī operis quod in ea futurum erat postea? Non apertum signum? non clarum indicium? Ostendant nobis qui in eam linguas mouent, & vident tanq̃ non videntes: vbinam talia vnquam viderunt, puellam ex professo adduci intra tertium velum tanq̃ donum in quod nulla cadit reprehensio, vt illic habitaret asidue. eamq; à diuitibus populi supplicantibus & à virginibus deduci: cum lampadibus adduci. à Sacerdotibus & Prophetis supinis manibus excipi? Quomodo ergo noluerunt intelligere? Qūo vi-

Nouemb. 21.

1 *Festus dies præsentationis beatæ Virg.*

dentes prima extremis fidem non habuerunt? Quomodo cum quædam noua & aliena in ea prius vidissent, dixerunt contra ea quæ postea facta sunt? Non enim casu & temere fuerunt quæ prima in ea euenerunt, sed fuerũt omnia vltimorum procœmia. Dicant ergo nobis qui ex seipsis sunt in rebus inanibus sapientes, quomodo cum aliæ steriles pepererint, nullius ex ipsis filia reponitur in sancta sanctorum, nec accepta fuit à Prophetis? An non hæc poterant dicere qui hæc & talia videbant, cuiusmodi etiam qui ex eis erant eiusdem sententiæ, dixerunt postea in illius filiũ, Quisnam erit hic puer? Maxime.

Sed qui aliena quidem sentiunt, interitus viam ingrediatur: & cadant in barathrum quod ipsi fecerunt. Nos autem qui sumus Dei populus peculiaris, Sacerdotes & Principes, mundani & Monachi, serui & liberi, artifices & Agricolæ, plantatores & piscatores, iuuenes & senes, viri & mulieres adeste, prompto & alacri animo accedamus ad Dei parentem: & quæ in eam Oeconomice prius perfecta sunt diuina mysteria intueamur. Quemadmodum à parentibus hodie virgo sacratissima in templum Dei per eius Sacerdotes adducitur. quẽadmodum templum Domini animatum templo inanimo dedicatur. quemadmodum propheta Zacharias eã sua manu accipit & adducit in adyta. nihil ęgreferens, neque dicens eius parentibus. Non faciam hanc rem maxime nouam: neque puellam introducam in sancta sanctorum, vt in eis habitet assidue, in quæ semel in anno iussus sum intrare. Nihil tale dixit Propheta Zacharias. sed vt qui præsciuisset futurum quoniam erat Propheta, eam expectans sicut qui post eum fuit Symeon illius filium, eam is quoque excipit prompto & alacri animo. Deinde matrem amplexus eam allocutus est, sic dicens, & puellam tenens manibus. Vndenam orta es ô mulier. & quisnam est modus & scopus talis studij tui ac propositi? & quomodo cum nullum tale habueris exemplar, sola inuenisti hunc nouum & nõ prius auditum actum, introducens puellam vt ingrediatur adyta? Quæ est tua deliberatio dic nobis & quæ cogitatio. Ego, inquit Prophetæ, sum Anna grato nomine, nata quidem sum ex genere Sacerdotali, tribu Aaronitica, radice prophetica & regia. Dauidis autem & Solomonis & eorum qui deinceps fuere sum ramus. Sum autem cognata tuæ vxoris Elisabet. Deinde viro quidem coniuncta fui lege Domini. Inuenta sum vero sterilis & infertilis multis annis. Nullum autem inueniens medicamentum quod mederetur meæ calamitati, ad eum confugi qui est solus potens & ea reddit facilia ex quibus non datur exitus: & ad ipsum os meũ ex animo aperiens, cum luctu cordis clamaui & lachrymis, sic dicens. O' Domine Domine, qui dolore affectas animas exaudis ocyssime. cur me reddidisti diuersam à natura meorum maiorum? Cur me fecisti parabolam in genere meo, & motionem capitis in tribu mea? Cur maledicti tuorum Prophetarum me fecisti participem, dans mihi matricem filios non producentem & vbera arida? Cur fecisti vt mea dona non essent accepta vt quæ sim sterilis? Cur me siuisti subsannari à notis meis, irrideri à famulis, & vicinis haberi opprobrio? Respice Domine. exaudi Domine. miserere ô sancte. Fac me similem volucribus cœli & bestiis terrę, piscibus maris. quoniam ea quoque sunt genitalia coram te ô Domine. Ne brutis videar deterior ô Dñe, quæ facta sum ad imaginem tuam & similitudinem.

Hæc

Hæc cum dixissem, hoc quoque adieci iis quæ dicta sunt. Quoniam tibi Domine donum gratiarum actionis omnino tibi dedicabo 2 quem mihi dederis filium. vt is sit & maneat in tuo sanctuario, tanquam sacrum donarium & munus pretiosissimum quod mihi datum est à te. qui es perfectissimus dator pretiosorum donorum. Hæc ego cum essem sub Dio in meo orto, oculos in cœlum tollens, pectus autem meum manibus verberans, clamaui ad Deum qui est in cœlis. Meus autem Coniux cum esset solus in monte, & ieiunaret quadraginta dies, eadem à Deo supplex petebat. Sic ergo flexus qui est paratus ad misericordiam & benignus Dominus amborum precibus, misit diuinum suum Angelum, nobis prænunciatum meę filiæ conceptionem. Statim ergo natura à Deo iussa semen excepit. Non enim ante diuinam gratiam ipsa ausa est excipere. Sed cum illa accessisset, matrix quæ prius erat clausa suas portas aperuit. & à Deo acceptum depositum apud se detinuit. donec Dei voluntate quod in ea fuerat seminatum in lucem est editum. Hinc ergo eo ablactato, vota mea reddo Domino quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in afflictione. Et ideo virginum cateruas coegi cum lampadibus. conuocaui Sacerdotes. congregaui cognatos meos, omnibus dicens. Omnes mihi gratulemini, quod hodie & mater & productris effecta sum. non Regi terreno meam offerens filiam, quoniam nec par quidem erat: sed Deo cœlesti & Regi dedicatam accipe deinceps ò Propheta, meam à Deo datam filiam: & introductam planta in loco sanctuarij, in prompto Dei habitaculo, in domo exultationis & lætitiæ: nihil curiose inquirens, Donec Deo qui eam hinc vocauit visum fuerit quæ ad eam attinent ad finem deducere.

2 Ecce uotum, & uoti redditio statim sequitur.

Cum hæc verba audiisset Zacharias, statim allocutus est Annam. Benedicta est radix tua ò fœmina in primis veneranda. glorificata est matrix tua ò amans coniugis; & gloriosa est oblatio tua ò pia & Dei amans. Deinde puellam lętus tenens, eam prompto & alacri animo intro ducit in sancta sanctorum. sic vtique ei dicens. Adesdum implementum meæ prophetiæ. Adesdum perfectio pactorum conuentorum Domini. Adesdum signaculum eius testamenti. Adesdum finis eius consiliorum. Adesdum declaratio eius mysteriorum. Adesdum specula omnium prophetarum. Adesdum conciliatrix eorum qui male dissentiunt. Adesdum coniunctio eorum quæ erant malè disiuncta. Adesdum firmamentum eorum quæ deorsum inclinantur. Adesdum renouatio eorum quæ erant inueterata. Adesdum iubar eorum qui siti sunt in tenebris. Adesdum donum maxime nouum & diuinum. Adesdum Domina omnium terrigenarum, ingredere in gaudium Domini tui. Nunc quidem inferre in terra quæ conculcatur ab hominibus, paulopost autem in superna & ad quam non patet hominibus aditus. Cum sic vt erat consentaneum, dixisset mysta puellæ, eam vbi oportebat deposuit & vbi conuenerat & fuerat præstitutum. Puella autem valde lętans & exultans, ibat in templo Dei. tanquam in thalamo. cum ętatis quidem ageret annum tertium, esset vero perfecta diuina gratia. vt quæ esset prædestinata & præcognita & prelecta à Deo & dispensatore vniuersorum ante mundi constitutionem. Mansit autem de cætero in sanctis sanctorum seu in templi penetralibus, ambrosiam nutrimentum per Angelum accipiens vsque ad secundam ætatem. Tunc autem Dei nutu & cōsilio Sacerdotum de ea datur sors: & sorte eligitur Ioseph

δίοπτρα

iustus: & hanc sanctam virginem diuino consilio ex templo Dei ab eius accipit sacerdotibus. ad inescandum mali auctorem serpentem: ne tanquã virginem aggrederetur puellam ab omni labe alienam: sed tanq̃ ad despõsam ad eam accederat. Fuit ergo illa incorruptissima in domo, fabri Ioseph seruata Domino omnium Architecto. donec quod ante secula fuerat absconsum mysterium, in ea esset perfectum: & hominibus Deus ex ea effectus esset similis.

Sed de his quidem dicere est alterius operis & temporis conuenientis. Nobis autem rursus ad propositum redeat oratio. & laudibus celebratur hodie dies deductionis. Abi ergo ò Domina Dei mater. abi ad tuam hæreditatem. & vade in atria Domini exultans & lætans: alacrisq; expectans in dies sanctissimi spiritus in te aduentum, & potentiæ altissimi adumbrationem: & vnigeniti tui filij conceptionem, vt Gabriel tibi prædicet. & da iis qui tuum festum peragunt tuum auxilium, protectionem & defensionem, eos omni ex parte liberans 3 tuis intercessionibus ab omni necessitate & periculis, morbisq; grauibus & omne genus calamitatibus, & à futuris iustis minis tui filij. Eos autem colloca vt mater Domini in loco delitiarum, vbi est lux & pax & rerum expetendarum summum donum. & fiant muta labia dolosa quę contra te iustam loquuntur iniquitatem in superbia & cõtemptione. & exterminetur in ciuitate tua imago eorum. Erubescant: & deficiant: & pereant, & cognoscant q̃ nomen est tibi Domina. Tu sola Dei genitrix excelsissima super omnem terram.

3 *Vide quanta posit sanctissima Dei genitrix.*

Nos autem ò Dei sponsa, fide benedicimus. desiderio honoramus: & metu adoramus, te semper extollentes, te laudantes. & te venerabiliter beatam pronuntiantes. Est enim reuera pater tuus beatus inter viros. & beata mater tua inter mulieres. Beata domus tua: & beati noti tui. Beati qui te viderunt: Beati qui tecum sunt versati. beati qui tibi seruierunt. Beata loca tua. Beatum templum in quo tu fuisti oblata. Beatus Zacharias qui te vlnis suis est amplexus. Beatus Ioseph qui te despondit. Beatus lectus tuus: & beatum sepulchrum tuum. Tu es enim honor honorantium, & præmium præmiorum: & altitudo altitudinum. Sed ò mihi sola Domina: mea ex Deo consolatio: ardoris qui est in me ros diuinus: exiccati mihi cordis diuinitus irrorans aspersio. tenebrosę meę animę lampas lucidissima. Duxi meæ dubitationis. vires imbecillitatis. nuditatis amictus. opes mendicitatis immedicabilium vulnerum curatio. lachrymarum ablatio. requies gemituum, alleuatio dolorum. calamitatum trãsmutatio. vinculorum meorum solutio. spes meę salutis, & bonorum omnium remuneratio, 4 exaudi meas precationes, miserere meorũ luctuũ. & excipe meos flectus. miserere mei flexa meis lachrymis. Te moueat mei misericordia vt matrem benigni Dei. aspice & annue meæ supplicationi. Imple mei sitientis desideriũ. & coniunge me meæ cognatæ & conseruæ in terra nitium. in tabernaculis iustorum. in choro sanctorum. & dignare me tu quæ es omnium defensio, & omnium lætitia, & vehemens gaudium, vt simul cum ea læter te rogo.

4 *Ecce quomodo inuocat Dei matrem in sui auxilium.*

Rogo te præetrea, vt in gaudio illo quod reuera verbis non potest exprimi, perpetuisq; delitiis & insatiabilibus, & in regno eius quod caret vespera & nunquam terminatur, eos colloces qui fide & desiderio hoc.

venerandum tuum 5 festum peragunt. Certe Domina Dei parens. certe meum refugium vita & defensio, arma & gloriatio: spes & robur meum. concede mihi vt ego quoque cum ea fruar inenarrabilibus & quæ comprehendi non possunt tuis bonis, in cœlesti & quæ dici non potest perseuerantia. Habes enim sat scio cum tua voluntate concurrentem poentiam, vt quæ sis mater altissimi. & propterea audeo. Ne ergo priuer mea expectatione ô Domina intemerata. quę vniuersorum expectationem supra rationem peperit. Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum & Dominum & Regē vniuersæ creatę naturę. Quem decet oīs gloria honor & adoratio, cum patre principio carente, & sanctissimo & viuifico spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

5 *Qūi fide & desiderio hoc uenerandum tuum festū peragūt.*

SANCTI PATRIS NOSTRI

Georgij Archiepiscopi Nicomediæ oratio de exitu sanctissimæ Dominæ nostræ Dei parentis, quando fuit oblata in templo.

PVLCHRA nobis principia argumenti dicendi ostēdit hic dies 6 festus. parauit pulchras conscensionum semitas: iecit pulchra fundamenta ascensionum, nunc erigens ad se orationem. Quamobrem eam tollens sublimem, gratia euehit ad encomiorum altitudinem. & gradus mutans gradibus, laudem transfert à gloria in gloriam. Sed quoniam fieri non potest vt ea simul cum rebus extollatur, è terreno profundo parum enatans, exiliter erigitur ad argumenti altitudinem. Age ergo nos quoque cum ea laborantes, corporis onere deposito mentis penna simul ad festum extollamur. & intra adyta progredi festinantem castissimam virginem, prompto & alacri animo consequamur: & nos ab externo errore colligentes, orationis vestibula deinceps conscendamus. Neque enim pratorum pulchritudo adeò facit vt ij qui extra obeunt ea cupiant ingredi, vt odoratus ortus encomiorum virginis ingressum reddit iucundū volentibus Etenim est hoc pratum & pratorum maxime odoriferum & varium, & incorruptione coronans eos qui decerpunt. non vernis comatum floribus, qui speciei habent delectationem quę facile marcescit. sed emittens gratię bonum odorem, perfundit sensum: & mentem apud se lōge suauissima demulcet auditione. Nam in illis quidem sensus quoque capiens satietatem, non similiter delectatur iis qui apparent postea. In his autem, eorum quidem qui præcesserunt manet odor: eorum autem qui succedunt accedit maius desiderium. Malum quidem spectaculum vna cum tempore marcescentem habet pulchritudinem Hic autem decur perpetuam fert animæ delectationem. & quomodo qui vestibula regia forte sunt ingressi, ex externis coniectāt internam posituram, quæ sensu non iudicarunt mente coniectant excellentia, idem etiam ostenditur accidere in vestibulis encomiorum. Atque in omnibus quidem, vt arbitror, non minimum autem in his quoque, vt arbitror. Nam in altitudinem quidem elata sunt procœmia: præclarus vero argumenti ornatus ex his apparet intrinsecus, plurima habens incremēta gloria & pulchritudine

6 *Et hic habes festum diem præsentationis Virginis.*

insignia. Est ergo nobis propositũ, ad ingressum parum attollere oculos, & qui latet quoad eius fieri potest intueri decorem, etiamsi fieri non potest vt contemplemur vniuersam eius elegantiam. Age verò oratione procedamus interius, ductricem habentes ipsam Reginam.

Sed video nunc hanc concionem luce infinita coruscare: & mente illuminor. & mihi venit in mentem exilire. & ea quæ nunc peragũtur magna esse visione apprehendo. & angelos simul choreas agentes mente cogito, & omnia noua & aliena & digna pulchro cœli ornatu. Hinc mihi videtur eius quæ laudatur, gratia in medium procedere, & vniuersum cœtum implere lætitia, affatim dona tribuens. Quamobrem spem eorum attendentes omnes simul ingrediamur, vnusquisque reddens id quod debetur. Qui dicit, sermonem. qui prudenter audit, auditionem. qui ministrat, adimpletionem: & omnia quorũ debiti exolutio, ad ingressum adhortatur. Præcedant ergo sermones, quæ deinceps sequuntur ad se congregantes. Atque iam quidem ij qui virginem pepererant, ad templi eam fores adducebant, angelis eam circuncirca stipantibus, & supermundanis virtutibus omnibus simul collætãtibus. Nam etsi ignorabant arcanum modũ mysterij, vt serui tamen, iussu Domini, seruiebant eius processui. Et primũ quidem considerabant videntes, vt qui sint naturæ intelligentes, eam esse pretiosum vas virtutum, & ferre signa incorruptæ puritatis: & habere corpus procul remotũ à vitiorum colluuie. Deinde autem iussui parentes munus implebant. Tunc lampades luminis ingressum lætificabant: & omnia quæ templo continebantur, conuertebantur ad lætitiam, ipsis, vt puto, inanimatis, simul cum angelis lætantibus. Quamobrem mihi quoque licet cum eis choros ducere: & tanquam tunc præsenti venit in mentem in vocem erumpere quæ dicitur apte & conuenienter.

Dilata atria ad excipiendam latiorem quę sub aspectum cadere & nõ cadere conspecta est creatam naturam. in qua comprehensus qui comprehendi non potest, vitij latitudinem redegit in angustissimum. Accende lampadem luminis, & ingressum lætifica. Facem tanquam signum aliquod tolle sublimem: & ad te dirige orbem terræ. vt lucidam intueatur nebulam: & radiorum eius fiat particeps. vt ex ea videat statentem fontẽ luminis. Pande portas tuas & introduc portam quæ percipitur intelligentia. per quam cum solum transiisset Dei verbum, obsignatam conseruauit sicut nouit. Nam etsi accepit portæ appellationem, virgo tamen vsum conseruauit. & impleuit quidem rei ministerium: incorruptionis tamen non soluit signacula. Sustine velum, vt intra id ingrediatur verbi velum animatum, quod in se celauit diuinitatem, & eius igne non fuit cõbusta essentia materialis. Accipe quod fuit in spiritu inauratum candelabrum, lucerna cuius fines illuminat. per quam accenderunt septem dona spiritus & mundum terrenum illuminarunt. Accipe mensam quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus, ambrosia pauit eos qui illius fuerunt participes. ex qua crateres sapientię imperturbatum & purissimũ effundunt poculum cognitionis. Orna sancta sanctorum, & sanctissimum excipe tabernaculum quod est capax essentię immaterialis. quod nostrum quod ceciderat excitauit tabernaculum. quod Parentis nostri Dauid tabernaculum quod fuerat ablatum rursus erexit. per quod membra quæ fuerant dissoluta nostra transgressione, fuerunt redacta ad suam integritatem.

tem. Accipe aureum thuribulum, in quo verbum quod carnem assumpsit, bono odore impleuit orbem terræ: in quo combusta fuerunt crimina inobedientię. per quod liberatur aërà molestia inquinamentorum. per quod bonus odor spiritus spirauit in homines.

Introduc arcam sanctificationis, quæ intus accepit eum qui dedit legē quæ portauit mannam cœlestem. quæ à diluuio peccati seruauit nostram naturam, & per partum liberauit orbem terræ ab interitu. Noui testamēti thesaurum. Vrnam inclitam ac gloriosam. Tabulas à Deo impressas characteribus in quibus inscriptum Dei verbum supra rationem, legalis litteræ difficultatem traduxit ad leuitatem spiritus. Capę virgam Sacerdotalem quæ absque irrigatione produxit florem qui non marcescit, nēpe Dominum. Sanctam terram & desiderabilem, ex qua orta est veritas & iustitia. in qua operculo tecti pedes prohibentur progredi. ratiocinatio inquam, quæ dubitatione operitur & incredulitate. Vmbrosum montem in quo verbo placuit habitare. in quo cū recubuisset natura, declinauit peccati exustionem. ex quo sine manibus deuolutus lapis angularis, inimici contriuit imaginem & redegit in puluerem. Accipe oleam frugiferam per quam scaturiit oleum exhilarās & pinguefecit creaturam. Thronum gloriosum. regnū vehiculum, quo vectum verbum cum carne aduenit. Sāctam Sion quam elegit Opifex. quam verbo prouidentiæ parauit antę secula. in qua in carne est genitus. ex qua progressus vires cōtriuit impiorum. Apprehende lectum Solomonis, quem in orbem circunsistunt sexaginta potentes. nempe diuinitus inspiratæ scripturæ veræ prophetię, quę per ea quæ significarunt, suo testimonio comprobant Deum esse ex ea pariendum. in quo verbum cum cecidisset, cum carne exurrexit: & inimici tyrannicam valide afflixit potentiam. Eam forceps expresit propheticus qui carbonem ferebat & labra expurgabat. Quæ Seraphice custodiebatur, & per spiritum sanctum prædicabatur. Eam indicauit liber obsignatus, quem nullus legit sciens litterarum preter eum qui obsignauit & seruauit supra rationem. Eam charta significauit purissima in qua verbum sine scriptis impressum, scidit fraudis chirographum.

Hæc est quæ à dexteris Dei adsistit Regina. quæ prope est pulchritudine & splendore. quæ est speciosa natura, & nullam suscipit maculam libero suo arbitrio. Quæ ascendit ex libano virginitatis & mundum perfundit vnguento. ex qua dulcedo diffluens, veterem amatorem ligni dulcē reddidit. cuius supra mel labra extiterunt dulcia: & è lingua eius tanquam è fonte manauit lætitia. Cuius vestes vnguento delibutæ bonum odorē emiserunt supra omnia terræ aromata. Hanc introduc tanquam sponsam, cuius pulchritudo est, incomparabilis & gloria ineffabilis. cuius lux oculorum solis superauit radios. Ortum conclusum, quem peccati cogitationes non possunt intrare. in quo diuina planta, quæ citra Agricolæ culturā germinauit, ligni maledictum quod prius in vita mirandum in modum crescebat. exiccauit radicitus: & eius loco effecit vt floreret benedictio. Fontem reuera signatum, ex quo manant fluenta purissima & irrigant orbem terræ. In quo limi qui conturbabat non sunt deprehensę reliquię. ex quo procedens fluuius gratiarum circuit vniuersam quæ est sub sole regionem. Suscipe quæ per aërem ingreditur nubem. in qua sedens qui ingreditur super nubes cœlestes, destruxit simulachra quæ colebantur ab

Ægyptiis. Introduc Dei ciuitatem animatam, quæ eius impulsu lætatur in æternum. Sanctificatum tabernaculum. domum gloriosam. templum quod non potest dissolui. Cuius tu fuisti & figura & signum, expectans vt ea fieret manifesta, eam tu iam tenes. eam introduc & cede tanquam potentiori.

Hucusque siste signa. fac vt cessent cõsueta ænigmata. Quousque vmbram attendis? Quousque in littera gloriaris? Ecce gratiæ radij illuxerunt. Ecce signa litteræ in spiritum sunt transmutata. Es defessum figuris inseruiens. ecce accedit qui noua facit. Transi ergo à lege quæ conseruit ad verbi gratiam quæ est noua. Cur in somniis perseueras, cum eam accipias quæ euentum conciliat? Cur sacrificiorum sanguine aspergeris & eorum nidore suffumigaris, cum qui iussit ea non admittat. Sacrificium enim, ait verbum Patri, & oblationem noluisti. corpus autẽ perfecisti mihi. Venit qui proprio suo sanguine ea facit cessare: & naturam non à carnis inquinamentis sed à peccato repurgat. In foribus redemptio. in portis tuis est prædicatio. Hanc ad te præmisit quæ præcedit mysterium. Ipsa eorum quę tibi sunt verbis significata in se affert euenta. Esaias significauit dicẽs,
" Ecce virgo in vtero concipiet & pariet filium: & vocabunt nomen eius
" Emmanuel. Hanc Ezechiel nominauit Dei portam. Hanc Dauid arcam sanctificationis. Hanc Mosi prius descripsit rubus qui ardebat in monte & non comburebatur. Hãc cum gaudio excipe. prompto & alacri animo accurre. adora eam vt quæ sit superior omni re creata tam quæ sub aspectum cadit quàm quæ non cadit. amplectere purissimum habitaculum. immaculatum introduc tabernaculum. & cæde inquinatum educ cœtum Iudæorum. In eos valde clamant responsa Prophetarum: aperte vociferatur sanguis. Cur tabo & sanie inquinamentorum ipsorum pollueris? Cur iniquitatibus eorum macularis? Cur eorum profanam tegis arrogantiam: & iram Creatoris accendis vehementius? Siste hucusque iram vltoris. ne vlterius accendas eius qui te finxit furorem etenim quo maior congregatur multitudo peccatorum, eo maior existit vltionum redditio, imo vero iis quæ admissa sunt grauior, quandoquidem fert ad immortale supplicium. Hæc tibi iubet vt cesses. Hęc venit vt te excipiat. Hęc te maiorem accepit gloriam. etenim rerum finis ei obtigit. Quorum enim figuras ostendebas, eorum ipsa ostendit euentum. Quantum vmbra est minor corpore, & ęnigma veritate, & sermo re, & imago causa, tu ab eius splendore tantum differs. Nam tu quidem ab vna propria gente cultum accipis: ipsa autem ab omni creata natura insigniter honoratur. Et tu quidem quę Dei habes quę intermittitur adumbrationem, nõ multo post ea dimissa dissolueris. Hæc autem quæ essentiali habitatione verbi eam accepit, permanet in æternum minime dissoluenda nunquam nudata hac gloria. Hinc ergo excede cedens melioribus. Neque enim vt illic maneas tibi erit reliquum etiamsi velis, cum sint tibi causæ ministræ aduentus.

Hæc à me ad templum dicta sunt satis conuenienter, vt qui hæc persuasum habeã ex iis quę nunc cernuntur. quæ quidem existimo admittere eos qui audiunt citra examinationem, examinationis loco res ipsa probantes. Postquam autem fuit introductum eius spatium quod est vel cœlis ipsis latius, signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri consueuerunt eam statim viderunt: gloriam quidem sua sponte ad eã currere:

Spatiũ. χωρίον. significat autem spatium & secũdinam.

se autem ea in dies priuari animaduerterunt. Tunc vero qui munus Sacerdotale obibat Zacharias, dono prophetico inspiratus, virginis quidem aduentu est lætatus. considerabat autem eius quoque animæ immensam pulchritudinem quæ latebat in muliebri habitu. animaduertebat vero intemeratam ferre noua & aliena naturæ signa etiamsi ea erat vt vnusquisque prędita. Nam erant quidem mores ei incomparabiles: & erat eius vitæ agendæ ratio composita virtutibus. Quamobrem in dies procedente ætate crescebant in ea dona spiritus. & versabatur cum angelis: nec erat diuinarum expers apparitionum. Cum ea vt solebat versante in adytis vidit Zacharias quendam sermocinantem qui erat inusitata specie, & ei prebentem alimentum. erat autem qui apparebat angelus. Quamobrem mente à se discedebat, & hæc apud se cogitabat.

Quid hoc est quod videtur? Nouum plane & ab ea quæ hic est alienũ consuetudine. est angelicus qui cernitur habitus, & alloquitur adolescentulam. Forma incorporeus affert nutrimentum tãquam corporibus conueniens. & essentia materiæ expers tradit mulieri canistrum qui videtur materialis. Angelorum huc aduentus solent esse ad solos Sacerdotes, vt vel hortentur vel dehortentur ab iis quæ sunt agenda. Neque verò sæpe apparent. Ad mulierem autem omnino insolitus est eius qui nunc cernitur aduectus. idq́ue cum ea sit tenera ætate & iuuenis. Atque si ea quidem esset ex iis quæ sunt coniunctæ matrimonio: & morbo sterilitatis à liberorum exclusa esset procreatione: & precibus cõtendisset vt sibi daretur proles, & in hoc immorata esset eius oratio, eius quod cernitur coniici posset dissolutio. Id autem Annę semel accidit. nostris vero temporibus nõ semper ostenditur. Nunc autem ab eis quidem liber est aduentus virginis. est vero assiduus eius qui apparet aduentus. Propterea maior mihi concurrit admiratio & metus. occultæ autem insident dubitationes quidnam hoc fuerit, quid significaturus venerit angelus. quodnam sit quod affertur nutrimentum. ex quonam penario sit hoc exprõptum. quisnam sit qui hoc parauit. quænã manus hunc panem fecit. Angelorum non est parare quod conueniat corporis necessitatibus. Nam etsi plurimi per eos sunt nutriti, apti tamen nutrimentum prępararunt: & per corpus incorporei conseruis inseruierunt. Nam qui Danieli inseruiit angelus, poterat eius qui iubebat virtute, non per alium sed per se quod iubebatur implere. Sed Abbacum accepit intermedium, ne mores alieni, & spectaculum nimis magnum, & ab angelis paratum quod non consueuit alimentum, terreret eum qui alebatur. Porrò autem coruus quoque qui inseruiebat Eliæ, non per se didicit locum, sed per angelum. Quam autem afferebat predam non aliunde, vt arbitror. afferebat quàm ex diuitibus penariis. non quod nõ posset is qui iubebat ex tempore effectum præbere nutrimentum. Quomodo enim cuius verbo producta sunt omnia? sed vsui conueniens pręberet ministerium. Et illic quidem sic fuit dispensatum. hic autem nullo intermedio accedit angelus ad virginem. resq́ue est arcana & quam non potest assequi ratio. Adolescẽtula talia dona est assecuta, vt incorporei cedant eius ministerio.

Quam sunt hęc dona insignia? Quidnam fecit virgo quo hęc mereretur? Quòd puritate quidem superauit omnes quę antea fuerunt generationes. Scio vt cui sit hoc mihi rebus ipsis persuasum, vt qui mores apertũ acceperim indicium & postremo rem ipsam. Sed vt tanta bona consequa-

tur quęnam fuerit causa? Fortasse cernetur virgo beneficiorum magnorum conciliatrix, per quę Deum ad se attrahit. Num responsa Prophetarũ in ea implebuntur? Num eorum quę sperantur finis in ea eueniet? Num qui est venturus ad generis correctionem, ex ea nostram accipiet naturã? etenim hoc fuit prius prædicatum mysterium. & verbum quærit eam quæ sit ei inseruitura. Num non alia fuit prius electa ad eius ministerium, præter eam quæ cernitur adolescentulam? Immensam enim quæ in ea latet mente cogito castitatis pulchritudinem. & eius quæ est in occulto in apertum prolationem, in eam ostendit Dei beneuolentia. Quàm beata est domus Israël, ex qua tale germẽ pullulauit? Quàm beata est radix Iesse, ex qua vegeta hæc virga orta est, quæ mundo salutis florem est productura. Quàm est gloriosa memoria eorum qui genuerũt, & vltra oẽm beatitudinem? Quàm sum ergo glorificatus, qui fruor talibus spectaculis & donis, & talem virginem orno in sponsam? Agam tibi in ęternum gratias ò templum Domini. ꝗ propter tuum ministerium, non excidi ab iis quæ ab omnibus iustis desiderantur. Ego sum hodie magnificatus super omnes Sacerdotes. Hodie sum glorificatus super omnes Prophetas. ea enim in quibus illi in vmbris initiati fuere mysteriis, eorum ego esse vera video principia. Verisimile est enim hæc cogitasse Zachariam, vt qui aliena & naturam superantia consideraret quæ virginitatis sunt admirabilia. Ita enim fuerunt reuera.

Ò proœmia miranda. Ò signa insignia. Ò augmentum corporis accipiens summum gratiæ incrementum. Ò puram illam & clarissimam animam quæ in florenti corpore ostendit dotes quæ naturam superant. quæ eius imperfectione non fuit prohibita à virtutis perfectione. cuius cũ Deo coniunctio iuuenili ętate non fuit retardata. Quis vidit, Quis audiuit talem ascensum corporis, quod in sanctis habitat, & stipatur ab angelis, & alimentum accipit ambrosiam? Nam animæ quidem incorporei cõmunione, etiamsi ad summam peruenerint impatibilitatem, vix frui potuerint angelico nutrimento. etiamsi cibum Angelorum rationem quæ falli & errare non potest scriptura tacite significet. Hic autem manus corporeæ admirabile quod conspectum fuit alimentum accipiunt: & per ipsum immaculata anima impletur donis. Ò summã puritatem. Ò ascensum ætatis quales scalas honestatis statuit ad cœlestium altitudinem per quas verbum descensu nouo ad nos descendit. per quas quod inferius erat situm terrenum naturæ tabernaculum, ascendit ad cœlos.

Tu autem ò homo, admirabilem & nouam in templo viuendi rationem audiens virginis, noli de eo dubitare. Noli examinare ratione ea quæ capere non potest cogitatio. Ne subiice comparationi ea quæ sunt incomparabilia. Vides inauditam naturæ inuocationem: & de his dubitas? Vides ipsum Dei verbum modo ineffabili habitasse in eius vtero: & cõtendens fuerit ne alimentum materiale an expers materię? Vides paterno consilio spiritus in ea adumbrationem: & de ministerio Angelorum dubitas? Nihil est dubium ex iis quæ sunt castissimæ virginis. ex eius magnalibus nihil est quod non sit conueniens. Omnia à veritate ipsa sunt confirmata. Oportebat enim diuinum tabernaculum augeri talibus ascẽsionibus. Oportebat agnam immaculatam tali excipi conuiuio: talibus cibis exatiari. Oportebat non in sanctis sanctorum tabernaculi, sed in ipso

cœlo

cœlo cœli in prima ætate educari eam quæ his conſpecta eſt latior, & puritate antecelluit. Oportebat non vnum ſolũ ei ſeruire angelum, ſed decies mille millia eam ſtipare. Etenim quem illi minime poſſunt videre, ipſa mirandum in modum in vtero continuit. Eum qui lucem induit tanquam veſtem in ſuo ſinu comprehendit. Eum qui pugillo continet vniuerſa, virũ factum in vlnis continuit. Quis hæc cogitans, non de ſua natura magna apprehenderit? Quid non propter hæc mente erectus fuerit ad altitudinẽ: & ſe exiſtimarit omnibus eſſe ſuperiorem? Quis non propter hæc magnos ſumpſerit ſpiritus, & ſupra ſuam aſſurrexerit humilitatem? Res eſt enim ingentis magnitudinis & quæ omnem ſuperat magnificentiam. Conſidera enim ad quantam altitudinem res noſtræ ſunt euectæ, quæ humilitati proportione reſpondentem acceperunt aſcenſionem. Cecideramus tranſgreſsione: effecti fueramus indigni prouidentia eius qui nos formauerat, nihil inuenientes quod poſſemus errorem excuſare. Corruerat ergo natura: opus habebat eo qui eſſet erecturus. Eum eſt aſſecuta non per aliũ, ſed per eum ipſum qui eſt fabricatus. Erectio autem fuit noua & admirabilis. non iuſſu, quomodo olim in creatione, ſed diſpenſatione conuenienter ſuæ benignitati. Non erigendi munus tradidit angelis, ſed ſui ſubmittendi ſibi ipſi commiſit partes. Neque verò ſolum erexit, ſed etiam aſſumpſit & quod fuerat aſſumptum in ſede paterna collocauit.

Quid ad hanc magnam & ineffabilẽ cogitabo benignitatem? Quibus verbis infinitam laudabo ſubmiſsionem? Quibus laudibus celebrabo virginem per quam hæc acta ſunt. per quam lapſus facta eſt reparatio. Quis honor exhiberi potuerit puritati eius ex æquo reſpondens: cuius amore captus Opifex, ex ea ſuum conſtruxit tabernaculũ, in quo minime recuſauit habitare: in quo paterna voluntas eſt impleta? Quęnam gloria ei poterit tribui pro meritis, cuius ſuperiorem gloriam præter ſe oſtendet Creator. O domum quod nullo poteſt honore vt par eſt affici. O pulcherrima pulchritudo omniũ pulchritudinum. O Dei genitrix pulchrorum omnium ſummum ornamentum. Tu caſum veteris noſtræ nobilitatis erexiſti partu tuo qui eſt ſupra rationem. Tu primæ imaginis obſcuratam ſpeciem reſtituiſti in ſuam pulchritudinem. Tu primæ parentis dolores in pariundo ſuſceptos, tuo partu in gaudium conuertiſti. Per te paradiſum pure ſumus conſecuti. Per te generis colonia ad propriã rediit manſionem Per te receſsit rhomphæa verſatilis. Per te quæ erant clauſæ deliciarum portæ fuerunt aperte. Per te ſpes Prophetarum ad effectum ſunt deductæ. In te finem acceperunt quæ ab eis dicta ſunt. Per te noſtrę reſurrectionis certa ſigna tenemus. Per te nos regnum cœlorum ſperamus eſſe aſſecuturos. Te noſtræ ſalutis habemus adiutorem. Te noſtri auxilij habemus defenſorem. Te proponimus cuius ore noſtra dicatur excuſatio. Te noſtræ fiducię circunferimus gloriationem. Te Chriſtianorum multitudo murum habemus firmiſsimum. Te fideles Reges arma habent valida. Per te bellorum frangunt audaces impetus. Per te conſequuntur trophęa victorię. Tu ò Dei genitrix ne deſpicias preces eorum qui ſemper petunt. Prębe manum laborantibus. opem fer eis qui agitantur tempeſtatibus. ſeda bellorum fluctus. fac in auras euaneſcant ſpiritus eorum qui inceſſunt iniuriis. Da petitioni conuenientem, potes enim euentum. Habes vt mater in filium quę recuſari non poteſt fiduciam. Habes vires inſuperabiles:

robur inexpugnabile. Ne immensam tuam clementiam superet multitudo peccatorum. Ne absurda facta retardent tuam quæ verbis exprimi non potest misericordiam. Nam quæcũque fuerit multitudo eorum quę ignorantur, ea facilem accipit solutionem si tu solum volueris. Nihil tuæ re-

7 sistit 7 potentiæ. nihil repugnat tuis viribus. omnia cedunt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio. Omnia tuę potestati seruiũt. Te omnibus suis operibus reddidit excelliorem qui est ex te natus. & per ea quæ in te facit admirabiliter & præter opinionem ita esse confirmauit. Ea potes cõsequi citra laborem. De iis absque vllo intercessore compella Creatorem Delectatur petitione. gaudet se rogari. non resistit quominus impleantur. Tuam enim gloriam existimat esse propriam. & tãquam filius ea exultans quasi exoluens debitum implet petitiones.

Vide sanctæ Dei genitricis præconia, & admirabilẽ eius potentiam.

Itaque ergo quoque o Domina fretus tua quę exprimi non potest potentia & benignitate, ex egenis labris fructum tibi obtuli, indignum quidẽ qui offeratur, optimam autem indicat meam voluntatem. Neque enim meæ solum vires non assequuntur quod desiderant: sed magnorum etiam virorum expectationibus ad ipsum accidit vt id non assequantur. Accipe ergo non attendens opera, sed admittens promptum animi studium. Accipies autem sat scio vt quæ sis amans bonorum, reddens pretium pro peccatis: & regno cœlorum dignans: propitiumq́ reddens patrem filium & spiritum sanctum, vnam diuinitatem & regnum, ineffabilem potentiam & dominationem. Quam decet gloria honor & adoratio, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

VITA ET MARTYRIVM SANCTÆ *& gloriosæ Christi Martyris Cæciliæ & qui cum ipsa erant sanctorum, Valeriani. Tiburtij, & Maximi.*

Nouemb. 22.

SERVATORIS nostri & Dei ẽ cœlis descensus, conciliauit magna bona generi hominum. Nãm cum esset Deus ex Deo, & esset in forma Dei qui ipsum genuit impatibiliter, non rapinam arbitratus est se esse Deo æqualem: sed seipsum exinaniuit serui formam accipiẽs, in similitudine hominum factus. & habitu inuentus vt homo. humiliauit seipsum factus obediẽs vsque ad mortem, mortem autẽ crucis. vt eum deleret qui mortis habebat imperium, hoc est Diabolum: & omnem manu ducens humanitatem eueheret ad cœlos per pretiosam & diuinam suam doctrinã. Primi itaque omnium eum secuti sunt sancti Apostoli. post Apostolos, Martyres. post Martyres. confessores, Post confessores, Sacerdotes. post Sacerdotes, virgines. Post virgines, viduæ. post viduas, misericordes. & vt semel dicam, omnibus accedẽtibus aperta fuit Christi medicinæ officina. Propterea quotidie clamat per sanctos suos Euangelistas. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Huius venerandam & suauissimam vocem cum audiisset etiam Cæcilia clarissima virgo & gloriosa, & in eum credidisset, absconsum Christi

Euangelium semper circunferebat in pectore. & nec noctu nec interdiu intermittebat diuina legere eloquia & Deum orare. Hæc ergo beata Cæcilia Valerianum quendã habebat iuuenem Spõsum, qui quidem iuuenis accensus amore virginis, diem statuerat nuptiarum. Cæcilia autẽ in carne induta cilicio, extrinsecus aureis induta erat vestibus. Nam cum Parentes & Sponsus eius hęc vellent, ipsa corpore adeò erat eliquata, vt non posset celare cordis sui desiderium. & ꝙ solius Christi Seruatoris capta erat amore, significabat proprie ænigmatibus. Non multo post autem venit dies in quo paratus erat thalamus: & cum esset symphonia instrumentorum, illa in corde suo soli Deo psallebat, dicens. Fiat Domine cor meum & corpus meum immaculatum in tuis iustificationibus, vt non pudore afficiar. Manens autem ieiuna 1 duos aut tres dies à cibo abstinuit ieiunans autem & orans, seipsam commendabat Domino, precibus angelos Domini 2 inuocabat. Lachrimis precabatur Apostolos: & orabat omnes sanctas Christi ancillas, vt eam confirmarent suis supplicationibus, castitatem suam commendans Domino.

1 *Ecce biduana & triduana ieiunia.*

2 *Ecce & sanctorum inuocatio cum lachrymis.*

Postq̃ aũt hæc facta sunt, nox venit. in qua cũm suo sponso in separato cubiculo quietem nacta & silentium, sic eum est allocuta. Dulcissime & charissime adolescẽs est mihi arcanum quod tibi aperiam si tu iureiurando mihi affirmaueris te omnia celaturum. Ei autem iurauit eius spõsus Valerianus, se id quod dicebatur nullis omnino insidiis proditurum, neque id esse aperturum quacunque cogeretur necessitate. Tunc illa respondit dicens. Volo te scire me angelum Dei habere amicum. qui summo zelo corpus meum custodit. Is si vel minimum fuerit suspicatus ꝙ tu incesto me amore polluas, iram suam protinus in te accendent: & elegantis tuæ iuuentutis florem perdet. Si autem cognouerit ꝙ tu simplici & immaculato mei amore teneatis: & virginitatem meam integram & impollutam custodias, te sicut me diliget, & ostendet tibi suam gratiam. Tunc Valerianus Dei nutu timore affectus dicit. Si vis ò charissima vt credam iis quæ dicis, ostende mihi ipsum angelum. & si intellexero eum esse vere angelum, faciam quæ hortaris. Si autem alium virum amas, & te & illum ense occidam. Tunc dicit ei beata Cæcilia. Si vis meis parere consiliis ò charissime adolescens, & polliceris te esse expiaturum æterno lauacro regenerationis, & credis in vnum verum Deum qui viuit in cœlis, potes eum contẽplari Dicit ei Valerianus, Et quis est qui me expiabit vt ego videam angelum? Respondit Cæcilia & dixit. Est senex in quodam loco qui pulchre scit purgare homines, vt efficiantur digni qui intueantur angelos. Dixit ei Valerianus. Et vbi quærã ego eum senem? Respondit Cæcilia. Vade ad tertium lapidem à ciuitate via quæ dicitur Appia. ibi inuenies pauperes qui victum petunt à transeuntibus. ab iis enim sum curata qui quidem sunt huius mei arcani participes. Eos tu quando videris, dabis ei meam benedictionem, dicens. Cæcilia me misit ad vos, vt ostendatis mihi sanctum senem Vrbanum. quoniam ad ipsum habeo secreta ab ea responsa, quæ ei reddam. Eum quando videris, narra quęcunque tibi dixi. & quando te lustrauerit, induet te indumentis nouis & splendidis. cũ quibus illico veniens in hoc cubiculum, videbis sanctum angelum qui tuus euadet amicus. & quæcunque petes ab ipso inuenies.

Tunc profectus est Valerianus. & conuenienter signis quæ accepit ab

ipsa sancta Cæcilia, inuenit sanctum Vrbanum Episcopum. qui cum secundo fuisset confessor, latebat occultus in sanctorum Martyrum monimentis. Cui quidem postquam dixit omnia quæ dixerat Cęcilia, magno gaudio est affectus: & 3 genibus humi flexis, & manibus in cœlum extensis, dixit cum lachrymis. Domine Iesu Christe, pastor sancte & bone, Cęcilia tua ancilla, tanq̃ multis laboribus exercita agna, tibi est dedicata. quãdoquidem sponsum suum qui perinde ac leo cohiberi non poterat accepit, & erga te tanq̃ agnum reddidit mansuetissimum. Is enim nisi credidisset, ad nos nõ venisset. Aperi Domine ostium cordis eius verbis tuis, vt cum te cognouerit esse eius effectorem & Dominum, renunciet Diabolo & operibus eius & dolis eius. Hæc & his similia orante S. Vrbano Episcopo, senex ante eum repente apparuit, indutus candidis vestimentis sicut mix. tenens in manibus tabellam aureis inscriptam litteris. Quem cum vidisset Valerianus, stupefactus & cadens in terram, factus est tanquam mortuus. Tunc senex eum erexit, dicens. Lege ò fili contextum huius libri, vt dignus habearis qui purgeris & videas Angelum. cuius conspectum tibi virgo Cęcilia cum prompto animi studio est pollicita. Tũc Valerianus defixis oculis, cepit in eo legere. Erat autem hæc scriptura quę erat in tabella. Vnus Deus. vna fides. vnum baptisma. Vnus Deus & pater omnium, Qui est super omnia & in omnibus. Amen.

3 Orat sanctus genibus humi flexis, & manibus in cœlum extensis.

Postquam ergo hæc apud se legit, dixit ei Sacerdos. Credis fili hęc ita esse, an adhuc dubitas? Tunc Valerianus clamauit magna voce. Non est re uera aliud sub cœlo cui credi possit. Postquam ergo hęc dixit Valerianus, ille senex ex eius oculis euanuit. Tunc S. Vrbanus cum eum admonuisset, & 4 catechismo instituisset, baptizauit eum in nomine patris & filij & spiritus sancti. & cum eum docuisset omnem regulam fidei, dimisit ad Cęciliam ei factis optime fundamentis. Cum autem venisset Valerianus in indumentis candidis, inuenit Cęciliam orãtem in cubiculo, & Angelum Domini stantem prope eam, fulgentem pennis flammeis, & scintillanti specie, duas coronas habentem in manibus refulgentes, rosisq; & liliis splendentes. Quarum vnam quidem dedit Cęciliæ. alteram vero Valeriano, dicens. Has coronas corde immaculato & puro corpore custodite. eas enim ex paradiso Dei ad vos attuli. Hoc autem erit vobis signum. Nunquam marcescent à vobis: neque vnquam amittent suauitatem odoris. neque vnquam poterunt ab aliis aspici nisi ab illis quibus sic placebit castitas, quomodo probatum est eam vobis placere. Et qm̃ tu ò Valeriane assensus es consilio castitatis, me ad te misit Dominus Iesus Christus, vt eam accipias quam voles petitionem. Ille autem cum audiisset, adorauit & dixit. Nihil mihi est in hac vita dulcius, q̃ charissimi & vnici fratris præsentia. Quamobrem merito arguar impietatis, si me liberato ab errore simulachrorum, fratrem meum maiorem despexero in periculo interitus. Hanc vnam ex omnibus propono petitionem & supplex contendo, vt fratrem meum Tiburtium, sicut me, dignetur liberare: & faciat nos ambos perfectos in confessione eius nominis. Cum hæc autem audiisset Angelus, lęto vultu ei dixit. Quandoquidem à Christo petiisti, quod est honestius, is Deum sicut tu colet. Q̃o enim te per ancillam Cęciliam lucrifecit Dominus, ita per te fratrem quoque tuum lucrifaciet: & cum ipso venies ad certamen martyrij.

4 Habes hic catechismum ante baptismum, & quomodo recenter baptizati noua ueste induebãtur.

His

His ergo finitis sermonibus, forma visionis angelicæ assumpta est in cœlos. illisq; in Christo lętantibus, & in ędificatione sancta loquentibus, accessit Tiburtius frater Valeriani. & ingressus tanq̃ suam sponsam, osculatus est caput S. Cęciliæ, & dixit. Valde miror, hoc tempore hic rosas & lilia olfaciens. Nam si ipsas rosas & lilia tenerem in manibus, ne sic quidem mihi possent præbere tam suauem odorem. Fateor vobis ò charissimi. ita ego ad me redij, vt putem me totum repente esse renouatum. Dicit ei Valerianus. Bonum odorem accepisti ò frater, cùm ego rogarim eum vt acciperes. Te autem iam credente, accipies etiam amarantinam coronam incorruptionis, & lætari in ipsa rosea specie: & mente eum percipere, cuius in rosis sanguis floret, & in liliis cuius corpus dealbat & anima. Habemus enim coronas, quas tui oculi non possunt percipere, igne rosę rubare & niuis candore refulgentes. Dicit ei Tiburtius. In somnis ne hæc audio: an veritate hæ dicis ò frater Valerianæ? Respondit Valerianus. In somnis huc vsque viximus ò frater charissime. Nam iam Dei gratia & voluntate, sumus in omni veritate, & non est in nobis mendacium. Dij enim quos huc vsque coluimus, re uera sunt mali Dęmones & immundi. Dicit ei Tiburtius. Quomodo hoc cognouisti ò frater? Rñdit Valerianus. Angelus Dei me docuit. quem tu quoque poteris intueri, si fueris mundus ab omnibus sordibus idolorum. Dicit ei Tiburtius Si fieri potest vt ego quoque Angelum Dei intuear, quęnam est mora purificationis. Respondit Valerianus. Nulla. hoc autem solum mihi pollicere, ꝙ omnia execranda & abominanda simulachra abnegans, credis vnum esse Deum in cœlis? Dicit Tiburtius. Non intelligo quonam scopo hæc mihi proponis.

Dicit S. Cæcilia. Vt intelligas esse formas testaceas & gypseas & ligneas & ęneas & cuiusuis metalli: & non dicas eos esse Deos, in quibus viuunt araneæ & volucres stercora egerunt, in quorum capitibus solent nidificare Ciconiæ. quos faciunt condemnati, quando damnati propter maleficia mittuntur in metallum. Cum ergo initium accipiant ex condẽnatis, quomodo existimari possunt aut credi Dij? Inter mortuos enim & simulachra nulla est differentia. Quomodo enim mortuus habet quidem omnia membra: spiritum autem & vocem non potest habere nec sensum, ita etiam hæc vana simulachra, Deorum quidem habent nomina, cognoscuntur autem esse infelicia, malaq; & terrestria. Quæ quidẽ ostenduntur esse homines mortui, quoniam sunt eis etiam membra sicut hominum. Quãdiu enim vixerunt, oculis aspexerunt, & auribus audiuerunt: & pedibus ambularunt: & ore locuti sunt: & manibus palpauerunt: & naribus olfecerunt. cœperunt tamen à morte: & in mortem æternam permanent. ꝙ ostendantur nunquam vixisse vel potuisse viuere. Tunc dixit Tiburtius cum omni compunctione. Qui si sic non credit, est brutum, & non venit in iudicium. Quamobrem ego quoq; dico cum omni veritate, non esse alium Deum nisi Deum Christianorum: & me deinceps eum solum colere & adorare. Hęc cum diceret Tiburtius, sancta Cęcilia deosculata est eius pectus & dixit. Re uera hodie confiteor te esse plane meum fratrem. Quomodo enim Dei amor tuum fratrem fecit esse meum coniugem: ita etiam simulachrorum contemptio fecit te meum esse fratrem. Quamobrem quoniam es paratus credere in Dominum nostrum Iesum

Christum, vade cito cum tuo fratre, vt ipsam accipias purificationem per sanctum baptismum. per quem etiam dignus habeberis angelicas personas intueri, & omnium delictorum tuorum veniam inuenire.

Tunc dicit fratri suo Tiburtius. Rogo te frater vt mihi dicas ad quē me es deducturus. Valerianus respondit, Ad virum perfectum nomine Vrbanum, in quo est species angelica ornata canicie: verus sermo & insignis prudentia. Dicit ei Tiburtius. Tu illum dicis Vrbanum, quem Christiani dicunt esse suum Papam? Eum audio bis iam fuisse condemnatum. & rursus propter eam ipsam actionem propter quam fuit condemnatus, suam religionem cum metu latenter prædicare. Eum si contigerit inueniri, citra dubitationem vllam igni mandabitur. & nos quoque cum eo puniemur, si inuenti fuerimus ad eum ambulantes. & dum diuinitatem quærimus quæ latet in cœlis, incidemus in iram quæ accenditur in terra. Dicit ei S. Cęcilia. Si hæc vita esset sola & non esset alia, iure quæ hic sunt timeremus perdere. Cum autem sit alia vita quæ est hac multo melior & sublimior, & nunquam potest finiri, cur timemus hanc perdere, quando per huius amissionem ad illam accedimus? Respondit Tiburtius. Nunquam antea audiui esse aliam vitam præter hanc. Dicit ei Cęcilia. Nunc hoc certo scias ò charissime, quod quandiu in hoc mūdo viuimus, vitam laboriosam & dolore plenam agimus in angustiis & afflictionibus. quādoquidem inflammant humores. minuunt labores. valde exiccant febres. reuma assidue inducit aër: cibi inflant: molesta sunt ieiunia. ludi dissoluunt. curæ contrahunt. perdit negligentia. diuitiæ abiiciunt. expellit paupertas. elatos reddit iuuentus. incuruat senectus. deprimit imbecillitas: perturbat ira. & inter hæc omnia mors excindit cum minis: & sic imponit finem omnibus corporeis lętitiis: vt ab eo quod est esse recedens, ne fuisse quidem putetur. Pro nihilo enim de cætero habetur quidquid non est. Illa autem vita ęterna, hanc vitam caducam miseramque & breuem excipiens, cum ęternis afflictionibus & tormentis datur malis & iniustis. lętitia vero ęterna & exultatio præbetur iustis.

Ad hæc respondit Tiburtius & dixit. Et quis est qui illic fuit: & illinc huc veniens, hæc potuit nobis annunciare, vt hæc possimus vera esse credere? Tunc surgens beata Cęcilia constitit, & cum magna sic dixit audacia. Cœli & terræ & maris & omnium volucrum quæ volāt in äere, quadrupedumque & reptilium creator, ex se priusquam omnia faceret genuit filium: & produxit ex sua potentia Spiritum sanctum. Filium, vt faceret omnia. Spiritum sanctum, vt viuificaret vniuersa. Omnia autem quæ facta sunt construxit filius ex patre genitus. & omnia quæ fuerant constructa, ex patre procedens Spiritus sanctus animauit. Dicit ei Tiburtius. Huc vsque dictum est credi oportere vnum Deum esse in cœlis. Qūo autem nunc tres testaris esse Deos? Rn̄dit S. Cęcilia & dixit. Vnus est Deus in sua virtute, quem sic in sancta trinitate partimur, qūo in vno homine inesse dicimus artem, memoriam & intelligentiam. qm̄ arte inuenimus id quod non didicimus. memoria tenemus quod docemur. Intelligentia comprehendimus, se quid nos vnquam contemplari contigerit aut audire. Quidnam ergo faciemus? Num hæc tria in homine vna possidet intelligentia? Si ergo homo in vna intelligentia possidet nomen triū significatorum: qūo non Deus omnipotens, in vna & eadem diuinitate

Loquitur de Spiritu sancto Græcorum more, à patre procedente. Sed id non repugnat quinetiam à filio procedat, sicut Salua. ait, Ille de meo accipiet, & annunciabit vobis.

vſm obtinet trinitatis? Tunc Tiburtius cum in terram cecidiſſet, cœpit clamare & dicere. Re uera o chariſsima, non mihi videtur lingua humana dare reſponſum. ſed coniicio Dei Angelum per os tuum eſſe locutum. & magnas egit gratias quod cito vnum eſſe Deum in tribus perſonis ei aperte probauerit.

Conuerſus itaque ad fratrem ſuum, dixit. De vno Deo mihi fuiſſe ſatisfactum confiteor. Sed meã quæſtionem ſicut prius inceperam vellem ſcire. Dixit S. Cęcilia. De ea mecum loquere. qm̃ breuitas temporis eſt frati tuo impedimento quo minus reddat reſponſum. Me autem quem Chriſti ſapientia docuit à teneris vnguiculis, De quacũque re me volueris interrogare, non poteris inuenire imparatam. Dicit ei Tiburtius. Hoc nuper quæſiui & nunc quoque quæro, Quiſnam ex iis qui illic ſunt huc veniens, oſtendit nobis aliam vitam quam vos prædicatis? Sancta dixit Cęcilia. Vnigenitum ſuum filium Pater per ſanctam virginem Mariam miſit in terram. qui ſtans in ſancto monte, magna voce clamauit, dicens. Venite ad me omnes populi. & ego dabo vobis vitam ęternam. Concurrit autem ad eum omnis caro, omnis ętas, omne genus hominum. Tunc dixit omnibus, Pœnitentiam agite propter veſtram ignorantiam. quoniam appropinquauit regnum Dei, quod tollet regnum hominum. Suum autem regnum vult Deus diuidere iis qui credunt: in quo ille exiſtit ſublimior. Illic ergo peccatores quidem conſummabuntur æternis doloribus & igne qui nunquam terminabitur. Iuſti autem accipient lucem ęternæ gloriæ & gaudij quæ nullum vnquam finem accipit. De cætero nolite o filij hominum, huius vitæ fugientem quærere lætitiam: vt lætitiam illius vitæ ęternam poſsideatis, quæ hanc vitã excipit. In hac enim vita breue tempus viuitis. in illa vero in omne ęuum.

Cum hæc autem audiiſſent omnes populi infideles, vna voce dixerũt. Et quis illic fuit: & cum illinc huc veniſſet, potuit docere vera eſſe quæ dicis? Tunc Dei filius dixit eis. Si oſtendero vobis ſurrexiſſe mortuos, non creditis veritati? Vt autem dubitationis & ſuſpitionis nullum remaneret veſtigium, cum populis profectus eſt ad ſepulchra: & triduanis & quatriduanis & iam fœtentibus mortuis, quam amiſerant vitam vt Deus reddidit. Tranſmiſit mare ſuper fluctus ambulans non madefactis pedibus. Imperabat ventis. caſtigabat fluctus & quæ excitabantur tempeſtates & tumultus ſedabat. Cęcis viſum reddebat. aridas manus reddebat ſanas. claudis ingreſſum: mutis vocem reddebat & ſurdis auditum. Paralyticos verbo curabat: Leproſos dicto mundabat. Infirmis medebatur. Lunaticos reſtituebat, & Dæmones fugabat. Sed cum mente capti & impij Phariſęi & Pontifices ei inuidiſſent, propterea q̃ populi eis relictis eius ſequebantur veſtigia, ſternentes veſtes ſuas ante pedes eius & clamantes. Benedictus qui venit in nomine Domini, in eum ira perciti Phariſæi, cuidam Pilato Præſidi eum tradiderunt, vocantes eũ Magum & impium. & ſeditionem excitarunt in populo, vt eum cruci affigerent. Hoc autem ille præſciens, pro mundi ſalute permiſit ſe apprehendi & illudi, iniuriis affici, flagris cædi & occidi. Sciebat enim vt Deus, quod non aliter niſi per pretioſam & intemeratam ſuam paſsionem, eſſet captiuum redditurus Diabolum: maliſq; & immundis ſpiritibus malas inferret pœnas.

Propterea ergo ille fuit comprehensus qui peccatum non fecit, vt liberaretur genus humanum, quod detinebatur vinctum vinculo peccati. Qui est benedictus, fuit sub maledicto, vt nos à maledicto eximeret: sustinuit illusiones, vt nos liberaret ab illusione Dæmonum qui versantur in hoc mundo. Spineam coronam accepit in capite, vt capitalem tolleret sententiam quæ ex spinis peccatorum in nos lata fuerat. Fel in cibo accepit, vt dulcem primi hominis gustum, vnde mors in mundum fuit ingressa, commutaret. Potatus est aceto, vt acrimoniam, qua noster sanguis ebulliit, in se susciperet. & hunc bibit calicem passionis qui nostris debebatur vitiis. Nudatus est, vt nostrorum parentum nuditatem quam passi sunt consilio serpentis, niueis tegeret indumentis. In ligno fuit suspensus, vt ligni transgressionē, per passionem ligni crucis suæ abolleret. Mortem ad se venire admisit, vt secum luctantem sauciaret: & regnum quod inuenit per serpentem amitteret: & cum ipso serpente sauciata, per Christum fieret captiua. Quamobrem omnia elementa cum vidissent suum effectorem sublime actum in crucem, magno metu contremuerunt. Nam ex vna parte mota est terra; & ex altera fracta sunt templa & petræ. fugit dies. Sol fuit conterritus. & obscuratus texit tenebris vniuersum mundum. Luna suæ lucis splendorem nube cruenta operuit. Astra cœli luce resplendentia omnia simul sunt mutata. Stridet terra & veluti pariens, cœpit multos sanctos reddere ex sepulchris. qui quidem hoc dabunt testimoniū, ꝙ Seruatoris descensus ad inferos dissoluit regnum Diaboli; & mortuus mortem affecit ignominia. & percussam vinxit, & subiecit pedibus seruorum suorum. Illinc clarum est ꝙ pro nomine eius puniti gaudemus. & gloriamur in persecutionibus. ꝙ hanc nostram vitam quæ ad tempus & in quam cadit interitus æterna & quæ nunquam desinit vita excipit, quam Dei filius cum surrexisset à mortuis, suis ostendit Apostolis. Quibus aspicientibus assumptus fuit in cœlos.

Hoc ergo si in trium conuentu ostendisset, intelligentium cogitationes non possent dubitare. Quanto autem magis, ꝙ non solum duodecim Discipulis, sed plus ꝙ̄ quingentis simul seipsum dignatus est ostendere, ne vestigium quidem relinquens vllius dubitationis. Illi autem qui in his rebus erant initiati, & in omnem mundum missi ad prædicandum, signis & magnis prodigiis confirmabant suam prædicationem. Nam & omnes infirmitates curarunt in eius nomine: fugarunt Dæmones, & vitam reddiderunt mortuis. Nullam tibi arbitror remanere quæstionem, nisi vt hāc vitam animo & corpore despicias: & illam vehementer & constanter inquiras. Nam qui credit in Dei filium, & eius adhæret præceptis, quando morietur, eius corpus à morte nulla afficietur iniuria: sed à sanctis Angelis in vlnis excipietur, & in locum paradisi abducetur. Hinc mores cū Diabolo efficit, vt diuersis prauitatibus mentes hominum colliget: & in variis non animaduersis necessitatibus occupet. & nunc quidem damni terrore afficit: nunc autem ad gulam excitat. & ex diuersis abstrahens studiis, de hac sola vita facit miseros homines esse solicitos, vt ex corpore egredientes inueniat miseros & nudos, & nihil secum portantes præter peccata. Hæc tibi paucis exposui ò charissime. Si quid autem tibi deesse existimas, rursus quære.

Tūc Tiburtius ad eius pedes prouolutus, dixit cum gemitibus fletuq́ue & la-

& lachrymis. De hac vita de cætero si vel cogitatione exquisiero, vel animo agitauero, in illa vita nunquam inueniar. Habeant ergo insipiẽtes lucrum præsentis temporis. Ego autem qui in hodiernum vsque diem vixi sine ratione, absit vt sine ratione de cætero vitam agam. Et hæc cũ dixisset, ad suum fratrem conuersus dixit. Miserere mei frater dilecte. & abrumpe tarditatem quam transegi in ignorantia. Quo circa vereor moras. Pondus ferre non possum. roga te duc me ad hominem Dei. vt me perfecte purificatum illius vitæ faciat participem. Tunc Valerianus deduxit fratrum suum ad sanctiss. Papam Vrbanum. Cui postquam narrauit omnia quæ dicta & facta fuerant, benigno Deo egit gratias. Acceptum autem cum omni gaudio & exultatione Tiburtium cum admonuisset, catechismo instituisset, baptizasset in nomine patris & filij & spiritus sancti, iussit secum esse, donec ea deponeret quæ retentis sunt illuminationis. Quæ quidem cum perfecta fuissent eius doctrina, post septem dies Christi militem restituit. Tantam autem gratiam à Christo est consecutus, vt etiam Dei Angelos videret quotidie: & quæcunque à Deo petebat facile impetrabat. Sed quoniam longum esset omnia ordine exponere, qualia & quam multa fecit Dominus per eos admirabilia, conuertamur ad gloriosas eorum perpessiones.

Turcius qui etiam Almacius, cum esset Præfectus vrbis, & sanctos Dei Martyres occideret quotidie, iubebat eorum corpora relinqui insepulta. Tiburtius autem & Valerianus ad hoc operam quotidie adhibebant, vt sanctorũ corpora ad sepeliendum componerent & humi 5 mandarent, eleemosynis vacantes & diuino cultui Cum ij ergo in eis versarentur, quomodo solent boni odio haberi ab improbis, eos mali criminãtur apud Almacium Præfectum vrbis. omnia referentes quæ per ipsos Dominus faciebat in egenos: & q̀ improbe ac malitiose quos ille iubebat occidi, isti mandabant sepulturæ. Itaque à militari cohorte comprehensi, adducuntur ad Almacium Præfectum. Quos quidem Almacius his verbis est allocutus. Cum vos character nobilitatis gloria insignes reddiderit, cur propter nescio quam religionem vos ignobiles redditis & infelices? Nam vestras facultates in nescio quas abiectas personas audio vos erogantes consumpsisse: & eos qui castigati fuerunt propter sua scelera cum omni gloria mandare sepulturæ. Quocirca licet suspicari vos esse initiatos iisdem mysteriis quibus ij quos propter coniurationem mandatis sepulturæ. R̃ndit Tiburtius & dicit Præfecto. Vtinam nos dignentur referre in numerum suorum seruorum, quorum tu nos coniicis esse socios. qui quidem respuerunt id esse quod videtur & non est: & inuenerũt illud quod videtur non esse & est.

5 *Vides sepelire mortuos fuisse opus sanctorum Martyrum? Ergo res bona est et placens Deo.*

Almacius Præfectus dixit. Et quid est quod videtur esse & non est? Dixit Tiburtius. Omnia quę sunt in mundo, quæ animas vocant ad mortem æternam per breuis temporis lætitiam. Dixit Almacius Præfectus. Et quid est quod non videtur esse & est? Tiburtius dixit. Vita quæ futura est iustis: & supplicium quod dabitur iniustis. ex vtraque enim parte cognouimus verum esse ea ventura. & infausta distributione quod oculis cordis nostri cognoscimus, id corporis nostri oculis spectandum referimus. vt in nostra conscientia quæ sunt bona malis obumbremus rationibus. Dixit Præfectus Almacius. Non puto te mente loqui. Dixit Tiburtius.

Non loquor mente mea: sed illius quem accepi in visceribus mentis meæ. Dixit Almacius Præfectus. Nunquid nosti quod dicis? Dixit Tiburtius. Et noui, & didici, & credo, ꝙ omnia quæ à me dicta sunt permanent. Almacius Præfectus dixit. Et ego cur non intelligo quod ago à quo hæc sunt condita? Tiburtius dixit. Qm̄ homo beluinus non sentit quæ sunt spiritus. Spiritalis autem diiudicat omnia. Ipse vero à nullo diiudicatur. Tunc ridens Præfectus iussit auferri quidem Tiburtium. coram eo autē sisti Valerianum. Cui etiā dixit. Quoniam nō est frater tuus sani cerebri, tu poteris respondere sapientius. Dicit ei Valerianus. Falluntur aures tuæ, quoniam scopum nostræ orationis nō potes intelligere. Dixit Præfectus. Nemo ita errat vt vos erratis. qui relictis necessariis numeris & respōsis, malos sequimini, quæ sunt iucunda respuentes, lętitiam nihili facientes & ea despicientes quæ data sunt ad vitę alimentum, maxima beneuolentia illud complectimini quod saluti inuenitis contrarium, & iis quę sunt iucunda inimicum.

Ad hęc respondit Valerianus. Ludentes & ridentes, & in variis delitiis luxuriose vitam agentes, vidi hyemis tempore per campos transeuntes: In quibus campis stabant Agricolę plantantes, palmites infigentes, & spinosos rosarum ramos ingeniose toto animo componentes. Aliꝫ autem olíueta inserentes. aliꝫ verò radicitus imbecilla excindentes. & quę sunt opera conuenientia magno labore peragentes. Tunc illi qui delitiis fruebantur & lętabantur, cœperunt eos qui laborabant ludificari & dicere. Miseri & miserabiles, hūc qui vos affligit laborem deponite: & nobiscum lętantes vos deliciis explete & libidinibus. & cur tanq̄ insipientes duro labore dissoluimini: & vestræ vitę tempora negotiis quę vos affligunt consumitis? Hęc dicentes, soluebantur in risum, & dabant plausum manibus, magnoq́; sono eos cachinnantes irridebant. Hęc autem illis facientibus, pluuios hyemis menses tranquillissima tempora exceperunt. & ecce pulchrorum & variorū florum fragrantibus omne genus odoribus prata exornabantur. & molles botrorū series producebant palmites. & è vario genere arborum rami stillantes melle fructus producebāt. in quibus animaduertimus vsque in hodiernum diē abundare simul & gratiam & fructum & decorem. Tunc cum lętarentur illi qui existimabantur esse insipientes, cœperunt lugere iꝫ qui existimabātur esse ciues. & qui erant gloriosi in sua intelligentia, perierunt in acri ratiocinatione. & tandem ducti pœnitentia, inter se murmurantes & gementes dicebant. Hi sunt quos habuimus ludibrio. eorum laborem probrum existimabamus. eorum vitam nihili faciebamus tanq̄ miserabilem. eorum figuram iudicabamus esse indignam: & intelligentiam eorum sine honore. Ii autem inuenti sunt intelligentes. & nos quidem probamur tunc fuisse miserabiles insipientes & stulti, quando neque nobis ipsis operabamur: neque iis qui operabātur dedimus in opere auxilium. qui quidem cū essemus in deliciis, eos valde irrisimus: & ipsos credidimus esse insipientes. quos quidem nunc resplendentes animaduertimus & florentes.

Ad hęc dixit Pręfectus. Te quidem video esse sapienter hæc persecutū: sed ad meum responsum non videris respondere. Valerianus dixit. Dixisti nos esse stultos & insipientes ꝙ facultates nostras demus egentibus: proselytos excipimus, viduis suppeditamus quæ sunt necessaria. orphanis

subuenimus. corpora insepulta tegimus. & cum maximo honore celebramus Martyrum depositiones. Nos autem insipientes iudicasti & delirantes, ꝙ cum iis qui lætantur non lætamur, nec in delitiis viuimus nec nostras explemus libidines, nec illiberaliter sumus lasciuis & impudicis oculis, ostendentes nos esse liberos & ingenuos. Veniet tempus quo accipiemus millecuplos fructus nostræ afflictionis. & nobis lætantibus flebunt illi qui nunc efferuntur lætitiis. est enim nunc tempus seminandi. Qui ergo in hac vita seminant quæ sunt ad tēpus lachrymas: in illa beata & æterna vita metent gaudium sempiternum. Dixit Præfectus. Ergo & nos & inuicti Imperatores luctum ęternum habebimus: vos autem ęternum gaudium possidebitis? Respondit Valerianus Quid enim estis vos aut vestri Imperatores? Impleto enim vestro tempore morientes eo maiorem Deo estis reddituri rationem, quo vobis ab eo maior data fuit potestas. Dixit Præfectus Almacius. Quid in verbis voluendis immoramur? Aut Diis thus offerte & illæsi recedite: aut male estis & acerbe morituri. Ambo responderunt & dixerunt. Nos non Diis sed Deo quotidie offerimus sacrificia. Dixit Præfectus. Quis est Deus, cui dicitis vos vestrum offerre sacrificium? Sancti responderunt & dixerunt. Et quis est alius Deus præter ipsum? Cur de Deo nos interrogas? est enim alius Deus præter vnum? Dixit Pręfectus. Quem vnum esse dicitis eius nomen requiro. Dixit Valerianus. Dei nomen non inueneris, etiamsi possis volare pennis. Dixit Pręfectus. Iouis ergo nomen non est Deus? Dixit Valerianus. Est nomen corruptoris & adulteri, quem etiamsi fuisse occisorem vestri auctores memorant, & accusatorem nostrę ostendunt scripturę. Hunc tu Deum miror quanam impudentia nominasti, cum Deus dici non possit, nisi qui est ab omni peccato alienus, qui est etiam plenus omni potētia. Dixit Pręfectus. Ergo errat omnis mundus. & tu cum tuo fratre Deum verum cognouisti? Dixit Valerianus. Innumerabilis multitudo Christianismi accepit sanctitatem. Imo verò vos pauci estis qui remansistis tanquam scissę & naufragio tabulę, ad nihil aliud proficientes nisi vt in ignem iaciamini.

Tunc iratus Præfectus iussit cædi virgis. Ille autem confestim dum verberaretur lætus cœpit dicere. Ecce hora quam valde desiderabam. & ecce dies omni festo mihi iucundior. Dum beatus verberaretur, Præco magna voce clamabat. Deos & Deas noli maledictis incessere. Ille autē ad populum clamabat dicens. Viri ciues Romanorum, videte ne hæc plaga vos à veritate auertat, sed state fortiter. & Deos lapideos & ligneos quos colit Almacius Pręfectus in calcem conuertite. Nam omnes qui eos colunt, erunt in afflictione & supplicio æterno. Tunc qui cum Præfecto considebat Tarquinius qui etiam dictus est laccas, Præfecto dicit in secreto. Inuenisti occasionem Domine mi. tolle eos quamprimum à terra. Nam si tardaueris & de die in diem traxeris, omnes suas facultates distribuent pauperibus & eis supplicio affectis tu nihil inuenies. Tunc Præfectus cùm ei placuisset illius consilium, iussit lictoribus vt eos abducerent vbi erat Iouis statua. & iussit vt nisi ambo vellent imagini Iouis sacrificare, simul subirent supplicium capitis Tunc venerādi & gloriosi Christi Martyres Valerianus & Tiburtius abducti sunt à Maximo Pręfecti Cubiculario in locum qui dicitur Pagus. Qui quidem Maximus cœpit

eos deflere & dicere. O' pretiosa & florens iuuentus. O' vinculum magnę fraternitatis. O' par pulcherrimum & generosum. Cur vos in malum & impium finem volentes vos ipsos proiicere & ad maximum tendere exitium, ita festinatis tanquam qui ad lætitiam & magnificam & lautam cœnam vocemini? Tunc dixit Tiburtius. Nos si non vere didicissemus aliam esse vitam æternam quæ vitam pñtem sequitur, non gauderemus eam amittere. Dicit eis Maximus. Et quænam pōt esse alia vita? Rñdit Tiburtius & dixit. Qūo corpus induitur indumentis, ita etiam anima induitur corpore. Et corpus quidem, tanq̄ semen terrestre, p libidinem in terrenam matricem immittitur. genitum aūt & nutritum, & lapsum in mortis interitū. & in puluerem conuersum, tanq̄ Phœnix futuræ lucis specie excitabitur. Aīa vero sit sancta, feretur in paradisi delitias vt florēs in delitiis expectet tempus suę resurrectionis. Dicit eis Maximus. Vellem ego quoq; hanc vitam respuere, si de iis quæ dicis possem fieri certior. Dicit ei Valerianus. Quoniam dicis tibi nihil superesse nisi vt probes vera esse quæ tibi diximus: ea hora qua faciet Dominus nos corporis tunicam exuere in gloriosa nominis eius confessione, aperiet Dominus oculos tuos: & faciet te aspicere cum quanta gloria illa vita redditur. se omni promittas nobis quod ex toto animo venies ad tui erroris pœnitentiam.

Tunc Maximus anathemate seipsum deuouit dicens. Flammis ignis cōsumar nisi ab hac hora illum solum Deum confitebor, qui facit vt post hanc vitam alia vita sequatur. hoc mihi solum vos ostendite quod estis polliciti. Ei dicūt sancti Martyres Tiburtius & Valerianus. Iube lictoribus vt nos in domum tuam abducant. & faciemus vt illuc ad te veniat purificator. qui hac nocte postquam fueris purificatus, faci & vt videas id quod tibi promisimus. Cum autem Maximus iussisset lictoribus, abduxerunt eos in domum eius. Quorum prædicatione ipse Maximus cum tota sua familia & ipsis lictoribus, crediderunt in Dominum nostrum Iesum Christum. Tunc sancta Cæcilia venit ad ipsos noctu cum Sacerdotibus. & fuerūt omnes baptizati in nomine patris & filij & spiritus sancti, Cum autem exoriens matutinum nocti finem dedisset, magno silentio facto dixit sancta Cæcilia. Estote forti & magno animo ò Dei milites abiicite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Pulchrum certamen certauistis. cursum peregistis. fidem conseruauistis. De cætero proficiscimini ad coram iustitiæ, quam reddet vobis iustus. Iudex non solum autem vobis, sed etiam omnibus qui diligunt aduentum eius. Locus autē qui dicitur Pagus erat situs quarto lapide ab vrbe Roma. ad quem erat transeundum prope portam templi, vt quicunque illac transibat, nisi Iouis simulachro thus offerret, puniretur. Cum in eum autem locum venissent sancti Tiburtius & Valerianus, pretiosum thus obtulerunt, Deo, afferētes suos accusatores. & sic flexis genibus, fuere cęli gladio. & amisso hoc caduco & mortali corpore, æternam & quæ non potest marcescere martyrij coronam accipere.

Tunc Maximus iurans dicebat. Vidi angelos Dei tanquam solem resplendentes, ea hora qua gladio sunt percussi: & exeuntes eorum animas è corporibus, tanq̄ virgines è thalamo. Quas cū vlnis excepissent angeli,
6 strepentibus alis 6 ferebantur in cœlum. Hæc Maximo narrante cum
Vidit Maximus Sā- lachrymis, multi crediderunt in Dominum nostrum Iesum Christum. &

conuersi

conuerſi ab errore ſimulachrorum,ſeipſos tradiderunt ſancto Vrbano ſuó magiſtro. Cum autem ad Almacium vrbis Præfectum veniſſet fama; ꝙ Maximus cubicularius cũ omnibus ſuis factus eſſet Chriſtianus,iuſsit eum tandiu verberari globis plumbeis donec ſpiritum emitteret. Quem ſancta Chriſti Martyr Cęcilia cum poſuiſſet proxime ſanctos Dei Martyres Tiburtium & Valerianum,depoſuit in arca.& iuſsit vt in arca eius inſculperetur Phœnix ad oſtendendam eius fidem. qui ſe inuenturum eſſe reſurrectionem Phœnicis exemplo admiſerat. Facta eſt autem poſt hæc inquiſitio. Cœpit enim Almacius Præfectus amborum fratrum quærere facultates.propter quas volebat etiam quęrere ſanctam Cęciliam & Valeriani coniugem: & iuſsit eam apud ſe ſiſti. Quæ quidem poſtquam omnia quæ ſuper fuerãt ex eorum facultatibus fideliter diſtribuiſſet pauperibus,cœpit ille vrgere vt ea thus offerret. Tũc dixit miniſtris qui eam vrgebant vt hoc faceret.

ſlorum animas ab Angelis ferri in cœlum.

Audite me Ciues & fratres. Vos eſtis miniſtri veſtri Præſidis:& videtur vobis ꝙ deſideratis eſſe alieni ab eius impietati. Mihi autem eſt glorioſum & valde deſiderãdum, omnia pati grauia pro Chriſti confeſsione. Nam cum hac vita nunquam ſtatui vllam habere amicitiam.Sed ne ſitis de noſtra ſoliciti iuuentute, quam omnis curæ eſtis expertem reddituri. Facite ergo quod ab iniquo Præſide eſt vobis imperatum. Tunc illi cœperunt lamentari & conqueri quod tam electa puella & tam intelligens & nobilis cuperet interfici. & eam rogabant dicentes, ne talem decorem amitteret,neque talem ſpeciem conuerteret ad mortem. Quibus flentibus & dolore vexatis ſic ſancta reſpondit Cęcilia. Hoc ó fratres, non eſt perdere iuuentutem,ſed commutare. Dare lutum,& aurum accipere.dare tabernaculum breue & miſerabile: & magnam ſpacioſamq́ꝫ & amplam domum accipere, ex lapidibus pretioſis & auro edificatam. dare angulũ tenebroſum, & locum accipere lucidum margaritis reſplendentem cœleſtibus dare poſſeſsionem quæ perit:& accipere poſſeſsionem quę non cognoſcit finẽ & ignorat mortem. dare lapidem miſerabilem quem pedibus conculcatis:& accipere lapidem pretioſum, qui forma reſplendet in regio diademate. Hodie ſi quis ſic offerat aureos, vt minimam nummorum quantitatem ex iis alacri animo prouentum accipiat: num vos quoque lubenter curreretis ad talem negotiationem: & omnes parentes & notos & cognatos dilectosq́ꝫ & cognatos & amicos vobiſcũ faceretis currere? Si quis autem vos currentes auerteret, dicendo vos inutiliter omnes veſtros nummos eſſe daturos: num eos eſſetis irriſuri vt ignorantes & qui nihil cognoſcerent:vos autem læti curreretis, ꝙ cum pretioſo auro eſſetis permutaturi æs miſerabile & non magni pretij? Et vos quidem pondus pro pondere gaudetis accipere. Deus autem non dat pondus pro pondere. ſed accipit ſimplum & reddit centuplum. præterea vero vitam quoque æternam.

Cum hæc autem dicta eſſent à beata Cęcilia, aſcendit ſupra petram quæ erat prope pedes eius & dicit omnibus. Creditis ea quæ dixi vobis? Illi autem vna voce dixerunt omnes. Certe credimus in Chriſtum filiũ Dei,eum eſſe verum Deum, qui te talem habet ancillam. Dicit eis ſancta Cęcilia. Ite de cætero, & dicite infeliciſsimo Almacio, ꝙ ego vnum donum peto ne nimis acceleretis meam decertationem. Ego autem faciam

vt in domum meam veniat ſanctiſsimus Papa Vrbanus. vt faciat vos omnes vitæ æternæ participes. & ſic Dei prouidentia ego quoque conſummabor. Tunc cum in eius domum veniſſet ſanctiſsimus. Papa Vrbanus, baptizauit pluſquam quadringentos, diuerſi ſexus fortunæ & ætatis. Inter quos erat vir clariſsimus nomine Gordianus. Is cum Papæ precibus domum ſanctæ Cęcilię vocauit ex ſuo nomine. vt in occulto ex illo die ex quo illic Chriſti peractum eſt baptiſma, fieret eccleſia Dominica. adeò vt ſanctiſsimus quoque Papa Vrbanus illic occulte habitaret. indies autem Chriſti redemptionis lucra illic creſcerent, & Diaboli eſſent damna innumerabilia.

Cum hæc autem fierent, Almacius Vrbis Præfectus iubet coram ſe ſiſti Cęciliam. quam interrogans ei dicit. Quod eſt nomẽ tuum ò puella? Reſpondit ſancta, Cęcilia. Dixit Præfectus Almacius. Cuius es conditionis? Dixit Cęcilia. Ingenua ex clariſsimis. Dixit Pręfectus. Ego te rogo de religione non autem de genere. Sancta dixit Cęcilia. Interrogatio tua ſtultum cœpit principium, quæ duo reſponſa videtur elicere ex vna quæſtione. Dixit Præfectus. Vndenam eſt tibi hæc fiducia? Reſpondit ſancta. Ex bona conſcientia & fide non ſimulata? Dixit Pręfectus. Ignoras quænam ſit mihi poteſtas? Dixit ſancta Cęcilia. Ignoras tu quænam ſit tibi poteſtas. Nam ſi tu me rogaueris de tua poteſtate, veris verbis eam tibi aperiam. Dicit ei Præfectus. Dic ſi quid noſti. Sancta dixit Cęcilia. Omnis hominis poteſtas eſt perinde ac vter vento plenus. quem ſi vna acu pupugeris, omnis tumor eius colli flacceſcit. Quinetiam ſi inuenitur in ipſo aliquid portare, inflectitur. Dixit Præfectus. Cœpiſti à contumelia: & perſeueras in contumeliis. Dixit ſancta Cęcilia. Nõ dicitur cõtumelia, niſi in eos qui pauca peccant non teneatur moderatio. Quamobrem vel doce contumeliam, ſi falſum ſum locuta. vel teipſum caſtiga ſubeuntem iudicium. Dixit Almacius Præfectus. Ignoras ꝙ Domini inuicti Imperatores iuſſerunt, vt qui non negauerint ſe eſſe Chriſtianos, puniantur: qui autem negauerint, dimittantur? Dixit ſancta Cęcilia. Sic veſtri ſemper errant Imperatores, ſicut etiam veſtra celſitudo. Nam quæ ab ipſis proceſsit ſententia, vos quidẽ teſtata eſt eſſe impios: nos autem eſſe oſtendit innocentes. Si enim malũ eſſet hoc nomen, nos quidem negauiſſemus. Vos autem vt nos confiteremur omnino cõegiſſetis. Dixit Præfectus. Pro pietate ſua hoc voluerunt ſtatuere, vt ſua benignitate vitam donãdo vobis gratificentur. Dixit ſancta Cęcilia. Nihil eſt ęquo impium, nihil vero tam innocentiæ inimicum ꝗ̃ reis omnia inferre ſupplicia ad hoc vt ſuam iniquam teſtentur qualitatẽ: & de eorum in myſterio ſociis grauiſſimam habere quæſtionem. Nos autem quos innocentes cognoſcitis, nominis ſolum accuſatis. Sed nos qui ſanctum nomen Chriſti cognoſcimus, id omnino negare non poſſumus. Eſt enim melius mori feliciter ꝗ viuere infeliciter. Nos enim vera dicentes vos punimus; quibus eſt perſuaſum vt falſum audiatis.

Dixit Almacius Præfectus. Elige tu vnum ex duobus. aut ſacrifica: aut nega te eſſe Chriſtianam, vt delicti tibi detur venia. Tunc dixit ridens ſancta Cæcilia. O Iudicem pudore neceſſario affectum. Vult me negare & eſſe me innocentẽ, vt ipſe me faciat crimini obnoxiam. Si vis accuſare, cur me adhortatis vt negem? Sinautem vis abſoluere, cur non vis inqui-

rere? Dixit Pręfectus Almacius. Adsunt accusatores, qui testantur te esse Christianam. Si ergo quamprimum negaueris, impones finem eorum accusationibus. Sin autem nolueris negare, hoc tuæ imputabis amentiæ qn̄ in te lata fuerit sententia. Dixit sancta Cęcilia. Eorum accusatio est mihi desideranda. & punitio tua est victoria. Noli me ergo corrigere tanq̄ errantem: sed te ipsum increpa qui existimas fore vt Christū negem. Dixit Præfectus. Misera, nescis vitæ & necis potestatem mihi datam esse ab Imperatoribus? Cur loqueris cum tanta superbia? Dixit sancta. Alio modo licet dicere superbum, & alio confidentem. Ego confidenter non autem superbe sum locuta. Nam nos quoque valde reiicimus superbiam. Tu autem si non times audire veritatem, rursus docebo te nunc falsa esse locutum. Dixit Almacius Pręfectus. Quidnam falsi es in nobis assecuta? Dixit sancta Cęcilia. Hoc, ꝙ affirmas tuos Imperatores tibi dedisse vitæ & necis potestatem. Dixit Præfectus. Ergo sum mentitus? Sancta dixit Cęcilia. Reuera si iubeas, falsum te dixisse ostendam. Dixit Præfectus. Dic. Sancta dixit Cęcilia. Dixisti tuos Imperatores tibi dedisse potestatem vitę & necis. Cognosce itaque tibi solum esse datam mortis potestatem. Nam vitam quidem potes à viuis tolere, mortuis autem non potes dare vitam? Dic ergo ꝙ Imperatores te voluerunt esse ministrum mortis. Nam si tu amplius dixeris, deprehenderis falsa dicere & quę non possunt consistere. Dixit Pręfectus Almacius. Ne sis verbosa ò mulier, sed de cętero tuam depone audaciam: & veni & Diis sacrifica. Dixit Sancta Cęcilia. Nescio vbinam tuos oculos amiseris. Nam quos tu dicis Deos, ergo & omnes qui sunt sanis oculis, videmus esse lapides & ęs & plumbum. Dixit Pręfectus Contumelia afficies religionem despectis philosophis. Non possum autem ferre Deorum contumelias. Dixit Sancta Cæcilia. Ex quo os aperuisti, nullum verbum fecisti quod non te ostenderet iniustum, insipientem & stultum. Sed enim quidnam hoc est ꝙ externis oculis te esse cęcum ostendis, quando quod omnes lapidem esse aspicimus & lapidem inutilem, tui Deum esse testaris. Do tibi si iubes consilium. & cum tangens disce esse lapidem, si non nosti id aspiciens. est enim dedecus à toto te rideri populo. Omnes enim sciunt Deum esse in cœlis: hęc autem, vt quę sint formæ lapideę, per ignem posse melius mutari in calcem. quoniam iam suo otio pereunt. & neque si simul pereant, neque si in ignem coniecti fuerint, sibi poterunt subuenire.

Tūc valde iratus Almacius iussit eam reduci in domum suam, & illic balnei flamma torreri. Cū autem esset in aëre balnei sui inclusa, & subtus toto die & nocte magna vis ardentis ligni adhiberetur, tanquam in loco refrigerato illæsa permansit & salua Domini gratia. adeò vt nulla pars omnino ex eius membris vel minimo sudoris signo fuerit humectata. Quod cum audiuisset Almacius Præfectus illuc misit ad ipsam vt in ipsis balneis ei caput amputaretur. Quam spiculator tribus percussit ictibus: & non potuit ei caput amputare. Sic autem eam semiputato capite ferus & crudelis ille lictor reliquit. adeò vt omnes turbæ quę per illam crediderant, sanguinem linteis tanq̄ spongiis hauserint. Tribus autem quibus superuixit diebus, non cessauit omnes quos aluit & quos docuit confirmare & corroborare in fide Domini. Quibus etiam distribuit omnia quę habebat, & sanctissimo Papæ Vrbano commendauit. Cui etiam dixit.

Trium dierum mihi iam petiui terminum, vt tradam tuæ sanctitati, & hanc domum meam in seculum ecclesiæ nomine consecres. Impletis autẽ tribus diebus, & Deum precante beata Cęcilia, cum essent adhuc preces in ore eius, tradidit pretiosam & sanctam suam animam in manus Dei viuentis mensis Nouembris XXII. Tunc sanctiss. Papa Vrbanus cum gloriosum eius corpus sustulisset noctu cum Diaconis, sepeliit ipsum inter alios suos Episcopos vbi sunt omnes confessores & Martyres depositi. Eius autem domum in æternum 7 consecrauit nomine Sanctæ ecclesiæ. & illic perpetuo peraguntur sancta Domini mysteria vsque in hodiernũ diem. In memoriam quidem Martyris: gloriam autem & laudem magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

7 *Pontifex dedicat domum S. Cæciliæ in Ecclesiam.*

VITA ET MORES SANCTI
patris nostri Gregorij Episcopi Agrigentini.

Nouemb. 23.

PVLCHERRIMA res est virtus, quæ maximam gloriam & altissimum ornatus cumulum sui amatoribus affert. Siquidem non illos solum post mortem remuneratur, Sed viuos atque præsenties illustreis efficit. Hanc cum Gregorius omnibus in rebus egregie ad extremum vsque tempus exercuisset, non solum hæres vitæ perpetuæ est institutus, Sed cum adhuc etiam viueret, admirabilem se ac celebrem præstitit. Sicilia quidem oriundus. (Siculis enim finibus, vt omnes norunt Agrigentum continetur) cæterum cum Sancta illum Sion suscepisset acuti plantam quandam apprime nobilem enutritum disertissime erudiuisset, patriæ rursus conspicuum reddidit. Et quidem iucundissimum mihi ac ęstimabile valde videtur eius vitam altius repetitam describere. & tanq̃ Specimen quoddam et oĩs virtutis exemplar litterarum monimentis posteris consignare, vobis vero quibus tam splendida audire lubet ac imitari, res isthæc optabilis esse vestrasq́ꝫ ingenti cum voluptate aureis subire debet. Quod igitur ille vitæ principium habuit hoc ipsum nostræ orationis exordium. Statuendum est.

Vicus quidam qui prætoria nomine dicitur, Agrigento ciuitati proximus Sanctum virum ædidit, prius quidem ille obscurus & incognitus, nunc vero tanto alumno clarus 1 & illustris emicat. Parentes vero (quę Dei gratia ac benignitas fuit) viri luculentis ornati diuitiis ac probata vita florentes, plurima bona sua pauperibus erogabant. Hi quo matrem filium procrearent, precibus insistentes, voti tandem sui compotes fiunt, filiumq́ꝫ non natura tantum, sed animo marem suscepere, quemadmodum & tempus quo ille perturbationibus est impetitus, & contra malorum impressiones altitudo animi postulabat, quæ sanè omnia sermo quoque subsequens indicabit. Hunc igitur à sacro baptismate vir virtute clarus Potamion qui tum sacris ac religioni Agrigẽti. Ciuitatis præerat suscipit. Postea vero quam puer octauum ætatis annum attigit, hunc ad diuum Potamionem parentes adducunt, vt puero ille prospera omnia precaretur, & præterea ipsum præceptori traderet erudiendum. Qui cum pro

1 *Ecce quomodo sancti loca illustrant.*

pueri salute Dominum (vt par erat) orasset Grammatici cuiusdam cui Damiano nomen erat, fidei illum commisit, disciplinisq; accurate ac sedulo incumbere pręcepit. At puer ab ipsis litterarum elementis. (vt aiũt) præstantiam animi præseferens, vtpote qui ingenij acumine, & acri prõptitudine vsus est, plureis breuiter disciplinas percurrit. Nam prima ipsa elementa, Odasq; Dauidicas, rationem item ac conuenientiam numerorum, adde etiam ecclesiasticos hymnos biennij tãtum spacio didicit. Proinde ob celeritatem, qua tot disciplinis excultus est, omnibus admirationi fuit. Vbi vero duodecimum annum prętergressus est, Episcopum rursus ac cæteros ecclesiæ ministros parentes adeunt multisq; hunc ipsum in eorum collegium cooptari precibus orant. Cumq; ille æquo animo sermonem audisset, iam enim interiori mentis oculo cernebat, quam splendidum ac lucidum oculum regendæ Ecclesiæ esset admoturus, in sacrum cætum asciuit, & illum organum scelectissimum fore, ac quicquid in posterum futurus esset, præfatus est. Ita Diuus Gregorius clericorum cætui additus, Donato Ecclesiæ Archidiacono traditur, qui tum sacrorum voluminum curam agebat, cuius cum familiari conuictu ac consuetudine vteretur longe disertior euasit, Perspicuumq; fuit post delitescentem apud ipsum virtutis odorem disciplinas quidem perlustrare, mores vero in grauiores ac venustiores permutasse, atq; ad eo sese diuinis scriptis attentiorẽ pręstitisse, à quibus & animo in primis illuminatus, & illarum incredibili affectus dulcedine, totum Deo se ipse dedidit, viamq; qua illi propius inhæreret, celeriusq; occurrenti sibi appropinquaret inire studebat.

Illum igitur sacra inuisendi loca, eorumq; sanctitudinis esse participem cogitatio incessit. Cumq; magno huiuscæ rei desiderio flagraret, exinde Deum obsecrabat, ne votum suum frustraretur. Iamq; duo de vigesimũ ætatis annum agebat. Quadam vero nocte cum in Archidiaconi, cuius mentionem fecimus, contubernio degeret ipse templum ingressus Deum vt eiusmodi se proposito liberaret, & ad exitũ optata perduceret, precibus obtestabatur, ac mox humi prope à lecto Donati procumbens, somno se dedit. Assistens autem quidam illum proprio nomine Gregori apellauit. Is vero confestim, ecce ego Domine & stans coram Archidiacono quid me (inquit) Domine vocasti? Cui ille, Non te, ait, fili vocaui. Cumq; ille rursus lecto stratus recumberet, mox qui vocarat secundo assistens, Gregori, dixit. At ille denuo festinanter resiliens, Archidiaconi lecto pręsto fuit, ecce, inquiens, ego Domine quid me vocasti? Quamobrem Archidiaconus sub hæc perterritus, vocationem illam cœlitus illapsam esse non ignorans, sic illum affatur. Neque sanè nunc & fili vocaui. Verum enim rursum si vocere percontanti respondeas velim. quid me vis Domine, quid pręcipis seruo tuo? Postquam igitur tertio Gregori aduocans astitisset, ille vti edoctus fuerat, respondit. Porrò statim qui vocarat (angelus enim is Dei fuerat) Exaudita est (inquit) precatio tua. Quo circa ad littus concedas oportet, 2 vt ad loca sancta tendentibus obuius fias.

Ir. his Gregorius Deo gratias egit, atque eiusmodi verbis fidem habens egreditur, & Archidiaconum nec dum somno solutum reliquit, nauigioq; occurens, vnde illi aduecti, & quo nauigaturi essent, percontabatur, at vbi nauigationi accinctos quidem illos, verum Charthaginem esse nauigaturos audiuit, cum iis pariter nauigationem subire decreuit. Atqui

2 Si peregrinationes istæ ad loca sancta Deo non placerent, sanctus uir de peregrinãdo ad ea diui-

nam reuelationẽ non reciperet. nauis præfectus acrem eius cupiditatem & affectum suspectum habens, simulq; ad humile vestimenti genus oculos adiiciens, nunc quidnam ille seruus esset, dominumq; refugeret suum interrogauit. Is vero Christi se seruum dixit esse non hominis. Cæterum liberale aut iustum in ipsum nihil molitus, eundem in seruitutem tradere flagitiosſime cogitauit. Atque nauis quidẽ prospera vsa nauigatione Chartagini triduo appulsa est. Nauclerus vero ille sedulo iuuenem obseruans, precibus ac vigiliis totam noctem insomnem ducere, veritatem sensim edoctus est, atque opinionem de illo consentaneam paulatim induit. Nimirum cuius vis hominum seruũ non esse, sed inter primos atque precipuos Dei ministros numerandum. Hinc illum ingens dolor accepit, eiusq; animum præsumptæ opinionis subiit pœnitentia. Lacrimiuis item ac amaris eiusmodi remediis virum sanctum propitium sibi reddere studebat iniustæ illi quasi humanæ cogitationi mederi cupiens.

Postea vero quam ciuitatem ingressi sunt. Nauclerus hospitio domi suę iuuenem excipit, eiq; familiariter pro arbitrio vitam agendi facultatem impertit. Cumq; illi absurdam sanè cogitationem palam fecisset (neque enim perculsas conscientia, eius ipsius in quem offenderat, permotus sanctitate, secus facere poterat) obtestabatur sibi veniam dari, quã ab animo illo benigno, & ad promerendos homines nato facile consequitur. Ac sic quidem ille. Gregorius vero in eo quod dictum est, domicilio, cœlesti glorię intentus priorem vitę rationem ac institutum seruabat, 3 psalmis innocenter vacans, biduo ac triduo cibum semel capiens, plærunq; etiam totam habdomadam ieiunus transigebat. Proinde hospitij Dominus eiusmodi quod ipse sibi imperasset, viuendi studiũ admiratus, hunc ipsum vrbis Episcopo manifestum fecit. confestimq; coram magno & inclyto viro sistitur, cui Episcopus, vnde venis (inquit) fili, & quo tendis? Ille, Agrigento ciuitate illuc se aduectum, cæterum sanctam Sion petere dixit. His auditis Episcopus bona illi precatus, Dominus inquit perficiat gressus tuos, ac iter tuum dirigat. Ille vero pedibus non sine eius lacrimis prouolutus, mihi vtinam (respondit) ex sententia tua contingat. Interea vero Episcopus conuiuij illum participẽ admisit, tandiuq; secum versari voluit donec festi dies sacriq; (neque enim procul aberant) aduenirent, cuius ille dicto cum paruisset, effetq; eius conuictu familiariter vsus, domicilium in quo prius diuersabatur repetit. & consuetum viuendi institutum capessit.

3 Vide psalmodiam & longa ieiunia.

Porrò non multis post diebus cum in sacro illustris martyris Iuliani templo sederet ac legeret tres quidam monachi cum moribus venerandi, tum decenti atque ornato corporis habitu animi præ se speciem ac pulchritudinem ferentes illi apparuere. quos Gregorius intuitus, mirifice hilaris factus est. quippe cuius animus ab illorum præsentiam exiliret, siquidem non absque magno aliquo bono ad se illos venisse sensit. Cum vero Deum adorassent, vnus quidem illorum sedit, reliqui vero duo magno cũ timore, reuerentia item admirabili illi asſistebãt. Hunc Gregorius pariter veneratus, sese aliis adiunxit. In quem monachus qui sederat coniectis oculis quid hæc (inquit) ad te. Gregori serue Dei, qui bonam partem elegisti, quæ abs te (vt de sententia Euangelij loquar) non auferetur? Hunc ille ob primam nominis cognitionem admiratus, pedibus eius con-

festim aduoluitur, ac lacrimas ab oculis distillans, efflagitabat, vt suis se precibus dignum faceret. Ille vero hunc erexit, nihilq́ꝫ circa se magni quicquam existimare iussit, ac ipsum aliosq́ꝫ itidem duos monachos secũ sedere curauit. Mox blande illum affatur, scito (inquit) fili consilia tua nobis omnia à Deo prodita esse. Verum lætus nos lætos sequere, quãdoquidem horum index Deus te quoque in comitatu nostro ad se adducere, & sacrosancta nobiscum loca, ad quæ iam pridem nos nauigatione contendimus, conspicere præcepit. Ob hæc Gregorius admiratione ac gaudio prefusus, se ipse continere nequibat, sed rursus assurgens, ac pedes monachi complexatus lacrimas plureis prioribus præ gaudio effundebat, ac letitia totus gestiens, quas maiores poterat, in his Deo gratias agebat. Postea vero ad domicilium concessere, ac hospitij Dominus multam in illos hilaritatem ac comitatem ostendens, omnia ad victum necessaria abunde illis apposuit, qui cum gustassent, totam 4 noctem cum diuinas laudes canendo, tum sacros sermones lectitando ad diluculum vsque duxerunt insomnem. Vbi monachi prudentiam iuuenis ꝙ tam concinne tutoq́ꝫ sua omnia enarrasset, vehementer quidem admirati sunt.

4 *Ecce nocturnas vigilias, & honesta sanctorum exercitia.*

Quartus igitur cum esset dies, quo apud illos erat, monachorũ primus viæ mẽtionẽ fecit, ac appetente vespera, ciuitate vna egrediũtur. Cumq́ꝫ viginti dies iter fecissent, Tripolim perueniunt, atque ad D. Leontij tẽplum proficiscuntur. Proinde venerandus ac ornatus quidam presbyter domi suę hospitio illos suscipit, quibus, Gregorius ministrabat. quod aspicientes vti miraculum censebant, nimirum quam bona fide illis præstaret obsequium, idq́ꝫ non sedulo solum ac patienter, sed cũ vsque adeo binis atque etiam trinis diebus labore se confecisset, vix ad cibum respicere ac ne tum quidem, nisi monachus ille saneq́ꝫ. molestus hunc ipsum cibum capere compulisset. Hic generosam eius mentem pertentans, sermonem illi de parentibus iniecit. Age fare (inquiẽs) Gregori, num dulcissimi tum parentes tum affines, tum etiam patria memoriam subeuntes tuam, molestia te afficiunt? At ille diuina prudentia & singulari modestia præditus, valde ille quidem ò pater (inquit) sed aliter atque tu opinaris, afficiunt. Siquidem Domino luculenter clamante, qui amat patrem aut matrem supra me, non est me dignus, & qui non vale dixerit omnibus, quę possidet, non põt meus esse discipulus nec dum horũ à me quicquam est egregie præstitum. Veruntamen bonorum suppeditator imbecillitatis mihi auxilium, illis vero doloris consolationem vtinam cœlitus afferat. Hæc itaque ita se habent.

Porro triginta dies Tripoli commorati, neminiq́ꝫ noti facti, illinc egrediuntur, denuoq́ꝫ iter capessunt, ac ad proprium se propositum accingunt. Quamobrem cum quatuor iam mensibus peregrinati essent, Hierosolymam peruenerunt. Locisq́ꝫ ibidem omnibus perlustratis, quicquid in monasteriis ac monachis illic degentibus erat præclarum, id totum assumentes, cum illustrioribus virtute viris consuetudinem habuere. In quodam vero ex illis monasterio, quod à sancta ciuitate non procul aberat, sacros quadragesimæ obseruationis dies egere, in quibus eximius Iuuenis Gregorius tale sui meditatione ac exercitatione mentis documẽtum præbuit, vt stupor monachorum mentes opprimeret. Atqui hospitij præses cum esset oculis animi perspicax, itemq́ꝫ fatidicus, ea omnia quę Gregorio

vsu ventura erant longe ante illi manifeste prædixit, nempe ad sacram illũ pontificiam sedem prouectum, ac multis. insultibus variisq; impressionibus impetitum iri, cæterum non modo iis liberandum esse, sed luculentũ ac insigne futurum eius præconium. Mox consentanea quædam subdidit docens oportere omnino illum Dei timor: institui ac informari, non proprio sensu intumescere, non paupertatem despicere, non vilem quemlibet aut abiectum deprimere, sed afflictiones ac futuras petitiones ęquo animo perferre. Talibus monitis Gregorius non secus ac terra fertilis irrigata, ac pulchra semina iucunde suscipiens, fœcundam virtutis aristam producit.

Cum vero hebdomada quas seruator crucis supplicio est affectus, aduenisset, ipsa duce res admirandas peragi vidit, nempe homines in cœlos à terra tolli, alios quidem instituto ac ratione viuendi nihilo angelis inferiores, alios item. in corpore existentes perinde ac sine corpore essent, cibi expertes degere. Fluxus vidit lacrimarũ fontium fere flumina superantes. Atque ita stupore detentus, ipse se deplorabat: & animo vehementer angebatur. Hei mihi (inquiens) quis sum ego? Quo nam ego pacto cum his viris Dei iudicio sistam? Rursus nolens desperationis profundo demergi, si Dominus (aiebat) propè adest iis, qui confracto sunt corde, & eos qui deiecto sunt animo saluos facit, potest itidem Deus me seruare, ac mercedem, non aliter atque iis qui decima hora conducti sunt, qui omnino nihil operis egerunt, impertire. Hunc igitur cum is apud quem diuersabatur, cum etiam monachus qui hunc ipsum illuc adduxerat, sic grauiter angi atque tristari cernentes, separationem à rebus domesticis doloris tam ingentis causam illi præbere suspicati sunt. Itaque consolatoriis illum verbis sic alloquuntur. Ne tristere (aientes) fili, confidimus enim Deo non multo post domesticos te inuisurum, satisq; voto tuo facturum esse. Quã procul mihi videmini patres (illis inquit) à consiliis meis aberrare. Neq; enim iis de causis afflictor animo, nempe non licere mihi nõ parentes, non affines, non denique patrium solum intueri. est enim mihi instar horum omnium, atque adeo pluris cęteris omnibus occulus Dei, in quem aspiciens, & ab ipso inspectus tristem ac afflictum consolor animum, sed nihil de illius sententia egisse conscium esse, hoc mihi, idq; solum mœroris causam affert. Nam quod ab humanis parentibus absim (parum dicere vereor) his ad consequendum patrem Deum diuitiis cumulatus, magis etiam lætor. Verũ enim necesse habeo vt vos (quæ vestra est sanctitas) pro imbecillitate ac humilitate mea oretis. Hęc cum Gregorius ex animo intimaq; conscientia dixisset, non eum amplius illi cõsolari sunt aggressi, quando ipse abunde quidem alios consolari posse videretur.

5 *Dies dominicæ resurrectionis princeps omnium celebritatum.*

Cum vero dies illa dierum 5 omnium ac celebritatũ facile princeps, qua Christus ab inferis excitatus humano generi vitam dedit, aduenisset, confestim omnes vnà cum præside monachi, Gregorio item, ac tribus illis uiris comitibus in sanctam ciuitatem ascenderunt. Porrò cum illum locum vbi Christus à morte suscitatus est, introissent, cæteraq; loca perlustrassent ac adorassent, D. Gregorius animo gloriabatur, ac tum admiratione, tum voluptate plenus, summum illum in hymnis ac diuinis cantibus ordinem atque concentum intuitus, nihil illum ab angelis discrepare credidit. Proinde cum in Diui Macarij Epi congressum atque colloquiũ venissent, apud illum diuersantur. Cumq; illi summo mane Deum, qui

perpetuus

perpetuus est illis mos, illustri laude cumulassent, hoc residens accersiuit, primumq; illos, Deinceps episcopos, ac clericos, alios item qui præsentes aderant, osculatos communiter ea est alloquutus, quæ animo nouit vtilitatem afferre, ac mox reliqua dimissa multitudine, accersitoq; monacho aciis qui illum aduexerant, si perpetuo lætere (inquit) Marce pater, vndenam tecum ad nos Gregorius Dei seruus iuit qui loca isthæc salutaria nuper adiuit? Cui monachus, non nos (inquit) istum, sed Christus ò pater tuaq; aduexit precatio. Verum Gregorius timore perculsus ob sui ac Marci monachi appellationem (nec dum enim cuipiam sanctæ ciuitatis innotuerant) rubore sanè ac moderatione quadam animi nihil quicquam ausus loqui stupefactus manebat. Deinde duos alios fratres Patriarcha ille appellans, Domine (ait) Abba Serapion, ac tu Leonti pater gratias ago Deo, qui vestros animos illuminauit talem virum ad sancta isthæc loca vobiscum assumere, spiritu quidem (vt Apostoli more loquar) feruentem, temporiq; seruientem, emaculatis præterea precibus ac vitæ innocentiæ sedulo studentem. Neq; enim nos eius vitæ rationem diu cælauit Dominus, vt hæc vobis pariter manifesta fierent, de quibus opportuno fortasse tempore dicemus. Instat autem nunc vt diuinum & arcanum sacrificium Domino celebremus.

Hæc ille loquutus, tẽplum sacrum rem diuinam facturus, petit. Porrò ipse quoq; D. Gregorius in dextro altaris latere Patriarcha sic pręcipiẽte astabat. plæraq; vero eius animum perturbatione subeunte commotus, infra positus ministrabat, flumina interim lacrimarũ ab oculis effundens. Cumq; ita sese Gregorius haberet, ingentis animi humilitatis spiritu inflãmatus, omnia patriarchæ consilia habuit explorata, & Spiritus sancti gratiam ipsum adumbrantem, vt plęrisq; ille secutis temporibus enarrauit, euidenter vidit. Postridie igitur eius diei Marcus monachus Archiepiscopum precabatur, vt se, ac qui cum ipso erant monachos, missos faceret, quo cum cæteris illic agentibus fratribus institutam vitam sequeretur, & ita recta domum abiret, cum id nihilo secius de sententia ac voluntate illius fieri vellet. Hoc illis cum Archiepiscopus potentibus annuisset, ad nouum sese dominicum diem reuersuros pollicẽtibus, proficisci domum imperauit. Verum cum hęc haud quaquam Gregorio perspecta essent, quod is tam monachis præsens non affuisset, cum illi sese viæ dedissent, Macarius Gregorium accersiuit, eiq; quæ gesta essent, edisserit, addit etiam nulla ipsum ob id molestia affici oportere, maturam enim fratrum reditionem ac propediem fore. Quod vbi se illis destitutam iri resciuit, molestissime tulit, At tum sese lacrimans illius ad pedes ac genua proiecit. illumq; hortabatur ac orabat, se vbi nam illi terrarum essent, edoceret. (Existimabat enim illos procul à locis sanctis abiisse.) Ille vero non plus viginti stadiis Romanorum vicum à ciuitate distare dixit, quo non ita pridem illos peruenisse simile veri erat. propterea nihil de illis solicitum esse, neq; vereri sese illorum precibus cariturum, monebat. Quãobrem bono animo illum esse iussit, spopondit q; non se illos prius huic itineri dedituros, quam ad se denuo reuertantur: qui cum esset hunc in modũ loquutus, multũ ille de dolore remisit, & exinde Archiepisc. tum in precibus, tũ in sacris cœtibus adhęrescebat. cernẽsq; eius vitam vti quoddam virtutis exemplar illam apud se sedulo ac diligenter obseruabat.

Cum vero dies Domini proximus aduenisset, monachi vt imperatū illis fuerat, præsto fuere, quos cum D. Gregorius vidit, omni voluptate refertus est, ac totam illam noctem vna cū illis insomnem pertulit, 6 precibus item ac lacrimis inferuore spiritus insistens, pro se sancte Dñm obtestabatur. vti exercitationis ac meditationis istius cursum perficeret, ipsisq; hæreditatem ac partem communicaret. Deinde ita simul summo mane Archiepiscopum Marcus adit, eiusq; pedibus prouolutus orabat, vt suis se precibus tanq̃ viatico quodam bene instructo communitos dimitteret. horum vero ille singulis imposita manu, ac sublatis in cœlum oculis, Deus (inquit) qui cœlum, terram, ac mare & quicquid in eis est, condidisti, qui omnia ante ortum illorum probe nosti, ipse hos seruos tuos, qui sacro sancti tui nominis causa sancta isthęc loca inuiserunt, fructumq; tua dignum maiestate, Gregorium inquam, qui præsens nobis adest, seruum tuum attulerunt, conserua, ac in via illorum dirige, siquidem sanctus es in secula. Ac cum omnes Amen, subdidissent, complexatus illos in pace dimisit. Hos abeuntes Gregorius cōspicatus, acriter animo doluit, ac pręproperе festinans illorum ad pedes proiectus solum se ibi relinqui lamentabatur. Hei mihi (inquiens) quis sum, & quo me vertam? Quo nam ego pacto vobis patres ac seruatores destituar? Vos secundum Deum salutis meæ auctores, ipsi boni probatæ mihi vitæ magistri fuistis, ipsi errantem inuenistis, inuenientes rectę vię reddidistis. multis item fluctibus naufragum ac pene demersum in trãquillum ac securum portum aduexistis. Nunc porrò quomodo tam miserabiliter diuellar à vobis? Qũo separationem hanc à vobis ferram? Hæc cum Gregorius gemebundus dixisset, præseq; maximam animi turbationem lacrimis ferret, Marcus vir admirandus tam futuris prædicendis, quam solandis amicis potens, hunc paterne excepit.

Precibus & lachrymis per totam noctē insistebant.

Ac non sic tu quidem fili mi dixeris (ait) non. Neque enim solum te esse putabamus, quando præsertim Christus sua te vocatione sancta dignatus in patrum chorum cooptarit. Atque huic te quoque communi & optimo patri, qui quæ ad te spectant recte administrabit, & quam fieri poterit fœliciter suscipiet, ipse commendo. Sic ille loquutus manuum apprehendens ad Patriarchæ pedes illum statuit. Pater venerande (inquiens) & hic est ex grege Christi, isq; fide Ecclesiam fundaturus, ac eam doctrinæ cœlestis prædicatione vti clauo diuine gubernaturus est. Quãobrem eius animæ curam habeas, illamq; tua sustentes doctrina oportet persuadeasq; meditationis ac exercitationis laboribus insistere, splendentem se conseruare non pulcherrimum ac vti veris tpe florentem aspectum iuuenilibus cogitationibus quasi maculis quibusdam inquinare. Hæc tum dicebat monachus, cum Gregorius grauius animo tristaretur, ac lacrimas abundantiores effunderet. In quo quidem & qui præsentes aderant. hæc cernentes condolescebant, quin & ille ipse Patriarcha misericordia permotus est, Gregoriumq; adhuc iacentem erigens. Video te (inquit) fili horum virorum separatione grauiter affectum. Quare si placet vt hac nostra vtaris consuetudine, nobiscum esto, tuaq; omnia Christus vt velle ipse videris, recte constituet, at vero si discedere magis lubet, in pace cum illis abi. Atqui Gregorius non hoc quidem (inquit) Domine accidat, auerseturq; Deus, vt hæc loca quæ videre precatus sum, & pro quibus hanc

tam longam peregrinationem confeci, derelinquam. Verum facere non possum, cum vehementer illos diligam, quin aliquantulum afficiar. Qm̃ vero illos abire necessarium fuit, existimo sacras illorum preces vti tutelam quandam ac euentum vitæ instar ipsorum, mihi non defore. Confido enim Deo hac ipsa etiam præsenti vita illos iterum me conspecturum. Talia loquutum monachi circũ astantes ac ardenter circũplexi, lacrimis manifestam proculdubio significationem fecerunt, q̃ ęgre ab illo separarentur, à quo vix tandem auulsi ac in ordinem compositi, inuiti abierunt.

Porrò cum Hierosolymis hic permãsisset, veneranda illa ac sacra loca, nec non monasteria, ac monachorum domicilia perlustrauit. & operosam apim sedulo imitatus, virtutum flores diligenter excerpsit. Atque iis sese studiis Gregorius continebat. Verum monachi cum Tripolim peruenissent naui conscensa in Siciliam nauigantes, Agrigentum sunt aduecti. monasterium vero quod ibi proximum erat, adeuntes, apud Pręsidem diuersantur, quem quidem Marcus futurorum præscius cum nunquam vidisset, proprio nomine Paulum appellans, in stuporem coniecit. Ac de prædicto sancto Potamione, quem nunquam antea illi cognitum esse existimarat, percontatus, nihilo minorem admirationem iniecit. Itaque cum mensa illis esset apposita, ac panis & aquæ (vti illis moris est) mutuo participem fecissent, viros Episcopo manifestat, & vt Marcus hominem quem nunquam viderat, nominatim appellarit, quo ille nuntio mirifice gauisus est, id'q; inexpectato lucro apponens, ad ipsum cõfestim properat. Porro cum illos obuios habuisset, cõplexatus, & per illos quidnam apud eos ageretur, qui nam essent, quoue hac peregrinatione contenderent, cognoscens, & rursus cuius rei causa nauigationem facerent, cum illis breui commoratus, ac diuina quædam commentatus, ad Ecclesiam mysticum sacrificum celebraturus proficiscitur. Is enim Petri & Pauli summorum Apostolorum dies 7 festus erat. 7 Dies festus summorum Apost. Petri & Pauli.

Postea autem die post matutinas laudes, cum Episcopus illis adesset, deq; rebus diuinis ac salutaribus cum illis familiariter loqueretur, statim Gregorij parentes in vrbem ingressi sunt, vt illi tanq̃ mortuo parentarẽt. eodem nãque die mortuus illis visus fuerat. Atqui cum mater Gregorij æquæuos pueros vidisset, filij memoriam subiens visceribus est grauiter intercisa, quippe horum aspectus fletus illi causam ministrauit. Hei mihi (dicens) fili dilectißime, fili tam ingens inter æquales splendor, quam sol inter astra. Hos quidem tui causa omnes intueor. Tu vero vbi es terrarũ? Cur es (oro) in lucem æditus? Vtinam mortis tuæ genus agnoscerem. Vtinam locum vbi occubuisti. Atque vtinam scirem siqui tibi fuerunt mortis auctores. Tuæ nãque calamitatis ignoratio mihi dolorem auget, facitq; vt cum sic lugere cogar, ignorem in quo mihi iure sit lamentandũ. Alias.n omne mortis genus suspectũ facit, alias oĩbus compellit diffidere. Nũ quæ syluestris te fera rapuit? at ferrarum tecta sunt syluæ. Nũ qui te latrones interfecere? Sed quis tã dirus atq; cruentus animus, & humanæ tã expers naturæ? ac vt re ipsa ad crudelitatem lapis esset, qui non tuam (obsecro) iuuenilem ętatem vereretur? q non ob formæ spẽm misericordia flecteretur? Sed qd hæc frustra lamentor? Deus à quo consolationẽ infelix inuenio, vbinam ipse sis scire solus põt. Talia cum mater lamentaretur, plęriq; oẽs ciues illuc conuenerant, eiusq; luctu commouebantur.

Verum cum vlulatus in altum tolleretur & Marcus eiulantem sensisset, eius causam scisitabatur, multum & ipse amareq́ ingemiscens, lacrimas verbis commiscebat. Ego pater (inquit) grauem tibi casum edisseram. Vir quidã honesto genere ex vico nostræ ciuitati proximo, oriundus, cum diuitiis florens, tum mente multo locupletiore præstans, sua oĩa pauperibus communicabat. At vxorem piam admodum & ornatam ducens, filium ex ea precum ergo genuit, quem è sacro baptismate ipse suscepit. Videns igitur pater prolis susceptionem, & preces voto stetisse, ex eo tempore ab vxore abstinuit. Porro filium octo iam annos natum accipientes, ad me adducunt, quem ego magistro primum grammaticis instituendum trado, Deinde ipsum tondens, ac in Ecclesiæ collegium cui præsum asciscens, in Archidiaconi mei fidem committo, mandans vt quã celeriter fieri posset, in diuinam legem accurate incumberet. Qui ita tum natura adiutus, tum studio, breui in omnibus euasit conspicuus, vt nemo per vniuersam Siciliam illi comparandus inueniretur. Itaque puer vel Dæmonis inuidia, vel nescio qua sortis malignitate vsus, oculis nostris repente tollitur. nec postea tanta eius calamitas cuiuis innotuit, neque sanè quicquam de illo in hunc vsque diem nobis est proditum, vtcũq́ vniuersam Siciliam diu multũq́ obierimus, nihilo plus aut inuenire aut discere quiuimus. Quocirca nos itidem inconsolabili propè illius causa dolore cruciamur, nihil nobis hactenus (quę Dei Opt. Max. voluntas fuit) exploratum esse. Sed cum cæteris multo vehementius parentum eius animi dolore conflictentur, nunc lugentes adsunt eius 8 memoriã dodierno die celebraturi, in quo, patres, amisso filio, appellari desierunt.

8 *Nota quomodo etiã tunc mortuorum uniuersaria celebrabantur.*

His auditis ille diu elinguis factus, ac post lacrimis plenus, in medium illos prodire petiit, & quænam hæc esset, cur tam grauiter cæderentur, interrogauit. Cumq́ ij præ tristitia quam plurimum illos opprimente, intercisam ac impeditam vocem haberent, neq́ cãm ipsi fari possent, cernens ille affectus vehemẽtiam, Simulq́ aspectus (oculis in CHARITONEM coniectis) accuratius perpendens, quasdam non obscuras similitudines ac veluti characteres, agnouit siquidem ipse quoque valde decorus erat aspectu, & coma flauus, ac (vt paucis expediam) certa seruantem signa perspiciens, nihilq́ reliquum esse, quod non optime quadraret, secum ipse colligens, Præstat (inquit) vos fratres omnino Deo gratias agere, quandoquidem quicquid vnquam accidit, ad abdita illius & incognita iudicia, (ipso probe omnia gubernante) est referendum, non autem sic inconsulto lugere, non secus sane ac si filius vester vobis iam pridem pessum abiisset, licet enim is vos lateat, nihilo tamen minus Deo est manifestus. Hæc cum CHARITON audisset, ac eiusmodi verba sui cõsolandi grã fieri incassum arbitraretur. Hoc ipsum pater (ait) verum esse omnino fateor, si enim ex Diuinis scriptis inferi & interitus Deum non latent, quomodo non etiam hominum corda illi erũt manifesta? Proinde si & filius noster interiit eius anima saltem Dei manibus contineri credendum est. Atque hactenus quidem CHARITON.

Porro Gregorij mater ad os Marci oculos adiiciens, fixius intuebatur, ac eiusmodi sermonem audiens, animo suspensa corde nutabat. Deinde cũ monachus dixisset recte cum illorum filio agi, illisq́ fletum reprimere præcepisset, Donatum Archidiaconum confestim accersit, assistenti silentium

tium vt vitium acriter obiicit. Quid causę (inquit) est ô homo, cur nequā illum seruum imitatus talentum Dei magnum in terram abdideris, non illud potius palam feceris, vt sic voluptatis non mæstitiæ tum parentibus pueri, tum communi huic patri & archipresuli auctor fieres? Nunc ergo cuius criminis reus es & qua pœna plectendus? quippe qui tam ingentis illis mæroris auctor factus, Dei gratiam quātum in te fuit, occultaueris? His verbis Archidiaconus palore infectus est, ac artus eius omneis tremor inuadens, illius faciem mutauit, seseq́ in terram abiiciens amare flere ac ingemiscere cœpit. Ac Dauidis verba contra se pronuntians, peccaui in Dominum meum, & in vos omneis aiebat. Data igitur illi venia humi iacentem erexerunt, ac omnia Gregorij acta accurate illū dicere nihil omnino prætermittentē, imperarunt. Sed ille exorsus rem singillatim omnem edisserit, & quemadmodum cum se sommo dedisset, quædam vox per quietem puerum inclamauit, & vt ille assurgens sibi præsto fuerit, quotiesq́ illi vox insonuit, & demum quæ abs se, qualia'ue didicerit, nempe qui vocarat è cœlo aduenisse, ac quemadmodum postrema vox apparuerit, eius ipsius aures percellens, littus sibi protinus petendum, futurum enim, vt illic inueniret, quibus cum mare celeriter traiiceret. His in excusationem dictis finem lacrimis fecit, hāc silentij causam fuisse asserens, veritum se, ne quando fide dignus inueniretur, ne'ue insimularetur in adolescētem mali aliquid fuisse molitum. Atque Archidiaconus in hunc est modum locutus.

At Marcus quæ ab illo de puero dicta fuerant, affirmans, ipse quoque adiecit, Gregorij vitam sibi esse perspectam ac exploratam, isq́ ita loqui cœpit. Cum essemus Romę inq́ templo summorum apostolorum oraremus, duo nobis formidabiles viri astiterunt, qui mihi surgæ (inquiunt) Marce repente cum duobus qui tecum sunt monachis, & Chartaginem nauigatione contendite, ibiq́ Gregorium quendam siculum ab Agrigenti ecclesia illuc aduectum inquirite, is enim Naucleri cuiusdam, qui Varus dicitur, conuictu familiari vtitur, Deoq́ totus hæret. Hunc vobiscum assumentes 9 Hierosolyma vsque perducatis, quo appulsi, Patriarchæ, cui, quę illo facere oporteat iniunximus, illum sistite. His dictis ab aspectu atque oculis mihi sublati sunt. proinde ego cum à somno solutus essem, ad flumen cum his duobus monachis maturo proficisci, vbi nauem velis pasis (Deo sic annuente) velificari Chartaginem comperi, quam conscendentes Charthaginem traiicimus, eamq́ obeuntes adolescentem ad ædem Diui martyris Iuliani lectioni vacantem offendimus, quem complexi & alloquuti, quæ se nostro oculorum sensui obtulerant, edicimus, & quæ ad illum contra pertinerent, omnia cognoscimus. Tum læti lætum ipsum accipientes, ad sacta loca deduximus, tam verborum dexteritate, quam splendore morum omneis ad se trahentem. Cum hæc Marcus percurrisset, res quædam cōtigit cognitione atque memoria digna, siquidem vniuersa multitudo hoc sermone tanquam insania quadam percita exilire valde ac iucunde admodum plaudere cœpit, sublata item voce aerem clamore implentes, Deo ob rem tam admirandam gratias agebant, eiusq́ nomen miris laudibus cumulabant. Atque hinc quidem multitudo magna communiter perfusa lætitia, tum præsertim parentes Gregorij præ voluptatis vbertate à constantia mentis desciuere, in terramq́ semimor-

9 Et his diuina visio peregrinationem ad loca sancta iniungit.

tui ceciderunt. Vt enim immoderatus dolor plærunque in stuporem agit. Sic nihil minus voluptatis magnitudo homines a mente discedere compellit, vt vtrinque graue periculum impendere constet.

Mox coram Marco assurgentes vixque sui compotes facti, dictis fidem, idque fortasse præ gaudio) iuxta Diuina scripta (ad huc autem illis non credentibus præ gaudio) non habebant. Proinde dictorum fidem perinde atque isthæc verba somnium essent, fieri sibi postulabant. Nunquidnam (aiunt) filius noster, vnigenitus, dilectissimus viuit? At ille, hunc bene beateque in Deo viuere dixit. Vt vero nihil illis de quo ambigerent, relinqueretur, formam eius effinxit, adolescẽtem illum sane quam decorum patrem valde referre suum, colore fuluum, pulchrum oculos, prædulci voce, acutis auribus esse, ac demum mores eiusdem per omnia recensebat. quam ille prudens, quam sciens, humili loco positus mentis oculos in cœlos tolleret, ac vndique fauorabili exceptus plausu, in diuina scripta semper incũberet. Ac velox quidem optimis quibusque tum loquendis tum audiendis, cum alioqui tardus ad loquendum foret, leuitatis vero quamlibet minimum nec dicere nec audire nunquam omnino sustinuit. Risus, quam qui maxime continens erat. Assiduis præterea laboribus, asperrimæque exercitationi hærebat. Cum hæc atque his longe maiora monachus loqueretur, illa hominum frequentia lætitiis omnibus incessit. Puerique laus parentibus pro filio in consolationem stetit. Illum ipsum enim intueri videbantur, sic eius indicia animi atque vestigia manifesta percipiebant. Ac de his quidem hactenus. Porro monachi triduo illic commorati iter suum presequi instituerunt. Quo circa nauim subeuntes Panormo secundis vento celeriter applicuerunt. Illinc Romam patrium solum, suumque ipsorũ monasterium petunt. Et is quidem eorum peregrinationem finis excepit.

Gregorius vero Hierosolymis (vt sermo superius indicauit) existens cursumque suum conficiens, quin potius seipsum vincens, secumque ipse decertãs, Diaconus a Patriarcha Macario deligitur a quo Diuus Gregorius cõmeatum oliuarum montis patrumque in illa sanctæ ciuitatis solitudine degentium visendorum gratia petiit, cuius cum arbitrio hoc ipsum permitteretur, iter quo fertur in interiorem eremum adgreditur. Cumque tres dies iter fecisset, ad sextam fere horam monachum consuetis vacantem precibus reperit, quem cum conuenisset in sermonemque familiarem incidisset, quando ille nihil minus hunc ipsum virtutis deprehenderat amatorem, in vitæ secum contubernium accepit. Verum cum post viginti dies vna cum Gregorio illac iter faceret, locum in quo monachi domicilium, duæque palmę erãt indicauit. ingens hic o fili locum digito signãs subdidit ille, thesaurus est abditus, nempe exercitationis laude pater eminẽtissimus, tuusque id nisi ipse detrectes, seruator futurus. Proinde accede, & pulsans

10 fores, obuiam tibi prodeuntem habebis, quod si psallendo distinebitur, cantum 10 cum illo foris alioquin stans, prosequere, cum vero canendi finem fecerit, hinc tibi curę sit, quominus hac ipsa frustreris indagine. Hæc sane cum ille dixisset, essetque Gregorium amplexatus, discessit.

Ecce quantum psalmorum monachis vsitatum ab antiquo tempore.

11 At vero cum hic flexis 11 genibus oculos sursum in cœlum tollens, orasset, seseque crucis signo 12 præmunisset, fidenter gradiebatur. Cumque ad locum pertineret, canentem quasi turbam audiuit, sed cum propius accessisset, non tum multitudinem, sed veluti tres canentes audire sibi visus

Orat sanctus flexis genibus, oculisque sur

est. Quare timore perculsus, ad ianuam silens appropinquabat, sed ille cũ cantum intus explesset, per transennam aspiciens, voce Gregorium inclamauit. Hic vero multo magis ob nominis appellationem pertimescere cœpit, & vocanti parens ingreditur, seseq́ lacrimis ac sudoribus circunfusus illius ad pedes proiecit. Cumq́ ab eo Deum vt pro se oraret petiisset, sibiq́ illud ipsum præstitũ esset, apud senem cõmoratur, grammaticamq́ & quicquid 13 poetarum libris continetur, Rhetoricam item, ac philosophiam illam quę animo & contemplatione cernitur, nam quæ in rerum actione versatur iampridem didicerat, edocetur. Siquidem senex ab his omnibus belle paratus erat, litterarumq́ Græcarum doctorem se præstabat eximium. Tam affabre Gregorius litterarum diuitiis auctus, nec minori morum atque virtutis accessione facta illi adhærescebat, à quo quæ nam se vexationes inuasuræ essent edoctus, (erat enim Diuinus ille vir inter cætera venturi pręscius) rursus ad sacra loca pergit, in quibus cũ per annum vixisset, illinc in Antiochiam abit, apud quam moram trahens, annum itidem commoratus est. Cumq́ esset plureis eruditos sermones interpretatus, nec paucos ipse composuisset, omnibus sui admiratione iniecta, ad magnam ac regiam Constantini ciuitatem concessit. quando Diuina illum omnino prouidentia eo compelleret, & à cæteris quidem mundi curis abstractum, ad munus illud, ad quod obeundum vocatus fuerat, hortaretur.

sum in cœlum sublatis.

12 *Signat etiam sese signo Crucis.*

13 *Vides sanctum externis disciplinis operam dedisse?*

Hanc subiens apud monachum sapientiæ studiosum, qui Sergij & Bacchi martyrum domui olim præfuerat, diuersatus, rem non paruam quidem effecit, dum Ioannis Chrysostomi sermones aureos percurrit. Nã sententiarum illius dulcedo, ac vbertas, nec non verborum pulchritudo ipsum illexerat. tum nouam illam subinde structuram mire afficientem, omniaq́ eius scripta donis plena cœlestibus contuitus, hinc illius animi celsitudinem prout poterat non segniter edoctus, ardore quodam animi erat accensus, & ad eius vitam, vti exemplar quoddam longe pulcherrimum oculos intendens, imitari illam sedulo nitebatur. Hinc crebrioribus se ieiuniis dedidit, 14 vigiliis insistebat, precibus vacabat assiduis. Quæ vero illi circa Ioannem contigere, eadem domus eiusdem præses sibi circa illum vsu venisse comperit. Cum enim & is ieiunium admirabile cerneret, (neque.n.cibum nisi septem singulis diebus, ac tum quidem 15 olera modico condita sale accipiebat.) ac vigilias naturam humanam egredi, nihilo secius laboribus inuictum precibus ac contẽplationi constantissime inhærere, stupore magno affectus, non continuit, quin hæc ipsa à silentio vindicaret, & patriarcham, cui acta illius omnia manifestat, rerum omnium participem faceret. Ille his auditis gauisus est vehementer, ac sapientes quosdam viros, per quos aliquod illius periculum faceret, ad illũ legare, ac mox Gregorium ipsum accersitum apud se continere decreuit. Tum enim splendor noctis nempe sapientes, interire cœperant, ac vno die periisse omnes & ab aspectu hominum procul visi sunt exulasse. Mittũtur igitur ad illum Maximus quidam philosophus, ac Constantinus tum Ecclesiæ librorum custos, viri non modo ipsi eloquentes, sed qui alios etiã loquentes iudicare possent. philosophia quidem plurimum exculti, atque etiam ad sententiam ac mores hominum rimandos instar lydij lapidis indices, qui cum ad illum profecti essent, ac sensus generositatemq́ animi

14 *Aduerte sancti uiri exercitia, Ieiunia, Vigiliæ, Preces.*

15 *Ecce austeritatem uictus & ciborum delectum.*

perſpexiſſent, itemq́ delectabiles mores, ac ſermonem melle ſuauiorem fluere, linguam longe præſtantiorem, quam vt dubitatione aliqua ſibi propoſita vinceretur, nihil enim ex his, quæ ad Theologiam pertinent, eorumq́ quæ indiſſolubilia eſſe putantur, diſertæ atque cœleſti eius linguæ in quæſtionem reuocantes, reperire potuerunt, in quo non hos magis ille ſolutione percelleret, in maximamq́ traheret admirationem. Hæc cũ experientia didiciſſent, non inuidia quæ honeſta eſſent occultarunt, quin potius nũtij atque pręcones apud omnes, & ipſum imprimis patriarcham illuſtres facti, Gregorium ſolum inter homines cum ingenio, tum lingua inuictum aſſerentes, reuerſi ſunt.

Vbi vero eximius ille vir haud quaquam ſpernendus viſus eſt, confeſtim ad ſe Patriarcha illum accerſiuit, qui inuitus quidem ducitur, erat enim quietis apprime ſtudioſus, ſimulq́ poſtlimimo redire, illincq́ proficiſci maturabat. Paret nihilo ſecius, & coram Archipræſule poſitus, cum moribus eſſet tranquillus, aſpectu venerandus, & alloquij ſuauitate ſirenas haud fabuloſe loquendo vinceret, ita illum vehemẽter deuinxit, ſibiq́ totum obſtrinxit, vt ſine illo nullo pacto conſiſtere vellet. idq́ in primis quia nihil à ſapientibus proponebatur, quod non ille magna cum perſpicuitate ac ad perſuadendum aptitudine interpretaretur. Proinde viginti illic dies commoratus, interimq́ cum ſapientia, tum ſingulari manſuetudine ac modeſtia admirabilis omnibus habitus abeundi rurſus verba fecit. Sed cum Patriarcha nollet ipſum dimittere, quin omni illum ſtudio retinere niteretur, alias cauſas aſſerens quibus illi remanendum eſſet, Monotheletarum enim hæreſis plurimum tum ſerpebat, & hic ſolus nexus illorum facile perfringere poterat, tũ ſanè licet inuitus remanere eſt perſuaſus. Iam vero vbiq́ ad bellum conclamatum erat, ab vna quidem parte Sergius, Pyrrus, Paulus, & Cyrus qui iam hæretici declarati fuerãt, ab altera quicunque hæreſim deteſtantes, pro vera pietate ſtabant. Ipſe vero praua ſentientes licet procul adhuc poſitos intortis vibratisq́ iaculis fugabat variis circa dogma ſermonibus æditis, quibus omnes illorum opiniones riſus & meras eſſe nugas euidentiſsime demonſtrarat.

Poſtea vero quam bellum erumpere palam cœpit, tum hæreſeos viri principes occurrerunt, tum ex his qui recta dogmata ſectabantur, pręſtantiores illuc confluxerunt. Aderant Antiochiæ, Alexandriæ, ac Hieroſolymorum, ſimulq́ omnes orientis pręſides, Itemq́ ab occidente omnes pręter Romę antiquioris, & Sardinæ Præſules, hos enim grauis morbus intra fines continuerat. At Romanus hominem ſacris literis eruditum, qui ſuas vices impleret deſtinauit. Gregorius vero in Sardonij locum ſuffectus eſt. Quo circa cum magnum illo die (vt par erat) de ſacris literis certamen ortum eſſet, aliis quidem rerum, aliis vero verborum fiducia fretis, dum hæretici acri ac ſuaſorio quodam ſermone quo veritatem occultare opinabantur, vtuntur, Ille vere generoſus ac inexpugnabilis lingua, qua tum Diuina opitulante gratia plurimum roboratus eſt, ſic eorum nexus tanta vi orationis & ardore ſpiritus fregit, vt eos qui dicendi laude plurimum præſtabant, mutos omnino redderet, & eorum linguas penitus auferre videretur, ac ij præterea ipſi ſilentes ſeſe victos eſſe faterentur. Itaque Patrũ quidem Synodus plaudebat, hæreticorum vero multitudo, alij & ij quidẽ illuſtriores depoſito errore noſtris adhæreſcebant, alij vero plurimi propter

pter verecundiam in medium prodire non audebant. Hunc exitum Synodus habuit, solusq; Gregorius per oium ora & pręsertim patrũ volitabat.

At aliis tum admirantibus, tũ vota pro illo facientibus, Archipræsul secum illum accipiens, ad Regem adducit, Hic Rex optime (dicens) Hic inquam est ille victor, ac nostrę fidei propugnaculum. Tum Rex ac vniuersus circumstans senatus admiratione ac laudibus hunc exceperunt, mox Deo gratias agentes multa cum reuerentia & honore deduxerunt. Deinde Rex ipsum accersiuit, simulq; cum illo locutus, quisnam esset, ac vnde gentium veniret, & quas orbis regiones peragrasset, quę illi demum tantæ peregrinationis causa, quæ præterea mens fuisset, agnouit. Quo factum est, vt illum ex animo vehementer admirans, homine multo maiorẽ æstimaret, quodq; in eius conspectum venisset, multas hoc noïe Deo & Archiprępsuli grãs debere fateretur. At vero Gregorius priori proposito innixus consuetudinẽ illam ac honorem ægre admodũ ferebat, quin abitum illinc modis omnibus meditabatur. Hunc deniq; Martiani cuiusdam qui Regi perquàm familiaris erat, opera consequutus, cautionibus ac legibus quibusdam dimissus est, nimirum inuiseret Romam, cumq; vrbis illius pulchritudinem ac magnificentiam vidisset, essetq; summos Apostolos veneratus, rursus q̃ celerrime posset, reuerteretur, Regis contubernio in posterum adhæsurus. Porro antequam ille Romam adiret, Episcopi quos Pontifex Max ad concilium miserat, eius aduentum anteuerterant. Pontificemq; ipsum. ac omneis Regni eiusdem præsules in maximam illius admirationem euexerant. Quamobrem illustris ille vir expectatus aduenit, & maiorem illis sua pręsentia quam cuius vis sui prædicatione stuporem induxit. Cæterum turbam vitans, frequentesq; hominum congressus declinans, neque temere sese nec inconsulto in cuius vis colloquium dans, iuxta Diui Sabæ domicilium commorari decreuit.

Cum hæc interim apud Gregorium agerentur. Theodorus Agrigenti Episcopus, qui iam Potamioni successerat, vita ipse pariter defunctus est. Inde dum alij alium proponerent (vt vsufere in eiusmodi suffragiis euenire solet,) seditio in populo nascitur, & tumultus à multitudine cõflatur. Alij enim Sabinum quendam presbyterum, Alij Crescentinum, Alij Archidiaconum Euplum, & alij alios in sede collocare studebant. Cumq; vnusquisque designatum à se authoritate Pontificis firmari, ratumq; fieri vellet, Romam ire perrexerunt, rem (vt moris est) Pontificis Max. arbitrio permissuri. Horum in comitatu Chariton Gregorij Pater aderat. Atqui illis Romam accedentibus cum hinc Sabinus, inde Crescentinus consisteret, Euplus ac reliqui illos ordine sequebantur. Quo circa interrogati quemnam sibi vellent Episcopum præfici, Aliis Sabinum, aliis Crescentinum petentibus, Pontifex conuersus ad eos qui erant ab Euplo, quid vobis (inquit) videtur? Ii per Charitonem responderunt, se illum, qui Deo in primis, & illius iudicio videretur, suscepturos. Hoc sanè nobis (aiunt) erit optabile, quod enim tuo iudicio probaueris, id ipsum quoque Deo placere omnino existimamus. Deinde Pontifex iis qui à Sabino ac Crescentino stabant, ait vnum aliquem ex omnibus qui vobis cordi magis sit, vnanimes designate. Cæterum prudenter illi nihil responderunt, quin tumultuose agentes ipsi inter se conuiciis turpiter lacessebãt. Propter imprudentem illorum seditionem indignatus Pontifex illorum postulata

irrita fecit. Verum post triduum Euplum ac Charitonem accersens, illos consilij sui participes facit. Rursus illi Dei placitum expectare, & quem ille manifeste approbasset, hunc itidem sese dixerunt eligere.

Quamobrem cum Põtifex penderet animi, Deumq; assiduis precibus oraret, vt quem is probaret, eundem perspicuum cœlitus faceret. Duos homines per quietẽ sibi vidit assistere, specie ac cultu corporis Apostolos referentes, qui se in hunc modum visi sunt alloqui. Cur ob inuicem dissidentium contentionem animo cruciaris? Nam qui ad te vt eligantur ab eisdem adducti sunt, hoc onere atque conatu haud quaquam sunt digni. At quidam alius est in urbe hospes, vir moribus ornatus ac Deo charus, Gregorio nomen est illi, hic aliquandiu in Diui Sabæ monasterio hospes egit, sed cum hosce viros aduentare ad vrbem intellexit, multo magis se occultauit, ac nũc in sacra diuĩ Mercurij æde latet occultus. Hunc accerse, & Agrigenti ecclesiæ præfectura insignitum in Siciliam primo quoque tempore transmittito. est enim vir cum sacerdocio dignus, tum regundæ illi ecclesiæ maxime idoneus. His dictis, simulq; cum lineamentis illum corporis indicassent, ab oculis elapsi sunt. Simul ac vero somno ille solutus est, timore ac gaudio perfusus, cum Marco monacho, quæ sibi per visum apparuerant, communicat. Porrò hic erat Marcus ille, quem Gregorio comitem itineris missum, ac deinde Romam in patrium solum reuersum fuisse, superior sermo demonstrauit. Hic Pontifici hoc visum gratulatus, monuit oportere illum iuxta visionem agere. Tum quidam exploratum mittuntur viri scelecti, quique illum probe norant, ac duo præterea episcopi, qui à concilio antea reuersi fuerant, quibus alter quidam sacerdos illi cognitus comes additur. Hi simul monasterium diui Sabæ quam primum adeunt, vbi intelligentes illum biduí antea egressum ad templum sese diui Mercurij contulisse, Illuc maturant proficisci, eumq; inde mox digressurum inueniunt. qui illos eminus cõspicatus, & qui nam essent de facie agnoscens, ac demum quid à se vellent cõiectans, in hortum se in mediis plantis fugiens abdidit.

Cum vero illi à præposito domicilij eiusdem Gregorium acriter repeterent, hunc si dimitteret grauiter interminati, ille animo atque cogitatione suspensus, ab episcopis moræ Paulum impetrauit, nec prius acquieuit, donec vniuersam domum accuratissime scrutatus perlustrasset. Hortum itidem obiens, & oculos arboribus adiiciens, medium illis obrutum ac latitantem cernit. Accurrens ergo manu illius apprehensa se quærentibus educebat in illum sæuiẽs clamabat magnis illum (vt apparebat) obnoxium & obstrictum esse criminibus & propterea eiusmodi viris inquiri, itemq; exultem ac profugum, templum illud, vt ibi lateret, petiisse, ac graue sibi hoc nomine periculum attulisse. Et ille quidem hæc ita se habere arbitrabatur. Ille contra nihil locutus, quasi nulla subesset sibi ratio ad respondendum, silens egrediebatur. Vbi vero viderunt illum Episcopi & agnouerunt, pudore erga illum affecti, eiusq; genibus aduoluti, complexantur, magni se nihil agere opinantes, si quem à concilij patribus, atque adeo à Rege ipso honorifice exceptum viderant, ipsi quoque summo honore complecterentur. Verũ enimuero diuus Gregorius, non segnius se demittens, honorem illis nihilo minorem rependebat. Sub hæc audiens is qui Gregoriũ accersierat, Talia nutu Dei regi & administrari persuasus, illos

sequebatur. Dum hęc aguntur, Marcus, qui eius ipsius à puero vita quiue innocentes mores fuissent, Pontifici Max. narrabat quemadmodum ex diuina visione assumptum ex Sicilia ad sancta eum loca aduexisset. Identidem Pontifex quę à synodo profectis audierat, Marco cōmunicat, nimirum vt literarū pręstantia coruscans hæreticorū ora illic obstruxerit.

Interim vero dum hæc illi mutuo commentantur, Episcopi Gregoriū secum adducentes redierunt, qui cum propius accessissent, formæ illius lineamenta ad visionem quam in somnis viderat, conferens Pontifex, eūdem ipsum, qui sibi in quiete visus fuerat, intueri est persuasus. Quare hilariter illum admodum complexatus, Deoq; quemadmodum tempus postulabat gratias agens, in sede locandum præcipit. Aderat & Marcus cæteris assidens, quem Gregorius conspicatus, eius sunt elicitæ gaudio lacrimæ, ac à sede cum primum potuit exiliens, sese illius ad pedes proiecit, Deoq; multiplices & immortales gratias egit. Te glorie Christe Rex (inquiens) Te gloria decet. En tibi rursus seruator meus, Dux meus, spei meæ principium. Deinde Marcum ipsum alloquitur. Ecce tuum pater iampridem prædictum vaticinium nunc finem accepit, fore vt nos denuo hac etiam præsenti vita mutuo videremus. His non sine lacrimis à Gregorio dictis, præsentes omnes mirabantur, gaudijq; participes facti lacrimas cum illis communicabant. At vero Pontifex Max. præsentes omneis dimittit, solos episcopos duos atque Gregorium retinet, omnia illis (vti se habent) acta, tum turbæ seditionem tum dubitationem quam habuerat edisserit, eaq; addit, quæ sibi in somniis diuinitas apparuerant, asserens illum Agrigentinorum ecclesiæ episcopum cœlitus electum esse. Hæc cum Pontifex loquutus esset, Gregorius sacerdotium detrectare ac recusare, indignum se minusq; tanto fastigio idoneum obnixe asseuerans. Porrò cum Pontifex nihil ob id hortari rursus at minitari desisteret. Gregorius vir sanctus veritus ne quodammodo insolenter videretur intumescere, ac suo damno Dei nutibus aduersari, exigui temporis, quo rem accuratius perpenderet, inducias petit. Interim cum Marco Monacho pernoctans precibus insistebat, neque multo post eidem per totam noctem somnus obrepsit.

Audiens autem quod Chariton pater vna cum aliis Agrigentinis adesset, non amplius sibi in reliquum de negocio contendendum ratus est, sed ad fugam capiendam sese totus conuertit. Cæterum Marcus eius abscessu diuina prouidentia perspecto, plęraq; illi Deo procul dubio linguam eius moderante, de morandi necessitate disseruit. Demum Diuini senis vaticinium in memoriam illi reuocauit, apud quem continuos quatuor annos (vt superius sermone perstrinximus) philosophiæ perdiscendæ causa cōmoratus est. An non hæc tibi vir ille dierum antiquus, virtutum plenus, Diuinaq; sapientia præditus ad quem iamdiu disciplinæ causa accessisti. Non hæc inquam tibi iampridem vaticinatus est? Tu ne, Tu ne (oro) ita rationibus tuis male prospectum volueris? Scilicet pro tantorum laborum repositis in cœlo præmiis, iram & pro beneficentia execrationem referes. Hæc & alia id genus multa Marcus illi loquutus, vix à proposito compescuit. Hinc non multi præteriere dies cum Pontifex siculos omneis adesse imperauit, qui cum per Marcum cognouisset Charitonem Gregorij patrem esse hominem fixis oculis idq; quam occultius fieri po-

erat intuebatur & accuratissime considerabat, figuramq́ & formam conferens mirabatur, quam valde ipsi inter se similes essent. Reliquæ vero multitudini (siquidem frequens ad erat) Eia (inquit) cantibus ac laudibus ad sacrum summorum Apostolorum templum adeamus omnes vnanimes, vna voce supplicationes Deo peracturi. Et super quem admirabile aliquod signum illuxerit, is procul dubio erit, qui huiusce populi præfecturam suscipiet. Hæc dixit protinusq́ vniuersa ciuitas commota est, ac omnes cum viri tum mulieres, tam domini quam serui procedebāt.

Postea vero quam rem diuinam facere ceperunt. Gregorius Euangelium sibi in hoc traditum ita concinne & apte legit, vt Charitonis. Cæterorumq́ auditorum animos voluptate perfunderet. Simul ac vero Euangelium impletum est, columba ab altari aduolans capiti illius insedit. Quamobrem vniuersus populus stupore (vt par erat) affectus, gaudio & admiratione plenus, non amplius orabat exploratum sibi fieri vtrū qui designatus Pontifex fuerat, nunc Deo creandus videretur. Itaque crastino die pontifex creatur traditurq́ Agrigentinis, immo vero huic isti vti probo pastori rationales oues à Pontifice Max. creduntur. Hæc dum Gregorius Romæ moraretur contigere. Sanè Marcus cuius meminimus cum illo frequenter versabatur, eiq́ priorem vitæ rationem ac institutum suggerebat, & illum ad casus à quibus impetendus erat generose perferendos animabat. Quadam nocte cum Chariton Gregorij Pater lecto surrexisset (neque enim filij obliuio illum cœperat, nec dolorem tempus abstenserat, sed corde atque animo fractus vitam agebat) ac tum maxime eius animum carissimi filij memoria subiisset, perinde ac dolore furens, ad illos intempesta nocte properat, ac tum lacrimis tum suspiriis filium appellabat, & apud Marcum virum prudentem suam ipsius deplorabat calamitatem, simulq́ illorum precibus doloris consolationem sibi suppetere precabatur. Porrò Marcus erecto animo illum esse iussit, addiditq́ oportere se reminisci, quæ olim ipse de filio eidem dixerat, nimirum se filium visurum esse, propterea vt sperat et aiebat se promissionem suam neutiq́ frustaturum.

Audiuit hęc Chariton, confestimq́ corde prosiliit, speq́ animo fluctuabat, ac tum multo magis angore detinebatur. neque vero Gregorium quāquam toties viderat agnoscere potuit, vsque adeo qua ætate, qua figura & cultu corporis immutatus erat, ingens enim in oī re continentia, addo etiam malorum tolerantia oēm absumpserat pulchritudinem. At ille non agnoscentem agnouit, sermonemq́ pr̄is audiens, acriter intus affectus aīo incalescebat, se nihilo minus ipse cōtinebat, sibiq́ temperabat à lacrimis: Deinde q̄rit à Charitone, huiusce pueri mr̄ bone vir (inquiens) vbi interim, vbi agit? Ex quo vero hic periit, quantum interest temporis? Ille, mr̄em quidem viuere, ac lugentem domi reliquisse, cæterum ab amisso filio tredecim annos interesse dixit. Hic Gregorius (aliquid enim commoueri illū consentaneum fuit) matris lacrimas animo cōplectens, qui patrem paulo ante lacrimantem viderat, neque diutius ferens illum tam grauiter angi (pari enim & ipse naurali Charitatis ardore commotus est) subito suffusus oculos lacrimis, sede exiliēs, pedibus patris aduoluitur, Pr̄ (inquiēs) ego tuus filius, ego inquam sum pater amantissime Gregorius, quem tantopere inquiris vestris precibus in lucem æditus, ac vt voluisti ab ipsis

cunabulis

cunabulis Deo sacratus, Verũtamen mei pater (obsecro) miserere, mihiq́ꝫ quod admissum est cõdona, nec me vti multarum lacrimarum authorem præ dolore amplius insectare. Hæc dixit simulquæ complexu patrem tenebat. Quo circa lætitia quædam admirabilis cor illius subiit, ac incredibili gaudio eius ipsius lingua impediebatur. Deinde ad Gregorium oculos fixius adiiciens, aspectum eius accuratius vestigabat, & sagaciter (vt ita dicam) venabatur. Tum ipsum diuum Gregorium dilectissimum filium esse certissime persuasus, hũc vicissim complexus suauissime osculabatur, ac cum lacrimante filio ipse pariter præ lætitia lacrimabatur. Cumq́ꝫ à lacrimis paulisper temperatum esset, Marcus vtrunq́ꝫ suscipiẽs, magnas Deo gratias egit, illosq́ꝫ tota nocte secum habuit.

Bene autem mane Agrigentini quibus cum Chariton ac Diuus Gregorius erant, Pontifici rursus assistunt, ac mutuam voluptatem, quam acceperant repetentes, magnam eiusdem tum vultu tum habitu significationem faciebant. Pontifex ad ea quæ consentanea essent populum hortatus, docuit, vt Gregorio in omnibus illos parere, & ab ipso ali oporteat. Charitoni vero lætitiam gratulatus, filium illi tradidit. Cumq́ꝫ Felicem Episcopum, cuius opera Gregorius in sede locaretur, socium illis adiunxisset, lætos lętus ipse dimisit. Verum cum Panormum vrbem appulissent, vir quidam monachus habitu, leprosus corpore, currens, ac Gregorij pedes complexus, multis cum lacrimis ac eiulatu morbi leuationẽ obsecrabat. Ille, si credis (inquit) nihil esse, quod Deo non sit per factu facile, ecce in nomine eius sanus esto. Hæc dixit, leprosusq́ꝫ purgatus est. Videntes autem obstupuerunt, ac sublatis manibus Deum tam admirabilem in sanctis ac gloriosum celebrabant. Hinc ad flumen vbi Peripolæum emporium erat proprio nomine sic appellatum, descendunt. At vbi ciues Episcopos suos cum Gregorio quodam sibi prorsus incognito, (nec dum enim audierant quæ circa Charitonem acta essent) reuersos esse resciuere, turbati vehementer, ac dubitatione pleni (existimarant enim vnũ ex iis quos ipsi designarant electum iri) currunt nihilominus omnes, obuiamq́ꝫ passim illis prodeunt, quibus cum occurrit etiam præses ille qui monasterium Innocenti virgini Dei Matri primus illic nuncuparat. Itaq́ꝫ Gregorio nauim egredienti obuij cum turba fiunt. Ille populo silentium manu indicens, positisq́ꝫ in terram 16 genibus orauit. ac mox templum protinus petit. 16 *Positis in terram genibus cunctis orat.*

Cæterum inter ambulandum monachus quidam errore mentis affectus, qui nec loqui poterat, nec aurium omnino sensus particeps erat, obuiam illi profectus, eius ad pedes procubuit. At præses procumbentem propellebat, nec sinebat pedes illius contingere, Verum cum Gregorius hunc nequaquam arcere à se præcepisset, vehementer suspirans commiserationis lacrimas profudit, manusq́ꝫ in cœlum attollens, Domine Iesu Christe (inquit) Deus noster cœli terræq́ꝫ creator, qui leprosos coram Diuina præsentia tua sanasti, surdas aureis aperuisti, mutos linguæ restituisti, ipse hunc seruum tuum incredibili tua potentia sana, vt nomen tuũ sanctum laudibus perpetuo celebret. Sic dixit, & apprehensum monachũ confestim erexit, ac in nomine Iesu Christi (ait) qui Dæmoni surdo ac muto vt proprio figmento egrederetur, imperauit, perfecte & loquere & audi, Deũq́ꝫ conditorem tuum lauda. Nec dum loqui desciuerat, cum

quod petebat effectum est, nam cui antea lingua vincta, & auditus vitiatus fuerat, clamare cepit, Magna sunt christe opera tua, quæ per hunc virum iustum ædidisti. Deinde addidit vir sanctus, quantum interest temporis, ex quo vox tibi est impedita? Ille, nunquam se vel vocem hominis aud sse dixit, vel quemlibet paululum affari potuisse. Tum monasterij præses octo annos illum agere cum tonsus est, cæterum viginti annos in monasterio cõmoratum dixit. In hoc ingens præsenteis omneis timor incesit, Deusq; ab omnibus magnifice celebrabatur.

Egredienti ciuitate magna quædam multitudo non gregariorum quidem sed illorum qui honoribus ac dignitate cæteris antestabant, occurrit. Eorum enim animos in sublime euexerat, commouerat inq; Gregorij amorem vehementer inflammarat surdus ille. idemque mutus, qui ante vertens, apud omneis quos habebat obuios semper clamabat, seq; præconem patrati miraculi præstabat illustrem. Cum igitur Gregorij mater mulier sancta aliis filio obuiam prodeuntibus ipsa cum reliquis senioribus fœminis intra portam ciuitatis substitisset, nec enim quæ filio olim contigerant aliquatenus illam latebant, siquidem Chariton vir eius non vsque adeo signis fuit, quin vxorem quãquam longe positam tam ingentis lætitiæ participem faceret, proinde repentino hoc & admirabili nũtio suspensis adhuc & erectis animis erat, neque dictis acquiescere poterat. At vbi filium venientem eminus conspicata est, faciem agnouit, patri n. puer adhuc existens per omnia (vt non ita pridem perspicuum factum est) similis erat, quin & vir factus vestigia similitudinis conseruauit. Quamobrem cum filium probe agnosceret, & anceps nihil sibi quicquã relinqueretur, quo minus Gregorius sui ipsius filius manifestus appareret tum in lacrimis & cordis gaudium effusa, ita plane secum ipsa loquebat. Non tu mendax, non tu (inquam) mendax fuisti, qui iam pridem hæc mihi dixeras, me hac etiam præsenti vita filium meum cum gloria visuram, quibus verbis Marcum latenter designabat. Porro filius secũdum carnem qui tum eidem iuxta spiritum pater erat, vbi cominus appropinquauit, matremq; se agnoscentem agnouit, eam suauissime ambiens, tantumq; cumplexatus, nam quo minus in his diutius immorarentur tẽpore excludebantur, vna cum multitudine templum ingreditur, vbi peractis Diuinis mysteriis Episcopus qui hunc in sedem locatum venerat, ac alij præterea viri digni Columbam, illi quæ olim cœlitus aduolarat persimilem, rursus è cœlo deuolantem Gregorium adũbrare conspiciunt.

Hęc vbi tum ab iis qui viderunt, tum qui videntes audierunt indicata sunt, cum ciuitas non diutius cunctata est, sed qualis esset ille probè perspiciens, quos à Dæmone percitos, languidos, vel diuturno morbo detentos habuit, ad illum confestim omnes adduxit, quos Gregorius magnus
17 sola 17 precatione ac contactu manuum incunctanter sanabat. Atque corpora quidem ita curabat, animas vero per hæc affatim sanabat, nimirum dum doceret illos, atque ostenderet plęraq; ex his animi culpa oriri, quo in melius constituto, corpora quoque celerius curarionem suscipiunt. In primis vero exemplar sese illis vitæ recte constituendę pulcherrimum ipse præstabat, sic viuens vt oratio superius indicauit, se ipsum tantum supereminens, tantumq; vtriusq; vitæ medium agens, quantum sibi per dignitatis excellẽtiam licebat. Post hęc etiam viros illis tum sacerdotes,

Gregorius sola precatione ac contactu manuum oẽs ægros sanabat.

rum diaconos, à quibus diuina, & quę vltra nos sunt, peragerentur constituit, quos illi intuentes imitantesq; in viros virtute clarissimos euaderent. Inter hos sacros viros complures viri præstantes fuerunt, in quibus Erasmus, Platonicus, ac Philadelphus pręcipue illustres nituere, qui cum illo plurimum versantes, ac eius vitam, quo ad eius fieri poterat effingentes ac exprimentes insignes vt qui maxime apud omnem Remp. facti sunt. Hęc sane quemadmodum exposuimus, ita se habebant.

Non nullis post diebus cum D. Gregorius ciuitatem obiret, quo misератione paterna ęgrotos inuiseret, alia quidem cum numero tum magnitudine maiora quam vt oratio complectatur, adita sunt. Sed vnum quod auribus vestris est gratum futurum largiemur. Sabinus quidam 18 presbyter filiolam pulchram illā quidem, ac valde gratiosam habuit, cęterū morbo diuturno iam oppressam, quæ nouem annis mouere se nunquam omnino potuerat. is cum beatum virum ea transeuntem audisset, illam vna cum vxore vti inanimatum quoddam pondus ante vestibulum ex posuit. illac enim vir magnus iter facturus erat, quo illuc appetente puellę mater (vt mos est matribus) filiæ pulchritudine ac ętate florentis casum miserata, tum vehementer flere ac currere seseq; huiusce patris ad pedes proiicere. Ille quid opus haberet percontatus, causam didicit, eiusq; ac Sabinij calamitatem miseratus, positis genibus orauit, dicens. Domine Iesu Christe Deus noster, ne quæso auertas oculos à precibus serui tui, meq; hodie humilem exaudi, atque hanc puellam gratia ac potentia tui sancti spiritus erigens inuise. His dictis, surrexit, ac signo 19 crucis puellam obsignans. In nomine Iesu Christi (ait) exurge, & sta super pedes tuos. Hæc ille dixit, & puella protinus surrexit, atq; singulares immortali Deo vniuersi gratias egerunt, aderat enim cuncta ciuitatis multitudo, quæ virum sanctum ab ea quę ab ipso fiebāt, admiratione (vt par erat) perculsa sequebatur. Cumq; vniuersam ciuitatem pertransisset, omnibusq;, quæ illis vsui essent, prospexisset, ad Ecclesiam cum ecclesiastico cœtu reuertitur. Diuinisq; peractis sacrificiis Ecclesiastico cœtui, viduis, ac pupillis omnibus mensam apposuit, quibus ipse vili accinctus panno vna cum tribus diaconis de quibus mentionem fecimus, Erasmo, Philadelpho, & Platonico ministrabat. Neque vero illius mater ab eiusmodi ministerio aberat, quin ipsa vna cum ancillis, quotquot aderant, viduis pedes illarū lauando ac omne pietatis obsequium pręstando ministrabant. In hoc aūt Gregorius incumbebat vt sacris initiatos tum ad virtutem tum ad eloquia Diuina meditanda informaret, eorumq; sensus, q̄ commodissime posset explicaret.

18 *Si presbyter latinus filiam habuit, eā ex uxore ante sacerdotium ducta suscepit, sed non post sacerdotium cognita.*

19 *Signo crucis signata puella, & in nomine Iesu illi imperata exsurrectione, illico sanata est.*

Sed quando fieri non potest, quę q̄ tam sedulo virtutem consectari, vt hostis Dæmonis declinet inuidiam. Instat nūc, vt quæ illum tentationes inuaserint persequamur. Sabinus ac Crescentinus quos superius à multitudine Episcopos designatos fuisse demonstrauimus, ambo inito fœdere, conspirant, (diu enim mutuas simultates gesserant) Quousque nos (dicentes) huic impostori atque venefico subiiciemur? qui ignaris ac simplicioribus hominibus admirationem præstigiis ac imposturis excitat. An ignoramus quemadmodum hinc effugerit, & cum quodam mago manserit, à quo nefariam hāc & maleficam artem hausit, qua hominibus instar Simonis illius Dęmon ex hominibus factus imponit? Non cernis

vt neque omnino comedat, neque bibat, quod Dęmones subinde faciunt. Hæc inter se commentati, secum etiã clericos quosdam asciscunt, & non exiguam populi partem conuellunt, fidem inter se & iusiurandum dant, captiosum figmentum, arte quę ad hoc illos impellebat, insidiosa dignum comminiscuntur. Nam mulierem quandam impudicam alioqui pulchritudine insignem Eudociam nomine conueniunt, quam pecunia corruptã inducunt contra Episcopum (proh pudor) palam sese cum illo concubuisse testimonium dicere. qui cum perfida & plena subdoli ac versuti animi consilia instituerunt, quatenus in Episcopum illam insinuarent.

20 *Media nocte cum clericis in templum ad consuetas preces descendere solebat.*

Quare tempus obseruant, quo vir magnus mediis 20 noctibus vnà cũ diaconis illis tribus sibi familiarissimis in templum ad consuetas præces descendere solebat. Incidiatores interim pecunia cum Ianitoribus paciscuntur vt puellam in lectum viri magni submittere liceat, & ipsi in angulo considunt. Ille solutis precibus cubiculum petit, librumq́ʒ mauu prehendens, vitam Ioannis Chrysostomi vt clari literis, ita moribus & ingenio maximi attentissime percurrit.

Porro puella arctissimo paulo ante somno detenta, neque ipsa virum magnum ascendentem sensit neque rursus ipse puellam vidit. Vnde (obsecro) isthæc innocens & immaculata anima suspicari habuit. Puellam prout poterat occultari, & lubentem illic latenter coniectam se voluisse?

21 *Vide laudes matutinas.*

Ille igitur post lectionem ad 21 matutinas laudes ire contendit, quibus expletis vna cum omni sacro ordine, ac aliis ex populo comitantibus reuertitur. Tum hortari illos, ac salutaria monere cępit, illudq́ʒ laborabat, vt, quod singulis ferè diebus agere consueuerat, eorum animos Diuinarũ literarum lectione reficeret. Tum Crescentiniani instar ferarum agrestiũ irruentes, puellam arripiunt, eamq́ʒ coram populo statuunt, clamore, turbatione, ac tumultu omnia implent. Improbe sceleste ac execrabilis, qui vere nefarij erant, contra virum omnino sanctum vociferantes, nihil minus sese multitudini ostentabant. Cæteri talia videntes admiratione ac dubitatione percellebantur. Nam mulierem illam vitiosam intra cubiculum præsentem cernebant, vitam vero ac mores viri præclari huiusmodi suspicionibus maxime aduersari ac repugnare nouerant. At vero Sycophantæ iniectis in virum sanctum manibus, (ò insaniam detestabilem) per omnia loca trahebant. Hic multitudo amaris cum lacrimis pariter lugebat, perinde ac si quisque illorum, idem qui hæc pateretur, existeret. Ita hæc omnes, extra paucos longe flagitiosissimos, iisq́ʒ exceptis, qui impuri atque profani coniurationi consenserant de illo grauiter perferebant. Isti enim meliora sequuti figmentum vt sese habebat. suspicati, tempus ab ea, quo esset in domum introducta, sciscitabantur. Illa (vt

22 *Vide & uespertinas laudes.*

edocta fuerat) à vespertinis 22 laudibus sub primam ferè noctis vigiliam dixit. Ad hæc cum Philadelphus Diaconus propheticum illud respondisset, obmutescant labia mendacia quæ veteratorie in iustum loquuntur, Crescentinus improbus illum inuadens percussit. Tum multitudine contra illum confertim insurgente, parũ absuit quin crudelissime necaretur, nisi vir magnus conuersus eos adhortatione compescuisset. Se vero tortoribus prompte trahendum exhibuit. Ad hæc præcipua causa fuit, vt, dum se ipse vti reum criminatoribus offert, magnam populo suspicionis occasionem dederit, ne crimen in se recipere videretur, illaq́ʒ omnino

tino vera essent, quæ contra se accusatores intenderant, & propterea conscientia illum interior euinceret, vt non solum pro se aliquid agere, sed ne loqui quidem contra quicquam auderet. His sane cogitationibus illorum animi torquebantur.

Interea vero improbi homines seditione præualentes virum sanctum domo exturbant, eumq́ in custodiam tradunt, lignoq́ pedibus illius iniecto communiunt. Erat autem illa custodia, qua magnus ille Gregorius lybis qui pro Christo mortem oppetiit, detentus fuerant. Cum igitur fama apud omnes crebesceret, frequens quædam multitudo pro foribus carceris hærebat, quorum alij manibus, alij pedibus portas perfringebãt, nonnulli ferreis vectibus demoliri ac euertere illas aggrediebantur. Non deerant etiam qui seditione in populo facta Sabinum ac Crescentinum interficere cogitabant. Verum cum Christi discipulus ac imitator hæc illos meditari sensisset, ex carcere ipsos hortabatur. Nequaquam vos filij (aiebat) tale quicquam in illos deliberaueritis. Auersetur hoc Deus, vt vestrum aliquis manus & animam propter me tam fœde conspurcet. Non eo vsque filij quisquam infelicitatis deueniat. Præstat enim me magis esse perdendum, ideo permittendi sunt vt in hominem miserum sęuire posśint. Ab infringendis vero foribus ac omni tumultu abstinentes orate, vltionemq́ à Dño expectate. Quod si quis vobis negocium facesserit, illic etiam sustinete, mihiq́ hanc iniuriã vigiles mei condonatæ, non.n.contra me feræ istę deterius quicquã statuent. His verbis satis liquebat, illum mortem non vereri, sed hoc studere vt dũ circa carcerem intenti occupant̃, à priori illos indignatione retraheret, simulq́ ingentis ac magnifici miraculi, quod statim subsecutum est, spectatores constitueret. Cũ.n.multitudo iuxta viri sancti sermonem foris præstolaretur. ille intus positis genibus orabat, & pro oibus Deo gratias agebat. Porrò intempesta nocte lucem clarisśimam, quę totum carcerem circũfulsit ad ipsum consolandum Deus cœlitus immisit eideq́ angelus asśistens, catenas quibus vinctus erat, ꝑfregit, cumq́ verbis confirmasset, illum, quo maiorem beneuolentiam indicaret, complexus est. Ille quidem hoíum obtutus oculorum effugerat, cæterum ianuæ carceris sua sponte apertæ sunt. Qua re animaduersa tam ingens populum admiratio subiit, vt lacrimæ præ gaudio ac admirando facto posterius elicitæ, superioris lacrimas luctus exciperent. Stupore igitur ac lętitia pleni ad pedes magni viri procumbunt dicentes, Nunc Deũ tecum esse cognouimus simulq́ paratiores ad recte facta constituti, omnia pro ipso & pati & facere hilariter decreuerunt.

Ac Sabinus Crescentinusq́ sceleſtisśimi repente confosśi ac iugulati fuissent, nisi rursus vir ille vere Diuinus eos mos multum obsecrasset, grauiterq́ terruisset, cædis incommoda, & mala quæ inde imminerent ob oculos ponens. Extremum illud addens, si tantum facinus auderent, oporteret vt sese primum interficerent, ac sic postremo illos inuaderent. Vix his verbis eorum impetum sedauit. Sabinum autem ac Crescentinum accersens, vt ea quæ gesta essent cernere ipsis liceret, cur me, obsecro (inquit) hic inclusum detinetis cum in me necis habeatis potestatem, vel publico damnatum iudicio quoquouersum in exilium mittere liceat? Illi cum hæc omnia audirent, & factorum testes ipsi sibi essent locupletes, conscientia alioqui sua transfixi, nihil minus de pertinacia & duritie remise-

runt. tantamq; verborum mansuetudinem, qp post tot tantaq; signa erga illum admirabiliter ædita se proprij corporis dominos faceret, non magis q̃ qui minime reueriti sunt, quin præfacte valde ac arroganter illi dicebant. Epistolas se de illo Exarcho Principi dedisse, sed venturum illum, accurateq; de illius crimine quæstionem habiturum. Idq; ita factum est. Nam cum Exarchus aduenisset, ac in media ciuitate pro tribunali agens eius diceret. Sabinus vna cum adultera illi se sistunt. Sanctus quoque custodibus ac apparitoribus, pleraq; itẽ populi multitudine comitatus deducitur. Hi coram Exarcho vocem tollentes cum alia Gregorij admiranda facta persequebantur, tum queadmodum Sabini ipsius filiam tot annis iacentem redditam sanitati patri restituerit, dixerunt, & quem Iudam alterum appellabant, hunc benefactorem suum nõ secus vt ille fecit, maleficiis compensare. Illud præterea addebant, quod de custodia nuper acciderat, quod cum tam magnum præsertim esset, ne illi quidem necessitatem sui excusandi tribui oportere, alioqui si sine concilio iudicarentur, fore omnium iniquissimum, asserebant.

Hæc multitudine conclamante, Exarchus palam perterritus est. Quo circa de sede surrexit, dixitq; ad Pontificem Max. quo de hac tota causa cognosceret, referre oportere. vt tamen cum illuc accesserit, aliquid relatu dignum habeat, Sabinum ac Crescẽtinum adesse iubet, puellamq; coram ipsis percontatur, an ea quæ illi de eiusmodi homine nuntiarant, vera omnino essent. Illa vera fatetur, quo dicto, impuro afflata spiritu, humi trahebatur; confestimq; iuxta viri sancti prostrata pedes miserabilis, dẽtibus stridens, atque ore spumas agens procumbebat. Tum eos qui aderant, tantus repente terror inuasit, vt nihil præterea in fidem dictorum ab Exarcho querendum esse arbitrarentur, præsertim qui erant sana mente, neque animo valde cecutiebant. Sabiniani vero improbi Sycophantæ virum insignem nihil veriti, cauillabantur. aiebantq;, quid aliis testibus indigemus, quando de voluntate sua Deus nos tam manifeste certiores faciat. Omnia præstigiis ascribebant, & miraculorum vim Diuinam imposturam appellabant. At Sabini vxor vnà cum filia, quæ cæca surdaq; paulo ante fuerat, ac pleriq; alij ex iis qui sanati fuerant ad beati viri pedes sese flentes proiecere. & ne contra se ob aliorum conuitia ac petulantiam impiorumq; maledicẽtiam acceptarum iniuriarum indignationem exereret, obsecrabant. Porrò eadem Sabini vxor iuxta de causa indignata virum suũ torue aspicere, ac acriter increpare cepit, & dicere, hinc facesce scelleste, mihi & tibi ipsi pariter insidiator. Hæccine homini benefico, deq; nobis optime merito, qui solo sermone filiolam nostram sanitati restituit, beneficia rependis? Neque te infelix talia contuentem nunc vlla cogitationũ istiusmodi subit pœnitentia? Hæc cum mulier persequeretur, Sabinus colorem mutauit, seq; in terram abiecit, vocis omnino expers factus, vsque eo Diuina sese vindicta extulit.

Ex quo vero Exarchus nihil vltra contra se statuendum habuit, rursus vir beatus in custodiã coniectus est, donec vniuersa hæc Pontifici Max. perspecta fierent. Cæterum ille præibat, & vniuersus populus subsequebatur, hunc quidem maximis laudibus, quadruplatores vero illos innumeris contumeliis prosequutus. Iam vero vesper aduenerat. Proinde cũ iam esset decretum virum sanctũ ad Pontificem mittere, visum est Exar-

cho intempesta nocte vniuerso populo dormiente per portam qua tenditur ad mare, hunc clam é ciuitate deducere, animaduerterat enim multitudinem id si resciuisset, non permissuram, quod sane ex sententia cecidit. Nam occulte ciuitate egressus est. At parentes eius (neq; enim quod fiebat ignorabant) filium flentes ac lamentantes sequebantur. & licet ex iis quæ præcesserant, quis horum futurus finis esset, vti eiusdem familiares probe coniicerent, nihilo minus vt parentes rerum incertitudine corde mutabāt. Verum Diuinus vir flere illos prohibebat, tutoq; ac lęto animo esse hortabatur. Vbi vero littus propius contigit, eos vt pro se orarent, precatus, alacriter nauem conscendit. Porrò Platonicum secum habuit, præterea neminem, qui & ipse quæ ad nauigationem necessaria erant eidem instruxerat.

Cum vero iam se nauigationi esset commissurus, multum de ecclesia, deque grege illos implorata fide obtestatus est, nempe pro omnibus in quibus contra ipsam sęuire ac grassari perrexerint Deo rationem esse redditurus. Hi ne sic quidē à nequitia temperarūt sua. siquidem nec Exarchus ipse in eius causa à nequissimis illis hominibus quicquam fere distabat, cū alioqui à delatoribus tum iudex esset delectus. Nullum tibi post hæc (dixit) Gregori liceat de ecclesia sermonem habere, virum enim eiusmodi in tui locum surrogauimus, in quem ne aduersarij quidem aliquid habent culpare. Hæc autem de Eleucio quodam hæretico dicebat, qui in oriente sæpe numero cum Gregorio de admirandis dogmatibus, deq; munere, quod Christus Dei patris in terris legatum agens obierat, acerrime disputarat, cum nihilo secius plane repressus ab eo ac victus fuisset. Hic iampridem eidem admirabilis habebatur, isq; tum apud ciuem quendam latitabat, qui delatoribus coniunctus hanc contumeliæ potionem Gregorio callide commiscuerat illisq; omnem actus scenam, hoc est flagitij materiā atque subiectum ministrarat, cui tum illi Episcopum concrediderant. His dictis nauigationem ille subiit.

Agrigentini vero viri principes vna cum reliqua multitudine, cum custodiam summo mane facto agmine petiissent, neque Gregorium reperissent, turbate omnia commiscere ac lamentari cęperunt. Existimantes autem illum clam de medio sublatum tumultum ac seditionem contra Exarchum eiusq; assessorem molestissimam excitarunt Ac primum quidem Sabini ac Crescentini Sycophantarum domos incēdunt, deinde illos ipsos interficere adoriuntur, sed ij ad ecclesiam fuga sese recipientes, periculum declinarunt. Verum Chariton turbæ illos insequentis vestigiis insistens, effecit, ne intra templum iugularētur, vix illos magno cum clamore ab eiusmodi petitione ac insultu comprimens. Itaque seditionem eiusmodi finis excepit. Cum vero vir sanctus Romam peruenisset, Pontifex Max. acceptis ab Exarcho literis, iisq; quę ab ipso scribebantur cognitis, admiratione ac ira plenus, non est passus virum sanctum sui ipsius adire præsentiam, quin etiam indicta causa tractum illū atque cōtumeliose illusum, manibus præterea pedibusq; catena vinctum in carcerem coniiciendum imperauit. Cæterum ille ludibrio tam turpiter habitus in carceremq; ac vinculis mancipatus, nihilo minus omnibus in rebus sui similis esse perrexit, atque contumelia in magnam agendarum Deo gratiarum occasionem vsus est. Vt vero consolationis tot circumseptus molestiis magis

experts esset, ne Platonicum quidem diaconum in custodia cum ipso esse permiserunt, sed alibi quodam in loco captiuum illum detinent.

Interea dum vir beatus vincula pateretur, precibusq́; , vt illi moris erat, 23 mediis noctibus inuigilans, excubaret, lux eum ingens circumfulsit. & ecce tibi viri duo forma cultuq́; corporis apostolos referentes assistunt, eumq́; his verbis affantur. Salue Christi famule, nobisq́; dilecte Gregori, Dominus iccirco nos misit, vt te vinculis, quibus iniuste illigatus es, solueremus. ac nos quidem ob constantiam ac patientiam tuam huc, te vt lætum redderemus, accessimus. Oportet enim & hanc vrbem multis abs te signis æditis frui. Hæc simul ac loquuti sunt, vincula tetigerunt, quæ ab eius manibus pedibusq́; repente ceciderunt, mox Gregorium assurgentem, trementemq́;, necnon gratias agentem complexi, abeuntes ex oculis eius elapsi sunt. Deinde ad Platonicum accedentes, ac ipsum soluentes, eo vbi Gregorius erat deduxerunt, ibiq́; illum reliquere. qui non aliter ac si hæc ipsa per quietem vidisset, postquam ad se rediit, Gregoriũ intuitus, admiratione ac gaudio affectus est, moxq́; in agẽdis Deo gratiis totus est conuersus. Præterea hac ipsa hora aliud contigit. Nam custos carceris filium iandiu impuro afflatum spiritu habuit, quem columnæ illigatum prope à suis ædibus obseruabat. Tum vero Dæmon quo erat correptus, fractis vinculis, puerũ impotenter impellens viri sancti pedibus illisit, atque illum à precibus exturbauit, Clamansq́; ac se voluntas ex ore spumam agebat. Ille vero ne sic quidem ab orando cessans, quin potius oculos ac mentem in cœlum tollens, eius qui spirituum legionem profligare potuit, auxilium implorabat. Deinde manu super ęgre affectum imposita vti nequam seruum Dominus, Dęmonem profugere coegit. Atque hunc quidem in hunc modum à Dæmone liberauit.

At vero custos carceris cum somno solutus surrexisset, neque filium columnæ illigatum vidisset, existimans hunc à sæuissimo spiritu lapidibus allisum, aut aquis pręfocatum esse, flore amarissime cœpit, faciemq́; percutiens, illum vti mortuum lamentabatur, carcerem autem accuratius perlustrans, ac eius patere ianuas, lucem præterea ipsam cernens, capillos tum lacerare, eque capite conuellere, faciem item plangere, putans virum sanctum profugisse. Postea vero quam introspexit, ac illum inibi vna cũ Platonico canentem consistere non solum, sed etiam filium eius decoro ac prudenti aspectu prope illum positum vidit, eius animum stupor inuasit, ac verum coniectans, virum iustum admiranda hæc edidisse, accurrens, eius pedibus prouolutus eidem tanquam de se optime merito partim gratias agebat, partim veniam pro iis quæ gesserat, impositis illi vinculis postulabat. Exinde multo cũ timore sancto viro ministrabat, eiq́; omne obsequĳ officium præstare sedulo nitebatur. Increbrescente igitur fama & vbiq́; vagante mulier quædam claris orta natalibus filiolam humi prostratam habens, hanc secum arripiens virum sanctum in custodia petit, Illius complexa pedes, miserere inquit filiæ meæ, quemadmodum & Christus cuius es imitator mulierem contractam ac inclinatam olim erexit. Ille hoc solius esse Dei respondit. Verum enimuero (inquit) cum te vberem ac locupletem fidẽ habere videam (omnia siquidem fidelis præstare potest) aptus (nec id sanè immerito) fidei tuæ finis subsequetur. Cũ ita loquutus esset, puellæ manum oraturus imponens, confestim eam sani-

tate

---

23 *Precibusq; ut illi mos erat, mediis noctibus inuigilãs excubaret.*

tate donauit.eam mater sanitati redditam hilariter accipiens, gaudio perfusa immortales Deo gratias agebat, rectaque cum ipsa Domum perrexit. Plæraque id genus alia Gregorius carcere adhuc detentus ædidit.

Hic cum omnem eius ætatem ibidem constantissime victurus esset. Pontifex Max. quæ in illum iactatæ fuerant contumelias reminiscens, Marcum quē alias sæpe memorauimus accersiuit.qui cum præsto affuisset,non sine indignatione omnia contra Gregorium acta narrauit, quemadmodum in adulterio deprehensus, vinctus ad se perductus inque carcerem à se detrusus fuisset, vbi hactenus custodiis septus patienter perdurat. Tum Marcus ingemuit vehementer. Nouerat enim quæcūque in illum dicerentur perspectos ac exploratos illos habebat,qui hæc contra Gregorium confixerant, simulque ab his persuasos deplorabat, Neque quicquam aliud aiebat, quam ò vtinam Domine partem & mihi liceat una cum ipso adire calamitatum: quando ad communis Iudicis subsellia staturi sumus. Hunc sermonem cū Pontifex audisset, uti eiusmodi uerbis grauiter offensus,epistolam in Gregorium scriptam eidem ostendit, vt non temere se aut inconsulto persuasum excusaret, sed iis literis tanquam testimonio bene locuplete rem tam nefariam iniudicatam noluisse. Per lecta autem epistola Marcus,ac velut iis quæ scripta erāt irridens, rebus ipsis (inquit) ò Domine ist hæc conuicia sunt expendenda, diligenterque quis nam iustitiam sequatur disquirendum. Tum tibi liquido patebit, qualis vir sit iste, an scortum aut aliud quid,ne plura dicam deperat, agnosces & ipse protinus,si volueris,& iam cognouisti.Eius orationem Pontifex interpellat,& quæ ille dicturus esset,scire,nempe magnam erga illum Dei beneficentiam extitisse, sed illo sæde labente, pessum quoque ipsam abiisse. Et hæc ille quidem vt humanus, cum rem vt erat, non perspiceret, neque cor (vt sermo Diuinus habet) intueretur.

Deinde cum quidnam de Gregorio esset statuendum, Marcum in consilium adhibuisset. Ille consilium dedit, non absque magno sacerdote excelsę inquam ciuitatis,eiusque Rege iudicandum esse,Propterea illum dare operam oportere, vt delatores ipsos cum mādatis remitteret simulque mulierem cuius stupri insimulabatur, ac eum quem in eius locum sacerdotem substituerant, nec non mandatores omnes Bysantium deducendos curaret,eaque quemadmodum sese habebant quæ contra quēque dicenda essent, perscriberet. Hæc cum Pontifex Max. vtilia iuxta ac consentanea omnia censuisset. Hinc mittit tum qui delatores è Sicilia profectos ad quæstionē ac iudicium abducerent,tum qui literas Patriarchæ ipsique Regi Constantinopolis afferent. Hi autem duo erant Episcopi, qui antea Synodo etiam interfuerant. Porro Rex itemque Patriarcha acceptis ac perlectis eiusmodi literis, falsum & omnino incredibile crimen, cuius Gregorius insimulatus fuerat, iudicauerunt. Quo circa Rex quendam ab Regio armamentario per sané familiarem Marcianum nomine vnà cum Episcopis Romam remisit. Patriarcha itidem Ancyræ, Cyzici, ac Corinthi præsules, quibus accessit Constantinus, quem plerique à libellis appellabant, cuius mentio superius est facta simul destinauit. mandantes vt hi ad latam vsque sententiam, quæstionemque persolutam Grogorium secum haberent.

Ii cum Romam adiissent,contigit Marcianum grauissimo morbo affligi,ita vt spem de illius vita medici omnē destituerent.cuius rei causa

ingens episcopos dolor inuaserat. Mox cum omnem curam fata vinceret, extremumq; spiritum anhelaret, ac sole ad occasum vergente, ipse lucem hanc relicturus videretur, ea mulier cuius filiam morbo correptam Gregorij precibus curationem nuper accepisse diximus, illac vbi Marcianus in lecto decumbebat præteriens, seruorum plangentium ac lamentantium flebilem ac luctuosam vocem audiuit, cuius causam percontata, gratiam non celauit, sed palam beneficentiam euulgat, & quæ ipsa admirabilia in filia sit assequuta, illis annuntiat, seruatorisq; præco & rei gestæ testis classicus constituitur. Eia agite (inquit) filij fletu represso mihi obtemperate, ipsumq; ab ipso lecto tollentes alacriter me sequimini, virum enim mihi ab experientia bene cognitum vobis ostēdam, qui vos à luctu facile uindicabit & Dominum vestrū multa cum celeritate sanitati restituet. Eius sermoni serui parent, Dominumq; repente tollentes iuxta custodiam vbi Gregorius erat deponunt, quem ille ardentissima febri commotum & inflammatum aspiciens, miseratus est hominem lectumq; lacrimis irrigabat. Cæterum semel illum atque iterum vocans (eum nāq; vox atque sensus defecerat, nec quicquam loqui poterat) manum quidem illi *vir Diuinus* adiecit, mente vero totus in cœlum erectus, faciemq; suam & ægrotum lacrimis perfundēs, Deum obsecrabat. Atqui preces somnū pepererε, somnus ægroto salutem attulit. Cum enim quinque supra viginti dies insomnis duxisset, arctissimus tum illi somnus obrepsit. Serui vero qui mediis eidem noctibus assistebant, febrim recessisse, & ægrotum conualuisse repererunt. Hos vir sanctus monuit de recepta sanitate gratias Deo habēdas esse, ipse interim precibus ac vigiliis vacabat. Marcianus iucundus denuo somnus complexus est. Circa vero matutinas laudes 24 orante

24 *Oratione sanctus ægrotum sanat.*

viro sancto Marcianus lecto prosiliit, & qui se sanarat, ex se perspiciens atque cognoscens, eius ad pedes prouolutus, illos amplexabatur, verbisq; quibus poterat gratiosis beneficium in se sanitatis, quod erat maximum munerabatur. Subinde vero stans, laudes, quæ reliquæ erant, cū illo simul prosequebatur. Vbi vero dictio laudum finem accepit, sedentesq; loqui ceperunt, mirabatur autem Marcianus quonam modo vir beatus illic conclusus esset, & quomodo silens carere sese lumine pateretur, cum alioqui obseruantem se ibiq; inhabitantem grauissime posset offendere. Et hæc quidem illi inuicem loquebantur.

Porro Episcopi qui ab Rege cum Marciano missi fuerant, vt Gregorij causam quæstioni atque iudicio subderent, domum vbi Marcianus diuersabatur profecti, cum illum minime inuenissent, supremo fato concessisse, hominemq; sepulcro conditum existimantes sciebant enim (vt verbis vtar scripturę) ægritudinem eius grauem esse tulerunt grauiter, & acerbe, luctuq; ac squalore obsiti amici obitum deflebant. ad quam quidem calamitatem non exiguam accessionem faciebat, quod arbitrabantur hoc Regem inique admodum esse laturum. Cumq; ita viri isti mœrore conficerentur, ecce tibi vnus ex Marciani ministris, cursu recta custodiam petens, dolorem omnem absterſit, lætum illis nuncium afferens, dum omnia tum medicum, tum curationis modum singillatim percensent, addens etiam locum vbi etiam num mutuo loquebantur. His auditis ad custodiam multa celeritate contēdūt, quo cum peruenissent, ingressi, ambos virum eximium cum Marciano sedentem offendunt: ipsum autem agnoscentes.

iuxta pedes illius humi procumbunt rogantes vt qui communem cum illo a Christo potestatem accepissent, precationis quoque efficacia potirentur. Assederunt & illi, Gregorium cum aliis de causis admirari, tum quod tā mansuetum ad calumniasse præstaret, tum etiam quod obscurus ille ac tenebrosus carcer thalamo cuidam pulcherrimo persimilis videretur. Interrogantes igitur ex quo tempore in vincula fuisset coniectus, vnū atque alterum annum quatuor præterea menses esse intellexerunt, quod illi ægre admodum tulerunt, nimiamq; Pontificis crudelitatem improbrarunt.

Cęterum cum ij uirum Sanctum carcere emittere molirentur, ipse prohibuit, idq; se, ne quam accusatoribus ansam præberet, facere dictitabat, neue vituperationis alicuius ipsi sibi notam inurerent. Pontificē subinde cum Marciano petunt, qui ordine omnem illi miraculi seriem edisserit quemadmodum in morbum quo propè extinctus est, ipse incurrerat, qualemq; fuerit ab ipso curationem assequutus. Hæc illum audientem pœnitentia sequuta est, & quæ in virum sanctum temere admiserat, sui acerrimus accusator factus, reprehendebat, faciemq; simul cum consilio mutauit. Vidisses illum animo vehementer esse commotum, & graues à se tanquam eius criminis auctore pœnas exigere. Quoniam vero cum accusatores anteuerterunt, Agrigentini quoque tū principes ciuitatis, tum plebei quamplurimi, cuiusque cumq; ordinis, viri frequentes vna simul syncera fide obligati aduenerant, audientes vbi nam vir sanctus vinctus detineretur, ad illum maturant celeriter proficisci. Et tanquam filij carissimi eum qui sibi pro tempore dilectissimus pater extiterat, intuentes, maiori quo poterant honore ac reuerentia prosequebantur. Sed cum omnes eius circūplecti aut tenere pedes nequirent, lōge positi se inclinabant, et tum verbis, tum lacrimis solum illud venerabantur, nimiamq; in illum amoris vehementiam præse ferebant, dicentes. Pater Pontifex, & seruator, ne nos deferas neque nobis paucorum prauitas vniuersæ multitudini fraudi aut vitio detur. Multus nunc tui causa luctus vrbem immutauit. lugent orphani, Tristantur viduæ, Pauperes lamentantur. qui corpore sunt male constituto, quique animum male affectum habent alij patrem, alij pręsidē & patronum, non nulli bene factorem, plurimi tum animi tum corporis medicum inquirunt & repetunt. Et hæc quidem est præsens ciuitatis facies, quæ tanquam ingenti terræ motu concussa, vel turribus iure belli deiectis despecta iacet. Hęc si te in vrbis conspectum dederis, omnia restitues. Illi autem, tantum si volueris, illucesces. Nos siquidem omnes tecum viuere, tecum mori parati sumus. Hæc quidem multitudo, vti impotenti illius flagrans desiderio dicebat.

Coacto vero ad ædem Diui Hyppoliti concilio qui locus proximus erat carceri aderant propè centum ac quinquaginta episcopi, quorum non nulli ab oriente venerant, inter quos Constantinus à libellis magni Archipresulis vices obibat. Ind genæq; monachi omnes in ordinē redacti, ordo item Ecclesiæ vniuersus, nec non reliqua ferè omnis vrbis multitudo illuc confluxerat. Omnino autem Marcus ac alii præterea quinque sacerdotes, qui Gregorium accersant, eumq; iudicio concilij sistant, destinantur. Qui cum pręsto affuisset in terram ter se inclinans reorum more substitit Porro presules quicunq; paulo clementiores erant, dum quæ agerentur, intuebā-

tur, lacrimis oculos perfundebant. Impuri quoque delatores vnà cum Sabino ac Crescentino decem supracentum assistebant, quos Pōtifex Max. more ius dicentium interrogauit, nunquidam haberent, quod Gregorio possent vitio vertere, quodque crimini nomē esset. Illi lasciuiam atque libidinem obiicere asseuerabant. quorum orationem Pontifex interpellās, vos ne (inquit) ipsi vidistis, an mulierem id audistis dicentem? Illi vero commenti principium ordientes nos quidem (dixerunt) cum ingrederemur ad ipsum, Deū de more circa auroram laudaturi, & adoraturi, hácꝗ in eius lecto cubantem inuenissemus, comprehendimus. Cæterum ipsa quoque (vt par erat) quęsita, rem nobis atque adeo Exarcho ipsi multis præsentibus perspicuam fecit. Horum nos nihil aliud scimus nisi quod ex quo tempore tā indignum scelus admisit spiritu illa nequam percita huc usque grauissime torquetur. Ita audaces ac ꝓterui, subdoliꝗ versuti Dęmonis imitatores quibus artibus ipsi calumniam texētes plurimū capere ac irretire consueuerant, iisdem ipsi mendacium munire suum cogitauerāt.

At præsules illi præstantes inuictiꝗ veritatis propugnatores, Hęc profecto si uera essent aiebant contrarium magis sequi oportebat, ac scelus quidem celantem & inficiantem seuæ à Dæmone pro pœna suppliciꝗ torqueri, à confitente vero crimēꝗ deprecante, & Deum iram cohibere, et Dæmona, etiam si prior inuaserat, abigi cōsentaneum erat. Sic apte porrò dum expedire sese volunt, sua ipsi calumnia lapsi magis induunt. Tum ipsam puellam, quæ adhuc faciem immutata à Dæmone vexabatur, in medium statuunt. Hanc delatores interrogari permittentes, ad Gregoriū sese recipiunt, vt illum quæstionibus obiectis confunderent. At ille multū suspirans Dauidis illa verba respondit. Insurgentes aduersum me testes iniqui, quę ignorabam obiecerunt mihi, mala mihi pro bonis rependebant. Quæ simul ac dixisset, Puella humili trahitur, & à Dæmone vt cum maxime laniata, iuxta viri Sancti pedes proiecta ex ore spumam emittens volutabatur. Gregorius vero vt qui bn̄ inimicis precari didicerat, oculos quidem in cœlum, mente vero ad cœli opificem tollens ac labra cordis silentia monēs, Deum imis singultibus obsecrabat, tumꝗ omnes in illum oculos intendebant. Post preces autem puellæ oculos adiiciens, In nomine (inquit) Domini & seruatoris nostri Iesu Christi, eius mādatis obtemperans exi Dæmon impurissime, vt puella resipiscens verum de me fateatur. Porrò spiritus cum eam prius dilaniasset, confestim egressus est, ipsaꝗ non secus ac mortua iacebat.

Gregorius igitur statim manu apprehensam erigit, ac stante, verba quæ Constantinus fecerat, interrogauit, quodnam esset illi nomen, isꝗ illi cognitus omnino esset Agrigentinorum vrbis Episcopus. Illa Eudociam appellari se, illum vero probè cognitum habere dixit, quandoquidem sępe numero gradientem, ac mendicos ciuitatis inuisentem, viduis itē ac orphanis victui necessaria suppeditantem. viderat. Quando & ipsa (inquit) infelix vna ex iis, quibus ab eo benigne fiebat existebam. Rursus autem interrogabant, num amatorie illum agnouisset. Hic illa amare ac miserabiliter ingemiscens, oculos suffusa lacrimis. voce ita vt omnes exaudirent, inclamauit. Iuro tibi per Dominum Deum me nunquam homini illi in voluptate fuisse. Sed isti (Sabinum ac Crescentinum indicans, isti inquam me magna pecunia decipientes, pro testimonio in virum sanctum dicere

persua-

persuaserunt, quibus Dominus ob hæc quæ circa me iniustissime cogitarunt, rependit, ut animæ quidem interitu, corpore uero insania exitiabili duos iam annos, menses sex implicati tenerentur. Hæc effata, Episcopos omneis circũspiciebat, videns autem Gregorium ipsumq́ cognoscens festinanter sese illius ad pedes proiecit, lugensq́ uehementer voces maxime miserabiles emittebat. Deceptionem, calumniamq́ in uirum sanctum multum deflens, ueniam sibi dari flagitabat. Ille luctum eius miseratus, eandemq́ illi animi affectionem inesse cernens. Peccata quidem cõdonare (inquit) ò mulier non nostrum sed sollus est Dei. Horũ igitur ille itemq́ omnium tibi veniam dare potest. Ego vero quæ meæ partes sunt pro te orabo, & tibi quę in me peccasti lubẽs remittã. Idemq́ illico in preces incubuit, Deusq́ illi propitius fuit. mox manu illam apprehendens crexit.

Dum hęc aguntur admiratione omnes stupefacti, Gregorio tanquam supra humanam naturam euecto in posterum hærebant. Hunc exitum illo die lis & contentio nacta est in hisq́ Concilio dimisso mulierem Clementia Iudicum inultam habuit. Delatores vero in medium statuunt, vt grauius illis supplicium Pontifex Max. irrogaret, Indignabatur enim se ab illis pariter esse deceptum. Proinde illos primum offensis animis & grauissimis verbis excepit, ac cum alia ipsorum acta persecutus, tum in primis multa ac varia Gregorij miracula, quæ fuerant in oculis eorum ędita, illis grauite exprobrabat. ac vt à principio quidem sanctum spiritũ eius caput adumbrantem, postea vero surdo eidemq́ muto sanitatem afferentem viderant, alia præterea quæcunque vir vere Diuinus admirabiliter pręstitit, precensebat, in ipsumq́ præsertim Sabinum acrius inuehebatur cui neque filiæ curatio linguam compescuit, nec à maledicentia vim dicauit, quin potius tam tulisset acerbe, vt virum de se optime meritum, totq́ curationum beneficia, ingratitudine ac contumelia compẽsaret. Hęc ille loquutus iussit Fælicem Episcopum omnia, quæ tum viderat, cum ad virum sanctum in sede collocandum est missus singulatim percensere. Fælicem igitur omnia narrantem cum Episcopi audissent, admiratio illos ac stupor inuasit. nihil enim horum vnquam audierant.

Cęterum delatores nihil habentes in quo vel os possent ad hæc aperire, ad luctum ac lacrimas confugientes illa quouis sermone veriora ad maledicentiam ac contumeliam detegendam affirmabant. Quamobrem conscripti Patres illos inter se disgregant, & alios quidem ex imperita multitudine ad octoginta ad vna parte constituunt. Ecclesiæ vero ministros, sacrisq́ solum initiatos ad triginta ab altere stare iubẽt. Atqui Sabino ac Cresentinu exilij multa stetit, vt hic quidem in Thraciam, ille vero in Hispaniam exules mitterentur, Cæteri vero Ecclesie ministri Rauennam relegati sunt, At quæ ad Ecclesiam pertinebant, ita peracta fuere. De Prophanis vero cognoscere ac iudicare Marcianus est iussus, qui eos statim in carcerem coniiciendos, variisq́ cruciatibus subiiciẽdos imperauit. Quare cum illos milites raperent, lacrimis ac lamentis denuo se dedentes, viri sancti enixe auxilium implorabant. Hos porrò ille audiens vehementius, q́ qui hæc erant perpessuri, animo conflictatur, protinusq́ misericordia motus lacrimis genas irrigabat faciemq́ percutiebat. Alias quidem ipsi Pontifici sese illius ad pedes prosternens supplicabat, alias Episcopos alios demississime se inclinans obsecrabat, dicens, Ne quæso patres, ut id contingat,

vt tam diræ calamitati homines mea causa subiiciantur. Nam hoc quidem statuo, non preteritorum pœnam, sed supplicium esse. Ego enim satis habeo Deum à me cum innumetis alioqui sim obstrictus delictis, nullas pœnas expetere, neque tot iniustum maculis, fœdatum atque corruptum vulgò ostendere voluisse Et hæc porrò ita se habent.

At scelerum vltor Deus haud segnis vindex iusti fuit. Postq̃ enim viri magni suasu imperatum est, ne in eos qui rei facti suppliciis addicti fuerant, vltra desæuiretur, ipsiq; vnà simul consisterent, repente nimbus, tenebræ, necnon atrox vẽtus terræ nimio flantis fragore miseros illos inuasit, tantaq; obducta caligine illorum aspectus oppressit, vt terram, in seipsam euersam atque collisam hos non aliter atque Dathan olim & Abiron deglutire dixisses. Qui vero præsentes hæc intuebantur, manus in cœlum tollebant, nihilo illis secundiorem, quam quæ Sodomitis olim acciderat, fortunam fore ominati sunt, Non multo post caligine turbineq; desinẽte, omnes quãquam non æque nigri facie apparuere. Aliĳ siquidem alterum genam, ambas aliĳ nigras habent. Sabino vero ac Crescentino non modo facies, verũ etiam labia atro colore infecta sunt relicta, vt nec illa constringere, nec iis omnino quicquam loqui liceret. Sic Diuina iustitia acerbum de iniustis supplicium sumpsit. Ad hæc cunctus senatus acclamauit Nũc agnouimns quod Dominus vnctum suum seruauerit, & exaudierit eum è cœlo suo sancto quodq; in potentia dexteræ eius est salus. Hæc cum loquuti essent, Gregoriĳ genua complexi, ardentissime pro illis obsecrabant. Contra vero ille magis ad cuiuslibet pedes procumbebat, seq; miserrimũ omnium, Dauidis illa verba loquutus, appellabat. Ego sum vermis non homo, opprobrium hominum, & contemptio populi.

His peractis, cum Pontifex Max. delatores coram se statuisset, Ecce (inquit) non animo solum sed forma patri vestro Sathanæ similes facti estis Sed alia præterea vos miseriarum accessio manet. Vos enim & posteri vestri serui eritis, & quotquot hoc nigrore sugillati fuerint, Agrigentinis Episcopis absque præfinito tempore seruietis. Quod si quis vestri generis aliquem sacerdotĳ dignitate donauerit, vel ecclesiæ quoduis munus concrediderit, huius caput diis inferis dicamus ac deuouemus, Hęc ille haud serio mea sententia dixit. Neque enim bis in eadem causa pronuntiasset, cum Gregorius præsertim non pateretur, qui illorum animos territans desperatione plenos moderabatur Neq; enim nisi animo ita affecti fuissent, haud adeo vehemens in eos Dei iracundia concitata fuisset. Ac ĳ quidem iis qui præerant traditi procul à suis locis abducti fuere. At puella illa Agrigentum ciuitatem non vltra videre sustinuit. Sed omni ornatui vale dicens, cum prius ab episcopis vti pro se orarent, impetrasset, in collegium D. Cęciliæ cooptatur, in quo duos ac viginti annos assidue ac cõtinenter viuens medicamento pœnitentiæ vt maxime poterat priores detergens maculas, ad cœlestem, quem tantopere concupierat, amatorem, Dei benignitate migrauit. Et hæc quidem hac ratione finita sunt.

25 *Sacra mysteria Missam intelligit, & diuina sacrificia sanctissimam Euchariſtiam.*

Deinde Pontifex Max. mandauit vt Gregorius 25 mysteria sacra perageret, vbi qui diuinorum sacrificiorum participes fuere, conuiuio ab eodem Pontifice communiter sunt excepti, ac tum quidem sic conuiuantibus Pontifex nihil aliud addit. Cæterum postridie eius diei Gregorium accersiuit, ac ei rem quandam exponit quæ solis eius precibus, fiduciaq;

qua in Deum plurima flagrabat, indigeret. Id autem hoc genus erat. Ligna quidam maxima in flumen immisit, vt summorum apostolorum tẽplo ornatui simul ac securitati essent. Hæc vero ita obliq; circũacta ac vtrinq; ripas complexa, sunt vt nullis clauis fixa aut suffulta essent, ut à nemine quãuis multorum sæpius manibus acriter pertentata dimoueri potuerint. Sed neque nauigium aliquod aut mercibus aut aliĳs usibus accommodum sursum aut deorsum nauigare his obiicibus poterat iccirco non exiguum illa ciuitati detrimentum inferebant. Hoc igitur illi Pontifex enarrat, rogatq; sese ut ad locum recipiat. communi in Deum fiducia omnibus contẽdentibus, ut & is optata perficeret. Facto igitur signo vniuersa ciuitas, monachi simul & sacerdotes confluebant, ac speciosa põpa supplicationeq; ad flumen descenderunt. Procedentibus autem illis, mulier quædam in via ignem accendit, ad quam vir sanctus paulum se inclinans, tradi sibi prunam imperauit. Illa (ad eius enim solius imperium attendebat) protinus tradidit. Ac ille in pallium quo erat indutus carbones immisit. quibus deinde thus imposuit. Ac illi deinceps thuri appositi admirabiliter carbones accensi erant, ipsium adolentes ac in fumum vertentes, in sacra vero veste frigidiores lapidibus cernebantur. Hæc cum sacerdotes ac reliqua turba vidisset, non amplius de lignis quicquam ambigebant, probe scientes eum qui naturam ignis tam facile permutare potuisset, multo magis certe ligna iuxta naturam nullo labore posse permouere. Demum vbi ad locum ventum est; non hoc communem omnium erga Deum supplicationem exposcere, sed eius vnius precibus indigere cuncti dixerunt. Quare positis 26 genibus orauit mox cum surrexisset, lignis thure suffitis, trahi illa presentibus mandat, qui iniectis manibus, cum quo antea premebantur, non amplius laborem sentiebant. Nam ligna ipsa, perinde ac si alas haberent, facile trahebantur Literæ autem illis insculptæ repertæ sunt quæ dicerent, quinque quidẽ Petro summo Apost. reliqua vero quinque Paulo organo selectißimo esse relicta.

26 *Orat sanctus positis genibus, statimq; exauditur.*

His peractis Romaq; admirabili perfusa gaudio, Pontifex rursus cogit senatum, siculos item omneis accersit, illustrioremq; ac longe magnificentiorem. quam pridem fecerat suorum ipsorum præsulem nempe Diuum Gregorium illis reddidit. Porrò cum Leucium illic degere, delatoresq; confirmare ac delinire quantum poterat, didicissent, illum quidem in Hispaniam relegare, Agrigenti uero tẽplum ac episcopi domum, alibi construere decreuerunt, Hoc & Diuus Gregorius cũ audisset altare à scelesto Leucio euersum, sanctorumq; venerãda corpora in mare fuisse proiecta, laudauit. Cum igitur rem episcopatus sic ordinasset, illum Epulij Archidiaconi & Erasmi curæ commisit. Ipse interim Romę morabatur. Siquidem Constantinopolim ex Regis decreto primo quoque tempore traiecturus erat. In his dimisso senatu Pontifex sanctum virum domum suam accersens rem tum eius pietate, tum Gregorĳ maiestate dignam fecit. (Virtutem enim quilibet virtutis amator veneratur & colit) nam ob ea quæ præcesserant perculsus & grauiter affectus animo, ad pedes illius prouoluitur, nunc gratias agens, nunc pro iis in quibus deceptus, calumniis in illum illatis fidem habuerat veniam petens. Ipsi vero locum non exiguum à subdita sibi ciuitate abscissum, dono dat, ac p ipsum Deo, qui templi, quod extruendum erat, necessarios sumptus illi suppeteret.

Cæterum Marcianus ac Episcopi Gregorium conuenientes, Roma simul egrediuntur, deinde Regiæ ciuitati applicuerunt, quorum cum aduentus Regi innotuisset, iussit Diuum quidem Gregorium apud Diui Sergij monasterium diuersari, Marcianum vero accersitum, de iis, quæ in concilio acta fuerant, interrogauit. Ille cum admiranda viri sancti opera incomparabilem eius virtutem, & quæ delatoribus Diuinitus obuenissent, nec nō tolerant iam modestiam & insignem supra humanos mores animi humilitatem singillatim edisserit. Quæ omnia Rex exaudiens mirabatur, ac Patriarchæ omnem miraculi seriem identidem enarrabat. Postea uero quam Gregorius vnà cū Episcopis vrbem ingressus est, maxima in illum Regis hilaritatis ac beneuolentiæ significatio extitit, nam & solio surgens, eum complexus osculabatur. Verum enim uero cum illi non multos post dies in mentem venisset nouas sacerdotibus leges sancire, quæ etiam posteris tum tutæ, tum vtiles viderentur, Patriarcham & eum ipsum Diuum Gregorium accersitos, communicato consilio, quid facto opus esset consulit, qui rem per sanè laudabilem fore, ac recte de religione sentientibus vtilem affirmarunt. Iique cum sacrum ieiunij tempus aduenisset, hanc prouinciam ipso rege in consilium secum adhibito, suscepere, nouasque & sacras leges illi sanxerunt.

Interea vero Gregorius sermones doctrina ac pietate refertos plureis adidit. alios quidem in sacram Ieiunij obseruationem, alios in Petrum & Andream, ac plureis item alios composuit. qui tū artificio tum vtilitate plurium illi laudis attulerunt. Vbi vero domum discedere in animum induxit, rogauit Regem locum sibi in Agrigenti ciuitate in quo episcopi domicilium construeret, impertiri. Cui Rex tanquam acciperet, non erogaret, ita prompte ac hilariter elargitus est, ut optata illius supergressus, Dimidium illi Agrigenti ciuitatis dari iusserit, quo pro libito vteretur. Deinde amplexatus illum, rogansque ne sui obliuisceretur, neue grauaretur pro se Deum precari, dimisit. At uero ne Regina quidem circa virum sanctum segnius affecta visa est, Nam & ipsa cum didicisset Gregorium amicum Deo ac perfamiliarem esse, consentaneam illi reuerentiam detulit, ac donis quam potuit magnificentioribus demereri illum conata est. Quapropter egressus vrbe Constantini, Romam profectus est, vbi à Pontifice Max magna reuerētia susceptus, Agrigentum nō multo post ad nauigat, qui cum duo diaconi, vt in proprium illum episcopatum restituerent, missi sunt. Porrò & illic tam ingens viri sancti apud omnes conflatur desiderium, vt illius virtute non obscurum testimonium fecerit, dum pia plebs vniuersa cunctusque populus extra ciuitatem egressi, tum laudibus, tum sacris cantionibus, vt non facile quanta cum uoluptate dixeris, obuiam illi prodiere.

Quid ad hæc Diuus Gregorius? Illos omneis osculo sancto humaniter ambit, ac singulis manus imponens, bene omnibus precabatur. At Patri obuius factus primum quidem eius pedibus seipsum abiecit, mox assurgens, brachiisque collum eius circundans, amplexabantur, vt lacrimæ vtriusque oculis elicitæ agendarum Deo gratiarum communiter occasio fierent. Hoc ipsum erga matrem vsu sibi venisse comperit. Verus enim eius discipulus erat, qui parentes præ omnibus colendos precepit. Demum vrbem ingressus, nō primus domicilium petiit, nō templum videre sustinuit,

nec vix alterum oculum adiecit,sed confestim abiens,tabernaculum suum muro septum extra simulacrorum templum fixit, vbi cum multitudine in preces incumbens vigil pernoctabat. Deinde cœleste conuiuium prout potuit repręsentans,venerandam illic 27 crucem erexit. Itaque Dęmonibus, qui simulacrorum templo præsidebant, piis erga Deum precibus profligatis 28 templum reædificauit, ac plurimis ornamentis decorato ei maximorum ac principum Apostolorum nomen indidit, in quo & mystica sacrificia offerebat. Linguam simul & manum opipare aperiēs, præbensq; panem, quo corda reficiuntur, panem inquam qui re simul & nomine angelorum dicitur, panem esurientium animas saturantem, vtrinque mundi creatorem venerabatur.

27 *Venerãdam illic crucem erexit.*

28 *Sanctus templum reædificat, plurimis ornamentis decorat, Apostolorum principum & nomen imponit, in illoq; mystica sacrificia offert, hoc est Missas celebrat.*

In his autem ille honestis moribus ac recte factis perseuerans, vitam suam Decori ac honesti tanquam exemplar exhibens, lenitatis animi ac patientiæ, addo etiam in aduersis tolerantiæ suo ipsius documento legem omnibus indixit. Sicq; diebus ac virtutibus auctus, mortali vita perfunctus,ad optatissimum Christum emigrauit,quem decet honor,gloria,maiestas, & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI PATRIS *nostri Amphilochij Episcopi Iconij.*

Nouemb. 23.

IN diebus illis imperãte pio & magno Theodosio Cõstantinopoli, erat quidam Monachus nomine Amphilochius, qui quadraginta annos vixerat in spelunca. Is fuit vir iustus & pius cibus autem eius fuit vnum paxamidium. 1 & potus eius aqua sola. Oleum vero aut sal aut aliquid aliud nunquam sumpsit.

1 *Vide miram in sancto victus austeritatem & ciborum delectum. Vide etiã potum aquæ.*

Accidit autem vt eo tempore decederet Episcopus ciuitatis Iconij. angelus verò Domini vna nocte accedens ad Amphilochium in spelunca ei dixit. Amphilochi ingredere in ciuitatem, & pasce oues tuas electas. Amphilochius autem non fuit persuasus ab angelo. Cum vero fuisset secunda nox,rursus ad eum accedens angelus Domini,dicit ei Amphilochi vade in ciuitatem,& pasce oues tuas, Ille autem ne sic quidem ei parebat,sed dicebat apud se. Omnino ipse quoque Satanas transfiguratur in angelum lucis,& decipit seruos Dei. Deinde cum fuisset etiam tertia nox,rursus ei apparens angelus Dei dicit. Amphilochi surge à toro tuo,& vade in ciuitatē nihil dubitans aut differens. Surgens autem Amphilochius genua angeli apprehendit & dicit ei. Si reuera es angelus Domini,stemus ambo in oratione ad Dominum nostrum Iesum Christum. Diuinus vero angelus Domini, capite suo inferius inclinato, clamabat dicens. Sanctus sanctus, sanctus Dominus Saboth. plenũ est cœlum & terra gloria eius. statimq; dextera eum apprehendens Angelus, duxit eum in sanctam ecclesiam. & protinus porta ecclesiæ eis sua sponte patuit. & ingressi viderunt in tēplo clara lumina perinde atque in festo Domini. erantq; illic viri præclara veste induti & cincti singulari cingulo, quorum nõ erat numerus. Ii acceptum beatum Amphilochium duxerunt ad aram sanctam. Vnus aũt ex iis manu tenebat Euangelium: & id tradidit Amphilochio. & clama-

uerunt omnes vna voce, dicentes. Dignus is qui est vocatus. Dominus Deus erit tecum Amphilochi. Vnus autem ex sanctis Angelis qui etiam erat primus ex ipsis, clamauit, dicens. Orate pro me omnes. Diuina.n. gratia quæ semper curat ea quæ sunt imbecilla, & implet ea quæ sunt deflecta, præficit pium nostrum fratrẽ Amphilochium Epm ciuitatis Iconij, suffragio & periculo nostro q affuimus. Orate ergo pro eo oẽs, vt gratia Dñi nostri Iesu Christi sit in eo: & statim postquam orarunt pro eo dederunt, ei pacem. & cum Angeli in cœlum ascendissent, ecce dies illuxit.

E' sancta autẽ Ecclesia egressus beatus Amphilochius, proficiscebatur ad suum habitaculũ. Ecce autem Episcopi numero septem à Deo emissi, interrogabant ipsum Amphilochium, dicentes. Tu es Amphilochius? Sanctus autem Amphilochius dicit eis. Omne mendacium est à malo, seu fuerit in re magna, seu in parua. Ego sum Amphilochius peccator. Tunc eum acceperunt Episcopi & duxerunt in sanctam ecclesiam ad eũ consecrandum Episcopum. Sanctus autem Amphilochius dixit eis. Re uera venerandi patres, veritatem vobis annuntiabo. Hac nocte Angeli Dei venientes me impositis manibus consecrarunt Epicopum ciuitatis Iconij. Hęc cum audiissent Episcopi, alter ad alterũ accedentes dicebant. Quem Deus consecrauit per sanctos suos Angelos ne audeamus nos afficere contumelia. sed erit benedictus in secula. & det ei Dominus Deus omnem gratiam & quietẽ: & filij iniquitatis non possunt ei malè facere. Data ergo ei pace Episcopi ab eo recesserunt. & cùm venissent in suas ciuitates narrarunt omnia de sancto Episcopo Amphilochio. Illi autem iis auditis admirati sunt, & dederunt laudem & gloriam benigno & clemẽti nostro Deo. Tunc beatus Amphilochius venit Dei voluntate in ciuitatẽ Iconij, & Christi ope pascebat gregem suum.

Cùm autem post tres annos sui Episcopatus dies aliquot præteriissent, Constantinopoli surrexerunt lupi Arabiæ aduersus Christi ecclesiam. Eunomius inquam, Arrius & Macedonius: & quæstionem proposuerũt de Domini nostri Iesu Christi quæ in carne fuit dispensatione nec poterat vllus resistere eorum sermoni & sapientiæ quæ destruitur. Tunc Imperator Theodosius fecit conuenire multos Episcopos in hanc claram & maximam ciuitatem ad conuincendum scelestos illos & impios, & non potuerunt. Deinde accedentes sanctissimi Episcopi ad Imperatorẽ Theodosium, dicunt ei. Domine Imperator audi nos. Mitte in ciuitatem Iconium: & accerse Amphilochium Episcopum qui est pater noster. & si is accedens non eos vicerit & deiecerit, omnes quoque nos victi sumus. Hęc cum audiisset Imperator Theodosius ab Episcopis, statim mittit Apocrisiarium cum cursoribus suis. Qui cum venisset in ciuitatem Iconiensium, dicit Episcopo Amphilochio. Pater sanctissime, Episcopi omnes qui venerunt Constantinopolim, rogarunt Christi amantem Imperatorem, vt tu quoque ad eos vsque venias. Ille autem dixit eis. Si hæc ita se habent ò chari filij, eamus alacriter. Tunc sanctus, accepto secum Theodulo suo Diacono, sedens super pullum suum, profectus est ad à Deo custoditam Constantini ciuitatem. & nec comedit nec bibit iis diebus quibus fuit in itinere, donec ad ipsum venisset Bysantium.

Cum autem ingressus esset ciuitatem circa horã nonam diei, diuersatus est apud quandam viduam. eratq; illic tota nocte glorificans & benedi-

cens Dominum nostrum & Deum Iesum Christum. Sequenti autem die egressus extra diuersorium viduæ, profectus est ad sanctam Dei ecclesiã. erant autem tunc omnes portæ diligenter obseratæ. & humi flexis 2 genibus orauit. Tunc protinus portæ sua sponte aperte eum intromiserunt. Ingressus autem cum in sanctum solum procidisset orans dicebat. Domine mi Iesu Christe. Si est in me sermo sapientiæ, Quid dicam aut quid loquar coram Imperatore & iniquis illis Hæreticis nescio. Hæc cum dixisset, eius oculis euidenter apparet Dominus, & dicit ei. Amphilochi, ne timeas neque formides. Ego enim sum Iesus Christus, qui locutus sum per sanctos meos Prophetas & Apost. Loquar etiam per te quæ loqui oportet coram eis. Hæc cum dixisset Dominus, ab eo recessit. Tunc egressus beatus Amphilochius è sancta Ecclesia, rursus profectus est in viduæ diuersorium.

2 *Orat sanctus humi flexis genibus.*

Cum audiuissent autem lupi Arabiæ, Eunomius, Arius, & Macedonius, ꝙ venisset in ciuitatem Christi seruus Amphilochius, accesserunt ad ipsum, volentes eius facere periculum. Primus autem Eunomius irrũpens in petram immobilem. erat enim reuera in petra fidei fundatus magnus Amphilochius, dicit ei Eunomius. Tu es qui diceris Amphilochius Monachus seruus Dei? Ille autem dixit, Ego sum peccator. Eunomius dicit. Et cur tu peruertis Israël? Dicit sanctus Amphilochius. Non ego peruerto Israël, sed tu & domus patris tui. Dicit Eunomius. Quomodo ergo prima vox dicit in Euang. In principio erat verbum. & verbum erat „
apud Deum: & Deus erat verbum. Ante principium erat'ne aliquando, an nõ erat? Dixit sanctus Amphilochius. Non vt tu existimas, res creata est filius qui factus est sicut nos: sed vt voluit, eius diuinitas est transmutata. & verbum caro factum est & habitauit in nobis. Dicit autem Eunomius. Quomodo ergo dicit in veteri testamento. Duo duo, vnum ex aduerso vnius. Sanctus dicit Amphilochius. Audi me infelicissime, Duo duo, quatuor. Ego autem tibi dico. Matthæus. Marcus. Lucas & Ioãnes, quatuor Euangelistæ ad vnum Deum se referentes & laudem ei tribuentes. qui etiam annunciarunt Euangelium, & ad hominum genus salutem attulerunt in toto mundo. Seruator enim noster & Deus, misso vnigenito suo filio in mundum, sic dixit. Pete à me & dabo tibi gentes „
hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Pasces eos in „
virga ferrea. tanq̃ vas figuli confringes eos. Eunomius dicit. Q̃uo ergo Deus dicit per Prophetam Dauid. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto? Dixit S. Amphilochius. Non enim hic dicit de Christo. Non, sed quando Deus accepto puluere de terra formauit hominem, dixit Deus Non est bonum hominem esse solum. Faciamus ei „
adiutorem sicut ipse. & iniecit extasim in Adam & resoluit in soporem. & accepta vna ex eius costis, ędificauit eam in mulierem quam dedit ei. Vnde etiã propterea Proph. Dauid tanq̃ ex persona Adami hoc locutus est dicens. Non est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto.

Eunomius dicit. Q̃uo ergo rursus dicit Deus per sapientem Solomonẽ. Dominus creauit me principium viarum suarum ad opera sua. Vides ꝙ „
filius est res creata & facta? Dicit S. Amphilochius. Non hoc dixit de Christo. Sed q̃n duabus mulieribus factus est obuiam Seruator omnium Christus, cum surrexisset è Sepulchro, dicebant ei illæ quæ exponuntur

anima & corpus. Si scis vbi posuerunt Dominum nostrum Iesum xp̄m, dic nobis vt tollamus ipsum. Iesus autem dixit Maria, Noli me tãgere: nondum enim ascendi ad patrem meum. Dixit Eunomius. Cras coram Imperatore & toto Senatu disseremus ego & tu. Mirabatur autem tota ciuitas audiens eos differentes. & dicebant apud se ciues. Vter vincet ex his duobus? Sanctus autem Amphilochius cùm surrexisset & recessisset ab Eunomio, & ingressus esset in sanctam ecclesiam, orauit Dominum, dicens. Domine Iesu Christe fili Dei viui fer mihi opem. Ne vincat ergo inimicus veritatis tuam inuictam potentiam & à mendacio alienam doctrinam: & hæresis erroris tuam fidem orthodoxam. sed iube me Domine eum afficere, pudore, ad gloriam tuam & sancti tui nominis. Qm̄ tu es solus Deus glorificatus in secula Amen. Tunc egressus ex ecclesia ingressus est in suam mansionem. Vnde per totam noctem orans dicebat. Domine Iesu Christe, imple quæ es mihi pollicitus. vt vbiq; glorificetur sanctissimum nomen tuum in secula Amen.

Posthæc autem accipiens manu Diaconum, dixit ei. Frater Theodule, hodie vita & mors est nobis proposita. Dixit Diaconns. Quid est quod dixisti Domine mi Pater. Dixit S. Amphilochius. Qm̄ mos est vno aut pluribus Episcopis ad Imperatorem ingredientibus, Diaconum dicere, Erige, tu ò fili, me ingrediente ad Imperatorem exclama magna voce Erige, seu vita seu mors sit nobis proposita. Diaconus autem dixit. Omnino ò Domine si dixero sicut iubes, Imperator me interficiet. Dixit sanctus Amphilochius. Ne timeas hunc Regem, qui est ad tempus, qui corpus quidem occidit, animam autem non potest occidere. Potius autem eum time qui potest corpus & animam perdere in gehennam. Dixit aũt Diaconus. Quomodo locutus es Domine mi Pater, ita erit & faciam. seu vitæ seu mors est nobis proposita. Tunc manu accipiens Diaconum Amphilochius, iuit in palatiũ. & ipsis ingredientibus, sedente Imperatore & eius filio in thronis aureis, Diaconus Theodolus magna voce clamauit illud Recti. adeò vt palatium circũageretur & omnes exurgerent. Deinde cùm S. Amphilochius appropinquasset Imperatori adorauit eũ dicens. Pax Imperatori. eius autem filium non adorauit, sed dixit ei. Salue Domine. Imperator autem Theodosius cùm vidisset quod fecerat sanctus in suum filium, valde fuit iratus: & dicit Episcopo Amphilochio. Abba, cur meum imperium affecisti cõtumelia? qui me quidem salutasti vt mos est salutare Imperatores: filium autem meum minuisti? Non est is quoque mecum Imperator? Non est indutus purpura & corona in capite sicut ego? Cur ergo meum filium affecisti contumelia? Nunc ergo non stabit caput tuum super te, quoniam sic fecisti & sic es locutus.

Sanctus aũt Amphilochius respondens dixit Imperatori. Bone Imperator, si tu qui es hodie conseruus meus & cras non es, ęgretulisti vt ipse dixisti, q̄ filius tuus afficeretur contumelia: Deus cœli & terræ non ęgreferet cum contumelia afficiatur eius filius? Certe is multo magis vobis irascetur. Sed cum sit benignus & clemens, sustinet & lenitate vtitur ac patientia. Dixit autem Imperator. Cur tu es & senex & canis & impudens. Dixit S. Amphilochius. Audi hoc quoque ò bone Imperator, & dicam tibi verum. Senectutem quidem habeo propter tempus. impudentiam autem propter insolentes. Canis autem non quiescit cum videat tres

latrones,

latrones, Eunomium, inquam, Arrium & Macedonium. quos quidem Deus cito est ex hoc mundo sublaturus, vbi diuinitatem contumelia affecerunt eiq; detraxerunt. Hæc cum audiisset Imperator & se collegisset, dixit. Re uera hic senex verum dixit. Si enim ergo qui sum terrenus homo, & in quem cadit interitus, ægretuli quòd meus filius afficeretur contumelia: Deus cœli & terræ non nobis irascetur cum eius filius afficiatur contumelia? Certe multo magis nobis irascetur. Dicit autem Imperator iis qui eius parebunt imperio. Detrahite eos ex suis sedibus: & nullus ex eis seruetur hodierno die. Præsidebant enim magistri interitus prope Imperatorem. Tunc populus clamauit, dicens. Iustum est iudicium apud Imperatorem. Iniquorum & blasphemorum capita gladio amputa Domine: aut igne eos exure. aut in profundum maris transmitte, vt qui sanctam & orthodoxam fidem Ecclesiæ catholicæ abrogent.

Sanctus autem Episcopus Amphilochius cum vidisset populi insurrectionem incitati aduersus sceleratos, accedens & adorans Imperatorem, rogauit eum dicens. Non Domine Imperator, non iubeas eos mori. sed rogo tuam potentiam, iube vnumquenque eorum relegari in suam patriam. Arrium quidem in Gotthiam. Macedonium autem Gangram, & impium Eumonium in Cappadociam in locum suum, qui dicitur Dacoroena. Quomodo autem dixit beatus & sanctus Amphilochius, sic fieri iussit Imperator Theodosius. Tunc eum impium & Dei hostem Eunomium veteri Camelo non stratæ imposuissent, eum duxerunt in triumphum, in ciuitate circũagentes & dicentes. Ecce inimicus Dei & Christianorum: & expulerunt eum è ciuitate Camelo insidentem. & deinde venerunt etiam ad alios: & cum eos quoque traduxissent, & plagas imposuissent, eos quoque expulerunt ex Regina vrbium in loca eis præscripta. Seruo autem Dei Amphilochio cum multas dedisset pecunias ad admirationem & distributionem faciendam pauperibus: & benedictus fuisset ab ipso simul cum filio suo, eum dimiserũt cum magna gloria & honore in ciuitatem Iconij quæ ab ea pascebatur, Deum laudantes atque glorificantes Donarunt etiam pecuniis eius Diaconum.

Cum autem venisset in suam ciuitatem, & ab eo tempore tres alios annos vixisset sanctus Amphilochius, quieuit in Domino, cum fuisset optimus doctor sanctæ Ecclesiæ, & verus Pastor nostri pastorum principis Iesu Christi. Tota autem ciuitas Iconij valde luxit propter doctorem veritatis & bonum suum pastorem. Quamobrem cum nocturnas perfecissent preces, sacro & mystico peracto ministerio, sancto & patienti eius corpori iusta fecerunt 3 & honorifice sepelierunt in Ecclesia cũ iis qui ante ipsum fuerunt sanctis Episcopis, Deum glorificantes & laudantes. Dormiit autem sanctus & beatus Amphilochius mensis Nouemb. vicesimo tertio imperante magno Theodosio. In Christo Iesu Domino nostro. Cui & gloria & potentia, nunc & semper & in secula seculorum.
Amen.

3 *Ecce iusta sancto Episcopo defuncto peracta, & honorificam sepulturam.*

VITA S. CLEMENTIS MARTYRIS
Epiſcopi Romani, diſcipuli ſancti Apoſt. Petri.

Eodem die.

TRAIANI Imperatoris tempore Torcutianus Comes officiorum, cum innumerabilem multitudinem Chriſto vidiſſet credere, accerſiit Præfectos regionum: & datis eis pecuniis perſuaſit vt turbam mouerent aduerſus nomen Chriſtianum. Vrbis autem præfecturam obtinente Mamertino, excitata eſt populi Romani ſeditio nomine Clementis. & exorta inter ſe inuicem confuſione, alius aliud in ipſum dicebat. Aliqui autem contra dicebant. Quid enim mali fecit: aut quid non boni recte geſsit? Nam quencunque ęgrotum viſitauit, is ſanitatem ab eo eſt conſecutus. Quicunque ad eum abiit affectus triſtitia, is lætus eſt reuerſus. Nullum vnquam lęſit: omnibus vero profuit. Alij autē Diabolico ſpiritu accenſi clamabant. Magicis artibus hæc faciens, Deorum noſtrorū cultum euertit. Iouem dicit non eſſe Deum. Herculem autem noſtrum cuſtodem dicit eſſe immundum ſpiritum. Sanctam Venerem refert fuiſſe meretricem. Veſtam autē magnam Deam igne fuiſſe conſumptam impie aſſerit Similiter ſanctiſsimam quoque Mineruam, Dianamq́ue & Mercurium Saturnumq́ue & Martem calumniatur. Omnia noſtrorum Deorum nomina & templa probris inſectatur & contumeliis. Aut Diis noſtris ſacrificabit, aut ipſe delebitur.

Tunc Mamertinus vrbis Præfectus non ferens populi ſeditionem, beatiſsimum Clementem iuſsit ad ſe adduci. Quem cum vidiſſet, cœpit dicere. Ex generoſa quidem radice proceſsiſti, vt tibi teſtimonium fert romanus populus. ſed errorem ſuſcepiſti: & ideo non poſſunt in animum inducere vt taceant. Nam neſcio quēnam Chriſtum colis, & contra Deos admittis. Quamobrem oportet te deponere omnem ſuperfluam ſuperſtitionem: & colere Deos quos de more colimus. Tunc dixit beatus Clemens. Optarem excellentiæ tuæ prudentiam attendere meam defenſionē: & nō propter imperitorum ſeditionem, ſed propter meam doctrinam me accuſare. Nam etiamſi multi canes nos allatrauerint & conſciderint, non poſſunt nobis auferre quin ſimus homines rationis participes, illi autem canes latrantes. Semper enim conſtat ſeditionem proficiſci ab imperitis, vt nihil habeat tutum nec verum. Quamobrem quæratur ratio ſilentij: in quo pro ſua ſalute homo particeps rationis, & per ſe incipiat conſultare & diſſerere. vt verum Deum inueniat cui ſuam fidem honorifice commēdet. Tunc Mamertinus vrbis præfectus mittens ad Traianum Imperatorem, detulit nomen beati Clementis, dicens. Hunc Clementem ſeditioſis clamoribus populus non ceſſat quærere: & non poteſt in eum inueniri fide digna probatio. Tunc reſcripſit Traianus Imperator, oportere eum vel conſentire ſacrificantem: aut vltra mare & pōtum in deſertam ciuitatem ſitam prope Cherſonem relegari.

Quando autem Traiani iuſſus fuit confirmatus, cogitabat apud ſe Mamertinus, quonammodo Clemens voluntarium non peteret exilium: ſed Diis potius offerret libaiam. Sed beatus Clemens contendebat ipſius quoque Iudicis animum ad fidē Chriſti traducere. & oſtendere ſe potius

eligere exilium q̃ id timere. Dominus autem Clementi præbuit tantam gratiam, vt Mamertinus vrbis Præfectus defleret & diceret. Deus quem tu sincere colis, ipse tibi opẽ feret in hoc quo fuisti dãnatus exilio. nauemq́ ei constituit: & cũ omnia in eam immisisset quę erant ad vsum necessaria, dimisit. Porrò autem multi quoque ex populo viri pij eum sunt secuti. Cum autem peruenit ad locum in quem erat relegatus, ad opus fodiẽdi & cædendi marmoris, illic inuenit plusquam duo millia Cstristianorum qui ad longissimum tempus erant condemnati. Qui quidem cum vidissent sanctum & egregium Clementem, omnes vnanimes cum gemitibus & lachrymis accedentes, dicebant. Ora pro nobis sancti Pontifex, vt efficiamur digni Christi promissione. Quos cum cognouisset sanctus Clemens propter Christũ fuisse relegatos, dixit. Non ab re me huc misit Dominus: sed vt cum fuissem particeps vestrarum perpessionum, præberem etiam exemplum consolationis & tolerantiæ.

Ab eis autem accepit q̃ à sex milliaribus portabant aquam suis humeris. Statim itaque Clemens rogauit eos dicens. Precemur Dominum nostrum Iesum Christum, vt fidei suæ confessoribus aquæ fontẽ aperiat. & qui percussit petram in terra deserta sina, & abunde fluxerũt aquę, ipse copiosum nobis præbeat fluentum: vt lætemur eius suppeditatione. Impleta autem precatione, in eo loco ad quem aspexerat vidit agnum stantẽ qui dexterum pedem leuauit, veluti sancto Clementi locum indicans. Tũ sanctus Clemens cogitans esse Dominum. quem ipse solus aspexit & nullus alius, profectus est ad locum & dixit, In nomine patris & filij & spiritus sancti pulsate in hoc loco. & cum omnes circuncirca fodissent ligonibus, & non ipsum locum in quo stetit agnus, paruo ligone accepto paruo ictu sanctus pulsauit locum qui erat sub pede agni. vnde repente emersit fons pulcherrimus aquis scaturientibus. qui magno impetu effusus fecit fluuium. Tunc sanctus Clemens dixit omnibus exultantibus. Fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Propter hanc ergo famam accurrit omnis prouincia, & omnes qui venerant ad doctrinam sancti Clementis, conuersi sunt ad Dominum. adeò vt quotidie quingenti & plures baptizati recederent, Intra vnum autem annum factæ sunt illic à fidelibus septuaginta quinq́ 1 ecclesię: & confracta sunt omnia simulachra omnia templa regionis quæ erat circuncirca sunt diruta. omnes luci qui erant ad trecenta milliaria, omnino in orbem sunt concisi & constrati.

1 *Primum christianæ fidei acceptæ indiciũ semper fuit Ecclesiarum ædificatio.*

Tũc ergo odiosa narratio peruenit ad Traianum Imperatorem, q̃ illic ad multitudinem innumerabilem auctus esset populus Christianorum. & ab eo missus fuit Præses Aufidianus qui plurimos Christianos diuersis tormentis sustulit. Videns autem omnes ad martyrium cum gaudio accedentes, cessit multitudini. solum autem sanctum Clementem cogens sacrificare: & videns eum sic esse firmum & stabilem in Domino, & nolle omnino à sua dimoueri sententia, dicit lictoribus. Accipite eum & ducite in medium maris: & proiicite eum in profundum. ne possint Christiani tollere eius corpus, & pro Deo eum colere. Cum hoc ergo factum esset, vniuersa multitudo Christianorum adstans flebat in littore.

Post hęc autem dixerunt Cornelius & Phœbus eius discipuli. Omnes oremus vnanimes, vt ostendat nobis Dominus Martyris sui reliquias. Orãte ergo populo, retrocessit mare in suum sinum ad tria ferè millia. per

ficcum autem ingressi populi, inuenerunt, in figura templi marmorei para rum à Deo habitaculum, & illic situm corpus sancti Clementis, & ancoram cum qua fuit proiectus prope ipsum iacentem. Reuelatum ergo fuit eius discipulis ne reliquias è loco eiicerent. quibus etiã hoc fuit responsum, q; singulis annis in die suæ decertationis, cessurum sit mare venientibus septem dies, siccum iter eis præbens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem sui nominis vsque in hodiernum diem. Hoc autem facto quod erat pręter opinionem miraculo, omnes gentes circuncirca credidere Christo. Quo in loco nullus inuenitur Gẽtilis, nullus Hebræus, nullus omnino hæreticus. Illic enim 2 plurima fiunt beneficia. In eius festo cæci illuminantur. Dæmones expelluntur: febrientes sani fiunt. Nephretici & qui calculo laborabant, solo contractu eius reliquiarum, & aquæ sanctificatæ aspersione & potu, à morbo liberantur, & qui quouis morbo erant affecti, confugientes ad sacri Martyris auxilium, fruuntur curatione. & permanet gloria eius & laus in æternum per Dominum nostrum Iesum Christum. Per quem & cum quo patri gloria cum sanctissimo & viuifico eius spiritu nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

2 *Tot & tanta miracula quæ ad sancti reliquias fiunt, integritatem & innocentiam uitæ eius testificantur.*

NARRATIO SANCTI MARTYRIS
Ephraim Episcopi Chersonis, De miraculo facto in puerum à sancto Martyre & Apostolo Clemente.

MIRABILIS Deus in sanctis suis opportunum est hodie dicere cum Propheta. & Quàm admirabilia sunt opera tua Domine? & Quis Deus magnus sicut Deus noster? & tu es Deus facies mirabilia solus. Quod enim pręsenti orationi aliud afferam procemium? Artificiosam enim dicendi artem præsens superat miraculum. cum miraculum multa excellat miracula, & ipsa etiam prophetica miracula exuperet, vt est ostensura oratio.

Scio vos cupere scire quodnam & cuiusnam sit miraculum. & vrgetis vt dicamus. Id autem est primum quidem Dei, à quo omnis datio bona & omne donum perfectum Pręterea autem Clementis Romani, qui post Petrum fuit præco veritatis, & eius romanæ sedis successor fidelis. illius, inquam, Clementis, cuius vsque in hodiernum diem vniuersa terra vel tacens salutiferas clamat fuisse doctrinas. Clementis illius qui fuit vera palmes vitis Christi. per quem nobis expressus botrus doctrinæ, pietatis & salutis mustum nobis effudit. Clementis, qui fuit veræ scalæ, quæ nos non deducunt ad sublimem aliquam terræ altitudinem. sed virtutum ascẽsionibus tanquam aliquibus gradibus nos ad cœlum transmittunt & cœlestia. Scalæ quæ iis quæ à Iacob visę sunt nihil sunt inferiores: non ostendentes nobis angelos per eas ascendentes & descendentes, sed hominum animas diuinis admonitionibus, vt quæ à gradibus in gradus per virtutes ad Deum deducant. Cuius quidem miraculum cum nõ didiceritis ò pulcherrime & fidelissime cœtus, qu: le sit & quantum audire, vt viri pij cõtendite, & ad audiendam exultate orationem: & aures inclinate: & nestiã argui te tarditatem. de hoc enim gaudeo, solum vos rogo vt vsque ad

finem mihi attentum animum adhibeatis: & nulla cogitatio quę ad huius vitæ curam pertinet mentem vestram subeat, nec promptum vestrum animi studiũ sinatur retardare: sed hoc vigilanti animo & attento fideliter hoc excipe. Res autem ita se habet.

Cùm præclarissimus & beatissimus Clemens, perfecisset doctrinæ cursum & Apostolatus, & per cõsummationem martyrij hinc excessisset, vt gloriosi eius martyrij liber declarauit. quem vos non ignorare est mihi persuasum, nõ iustum iudicauit is qui eos qui ipsum glorificant glorificat, non ipsum vicissim glorificare, qui pro amore in eum sic decertauit: sed eũ valde glorificare & magnifice extollere: & vt in cœlo angelis, ita etiam hic hominibus eum reddere clarissimum & maxime venerandum per miracula. miracula, inquam, quorum magnitudinem mens non potest cõprehendere: nec oratio dicere multitudinem: neque manus exprimere infinitatem. Vt ergo ex fimbria, vt est in prouerbio, textum, pannum positis cognoscere, id vobis narrabo quod prius sum pollicitus. Cum 3 venerande sanctissimi Martyris Clementis reliquiæ in maris profundum fuissent proiectæ ab impiis illis cultoribus simulachrorum, & eas excepisset templum in profundo à Deo ædificatum, hic quoque maximum facit miraculum Deus admirabilium. Cum enim hoc factũ esset, & eius Discipuli flerẽt cum iis qui illic erãt fidelibus, & vt 4 sacrosanctas gloriosi Martyris reliquias eis ostenderet, quod etiam factum est, Deum supplices rogarent, protinus immensum illud pelagus desistens & retrocedens, effecit vt profundum adiri posset à fidelibus vsque ad tria milliaria. Ingressi autem inuenerunt habitaculum instar templi marmorei. & illic in capsa lapidea 5 sanctissimas & gloriosissimas Martyris Christi repositas reliquias. Qui cũ statuissent sanctissimas ex profundo tollere reliquias, noctu accedens sanctus eos sic est allocutus. Reliquias quidem nolite tollere. hãc autem vobis concedo gratiam, vt singulis annis die meæ decertationis septem dies mare retrocedens, præbeat iter per siccum ingrediendum hucusque. Quod autem dixerat, deductum est ad effectum. Ab eo enim tempore vsque in hodiernum diem singulis annis fit hoc miraculum. Quid est hoc minus faciendum quam Mosis miraculum? Quid vero Elissei, vilius aut minus gloriosum? Imo verò est lõge maius & gloriosius? Ille enim virga & viuus & semel mare scindẽs, maris profundũ vt iter esset, effecit. Hic verò similiter pelle ouilla secans Iordanum, semel quoque hoc fecit miraculum. ambabus aquis post transitum redactis ad suam naturam, quibus hoc nunquam factum est postea. Hic autem post mortem, & non semel, sed ab eo tempore vsque in hodiernum diem, ò miraculum & gloriam Martyris, quale donum est assecutus singulis annis die gloriosæ suæ decertationis? Septem enim dies, sicut prius diximus, recedens mare illud infinitum piis præbet iter facile.

Cum hoc ergo sic factum, omnes pij, tam qui erant in regione, quàm ciues Chersonis audiuissent, perrexerunt ad contemplandum miraculum. Cum quibus quidam quoque vir pius cum pia vxore & filio masculo, ad sacrosancti martyris templum viam peregerũt prompto & alacri animo. Cum autem ad locum peruenissent, & miraculum quod adhuc fiebat aspexissent, ingressi sunt illud templum quod à Deo ædificatum fuerat in profundo. & cum ad capsam accessissent, supplices sanctum 6 rogabant,

3 Nota, uenerandæ sanctissimi Martyris reliquiæ.

4 Adde & sacrosanctas.

5 Iunge sanctissimas & gloriosissimas.

6 Vides quomodo ro-

petentes vt per ipsum sibi daretur venia peccatorum: & precantes vt filio daretur vita longa & nullis obnoxia calamitatibus, & opum copia, & quæ consentaneum est petere parentes filio vnico. Postquam ergo preces peregissent, & sancti osculati fuissent 7 reliquias, redierunt. Qui cum egressi essent, aqua rursus in suum locum rediit. Illi autem conuersi, & quod prius erat iter pelagus aspicientes, huc & illuc circunspicientes, filiũ quærere aggrediebantur. Is autem in arca sancti remanserat. & hoc non obliuione parentum, sed Dei voluntate factum est, vt in hoc quoque Martyrem faceret magis admirabilem.

gantur sancti ut per ipsos nobis detur venia peccatorum?

7 *Ecce quomodo etiam tunc sanctorum reliquiæ exosculabantur.*

Cum ergo parentes non inuenirent filium, & cogitassent puerum fuisse à se obliuioni in profundo mandatum. Quid opus est dicere & patris lamentationes & matris eiulatus? Præclarum enim illud 8 festum conuerterunt in lamentationem. Quid enim non dicebant? Quid non faciebāt ex iis quæ consentaneum est vel ipsum lapidem posse mouere ad lachrymas? Mater enim oculos ad mare extendens, & manus in altum extollens, sancto tales voces emittebat. Hæ sunt, ô sancte, tuæ remunerationes? hanc ne reddis gratiam iis qui tanto tui desiderio ad te accurrerunt? Hāc ne reddidisti mercedem pro labore quem passus sum ex quo accessi. Vbi est mihi filius? Vbi nati mei viscera marina bellua lacerauit? Quisnam autem vehemens insurgens fluctus, eum viuum tanquam sepulchrum operuit? Quemnā modo aspiciam oculis? Pro quo vero orabo? Quis autem erit meæ senectutis baculus? Cur ô sancte, non fecisti me esse sociā mortis filij mei. Vt quomodo ad te accessi eum manu tenens, ita etiam eum vlnis ferens infelix ad inferos descenderem? O' mare & profundum, quonām tui sinu meum tenebis filium? Quomodo autem eum quoque ales? Hei mihi miserande fili. fili rapte ante tempus. fili quomodo à meis oculis recessisti? Quibus pedibus es conuersus? Quemnam autem tanq̃ agnum aspiciam exilientem? Pater vero rursus & manus & oculos feriens, sic conquerebatur. Cur ô sancte me repente orbum fecisti liberis? Cur permisisti vt meus filius moreretur morte tam miserabili? Cur mihi obtigerunt cōtraria iis quæ speraui? Hac ne spe ad te accessimus? Talia ne sunt dona Martyrum in eos qui ad ipsos magno accedunt desiderio? Re uera non tu, sed procellæ meorum peccatorum mari tradiderunt filium. O' fili mi quis tui mortui claudet oculos? Quis te autem componet ad sepulchrum? Quænam vero theca pulchrum tuum & iucūdum teget tabernaculum? An omnino quidē tuos oculos texit mare: & sepeliit profundum: & tibi theca fuit venter piscium?

8 *Nota præclarum festum S. Clementis.*

Cum sic autem plangerent & lamentarentur parentes, quidam ex iis qui illuc conuenerant, vix tandem eis persuaserunt vt cessarent à lamentatione. Cum à luctu autem parū cessassent, domum abierunt. Cum ergo tempus processisset, & memoriæ sancti Martyris dies venissent, hæc inter se dicebant, recordati sui filij, Agedum proficiscamur ad sanctum, vt si vllæ reliquiæ, quod fieri nō potest, remanserint nostri filij, eas accipiamus. & cū sancto iudicio contendamus. vt si fieri posit illic moriamur, mortis societatem ineuntes cum filio. Cum hæc ergo dixissent, nondum iis quæ dicebantur finem imposuerant, & cœperunt iter ingredi. Cum vero accessissent & ad locum peruenissent. & mare retrocessisset, Deo hic quoq; honorante Martyrem, filij sui desiderio stimulati, primi profundum ipsi-

lierunt, eosque sequens vadebat multitudo. Cum autem peruenissent ad in primis venerandum templum Martyris, ò miraculum, vident suum filiũ viuum, lætum, & exilientem. Cum sic autem à miraculis in miraculum incidissent, reque insigni & admirabili essent obstupefacti, primum quidem Deum laudarunt. Deinde Martyri quoque egerunt gratias. Deinceps vero adolescentem interrogarunt quomodo esset seruatus, quonam viuificante. quonam seruante: & quonam nutriente? Puer autem vna quidem manutenens arcam: altera autem manu digito indicans eum qui intus iacebat, respondit interrogantibus. Hic post Deum meus custos & vita & alimentum fuit, & propulsator beluarum marinarum. Hic me quotidie alebat splendidissime.

Parentes autem admiratione & lætitia affecti, & Martyris fide magis confirmati, per quem, filium quem putabant mortuum viuentem acceperunt, priores luctus conuerterunt ad gratiarum actionem, sancto sic acclamantes. Vere ergo admirabilis est Deus in sanctis suis, & eorum qui ipsum timent faciens voluntatem, & audiens eorum precationem. Seruasti ò sancte, nostrum filium. reddidisti nobis eum qui non sperabatur. O cœlum & terra & tu profundum quod nos prius execrabamur, admirare magnum hoc opus quod naturam superat. Esto autem tu quoque ò sancte nobis propitius, & ea nobis condona: quæ animo cruciat. in te diximus & fecimus. Ne pro nostris in te maledictis parem referas gratiam. Filium recepimus. eum qui erat mortuus per te nunc in vitam reuocatum accepimus. Senectutis nostræ baculum, rursus habemus tuo auxilio. Quid pluribus opus est? Non trium dierũ sed vnius anni mortuum, & non lapide sed aqua conditum: & non à vermibus, quod est naturæ humanæ proprium, consumptum, sed à piscibus, vt existimabamus, deuoratum, saluum per te accepimus. O gratiam, ò gloriam, ò virtutem & beneficentiam ò sancte. Cum sic ergo sanctum cum lachrymis essent laudibus prosecuti, accipientes filium venere domum, narrantes omnibus miraculum.

Quidnam ergo cum his conferemus? Aiunt Eliam aliquando filium qui erat mortuus viuum matri reddidisse: quod quidem est magnum & valde admirabile. Quinetiam ad Elissæi aliquando, vt litteris est proditum, monimentum, quendam à quibusdam homicidiis interfectum & in eo proiectum surrexisse & vixisse. quod quidem est magnum & valde admirandum. Porro autem Petrus quoque in nostris libris, Petrus, inquã, princeps Apostolorum, illam quæ pauperes alebat viduam Tabitham mortuam, eadem hora ad vitam suscitauit precibus. Et sunt hæc quidem admirabilia & longe clarissima. præsens autem miraculum quantum ea exuperat? Atteritus autem mihi considera miraculi excellentiam. Elias quidem, vt prius diximus, nuper mortuum puerum & qui nondum refrixerat, sed adhuc seruabat naturæ calorem, suscitauit. Elissęi vero virtus duabus de causis fecit miraculum vna quidem ostendens Prophetam qui ignorabatur. altera autem non concedens cędem etiam post mortem. Petrus vero sua virtute, & adiutus etiam eorum precibus qui à vidua fuerant affecti beneficio, ipse quoque excitauit eam modo mortuam. Sanctus autem Martyr Clemens, ò miraculũ, non recens sed iam anno vno mortuum, vel vt melius dicam, in vnoquoque puncto, & eius tenuissima parte

morientem conseruauit. Scitis autem omnes qui eius fecistis periculum, quanto tempore verisimile erat conseruaui puerum in profundo tã vasto. Sed mihi diligenter consideranti, non vnum mortuum, sed quanto temporis spatio scimus puerum in aquam suffocari, id tempus repetentes & remetientes, inueniemus sanctum tot suscitasse mortuos. Quod autem est admirabilibus, non ab aquarum solum suffocatione, sed à bestiarum etiam læsione conseruauit puerum. O' gratiam, ò virtutem, quæ vtrũque efficit. nempe & aquas alligat: & propulsat beluas. Ad hæc quid dicitis. Nõ alia superat miraculum? Nisi quis nos male reprehendat, ꝙ id extollamus supra miracula prophetica. Nulla ea de causa in nos cadet reprehẽsio. Aperte.n.scitis sanctum Martyrem esse in eadem gloria & iisdem tabernaculis in quibus sancti Martyres, Apostoli, & Prophetę, & ipsi Angeli.

Sed ò Martyrum splendor & decus sanctorum, primitiæ Antistitum, vide nunc quoq; hunc præsentem cœtum pium & religiosum, qui à vitæ fluctibus quotidie obruitur. Eum tuis 9 precibus illesum custodi & cõserua. & qui tanq̃ ferę immanes insiliunt Dæmones, & minantur se esse deuoraturos animæ nobilitatem, tuarum intercessionum iaculo repelle ò sanctissime. Sed nos quoque ò fidelissime cœtus, rogo vt per bona & Deo grata opera, efficiamus nos dignos sancti gratiis & donis. Et primũ quidem in Deum & inter nos ipsos sinceram & non perturbatam conseruemus charitatem. Deinde ab omni maledicto & omni mendacio & omni periurio nos ipsos repurgemus. Ante hæc autem & post hæc, faciamus eleemosynam, quæ scit Deum magis placare & propitium reddere nostris peccatis. Quis enim eius oblitus regnum Dei possiderit? Nemo nostrum prætexat paupertatem. nemo viduitatem & liberorum nutricationem. Sunt hi frigidi & perniciosi prætextus. Nemo vestrum est illa vidua pauperior quæ nihil aliud habebat quã pugillum farinæ. idq; cùm alendi ei essent liberi. neque tamen suam aut filij vitam prætulit misericordiæ. Ne excusationes quæramus in peccatis. Deus non irridetur. Penaria nostra mente intueamur. Videamus an quotidiani alimenti nihil nobis redundet. Ne mensium circulos metiamur & annorum ambitus. est enim alius qui prouidet & eorum curam gerit, etiãsi nos ignoremus. Nos ipsos constituamus nostrarum rerum examinatores. etsi, vt prius quidem diximus, quotidiani alimenti nostri nihil supersit, scit Deus misereri eorum qui premuntur inopia. Sin autem viderimus nostra penaria non solum cibo & potu repleta, sed etiã auro & argento, & aliis quæ eos consequuntur qui diuitiis delectantur & possessionibus, esurientibus aliis & frigore enectis, sciamus quòd æternum & qui nunquam desinit ignem nobis recondimus. Vt eum ergo effugiamus, in Dei mandatis pro viribus ambulemus. vt & sancti Martyris fruamur 10 intercessionibus: & ineffabilia & æterna Dei bona consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

9 Vide sanctorum inuocationem, & q̃uo suis intercessionibus nos adiuuant.

10 Vt sancti Martyris fruamur intercessionibus.

Certamen

CERTAMEN SANCTI
Martyris Mercurij.

IMPERANTE illo tempore Decio & Valeriano in magna vrbe Roma, ij communi decreto statuerunt vt omnes sacrificarent & Diis liberarent. Conuocato ergo toto Senatu, ei exposuerunt quæ communi consensu à se decreta fuerant. & cùm eos inuenissent suæ assentiri sententiæ, magna affecti sunt lætitia. Statim ergo litteris imperatoriis cum subscriptione Senatus, iusserunt ea exponi quæ cõiter eis visa fuerant, & proponi in capitolio, quarum hoc est exẽplum. Nouemb. 25.

Imperatores triumphatores, victores, Augusti, pij, Decius & Valerianus simul cum Senatu hæc communi consilio. Cum Deorum beneficia & munera didicerimus: & simul etiam fruamur victoria, quę nobis ab ipsis data est aduersus inimicos: quinetiam aëris temperatione & omne genus fructuum abundantia. Cũ eos ergo didicerimus esse benefactores & ea suppeditare quæ sunt in commune vtilia: ea de causa vno decreto decernimus, vt omnis conditio liberorum & seruorum, militum & priuatorum Diis expiantia offerant sacrificia, procidentes & supplicantes. Si quis autem voluerit diuinum nostrum iussum violare, qui communi sententia est à nobis expositus, eum iubemus coniici in vincula: deinde variis tormentis subiici. & si sic quidem fuerit persuasus, non leues à nobis honores consequetur. Sin autem contradixerit, post multa tormenta ense subibit supplicium: aut in maris profundum iacietur: aut auibus & canibus dabitur deuorandus. præcipue vero si fuerint inuenti aliqui ex religione Christianorum. Qui aũt diuinis nostris decretis obedierint, maximos honores & dona consequentur. Valete felicissime.

Proposito ergo edicto imperatorio, conturbata fuit tota ciuitas, ꝙ in tota ciuitate fuisset, propositum impium hoc edictum. Accidit autem vt cum illo tempore bellum fuisset à barbaris motum aduersus Romanos, pararent Imperatores suum exercitum vt acie cum eis confligerent, iubentes numeris militum qui erant in omnibus ciuitatibus, vt venirent in auxilium. Ex iis autem qui ab vnaquaque ciuitate & regione veniebant ad hunc belli apparatum, venit etiam legio eorum qui dicebantur Martenses qui sunt sub prima Armenia, sub Tribuno nomine Saturnino. Egrediente autem ad bellum Decio, degebat Romæ Valerianus. Commisso vero inter Romanos & barbaros prælio, durauit conflictus longo tempore. Permanentibus autem iis in illa cõgressione, apparuit visio cuidam ex legione Martensium qui sunt sub prima Armenia, nomine Mercurio, apparuit, inquam, vir quidam ingentis magnitudinis, indutus albis vestibus, in dextera manu tenens rhomphæam, & ei dicens. Ne timeas, nec formides, Sum enim missus vt tibi opem feram & te reddam victorem. Accipe ergo hanc rhomphæam, & irrue in barbaros, & cum viceris, ne obliuiscaris Domini Dei tui. Ille autem, vt qui à se discessisset, existimabat esse vnum ex principibus Imperatoris. Quam cum accepisset, & se incitasset, impetum fecit in barbaros. iisq; fractis, eorum Regem occidit & multos alios, adeò vt defessum esset ei brachium, & ex sanguine

eius manui adhæreret rhomphæa. Sicq; fusi & fugati sunt barbari à Romanis.

Tunc Decius cum resciuisset singulare eius certamen, eum accersitum donauit dignitate ductoris exercitus. constituens vt præesset castris. & arbitratus Decius se Deorum prouidentia à bello fuisse superiorem, valde lætabatur. & cum militibus multum erogasset pecunię, vnũquẽque misit in locum suum. ipse autem ingrediens vnãquãque ciuitatem, magna faciebat conuiuia, Romam proficiscens. Vna autem nocte cum dormiret dux exercitus, ad eũ accedit Angelus in prima in qua apparuerat figura. & puncto eius latere, eum excitauit. Ille vero cum eum vidisset, timore affectus mansit mutus. Dicit ei Angelus. Mercuri, memento quid tibi dixerim in conflictu prælij. vide ne obliuiscaris Domini Dei tui. Oportet enim te pro ipso certare legitime & coronã victoriæ accipere in glorioso regno cum sanctis omnibus. Hæc cum dixisset, euanuit Angelus. Ille aũt cum ad se rediisset & esset recordatus, Deo egit gratias. Sciebat enim à maioribus fidem Christianorum. Nam pater eius Gordianus, cum esset primicerius eius legionis, sępe dicebat. Beatus est qui regi cœlesti militat. ei enim donat regnum cœlorum. Ille enim Rex verbo omnia est fabricatus: & ille est qui est viuos & mortuos iudicaturus: & vnicuique redditurus secundum sua opera. Cũ ad se ergo rediisset & patris verborum meminisset, & considerasset visionem quæ sibi apparuerat, compunctus à sancto spiritu, cœpit cum lachrymis confiteri & dicere. Hei mihi peccatori quòd cum essem ramus germinantis arboris, exarui non habens radicem Dei cognitionis.

Dum ipse autem hæc diceret, missus est ab Imperatore silentiarius cum plurimis aliis, vt eum vocarẽt ad Imperatorẽ. Cum is vero se excusasset, Imperator distulit concilium. Die autem sequenti eum rursus accersiit Imperator, vt veniret cum eo quo par est honore. Cum is autem accessisset, dimisso iam concilio, dicit ei Imperator. Eamus simul in templum Dianæ & offeramus ei sacrificium. Sanctus vero se reprimẽs, iuit in suum Prætorium. Quidam autem ex proceribus eum accusat apud Imperatorem, dicens. Pie triumphator & victor, à Diis probate vt administres imperiũ, dignare placide me audire. Qui à vestra imperatoria est honoratus dextera, & cui gloria fuit tributa à vestro imperio quo res romanorum placide & tranquille administrat, is non fuit nobiscum in templo magnæ Dianæ, sacrificium oblaturus pro vestra potentia. Dixit Imperator. Quis hic est? Dixit Catulus consularis. Mercurius quẽ magni fecistis et ornastis diuersis dignitatibus. Is alios quoque euertit ne Deo colant. exitũ autem vobis ostendet eius ad vos responsio. Dixit Decius. Aliqua fortasse in eũ motus inuidia, hæc in eum locutus es. sed te non audiam nisi eo præsente vera cognouero. fide autem digniores iudicabo testimonij oculos quam aures. Tace ergo & cum eo nullum verbum loquere. & si calumniandi quidem animo vsus in eum hæc dixeris, non leue dabis supplicium. Sin autem vera apparuerint ea quæ à te dicta sunt, à me honores & dona consequẽris, vt qui beneuolum in Deos & in nos animum ostenderis. Imperator autem iussit eum venire. cum eo quo par erat honore.

Cum is autem accessisset, dixit ei Decius, Non ego te hac ornaui dignitate, te exercitus ductorem constituens coram omnibus meis Princi-

pibus, propterea ꝙ Dei volũtate à te victum fuerit prælium? Quomodo autem meum honorem nihili ducens, accepisti modum quendam malignitatis: & vis meos honores nihilipendere, Deos non adorãs sicut iam audiui ab aliquibus. Generosus autem Christi miles, cum conuenienter ei quod dicit Apostolus, veterem exuisset hominem cum suis actionibus, induit nouum qui est creatus secundum Deum per baptismum. & confidenter ei dixit. A' me tolle hunc tuum honorem. Ego enim, non, vt arbitror, ad id veni ex debito, qui barbaros in bello vicerim per Dominũ meum Iesum Christum. Sed accipe quæ à te, vt dixisti, mihi data sunt. Nudus enim egressus sum ex vtero matris meę. Nudus etiam reuertar in illum mundũ. Cũ itaq; exuisset lenam & soluisset Zonam, iecit ad pedes Imperatoris clamans & dicens. Sum Christianus. audite omnes, sum Christianus. Decius autem simul & ira valde percitus & dicendi libertatem admiratus. eiusq; pulchritudine & magnitudine obstupefactus, iussit eum coniici in custodiam, dicens. Hic homo non considerauit nec intellexit honorem. Sed si senserit probrum & ignominiam, puto fore vt eum ad piam traducam cogitationem. Cũ is autem abduceretur in custodiam, lætabatur Martyr & exultabat Deum laudans & gloriam ei tribuens. Nocte autem illa angelus Domini ei apparet, dicens. Confide Mercuri, & ne timeas. Crede in Dominum quem es confessus. Ipse enim potest te redimere ex omni afflictione. Visione autem angeli valde fuit confirmatus.

Die vero sequenti cum præsedisset Imperator, in tribunali, iussit eum sisti: & dicit ei. Hic honor te decet propter tuum pessimũ animum. Dixit Martyr. Me decet hic honor: accepisti enim ea quæ prætereunt: pro iis autem accipiam quæ permanent in æternum. Dixit Imperator. Dic mihi genus tuum & patriam. Dixit Mercurius. Si vis scire genus meum & patriam, dicam tibi. Pater meus vocabatur Gordianus, Scytha genere. militabat vero in legione Martensium. Patria autem mea ad quam propero, est cœlestis Hierusalem quæ est ciuitas Regis cœlestis. Dixit autem Decius. Hoc ne nomine vocatus es à Parẽtibus, an in exercitu appellatus fuisti Mercurius? Dixit Martyr. Militiæ à Tribuno vocatus sum Mercurius. Dixit Imperator. Cur non facis sicut iussum fuit omnibus hominibus, & Deos adoras, priorem tuum honorem recipiens? mauisne mori in tormentis? Dic cito, sciens te esse vocatũ propterea. Dixit Mercurius. Ego, vt dixisti ideo veni vt te vincerem, & Diabolum omnis vitij inuẽtorem: & coronam victoriæ accipiam ab Agonotheta Iesu Christo Domino meo. Noli ergo tardare nec differre: sed in me imple quæ tibi veniũt in mentem. Habeo enim loricam fidei & clypeum, per quæ vincam omnem inuentionem quæ aduersus me excogitata & mota fuerit.

Tunc dixit Imperator ira plenus. Quoniam dicis te habere loricam fidei & clypeum, iubeo te nudum extendi ad quatuor palos, & sublimem tolli à terra. Cum hoc autem factũ esset, dicit Imperator. Vbi sunt arma tua bellica? Per Iouem maximum Deorum, valde fuisti extensus. Sãctus autem Mercurius in cœlum aspiciẽs, dixit. Domine Iesu Christe fer opem seruo tuo. Rursus iussit Imperator acuto gladio scindi eius corpus. & postea ignem substerni, vt ipse paulatim vreretur. Sãguinis autem multitudine rogus fuit extinctus. Sanctus vero forti & generoso animo ferebat hoc tormentum. Decius autem iussit eum solui, ne citus moreretur: & in

quadam obscura domo tuto includi. Eum itaque portantes, proiecerunt in domunculam quæ paruam habebat respirationem, existimantes fore vt paulopost moreretur. Illa autem nocte ei apparet angelus Domini dicens. Pax tibi generose Athleta. & eum reddidit sanum curãs vulnera eius corporis. adeò vt surgeret & gloriam redderet Deo qui ei apparuerat.

Rursus ergo Decius iussit eum sisti. & cum eum vidisset, dixit. Qui mortuus fuit à nobis ablatus, quomodo nunc per se ambulat? forte nec vibitem quidem habet in suo corpore. Iussit autem Satellitibus vt viderent. Illi vero ei dicunt. Per diuinissimam tuam pietatem, corpus habet adeò delicatum & omni macula vacuum, perinde acsi ne fuisset quidem tactum. Dixit Decius. Est omnino dicturus, Christus meus me curauit. Neminem introduxistis qui eum curaret in custodia? Illi autem ei dixerunt. Per vestram potentiam quæ regit vniuersum orbem terræ. Nemo eum ne aspexit quidem. putabamus enim eum esse moriturũ. Quomodo autem sanus & valens nunc assistat nescimus. Dixit Imperator. Videte artem magicam Christianorũ. Qui heri quidem putabatur esse mortuus, hodie adstat sanus Iratus itaque dixit ei. Quis te curauit, dic cũ veritate. Nam sine præstigiis & arte magica non puto te fuisse curatum. Dixit sanctus Mercurius Sicut prius dixisti nolẽs. Dominus noster Iesus Christus, verus medicus animarum & corporum, ipse me curauit. Veneficos autem & incantatores & sortibus diuinantes simul cum iis qui adorant simulachra abdicat. eosq; vinculis ligatos tradit igni gehennæ. propterea quod non agnouerũt verum Deum qui fecit ipsos. Dixit Imperator. Corpus tuum rursus consumam suppliciis. Videamus autem ante curet Christus tuus quem confiteris. Dixit Mercurius. Credo in Dominum meum Iesum Christum, quod quæcunque mihi intuleris supplicia, non potes me iniuria afficere. Ipse enim dixit. Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. sed eum timete potius qui potest animam & corpus perdere in gehenna. qui post mortem me rursus suscitabit in terribili die iusti iudicij.

Cum autẽ torqueretur & vreretur generosus Martyr, pro nidore suauis quidam odor aromatum manebat ex eius corpore. Cum is vero fuisset cruciatus, & ne ingemuisset quidem, dixit Decius. vbi est tuus medicus? Nunc veniat & te curet. Dixisti enim quod etiam post mortem põt te suscitare. Dixit sanctus Mercurius. Fac quod velis. Habes potestatem corporis mei, animæ autem Deus. Nã etsi corpus meum interierit, permanet anima mea in quam non cadit interitus. Rursus iubet Imperator eum suspẽdi præcipitem, & eius collo alligari grauissimum lapidem: vt a lapide suffocatus cito moreretur. In gratia autem Domini confirmatus Martyr, longo tempore mansit in hoc tormento. Cum vidisset vero Decius eum forti & magno animo resistere tormentis: & nihil graue eum tãgere, iussit quidem lapidem deuolui ab eius collo. afferri autem flagellum æri alligatum. & eum tandiu flagellari, donec eius sanguis solum impleret. Ille autem plane adamas, perstitit se fortiter gerens & dicens. Ago tibi gratias Domine, quod me pro tuo nomine dignatus sis flagris cædi.

Cum autem cognouisset Imperator eum esse plane immobilem & persuaderi non posse vt à sua dimoueretur sententia, conuocato concilio, properabat enim ire Romam, tulit in eum sententiam, dicens. Mercurium

qui Deos nihili fecit, & venerandum decretum nostræ mansuetudinis nihili putauit, iubet pia nostra potentia duci in regionem Cappadocum, & ei caput amputari ad exemplum multorum. Nam quicunque resistit Imperatori, post multa tormenta subiicietur gladij supplicio. Cum itaque eum accepissent ij quibus fuerat mandatum, duxerunt animal. & portantes eum imposuerunt vinctum vtrinque valide. erat enim corpus Martyris admodum dissolutum. & venientes in diuersorium, eum sensim deponentes, faciebant quiescere. Sicq; cum paucis diebus longum iter confecissent, venerunt Cæsaream. Ad eum autem accedens Dominus dixit. Mercuri, adesdum & quiesce. Cursum consummasti: fidem seruasti: accipe coronam tuæ decertationis. Constitutum enim est vt tu hic cõsummeris. Martyr autem Seruatoris visione corroboratus, dicit iis qui erant cum ipso. Facite quod vobis fuit imperatum nihil cunctantes. Dominus autem qui vocat omnes ad pœnitentiam, vos quoque sua gratia dignabitur. Nã cum sit diues, affatim donat bona sua iis qui accedunt. Hæc cum dixisset, caput fuit ei amputatum. consummatusq; fuit in confessione Seruatoris nostri Dei.

Factum est autem quod præter opinionem est Dei miraculum mensis Nouembris xxv. Post eius cõsummationem, factum est corpus Martyris album sicut nix emittens suauem odorẽ vnguentorum & suffituum. & propter hoc signum multi facti sunt Christiani. Deposuerunt autem sanctum in loco insigni vbi fiunt multæ curationes. Ad gloriã Dei patris & Domini nostri Iesu Christi, simul cum sancto spiritu in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTÆ *Martyris Æcaterinæ.*

Nouemb. 25.

IMPERANTE impio Maxentio, vniuersum imperium Romanorum, amplectebatur impium cultum Dæmonũ. Is enim Alexandriæ præsidens in excelso & sublimi tribunali, emisit hoc impium edictum, vt omnes simul qui erant in eius potestate ac ditione, simulachris sacrificarent. Vnde etiam per vniuersum romanum imperium, manifesta fuerunt quæ decreta fuerant, literis ita se habentibus. Imperator Maxentius omnibus qui sunt in mea ditione salutem. Magnum consecuti beneficium à Deorum benignitate, veluti quandam huius munificentiæ remunerationem, censuimus nos eis oportere offerre sacrificia. Omnes ergo si fieri potest ad nos venientes, ostendite vestram in magnos Deos beneuolentiam. Scientes ꝙ qui hoc nostrum edictum contempserit, & ad aliam à nobis prohibitam aspexerit religionem, & excidet ab ipsa magna Deorum beneuolentia: & subiicietur à nobis malis extremis.

Cum hæ litteræ in oẽm partem persuasissent, licebat videre confluẽtem ad ipsum multitudinem metu minarum. quorum alij quidem adducebãt oues & boues: alij autem varia genera auiũ. Neque erat vllus immunis sed erant omnes intenti in apparatu sacrificij. Nam qui erant valde diui-

tes, constitutum erat vt magua animalia adducerēt ad sacrificium. parua aūt pauperes. prout vnicuiq; suppetebāt facultates, & erat vniuscuiusq; in Deos beneuolentia. Ad magnificentiam autem eos maxime incitabat Imperator, afferens ad sacrificandum centum & triginta tauros. Cum omnes ergo ad ipsum conuenissent Alexandriam, valde lætatus est, vidēs multitudinem populi & sacrificiorum. adeò vt nec alterum quidem tempus expectarit, sed protinus surrexerit, & citissime ad templū processerit, & ipsum peregerit sacrificium. Cum eo autem currebat omne genus & omnis ætas, & vniuersus senatus & oēs magistratus, plebsq; & vulgus hominum, quæ ad sacrificium pertinebant vnusquisq; afferens. adeò vt propter multitudinem eorum qui confluebant angusta esset ipsa ciuitas, angustum templum. clamore vero brutorum animantium circūsonaret tota regio circūcirca, nidore autem sacrificiorū ipse quoq; aër inficeretur.

Cum hæc sic fierent, mulier quædam pia nomine Æcaterina, ætate iuuenis, pulchra specie, quæ genus ducebat ex sanguine regio, omnem autem & externam & nostram scripturam perlegerat, multis ancillis comitata degebat Alexandriæ. & sic asseruabatur in ædibus regiis. & solum Christum norat sponsum, & ei animæ seruabat pulchritudinem: & in eum solum erat cor eius amore inflammatum. Hæc sic videns homines grauissimum subire naufragium, & venire in extremum interitus periculum, animo grauiter affecta, & pro Domino æmulatione ac zelo incitata, tunc maxime statuit suum ostendere desiderium & ardentem pro fide zelum. & cum nonnullos secum accepisset famulos, protinus profecta est in templum in quo erat multitudo cum Rege sacrificans. & stās in limine, aliorum quidem vultus ad se attrahebat vt quæ insigni esset pulchritudine, & internam speciem ostendebat per externam. Sensim autem sua munda labra aperiens, dixit se habere necessariū aliquid quod diceret Imperatori. Qui itaque nunciis referendis præerāt, Imperatori de virgine annunciāt. Cumq; ille iussisset, statim introducitur. Quæ cum stetisset coram impudenti Tyranno, cum ille adhuc vacaret sacrificio, constanter & libere sic ei est locuta.

Oportebat quidem ò Imperator, te ex teipso tuam videre deceptionē, q; hominum in quos cadit interitus, simulachris, tanquam Diis, offers sacrificia: & gentilem hanc stultitiam & dedecus abiicere. Quoniam autem sinistro parēs Dæmoni, ad adeò manifestam cæcutis veritatem, oporteret omnino sapienti saltem qui est apud vos Diodoro credentem cognoscere quidnam sint vestri Dij. & non tam inconsiderate quæ non decent velle facere. & non Deos putare simulachra hominum qui vitam misere finierunt. Ille enim dicit & Deos fuisse homines, & propter aliqua beneficia nominatos fuisse immortales. Scribit autem ipsos quoque habuisse proprias nominum appellationes: & imperasse quibusnam regionibus & ciuitatibus. Dicit vero homines deceptos ignoratione, eos vocasse Deos, & retulisse in numerum immortalium. Porrò autem alius quoque sapiens apud vos ex iis qui conscripserunt historias, dixit illum Sarrum inuenisse primum res gentilium. Eos enim qui priscis temporibus, aut fortitudinis, aut amicitiæ, aut alicuius alterius virtutis opus dignum quod memoriæ mandetur, aut in quod studium conferator ostenderunt, dicitur honorasse statuis ac simulachris. Qui autem maiorum mentem ignorarunt posteri,

ꝙ eos ſolum memoriæ gratia, vt qui rem aliquam laudabilem fecerant, honoraſſent, eisq́ꝫ imagines & ſtatuas poſuiſſet, ad homines interitui & omnino ſimilibus obnoxios affectionibus acceſſerunt: & vt eis fierent ſacrificia, honoresq́ꝫ haberentur & dies feſti celebrarentur prouiderunt. Eos veſter quoque ſapiens Plutarchus Chęroneus arguit, dicens eos inducere errorem imaginum. quibus oportet te quoqꝫ credere ò Imperator. Non enim alienis omnino ſed tuis credes. & non tam multas animas inducere in extremū barathrum interitus. Pro quibus ipſe miſere lues pœnas, & æternum ſubibis ſupplicium, gehennam, inquam, ignis quæ nunquam deſinit, ſed maiorem ſemper flammam accendit. His ergo perſuadearis ò Imperator, & perſuaſus agnoſce verum Deum ſolum, qui dedit tibi hoc imperium, & præterea ipſam quoque vitam præbuit. Qui cum eſſet Deus æternus & immortalis, propter nos homo quoque factus eſt. crucemq́ꝫ & mortem elegit, nos faciens ſurgere à morte inobedientiæ, & vt ipſe ſcit, noſtram procurans ſalutem. Is & eorum qui errant eſt ſeruator. & eos quos pœnitet, benigne & clementer excipit.

Ad hæc ira impletur Maxentius, & cum feruens ſanguis ad cor eius modicum affluxiſſet, vox quoque ei fuit extincta. & nec potuit quidem omnino reſpondere. Cū autem ad ſe vix tandem rediiſſet, & quæ à Martyre dicta fuerant vidiſſet eſſe validiora quam vt contra ea dici poſſet, Nunc quidem, inquit, ò mulier, ſine peragere ſacrificium. paulopòſt aūt de iis quæ dicis audiemus apertius. Peracto ergo ſacrificio & feſto ꝑ hęc ſoluto in regiam reuerſus accerſit beatam. Poſtquam autem ea adſtitit, Dic nobis, inquit, quænam es, aut quęnam ſunt ea verba quæ es nobis locuta? Illa autem, Neſcis, inquit, ò Imperator quænam ego ſim. Sum filia Imperatoris qui te præceſsit. vocor autem Æcaterina. Sum vero 1 exercitata in omni diſciplina rhetoricæ & philoſophiæ, geometriæ & aliarū ſcientiarum. Sed illa omnia nihili ducens, veni vt deſponderer immortali ſponſo Chriſto, qui locutus eſt per Prophetam. Perdam ſapientiam ſapiētum. & prudentiam prudentum reprobabo.

1 *Ecce quomodo etiam Sancti incubuerunt exterioribus diſciplinis. Cur ergo eas neſcio qui nunc eliminare uolūt à ſcholis Chriſtianorum?*

Cum autem Imperator admiratus eſſet quæ dicta fuerant, & in eam intenſius defixiſſet oculos, & exiſtimaſſet eam non eſſe vnam ex iis quę natæ ſunt è terra, ſed ſe deorum aliquam videre viſionem loquentem in habitu humano. cum ſic putaſſet & eam perperam eſſet allocutus, beata ſermonem excipiens dicit ei. Vere dixiſti ò Imperator. Dęmones enim quos Deos nominas, re uera nos ſpectris decipiunt Dæmoniacis: & vos prouocant ad libidinem & intemperantiam & ad nefarias impellunt cupiditates. Ego autem cuiuſmodicūqꝫ ſum, ſum puluis & lutum, efficta in hanc formam, & eius honorata imagine. Quamobrem hinc magis conuenit admirari ſapientiam Opificis, ꝙ in luto & in materia tam vili potuerit tantam extruere pulchritudinem. Quęquidem ęgre ferens Imperator, noli, inquit, Diis maledicere, qui & ipſi ſunt immortales, & gloriam habent immortalem. Martyr autem. Inuenies inquit, tu quoque ò Imperator, quidnam ſunt Dij tui, ſi velis ſolum tuam abiicere parūper deceptionem. verum quoque Deum agnoſces qui eſt æternus & immortalis. cuius vel ſolum nomen pronunciatū, vel crux 2 etiam figurata in aëre, tuos Deos vertit in fugam. Si velis autem, vel ex ipſa veritate apertam faciamus demonſtrationem.

2 *Nota magnam uirtutem figuræ dominicæ Crucis.*

Cum itaque Imperatori suspecta fuisset libertas Martyris, timeretq́ ne se vndique circũsisteret & implicaret demonstrationibus, ipse autem non posset respondere & resistere, seq́ & suos Deos aperto dedecore afficeret, ipse quidem nec eam tantum audire sustinet. præ se ferens non decere vt cum fœmina dissereret Ad te autem, inquit, à me adducentur oratores, qui omnes tuas rationes & propositiones abunde confutabunt vt cum tu quoque abunde didiceris tuorum dogmatum imbecillitatem, aspicias ad id quod est vtile, & nostro pareas dogmati. Hæc dixit, & sanctam quidẽ iubet seruari in custodia. ipse autem statim emittit epistolã in hęc verba.
» Imperator Maxentius omnibus qui sunt meæ ditionis salutem. Quicũq;
» Deorum sapientissimi Mercurij curam geritis, inuocatis musis quæ sunt
» causæ cognitionis, venite ad nos vsque, sapientissimæ mulierculæ, quæ
» nobis veluti ex quadam machina apparuit, os obstructuri. ne magnos
» Deos irrideat. neq; fabulas esse putet quæ sub falso teguntur probabili.
» Sic enim & patriam sapientiam omnes admirabuntur. & nos vestram
» dicendi facultatem & artem laudãtes & acceptam habentes, vos magnis
» donis remunerabimur. Cum eę ergo litterę breui per totum suum perua-
sissent imperium, conuenerunt ad ipsum electi numero quinquaginta oratores, qui erant acres ad inueniendum & multum valebant in dicendo. Quos cum proxime sistẽdos curasset Maxentius, vt familiaritate eos magis acueret & incitaret. Quæ, inquit, à nobis ad vos missæ sunt litteræ, significarunt causam vestri huc aduentus. Vos ergo pulchre vos ipsos paretis & instruatis. Neque ꝙ sit aduersaria fœmina, segnius aut negligẽtius veniatis ad certamen. sed tanq̃ contra fortissimum aduersarium, generoso & excelso animo, & cum omni apparatu in eum insurgatis. Nam si viceritis quidem, non videbimini multis paruum erexisse trophæum. Sin autem, quod absit, vos vinci contigerit, magnum dedecus vobis conciliabitis & ridebimini ab omnibus. Aspicientes enim ad sexum ꝙ sit mulier, eam esse existimant in dicendo imbecillam, & eius eloquentiæ nullas esse vires arbitrantur: eamq́ nihil generosum ac forte posse aut facere aut dicere. Ego autem vt qui eius accuratam habeam experientiam, opinor ab ea secundum futurũ Platonem qui tulit primas partes sapientiæ. Vosq́ sic velim esse paratos, perinde ac si aduersus illum ipsum essetis decertaturi. est enim melius magna expectantes, inuenire minora, q̃ parua sperantes incidere in fortiora.

Ad hęc dixit vnus ex oratoribus qui erat eximius inter omnes qui erãt cum ipsis. Consentaneum est ô Imperator, hęc ita se habere, & intelligentem esse mulierem & acuti ingenij. Sed non videtur mihi fore vt sustineat venire in conspectum oratoris, nedum vt cum eo ineat certamen disputationis, & aut aliquid proponat aut opponat. Quid est enim mulier ad artem rhetoricam? Veniat tamen solum te iubente, & videbis quæ deinceps consequuntur. Cum ergo oratorem adeò tumidum vidisset Maxentius, ad voluptatem & lętitiam statim fuit conuersus, sperans stultus linguam adeò intemperantem & audacem persuasuram linguæ moderatæ & plenæ sapientia. Iubet ergo ante se sisti Martyrem. Collecta quoque fuerat frequens multitudo concurrens ad spectaculum certaminis, vt scirent ex vtra parte staret victoria. Nondum peruenerant ad custodiam ij qui iussi fuerant eam adducere, cum Angelus Domini ei apparens Noli

timere

timere Dei puella. Ecce enim præter tuam ſapientiam tibi dabitur à Deo ſapientia : & perſuadebis quinquaginta Oratoribus. Neque ſolum perſuadebis : ſed & ipſos & multos alios qui ſunt cum eis ad Deum adduces. Deinde tu quoque eris redimita corona martyrij. Hæc ille quidem cum dixiſſet, abiit.

Cum eam autem accepiſſet ij qui miſsi fuerant, adducunt ad tribunal Imperatoris. Et ſtatim egregius ille Orator quem prius diximus, torue intuens & ſuperbe loquens. Tu es, inquit, quæ Deos noſtros tam impudenter & adeò inſolenter iniuria afficis? Martyr autem valde leniter & placide reſpondit, Ego ſum. ſed non impudenter & inſolenter vt dixiſti, ſed moderate potius & vere ſum locuta. Dixit vero orator. Cum magni Poetæ Deos altos illos nominent, quomodo tu in eos linguam moues, & tam inſolenter audes in eos inſultare? etſi, vt fertur, tu quoque eorum guſtati ſapientiam, & fuiſti participes dulcedinis. Illa autem prudenter reſpondens. Habeo quidem, inquit, ſapientiam ſicut mei Dei donum. qui eſt ſapientia & vita: & quem timere & eius mandata ſeruare, & initium ſapientiæ perfectioris & maioris. Res autem veſtrorum Deorum cum ſint ridiculæ & plenæ multa deceptione, nondum vllam pro meritis aſſecutæ ſunt vituperationem. Verum enimuero dic nobis quiſnam ex tuis magnis, vt dicis, Poetis, & quomodo Deos ipſos nominauit. Orator aũt, Primum quidem, inquit, ſapiens Poeta Homerus Iouem precãs ſic dicit. Iuppiter glorioſiſsime, maxime & alij Dij immortales. Deinde inſignis quoque Orpheus in ſua Theogonia, ſic gratias agẽs Deo Apollini dicit. O' Rex filius Latoris, eminus feriens, potẽs Phœbe. Qui omnia intueris, & imperas mortalibus & immortalibus. Sol qui in altum pennis aureis extolleris. Atque ſic quidem præſtantiſsimi & primi ex poetis, ipſos honorabant & Deos aperte vocabant. Neque tu ergo decepta crucifixum attendas tanq̃ Deum. quem nullus ex veteribus ſapiens inuenitur nominaſſe, neque ſcire an eſſet Deus.

Martyr autem dicit. Res Deorum fateor ita ſe habere : neque contradixerim. Sed illa adiiciemus. Nam Homerus quidem quem dixiſti præſtantiſsimum Poetarum, ille ipſe rurſus maximum omnium Deorum Iouem innumerabilibus ſubiicit abſurditatibus. alicubi quidem mendacẽ & peruerſum, vafrumq; vocans & deceptorem. alicubi autem à Iunone Neptuno & Minerua præter rationem coniectum in vincula. Niſi enim à Thetide ei ſignificatæ fuiſſent inſidiæ: & Ægeum præfeciſſet cuſtodiæ ſuæ ſalutis, Deorum & hominum pater forte tibi iacuiſſet ſupinus, vinctus, à mulieribus & Neptuno illuſus. Rurſus Orpheus muſicus vos qui eos colitis magnæ anuntiæ damnauit & ſtuporis, & maxime in libro, quem, vt dicis, ſcripſit de ortu deorum & creatione mundi, ſic veſtram vanitatem ſignificans & ignorantiam, dicit. Neq; aduentans malum ho- „
mines intelligunt: neque cum aduenerit, malum poſſunt auertere. Cui etiã „
adſtipulatur ſapiens veſter Sophocles, dicens. Eſt Deus qui cœlum fabri- „
catus eſt & longam terram, & ponti glaucos fluctus, & ventorum vio- „
lentias. Mortales autem corde valde errantes, bellariorum ſtatuimus ſo- „
latia & Deorum imagines. ex lignis & lapidibus auro ſtructis figuras. „
His autem ſacrificantes & dies feſtos nouos celebrantes, propterea nos „
pios eſſe ducimus. „

Quòd autem crucifixum ne solum quidem nomen dixisti habere apud veteres, oporteret quidem non esse nimis curiosum, neque de eo humanas scrutari rationes, quòd sit Deus verus, opifex cœli, & terræ, & maris, & solis, & lunæ, & astrorum, & vniuersi hominum generis. incomprehensibilis. inscrutabilis. interminatus. ineffabilis. Vt vero res eius ex vestris quoque confirmem sic enim fuerit omnino a suspitione alienum testimoniũ, audi sapientissimam inter mulieres Sibyllam. generationem eius secundum carnem, & eius in nos prouidentiam & curam ineffabilem aperte significantem. Si vis autem ipsa quoque verba audiemus. Vix tandem autem veniet quidam in hanc multi fidam terram. & absque lapsu fiet caro. Indefessis autem terminis diuinitatis soluet corruptionem affectionum immedicabilium. Et ei erit inuidia in incredulo populo: & in alto suspendetur tanq̃ reus mortis. Hæc autem omnia leniter patietur. Vide quoq; vatem à mendacio alienum Apollinem, oblitum solitæ suæ obscuritatis & obliquitatis, & nudam etiamsi nolit edẽtem veritatem. Vnus, inquit, me cogit cœlestis q̃ est lux tripliciter refulgẽs. Qui vero passus est Deus, non passa est autem ipsa diuinitas. Ambo est enim, & mortali corpore & alienus à corruptione. Ipse iam Deus est vir. omnia ferẽs in mortalibus. crucem. contumeliam. sepulturam. Qui etiam ex superciliis calidas aliquando fudit lachrymas. Qui quinque millia impleuit frumento. Velle enim est diuina potentia. Christus est meus Deus, qui in ligno fuit extensus. qui mortuus. qui ex sepultura in cœlum est sublatus.

Hæc refert Apollo Deus tuus. etenim cum sit, est expers principij & coæternus cum Deo qui genuit, principium radix & fons bonorum vniuersorum. & cum quæcunque sunt ex nihilo produxisset, eaq; ornaret ac regeret & sua manu contineret, nostrũ genus est fabricatus. & nobis multas vias muniit ad salutem. Cùm eos autem vidisset supplantatos trãsgressione, & amisisse ipsum caput salutis nempe obedientiam, ipse rursus facit id quod est caput salutis. & qui est eiusdem naturæ cuius pater, fit propter nos id quod ego, & versatur simul cum hominibus & obit terram, castigans. admonens. docens. omnia faciens & procurans. Deinde etiam subit mortem pro ingratis famulis, eamq; ignominiosissimam. conspuiturq; & colaphis cæditur. & sustinet Creator omnia quæ condẽnati. & facta sunt hæc omnia propter nos, vt solueretur prima condemnatio, & de medio tolleretur tyrannis Diaboli. & cœli portæ nobis rursus aperirentur, quas malè nobis clausimus. Et nec hucusq; quidem stetit. sed cũ etiam tertio die surrexisset & in cœlos ascendisset vnde venit, ineffabilem sancti spiritus nobis donauit gratiam. & misit Discipulos illius mandata prædicantes, qui ipsi quoque omne periculum subibant & mortem quotidie sustinebant, vt animæ mortem à nobis depellerent: & omnem errorem à nobis abducerent: & vniuersum orbem terræ ad eum adducerent. Propterea oportet nos quoque omnia peruadere, & esse participes eius perpessionum complantatos similitudini mortis eius. vt resurrectionis & regni simus cum eo participes. Oportet ergo te quoque his persuaderi, & ipsum verum Deum agnoscere, & ei familiarem effici qui dicit. Venite omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos. Quòd si nõ his, at iis saltem quæ dicta sunt à Diis tuis & poetis. Omnino enim tibi & sapiens Plato, & musicus Orpheus, qui sua lira, vt fertur, mouebat etiam

inanimata: Præterea autem egregius quoque ille purus Apollo eum tibi vel inuiti confitentur. & veritatis aliquid ab eis est ostensum. vt omnis impiis tolleretur occasio. etiamsi ipsi sunt insatuati, & videntes non viderunt: & audientes non intellexerunt.

His obstupuisse Oratorem & eius linguam plane obmutuisse cum vidisset Imperator, ad Oratorium reliqui cœtum conuersus, hortatus est vt ipsi quoque aggrederentur Martyrem. Illi autem statim detrectant certamen, dicentes. Non possumus ò Imperator, aliquid opponere contra ea quæ dicit. & maxime ꝙ eum qui est inter nos præstantissimus, tam grauiter videmus ab ea superatum. Tunc Maxentius non potens ferre furorem, iubet statim rogum accendi in media ciuitate, & in eum iniici quinquaginta Oratores. Illi autem hac audita sententia, procidunt ad illius beatę pedes. & eam vehementer obsecrant & supplicant vt ab illius Deo eis ignosceretur, si quid ab eis peccatum sit ignorantia: & vt diuino dignarentur baptismo & dono sancti spiritus: & quoad eius fieri posset, illi coniungerentur. Adhæc Martyr diuina repleta lætitia. Estis, inquit, vere beati, ꝙ relictis tenebris secuti estis lucem veritatis: & relicto Rege qui in terris interit, accessistis ad eum qui est in terris ab interitu alienus & immortalis. Ignis enim quem impij illi vobis sunt minati, erit quodāmodo vobis baptisma & scalæ ad cœlum. si qua sit macula, si qua sordes, eam expurgans. & tanq̃ lucidas quasdam stellas, vos ad illum ipsum Regem sursum ducens & efficiens iucundos & amabiles. Et ipsa quidem cum eis hac spe & sermone animum addidisset, & vnicuiq; arma inexpugnabilia, nempe Christi signaculum, immisisset, cum gratiarum actione & lætitia dimittit ad martyrium. Spem autem consecutus est euentus. & cùm eos accepissent milites, lætos quidem iaciunt in flammam ignis septimo decimo mensis Nouembris. Vespere autem quidam ex piis egressi ad colligendas reliquias, inueniunt eas sanas & saluas. adeò vt nec pilus quidē earum à flamma omnino sit consumptus. hoc primum signum illorum cum Deo coniunctionis, præbente prouidentia.

Cùm ergo vt parerat Deo egissent gratias, & inopinato miraculo multos attraxissent ad agnitionem veritatis, eas præclare & sancte deponunt in quodam loco. Imperator autem Maxentius totam cogitationem defigebat in Martyrem: & de illa erat perpetuo solicitus, vt eam lucraretur vel ipsam curam imperij postponebat. Cum itaque vi dicendi & disputationibus desperasset se eam posse inducere, eam blanditiis aggreditur illicere. & apud egregiam Martyrem verbis est vsus eiusmodi. Crede mihi pulchra filia, qui tibi consulo tanq̃ tibi bene volens pater. Magnis Diis sacrifica. maxime autem Musarum Præsidi Mercurio, à quo profecta est hæc tua magna cognitio, & qui te exornat tanta dicendi gratia. & meum tecum diuidam imperium. sciant Dij omnes. & mecum habitabis in regia. Illa vero, vt quę esset magno & excelso animo ad excipiendam amicorum dicendi libertatem, & rursus acerrimi ingenij ad deprehendendam adulationem, etiamsi maxime contexeretur vafris & variis labyrinthis. Depone, inquit, ò Imperator, fictionem. neque referas & imiteris dolum vulpis. Ego enim semel dixi tibi me esse Christianam. & veni vt essem sponsa Christi. & eum habeo solum sponsum & consiliariū. & ornamentum virginitatis, solamq; martyrij longe præfero cuiuis purpuræ regiæ.

Imperator autem adhuc præseferens se eius curam gerere. Ne cogas me, inquit, vel inuitum hanc tuam præclaram purpuram iniuria afficere. Illa autem. Fac, inquit, quod velis. Nam per hanc quæ est ad tempus & cito dissoluitur, conciliabis mihi veram & immortalem gloriam. & magna quoque alia, vt arbitror, multitudo & maxime tui palatij, per me Christo credent. & ipsi quoque me prosequentur ad sacros illius thalamos magnifice transeuntem.

Hæc illa quidem dixit. Deus autem desuper annuit, & deduxit ad effectum ea quæ dicta fuerant. Maxentius autem his valde iratus, iubet Martyrem exui regali illa purpura, & boum neruis cædi crudelissime. Cum hoc autem factum esset vt iusserat. & Martyris vel niue cadente crebrioribus flagris intolerabilibus duas horas valde cæditur. & cũ venter simul verberaretur, lauabatur virginale quidẽ illius corpus sanguine, & multis ex iis qui aderant aperte ciebat lachrymas. Ipsa autem tam cõstanter & fortiter resistebat intolerabili illi & vehementi vi Tyranni, vt propemodum videretur eius corpus esse lapideũ. nisi eius naturam fluuij sanguinis arguissent. Vix tandem autem fera illa immanis caligans ad plagarum spectaculum, Martyrem includit in custodia, iubens vt ea tuto asseruaretur vsque ad diem duodecimum. vt cõsideret quomodo & quibusnam generibus suppliciorum eam consumam. Hæc quidem ita se habuerunt. Martyr verò coniecta in carcerem, rursus reseruabatur secundo tribunali.

Augusta autem vxor Imperatoris cum audiisset de Martyre, & esset animo in eam bene affecta, desiderabat videre eius faciem, & eam audire loquentem de qua talia narrari audiuerat. Desiderans autem id minime assequebatur. & non assequi quod desiderabat, erat ei grauissima calamitas. Cum ad eam autem aliquando ingressus fuisset Porphyrio, is vero erat Dux exercitus, & manu fortissimus, & in bello optime exercitatus, & in eo primas partes obtinens. Cum ergo Imperatrix aliquando eum solum inuenisset, tanq̃ ei arcanam aliquam narratura actionem, prius Porphyrionem adstringit iureiurando. & fidem ab illo accipit fore vt nullus ab eo resciret arcanum. Deinde illa ei exponit suum desiderium. & quemadmodum desiderabat inscientibus omnibus conuenire Martyrem. Cũ beatam autem illam vocem audiuisset, rñdet Porphyrio. Ego, inquit, ò Domina, faciam tibi quod desideras: esto solum parata. Cum vero adesset vespera, & Augustam accepisset Porphyrio cum ducentis militibus, pecunia corruptis custodibus, cum ipsa ingreditur ad beatam. Augusta autem cum vidisset illum optatum vultum Martyris, admirata diuinam quæ in ea florebat gratiam, & splendidum qui illinc emittebatur radium, procidit cito ad pedes eius. & ei effundit lachrymas lętitię. & hęc locuta est cum lachrymis. Nunc ego sum re uera beata & Imperatrix, quod sum tali dignata spectaculo. & video meum desiderium consecutum esse effectum. ego enim iamdiu tui magno teneor desiderio, vt tuo, inquã, fruerer aspectu & sermone ò serua Dei. & vel ipsam animam lubenter amittens cum imperio, nunc sum potita desiderio. Si deinceps ergo vel mors accesserit, non me amplius dolore afficiet, vt quæ sim assecuta id qđ desiderabam, & amori meo satisfecerim. Lætor ergo corde & animo sum optime affecta, tam iucundum splendorẽ ex tuo vultu accipiens. Es itaque

beata

beata & felix merito existimāda, ꝙ Christo adhæseris, à quo tam multa dona & gratiæ tibi suppeditantur.

Ad hæc dixit Martyr. Tu quoque es beata ò Imperatrix, ꝙ in Angelorum manibus video coronam tui capitis in altum elatam, qua post tertium diem per id quod te manet supplicium redimita, proficisceris ad verum Regem regnans perpetuo. Sed sum timida, dicit beatæ Imperatrix, & timeo tormenta, maxime autem Imperatorem, ꝙ sit sęuus & immanis, & insultet hominibus. Martyr autem dicit ei. Sis bono animo, habebis enim Christum in corde tuo habitantem. & te non attinget tormentum. hic enim parũper castigabitur tuum corpus: & immortaliter illic rursus quiescet. Hæc cum sancta diceret, excipiens Porphyrio. Rogo te, dic mihi, inquit, Quid mihi dabit Christus, si in illum credā? ei enim ipse quoque iam volo militare. Martyr autem. Nondum, inquit, legisti aut audiuisti scripturam Christianorum? Nunquam, inquit Porphyrio, qui ab ineunte ętate semper fuerim in bello occupatus, & nunquam curam conuerti ad alia. Illa verò, Et quęnam, inquit, lingua narrarit bona illa quibus fruēris? Fieri enim non potest vt complectatur oratio quæ ab illa benigna dextera sunt parata iis qui ipsum diligunt. Propter hæc gaudio repletus Porphyrio, ipse quoq; credit Christo cum ducentis militibus & cum Imperatrix & ipsi vale dixissent Martyri, & cauissent sibi à custodibus secreta futura ea quę ab ipsis facta fuerant, media nocte illinc egrediuntur. Christi autem martyr Æcaterina, habens Dominum patre magis beneuolum, magnam ab eo curam sui est consecuta. Totis enim illis duodecim diebus in quibus eum habebat custodia, per columbam alimentum accipiebat à superis. Deinde ipse quoque egregius Agonotheta Christus cum iis quæ circa ipsum erant copiis & gloria sua apparens, magis confirmauit eius fortitudinem & impleuit audacia, dicens. Ne extimescas, ego enim sum tecum, nec te attinget tormentum. sed cum per tuam tolerantiam ad meum nomen multos adduxeris, multas quoque consequeris remunerationes.

Cum hæc vltima nocte ei Christus mandasset, mane Maxentius præsedit in tribunali, & beatam iussit adduci. & asistēs Martyr cum gratiis spiritalibus, & dulci illa alacritate, adeò vt ij quoque qui aderant nitido splendore refulgerent, grauiter admodum terret Imperatorem. Ipse autem ei dicit malitiose & fallaciter, Te, inquit, decet imperium ò filia. Age ergo cum Diis sacrificaueris, impera nobiscū. Neque velis rogo videre interire tormentis tantam pulchritudinem. Illa autem, Est, inquit, solum terra & cinis. & id tibi rursus dico ò Imperator. tempus vero facit eam efflorescere. & morbus tabefacit, vt quę nihil firmum habeat nec stabile. Interim autem dum Martyr hæc ei diceret, quidam Præfectus nomine Chursasadem, acris quidem ad iram, promptus autem & ingeniosus ad pumendum, cum hæc audiret, partim dolens vicem Maxentij, partim autem suę beneuolentiæ dans experientiam, cum se paruo tempore sustinuisset, tanꝗ apud se meditans & inquirens, dixit. Ego tibi ò Imperator, non parua cura adhibita, inueni quomodo posis vel ei cito persuadere vel eam perdere. Modus autem est eiusmodi. Iube sub vna fibula fieri quatuor rotas, & vnicuique rote infigi serras & clauos acutos. Deinde machinā funibus & paruis rotis trahi ante eius oculos. Et si cum eam quidem viderit ferri

maximo impetu ac strepitu, persuasa fuerit & nobiscũ Diis sacrificauerit, consequetur promissa. Sin minus, in rotas iniectæ miserabiliter per vim ei erumpet anima.

Atque hæc quidem dixit Præfectus. cum autem eius sermonem arripuisset Imperator, dat quidem Martyrem custodiendam. & rursus iubet machinã fieri in tertium diem. Cum hoc autem factum esset, Martyr rursus adducitur. &, Pare mihi, dicit ei Imperator, & Diis sacrifica. Sin minus ergo te huic tormento subiiciam. iubens nouam illam machinam trahi ante eius oculos. Quæ quidem cum magno impetu & strepitu moueretur, rursus ei dicit Imperator. Vides, inquit. ea te, si non pareas, excipiet. Illa autem, sæpe, inquit, meum animum tibi dixi ò Imperator, & eum tibi aperui. Ne ergo cuncteris, sed facias quæ tuo sedent animo. Imperatorem autem spes quædam adhuc decipiebat, futurum fortasse vt persuaderetur & mutaretur. & multis apud eam rursus vsus est adulationibus. Cum autem cognouisset se frustra laborare, iubet quidem alligari rotis generosam Martem, ipsas vero moueri celerrime. Vt motus vehementia mortem subiret grauiorem. sed iis quæ meditabatur contrarius diuinæ erat gratiæ euentus. Martyr enim simul omnino soluta fuit à ferro & rotis & illis vinculis. ꝙ angelus desuper ad eam aduolasset. rotæ autem sua sponte volutatæ interemerunt multos ex infidelibus, adeò vt exclamarent quidam ex circũstantibus propter inopinatũ & quod erat contra opinionem spectaculum, Magnus est Deus Christianorum. Propter hæc magna ira fuit rursus accensus Maxentius & furore qui minime poterat cohiberi. & grauiora rursus supplicia parabantur Martyri. Sed coniux Augusta repente apparens ex cubiculo Imperatoris. & eum ad se attrahens, dissoluit concilium: imo verò sustulit insidias. Alicunde enim venit tãquam spiritus. Absolue, dicens, famulam magni Dei, quam non attingit tormentum. reuera enim desipis decertans aduersus Deum viuum. Quãobrem maiore ira feruens Imperator, maxime ꝙ nec familiarissimos haberet secum consentientes, interim præterita Martyre, vniuersum furorem immittit in coniugem.

Cum ergo arcam maximam curasset afferendã, & plumbo eam humi affixisset, ita vt stabilis esset & immobilis, mamillas, proh dolor, suæ coniugis configit aculeo subiecto operculo tabulæ. Deinde iubet operculum deorsum ferri vehementius, & non prius sisti quam ipsas mamillas omnino abscidisset, diuturnitate supplicij grauiorem sensum ei doloris afferẽs. Cum hoc autem factum esset, vbi vidit illas miserabiliter abscissas immitis ille & vel ipsis feris immanior, veluti rem leuem arbitratus quod spectat ad dolorem, infert adhuc grauiorem. & pronunciat sententiam vt eius caput amputetur gladio. Augusta ergo lubenter accepta sententia, læta dixit Martyri, ora pro me. Illa vero, Vade, inquit, in pace. in æternũ enim regnabis cum Christo. Atque illi quidem iussu Imperatoris amputatur caput extra ciuitatem vicesimo tertio Nouembris. Sed neque Dux exercitus Porphyrio & qui cum eo erant, hoc beatum iter deseruerunt. Sed quomodo illic Augustæ duces fuerunt ad Martyrem, ita etiam pie secutæ sunt eam abeuntem ad communem Dominum. Nam cum ipsi quoque se stitissent pro tribunali, Ego quoque sum Christianus, dixit Porphyrio. Sed hi quoque qui sunt mecum sunt insignis ad Deum addu-

ctus exercitus. Hoc non ſuſtinuit audire Maxentius. ſed cum ex profundo corde eiulaſſet, Perij, inquit, cum perdiderim admirabilem virum Porphyrionem. Deinde etiam conuerſus ad ſuos milites. Vos autem, inquit, quanam de cauſa Deos patrios habuiſtis contemptui? Cum illi vero nihil reſpondiſſent, Porphyrio. Cur dimiſſo, inquit, capite ò Imperator, pedes interrogas? eſt tibi mecum loquēdum. Ille autem, Malum, inquit, caput, tu es eorum caput. & cum eum plura loqui non permiſiſſet pudor, eos quoque ſtatim morte condemnat. & ipſi quoque conſummantur viceſimo quarto Nouembris. effectumq́ꝫ aſſecuta eſt prædictio quàm Martyr prædixerat Imperatori, cum dixit. Multi ex tuo palatio Deo per me credent.

Ille autem cum rurſus beatam ſiſtendam curaſſet Æcaterinam, & in eum omnem mouiſſet improbitatem & nihil non eſſet machinatus, vbi nec promiſsis nec minis eam omnino vidit poſſe expugnari, iubet ipſam quoque duci ad mortem. Cum ergo eam accipientes milites eduxiſſent è ciuitate, & duxiſſent ad locum martyrij, circūſiſtens magna multitudo, maxime autem mulierum quæ erant claræ, & inſignes, acerbe plangebāt & lamentabātur. & lugebāt vltimum illum deceſſum. Illa autem vultu conſtanti & nequaquam perterrito, petit tempus ad orationem. Quod ei concedunt milites. Illa verò cum & manus & animum ad cœlos 3 ſuſtuliſſet, dixit. Domine Ieſu Chriſte Deus meus, ago tibi gratias ꝙ ſtatuiſti ſupra petram pedes meos, & direxiſti greſſus meos. & nunc extende palmas quæ pro me in cruce fuerunt ſauciatæ & ſuſcipe animam quam ſacrificaui pro te & tua confeſsione. Memento Domine ꝙ ſumus caro & ſanguis. & ne permittas vt quæ à me ſacta ſunt per ignorātiam, in apertu proferant acres rerum noſtrarum examinatores ante tuum terribile & incorruptum tribunal. ſed quem pro te effudi ſanguinem, eo meas maculas ablue. Da autem vt hoc meum corpus quod pro te fuit conſciſſum, non poſsit aſpici ab iis qui quærunt. & qua prouidentia finxiſti corda noſtra, aſpice ex alto ſancto tuo Domine, ad hunc populum qui te circūſiſtit. & deduc eos lumine tuæ agnitionis. Da autē iis quoque qui per me inuocant ſanctum tuum nomē, petitiones quæ ſunt eis conducibiles, vt per omnia laudentur tua magnalia nūc & in ſecula. Cū ſic precata eſſet, iuſsit milites facere quod fuerat imperatum. Vnus autem ex eis ſtricto gladio beatum eius caput amputat viceſimo quinto menſis Nouembris.

3 *Orat ſancta cum ſublatione manuum & oculorum ad cœlum.*

Porrò autem hic quoque facit Deus aliquod miraculum, honorans ſuam Martyrem, & ad effectum deducens illius preces. Nam qui aderant viderunt 4 lac fluens pro ſanguine. & angeli cum venerandum illius corpus compoſuiſſent in ipſo tempore conſummationis, viſi ſunt deducere in montem Sina, ad gloriam patris & filij & ſpiritus ſancti, Qui ſunt vna diuinitas & regnum. Cui conuenit honor & potentia in ſecula ſeculorum. Amen.

4 *Vide duplex miraculum, lac fluxit ꝑ ſanguine, & angeli venerandum ſancta corpus cōpoſuerunt, & in monte Sina deduxerunt.*

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI *Alipij Cionitæ, ideſt qui uitam agebat in columna, qui fuit conſummatus tempore Heraclij Imperatoris Adrianopoli prouinciæ Paphlagonum.*

Nouemb. 26. SI multi ſępe qui vitam ſcripſerunt ſanctorum Patrum, innumerabiles traducendo ad æmulandam eorum vitæ rationem, eos affecerunt beneficio: quemadmodum non existimaremur iniuſti forte & inuidi, ſi tantam ſancti ſpiritus virtutem mandaremus ſilentio? Scribatur ergo ea quoque à nobis. vt cognoſcat generatio altera filij qui naſcentur: & annuntient ea filiis ſuis. vt ſpem ſuam in Deum collocent: & eandem quam ipſe virtutem exerceant. Quamobrem quoad eius à nobis fieri poterit, quæ aperte à diuina gratia in ipſo ſunt cognita, multis ea oſtendemus.

Hic ergo Chriſti ſeruus Alypius, ſicut multi homines ſciunt qui id & auditione didicerunt & experientia, habuit quidem patriam, ſi patria ſit dicenda in terris, Adrianopolim, quæ eſt vna ciuitas regionis Paphlagonum: vitam autem quæ omnium hominum ſuperat viuendi rationem. Quem cum præſciuiſſet & prædeſtinaſſet Dominus, ab ipſo materno vtero ei, benedixit quibuſdam viſionibus & ſignis, oſtendens ſui famuli ad diuiniora profectum & incrementum. Cum enim adhuc eum vtero geſtaret mater, noctu viſa eſt videre formoſum agnum. in cuius cornibus duo pulchri accenſi cerei replebant domum lumine. qui nõ prius reuerſus eſt ad ſuum locum, q̃ in lucem prodierit natus infans matre liberata à partus doloribus. Non multo poſt autem q̃ mater eſt enixa, ea in gratũ ſomnum eſt reſoluta. & rurſus videt in ſomniis publice è ſua ciuitate populum in hymnis & canticis & ſupplicationibus venientem vſque ad ſuum infantem: & eum tãquam ſacroſanctum & diuum quẽpiam adorantem. Hæc matris fidelis ſpectacula, eam compunxerunt vt ad piam veniret cogitationem. Nam cum coniux iam ex hac vita migraſſet & totos tres annos non fuiſſet ſuperſtes filio qui ex eo fuerat ſuſceptus, ipſa pulchre ſtatuit ſoli Deo viuere & filio: & de cętero ſuũ corpus potius obſignare Chriſto, q̃ probro ſe afficere ſi ad ſecundas eſſet deuoluta nuptias. cum & amor chariſsimi filij & cubile mariti in ea valde pie cohabitaret.

Cum ſe diuine hiſce confirmaſſet cogitationibus, accepto filio vadit ad eccleſiam. orphanorum & viduarum curatorem ſolum bonum ſciens eſſe Dominum. Cui etiam prompto & alacri animo eum ablactatum ſtatim dedicauit tanquam nouum aliquem Samuelem, dans in manus eius qui tunc adminiſtrabat archiepiſcopatum. Quem cum ſuis vlnis accepiſſet, tãquam quidam paſtor bonus, ſecũdo poſt matrem lacte ſpiritali nutriebat, litteris & diuinarum ſcripturarũ dulcedine pinguefaciens animę officinam. vt facilius inueniret cum tempore creſcentem & cum ætate aſcendentem intelligentiam. quod etiam concurrebat cum precibus eius qui erudiebat. Erat enim puer cuiuslibet ſcripturæ diuinæ capax, tãquam generoſa planta recens plantata, ſpiritalibus irrigationibus pietatis ferens fructus, vt non multo poſt oſtendetur.

Accidit

Accidit ergo vt illo tempore sanctæ memoriæ Theodorus, qui à nobis paulo antè dictus fuit, cùm ad finem vitæ peruenisset, suę sedi successorem reliquicrit qui erat eiusdem cuius ipse nominis, & moribus similis. Quã-obrem se tãquam fratrem ostendens eius qui præcesserat, valde dilexit Alypium de quo à nobis agitur in præsentia. Inuenit enim vere pastor pastoris ouem ratione prędìtam, in bonitate educatam, cuius inuenta erat munita diuino metu. Inuenit florem ætatis qui nullum proprium quo cognosci posset ostẽdebat signum. Nam quod in ipso quidem cernebatur, multis esse videbatur iuuentutis. Quod autem ad eius mores propemodũ venisset, aperte ostendebat viri sapientis caniciem. quoniam erat etiam in eo timor Dei, qui principium sapientiæ efficit in hominibus. Cum autem pietatis operibus visus esset omnibus antecellere, communi suffragio eum eligit Sacer ecclesię cœtus, vt Oeconemus esset fidelissimus, quoniam hoc credebant futurum omnibus vtile. non ꝙ rerum vllam haberet experiẽ-tiam: sed ꝙ esset diuina plenus intelligentia. Quod quidem desiderans is qui tunc præerat ecclesiæ, simul eum fecit Oeconomum & Diaconum diuinorum sacramentorum. Fuerunt hæc signa ortus Alypij qui educe-batur ad vitam. Sic sacra in sacris ædibus fuit ouis nutrita, ab iis quos prius diximus Pastoribus pasca in pietate. Quisnam autem & qualis fuerit in ea quæ sequitur vita, non esset meum dicere, qui propter dicendi imperitiam gloriosa eius facta magis diminuam, quã quantum oporteret ostendam veritatem. dicam tamen in patris mei egregiis dotibus iucunde versans. & fortasse nonnullam narrabo portionem eorum quæ ab ipso recte & ex virtute gesta sunt.

Habebat Deum in mente Alypius. habebat autem Deus quoque om-nino Alypium. & recordatione beatorũ eius præceptorum animæ purum & lucidum habens oculum, considerabat in vnoquoq; tẽpore, quidnam agens in pręsenti vita, posset audire beatam illam vocem, Euge serue bone & fidelis. Inuenit autem protinus solutionem eius quod quærebatur, ab eo ipso quem desiderabat Christo doctus pietatis semitam. Bonus enim pastor qui pro grege suam posuit animam, portam etiam ostendit iis qui volebant pulsare, omnia constituens ad salutem amatorum regni cœlo-rum. Primum quidem dicens vt Deum tota anima diligamus. secundo vero vt ei debitam tribuamus reuerentiam. Deinde ad altiorem pietatem & perfectissimam Dei charitatem traducens, venditis 1 omnibus quæ non consistunt facultatibus & in rebus manent inferioribus, eas iubet suppeditare pauperibus: & nudam tollendo crucem eius sequi vestigia. Oportebat ergo hoĩem Dei, oportebat maximũ ꝙ restabat ex præceptis implere ad perficiendã pietatem. Reliqua enim seruauit ab ipsa iuuentute. Protinus ergo nihil cunctatus res omnes mundi iussit valere. non tristis quomodo nuper diues, qui à Domino audierat vt sua venderet & daret pauperibus, vt vitæ æternæ consequeretur remunerationem.

1 *Ecce euangelicã pau pertatem, vendere omnia quæ habes, & dare pauperibus & nudum sequi Christum.*

Cum solam autem matrem fecisset conscian sui consilij, idq; propter eius precum desiderium, Ad orientem, inquit, ò mater, me proficisci cupiẽ-tem tuis me precibus prosequere quo in loco multi quietem amplexi feli-citer vixerũt. Illa autem protinus tulit opem proposito sui filiis, nequaq; affecta muliebriter, vt multæ solent quæ forte viduitatem prætexunt & solitudinem: & ꝙ ferre non possunt videre à se diu abesse ea quæ sunt sibi

charissima. Nihil horum dixit sapiens mulier ad filium retardandum: sed manibus in cœlum sublatis, totam suam mentem collegit ad orationem, cum his verbis confirmasset sui charissimi propositum. Abi fili, dicens, quoniã te direxit diuinus gratiæ spiritus. Ecce Deus ô fili, quo viuimus, & cui te commendo, ipse mittet bonum suum angelum ante faciem tuã: & te deducet vt vult & quo vult. prospero itinere pergentem in omnibus, & placentem gloriæ maiestatis suę. & dabit tibi gratiam in verbo & opere. & te seruabit in omni via recta, vt mittat tibi auxilium de sancto, & de Sion tueatur te. Induet te lorica iustitiæ: & imponet tibi galeam salutaris. Dabit vt semen tuæ operationis cadat in bonam terram, & vt comedas labores fructuum tuorum. Sit vita tua tãquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo. & folium eius non defluet. Acceptæ sint preces tuæ coram Deo ad salutem multorum. Resplendeat tanquam meridies iustitia operum tuorum. Videam te tãquam luciferum splendide orientem, propterea quod plusquam parentes tuum dilexisti Dominum. Cum itaque post orationem irruisset filius in collum matris & mater in collum filij, fleuissentque & se inuicem essent amplexi & deosculati, vale dixerunt miserabiliter. Atque iustus quidem cùm preces maternas esset assecutus, prompto & alacri animo viam confecit. illa autẽ rursus cum quiete & silentio domũ rediit.

Cum autem multis post diebus vulgi sermone celebratum esset quod factum fuerat, omnes quidem in ministerio collegæ, & omnes ciues fuere tristes, non ferentes hominis priuationem. Sanctissimus autem Antistes ciuitatis ne vel id quidem audire sustinuit: sed recta magna celeritate sanctum est persecutus, diligenter quærens & inuestigans vbinam mansisset & quanam & quando transiisset. & licebat videre hominem præ animi ægritudine tãquam vaccam mugientem, quando suum quærit pullum qui aberrauit. Deo vero præuidente meliora, eum assequitur Euchaitis, cum celebraretur dies 2 festus Theodori Martyris. & multis tandem persuasum precibus reduxit ad suam ciuitatem. & illic de cætero sanctus monasticam vitam diuine peregit. Sic enim sic quadam benignitate res nostras Deus administrauit, vt qui ex ipsa patria productus fuerat fructus, cum ipsi rursus patriæ lætitiam dederit salutarem. Audiuit certe in somnis vir ille iustus diuinum consilium, ne ægreferret tãquam qui à via sporata aberrasset. Illic enim esse sancta loca dixit ille qui noctu apparuerat, in quibus Deum amans quispiam eligere posset pie viuere. His ergo visionibus excitatus obibat hilaris, perscrutans locum in quo posset figere tabernaculum, remotum à ciuitatibus & pagis, quietumque & à strepitu seiunctum. Ascendit ergo in vnum montem ad meridionalem partem ciuitatis. & cum cognouisset pulchrum esse mõtem & sublatum in altum & ab omni turba liberum, stans in vertice montis, speculabatur vndique. oculisque fuit delectatus: valdeque lætatus fuit spiritu: & acquieuit ei animus. loco autem deerat aqua. & hoc male habebat sanctum.

2 Nota celebrabatur dies festus Theodori Martyris.

Post vnum itaque diem accepto rastro & ligone, in montem rursus reuertitur. Quæsiuit vero & fodit vsque ad meridiem. & non inuenit, nec erat. Quocirca tristitia affectus sedit post laborem. & sedens obdormiit. in visione autem vidit virum locum ostendentem & ei consulentem vt ibi foderet. Surrexit & fodit. ecce autem quædam parua pinguedo. &

perrexit fodere profundius. & aqua erupit. ipse verò exultauit animo: & Deum rogauit qui facit misericordiam suam in eos qui ad ipsum confugiunt. & propere cucurrit ad suum Antistitem: & rem significauit. & petiit vt aræ figeret fundamentum, cum ipse benedixisset. Ille autem cum hoc resciuisset, sancto quidem assensus est vt omnia faceret. Clam vero mittens obstruxit os fontis. vt tedio affectus, montem quidem relinqueret vt ascensu difficilem & qui asperum & arduũ ad eum ascendere volentibus haberet ascensum: inferius autem habitaret campos qui sunt circa ciuitatẽ, vt ad quos omnibus facilis pateat aditus. Omnia vero lustrabat & circuibat sanctus, locum inuestigans separatum & remotum. Videt autem ante ciuitatem, quandam solitudinem quæ erat plena sepulchris antiquissimis in quo loco magnum agmẽ spirituum delitescens, eam reddebat tetram & horrendam omnibus hominibus. Ad quam Christi miles primum & primus ausus est accedere, magno stupore perculsis viris illis cum quibus obibat considerans & quærens, locum quietis. Neque enim Dei amor scit vnquam suspectum habere periculum, vt qui ad id quod videtur spe potius agatur meliore. Inter se autem omnes ad ipsum viri voces emittebant, procul distantes & clamantes. Quisnam Dæmon te à nobis sic raptum illuc transtulit ò homo? heu heu recede, egredere ex hac mala solitudine, qua soli delectantur Dæmones. & ad se rursus conuersi dicebant. Hic est emotæ mentis: desipit sic seipsum tradens malis Dæmonibus. Hæc sæpe clamantes & suas dexteras extendentes, annuebant vt fugeret, & illinc cito discederet. Sanctus autem vix tandẽ multis eorum conuersus clamoribus, suauiter & placide eos intuens, subrisit. q̃ præ timore quidem clamarent, non auderent autem propius accedere, & opem ferre ei qui apud eos veniret in periculum.

Cum illi vero aliquantulum in eo loco essent morati, volentes scire finem, postquam eum aspexerunt sublime stantem super vnum ex iis qui illic erant tumulis, ipsi quidem in domos suas reuersi sunt fugientes. In summo autem vertice tumuli stabat columna, positum habens Thauroleonem. Ad eum, tãquam animatum & vix tãdem visum amicum, exultans accedit. & ardentissime eum complexus, suauiter & comiter eum alloquens, dicebat. Salue ò lapidum merces mihi pretiosissima. Sic enim te reprobatum, & ab iis qui ædificarunt ad sepulchrum & sepulchri signum deputatum, salutare constitui, mihi potius factum ad caput anguli. adeò vt satis apte possim dicere me credere & putare eum esse factum à Domino & esse mirabilem in oculis nostris. Salue mihi ò petra propter Christum. Salue tu, quoniam vera quoque petra Christus, quę labefactari non potest vis est appellatu. super quam pedibus meis firmiter insistere cupiens, elegi hoc habitaculum ad æternam requiem. Hæc & his plura cum dixisset præ gaudio, ad suam excurrit ciuitatem. Cruce autẽ accepta & vecte ferreo, statim reuersus, leoni subiecit vectem ferreum. erat enim prægrandis & valde grauis. seipsum autem vecti. gemensq́ꝫ & laborans vix tandem potuit humi deiicere statuam. erat enim beatus ille fortis, vt qui esset in ipso vigore iuuentutis. eius vero loco erigit & extollit potentissimum 3 signum, nempe crucis trophæum. vt Tyrãni bellica officina diuinarum virtutum operatione secure nunc videatur, & habeatur ludibrio. Sic vas aureum & electum, armis omni ex parte munitũ, in eo loco

3 *Erigit & extollit potentissimum signũ & trophæũ Crucis.*

iam securus se sopori dedit. Videt autem duos viros Sacerdotalem præ se ferentes dignitatem, ad eum accedentes, & eum leniter reprehendentes & increpantes, dicendo. Quousque siuisti nos expectare ó homo Dei? Si tu es ipse Alypius à Deo prædestinatus, vt hæc loca ad pietatem traducas & religionem, ne differas facere quæ te manent. Hi etiam quando magnæ Martyris Euphemiæ ædis cœpit iacere fundamenta, sancto apparuerunt. Vnus quidem eorum manu teneas thuribulum, definitum quendam locũ circũscripsit. Ostendebat autem eam quæ fuit postea ecclesiam. Alter leni voce acclamabat, Osanna huic loco. Et quinam essent quidem hi viri nulli aperte indicarunt. eorum autem reliquiæ aliquo post tempore inuẽtę sunt tales quales sancto in somnis apparuerant, suaui odore locum implentes. vt mirarentur qui illo tempore in eas inciderãt. quæ in hodiernum vsque diem seruantur integræ in atrio templi magnæ Euphemiæ Martyris; cum sic beatus ille iussisset. Quomodo autem & quando & vbi apparens, in certaminibus exercitatissima Euphemia, acerrimum excitat sancti zelum. ad sacram ædem ei extruendam, oportet nos dicere, nec eos qui legent fraudare narratione.

Ad regiam propter quædam negotia tunc ibat huius Antistes. A quo etiam simul iter ingredi, vt qui esset Diaconus ecclesiæ, iussus est vel inuitus. vt cui minime esset gratum versari in ciuitatibus, Cum sic facile ad voluptatem & vitia inclinetur animus. Propter Pontificis tamen reuerentiam Calcedonem vsque est cõsecutus. Illic cum clam se subduxisset, dum esset Episcopus mare transmissurus Constantinopolim, vbi iuxta mare est positum martyrium Bassæ. Martyris, id ingressus, sub vno ex scamnis quæ illic erant dormiens latebat. Cum sensim autem in somnis Martyr ei apparuisset & iuberet eum cito surgere: ille vero eius decorem & honestatem esset admiratus: & lubẽtissime interrogaret quisnam esset & quare iuberet surgere, dicit ei. Ego quam vides, sum Euphemia, Christi ancilla & martyr. Surge autem, & si velis, eamus in tuam patriã. Simul enim tecum vado. eroq; tibi in itinere si Deus velit socia & adiutrix. Vigilandi autem desiderium cùm Martyr beato immisisset Alypio, lętũ compulit in patriam, nequaquam oblitum suæ patrone. eam enim semper habebat in memoria, contemplans q; suauiter eum sit allocuta. quam benigne seipsam ostenderit, adhortans vt ingrederetur viam quę ducit ad vitam agendam cum angelis, & ad æterna fruendum lætitia.

Propter hæc in nomine sanctæ fundauit martyrium, breue quidem tũc & quod satis esset ad implendum Martyris desiderium. Non enim habebat conuenienter suo magno animi studio, quæ ad magnificentiora posset transire potestatem. Nam diuinis obediens præceptis, nõ habebat peram. non zonam quæ æs conseruabat non duplicem, tunicam, & quod esset ad vsum superuacaneum. sed viuebat in sua spõte suscepta paupertate, gratã fidem ostendens in eum qui ipsum fecerat, & conuenienter Apostoli præcepto, omnia possidẽs in eo q nihil haberet. Vnde etiam sumptum quoq; qui fiebat in columna, quidam ex familiaribus & iis qui sciebant eum nihil possidere, alacri animo offerebant. perinde ac si Deo gratum offerrent holocaustum, propter suam in eum reuerentiam, q viderent virũ crescere in iis quæ sunt ad Deum ascensionibus, & ex sancto spiritu puras illumi-

4 *Nota, ieiuniis & vi-* nationes mente purissima suscipere, 4 ieiuniis & vigiliis suum corpus

tedi-

redigentem in seruitutem, & non permittentem vt insurgeret aduersus appetitiones spiritus. vt qui aperte sciat ꝙ qui pro virtute certare studuerũt, deberet esset integri & perfecti spiritu. non aduersus sanguinem & carnem contẽdentes, sed aduersus principatus & potestates & huius mundi principes. cum quibus colluctatio est difficilis iis qui secundum carnẽ viuunt. Hinc fit vt à suo scopo non aberret, sed vincat eos qui sunt carnis expertes is qui in carne refulsit: & aduersus eos insignem victoriam sit consecutus. vt per eos qui in veritate glorificant seruum eius Deus glorificetur: & per fideles seruos suos suam ostendat maiestatem. Quæ enim per ipsum & in ipsum conspecta sunt fieri discite ò fideles: & mecum Dominum magnificis laudibus extollite.

giliis suum corpus redigentem in seruitutem.

Nam cum vellet beatus Alypius diuine incolumnam ascẽdere, senum deductus consiliis, ingreditur tunc in cellam quæ erat humilis & valde breuis, triginta annos natus. cũ laboribus exercitationis se biennio pulchre exercuisset, tanquam quidam Imperator qui est acie congressurus cum hostibus. Illic enim statim aduersus sanctũ insurrexerunt spiritus. eos enim irritabat valde psallens, & paulatim percutiens ignitis dictis diuinorum eloquiorũ. Quocirca furore perciti penitus surgentes tãquam ex aliquibus insidiis, impetum fecerunt in cellam, vniuersam concutientes ex fundamentis. existimantes se ab initio magis posse superare beatum virum, si terrore spectrorum eum perculsum inuaderent. Sed ij quidem vt improbi insurrexerunt & recesserunt, vt qui sanctũ potuerint nulla afficere iniuria. Stabat enim tãquam mons Sion confidens in Dominũ, egregia munitus lorica precationum & magna crucis lãcea. Cum autẽ à cella recessissent, rursus inuaserunt oratorium. Nondum enim eius facta fuerat dedicatio. Postquam certe id viderunt consecrari, dolo quosdam sonos emittentes, & horribilem rugitui leonis similem vocem edẽtes, adeò vt vniuersa quę eo conuenerat multitudo dispersa ferè fugisset huc & illuc, nisi eius timorẽ ad fiduciam quod præcesit. traduxisset euangelium. Postquam enim Diaconus acclamauit illud Secundum matthæum, respondens illud consuetum Gloria tibi Domine, in templum totus populus prosiliit, non ferente amplius aduersaria potestate sanctitatem eorum quę fiebant, sed fugiente cum quodam sono & stridore, perinde ac si à graui flagello torqueretur. Atque sic quidem eiecti tunc fuerunt spiritus, vt non amplius ausi sint accedere ad Martyrium. Sic autem ipsum consecratum fuit 5 dedicatum Martyri, vtpote ꝙ ipsa prius sanctum incitasset ad certamina pro virtute suscipienda, sicut antea ostendimus.

5 Vides quod etiam tunc templa in honorem sanctorum cõsecrabantur?

Deinceps autem ab eo tempore vnusquisque tam paruus quam magnus versabatur secure in illis locis se oblectans: & apud beatum virum assidue frequentes erant, seu vir quispiam seu mulier, seu puer seu senex vellet cũ eo versari & comedere & beatis eius frui sermonibus. erat enim iucundus omnibus, nec vllum capiebat vnquam eius tedium. Sed cum hoc inuenisset afferre animæ detrimentũ, ꝙ negligerentur preces & status spiritalis, vale dicens terrenis omnibus & amicis & negotiis, ascendit seipsum affligens columnæ, paucis tabulis conclusus in capite columnæ. adeò vt nec sufficeret quidem ad hoc vt parum posset sanctus recumbere aut sedere: sed perpetuo staret in ipsa tanquam statua ænea, luctans cum imbribus, cũ ęstu & frigore, nubibusq; simul & ventis & tempestatibus.

quibus & lapis & ferreum in anima materia & solida, sæpe tempore dif-fluunt & dissoluuntur, & ad perfectum veniunt interitum. Hęc ergo fortiter tulit vir ille magnus, sanctorum socius, & qui plusquam sancti decertauit, plusquam quiuis raptor & latro, violentus possessor regni cœlorum. Nam illi quidem fortasse hoc cupientes iniusti, pœnam dolorum recusassent, meliorem partem consecuturi. In huius autem ore perpetuo erat Dei laudatio vniuersa verò eius vita à tenera ætate fuit confessio.

Quisnam ergo ex Martyribus tam multa certamina afflictionis & malorum perpessionis pro Christo vnquam subiit septuaginta annos? Tres illi pueri flamma babylonia visi sunt aliquando superiores, sua in Deum fiducia, præclare ea ardentiores. Sed aduersus vnum elementum, nempe ignem, decertarunt, & vno die. Hic autem perpetuo æstus flammam, æstiuis solis lampadibus vehementer vrentibus, fortiter sustinuit. Nox vna aliquando hiberna & gelu, vnum ex numero militari diuellit à quadraginta, qui spe balnei à tota spe miserabiliter excidit. Hic autem tot annorum glacie & ventorum flatibus grauiter spirantibus concretus, nũquam fuit animo labefactatus. quotidie, vt semel dicã, morte affectus, & rursus reuiuiscens: & insultibus decertationis fortiter & generose resistens. Si autem aduersus feras agrestes & immanes decertauit sanctorum aliquis: & nemo sicut hic vir præclarus depugnauit aduersus Dæmonia nequitiæ. A quibus in astro nocturno, tanquam à funditore aliquo lapide percussus stans in columna, in humero fuit percussus lapide. Ille autem statim manus in cœlum extollens, & astris & ipsis ostendit Dæmoniis, se nihil timere. sed hæc libere dixit. Quid vobis mecum rei est ò perniciosi & hominibus infesti Dæmones? Quid frustra conturbamini, & in Dei seruos in cassum exercetis inimicitias? Videte enim lapidem quem vos in me iecistis. Is erit mihi testis vestræ improbitatis. quem ostendam coram Christo meo in die eius aduentus. Vt autem sciatis me telum infantium reputasse plagas vestras: ecce humi deiicio tectum quod est supra caput meum, quod sæpe arcet iactus lapidum. & non sinit me eadem pati pro Domino quæ Stephanus primus Martyr, & eandem quam ille coronam accipere, quem vos Iudaicis manibus interfecistis. cum quibus etiam subibitis æternam gehennæ supplicium. Illi cum hæc verba audissent, & cognouissent illum iustum audere omnia pati pro Christo, aufugerunt protinus. Hoc enim illa nocte auditum est à quibusdam qui iter faciebant. ꝙ in quodam loco itineris occurrissent Dæmonibus deflẽtibus suam fugam, & aperte clamantibus. Alypius nos expellit à nostro habitaculo. Quo ibimus cum non habeamus locum in quo consistamus?

Egregius autem Christi miles post preces matutinas, fingens ei opus esse, à sua matre petiit securim. Quam cum accepisset, ille septi tectum à quatuor locis dissoluit, & humi disiecit: & mansit sub dio vsque ad extremum diem suum Mater vero eius postquam sensit sonum tabularum, easq; videt humi fractus, dextera frontem accipiens. Cur hoc fecisti, inquit, ò fili? Cur euertisti salutem tuæ custodiæ? Qũo feres minas hiberni temporis: aut vernarum pluuiarum vehementes inundationes: & æstatis meridionales & ardentes radios? Non considerasti ventorum terribiles impetus: lætiferas à mari plagas: fulmina quæ repentinam multis mortem affecerunt: & eorum qui aduersantur violentiam quæ non cadit

sub aspectum? Matri autem suæ sapienter respondens iustus dixit. Propter quem hęc omnia pati opto est Christus viui Dei filius & Deus, certa eorum quæ sunt vita, pro quo quiduis minimum pati & res beata. Non nunc quidem ò mater lubenter horrorem patiemur, vt illinc ad lucem inaccessam accedamus? Non feremus hic æstum diei, vt labore dignam mercedem accipiamus: & ęterni ignis fugiamus supplicium? Cum hæc & alia multa his similia dixisset, persuadet matri vt propemodum suaderet non solum abiicere tabulas propter Christum, sed etiam tunicam: & corpus præterea exuere. Nesciebat enim misereri filij, etiāsi esset valde amans liberorum, qui hic propter Christum patiebatur. Negabat naturā præter naturam. vt nato præponeret eum qui genuerat. licebatq́ videre rem iucundam & gratam omnibus fidelibus. matrem quæ lætabatur ob charissimum filium & filium ob matrem filiorum amantem. & Deum qui propter ipsos vere & sincere glorificabatur. Quis enim illius honestę & admirabilis mulieris non benedixit filium? aut quis rursus huius fructus radicem, tanq̄ sanctam, non beatam pronunciauit? Nam præter alia bona quibus erat ornata, permanebat etiam apud filium, ei inseruiens & subministrans quæ erant necessaria, tabernaculo fixo apud columnam. Quo in loco cum renunciasset omnibus quæ sunt in vita iucunda, tanq̄ in paradiso referta delitiis, propriis manibus acquirebat quæ sunt ad vsum necessaria, vt vidua & quæ maritum non habebat. tanti faciens eleemosynam, vt miserabile esse putaret duos asses possidere.

Aliquando certe accidit vt aliquis tertiam partem offerret numismatis. Quam cum accepisset rogatu filij, cucurrit ad ciuitatem, vt eam in minutas ęris partes commutatam consumeret ad vsus sui victus. Cum aūt postquam hæc fecisset reuerteretur, fracta pauperum adiurationibus, vniuersum distribuit. Deinde cum eam vidisset filius nihil habentem in manibus, Vbi est, inquit, minuta moneta? Opus enim habemus ad sumptū. Deo, inquit, ò fili & pauperibus nos credidi. Non enim pium esse statui propter nos despicere iuramenta pauperum, & peierare Deum viuentem. credens fore vt nos quoque eorum qui misericordiam consecuti sunt precibus assequeremur misericordiam. Propter hoc factum benedixit matrem, & accepit lętus quod factum fuerat, vt qui illius esset infans & fœtus. Quamobrem Deus eos etiam in altum in terra sustulit, dans bona in terra, & quæ sunt in cœlis meliora. Nomen enim sancti, & gratia Dei quę vbique propter ipsum prædicabatur, multas animas vocabat ad pœnitentiam virorum & mulierum. Primam autem Euphemiam quandam, quæ erat vna ex illustribus fœminis ciuitatis sancti Alipij tantum incitauit zelus in Deum, vt mariti & liberorum amicorumq́ & cognatorū nullam curam ducens, se in vilissima incluserit domūcula propter beati columnam, arcte portæ fortiter transmittens angustias, & nunc affatim se explens vitæ ęternæ delitiis.

Post eam autem Dei quoque amor compulit magnum illam inter mulieres & primam muliebris ædis ducem Eubulem. quæ ad tantam peruenit mensuram, virtutis, vt media nocte aliquādo suffiens, erat enim hoc ei in more positum, plurimas horas ita vt oculis aspiceretur, aduersus Dęmonem concertauit qui non sinebat sanctam transire, sed depugnabat ne mediæ noctis preces Domino redderet vt consueuerat. Quæ & vitæ fa-

cultatibus & multa gloria viduata, in vita quæ ex virtute agitur ita resulsit, vt paucæ ex iis quæ erant in terra. Eis autem paulopost fiunt similes & Maria sancti Patris soror, quæ ipsa quoque renunciauit omnibus quæ sunt in terra, marito, inquam, & iis quę sunt ad tempus delitiis. se tam fortiter gerens in exercitatione, vt illius continentia sit reliquis exemplū ex iis quæ decertant vsque in hodiernum diem. & aliæ complures quæ colligebantur tam peregrinæ q̄ indigene. quę res suas humi iacientes, ad sancti patris genua supplices procidebant, dicentes. Per te saluæ fiamus, si curris propter coronam in quam non cadit interitus. Nos quoq; fortes euademus & viriles Nam etsi sexu simus imbecilliores, vestra tamen imagine sumus nos quoq; ornatæ ab eo qui est potentior, pro virtute eadem valentes facere. Non est enim masculus & fœmina apud Christum. Quæ intelligentia percipitur pretiosissimam mercemur margaritam. Simus sociæ negotiationis. Vestra sit maxima pars lucri. efficiamur solum participes negotiationis. Ne nos timueris ò pater ꝙ simus genus humile & facile inclinemur. Mundum cognouimus. per iucunda transiuimus. omnium fecimus periculum. & omnia vana esse cognouimus. Vnum solum scimus Christo viuere, & eius præceptis parere. Huic pulchro amatori crede nos esse desponsas.

Hæc cum audiuisset sanctus, illachrymauit, diligens feruorem earum in Deum propositi. & fixis 6 oculis aspiciens cœli altitudinē, toto corde Deum orauit, dicens. Benigne Domine, qui pœnitentia curas delicta hominum, ascendant verba seruorum tuorum coram te. & fiat eis sicut crediderunt. & da vires seruo tuo, vt satisfaciat animabus eorum qui confugiunt ad fontem tuæ misericordiæ: & vt eas exhibeat in die aduentus tui castas absque vllo dedecore. indutas operibus lucis & iustitiæ & sanctitatis, ad gloriam magnificentiæ sanctitatis tuæ. Et hæc quidem orauit. à se autem inuicem distinctas duas sacras ædes extruxit. in quibus vtriusque sexus corpora distribuit, non enim dixerim spiritus & animas. dans regulam & prȩceptum sanctis fœminis vt masculorum oculis nunquam aspicerentur. vtpote ꝙ sit valde periculosum iis etiam quæ sunt valde probatæ. Quæ quidem id vsque adeò inuiolatum seruauerunt, vt cum beatus Alypius eis sæpe permisisset ꝙ in mortis venissent periculum, vt viderentur ab eorum parentibus secundum carnem, noluerint. vt continentia in Deum naturæ quoque vinculo fierent superiores.

6 *Orat cum eleuatione oculorum in cœlum.*

Cum his sancti quoque mater simul versans, eandem quoque seruabat regulam: habitum autem nequaquam acceperat monasticū, à sancto sępe rogata. idem esse dicens Diaconissam quod Monacham. sed ei persuadet somnus & diuina quædam reuelatio, vt sanctum oraret, vt ei imponeret habitum exercitationis. Visa est in somnis audire symphoniam sacrosanctarum mulierum quæ diuinos & modulatos hymnos canebant in Regem suum & Deum. & delectata spiritu cum voluisset domum ingredi in qua modulabatur choros ducentium cœtus, & cum eis canere & Deū laudare, non fuit ei permissum ab eo qui præerat ianuæ & seruabat aditū, qui dicebat. Non intrabis neque poteris versari cum venerandis Dei ancillis. cum sis hospes & imperita earum habitus exercitationis. Propter hæc pudore & magno animi angore forte affecta, est experrecta. & sancto genu flexit, & rogauit eum vt habitum acciperet, expones omnia quę viderat

derat in somnis. Eum autem cũ mane accepisset, animo lętata est & exultauit, nulla re de cętero defecta quæ pertineret ad perfectionem. Quę quidem cum multos & varios fœtus seminasset iustitiæ. nunc fruitur fructibus in quos non cadit interitus.

Atque sic quidem seorsum & separatum effecit beatus ille habitare homines & mulieres: In Deum autem & in reliquo vitæ instituto, tanq̃ germanos in Christo fratres nihil omnino differre: sed vnanimem inter se inuicem conseruare charitatem. vna voce benefactorem & vitæ suppeditatorem noctu & interdiu laudare 7 septies. vt concorditer extollendo concentum canticorum, Regem creatæ naturæ vere & sincere placent. 7 *Vide hic septem horas canonicas.* Deo autem & Angelis & sanctis iucundum quidem erat audire psallẽtes. iucundius autem videre hominem Dei, intra cœlum & terram affixum columnæ, tanq̃ Angelum æthereum, in altum extensis manibus, per tres classes glorificare trinitatem. Nam simul cum eis psallebant qui erant inclusi ad basim columnę. Seorsum rursus chori multitudinis Monachorũ, & chori rursus mulierum alibi. Talis laudum in Deum erat gratia, vt sępenumero nonnulli ex iis qui prætergrediebantur, hæc audientes 8 cantica, ad tantam venerint compunctionem, vt relictis actionibus quas studebant exequi, in eo loco totum diẽ remanserint, donec cessarit psalmodia. 8 *Nota ueterem usum Canticorum & Psalmodiæ.*

Venio post hæc ad magna dicenda miracula quæ Deus fecit in suum famulum. Nemo autem sit qui fidem non adhibeat. ante multorum enim oculos sæpe cum fieret apparuit. Id autem erat lux è cœlo descendens super sancti verticem in columna, & manens aliquandiu. Id vero tunc accidebat, quando nox erat & continuæ voces tonitruum, quando fulgurum crebræ coruscationes. quando imbrium inundationes, propterea q̃ non auderent omnino, vt arbitror, intueri gloriam arcanorum. Locus aũt vsque adeò refulgebat splendore lucis, vt qui erant cõtemplationis ignari, existimarent globum omnino inflammari. Ipse autem in tremore exultans sensim dicebat arcanum traditionis cœnæ mysticæ, dicens etiam reliqua ante aduentum & post aduentum. minime volens agnosci miraculum, humanam vitans gloriam quæ est ad tempus. Illius autem lucis aduentum præsignificabat crux quæ erat in vertice affixa tabulis, quæ quidem valde mouebatur in globo, & emittebat quendam sonum stridentis stibili. κλουβῷ donec rursus redacta in formam columnæ ignis venientis vsque ad nubes, rediret ad cœlorum altitudinem. Hoc autem viderunt, non vnus, duo, aut decem, aut solum quinquaginta, sed etiam plures aliȷ̃, adeò vt ad ipsam vsque regiam transiret visio tanti miraculi.

Multis certe precibus, quæ tunc erat Imperatrix à Dei seruo contẽdit: multas quoque pecunias partim misit, partim etiam se esse missuram est pollicita, si crucem quę erat super columnam mitteret in regiam. Cui quidem litteris ad eam rescriptis persuadet, vt parum expectant id assequeretur cuius studio tenebatur. vt qui puro mentis oculo præuidisset fore vt Imperatrix è vita excederet. Nam hoc quoque dono dignatus fuerat à patre luminum, vt tanq̃ pręsentia futura prędicaret. vniquidem diadema imperiȷ̃, alteri autem sanctę cathedrę rectionem. Oratio autem paulopòst fuit ipsa re confirmata. Hinc rursus factum vt ad eum concurrerent. nonnulli quidem de longa amicorum aut cognatorum absentia, tanq̃ à Propheta certum scire volentes an superassent. aliȷ̃ vero morbi diuturni cu-

pientes aliquot accipere remedium. Hoc enim habebat quod nullus ex doctis & peritis medicis. id autem erat, pro ægrotis effundere lachrymas. vt qui laborabant, exalto haberent curationem. Alij autem quærentes de vi principum & magistratuum, & violentiorum contractuum iniquitate, quorum nodos & captiosos plexus hic dissoluebat. non in iis quæ doceri possunt humanæ sapientiæ verbis, sed in iis quæ doceri possunt sancti spiritus. vt nullus huius mundi qui gloriantur in sapientia, omnia faciens & cogitans per orationem & deprecationem, vt omnino aliquos & ante oẽs Christum lucrifaceret, ad alios quidem scribens: alios autem monens. pluribus etiam donans. omnes autem qui propter inimicitias litemq; & grauem furorem enses sæpe contra se inuicem strinxerant, cum apud ipsum fuissent, concordes & se complexi exiuerunt, fratres animo, coniuncti affectione. adeò vt quilibet homo iustus glorificaret & laudaret Dominum misericordem. Ipse enim beatæ filiorum Dei partis veluti pacificator, appellationem suam lætus lucrifaciebat. Ille & in paupertate spiritus & in persecutionibus, gratia Dei, tanq̃ regnum Dei possessurus, erat beatus.

Ἄλυπος. alienus à molestia.

Si autem ij quoque qui lugent, sunt consolationem accepturi tanquam beati, quis est illo beatior, qui pro cõmiseratione & misericordia & amore apud Deum effudit tot riuos lachrymarum? Porro aũt fuit vir ille adeò Domini & Christi amans, vt quotannis eius passionis legens euangeliũ, is enim erat mos eius, pro probris & contumeliis quibus fuerat affectus, lachrymaretur & discerperetur. adeò vt putaret se videre Dominum in ipsis passionibus. Quòd autem esset inter mites enumerandus, planum factum est cum terram possederit. Pro eleemosyna autem tantam consequetur misericordiam, quantum misericors fuit supra preceptum. Quidnã autem sit hoc opus est dicere. Petiit aliquando mendicus ab eo indumentum. Ille verò nihil dubitans, in cordis hilaritate, cum sibi ademisset qua indutus erat tunicam, & dextera inuoluisset, deiecit à columna, sinistræ manui arcano non credito. Deo enim faciebat qui non vult tuba cani pietatem Et qui misericordiam fuerat quidẽ consecutus, cũ quod petebat impetrasset, recessit, Deo agens gratias q̃ curam gereret indigentium.

Ipse autem tandiu perseuerauit in aëre congelatus, donec quidam vir religiosus ex iis qui erant inclusi, cum in eum intendisset oculos, sic dixit ei. O sacra & beata anima, Quænam vis dicendi, aut quot linguæ doctorũ poterunt explicare tuam diuinam virtutem: ab ortu benedictum tuę vitę progressum: intelligentiam canæ iuuentutis: senectutis quę non potest dãnari tolerantiam. mansuetudinem & in omnes comitatem? Quis pater vnquam tanto studio defendit filium, quanto tu quemlibet qui afficiebatur iniuria? Quis contritis maxillis iniustorum, & medio dentium prędam rapuit, sicut tu? Quis autem sic conseruauit pauperem à manu potentis? Orphano vero cui non erat adiutor, quis sicut tu opem tulit? Os autem viduæ & pauperum quẽnam sic vnquam benedixit sicut te iustũ? Hæc quæ sunt pij & iusti Iob, sunt quoq; vestre. Nam vos quoq; estis sicut Iob, & forte etiam supra Iob. Nam ille quidem in calamitatibus diem ortus sui est execratus, dicẽs. Pereat, & non sit inter dies annorũ. Tu autem non sic, qui fortiter omnia sustinuisti. qñ te hyems terribilis multa niue texit multos dies, non permittens vt surgeres. premens & frigore cõgelans quæ sunt intima corporis. quo tempore cõcurrebat etiam naturalis

senectutis refrigeratio, qui à iecore suppeditabatur calorem non accipiens amplius vt est rationi consentaneum. & contractis neruis circa tibias, fibrarum vires emarcuerant, naturalem pedum statum non amplius accipientes. Sed non dixisti. Pereat nox in qua dictum est, Ecce masculus neque imprecatus es astra illa nocte fuisse obscurata. Neque dixisti, Cur non sum mortuus in vtero: è vulua autem sum egressus, & non statim perij? & cur concurrerunt mihi genua quæ sunt dissoluta adeò immisericorditer, concreta frigore? Quid autē dixisti? Iustus Deus, & iuste castigauit. Quid enim mihi opus est pedibus qui sum cruci affixus; & habeo manus quas extendam ad preces. & os ad confessionem laudemque & gloriam eius qui creauit. per quæ fit solus credentibus. Abeant pedes post octoginta & quinque annos. qui corporis ministerio satis inseruierūt. Paulopost enim omnino requiescet tabernaculū, puluere reuerso in puluerem Cum sic autem gratias egeris ò diuinum & sacrum caput, si fuissent tibi liberi, iis priuari eodem modo tulisses: & si iuga boum camelosque & asinos pascentes amisisset. Quibus enim tua sponte propter Christum renunciaueras, iis priuatus æquo animo tolerasses. quoniam per arctam & angustam portam constitueras mala perpeti. Propterea extensi sunt palmites tui à mari: & vsque ad fluuios peruenerunt tuæ propagines. Quomodo enim quando quispiam generosæ arboris fructuum viderit, ex ea studet surculos suæ arbori inserere. sic reliquę ciuitates tanq̃ à diuina & electa radice, vi tuos auellentes Discipulos, sacros Antistites & eruditores suis patriis acceperunt tanq̃ donum magnificentissimum.

Porro autem ego quoque qui sum tuæ plantationis vilissima ò pater & tarda propago, hanc funebrem orationem ausus sum tibi dedicare, cùm se elegissem paucas ex multis tuis actionibus. in quarum plurimas incidi, vt qui ex tuis didicerim certaminibus, quòd tentata iusti anima, tanquam aurum in conflatorio, suæ pulchritudinis non perdit probationem. De te enim olim disceptabam stultus ego, hæc cogitans de tuis calamitatibus Cur post quinquaginta tres annos, cum aëre & quæ in eo sunt malis luctatus, cum esses iustus & iustitias faciens, priuatus fuisti media parte corporis? Cur præter hæc quatuordecim annos non vsus es pedibus, sed super vnum latus perpetuo recubuisti, quod etiam iis qui in lectis recumbunt super vestem mollem stragulam est molestum: & nō possunt ne vnam quidem horam ferre quin conuertantur. Percussus enim fuisti etiam malo vlcere, nempe vltima tu quoque Iobi plaga, testa fere expurgans saniem tui corporis. Hæc mihi sic dubitanti, diuinæ vocis ad Iob per procellam & nubem mihi venit in mentem, non alia de causa te sanctum hæc passum esse, quàm vt iustus vt ille appareres. Credo autem sapienti quoque Solomoni qui de virtute præditis animabus sic docuit. Iustorum animæ in manu Dei: & non tanget eas tormentum. Visæ sunt in oculis insipientium mori. & reputata est afflictio eorum exitus. Illi autem sunt in pace. Nam etsi puniti fuerint in conconspectu hominum, spes eorum est plena immortalitate: & parum castigati afficientur magnis beneficiis. Quoniam Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. Tanquam aurum in fornace probauit eos: & tanquam holocaustum sacrificij eos accepit: & in tempore visitationis eorum resplendebunt. & tanquam scintillæ in calamis discurrent. Iudi-

cabunt gentes: & dominabuntur populis: & Rex eorum erit Dominus in secula. Ergo etsi nos molestia affecit tua quæ fuit ad breue tempus imbecillitas, vt qui non inuestigassemus iudicium laudabilis tuæ tolerantiæ, quòd operetur probationem: at nunc nouimus quòd corpus post animæ hinc excessum, proprium honorem consequetur ab eo qui creauit. Nullus enim fuit nec ex ciuibus nec ex regionis hominibus, qui non diligenti studio, eius tanquam sancti inhærens amplexibus eum salutauerit. Mulieres autem, pueros & lactantes infantes, impellentes & repulsæ, irrumpentes & insurgentes, flentesq́ ad reliquias efferebant, animo valde anxiæ ne si forte ablatum fuisset corpus, priuarentur benedictione quæ erant eis charissima. Atque sic quidem ciues & mulieres ciuitatis vix concesserunt vt tollerentur reliquiæ.

Cum miraculorum autem postremum & maximum dixerimus, cum beata ò pater tua dormitione finiemus orationem. Quis enim nescit quòd cum quatriduanæ iam essent reliquiæ, adolescens quidam captus fuit à Dæmone. Qui cum meridie tibi occurrisset, & ad tuum actus

9 esset 9 sepulchrum, & valde discerperetur, ipso die fuit liberatus à maligni vexatione. Et hoc quidem ò beata anima, cùm dixerimus quod fuit vltimum & magnum ex tuis miraculis, finiimus orationem. Tu autem qui euolasti ad ea quæ sunt supra mentem rationem & sensum, & sortitus es ea quæ sunt meliora, memento tuorum filiorum & filiarum: eisq́ adsis 10 & eos conserua & custodi, deducens ad luminosa bona operum. vt sequentes vestigia, perueniant ad tuam beatam mansionem. Nequaquam obliuiscaris ò sancte ouium tuæ mandræ. sed etsi frueris gloria eorum quæ carent materia, circa diuinitatis versans pulchritudinem, nos 11 aspice & nostri miserere, quos & congregasti & orphanos reliquisti, aperte dicens. Pacem Christi do vobis. valete & conseruemini ò filij. & non formidet nec turbetur vestra anima. Ego enim rogabo pro vobis: & mittetur vobis Spiritus sancti consolatio & auxilium validum. In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria & potentia cum patre & sancto spiritu, nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

9 Ad sepulchrum sancti Dæmoniacus liberatus est.

10 Vides quomodo sancti adsunt nobis, conseruant & custodiunt, ac nostri miserentur?

11 Nota pro sanctorum inuocatione.

A. EPISCOPVS VERONENSIS CANDIDO LECTORI.

SI quis mirabitur quod cum Græca ecclesia à mense Septembris, Latina uero à mense Decembris, hoc est ab aduentu Domini, annum suum in texendis sanctorum historiis exordiatur, ego Metaphrastem latinis donaturus, à mense Nouembris inceperim, nec Orientali nec Occidentali ecclesiæ meipsum accommodauerim, accipiat huius rei ueram & necessariam rationem: Mens erat profecto latinæ ecclesiæ institutum sequi, & à Decembri mense incipere, sed cum tres menses integritati Tomi non fuissent satis, deessetq; mensis Martij unà cum Aprilis principio, qui in Vaticana Bibliotheca unde hos libros desumpsimus, minime reperiebatur, coacti fuimus loco mensis Martij, mensem Nouembris substituere, & ne annalis temporis ratio inuerteretur, illum Decembri quoque ipsi anteferre. Sed cum Dei gratia quod Pontificiæ Bibliothechæ deesse uidebatur, ex Veneta Cardinalis Bessarionis iamiam ut speramus resarciendum sit, & integrum librum per duodecim menses distinctum habituri simus, ab uno magis quam ab alio mense incepisse nos, lectori minima uel nulla potius iactura futura est. Sicut ergo priorem huius uoluminis partem cum animi iucunditate legisti, ita pari mentis lætitia, & hanc quæ secundum in hac serie tenet locum, legere festina, & sanctos dei humiliter exora, ut tibi & pœnitentiæ tempus, & beatum ac felicem uitæ exitum ab omnipotenti Deo suis intercessionibus impetrent. Vale.

CERTAMEN SANCTÆ ET GLOriosæ Martyris Christi Barbaræ.

MAXIMIANO impio Imperatori qui studij plurimũ conferebat in errorem idolorum, hoc maximæ perpetuo erat curæ, vt Dæmones quidem coleret, & impietatem omnibus opibus & viribus confirmaret: ij autem qui Christi diuinum nomen colebant, aut piam fidem abiurarẽt, aut variis traditi suppliciis, cũm bonis omnibus quæ aderant, vita quoq; violenter priuarẽtur. Quędam autem regio quæ vocatur Heliopolis, virum habebat insignem, religione quidem gẽtilem, valde vero diuitem & huius mũdi splendore clarissimum. Is vocabatur quidem Dioscorus: vnius autem puellę erat pater, cui nomẽ erat Barbara. Eius vero in illam is erat amor qui debebat esse eius qui in illam solam oẽm suam spem defixerat. Eam cum vt quæ esse vultu admodũ formosa & pulchritudine eximia, vellet conseruare integram & nulla labe pollutam, & ideo nec fineret quidem aspici ab iis qui foris erant, excelsa turre constructa & domo in ea artificiose ædificata, illic beatam ita collocauit habitandũ, vt nec vlli ad eam pateret aditus, nec vir vllus eam attingeret oculis. Erat autem hoc opus diuinæ prouidentiæ, quæ futurum diu antè considerabat. In ea enim, paracleti gratia latẽtes eius oculos latẽter attingens, & illuminauit luce diuinæ cognitionis, & verum Deum ei notum fecit admirabiliter. Habebat ergo turris virginem quæ ędificata erat super fundamentum fidei, & conseruabatur ad hoc vt esset salus multorum. Decemb. 4.

Cum autem iam esset nubilis, pater erat valde sollicitus quisnam esset eam accepturus vxorem. & multi quidem & genere & opibus prȩstãtes, de eius coniugio cum eo sermones contulerunt. Eius enim pulchritudo, & si non conspecta auditione tamen accepta, faciebat vt eius nuptiæ magna contentione peterentur. Verumenimuero patri videbatur esse indecorum & plane illiberale, si quod ipse magno agebat studio filiæ non notum existeret: & eius scopo minime assentiretur. Ad eam quidem certe veniẽs, de matrimonio cum ea communicat, & quanto studio & quanta cura ei prouidere cuperet significat. Illa autem cum non modo corde sed ne summis quidem auribus eam rem vellet admittere sed tanquam absonum & absurdum aliquid id reiecisset, & ipsum patrem ira te repulit: &, Ne de ea re, dixit, mecum iterum verba feceris. Nam tu pater deinceps non vocaberis: & efficies vt ego mihi manus afferam. Pater autem statuens longe esse honestius persuadere q̃ cogere, ratusq; eius constantiam non esse pertinaciam nec inobedientiam sed vehemẽs desiderium castitatis: & alioqui ei præbens tempus deliberandi, sperans fore vt fortasse mutaretur & ei morem gereret, cum nihil dixisset amplius, ex turre quidem descendit protinus. veniens vero ad lauacrum quod tunc ædificabat, totus ei vacabat. cuius vrgens ædificationem, & magnam artificum adducit multitudinẽ: & cum vt quam primum effectum redderent ȩdificium mandasset, & eis integram mercedem præbuisset, ipse in longinq; profectus est regionem.

Cũ diu autem esset moratus in ea peregrinatione, Dei ancilla Barbara descendit ex turre visura quemadmodum fieret lauacrum. Deinde cũ illic fuisset, & contemplata esset partem quæ vergit ad meridiem, duas habere fenestras quæ lucem præbeant, reprehendit artifices, dicens. Cur duabus fenestris tertiam non adiecistis, cum sic & maius lumen posset accipi & id simul esset futurum elegantius & magis decorũ? Cum ij autem dixissent, Pater tuus sic iussit, instabat Barbara vt aliam adiicerent. Cum ij vero alteram vererentur addere, patris metum adducentes tanquam honestam excusationẽ beata Barbara tres simul ostendens cum digitis, vobis, inquit, tres sunt constituendæ fenestræ. Si pater autem ægreferat, ipsa reddam rationem. Cedunt artifices & implent id quod eis imperatum fuerat. Postquam vero fuit effectum totum lauacri ornamentum, sæpius accedens sancta ad id contemplandum, quoniam cor eius posidebat diuini spiritus gratia, & per fidem impletum erat fiducia in Christum, stãs ad piscinam & aspiciens ad orientẽ iis quæ erant in ipsa marmoribus, digito impressit figuram diuinæ I crucis. & vt posteris quoque notum esset id quod factum fuerat & Christi virtus prædicaretur, crucis figura quæ digito erat signata, tãquam fero insculpta, in hodiernum vsque diẽ signata ostenditur in marmore, non ad tactus solum admirationem, sed etiam ad maiorem fidem adducens spectatores. Verumenimuero in hodiernum vsque diem hoc quoque lauacrum conseruatur, quod iis qui sunt Christi amantes curat omnem dolorem. Quod quidem si quis velit comparare cũ fluentis Iordanis, aut cũ fonte Silöe, aut etiam cum piscina probatica, à veritate minime aberrauerit. Etenim per illud similiter Christi virtus ostenditur multa efficere admirabilia. Per hoc ergo lauacrum Martyr aliquando transiens, cum in simulachra iniecisset oculos, quæ ab eius patre colebãtur & Dij male existimabantur, eorum quidem aspectum ægretulit: grauia

I *Nota signum Crucis & in eo factum diuinitus miraculum.*

autem edẽs suspiria propter eius qui ea colebat animam plane nullo sensu præditam, deinde illorum quoque vultus conspuit, dicens. Similes vobis fiant qui vos adorant, & omnes qui vestro indigent auxilio. Sic dixit, & cum in turrem rursus rediisset, 2 orationibus vacabat & ieiuniis: & tota dependebat à bonis cœlestibus.

2 *Orationibus uacabat & ieiuniis, & tota à bonis dependebat cœlestibus.*

Non multum temporis intercessit, & iã pater ad eam reuersus, & quę cũque erant domi considerans, postquam in lauacrum iniecit oculos, visa tertia quę duobus adiecta erat fenestra, rogauit quonammodo hoc factum fuisset præter eius iussum. Cum autem illi ei exposuissent quæ innouasset filia, eã accersiit & rogauit. Illa vero nullo modo negauit: sed dixit oportere sic fieri: & rectè factum esse asseuerauit. Ille verò statim motus ad iram, Dic mihi, inquit, quomodo & quanam ratione ita se habet melius. Illa autem, Quatenus, inquit, tres multum differunt à duobus. Nam tres, inquit, fenestræ illuminant omnem hominem venientem in hunc mundũ. Hoc vero dixit omnino, sanctæ trinitatis significans maiestatem. Deinde pater conturbatus nouitate sermonis plane admirabilis, cum eam seorsum assumpsisset, & venisset ad ipsam lauacri piscinam, Quonãmodo, inquit, lumen trium fenestrarum illuminat omnem hominem? Illa autem, Attende, inquit, pater, & intelliges id quod dictum est. & simul ei ostendit signum crucis. Deinde etiam ostendens digitis, Vide, inquit, pater filius & spiritus sanctus. Ab hac luce omnis creata natura illuminatur intelligenter. Hunc itaque verum sermonem cum malę & ad mendacium exercitate aures minimæ tulissent, ira fuere repletæ. & pater oblitus se esse patrem, tyrannus properauit esse & parricida. & qui pendebat ab humeris stricto ense, pater aggressus est sua manu occidere Barbaram. Illa autem cum manus simul & oculos & mentem in cœlum sustulisset, eum qui potest dare salutem vocabat ad auxilium. Ille verò non neglexit ea facere quæ consueuerat, sed quomodo Theclam Protomartyrem conseruauit ab iis qui persequebantur, petræ quæ occurrerat iubens vt disrumperetur & eam sinu exciperet: ita hanc quoque gloriosam simili conseruat miraculo. Nam cum ille carnifex, neque enim parricidam fas est vocare patrẽ, ense sublato procederet in filiam, petra scissa in duas partes, eam excepit diuino & omnipotente nutu: & ne à manibus cædem spirantibus caperetur conseruauit, transmittens ad loca magis montana. Sed nec sic quidem poterat intelligere qui ipsis lapidibus erat magis impatibilis & minus sensu præditus. Adhuc enim eodẽ incitabatur impetu, & desiderabat accipere filiã, non vt qui esset pater, sed potius filius eius qui fuit homicida ab initio, vt dicã cũ diuina scriptura. vt cũ inuenerit simul mactet & perdet.

Cum vero in duos incidisset pastores, rogauit an de ea scirent aliquid. Ex his autem, alter quidẽ qui erat animo misericors, et cui displicebat eam quã pater persequebatur prodere, statim negauit, & se simulauit ignorare, mendacium salutare ꝓ veritate quæ læderet eligens. Cæterum hic aperte erubescat Herodes qui non recte seruabat iusiurandum, vt etiam aliquid inseram narrationi, & qui vt malam defenderet voluptatem stabat iusiurando. Alter verò nequaquam quidem lingua, sed digito, quod est sceleratius, indicans, ostendebat viam quæ ad ipsam ducebat. Quod factum est itaque non tulit iustitia, sed statim sceleris intullit supplicium. & cum eius oues execrata esset Martyr, non amplius erant oues, sed mutatæ fuerant

in Scarabæos, qui ad perpetuam sceleris accusationem, sanctæ Barbaræ sepulchrum perpetuo circunuolant. Hæc ergo dolosi Pastoris vestigia secutus amens Dioscorus, cum sanctam in mõte comprehendisset, primum quidem ita vt erat ira percitus, conscindit verberibus. Deinde eam coma apprehendens & vi trahens, tunc quidem includit in parua domuncula, imponens custodes & ostium obserans & obsignans. Deinde etiam magna celeritate veniens ad Præsidem Marcianum qui tunc illic gerebat magistratum, refert ei rem omnem. Summa autem erat q̃ Deos quidem negasset filia: res vero Christianorum elegisset præter spem honorare. Hæc dixit, & adductam tradit in manus illius, cum eum prius adegisset sacramento non parsurum esse filiæ, ò paterna viscera, pater, sed violentissime eam esse tractaturum, & esse grauissimis consumpturum suppliciis.

Marcianus ergo cum sedere protinus fecisset iudicium, & sanctam curasset sistendam: Tunc morum contemplatus honestatem & formæ pulchritudinem, patris sacramenti oblitus, eam paratus erat magis mirari quam castigare. Sic ergo & verbis benignioribus, Miserere tui, dicebat, ò Barbara: prõptoq; & alacri animo nobiscum Diis sacrifica. Nam ego quidem tui curam gero: & parco tormẽtis talem subiicere pulchritudinẽ. Si autem non parueris, me deinceps coges te vti vt volo. Martyr autem, Ego sacrificium, inquit, laudis Deo meo offero. qui creauit cœlum & terrã & omnia quæ in eis sunt. De tuis vero, inquit, vanis Diis, prędictum quidem est, inquit à Dauide in diuino spiritu. Simulachra gentium argentum
„ & aurum opera manuum hominum. &, Omnes Dij gentium Dęmonia.
„ Dominus autem cœlos fecit. Ei vero ego quoque assentior esse vanam quæ est in eis spem, & inanem aperte confiteor. Hæc cum dixisset Martyr, Iudex ira accensus, iubet eam exui, & crudelibus boum neruis crudeliter cædi. Deinde cum vellet ei efficere sensum acerbiorem, iubet plagas cilicio atteri. Cum puniretur ergo tã inhumane, aperiebantur graues fontes corporis, adeò vt totum solum irrigaretur sanguine virginis. Deinde post verbera eam carcer excipit, dum occupatus esset Præses in deliberando cuinam supplicio eam postea traderet.

Cum autem iam esset nox media, lux ipsam circuncirca illuminat à superis: & Christus apparet qui & ei addebat animum, & iubebat vt nullo modo timeret mala hominum. Ego enim, inquit, sum tecum, & seruaberis sub vmbra alarum mearum. Nondum finem acceperant verba quæ fiebant martyri. & quod ab Esaia dictum est in ea est consummatũ. Nam cum cito ei exortæ essent curationes, & plagę tanquam non fuissent ab initio, à corpore expulsæ essent, gaudium tenuit sanctam & exultatio. & lætitia ęterna super caput eius, vt rursus dicã quod dicit Esaias. Mulier autem quædam pia & timens Dominũ, nomine Iuliana, tunc conuersans cum Martyre, postquam admirabilia quæ in ea facta sunt est intuita, & quemadmodum continuo plagę euanuerunt, Deo dans gloriam, & instar sororis cum Martyre consentiens, seipsam præparabat & plagas & flagella. Deinde cum Præses ad secundam sedisset examinationem, adducta ad eũ sancta, & viso admirabili omnibus spectaculo, q̃ nec leuis quidem in eius corpore laceratio neque vllus vibex apparebat, Iudex ad veritatẽ aperte cæcutiens, mittens magnæ Dei potentiæ ascribere id quod factum fuerat, & prioris vitæ & erroris duci pœnitentia, ille potius omnem exuit

pudorem,

pudorem, & Diis suis impudenter eam attribuens sanationem. Vides, dixit, ò Barbara, quemadmodum te Dij tuentur & tui curam gerunt, qui tuas plagas curarunt. Cui Martyr Christi, Qui similiter, inquit, atque tu cæcutiunt & humana manu indigent ad hoc vt perducantur ad essentiam, quemadmodum tale quid potuerunt facere? Sed si vis scire quisnam sit qui me sanauit, est Iesus Christus filius Dei viui. quem fieri non potest vt contuearis, cum profundis tenebris impietatis orbatus sis oculis animæ.

His verbis Præses ad maiorem accensus iracundiam, & non valens se continere, iubet iis qui aderant ferreis pectinibus latera virginis scindere, & tædis ignis membra iam lacerata vrere. Deinde etiam malleo percutere venarandum eius caput. Quæ quidem cum celerrime fierent, ea videns pia Iuliana, & animo ęgreferens, cum nō posset opem ferre faciebat quod poterat, & suum in eam amorem ostendebat, nihil curans eos qui aderant nec præsidem: sed vberes lachrymas effundens ex oculis. Cum eam ergo aspexisset Marcianus & quænam esset didicisset, postquam eam quoque audiuit esse Christianam, & Barbaræ misericordia motam animo perturbari, iubet eā quoque comprehendi, & ligno suspendi, & similiter atque Martyri pectinibus ferreis latera discerpi. Atque variis quidem certaminibus exercita Barbara cum acerbe laniaretur, oculis in cœlum sublatis, Tu nosti, inquit, Deus cognitor cordium, q; te desiderans & tuas amans leges, me totam tibi obtuli. & à tua pendeo dextera. Tu ergo Domine ne me derelinquas: sed me per tuam suscipias misericordiam: & nos ambas confirma & corrobora vt cursum pręsentem peragamus. Sed sic quidem Martyr Christi, Dominum propter quem hęc sustinebat rogabat, vt eius auxilio roboraretur naturę imbecillitas. Sciebat enim eum esse veracem qui dixerat, Spiritus quidem promptus, caro verò infirma.

Tyrrannus autem, vt qui ei se omnino opposuisset aduersarium, vt animi superaret fortitudinem malorum copia, cōuertitur ad aliud supplicium: & iubet eorum vbera scalpello effodi. Scio vos ad solum perpessionis auditum, caligasse. Quid ergo effecturum erat vt hoc paterentur, idq; fœminę, nisi amor quo tenebatur, Christi, inquam amor inexpugnabilis? Sed enim Christi ancillam Barbaram minime latebat quodnam esset eis medicamentum aduersus dolorem tam vehementem. Propterea rursus inuocabat supernum auxilium. Ne auertas à nobis, dicens, faciem tuam Christe: & spiritum sanctum tuum ne auferas à nobis. Redde nobis Domine exultationem tui salutaris: & spiritu principali confirma nos in tuo timore. Cum vero ad hoc supplicium ambabus esset vnus animus & vna & eadem constantia ac tolerantia, Pręses aliquid callidius vel potius malignius excogitās, eas disiungit à se inuicem: & Iulianam quidem tradi in custodiam: Barbaram autem iubet nudam traduci per regionem, & pręterea flagris cędi. Martyr ergo tam turpiter & tam indecore circumacta, rursus faciebat ea quę consueuerat: & in cœlum defixis oculis, Qui cœlum, aiebat, circundans nubibus, & terram tanquā fasciis contegis caligine, ipse quoque ò Rex, meam operi nuditatem: & effice vt mea membra non cernantur ab oculis infidelium. ne tua ancilla subsanner & irridear ab iis qui nos circunsistunt. Audiuit ex templo sancto suo velox Deus ad defensionem: & statim apparēs, cor quidem eius implet gaudio:

quę sub visum autem non cadebat eam stola induit. & cum sic peregisset transuectionem, rursus eam ad sceleratum adducunt Marcianum.

r Postquam ergo cognouit eam & quæ idem sentiebat pulcherrimam Iulianam, neque bonorum promissis, nec malis intentatis vel tantillum persuaderi, cauēs ne maiori afficeretur dedecore, vt quod esset aperte stultum ea tentare quæ fieri non possent, fert in ambas sententiā, vtrisque iubens caput amputari. Præsens autem filiæ occisor pater, cum esset spectator eorum quæ fiebant, non hoc satis habuit, neque contentus fuit tam magna calamitate quod paternis scilicet videret oculis filiam, eamque tam pulchram manibus perimi lictorum: sed nisi ipse sua manu ictum inferret, hoc iudicabat esse imbecillitatem & animi mollitiem, perinde ac nisi ille quoque cerneretur, malus arbitraretur esse manifestum dedecus. Propterea ergo iā prolata sententia, assumit Martyrem, facturus cædem propriis manibus. Cum ergo abduceretur in montem, & ipsam consequeretur Iuliana, Barbara iam vitæ exitum acceptura curam gessit sibi charæ orationis, & genibus 3 flexis. Principij expers, inquit, Deus, Qui cœlum extendisti tanquam fornicem: terram autem fundasti super aquas: Qui nubibus iubes vt pluant: & produxisti Solem & lucem pręberet omnibus: & communiter hæc & iustis & iniustis & bonis & malis simul suppeditas, tu quoque nunc me precantem exaudi ò Rex. vt qui tui nominis & meæ meminerit decertationis, ne pestilens morbus in eius domum ingruat: neque vllum aliud ex iis quæ possunt corporibus afferre damnum & molestiā. Scis enim Domine nos esse carnes & sanguinem, opera intemeratarum tuarum manuum, & honorata tua imagine & similitudine, Dixit: & vox de cœlis audita est admirabiliter, ad cœlum vocans ipsam & Iulianam sociam certaminis: & simul pollicens implenda ea quæ petierat. Hanc iucundam vocem cum audiisset Barbara, iter ingredi perrexit: & ducta est ad locum sui decessus.

3 *Ecce oratio cum genuflexione.*

Cum eo autem peruenisset, inclinato capite, paternis manibus, paterno ense accipit consummationem. bonus fructus ex mala arbore, apparens manifeste: Iuliana quoque simul cum ea ibidem consummata à quodam ex iis qui illic erant militibus. In eo autem loco vbi hæc facta sunt, impium quoque patrem diuina persequitur iustitia, cum nec modicum quidem hic expectasset bonitas, propter insigne vitium & quod nulla esset spes curationis. E monte enim reuertens feritur fulmine: & vita omnino priuatur, non hac solum fluxa, sed ea etiam quæ manet, ille vere miser & vtrisque indignus. Trāsiit autem ad Præsidem quoque Marcianum huius diuinitus immissi ignis impetus, plane initium & certū signum illius ignis immaterialis qui ipsum æternum est puniturus. Valentianus vero vir quidam pius & religiosus, cum Martyrum 4 sacra sustulisset corpora, & sacris, vt oportebat, honorasset canticis, ea pie & honorifice deponit in loco qui dicitur Gelassus, qui abest duodecim miliaribus ab Euchaitis. morborum medelam. animarum exultationem. piorum virorum amabilem delectationem. Ad gloriam Christi veri Dei nostri. Quem decet honor potentia maiestas & magnificentia, nunc & semper in secula seculorum. Amen.

4 *Vide honorificā sanctorum corporum sepulturam, atque eā quidē cum canticis.*

VITA SAPIENTIS ET DIVINI *patris nostri Saba.*

NIHIL est æque vtile ad commouẽdos animos ad desiderium virtutis, atque vita optimorum & præstantissimorum virorum tradita piorum auribus. Illius enim viam licet asperam, non tamen esse eiusmodi vt adiri non posit, nec esse omnino desperatam, ostendit. sed recte factis eorum qui præcesserunt inducit ad imitationem. & narratione donorum, quæ illi acceperunt tanquam arras futurorum bonorum, in animos auditorum immittit prõptum & alacre animi studium: & persuadet despicere omnem laborẽ & difficultatem, & ea postponere acquisitioni eius quod est bonum & honestum. cuiusmodi est vita magni Sabæ, & Dei amor ineffabilis, & qui propter ipsum suscepti sunt sudores: & rursus innumerabiles donorum largitiones, quæ eam quæ illic est futura confirmant beatitudinem. Sed satius fuerit deinceps virum ab alte petito principio persequi, resq; eius sedulo ac diligenter tractare, nihil prætermittendo eorum quę sunt magis opportuna. quodquidem aperte maximum damnum & est & existimatur iis qui amant res eiusmodi. Decemb. 5.

Huic ergo beato patria quidem erat Cappadocia. Natus est autem in vico Mutalasca. hoc est enim ei nomen. quæ prius quidem erat vilis & ignobilis & sita sub metropoli Cæsariensium. ex eo autẽ postea 1 euasit insignis, & longe clarior illa Armathen quæ olim tulit diuinum Samuelem. Oportebat vero ei omnino meritas referre gratias q̃ eum in lucem produxisset. Pater Ioannes, mater Sophia, qui erant ambo clari genere & pietate. Natus est aũt decimo septimo cõsulatu Theodosii. Cum vero iam quintum ætatis annũ ageret hic vir admirabilis, eius autem parentes migrassent Alexandriam, nam necessario eos vocabat tunc futura quædam expeditio, ipse in Cappadocia diuina quadam prouidentia, apud auunculum cui nomen erat Hermias, cum paternis relinquitur facultatibus. partim quidem ne nimis tenera pueri ętas defatigaretur itineris longitudine. partim autem vt si parentes vitam illic finiissent, pulchrum illic semen & eius quæ illic erat hæreditatis successorem relinquerent. Sic ergo apud auunculum manens Sabas iam ætate proficiens, cum vxoris illius malignitas molestia afficeret adolescentem, erat enim re uera mulier impudens & difficilis, illinc recedens, accedit ad quendam Gregorium, qui ipse quoque erat patruus, in quodã vico nomine Scandos, statim ab initio ostendens quanto odio haberet malos, & se maiorem curam gerere virtutis quàm cognationis.

1 *Vides uicos alias ignobiles sanctorum memoriis & natalibus illustrari ę*

Postquam autem cum ageret apud Gregorium, vidit hoc patruo & auunculo magnam afferre dissensionem ac discordiam. Cõtendebat enim vterq; & ipsius Sabę & rerum eius esse Dominus, ille omnem offensionis auferens occasionem, & statuens difficultates esse veluti quandam viam vitæ quæ ducit ad philosophiam, recte non secus ac boni Imperatores, vsus est difficultate temporum. & repente dispiciens diuitias, cognatos, pecunias, & quæcunque maxime solent adolescentum animos delinire, seipsum tradit cuidam monasterio quod vocabatur Flauianę, quod distabat

viginti stadiis à Mutalasca. ostendens labores qui ferunt ad virtutem, esse à sapientibus præferendos quieti & relaxationi quæ ducit ad vitiũ. Benignæ itaque acceptus ab eo qui tunc preerat monasterio, & cooptatus in numerum Monachorum, illic deinceps se exercet in doctrina sacrorum psalmorum, & accurate instituitur in omni 2 regula monastica. Ita beato Sabę patrui & auunculi contentio, & vita accliuis & ardua, maxima fit causa vt proficiat in vita quę est ex Deo.

2. *Ecce quomodò etiã antiqui monachi habuerunt regulas sub quibus viuebant.*

Postquam autem ij cum diu seditionem inter se agitassent vix tãdem composita inter se discordia, tentarunt sacrum Sabam auellere à monasterio & à pulchro illo vitę instituto, volentes eum & paterna frui hęreditate & suis facultatibus, & cõiungi matrimonio. quæ quidẽ sunt paruis magna & iucunda, & ea puerorum potius optiones quam virorum esse significant, ipse diuino Dauide vtens tanquam consiliario, iudicauit esse optabilius abiectum esse in domo Dei, quam talium tabernaculorum frui diuitiis & alia prosperitate. Videbat enim illa quidem ipsorum amatorem diuitem trãsmittere ad gehennam, & ostendere vel sola egere gutta, quod quidem est paruum linguę quę ardet solatium. angustias autem, & malorum perpessionem, dignos efficere beato sinu Abrahę, & recreatione ac delectatione quę in eo nunquam desinit. Et alioqui iudicabat esse longe stultissimum, voluptatem quæ est ad tẽpus permutare ęterno supplicio. Atque sic quidem beati Sabæ propositũ, vel ab ipsis, vt dicitur, cognitum est carceribus. & talem ab ineunte ętate ostendit philosophiam. Etenim ipse super seniores intellexit, quoniam mandata Domini exquisiuit. Seipsum vero exercuit cum in alia omni abstinentia, tum vel maxime in ea quæ ad gulæ pertinet compescendans delitias & ventris nimiam curationem. vt sigillatim declarabunt quæ deinceps sequuntur.

Operabatur aliquando ortum monasterij. Mala autem quæ pendebãt ab iis quæ illic erant arboribus, eius incitabant appetitionem & mouebant ad vescendum ante tempus. Atque fuit quidem victus ab aspectu pomorum, erant enim pulchra visu, vt qui ipse quoque esset homo, & humanis deliniretur cupiditatibus. Victus est autem vsq; adeò, vt malũ manu caperet. Deinde cùm intellexisset esse tales maligni insidias, & solere eum latenter attrahere, semper voluptatẽ obiiciendo tanq̃ escam: & postea suspicatus esset in fructu latere serpentem, & cogitasset primos parẽtes à voluptate & cibo eiectos fuisse ex paradiso, quæ eos confixere malis innumerabilibus. Hæc cùm ille mente pulchre agitasset, & iuuenilius ipse seipsum increpasset, malum statim iecit humi: & cum id pedibus conculcasset, cum malo etiam conculcat cupiditatem. & eam quæ eius vicerat oculos, per probrum & contumeliam proterit suis pedibus: hanc in posterum sibi legem imponens, vt toto vitæ tempore malo non vescatur amplius, neque indulgebat ventris appetitioni. Ab illo ergo tempore perpetuo in summa omnium rerum vixit 3 abstinentia. Somni tantum capiens, quantum satis erat ad eius corpus continẽdum, quod erat continuis defessum laboribus. Manus vero beato Sabæ nũquam quiescebant. Sed quando non eas ad Deum extensas habebat oratio, eæ perpetuo versabantur in opere aliquo faciendo: ne si vel parũper relaxaretur cogitatio, clam non animaduersus sensim irreperet inimicus. Hinc virtutis fit ei penna leuior: & omnem quæ erat Flauianis faternitatem, erat autem

3. *Habes hic rerũ omnium abstinẽtiã. Continuos labores. Orationem cum eleuatione manuum. Opus manuũ. Obedientiam & humilitatem.*

circiter

circiter septuaginta fratrum, obedientia & humilitate & omnibus aliis Euangelicis recte factis superabat.

Porro autem hoc quoque dicitur de conuersatione eius in hoc monasterio. Cum pistor hyeme aliquando vestes haberet madefactas, nec eas posset exsiccare ad Solem, relinquit, in clibano. Deinde oblitus se eas illic reliquisse vt exsiccaretur, cum vt repēte panis fieret esset opus, ipse Sabas & alij Monachi vnà cum pistore formentum commiscebant, & clibanū accēdebāt, intus relictis, vt diximus, vestibus. Flamma vero iam sublata, recordatus pistor quando nihil poterat efficere, flamma iam minante terribiliter, cor eius sauciabat tristitia & angebatur animo. Nō ferens autem Sabas videre fratrem qui ita angebatur, & ipse quoque internis nō minus ardens visceribus, corpus quidem contemnit & ignem despicit: munitus vero 4 signo crucis, continuo ita vt erat ingreditur clibanum. flammaq; conculcata sicut prius voluptate, seruat ex igne vestimenta. & ipse egreditur illæsus. non propter pietatem quidem ac religionē sicut olim adolescentes, sed potius propter amorem in fratrem, eum flamma optime reuerita. Hoc non solum eos qui aderant obstupefecit: sed Pauli quoque discipulum Sabam aperte ostēdit. Nam si propter solum fratris dolorem, nec carni parsit, & aduersus ignem suam ostendit audaciam, quomodo is recusasset esse à Christo anathema, vt possent alij esse salui? Qui ergo aderant, cum vidissent id quod factum fuerat, & ex iis ipsis ij qui ad maiorem gratiæ mensuram peruenerant, & ea accurate diudicare, poterant, quanta procedente tempore futura erat Sabæ virtus cogitātes, illi quidem de cætero magis animum adhibebant q̄ eius postularet adolescentia: iure autem Deo agebant gratias. Sed sunt hæ quidem narrationes conuersationis eius in Flauianis. vt ipse postea Gregorius patruelis illius mihi tradidit, non leuis aliquis & ei sola necessitudine coniūctus, sed etiam ex vita satis magnum afferens argumentum veritatis.

4 *Vide Crucis signaculo maximum patratum miraculum.*

Quædam autem in corde agitās, cum diuini desiderij nullum modum nosset nec satietatem in animo habebat 5 ire in sanctam ciuitatem, & contēplari loca sancta, lustrareq; & visere patres qui erant in solitudine: & ea frui quæ ex ipsis percipitur vtilitate, aut etiam incitatione eorum vitæ institutionis, ostēdere acriorem impetum ad virtutem Si enim malę consuetudines & congressiones possunt bonos mores corrumpere: quanto magis bonos mores bonæ adiuuabunt: & pulchre deducent ad viam quæ fert ad virtutem? Accedit itaq; ad Præfectum monasterij: & animum aperit: & ab eo petit vt liceat secedere. Ille vero non permittens, sed volēs imperare iuuentuti tam moderatæ & quæ admodum pulchram habebat animam, non audiebat obsecrantem: & peregre proficisci properantem nō dimittebat: & ipsum omnino conabatur detinere. Deinde cum ad eum è superis diuina quędam aduenisset visio, mandat vt Sabam dimittat, nec prohibeat quominus peregre proficiscatur. Ille ergo persuasus visione, eum dimisit: & inuitus volenti permittit vt exeat. Ille autem id quod desiderabat consecutus, & cum precibus illinc dimissus, Deo duce pulchri illius itineris, tendit Hierosolyma. cum in hoc quidem monasterio annos decem transegisset, ætatis vero ageret annum octauum decimum, quo Marcianus & Iuuenalis ambo pij ac religiosi, ille quidem ab Imperio, hic autem à Pontificatu, morte desistunt.

5 *Ecce peregrinationē ad loca sancta Hierusalem, contemplationis & lustrationis causa.*

Cum vero hyeme venisset Hierosolyma, & à quodam sene Cappadoce in monasterio sancti Pasarionis hospitio esset exceptus, tunc quidem apud ipsum hyemat. Postea autem aliis alio beatum trahentibus & vim afferentibus. vt qui ab illius virtute multo magis vicissim attraherentur, & vt apud se maneret vnoquoq; rogante, eo autem sene qui ipsum primo hospitio acceperat rogante ne recederet à monasterio, ille tanquam eius quæ Deo conuenienter agitur vitæ matrem quietem amans & silentium, non induxit in animum vt cum vllo quidem eorum cohabitaret: sed cum de magno accepisset Euthymio, virtus enim eius vbique prædicabatur, captus est vehementi desiderio cum eo congrediendi. est enim simile semper amicum simili. Et quoniam ille non secus ac hesperus, in solitudine quæ est ad orientem, clarus erat miraculis & doctrina, desiderabat Sabas frui luce bonorum Euthymij & cum eo lætari, & ali radiis illius virtutum, & non secus atque generosæ plantæ in anima & spiritaliter augeri. Atque ei quidem quod dictum est monasterio diuinus præerat Elpidius. Cùm hoc autem desiderio teneretur beatus Sabas, accedit, & id enuntiat beato Elpidio. Cum vero inuenisset eum quoque esse in eadem sententia, diuinus illius precibus acceptis pro alio viatico, ad magnum Euthymiũ tanquam filius ad patrem, non ex sanguine sed ex virtute potius trahens cognationem. accedit.

Cum ergo aliquot illic dies mansisset, ad synaxim de more eunte Euthymio, ad eius pedes procidit, rogans, supplicans, & obsecrans vt fieret eius ouis rationis particeps: & ab ipso pastore pasceretur cum aliis. Magnus autem Euthymius qui in exercendis pueris erat præstantissimus, vt qui omnium certaminum spiritalium fecerat periculum, cum vidisset Sabam adhuc iuuenem, dubitans ne ardor esset solum nõ habens rationis iudicium & grauitatem quæ ex ea proficiscitur, non prius permisit vt habitaret tum Monachis qui erant in laura, quam totam monasticam persecutus esset vitæ institutionem quæ est in cœnobio, & ostendisset eam quæ exigebatur absolutionem. Quinetiam ei dixit. Non conuenit oĩno ò fili, vt qui est iuuenis lauram habitet. Hoc enim neque lauræ vlla affert vtilitatem, neq; tibi expedit. Sed sine audias, ibis nunc in inferius monasterium ad Abbatem Theoctistum. apud quem scio fore vt tu maximam accipias vtilitatem. Cum beatus his acquieuisset Saba (Nam præter alia didicerat etiam obedientiam) & quæcunque ipse mandasset se prompto & alacri animo facturũ promisisset, ideo enim, aiebat, ad te confugi vt per te salutem assequar. eum cõtinuo illuc mittit ad beatum Theoctistum, iubens vt eius magnã curam gereret. Dicebat. n. se re uera videre in eo infusam spiritus copiosam gratiã: & eum non multo interiecto tpe sua gloria esse impleturum vniuersum orbem terræ, vera, inquam gloria & quæ nullũ finem sit habitura. Quæ quidẽ talem finem sunt consecuta, & ostenderunt esse veram illius prædictionem. Nã & ipse plurimam partem solitudinis effecit habitabilem: & lauram extruxit maximam earum quæ sunt in Palæstinà. & ab oĩbus qui vitam elegerant anachoreticam, tanquam pastor est agnitus, eis effectus regula ad sanctitatem. Nã & mores eis tradidit: & legem imposuit, doctus ab Euthymio, & seipso vtens exemplari, vt nullum imberbem in lauram admitterent. quod quidem & apud patres veteres fiebat: & diligenter ab illis obseruabatur.

Cũ ſic ergo diuinus Sabas fuiſſet in beati Theoctiſti poteſtate, ſeipſum totum pure Deo tradit: & totus in illius verſatur deſiderio. Cum autem ſciret eſſe duplicem ſui conſtitutionem, ex anima, inquam, & corpore, duplicem excogitauit etiam exercitationem: nunc quidem 6 corpore laborans: nunc autem anima. & nunc quidem dies tranſigens in laboribus corporis. nunc vero integras noctes in ſomnis peragens in precibus. Nunc aquam portans: nunc ligna ferens: & omnibus quibus fuerat creditum aliquod miniſterium, ſuſtinẽs illorum operationes. Erat enim cum animi fortitudine, procera quoq; corporis magnitudine, & admodum robuſtus. Et ipſe quidem alias alia ſubibat miniſteria, & ipſam etiam malorum curam. & ante omnes quidem veniebat ad ſynaxim: Poſt omnes autem rurſus recedebat. promptoq; & alacri animo diuino ſeruiebat miniſterio: & his omnibus veluti ſacram imponebat ſummam, obedientiam ſcilicet & moderationem. Quocirca hoc mirabatur vniuerſa multitudo Monachorum, q̃ ætatem tam teneram virtutum ornaret corona & perfectio. Cum vero quæ eſt ex Deo ſemita ęquabiliter & inoffenſe ab eo dirigeretur, eum aliquo modo ſupplãtare, & ne progrederetur ſiſtere conabatur malignus. etiamſi ille eum doloſe aggrediens & malitioſe, ab eo rurſus eſt repulſus generoſo & valde forti animo. Quiſnam autem fuit modus inſidiarum.

6 *Habes hic duplicem ſancti exercitationem, labores corporis, & longas orationes.*

Erat quidem Monachus genere Alexandrinus, nomine Ioãnes. Is iam longo tempore moleſtus erat beato Theoctiſto vt ei permitteret ire Alexandriam, vt paterna bona illic diſponeret. reſciuerat enim parentes paulo ante eſſe mortuos. Atque ille quidem vt volebat dimiſſus, petebat vt ſanctus Sabas eſſet ſibi ſocius itineris. vt quem ſciret eſſe generoſum ac ſtrenuum, & qui cuperet & poſſet eſſe particeps laborum aliorum. Cum beatus ergo Theoctiſtus annuiſſet Ioanni petitionem, Sabam quoq; emiſit. Hoc autem, vt diximus, fiebat arte maligni, vt ab eo qui eſt ex Deo curſu eum reprimeret: & in mundo & in iis quæ ad hunc mundum pertinent eum occuparet. Sed qui profunda & occulta aperit, non permiſit vt eius laterent inſidiæ. Nam cum ex Paleſtina profecti agerent Alexandriæ, & ambo occupati eſſent in quęrẽdis rebus Ioannis, agnoſcitur à parentibus Sabas admirabilis qui nuper illuc migrarant propter expeditionem, ſicut iam antè oſtendimus. Cum autem ſic euaſiſſet notus paternis oculis, fuit rurſus Sabæ principium ſecundum certaminum: & cum maiori tunc luctatus fuit neceſsitate q̃ quæ fuerat cum patruo & auunculo. Inſtabant enim parentes, quid non facientes, aut à qua arte & machinatione abſtinentes, vt Sabæ perſuaderent vt vellet cũ eis habitare: & de cætero apud eos degens, patris ſuſciperet militiam, & pro illo habitaret? Ille vero cũ eſſet celeris & acris ingenij, cognoſcit hoc fuiſſe excogitatum à maligno, vt parentum miſericordia relaxaret contentam eius exercitationẽ: & ſpiritalium rerum deſiderium redderet frigidius & eorum quidem amori ſapienter opponit Dei deſiderium. dicens ſe timere illud præceptum, quod illos ſtatuit eo eſſe indignos qui deſiderium parentum ei præferunt, & nõ crucem ſuſtulerunt & eũ ſunt ſecuti. Mundanæ autem huic militiæ, vere angelicam & diuinam: Si terreſtris Regis miles, dicens, qui conſpectus fuit ordinem deferere, magnas luit pœnas: quantũ eſt periculum, ſi qui 7 eius qui eſt vere rex miles effectus, & in numeros illius adſcriptus, proprium ordinem reliquerit: & tam paruam militiam ea permutauerit? Illud tan-

7 *Vides nõ debere monachum etiam pro-*

pter parentes à religione deficere, et institutum suum deserere?

dem adiecit iis quæ dicta fuerant, ꝙ nec eos quidem de cętero parentes vocare sustinuerit, si eos amplius viderit rogantes & contendentes vt à pulchra illa deficiat militia.

Cum nescirent ergo parentes quid agerent, cesserunt filij constantiæ & tandem vel inuiti concesserunt quidē vt abiret. eum autem vehementer rogarunt, vt suæ pecuniæ acciperent aliquid ad parandum viaticum quo opus habet peregrinatio. Atque illi quidem prōpto & alacri animo Sabæ præbebant viginti aureos: ipse vix tribus acceptis, eisq́ꝫ, ꝙ rogarēt parentes, ne eos despiceret, soluit Alexandria vnà cum Ioanne. Quòd aūt propter parentes eos tres aureos acceperit, non est procul quærenda probatio. Cum enim iam venisset in monasterium, eos ferens dat in manus

8 Theoctisto, ipse nihil volens habere 8 proprium: & alioqui ne malignus hinc acciperet occasionem suggerendi ei cogitationē auaritiæ. Iam vero decem annos illic diuinus transegerat Saba: & beatus è viuis excesserat Theoctistus. quem cum sancte magnus sepeliisset Euthymius, pro illo quendam Marin, virum non parui faciendum, elegit præfectum monasterij. Cum autem is duos annos vixisset post susceptam præfecturā monasterij, è vita excedit. post quem diuinus Euthymius cuidam Longino viro bono monasterij committit rectionem. Illo autem tempore admirabilis Sabas iam triginta annos natus, cū resplenduisset in vniuersa monasticæ vitę institutione, & obiisset omnem rationem exercitationis, capitur amore solitudinis & cum nō posset ferre vim desiderij, accedit ad Longinum, petens quē desiderabat secessum. Ille vero, nesciebat enim quomodo hoc ei ex se permitteret, de eo refert ad magnum Euthymium. Is autem cum oppletas haberet aures Sabæ virtutibus, quinetiam ipse quoqꝫ recte sciret viri perfectionem, & in rebus spiritalibus ardorem & constantiam, continuo rescribit ad Longinum, ne ei esset impedimento quominus suum exequeretur institutum. sed ei permitteret vti quiete & silētio quinqꝫ dies hebdomadę. Sciebat enim fore vt omnino recte vteretur solitudine, & haberet occasionem ad Deum ascensionis. Sic ergo ei permisso silentio, cōpos iam effectus eius quod desiderabat, ingressus est monasterij spelūcam quæ

9 vergit ad austrum, quinqꝫ quidem dies hebdomadæ intus degens, 9 & nihil cibi sumens: sed solum vacans precationi & labori manuū. Sabbato autem egrediens, & seipsum superans in accessione eius quod est melius, & quinquaginta numero confectas sportas, quas solent vocare μαλάκια, afferens: Die autem dominico cum collegisset tot ramos palmarum quot sciebat sibi in hebdomada sufficere ad operandum, ingrediebatur speluncā. Et hoc modo perpetuos quinqꝫ annos se exercuit.

8 Ecce quomodo veri monachi nihil volūt habere proprium.

9 Nota miram à cibo abstinentiam, nota assiduas precationes cum opere manuū.

Deinde diuinus Euthymius cum eum vidisset sic viuentē, eum sumpsit cum Domiciano socium decertationis ad certamina quę suscipienda erant in solitudine, cum de eius mente factus esse certior, & eum vocaret παιδαριογέροντα, id est puerum senem, & vt qui exercitationis esset preceptor optimus, ad sublimiores eum virtutes exerceret. Et quoniam consueuerat admirabilis Euthymius decimo quarto mensis Ianuarij egredi cum Domitiano in vastam solitudinem Rubæ, & illic transigere sanctissimos dies ieiuniorum, egressus quidem est vt consueuerat. Ei autem aderant Domitianus & Sabas, ingrediebantur vero per solitudinem quæ vergit ad meridiem, vltra mare mortuum. & cum iter diu produceretur, ipsa solitudo

quæ

quæ est & arida & aquæ expers, & reipsa ab omni re deserta, Sabæ sitim accendebat vehementem: & viæ prolixitate & siccitate efficiebat vt iam defatigaretur & deficeret: neque pedibus vti posset ad ingrediẽdum. Atq; ille quidem cùm defecisset humi iacebat, nescio an naturali aliqua ratione vt solet fieri iis quæ sunt huiusmodi, propter magnam calidi frequentiam consumpto humido. an quod Deus vellet ostendere Sabę adhuc opus esse maiori fortitudine. Iacebat vero parua, vt ita dicam, viuens parte animę, & iam aperte ostendẽs se deficere. Cùm eum autem sic affectum magnus vidisset Euthymius, & ipse non minus esset animo perturbatus, parum quidem ab eo recedit: humi vero procidit. & cum cor ad Deum sustulisset, Domine Deus, inquit, da aquam in terra sitienti, iam deficientem iuuenis huius consolans animam. Sic dixit, & cum Sabam protinus accersiuisset, ter fodit ligone: & terra vim sensit diuiniorem: & paruit nutibus qui sub aspectum non cadebant. & quæ erat deserta & aquæ expers, aquam genuit. & protinus aquam emisit limpidissimam & maxime potabilem Sabas autem cum illam bibisset, tunc restinxit sitim, & satis est recreatus: & latenter vim accepit diuinam, adeò vt de cætero alacriter ferre posset difficultatem solitudinis.

Orās S. Euthymius humi procidens fontem aquæ à Deo impetrat in solitudine.

Cum sic ergo S. Saba se gereret in solitudine, & magnum imitari Euthymium, & tanq̃ ad exemplar archetypum, ad illius vitam intueri studeret diligentissima, parum temporis intercessit, & cum ille magnus virtute Euthymius ibidem obdormiisset, verè beatam quietem est assecutus. Sed cum post illius decessum monasterium otio & socordiæ paulatim se dedisset, longo tempore aufugit beatus Sabas, & habitabat in solitudine, cum Gerasimus eam quæ est circa Iordanem solitudinem, non secus atq; stella illuminaret. Sabas vero tunc attigerat tricesimum quintum annum suæ ętatis: iam autem aduersus eum cœpit bellum Dæmonũ, non obscure nec latenter, sed aperte & ita vt oculis cernerentur eum inuadentium. Nã cum illam Deo gratam moram traheret in solitudine, esset autem nox media, humi vero accumbebat vt labores parumper remitteret, videt quosdã Dæmones qui storpiorum. s. & serpentum speciem erant imitati & eum inuadebant, & omnibus modis tentabant eum perterrefacere. Atque primum quidem parum veretur: Deinde cũ cito intellexisset cuiusnam esset machinatio, audacter surgit ad precationem, & in eius lingua versatur psalmus. Hoc aũt erat quod canebatur. Non timebis à timore nocturno. Sed super aspidem & basiliscũ ambulabis. Talibus armis vtebatur Saba aduersus Dæmones. Solummodo ergo sic locutus est Sabas, & venenata illa animalia tanquam fumus statim euanuerant: & dissolutum est visum in aërem.

Cum aliquot autem dies deinceps intercessissent, rursus eum adoritur Satanas, Leonis formam suscipiens, toruéq; & furiose intuens, & tanquã qui impetum esset in eum facturus, impetum vero rursus sustinens & vitans congressionem. Ille autem cum cognouisset esse maligni insultum, & ideo visione minime esset conturbatus. Si accepisti, inquit, contra me potestatem, cur reprimis impetum? Ego sum paratus, Dei cedẽs nutibus, & non inuitum me offerens vt deuorer. Sin minus, cur fremis & exultas inaniter? Ambulabo enim & conculcabo te Leonem, munitus Christi virtute. Hæc dixit diuinus Sabas: & protinus aufugit belua quæ latebat

ſub ſpecie Leonis: omnes autem feræ ab illo tempore fuerunt magis manſuetæ & obedientes: adeò vt ipſe vnà cum eis verſaretur: & nihil omnino læderetur à cohabitatione. Cum vero ſic ſe generet Sabas, & prætereunti in via quatuor occurrunt Agareni qui fame valde laborabant, & indigentia vehementer erant afflicti. Cum autem iam propius acceſsiſſent, illi quidem qui fame vrgebantur, eum diligenter circũſpiciebant, & ſcrutabãtur, & naribus quodammodo odorabantur an aliquid cibi afferret. Illi vero, ò miſericordiam & paternum animum, placidis eos intuens oculis, cum nihil haberet aliud quo ipſos aleret eſurientes, ea quibus ipſe alebatur in commune propoſuit. & extenſa ſtatim pelle ouilla, meleagriorum radicibus & arundinum, cordibus eos excepit. Mirati autem barbari eius promptum & liberalem animum, tunc quidem vrgentem famem, vt licuit, ſedarunt. Poſtea vero remunerantes eius hoſpitalitatem (ad talem enim ſimplicitatem & benignitatem vel feræ ipſe placide aſpexiſſent, non ſolũ animi hominum quibus eſt à natura inſita manſuetudo) venerunt afferentes caſeos & dactylos. Ille autem, qui ſicut apes laborioſæ, ſciebat ex omni parte colligere id quod eſt vtile, ex eo cepit occaſionem maioris modeſtiæ: & ad ſui condemnationem & compunctionem deuenit vehementiorem. Hei mihi, dicens, ò anima. ecce enim hi quidem barbari vel parui illius noſtri fuere memores beneficij & referre gratiam ſtuduerunt tam preclare & munifice. Nos autem qui quotidie fruimur bonis creatoris, nullam ei ſtudemus vicisſim referre gratiam per mandatorum obſeruationem. Quænam ergo de cætero excuſatio, quænam nobis dabitur venia? & ſic multos dies compungebatur animo. Sed hæc quidem facta ſunt à Saba admirabili cum degeret ſolus in ſolitudine.

Poſtea autem accedit ad eum quidam Monachus nomine Anthus, vir amicus virtutis, qui ipſe quoq; longo tempore verſatus fuerat cum beato Theodoſio. Is cum Saba vinculis ſpiritus tunc colligatus, permanſit de cætero ab illo inſeparabilis. Cum vero ſic eſſent inter ſe coniuncti eos inuadunt quidam Agareni plane barbari & animo malignisſimi. qui quidẽ volentes honeſtam accipere occaſionem, vt perinde ac iniuria affecti ſe viderentur vlciſci, non autem priores facere iniuriam, mittunt ad ſanctos vnum ex ſuis veluti quandam eſcam, vt ſi illi vel minimum impetum feciſſent in eum qui miſſus fuerat, ipſi ambos inuaderent ei interficerent. Non enim ex animo illorum, ſed ex ſeipſis vniuerſum iudicabant. ſimiliter eſſe moribus barbaris ſanctos exiſtimantes. Ille vero cum periculũ protinus preuidiſſent, nulla re alia q̃ ea in qua ſola poterant confidere, nempe precatione, aduerſus eos armabantur. & cũ ſimul inclinaſſent & ¶ I genua & animos, Deum rogabant ardentisſime vt liberarentur ab illorum inſidiis. Hi in curribus Domine, dicentes & hi in equis. Nos autem in nomine tuo magnificabimur. Quoniam non in fortitudine equorum nec in tibiis virorum delectaris. ſed in contritione cordis & humilitate nomen tuum inuocantibus. Sic finem acceperunt eorum preces, & terra dehiſcẽs quomodo olim Dathan, ita etiam tentatorem illum qui ad eos miſſus fuerat, in aliorum conſpectu deuorauit. Cum autem illud nouum vidiſſent miraculum, ſtatim magno timore afficiuntur, & ſe conücientes in pedes, longe recedunt. Ab illo vero tempore diuina à ſuperis ad Sabam adueniens gratia ita eum affecit, vt deinceps nihil faceret barbarorum inſidias:

¶ I *Et hic habes orationem cum genuflexione, & illius miram exauditionem.*

& non solum ab eis non vinceretur sed ne terreretur quidem penitus.

Sed tunc quidem primũ diuinus hic Sabas euadit motus beato Theodosio, cum eis ad hanc cognitionem Anthus pulchre intercessisset. Deinde autem etiam solitudinem facit Sabas habitabilem: & Lauram in ea construit. quam omnium clarissimam & maximam, & virtus & multitudo eorum qui in ipsa habitabant, breui tempore effecerunt. Verumenimuero operępretium est repetere vndenam & quēadmodum constituta sit laura, & quisnam locum ostenderit, & mandauerit illic iaci fundamentum. Iã quatuor annos transegerat hic admirabilis Sabas in solitudine. Cũ fuisset autem aliquando in excelso illo colle, in quo celeberrimi Theodosii doctrinæ fructum percepisse dicitur beata Imperatrix Eudocia, in consueta precatione 12 pernoctans, videt visionem quandam admirabilem, splendore coruscantem & veste lucida, ei ostendentem torrentem qui à Silöe defluit ad austrum: & denuntiantem vt habitaret torrẽtis speluncam quæ vergit ad Orientem: & ei pollicentem auxilium ex sancto, & alimentum ab eo qui vel ipsis iumentis producit fœnum. Et fuit quidem visio eiusmodi. Ipse autem magna ex visione affectus lætitia, cum statim è colle descendisset, quadam diuina & sapiente prouidentia, tanq̃ ab aliqua dextera, deducitur vsque ad speluncam. Quadragesimo itaq; anno suæ ętatis cœpit habitare hanc speluncam, quando Anastasius quidem Archiepiscopus Hierosolymitanus cũ implesset decimum annum sui patriarchatus, cum eo vita quoq; excessit, sui pontificatus successore relicto Martyrio. Zeno vero Imperator Romanorum, interẽpto Tyranno Basilisco, cum is viginti menses obtinuisset tyrannidem, rursus accepit imperium.

12 *In consueta precatione pernoctans.*

Cum hanc ergo speluncam habitasset magnus Sabas, q̃m ea in ascensu magnam habebat difficultatem, quãdo vellet egredi aquatum, fons enim distabat quinquaginta stadia, qui nominatur heptastomus, ab eo desuper appendens finem, sic suum ascensum & descensum effecit faciliorem. Cum is autem rerum necessariarum nullam aliam curam gereret, sed contentus esset herbis quę nascebantur propter speluncam, Deus qui mandauit Sabę vt subiret speluncam, ipse ea quæ promissa fuerant deducit ad exitum. Q̃uo enim Eliæ prophetę qui olim ingressus erat montem Sidoniæ, & seipsum abscondebat: ita nunc quoq; mittit ad iustum eos qui res necessarias erãt suppeditaturi, nisi q; ad illum quidem coruum: ad hunc autem, quosdam homines, licet barbaros, mites tamen & moderatos, & qui nihil aliud ęque sciebant ac virtutem habere in honore. qui ipsi quoq; tanq̃ ab aliquo quem non videbant manu ducti, recta perueniunt ad speluncam. & cum per quendam funiculum ascendissent ad sanctum, vbi viderunt illic vitam plane illaboratam, & nulla omnino suppellectile instructam, nec vllis ornatam vtensilibus, virtutem adeò iure sunt admirati, vt magnifacerent vel illius solum seruire ministeriis. Sibiipsis quidem certe imponunt veluti voluntaria quædam vectigalia, vt certis quibusdã diebus illuc venientes ad illum afferrent caseos & panem & dactylos, etsi quid erat aliud ad vsum necessarium, Deo hæc sapienter contexente & admirabiliter, vt Sabæ minimè deessent necessaria: & iis qui ea afferebant magnam conciliaret mercedem ea suppeditatio. Atq; quinque quidem annos sic Saba transegit in spelunca, solus cum solo Deo conuersans, & fruens bono quietis ac silentij. Quinto vero anno iam desinente, simul etiam de-

ἑπτάστομας, septẽ habẽs ostia.

fecerunt in eum maligni artes & machinationes. qui verso tergo turpiter fugiebat cum suis satellitibus & Dæmonibus: & nec virum quidē amplius intueri poterat.

Cum autem iam sic esset securus à Dæmonibus, nec ei molestia afferretur ab hominibus, quietisq; & silentij esset amator vehemens, attamen cum non solum quæreret quod suum erat, sed etiam curam gereret salutis aliorum, imo verò cum hoc etiam ei iussisset Deus, dedit se solicitudinibus & priuatus fuit silentio, reipsa implens id quod dictū fuerat à Propheta. Conscindite gladios vestros in aratra, & lanceas in falces. iubens iis qui ad perfectum boni habitum peruenerant, & iam hostes fugarant ac profligarant, transire ad colendos agros animæ fratrum nimium syluescentes, easq; mūdanos & reddendos fertiles fructus spiritus. Agebat autem tunc ætatis annum quadragesimum quintum. Multis vero ex multis locis illuc confluentibus, & maxime quicūque à mundo & ab omnibus quæ sunt mundi recedentes, in monte versari elegerāt, admirabilis ille grex celeriter augebatur: beato Saba cum alia spiritali eorū cura aptum quoq; locum vnicuiq; deputante ad cellarum ædificationem. Quamobrem videre licebat viros circiter septuaginta numero omnes breui ad ipsum conuenisse, omnes diuinos & à Deo inspiratos, & qui Christi mandata accurate seruabant, implentes quendam secundum chorum septuagenarij numeri Apostolorum: aut Angelorum ecclesia & Dominum laudantium. Inter quos erat quidem Ioannes qui nouæ postea lauræ præfuit. erat aūt Iacobus quoq; qui lauram pyrgiorum ędificauit in Iordane: Firminusq; & Seuerianus. Ex quibus alter quidem ædificauit Lauram quæ est in Malischa: alter verò monasterium quod est in Maricha. & Iulianus Opifex Lauræ quæ est in Iordane quæ nominatur Elceraba. & reliquorum sanctorum catalogus, quorum singulorum meminisse, & eos nominatim persequi, propter multitudinem recusat oratio.

Cū eos ergo omnes diuini Sabæ virtus quauis tuba acutius clariusq; procul inuocasset, illic quoq; statuit maximam lauram constituere. vt per hanc solitudinem eis compararet supernam Hierusalem. Et primum quidem in colle qui est in fontibus torrentis qui sunt ad boream, turrim ędificat. Deinde verò inter torrentem domum excitat oratoriam. & cum in ea sacram mensam statuisset, & templum dedicasset, cum videret ex sacratis aliquem ad eū accedentem, eum faciebat in eo 13 diuinū celebrare mysterium: ipse propter 14 magnam in Deum reuerentiā, modestiamq; insignem & humilitatem rem fugiens, & omnibus modis differens Sacerdotium. Cum tēplum autem sic excitasset & Lauram illic constituisset, in cura gerenda fratrum deinceps studium & operam ponebat. Vt vero qui esset acuto & subtili ingenio, & peruasisset omnem formam & rationem exercitationis, in illos se admodum apte gerebat & congruēter. alios quidem adhortans. alios verò admonens. alios autem increpans. & oēs, vt semel dicā, generose ac strenue resistere maligni artibus efficiens: & non pusillo & abiecto animo ferre labores solitudinis: neq; in animi cadere angorem, quod quidem aperte est ars maligni: sed spe futurorum confirmari ac roborari. ab angore enim vinci & tristitia, & defatigari in laboribus, est animi plane mollis & effœminati, & qui non habet viriles & generosos spiritus. His & similibus vtens ad eos admonendos, effecit discipulos

13 *Diuinum mysteriū nuncupat Missæ celebrationem.*

14 *Si ob diuinam reuerentiam & insignē sui modestiam differebat fieri sacerdos, nō omnes fideles ex æquo sunt sacerdotes ut dicunt hæretici.*

supe-

superiores quauis difficultate. quidquid intercedebat asperum & vllam afferebat offensionem dissoluens, & faciens eos maligni tela superuolare: et leues eis pennas faciens ad virtutem. In rebus autem necessariis & quę vsum requirebant ineuitabilem, & precibus eos sæpe adiuuabat, & clanculum eis opem ferebat. ne si plus quam possent ferre tentassent, tandem defatigarentur. quod quidem euestigio declarabit oratio.

Nam procul quidem à spelunca, vt iam prius diximus, fluebat aqua. Hoc vero male habebat Monachos: & in ea importanda magna afficiebantur molestia. Ille ergo beatus non sustinens eos videre id tam moleste ferre, se tunc noctu dedens 15 precationi, Deum orauit vehementissime, dicens. Domine Deus noster, Si res est tuæ ineffabilis sapientiæ prouidentia: Si hoc est omnino tuæ bonæ voluntatis & gratiæ, vt præsens locus habitetur & floreat hominibus sanctum tuum nomen ferentibus, ipse nunc quoque nos intuere propitius, & alicũde nobis aqua scaturiat ad nos reficiendos & refrigerandos. Sic precatus est, & quidam sonus statim eius pulsat aures. Videbatur autem sonus inferente emitti ex torrente, & cum despexisset, luna iam illustrante terram plenissimo lumine, videt quendã onagrum vngula pulsantem solum & fodientem: Deinde postquam terram satis fodisset & cauasset, ore fossæ imposito bibentem. Ille itaque id quod erat consentaneum reputans, Deum ipsos visitasse, statim descendit vbi vidit onagrum fodientem. Cum aũt ipse quoque parum fodisset, ô ineffabilem tuam Christe gratiam, inuenit aquam quę emittebatur ex terræ visceribus. quæ ab illo tempore vsque in hodiernum diem fluit per mediam lauram, & neque crescit hyeme, nec deficit ęstate. idque cum hauriatur fere ab omnibus qui sunt in regione.

15 Orationes sanctus aquã à Deo ĩpetrat.

Rursus vero cum is aliquando solus noctu deambularet circa torrẽte, & Psalmos caneret Dauidicos, ei apparet columna ignis apud ipsum præcipitium quod erat diruptum ad occidentem torrentis. Videbatur aũt columna in terra quidem fixa, capite vero cœlos tangere. Cum ille ergo hoc vidisset, scalæ quę olim apparuit Iacob, & illius terriblis recordatur visionis. & statim eum inuasit timor commixtus lætitia, vt qui dignus esset habitus rebus tam magnis & tam arcanis. Cum ergo perseuerasset in oratione donec luceret lux diei, pergit versus orientem vbi ab eo visa fuerat columna ignis & offendit quoddam magnum & diuinum antrũ, quod seruabat effigiem templi Dei. Ad orientem enim erat quædam concha, quæ non humanæ sed diuinę manus videbatur esse opus. In eo autẽ à tergo erat apertus latus quidam ingressus. Solis vero radius illinc influens implebat domum copioso lumine: & suauem intus pręebat aerem & valde bene temperatum vsum implẽs Diaconici. Cum sic ergo ædem illam inuenisset diuinam non manufacta ornatam pulchritudine, & ipse quoque pro viribus in eo artificiose fuisset fabricatus, & naturali pulchritudini adiecisset artis elegantiam, constituit Sabas vt Sabbatis & diebus dominicis in eo consueta fieret glorificatio. Cum autem vidisset quãdam petram quæ templum supereminebat, ipse quidem eam delegit ad habitãdum Cum vero vellet semper manere in hoc diuino templo: & rursus ne eius quies & silentium cõturbaret prouideret, illud sua sponte constructũ tectum Diaconici insculpit. & quandam illinc cochleam quę sub turre latebat ædificat vsque ad petram. per quam assidue cum grata quiete &

ſilentio latens veniebat ad eccleſiam. Templum autem conſecrare, vt par erat, differebat vt qui nec ipſe auderet ſuſcipere dignitatem ſacerdotij: nec alicui alij ex iis quibus præerat rem permittebat. Ita enim ſtatuebat Sacerdotium eſſe ſemper Monachis cauſam ambitionis. Atque talis quidem fuit viſio: diuinum illud templum Sabæ eſt reuelatum.

Cum autem multitudo Monachorum quotidianis creſceret acceſsionibus, & breui perueniſſet ad numerum centum & quinquaginta, aucta quoque eſt ex vtraque parte torrentis cellarum ædificatio. & Sabæ cura & diligentia perfectum eſt, vt & iumēta ad miniſteriū, & alia quæ ſunt apta ad vſum corporis, poſsiderent Monachi. ne neceſſariarū rerū indigētia, eis, ſæpe ſpecie pulchra & honeſta eſſet occaſio pergendi ad mundum, neglecta quiete & ſilentio. Cum ergo eius fama breui tempore in omnē partem peruaſiſſet, multi ad eum veniebant cum multis pecuniis, quod illi præbuiſſent hoc ſolum lucri facere arbitrantes, & id tutto ſe habere reputantes. Has autem diuinus accipiens Sabas, non immiſit in crumenas, nec abſcondit in penetralibus: ſed conſumpſit ad fabricanda ædificia Monachis conuenientia, & ad ſuppeditanda alia quæ erant eis vſui. maxime cum etiam Martyrius qui tunc ſedem otinebat pontificiant, eſſet in eum optime affectus ei familiaritate coniunctus, & eumq; & revereretur & in magno honore haberet. Sed cū Patriarcha octauo anno ſui Pontificatus è vita exceſsiſſet, & Saluſtius ſedem poſt illū accepiſſet, iam quadrageſimum octauum ætatis annū agente beato Sabas, quidam ex laura prauis animis, menteq; peruerſa & illiberali, qui plane erant carnes, & vt cum diuina dicam ſcriptura, ſpiritum non habebant, qui parum curantes exercere linguam ad canendum cantica Dauidica, eam diligenter exercuerunt vt mouerent aduerſus Præfactum. & pacifica apud eum dicentes, nam hoc quoque eſt Dauidis, ad itam dolos cogitabant. Nam cum frumento ſæpæ etiam naſcuntur zizania, ſicut rubus in vinea. & ex Diſcipulis cernitur vnus proditor. & Eliſſæi diſcipulus erat Gieze. & Eſau conſtat fuiſſe fratrem Iacob, & Cain Abelis.

Seditioſi ergo iſti (oportet enim nō ex nominibus ſed ex ſtudiis potius illos vocare) mala meditatens aduerſus diuinum Sabam, veniunt in ſanctam ciuitatem, & ad Saluſtium Epiſcopū līguis doloſis, aut vt melius dicam cordibus, accedentes, eum quærebant qui eſſet eis præfuturus. Ille autem cum eſſet ſapiens & aures nō haberet faciles nec ea admitteret niſi prius examinata, accurate rogauit quinam eſſent & vnde. Illi vero dicebant ſe habitare propter quendam torrentem, & illic peragere certamina exercitationis, celantes nomen Sabæ. Sciebant enim eum ex virtute notū eſſe omnibus: quomodo ipſi ſtudium ponebant vt ex vitio cognoſcerētur ab omnibus. Cum ij autem ſæpe rogarentur vt dicerent cuiuſnam eſſet ttorrens & quomodo vocaretur, cum non poſſent effugere interrogationē, Qui ab aliquibus, dixerunt, vocatur torrens Sabæ. Ille autem cum intellexiſſet eum eſſe præfectum, aduerſus quem iſti ſtruebant calumniam, rogauit rurſus vbi eſt hic Sabas. Illi verò mittentes reſpondere ad propoſitum ò arrogantiam & amentiam, dixerunt eum non poſſe ſufficere curæ de tam multis ſuſcipiendæ propeer ſimplicitatem nimiam & ruſticitatē. lenitatem. illius & moderationem ſimplicitatem vocantes improbi. eo q; nollet hic populus, vt admirandus dixit Eſaias, aquam Siloe quæ fluit

silentio. Porrò autem illud quoque adiderunt accusationi, nempe nimiam in suscipiendo Sacerdotio cautionem, dicentes neque ipsum velle esse Sacerdotem, neque alteri vt fiat Sacerdos concedere. Sed hæc quidem illi. Quiricus vero quidam Sacerdos, & virtutis amator ardentissimus, cũ tunc adesset apud Episcopum, & quæ dicta sunt audiuisset, Quid vero, inquit, vos, primi Sabam suscepistis, an ille vos? Cum illi autem respõdissent illum quidem ipsos suscepisse & congregasse, eis vero regendis cũ minime nunc sufficere qui in magnam ceruissent multitudinem, cum esset, agrestior & simplex. Excipiens rursus Quiricus, Si ille, inquit, vos ab initio congregauit, & locum qui erat desertus construxit ad habitandum: quanto magis & ipsum locum iam constructum & habitatum, & vos quim vnum estis congregati erit is aptus ad regendum? Qui enim in iis quæ erant magis dificilia opem tulit Deus, ipse etiam omnio adiuuabit in iis quæ sunt minus laboriosa. & facilem & reddet præfecturam & administrationem. Ad hæc illos qui pacem oderant, cum quibus erat Sabas pacificus, & clam de proximo illiberaliter detrahebant, cum nihil possent respõdere, tunc dimisit Episcopus, Considerate, inquit, in presentia: crastino autem die accuratius de his inquiremus. Et statim quidẽ accersit beatum Sabam nescientem cur esset accersitus. Porrò vero eos quoque adducit, ad probandum quidem, vt putabant, suam accusationem: & ad expellẽdum Sabã à rectione. vt autem rei ostendit exitus, ad ora potius eis obruenda & omnem auferendam sermonis occasionem. Nam postquam adstiterũt, rectus ille & incoruptus Iudex, nihil illis omnino dicens, non arguens, neque alio egens testimonio, vt qui de virtute Sabæ optime esset certior factus, et ab ea iam esset satis persuasus, eum quidẽ ordinat 16 Sacerdotẽ in conspectu omnium. hac autem apud eos vtitur admonitione: Ecce, inquit, habetis vestrum patrem & lauræ vstræ præfectum. quem Deus desuper & non homo elegit. Nos vero solum spiritui sancto manus commodauimus, non ipsum sed nos potius ipsos afficiẽtes beneficio. Sic dixit. & cum statim assumpsisset beatum Sabam & ipsos seditiosos, et pium ac religiosum qui tunc aderat. Quiricum, cum eis in Lauram proficiscitur & primum quidem sanctum illud templum 17 cõsecrat. Deinde etiam aram in eo constituit. & gloriosorum Christi martytum illic multas recondit reliquias.

16 *Ecce quomodo de more catholicæ ecclesiæ Sacerdos ab Epõ cum manuum impositione ordinatur.*

17 *Patriarcha tẽplum dedicat, aram in eo constituit, & gloriosum martyrum reliquias illic collocat. Quæ omnia etiam hodie obseruantur.*

Atque tunc quidem agebat Sabas quinquagesimum tertium annum suæ ætatis quo tempore Anastasius quidem sedem tenebat imperatoriam cum è viuis iam excessisset zeno: eodem autem anno ad Lauram accedit vir quidam diuinus, quem dona decorabant spiritalia, genere Armenius, nomine Hieremias. quem duo quoque sequebantur Discipuli qui vocabantur Petrus & Paulus, qui cognoscebantur eius vitam aperte referre & exprimere. Ex his vero Paulus cum lõgo tẽpore in Laura fuisset superstes, & admirabiils Sabæ rerum gestarum accuraram accepisset experiẽtiam, iis quoq; qui sunt eum secuti multa narrauit: quorum plurima sita sunt in præsenti Sabæ vita Cum hi ergo ad Lauram accessissent, magnam ex iis voluptatem accepit beatus Sabas: & tũc paruam cellam ad borealem speluncæ partem, in qua ille prius versabatur in excercitatione, quando solus terrentem incolebat, eis tribuit, & eis paruum reliquit oratorium, vt diebus dominicis & sabbatis sua lingua consuetam peragerent

glorificationem. ex quibus etiam auctum est in laura genus Armeniorũ. Cum itaque Hieremias & qui cum ipso erant ita ventitassent ad lauram, diuinus quoque Episcopus & silentiarius Ioannes eorum vestigia sequẽs eodem accedit, iam agens tricesimum octauum annum ętatis. cuius angelicam in carne vitam in suum tempus reseruat oratio. in pręsentia autem immorabor in bonis beati Sabæ. Hæc enim de eo dicit insignis ille virtute Ioannes, qui fuit ipse quoque vnus ex Monachis lauræ, ꝙ illi quidem magno esset studio vt se in omnibus gereret sicut magnus Euthymius, & eius vteretur vita tanquam exemplari aliquo.

Cum itaque soleret Eutymius quarto decimo Ianuarij semper proficisci in vastam solitudinem, & illic versari in diuinis diebus 18 ieiuniorũ, nullum se videndum prębens & neminem alloquens, hoc quoque solebat beatus Sabas facere consequenter, tempore solum parum mutato, quãdoquidem ille quartodecimo sicut diximus, hic autem vicesimo die mensis secedebat. Nam post diuini Antonij memoriam, magni Euthymij diem festum 19 vicesimo die mensis celebrans Sabas, sic se conferebat ad solitudinem. & illic morabatur vsque ad festum 20 palmarum, non secus atque ille, se purum conseruans ab oĩ humana congressione. Et sic quidem semper faciebat vnoquoque anno vertente. Cum mortuum autem mare aliquando obiret, & in eo paruam quandam vidisset insulam admodum desertam & horridam, eius quidem statim captus fuit amore. animũ vero induxit. in ea perferre dies ieiuniorum. Inter eundum autem Dæmonis inuidia cecidit in quandam fossam, quæ ex fornace cum igne emittebat caliginem fuitq́ȝ ei vltus & barba exusta, & multæ alię partes corporis. adeo vt cum multis post diebus redisset ad lauram, signis tantum suorũ morum & voce, iisq́ȝ valde exiliter & obscure agnosceretur. eius forma omnino mutata, barbaq́ȝ effecta rariore. Nam nec loqui quidem omnino poterat, donec vis quędam diuina eum visitans à superis ei vires immisit aduersus malos spiritus, infirmumq́ȝ & languentẽ renouauit ac recreauit. Propter barbæ autem rare factionem Deo quoque Sabas egit gratias, vt qui modestiæ ei causam prebuerit, ne propter barbę densitatem sibi nimis placeret.

18 Nota ieiunium Quadragesimæ semper fuisse in magna ueneratione.

19 Sabas celebrabat festum magni Euthymij.

20 Festum palmarum.

Porrò autem hoc quoque de eo dictum est à beato Ioanne, ꝙ rursus quidem vertisset annus ille vero cum assumpsisset vnum ex discipulis cui nomen erat Agapetus, pro amore exibat in solitudinem. Non multi itque dies præterierãt: & Agapetus quidem cum se somno dedisset, supinus iacebat, confectus labore & inedia. Vigilans 21 autem Sabas & vacans orationi, videt quendam leonem iacenti Discipulo astantem, & occulti leonis imaginem quodammodo referentem, & deinde ipsum in orbem obeuntem, & omni ex parte odorantẽ. Ille vero cum hoc vidisset, valde suo timuit Discipulo: & cor eius cœpit vehementer trepidare: & pro eo ardentem fudit precationem: & statim fuit leo trophæum orationis, & se proripuit in fugã Dicipulo nihil lœso, nisi quod cauda solum sensim eius vultum percussit & eum à somno excitauit. Atque ille quidẽ apertis oculis cum vidisset leonem caligans confugit ad Sabam. Is autem primũ quidem eum metu liberat: deinde etiam admonet, ne tam facile vincantur à somno & socordia, ne capiatur ab his feris & multo magis ab ijs quæ sub obtutum non cadunt.

21 Ecce vigilias & orationẽ eiusq́; fructus.

Iam

Iam verò hoc quoque rebus Sabæ addit pręclarus Ioannes, ꝙ cum de more esset iturus in vastam solitudinem, Agapeto pellem tradit ouillam & panes siccos ad eius vsum. Nam ipse Sabas toto ieiuniorum tempore erat 22 ieiunus, nihil omnino cibi attingens, nisi ꝙ sabbatis & diebus dominicis diuina sumebat sacramenta. Ineuntes autem viam quæ ducit ad Iordanem, & eius eam partem quæ vergit ad septentrionem, inueniūt locum quendam præruptum & pręcipitem. in cuius cacumine erat quędā spelunca aditu difficilis. ad quam cum non sine maxima difficultate per uenissent, Deo vtiq; Sabam ad hanc latenter attrahēte, inueniūt quendam Monachum, qui vtebatur vita ab omni præparatione aliena & plane anachoretica. erat vero is dignus habitus gratia perspiciendi. De more ergo factis precibus cum sermones cepissent conferre, rogauit, inquit, Sabā Anachoreta cum admiratione, etiam nomen adiiciens. Vndenam, dicens, motus, ò admirande Saba, aut quonam tibi locum indicante ad nos venisti? Ecce enim iam Dei gratia hic annos egi quadraginta, duobus solum demptis: & cum nullo homine non modo sum locutus, sed ne vllum quidem aspexi quod me quidem magna afficit admiratione, quonammodo ipse aut vnde motus huc veneris. Beatus autem Sabas excipiens, Deus, inquit, qui meum nomen tibi notum reddidit, is quoque me in eam quæ huc fert viam quomodo ipse scit deduxit. Cum hi ergo sermones inter eos essent habiti, & Anachoretę dixissent ea quę consueuerunt, egressi sunt. Cū autem se satis longo tempore contulissent ad lustrandam solitudinem, reuertuntur vt visant Anachoretam, & rursus benedictionem ab illo consequantur. Ingressi itaque speluncam, vident eum genibus flexis iacentem ad orientem. Existimantes vero eum vacare solitæ orationi diu expectauerunt. Cum autem iam esset tempus vespertinum, & ipse adhuc humi iaceret, dicit beatum Sabam accedentem dixisse, Commenda nos Christo pater. Cum vero ne sic quidem respondisset, sed longum illud sillentium in aliam adduxisset opinionem, accedens Sabas & tangens, inuenit eum iam expirasse & excessisse. Conuersus itaque ad eum qui sequebatur Discipulum, Adesdum, inquit, ò fili, sancti componamus reliquias. Ad hoc enim fortasse nos Deus conuocauit. Hæc Sabas quidem dixit discipulo & cum iusta 22 fecissent mortuo & quæ de more cani solent cecinissent, & eum sancte & honorifice composuisset, deposuerunt in quadā parte speluncæ, 23 magnis lapidibus aditum obstruentes Deinde illinc recesserunt, & pridie palmarum, vt solebant, ad lauram sunt reuersi.

22 Vide mirum sancti uiri Quadragesimale ieiuniū, qui nihil cibi in eo sumeret, sed tantum sabbatis & diebus dominici diuina sacramenta.

23 Nota omnia, Et cum iusta fecissent mortuo, & quæ de more cani solēt cecinissēt, & eum sancte & honorifice sepelissēt.

Sed hæc quidem sunt quæ a beato Saba facta esse in [solitudine] tradidit hic præclarus Ioannes. Eodem autem anno in quo & aucta est laura, & diuinum illud templum fuit consecratum, & Sabæ fama manabat in omnem partem, acidit vt ex parentibus, qui, vt prius à me dictum fuit, erant Alexandriæ, pater quidē è vita præclare excederet in insigni numero Isaurorum: mater vero Sophia cum ante oculos vidisset mortem mariti, & alioqui eam valde traheret fama filij, venditis facultatibus continuo venerit ad filium, magna vim auri afferens. Quæ quidem cum eum jubenter aspexisset, & labentissime apud eum diuersata esset, ei persuadet filius vt omnibus quæ sunt mundi renunciet, & veluti magnam & filio dignam ꝙ illum in mūdum produxerit, ab eo accipiat mercedem, nempe ab hoc mundo separationem. Deinde paulopost mater quoque decedit in

filij suauissimis manibus, iam prouecta ætate, & vitæ ex Deo agendæ institutionem studiose & acriter persequens. Sed eam quidem sepelit sanctus Sabas: & in communi omnium matre condit venerabiliter. illius autem pecunias omnes Deo consecrat, eas opportune & vt par erat expendens. Lauræ enim ortos & habitacula ac diuersoria per eas cōparat. Quorum alterum quidem construxit apud Hiericho, alterum verò apud ipsam lauram ædificauit ex ipsis fundamentis. vt illud quidem viatores: hoc autem monachos reficeret & recrearet.

Operæ pretium est autem ne illud quidem prætermittere quod accidit in ædificāndo illo in Laura diuersorio. Vnum enim ex Monachis miserat Hiericho Sabas admirabilis vt illinc quādam exportaret materiā Lauræ iumentis. Ille vero feruente Sole torrefactus, laborabat siti vehementissima, & iacebat in via iam deficiens. est enim via admodū deserta & plane aquæ expers. Cum tandem autem illi venisset in mentem beatus Sabas, diuinas illius preces tāquam aliquod sitis medicamentum implorabat. & statim qui in columna nubis deduxit Israelem, ei quoque expandit nubē aquam parturientem: & eum quodammodo tegentem, & instar roris refrigerantem, & ei vires addentem. Sicq; desuper nubem habens sequētem, venit in Lauram Sed hoc quidē vel ab absente Saba factum est miraculum. presequamur autem quam cepimus narrationem.

Cū solitus esset magnus Sabas iis qui à viris bonis desiderantur diebus ieiuniorum peregrinari, sicut diximus, venit ei aliquando in mentem colle quoq; habitare qui dicitur Castellium qui quidem distat à Laura viginti stadiis: ad eum autem hominibus propemodum nullus patet aditus, tam propter multitudinem Demonum qui eum incolunt q̄ propterea q̄ sit locus valde asper & agrestis Cum in eo itaq; colle fuisse, & crucis oleum tanq̄ terrorem aliquem inexpugnabilem in omnem partem diffudisset, & altissimum esse suum statuisset refugium, collem habitauit toto vertente tempore ieiuniorum. Sed primum quidem graue bellum quotidie in eum excitabatur: & tam vehementer eum aggrediebantur. Dæmones: & tanta in eum mouebatur tempestas, vt continētibus malis propemodum fractus & defessus esset exercitator, & iam consideraret quomodo è colle excederet. Sed qui olim magno apparuit Antonio, ipse quoque Sabæ nunc apparens, & eum bono iussit esset animo: & aduersus maligna illam cateruam tantum ei dedit audaciæ, vt nec possent quidem illum amplius videre orantem: sed hoc satis esset ad eos fugandos, si se ille solummodo conuerteret ad 24 orationem: & hymnos ad Deum lingua sua attingeret. Hinc factum est vt iusto Sabæ cor esset hilare & tranquillitate impeleretur animus.

24 *Considera hic succes siue miram uirtutē orationū sancti uiri.*

Itaque circa finem ieiuniorum cum vir diuinus noctu aliquando vacaret orationi, rursus illuc aduentat maligna illa caterua vltimam afferens tentationē. Et repente quidem strepitus faciebant, & terrores intentabant. & partim quidem in serpentū & ferarum, partim autem incoruorum figuram mutabatur. & sic conturbare sanctum & ei terrorem incutere conabantur. Cum is autem fortiter & constanter perseueraret in oratione, neque illi quidq; omnino possent efficere, tunc vel inuiti se fatentur esse victos: &, ò violentiam humana vt poterant voce exclamantes, deinde hæc quoque vociferantes, Quid, dicebant, ò Saba, non sufficit tibi torrēs?

Non satis est tibi spelunca & petra & alia solitudo quam obiisti & reddidisti habitabilem? sed nunc quoque ascendisti nostros fines, & ex iis quæ sunt nobis propria nos contendis expellere. Ecce & monte & tuis tibi moribus cedimus, cum talem, vt videmus, adiutorem habeas, nempe Deum. Vbi hæc cum magno eiulatu inuerecũda illa & impudens visio, & alia eiusmodi deinceps dixisset, & quodammodo suam cladem deplorasset & calamitatem, cũ magno tumultu circa mediam noctem è monte exierunt, coruis similes, & absonum & grauem quendam strepitum edentes. Hoc ipsos quoque obstupefecit pastores qui pascebant greges circuncirca in montibus sic, vt ego quidem existimo, diuina dispensante gratia, ne sine teste essent quæ sunt hiusmodi. Nam cum iĳ sensissent strepitum coruorum & illorũ clamores, & repleti essent timore, mane congregantur ad collem vt scirent quænam essent ea quæ facta fuerant. trepidiq́ꝫ & timore affecti Sabam conuenientes, ei renunciant omnia quæ noctu viderant & audierãt. Ille autem cum eos vidisset tãto metu affectos & adeo perturbatos, illam ab eis expulit timiditatem & animi anxietatem: & eorum qui conciderat animum recreauit. Deinde cũ eos iussisset esse bono animo, eisq́ꝫ benedixisset & pro eis esset precatus, eos dimisit in pace.

Cum iam autem præteriisset tempus ieiuniorum, reuertitur quidem diuinus Sabas in Lauram, vt solebat. Cum præclarum vero paschatis festum 25 præclare in ea celebrasset, quibusdã secum assumptis fratribus venit in castellium, collemq́ꝫ repurgauit, & quæ erat in eo materia vsus est ad cellas ædificandas. Interim autem dum cum fratribus intentus erat operi, inuenitur domus cuiusdam in mundo splendidi, ex pulcherrimo lapide, constructa: tecto excelsa: magnitudine ampla: ornata copiosis gratiis & elegantiis. Cum eam ergo inuenisset diuinus Sabas, & ipse quoq́ꝫ eam reddidisset elegantionem, ex ea diuinum templum effecit. Hinc arbitratus fore vt res ei succederet ex Dei volũtate, statuit plura ędificare habitacula & locum redigere in cœnobium. Cum is autem sic cum suis laboraret in iĳs ædificandis habitaculis, eorum vero quę sunt necessaria nullam curam gereret, & quorum est hominibus vsus ineuitabilis, Deus cui 26 gratum erat locum ædificari, & cuius est pręceptum ne soliciti simus quid comedamus & quid bibamus, qui est vel ipsa matre nostri amãtior, & maiorẽ nostri curam gerit q́ꝫ ipse pater, ipse viro longe optimo Marciano etiam ad id ferentem immittit visionem, qui ipse quoque præerat iis quę sunt in Betheleem cœnobĳs, & rursus curam gerebat eorumquę erant vbique cœnobiorum.

25 *Cum preclarum festum paschatis preclare celebrasset.*

26 *Hic dicit gratũ esse Deo quod Monasterium & templum ei ædificaretur, & heretici contrarium dicere audent.*

Videt ergo is noctu veluti angelicam & alienam formam, quæ suauissimum & pulcherimum emittebat splendorem. Videbatur autem hæc quoque ei dicere. Tu quidem ò Marciane, sine molestia & labore pernoctas, vt qui nullo indigeas ex iis que ad corpus conferunt Dei vero seruo Sabæ, qui propter multam in Deum charitatem in castellio cum fratribus multos labores sustinet, rerum necessariarum magna est inopia: nec est vllus qui sit vel paucis eos impertiturus ex iis quæ ad vsum pertinent. Eum ergo imperti iis quę habes, nihil omnino differens: ne adhuc maiore premantur indigentia. Et hęc quidem visio. Marcianus autem protinus nihil cunctatus, mittit ad Sabam multa necessaria. iis quę monasterio seruiebant iumentis vtens ad ea exportanda. Ille vero cum ea

quæ missa fuerant accepisset, & quænam missionis esset causa didicisset, hoc quoque duxit esse signum ꝙ ædificationi & habitationi loci Deus faueret. & simul quidem vehementius Domino egit gratias, & cœnobij ædificationem vrsit vehementius. Deinde postquam fuit finitum, in monasterio collocat multitudinem electorum monachorum, Paulum quendam qui Anachoreta fuerat longo tempore, cum Theodoro discipulo pręficiens eorum administrationi. Sed cum Paulus paulopost è vita excessisset, Theodorus suscipit omnem rerum adminstrationem: & fratrem Sergium, & Paulum auunculum cooptat in monasterium, qui & ipsi Castellio postea præfuerunt: eisq́ꝫ commissus fuit pontificatus Ailæ & Amathuntis.

Atque Sabæ quidem magnæ erat curæ vt quos esset plantaturus in cœnobio Castelli, & prouectę essent ętatis, & monasticam viuendi formā accurate tenerent. Nulli atuem ex mundanis, & iis qui recens aduenerant, concedebat habitare in Castellro. sed paruo cœnobio ad lauræ borealem partem extructo, cum ei præfecisset viros industrios & sobrios, & quorū fidei credi possent fratrum animę, hoc habitandum tribuit iis qui è mūdo recens ventitabant: donec ipsum psalterium didicissent, & se exercuissent in alia Monachorum vitę institutione. Dicebat enim oportere Monachū qui degit in cella esse studiosum. discernendi potestate præditum sobrium, moderatum, temperantem, aptum ad doccendum non autem indigentem doctrina aliorum, qui posset & sua membra rafrenare, & mentem tuto cū stodire. De eo enim dicebat dictum fuisse à Dauide. Dominus habitare facit vnius mortis in domo. Cum autem vidisset hic diuinus pater, eum
27 qui renunciauerat, & 27 regulam monasticæ institutionis accurate didicisse, & mentem suam recte posse custodite, & aduersus contrarias depugnare cogitationes, & è mente sua expulisse omnem rerum mūdanarū memoriam, ei præbebat cellam in laura, si corpus haberet infirmum & imbecillum. Si vero esset fortis & robustus, ei iubebat cellam ædificare. hoc dicens & asserens, ꝙ si quis in eo loco cellam ædificaret aut superedificaret is templum Dei esset ædificaturus. illiq́ꝫ & ipsi par futura esset merces. Nulli autem imberbi omnino licebat lauram ingredi, propter eas quæ ex amligno oriebantur offensiones, sicut iam ante declarauimus. Dicebat enim diuinus Sabas hoc ab initio traditum fuisse à parentibus. & propter illud ipsum parem modum ab eo esse seruatum. qnoniam quādo, inquit, veni ipse ad magunm Euthymium adhuc imberbis, volens in laura habitare, non fui admissus, sed missus fui, ad beatum Theoctissimū. Dicebat enim esse valde periculosum adolescentes & pueros simul habitare cum viris solitariis.

Vides quod etiam antiqui Monachi habebant regulas monastica institutioni?

Eandem ergo formam seruans diuinus quoque Sabas, si quem ex iis qui mundo renunciabant videret eiusmodi, cui scilicet facies nondum esset pectapillis, eum mittebat ad illum qui mihi dictus est superius Theodosius. qui qnidem iā recesserat ab ecclesiā quæ dicta est Cathismatis: & in parte lauræ quæ vergit ad occidentem constituerat monasterium quod vitæ communiter degendæ cōueniebat, distans à Laura triginta quinque stadiis. qui eos qui mittebantur lubenter admodum excipiens, omnibus modis stndebat eorum curam gerere, ei qui miserat gratificans. erant enim magno inter se amore coniuncti diuinus Sabas & hic beatus Theodosius:

ſius: & vterq; alterius voluntatem præferebat voluntati ſuæ,imo verò voluntatem alterius putabat eſſe ſuam.cum Chriſti amor ſic eos coniunxiſſet, & vt idem ſentirent eis perſuaſiſſet. Hoc autem erat omnium ſermone celebratum: & aliud par Apoſtolicum ab Hieroſolymitanis iudicabantur atque nominabantur.Eis ab Archiepiſcopo,à Saluſtio,inquam, qui erat in Chriſto conſummandus,mandata fuit præfectura vniuerſi cœtus Monachorum,non q; ipſi eam rem concupiiſſent,ſed potius electi fuiſſent à Monachis.& pręmium virtutis eã accepiſſent pręfecturam.Quonammodo aũt ad hanc adminiſtrationem peruenerint,dicam paucis.

Cũ Elpidius & Elias ſucceſſores magni Paſarionis è vita exceſsiſſent, conſequenter ad Lazarum tranſit adminiſtratio. Sic etiam ad Gerontiũ. Qui cum deceſsiſſet, Anaſtaſio cura fratrum committitur. Cum ij ergo, Lazarus, inquam, & Anaſtaſius, præeſſent adminiſtrationi, res Monachorum erant admodum turbulentæ & maximis agitabantur fluctibus. Cum hi ergo quos diximus, Lazarus,inquam,& Anaſtaſius,monaſticę perfectionis paruam aut nullam curam gererent: ad quaſdã autem mundanas curas & pecuniæ euolumenta tota mente & anima conuerſi eſſent, maxime cum Anaſtaſius tunc poſt Zenonem ſuſcepiſſet imperium, & ſchiſmata cum ſumma impudentia & licentia loquerentur aduerſus eccleſiam: Cum tunc ergo diuinus Saluſtius, erat autem is Patriarcha Hieroſolymitanus, ſtatuiſſet liberare fratres ab illa tempeſtate,primum quidẽ conſtituit vt qui iam à me dictus eſt Marcianus eis præeſſet & eorum ſuſciperet rectionem. Cum aũt interceſsiſſet aliquantum temporis, ęgrotabat quidem diuinus Saluſtius & corpore erat malè affectus:ad eũ vero conueniunt omnes qui erant in ſolitudine: ipſe autem communi ſuffragio eorum qui ſimul conuenerant, ſtatuit vt monaſteriis quæ erant circa ſanctam ciuitatem præeſſent Saba & Theodoſius, ij quos præſens vobis oſtendit narratio.Ab illo ergo tempore,Theodoſius quidem iis qui communiter viuebant, Sabas autem iis qui cum nemine congrediebantur, & erant omnino ſeparati,pręerant.

Poſtquam autem Saluſtius migrauit ex hac vita, Elias quidem cuius ſæpe memini in vita magni Euthymij,in ſedẽ illius euehitur.Statim vero omni ſtudio contendit vt circa ſe congreget bonos monachos ſanctæ reſurrectionis,circa turrim Dauid diſperſos in aliquibus cellis. Monaſteriũ quidem certe conſtruit apud Epiſcopatum:& cellas ædificat ad illos excipiendos.& vnicuique eorum qui conueniebãt abunde ſuppeditat ea quę erant neceſſaria. Cum hi ergo omnes Monachi illic congregarentur,diuiniſsimus Sabas rurſus ęmens multas cellas in quibus illi prius habitabãt, adiecit eas ad illos hoſpitio excipiendos qui veniebant ad lauram. erant enim ei proxime.Cum in his autem occupatus eſſet Sabas,& alias quidẽ haberet,alias verò eſſet habiturus,in eo fit quoddam miraculũ, magnum quidem & quod eſt conſentaneum eſſe incredibile, & admirabile quidem & contra opinionem, ſed ab eius virtute minime alienum. Nam emerat quidem, vt diximus, multas cellas: volebat autem alias quoque emere, quæ erant etiam propinquæ lauræ & ſuo inſtituto vtiles. ſed auri indigentia obſtabat voluntati. & cum earum acquirendarum ardentiſsimo teneretur deſiderio, non habebat tamen manum quæ ei opem ferret. Nihil enim ei reliquum fuerat niſi dimidium numiſmatis. Sed ille vt qui Dei

sciret copias sapientiamq́ & ad omnia fortitudinem, & illi permisisset vniuersum, id quod tunc habebat cellarum Dominis dedit tanq̃ arram, pactus q̀ nisi die sequenti solueret reliquum, id etiam perderet quod soluerat. Atque ille quidem cum sic conuenisset cum Monachis, solum ad illam intuebatur dexteram quę non potest examinari. Venit autem mane quidam hospes omnino ignotus. & cum nihil dixisset aut ab eo rursus audiuisset, dat ei centum & septuaginta aureos. Quos cum dedisset, continuo recessit, nec quo nomine quidem vocaretur ei significans. Cum vero statim coniecisset Sabas vndenam & q̃ prompta fuisset eorum quæ data erant suppeditatio, & eam à Deo esse profectam aperte cognouisset, protinus & pretium soluit cellarum, & alteram domum ædificauit ad excipiendos Monachos qui veniebant peregre. Quinetiam Castellio duo prę terea acquisiuit habitacula, vnum quidem in sancta ciuitate, non multum distans à turre Dauid: alterum autem in Hiericho.

Acrem itaque eius in his rebus zelum adhuc magis amplificans Dñs è superis, duos quosdam secundum carnem fratres, genere Isauros, nomine Theodulum & Gelasium, qui ipsi quoq́ erant iuuenes sicut ille Beseleel & Eliab, Architectos noui tabernaculi, mittit ad nouum hunc Mosem. Quibus ille vtens opificibus ędificiorum, adstruxit 28 quidem quęcunq́ in laura adhuc deerant. construxit vero circa eam quoque monasteria. Deinde ędificat etiam domum ad panem faciendum. Fabricatur etiam nosocomium. & aquarum quoque receptacula construit propter torrentē. Qm̃ autem neque quod ei prius apparuerat à Deo conditum templum, Synaxi fratrum sufficiebat: & rursus multitudo Armeniorum oratorij exuperabat magnitudinem, alteram ędem excitat diuinus Sabas ab ipsis fundamentis, quę ornatu & magnitudine nulla erat altera inferior: eamq́ Deo 29 consecrat. quæ quidem cum ab Elia qui tunc ecclesiæ præerat, de more fuisset dedicata, illas quidem sacras fratrum synaxes illic iubet deinceps peragi: Armeniorum autem multitudinem transfert in illud diuinum templum. adeò vt Christianis quidem consueta glorificatio, & ipsa Euangelij lectio quæ fit iis qui sunt præsentes, proprio eorum sermone impleretur: simul vero cum aliis diuina sumerent sacramenta, & fieret oĩbus communis eorum participatio.

28 *Si ista ædificia deo non placerent, ut dicunt noui dogmatistæ, sanctus uir diuina gratia non adiuuaretur ad hæc pficienda.*

29 *Et hic Elias patriarcha aliam ecclesiam de more dedicat.*

Qm̃ autem quidem sequentes inanem vocem Petri cognomine fullonis, qui eadem sentiens quæ Eutyches, cum Antiochenam sedem impie inuasisset, sępe fuit expulsus à sacris vestibulis, angelico ter sancti hymno inserebant, Qui propter nos fuit crucifixus, diuinus Sabas adulterinam hanc tollens nouitatem, aliam quidem sacrorum hymnorum consequentiam, quandoquidem sciebat eam recte prosequi Armenios, permisit eis solita voce canere: solum vero hymnum trisagium sauxit canere lingua græca. hoc quoque præterea præcipiens, vt die quidem sabbati in templo speluncæ, diebus autem dominicis fierent synaxes in templo Dei paræ: in aliis autē ecclesiis, & dominicis & insignioribus festis magis solennibus, à vespera 30 vsque ad mane producerent vigilias.

30 *Ecce quomodo usus celebrandi uigilias à uespera usque ad mane insignioribus festis antiquissimus est in Ecclesia.*

Cum sic ergo se gereret Sabas, & lauram & castellium quotidie augeret, ędificiis & fratrum accessionibus ij qui fuerant prius eius discipuli, deinde vt iam antè diximus calumniatores, non ferentes lauram videre sic florentem: sed etiam adhuc maiore inuidia flagrantes, & cū aliis fra-

tribus conspirantes, & mala synagoga effecti circiter quadraginta, dolos aduersus sanctum consuebant, & ei omnibus modis parabant insidias. Hæc autem cũ cognouisset ille mitis ac mansuetus, & eius qui verè est pacis auctor & legislator germanus discipulus, quod prius in diuinis, hoc in hac re quoq; facit. & ne esset fratribus causa offensionis, non solum despicit cibum, vt vult Apost. sed etiã ab illa ipsa laura recedit. Didicerat enim Sabas pugnare quidem cum Dæmonibus: hominibus autem facile cedere. Hoc vero faciebat, tum improbos quidem pudore afficiens lenitatis sue exuperantia: tum autem illo discessu inuidiam consumens & tabefaciens: ostendensq; nullam rem propriam esse ei curæ: sed Dei causa omnem laborem suscipere, & fratrum vtilitatis. Hac de causa facile quidem recedit, & venit ad partes Scytopolis. manet vero in quodam loco qui erat quidem desertus, vocabatur autem fluuius Gadarorum.

Deus autem cuius causa hæc Sabæ acciderant, Sabam non habuit despicatui: & ipse quidem subit speluncam quandam sitam propter flumen. in ea autem habitabat leo insigni magnitudinem. Cùm in ea ergo versaretur, & post preces se sopori parum dedisset, ad eum media nocte accedit fera illa terribilis & cum eum sensim veste apprehendisset, eum foras trahebat, & quodammodo iubebat eum exire è spelunca. Ille ergo excitatus, & illius conspectu minime conturbatus, nocturnos hymnos protinus est aggressus Leo vero, ò magnam in Saba operationem spiritus, statim extra recedens dum 31 preces fierent expectabat. Peractis autem precibus, ille quidem humi sedens vbi solebat leo decũbere, paulisper requieuit. Is autem adueniens eum trahebat similiter, & tentabat eum è spelunca expellere. Quid deinde consequitur? Non amplius obscure gratia cum Saba versabatur, sed aperte ostendebatur: qũo olim Abrahæ, eum quauis calamitate reddens superiorem. Regibusq; & Tyrannis ipsis insigniorem, etsi esset erro & hospes et nullam haberet ciuitatem. Sic in hoc quoque loco Sabam, non solum Dæmonibus vt vobis sępe ostendit oro, sed etiam belluæ maxime horrendæ, venerabilem reddidit ei terribilem. Nam cum Leo sic eum contenderet expellere, & vehementer instaret & Sabam vi traheret, ille labris sensim apertis, ò fera, inquit, hæc quidem spelunca ambobus si velis sufficit ad habitandum. Tibi vero si hoc non videtur, at tu mihi potius cede spelunca. ego enim Dei manu sum formatus & eius sum honoratus imagine. Hæc admodum leniter & placide dixit Sabas. & fera 32 perinde ac sermonem reuerita, statim abiit, Sabæ cedens spelunca & cubili.

31 Mira uirtus orationis Sancti, ut bestia illius finẽ extra expectaret.

32 Vides quod etiã immanissimis bestiis in uirtute Dei sancti imperant?

Cum is ergo illic versaretur, multi ex finitimis ad eum ventitabant, & maxime quicũq; habitabant Scythopolim & Gadara. eos enim vndique vocabat illius fama, non secus atque clara tuba virum veluti pręconio pręedicans. Quo quidem in loco quidam ex Scythopolitanis genere clarus, iuuenis ętate, nomine Basilius à Deo motus ad ea quæ sunt honesta, cum humana omnia iussisset valere, ad ipsum accedit & Deum. Et ille quidem versabatur cum Saba & apud ipsum viuebat, et eo vtebatur præceptore. Quidam autem latrones pecuniis abundare arbitrati Basilium, circa mediam noctem spe pleni ad eos accesserunt Postquam vero nihil inuenissent eorum quæ sperarant, recesserunt: & pro alio lucro sibi pararunt animæ vtilitatem. Nam cum vidissent vitam adeò tenuem &

frugalem & cui deerant etiam quæ sunt necessaria, obstupuerunt, & magni Sabæ copias sunt admirati quæ in eo erant ꝙ nihil possideret. Suum itaque facinus animo versantes, & ne aliquo graui malo à Deo afficerentur dubitantes, recesserunt, audacis sui cepti magna ducti pœnitētia. Tale etiam aliquid quod contigerat, iniecit eorum animis maiorem eius quod bonum & honestum & æmulationem. Cum n. iam essent in medio itinere in eos incidunt leones ingenti magnitudine & visu terribiles. Quorũ aspectu timore perterriti, & vitę bonam spem non habentes amplius, vnā solam prospexere salutem, si ad Sabam & illius orationis virtutem confugissent. Res enim sapiens est anima ad videndum quod est cōducibile, cum ceciderit in necessitatem. Bestias ergo per illum
33 adiurarunt, dicentes. Per preces Monachi, Sabæ, via nobis cedite. & statim leones, tanq̃ graui aliqua plaga, percussi nomine Sabæ, in pedes se coniecerũt. Latrones autem insigni miraculo obstupefacti: & vt qui persuasum haberent Sabam multum posse apud Deum, ad ipsum reuertuntur. Vide vero quã ex metu acceperunt vtilitatem, & ineffabilis Dei prouidentiæ bonitatem & sapientiam. Ipsi enim statim seipsos accusant, & per se ea annunciant quæ eis in via contigerant. & cum Deo promisissent, eiusmodi furtis & latrociniis se non esse amplius implicandos, abeunt ad Sabam, ꝙ à bestiis non essent læsi hanc ei veluti referentes gratiam, nēpe suam in melius mutationem. De cętero enim latrones non fuerunt amplius latrones, sed dimissa omni iniusta & iniqua actione, operam dabant agriculturæ, & occupati erant in terræ laboribus.

Mira res Leones per nomē Sabæ adiurati uia cesserunt.

Cum hoc autem miraculum ad multorum aures breui peruenisset, & omnes ad eum conuocaret, vexatus ille multitudine eorum qui confluebant, desiderabat rursus priorem quietem & silentium. Cum Deo ergo commendasset fratres qui illic erant congregati, & eis tradidisset cellam q̃ nuper construxerat, facile tanq̃ passer aliquis, vt cum diuino psalmo dicam, transmigrat: & ad desideratum reuertitur silentium. Cum illi autē aliquot post annis ex hac vita migrassent, Eumathius quidam genere Isaurus cum cellam accepisset ex successione, fecit cœnobium, & in eo collegit Monachorum multitudinem. quorum vnus est etiam Tarasius, cui post Eumathium fuit commissa præfectura. vir qui fuit ipse quoque genere Isaurus, moribus vero laudabilis & virtute insignis. Sabas autem cum longo post tēpore reuertisset ad lauram, existimabat se inuenturum quidem esse eos qui prius erāt seditiosi ex fratribus, ira remisione, vtpote ꝙ tempus quod intercesserat, inuidiæ vigorem multorum tabefecisset: & cum eius è laura peregrinatione vnà quoque eorum de ipso abiret cogitatio. Hoc autem non ita habebat. magis enim vigebat & amplificata erat perturbatio, & erat acrior inuidia. Hoc vero hinc fuit manifestum. Non enim ipsi soli aduersus sanctum parturiebant iniquitatem. sed cum aliis quoque viginti persuasissent, & eo quod est sub labris veneno eos impertiissent, tota die bellicam aciem aduersus eũ instruebant. Quid ergo ille ad hæc? Dolebat quidem videns fratrum procedere interitũ: & eius grauiter scindebantur viscera: & eorum qui surrepti fuerant prolapsionē, perinde deplorabat atque suorum membrorum amputationem. Deinde etiam hunc à ratione alienum volens motum eorum sustinere, opponebat iræ illorum lenitatem. odio dilectionem. rerum malarum meditationi benignitatem.

nignitatem. vt reueriti eius mansuetudinem, ducerentur pœnitentia, & suã salutem lucrifacerent.

Cum autem, vt est in prouerbio, conaretur lauare Æthiopem, & efficere vt cancer rectius ingrediatur. nihil enim difficilius dedisci potest quàm improbitas: & videret eos vitio effici magis viriles, & nulli rei magis fidere quam impudentiæ, & vt dicit admirabilis Esaias, spem posuisse mendacium, & sperasse fore vt eo protegerentur, quoniam non poterat eis aliter mederi, rursus secedit ad partes Nicopolis: & diuertit ad quandam arborem quæ fert siliquas, alimento 34 quidem vtens illius fructu, tegumento vero ramis. Sed Deus propter quem hæc rursus sustinere æquum censebat Sabas, tunc quoque rem suæ curationis sapienter contexit Sabæ, & quæ viro bono & virtutis amanti mercedem conciliauit. Nam cum hoc curasset vt veniret ad cognitionem Domini agri, erat autem is quoque, vt est consentaneum, amicus virtutis, efficit vt is mox ad eum accederet: & tum in cæteris eius curam gereret ac ei prouideret, tum cellam quoque ei excitaret. quæ postea Deo opem ferente constructa fuit cœnobium. 34 *Vide cibi & uestitus austeritatem.*

Sed cum Saba quidem in eo loco sic degeret, scelesti illi homunculi & maligni, scilicet figmenta, illi, inquam, seditiosi & Iudæ plane discipuli, tempus sibi dari opportunium ad illum calumniandum, arbitrati propter longam illam viri peregrinationem: cum de ipso talem in laura famam confinxissent, Abbas noster, dicentes, obiens solitudines captus fuit à fera: & sic induxissent eos qui erãt minus præditi ratione, & accessissent ad Patriarcham, etiam vbinam grauis hic casus accidisset falso adiiciunt. In solitudine enim, aiebant, mortui matris fuit deuoratus à Leone. Hoc vero sic dicebant, vt quod ab eis fictum erat videretur probabilius. Deinde etiam quærebant aliquem qui esset eis præfuturus. Ille autem qui nihil temere & inconsiderate neque dicere didicerat neque alios audire: & alioqui Sabæ vita qualis esset à puero non ignorabat, & quod dictum fuerat mentis iudicio permittebat. Sed nõ possum, inquit, ego facile credere quod dictum est. Scio enim quod cum sit Deus iustus, & iustitiam diligat, vt dicit diuinus Dauid, non sic dimisit seruum suum deuorari à bestiis. Abite ergo vos potius ad illum quærendum: aut si vobis videtur expectate aliquantulum temporis, donec Deus nobis de eo aperiat. Cum illi ergo sic à scopo excidissent, & vacuis manibus reuertissent, quieuerunt in præsentia.

Cum autem aduenisset dies 35 festus dedicationis, venit quidem vt solebat diuinus Sabas in sanctam ciuitatem cũ quibusdam aliis fratribus monasterij quod ab eo constitutum fuerat Nicopoli. Cum vero eum vidisset Eps, & quod cum præter spem vidisset fuisset gaudio repletus, & de illo longo & inspirato reditu esset cum eo locutus, eum deinde accepit seorsum, & rogauit vt ad suam rursus rediret lauram, & non sic rectore destitutam eam derelinqueret. Eo autem rogante vt ignosceret, neque enim se posse tam multorum virorum curam gerere, ille non cessabat instare & obsecrare. Cum vero videret Sabam magis resistere & nequaquam cedere, ille hæc ęgreferens, & nonnihil etiam ex suo commotus officio. Sed si non, inquit, audiueris hanc meam petitionem, non venies mihi amplius in conspectum. non possum enim ferre alios frui tuis laboribus. Cum sic autem dixisset Patriarcha, pollicitus quidem est se iussui illius esse cessurum; Non vero in negotia & turbas se rursus coniiceret, malam seditio- 35 *Nota festum dedicationis Ecclesiæ.*

sorum mentem cogitur aperire Patriarcha autem protinus excitatus ad ei ferendum auxilium, hæc scribit Monachis lauræ. Vos qui estis fratres in Christo scire volo, patrem nostrum, non vt à vobis auditum fuerat, fuisse à bestiis consumptum: sed eum adhuc viuere & esse superstitem & ad nos venisse ad festum. Ego vero eum detinui, non ęquum esse censens vt ipse lauram relinquat quam suis construxit laboribus. Prompto ergo & alacri animo vos eum eo quo par est honore suscipite, & ei omnibus modis cedite. Sin autē sunt aliqui apud vos arrogantes contumacesq; & superbi, & se ei nolentes submittere, nos eos iubemus quamprimum à laura recedere. Neq; enim est permittendum eum locum suum non recipere.

Acceptis itaque litteris diuinus Sabas descendit ad lauram, cum quendā constituisset Seuerum vt præesset monasterio Nicopolis. cui cum post aliquot annos fuisset consummatus, succesit Dominus. & illi rursus Sabaron, qui ad mea vsque tēpora fuit perpetuo pręfectus huius monasterij, cum iam ad profundissimam peruenisset senectutem. Cùm venisset autem ad lauram beatus Sabas, & omnibus audientibus lectæ essent litteræ in ecclesia, illi qui nihil non audebant, vbi quæ lecta fuerant audiuissent, suo impetu incitati, & occulto eorum præfecto egregie parentes, alij quidem secures, alij verò dolabras & ligones sumentes in manus, & ad eam quæ à Saba ædificata fuerat turrem cum ira ascendentes, eam euertunt ab ipsis fundamentis, nihilo tolerabilius affecti quam Dæmones. Et alij quidem ligna & lapides iaciebant in torrentē. Alij vero monachorum indumenta, & quidquid aliud habebant rapientes, sic egressi sunt è laura & ad Sucæ lauram protinus venientes, rogabant vt in eorum numerum referrentur. Sed lauræ Præfectus Aquilinus vir diuinus, cum non esset ignarus eorum quæ ipsi fecerant, ne passus quidem est, vt qui erant tam improbi, lauræ hospitio omnino exciperentur. Cum itaque ad Thecoū qui dicitur torrentem peruenissent, & quasdam cellas propter eum inuenissent quæ olim factę fuerant ab iis qui desciuerant & se ab aliis separauerāt, & alias quidē instruxissent, alias verò ædificassent ipsi à fundamentis, in eis habitabant. eas nouam lauram nominantes.

Cum illi quidem sic è laura excessissent, alij fratres tanquam frumentū ablatis zizaniis, fuerūt fructus Deo vtilissimus et purissimus Cū interim autem effluxisset aliquantum temporis, quoniā huic amanti patri viscera non quiescebant, sed de iis qui se ab illo abruperant grauem dolorem conceperat, & vt Apostolice dicam, corde vrebatur, postquam resciuisset vbi nam degerent, & laurę & Castelli iumenta multis onerasset rebus necessariis, abit ad ipsos. partim quidem volens sedare eorum maleuolentiam: partim autem volens succurrere egentibus. Et ille quidem sic. Nonnulli vero ex iis, & maxime ij quos acrior inuaserat inuidia, cum eum procul aspexissent venientem, sic sensim inter se susurrabant, Videte, dicentes, ꝙ ne hic quidem malum effugimus. sed rursus ad nos venit ille Strabo: & quæcunq; eis alia subiiciebat inuidia. Sed cum ab iis non fuisset illius retardatus cursus, ad eos venit, & placidis eos aspexit oculis: & eos impertiit rebus necessariis. Cū autem vidisset eos magna vndiq; premi inopia,

36 ꝙ neque haberent qui eorum curam gereret, neque eis diuinum esset tem-

Recte ædificari tēpla plum 36 ad orandum: sed in propheticam ædē quę est Thecois singulis

etiā orationis gratia. ascenderent dominicis, participaturi diuina sacramenta: & eos deinde inter

se decertare, impleriq; tumultu & perturbatione, ꝙ essent sine duce & nulli parerent pastori & præfecto, refert omnia ad Patriarcham: & vehementer rogat vt eos congreget & conciliet, & eis omnia præbeat quibus indigent. Ille vero datis Sabæ septuaginta aureis, ei concedit dominium & res Monachorum.

Is autem cum rerum quæ illic erant sic factus esset Dominus, primum quidem eis prouidet res necessarias, vt nihil eis deficeret, sed omnia eis suppeterent. Deinde templum quoque eis magnifice ædificat: & id eis consecrat & dedicat. Deinde eis quoque domum construit ad panem faciendum. Quæ cum fecisset: tractabilesq; & mansuetos reddidisset qui prius erant seditiosi & inobedientes, accersit Ioannem qui iam à me dictus est: & ei nouæ lauræ committit præfecturam. qui ortus quidem fuerat ex Græcia: ante mortem autē suam ea quæ multis post annis in laura euenerant prædixit & apertissime enuntiauit. Cum enim è præsenti vita iam esset migraturus, & extremum iam traheret spiritum, & extrema verba emitteret; quoniam multi eum circunsidebant ex iis qui erant è laura, cum profundis suspiriis lachrymisq; & animi perturbatione. Ecce, inquit, veniunt dies in quibus qui pręsentem locum habitant, desciscent à recta fide: & extollentur quidem in seipsis, vt cum diuino Dauid dicam, qui exacerbant. in audacia vero sua destruentur. & altitudo eorum repente decidet. Et cum hæc dixisset migrauit, cum septem annos implesset in præfectura lauræ. Deinde post illum consilio diuini patris Sabæ, qui illic erant Monachi, cuidam Paulo committunt administrationem: qui erat quidem Romanus genere, sed simplicissimus & ab omnibus negotiis alienissimus: veras solas diuitias cognoscens nil possidere. Ipse autem cum sex solum menses admodum inuitus permansisset in laura, nihil sibi volens exhiberi molestiæ, aufugit in Arabiam. & cum illinc venisset ad Seuerianum, excedit è vita. Seuerianum inquam illum, quem superius ostendimus construxisse monasterium in Barichā. Sed cum diuino Sabæ fuisset eius fuga significata, ille Agapetum suum Discipulum iussit præesse Monachis. nō magis honorās eius virtutem ꝙ̄ satisfaciens illorum petioni Ipsum enim vt præesset communiter vocabat totius simul lauræ legatio. Neque ipse quidem hoc lubens suscipiebat: sed euectus fuit illorū iudicio & sententia.

Cum ei ergo commissa fuisset præfectura, inuenit quosdā ex fratribus, erant autem ij quatuor à Paulo admissi qui fuit simplicissimus, neque accurate examinati, tāquam virus sub labris, quędā origenis occultantes. Inter quos primas partes obtinebat quidam Nonnus Palæstinus. qui videbatur quidem esse Christianus & pietatis præseferebat speciē, laborabat autem morbo gentilium & Manichæorum, Didymiq; & Euagrij & origenis, qui nugati sunt de præexistentia. Cum eos ergo ita se habere deprehendisset Agapetus, timens ne malum manaret ad alios, & omnes communiter inficerentur, eam rem communicat Patriarchæ. eoq; in eius ꝙ statuerat adhibito societatem, illos è 37 laura expellit. Non multum temporis intercessit: & cum è vita excessisset Elias, vt deinceps apertius ostendet oratio, accedens Nonnus cum suis ad eum qui illi successit Patriarcham, rogabant vt rursus restituerentur lauræ, à qua dicebant se non iuste nec recte fuisse expulsos. Ille vero cum alia quidem nondum sciret, sed solum eos fuisse expulsos à Deo dilecto Agapeto, & existimasset illum

37 *Semper hæreticos oēs sancti viri auersati sunt, eorumq; societatem à se expulerūt.*

virum nihil fecisse nec dixisse aut gratia aut odio commotum, eũ statim accersit. rogatq́ꝫ num fieri posset vt illi rursus admitterentur. Cum is autẽ dixisset nõ licere, & se malle illinc recedere, q̃ꝫ videre illos in suum gregem relatos qui sunt pleni tali contagione, ipse quoque eos abominandos amãdat Patriarcha. Sed cum Agapetus quoque post hęc, quinto anno susceptę administrationis, migrasset ad Dominum, & cuidam Męmãti commissa fuisset fratrum præfectura, Nonnus cum suis tanquam morte Agapeti ansam accepissent libertatis, reuertuntur ad lauram: & in ea clanculum subiiciuntur Mæmantis administrationi, malignum quidem morbum adhuc in animis inhabitantem circunferentes, sed quem metu Sabæ non proferebant, nec ad aliorum aures audebant transmittere. Sed hæc quidem de iis quæ in laura postea acciderunt, vt ostendamus ea euenisse quæ Ioannes prædixerat. Nunc autem illa quoque necesse est persequi quæ sunt delectatura aures virtutis amantes, & animum sic affectum exsuscitatura ad æmulationem.

Cum fratres qui defecerant Saba sic reconciliasset, & nouam lauram sic ędificasset & recte constituisset, & ad suam lauram sic rursus rediisset, non satis habuit tam multa tam præclare gessisse in constituendis monasteriis, & effecisse vt de qua prius diximus habitaretur solitudo: sed adhuc vehementer spirans aduersus Dæmones, & diuino zelo motus contendebat efficere vt reliqua solitudo fieret habitabilis, & fertilis monachorum multitudinis, vt per ora multorum, aut vitam potius & virtutem, laudaretur Dominus. Ea de causa tempore ieiuniorum, accedit ad quendam torrẽtem qui à maxima laura distabat decem stadiis, cum quodam Paulo, ætate quidem sene, florenti vero virtute. & cum offendisset quandam speluncã in torrentis parte quæ est ad boream, in ea quidem totã transegit quadragesimam. 38 Cum vidisset autem locum omni ex parte tranquillum, silentioq́ꝫ & quieti valde aptum, & esset veluti quadam percitus emulatione, si non is quoque opem ferret ad fratrum exercitationem & salutem animarum: postq̃ illinc reuersus fuit ad lauram & ad præclarum & diuinum 39 festum resurrectionis, cũ & alios fratres & Paulum quoq; assumpsisset, illuc rursus reuertitur. & ex spelunca quidẽ construit ecclesiã: circa ecclesiam aũt insigne cœnobium. Et speluncam quidem nominat monasterium. Paulo vero mãdat eius curã, ei adiungens socios sollicitudinis Quiricum quendam & Eustathiũ. Sed de monasterio quidẽ hæc Deo fauente dicta sint. Creuit autem postea & Monachorum multitudine & copiis rerum necessariarum. & qui illic primum relicti sunt à diuino Saba, cum fuissent alterius successores & morum & rectionis, illic quoq; è vita emigrant. Cum multi autem ad eum accederent, & multa quidem ei offerrẽt, & magnam quoque ei suis manibus opẽ ferrent ad ædificationem, nullus fuit qui vel frigidæ solum dedisset calicem, vt vel hinc possis coniicere de iis qui maiora contulerant beneficia, qui non euestigio sit à superis maximam & magnificam consecutus remunerationem. Sed hoc quidem ostendemus per multa quæ sunt deinceps dicenda. Potest autem hoc quoque hinc cognosci.

Erat quidam Marcianus qui erat quidem relatus in numerum Sacerdotum diuinæ resurrectionis: præerat autem sanctę Sion. Is crebro veniebat ad beatum Sabam cum suis 40 filiis, ex iis quę habebat multa ad

cum

38 *Etiã tum Quadragesima obseruabatur, & solẽne ieiunium in ea ducebatur.*

39 *Vide præclarum & diuinum festum resurrectionis.*

40 *Filios sacerdotis in-*

cum afferens, & ad ea quę suscepta erant ędificia cum filiis non parum adiuuans. qui prius ne in conspectum quidem veniebant Elię patriarchæ: tantum abest vt amicitię & fiducię esset eis apud illos vllum pignus. Diuina vero gratia, pro continuo illo ad Sabam aduētu, & oblatione eorum quæ habebant, & auxilio quod dederant ad ædificationem, eos desuper remunerans, eos & admirabiliter ac prӕter opinionem conciliauit Patriarchæ, & perinde atq; suos filios effecit familiares. Vnde etiam Marcianus quidem ab eo prouehitur ad excelsam sedem Sebastes. Antonius autem primus eius filiorum creatur ipse quoque Episcopus Ascalonitanus. Ioannes vero qui erat ætate secundus, adsciscitur in sortem Diaconorum. Sic is qui vel parua Deo dedit, hic quoque omnino accepit centuplum.

telligе, uel quos ex uxore p̄mortua ante sacerdotium genuerat, uel secundum Orientalis Ecclesiæ morem, quos suscepit etiam post sacerdotium, perseuerans in priori matrimonio cō tracto.

Diuinus autem Sabas, ad illum enim rursus festinat oratio, cum duos quosdam Monachos, in turre quæ imminebat capiti eorum quę ipse ædificarat monasteriorum, extructa autem fuerat à beata Eudocia, videret eadem sentire quę Nestorius, & neq; Dominum nostrum Iesum Christū vnum esse sanctæ trinitatis, neque rursus virginem confiteri Dei param, valde angebatur, & intra viscera magnam habebat perturbationem. Ad eum ergo sic affectum accedens quædam visio ei efficiebat, dolorē magis intolerabilem. & maiore quam prius mœrore ei affligebantur viscera. Videbatur enim videre quidem fratres de more venientes ad sacram synaxim: in templum autem ipsos quoque vnà cum illis accedētes, & simul ingressos. Deinde cum 41 diuini quidem mysterij perageretur celebratio, alios quidem libere & secure veneranda frui mensa. ipsos vero, duos, inquam, illos vi expelli velùti à quibusdam Satellitibus & lictoribus, & è templo exturbari. Se quoque præsentem rogasse Satellites ne eos tam iracunde expellerent: sed eis permitterent vt sacramētorum sumerent communionem. eos autem in ipsum efferatos dixisse voce aspera, non oportere eos communicare qui aperte erant Iudæi, & neq; Christum verum Deū, neque virginem Mariam esse censerent Dei param. Hæc beneuolo Sabæ animo dolorem magis auxerunt. & ab illo tempore vehementiores fudit ad Deum preces, vt eis immitteret aliquem purum radium cognitionis. Sed nec ipse fuit negligens in eo faciendo quod potuit pro viribus: sed assidue ad eos ventitabat, docens, rogans, & admonens, increpans, supplicans, nihil non faciens, donec Dei auxilio eos à graui morbo liberauit & effecit vt recte saperent.

41 Diuini mysterij celebratio, est Missæ sacrificium, in qua oēs ueneranda corporis Xp̄i fruuntur mēsa.

Deinde cum à turri deduxisset, illos quidem refert in numerum conuentus qui erat apud beatum Theodosium. vnum autem ex eius discipulis nomine Ioannem, genere Byzantinum, moribus admirabilem, qui ex primo ordine scholarium vitam elegerat monasticam, & exercebat Deo gratum viuendi institutum, turris præficit cūrationi, alios quoque fratres ei tradens ad ferendum auxilium, & ei præterea quantum satis erat suppeditans res necessarias. Sed nec ipse eos, vt solet fieri, negligebat: sed ad eos visitandos frequenter veniebat: & vehementer laborabat: & ad res eorum gerendas eis opem ferebat, donec ipsam turrem fecit cœnobium aliis nihil inferius. In quo cum hic quidem Ioannes tāquam quædam stella in omnibus fulsisset, & magnam congregasset Monachorum multitudinem, ex quibus vnus quoque est Cratias insignis Habramius Episcopus, postquā triginta quinque annos vixisset in præfectura, excedit è vita.

Sed nobis rursus venit tempus ieiunij, beatum Sabam vocans ad consuetum secessum solitudinis, Operæ pretium est autem nec illud prætermittere quod cõtigit fieri in ea peregrinatione. Nam è laura quidem egreditur hic vir diuinissimus, vt optandum ieiunij stadium peragat in solitudine. Iacobus vero quidam ex Discipulis, genere Hierosolymitanus, moribus arrogans, mente vsus sinistra, inita societate cum aliquot aliis Monachis pari arrogantia, apud eum lacum qui septem habet ostia de quo à me prius dictum est, aggressus est propriam lauram constituere, cellas fabricans, & ædem excitans oratoriam: & alia construens quæ ad lauram pertinẽt. Valde vero irascentibus fratribus, & ædificium vlterius progredi non sinentibus, ille rei iniquitati adiiciens mendacium, dixit hæc fieri de sententia Sabæ patris. Quod quidem cum audiissent Monachi, destiterunt quidem prohibere eum ædificare, sed non desierunt angi animo, cùm viderent ante oculos suos eum non paruam lauræ partẽ præcidere. Sed existimantes verũ dixisse Iacobum, tacebant, patris expectantes reditum. Post completos autem illos dies ieiunii, ipse quoque diuinus Sabas ad lauram reuersus, cum vidisset ea quæ facta fuerant, continuo quidem accersit Iacobum paterne autem admonet vt à cepto abstineat. Neque enim id ex Deo esse, neque placere fratribus. quinetiam illi ipsi quoque esse valde periculosum, prius quam seipsum recte instituerit & castigarit, illius fidei committi aliorum animas. Et sic quidem diuinus pater eum prius benigne & paterne admonet.

Postquam autem vidit resistere Iacobum & minime cedere, paululũ mutata sua consueta lenitate, Ego quidem ò fili, inquit, quod tibi existimo conferre consului. Quoniã vero non vis parere, vide ne magno tuo damno discas eligere id quod est vtile. Hæc cum ille quidem dixisset, profectus est in turriculam. Iacobus autem protinus sustinens tremorẽ totius corporis, & vehementi febre correptus euestigio, cum sex totos menses decubuisset, eo morbo vexabatur & premebatur. Interim vero cum omnem spem vitæ amisisset, recordatus est suæ in patrem Sabam inobedientię. & vehementer rogat eos qui aderant, vt & eũ ita vt erat in lecto tollãt: portentq; & ponant ad sacros beati Sabæ pedes, vt eum roget vt det ei veniam suæ inobedientiæ, & non data venia eum non sinat sic è vita excedere. Cum hoc autem factum esset, & in lecto decũbens illuc trãslatus esset Iacobus, eum placide intuens qui erat vere mitis & misericors Sabas. Nosti, inquit, ò frater, quis sit fructus arrogantiæ. Satis didicisti quænam sit merces inobedientiæ. Ille vero cum vix potuisset aperire labras erant enim illa quoque morbo vincta & præpedita Ignosce, inquit, mihi ò venerande pater, qui iam sum excessurus. Ille verò protinus, Deus, inquit, tibi condonabit ò frater. Cum sic dixisset, porrexit manum. & 42 manus illa ei vires attulit. quinetiam, ipse ò miraculum, surrexit. Deinde eum sanctus intemeratis impertiit sanctificatis. & diuinum illud nutrimentum rursus est consecutum corporis nutrimentũ. alebaturq; & conualescebat, fortisq; & robustus mirandum in modum cernebatur ab omnibus. & miraculum erat propemodum oculis incredibile. Homo qui tam graui & diuturno erat morbo maceratus, & qui ne labris quidem vti poterat, tantum abest vt pedibus, tantillo momento temporis & cibum sumpsit, & verba fecit, & è lecto facilius surrexit quàm qui erant sane. Ille autem hanc sibi im-

42 *Sola sancti viri manus porrectio ægrotantem ad mortem in instanti sanat.*

Ponit pœnam suæ inobedientiæ, quòd ad noua illa ædificia non sit amplius reuersus.

Cum ea autem res venisset ad aures Eliæ Patriarchæ, non visum est ei ferendum sinere vt illæ manerent amplius. sed statim mittens eas euertit funditus & humi deiicit. Diuinus autem Sabas cum quosdam è laura postea assumpsisset, & circa quinque stadia recessisset ab ædificiis quæ euersa fuerant, nouas collas fabricatur, & domum excitat oratoriam. Erat vero nomen Zagranon ei qui locum ipsi præbuit ad illarum ædificationem. Quo quidem in loco Andream quendam & Paulum fratres secundũ carnem, & ambos genus ducentes è Græcia, illarum rectioni præficit & curationi: & cum effecisset vt quidam fratres simul cum eis habitarent, lauram constituit, & eam eodem nomine vocat quo lacum. Porrò autem Iacobũ quoque, ei enim quod de eo dicitur necesse est hoc quoque addere, volens ostendere filium obedientiæ, tradit ei ministerium eorum qui hospitio excipiebantur in laura.

Accidit autem aliquando vt cum fabas coqueret, & vt qui in eis esset omnino inexercitatus, nimium & plusquam opus esset pararet. vt quę remanserant sufficerent ad tertium diem. Sed ille quidem secundo die quæcunque fabæ erant plusquam opus esset, eas tanquam stercora proiecit in riuum propinquum. Quod quidem diuinum Sabam nequaquam latuit. Sapientis enim oculi super caput eius. Abit itaque latenter, & collectis quę effusę fuerant fabis, cum eas parum extẽdisset ad Solem, ipsas rursus tollit. Deinde cum aliquantum intercessisset temporis, solum Iacobum vocat ad conuiuium. & cum recte parasset illas fabas quas ipse nuper in torrentẽ iecerat, ei suaue apponit obsonium. Postquam autem comedissent, diuinus Sabas veluti tentans Iacobum, Ignosce, inquit, mihi frater. forte enim non te ita excepi obsonio vt volebam. condiendi enim artem non satis teneo. Cum is vero dixisset id sibi valde placuisse, & iam longo tempore tam suauem cibum non comedisse, excipiens magnus Sabas, scias ò fili, illas esse fabas quas paulo ante tanquam inutiles in riuum proiecisti. Oportet ergo te considerare, quomodo qui ne ollam quidem leguminis ita potest dispensare vt cum vsu debitam proportionem habeat & non redundet, poterit is fratribus regendis sufficere? Quamobrem nec ad testimonium quidem, inquit, huic rei ferendum valde discrepat illud Apostolicum. Si quis domui suæ nescit præesse, quomodo is Dei præerit ecclesiæ? Cum hæc & similia dixisset Iacobo, & simul quidem Oeconomiam paterne correxisset, & illius priorem arguisset temeritatem, & ne ei tale quid rursus eueniret præmuniisset, tunc eum quidem cum precatione dimisit & benedictione.

Aliquanto autem post tempore in cella silentium agens Iacobus, grauiter vexatus fuit à fœdis carnis cogitationibus, & eum opprimebant magni fluctus libidinis. Is vero cum eis diu fortiter restitisset, deinde aspexisset ad vastum pelagus tẽtationum, nec putasset fieri posse vt vnquam sedarentur fluctus, à maligno indutus & insidiosis illius machinationibus & suggestionibus, & animo incensus, fortasse vero sacrorum quoque canonum oblitus, stricto gladio amputauit sibi genitalia, malum malè medicans. Cum dolorem autem ferre non posset & fluxum sanguinis, eos qui propè erant implorauit, & conuocauit eos qui erant opem laturi. Illi

vero cum accurrissent, & hoc graue malum ab eo sua sponte susceptum aspexissent, arte medendi vt potuerunt opem tulerunt & dolorem sedauerunt. Cæterum res peruenit vsque ad aures sacri Sabæ: & cum conualuisset Iacobus, expellit eum è laura, vt qui sibi ipsi esset insidiatus & manus improbe attulisset. Hinc cum grauis quædam pœnitentia Iacobũ subiisset, ea acerbe eius percusit animum: effecitq; vt calidas profunderet lachrymas & ex imo pectore acerba traheret suspiria. & ad summam erat visu miserabilis, & eo ipso eos qui videbant incitabat ad misericordiã. Cum sic ergo esset affectus, accedit ad beatum Theodosium, grauia illa bella carnis enuntians, & à se sibi allatas manus exponens, & lauræ deflẽs alienationem. Ille ergo ab eo flexus, cum ipso venit ad beatum Sabam, & fit ei supplex & rogat vt fratri ignoscat, & eum rursus in lauram admittat, iis pœnis quas par est impositis. Amici itaque precibus motus Sabas, propriis quoque visceribus ei opis plurimum ferentibus, admittit Iacobum: hoc inter cætera ei præcipiens, vt cum nemine sermonem conferret, neque aliquem aspiceret, præter eum qui illi ministrabat necessaria. Quiescentem ergo & silentium agentem Iacobum rursus habebat cella, & plurimam ostendentem pœnitentiam, & Deum vehementer rogãtem, donec ei desuper remissum fuit crimẽ, & data est delicti venia. Quomodo autem statim dicetur.

Visus est aliquando huic diuino Sabæ, vir quidam visu splendidus, & vndique emittens dulcem radium lucis, propè stare: & ante pedes Iacobi iacentem ostendere mortuum: Iacobum vero orantem pro mortuo. Deinde vox quædam desuper audiebatur, Iacobe, dicens. Preces tuę sunt exauditæ. Tange ergo mortuum. & resurget. Deinde cum Iacobus quidem tetigisset vt iussus fuerat, mortuus resurrexit. Vir autem ille luminosus dixit Sabæ. Ecce surrexit mortuus. Tu quoqne de cætero relaxa à vinculis eum qui suscitauit. Hæc cum vidisset Sabas, & celerrime coniecisset quidnam sibi vellet illa visio, protinus egressus est è cella: & cum vocasset Iacobum, iusit vt deinceps accederet ad diuinam synaxim. Cum ille ergo venisset in ecclesiam, & fratres impertiisset eo quod est ex Christo osculo, & deinde descendisset ad beatum Theodosium, & ille similiter in Christo salutasset, septimo die post visionem, è præsenti vita lætus emigrat.

Post hæc autem duo quoque quidam ex iis qui erant in laura, cum in iis quæ ad Deum pertinent esset fraternus inter eos consensus & concordia, vocabantur autem Zanus & Beniamin, petunt à beato Saba cellam quæ quinque stadiis à laura distabat versus meridiem Ille autem vt qui sciret eorum in virtute studium & diligentiam, concesit quod petebant: & dat eis cellam q̃ postulabant. Cũ illi ergo eam accepissent, Saba quoq;
43 eis magnam opem ferente & prebente impensas ipsum 43 cœnobium construxere. Cum multi autem illuc conuenissent, ecclesia ædificata, & arafixa, & ea vt par erat consecrata, statuit vt ij quoque eadem regula & lege viuerent qua alij qui eius parebant imperio. & sic locus ab initio erectus in monasterium, floret vsque in hodiernum diem: & denominatur à beati Zani nomine.

Habes hic cœnobij ædificationem. Ecclesiæ constructionem, Aræfixionem & consecrationem, Monachorum regulam & legem.

Quidam autem senex qui ortus quidem erat in Bethania, vocabatur vero Anthimus, cum multis ex Deo sudoribus vitam suam ornasset, erat

vltra

vltra torrentem ad Orientem, ex aduerso turris quæ à beato Saba fuerat extructa, cella ædificata, & triginta annis illic peractis. Deinde cum morbo quodam postremo fuisset implicatus, iacebat senex in lecto doloris. Cum ergo Saba admirabilis, eum & morbo & longa senectute sic vidisset omnino resolutum, rogauit vt transferretur ad aliquam cellam ex iis quæ sunt iuxta ecclesiam. vt sic possent fratres eum visitare, & seruire ei minori labore. Hæc ille quidem rogabat. Senex autem non patiebatur. dicens debere eum in Deo confidere fore vt illic consumeretur vbi habitauit ab initio. Deinde cum noctu aliquando surrexisset Sabas, ante eam quæ fit mane congregationem, visus est audire quandam symphoniam & modulationem tanquã multorum canentium. Arbitratus itaq; cani ea quæ cantari solebant in matutino cantica, apud se dubitabat q̃uo non vt consueuerant præter eius sententiam peragerentur cantica matutina. Cum ocyssime itaque venisset in templum, & portas inuenisset pulchre clausas, reuertitur. & rursus videbatur audire priores voces, quæ canebantur cum maxima voluptate. Erat autem hoc quod canebatur.

Transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei. In „ voce exultationis & confessionis soni eorum qui festum celebrant. Cum „ ergo didicisset vndenam sit sonus canticorum illorum admirabilium, è somno repente excitat eum qui sub eo erat ordinatus: & iubet vt ligni pulsu conuocet fratres. Qui cum repente fuissent congregati, assumens aliquos Sabas, venit ad cellam senis cum 44 suffitibus & lampadibus. illinc enim audiebatur canticum. & cum fuissent intra cellam, nullũ quidem alium inueniunt nisi solum senem eumq; iam cõsummatum. Quem cum reuerenter complexi essent & ei iusta fecissent, sacrum illius corpus mandant sepulturæ.

44 *Vide catholicum sepeliẽdi modum, cum suffitibus & lampadibus, cum choro monachorum & iustorum celebratione.*

Fit autem post hæc aliud quoque à Saba miraculum quod est cum iis quæ præcedunt conferendum. Erat in beati Teodosii monasterio quidam Monachus, nomine Aprhodisius, genere Asianus, corpore maximo, & cui robore nullus poterat conferri. Pondus enim frumenti duodecim modiorũ è terra tollens, imponebat humeris, nemine id attingẽte. Huic ergo Aphrodisio cui fuerat commissum mulorum ministerium, accidit aliquando vt cum manu asinum percussisset in maxilla, faciem ipsam contereret. & sic ex hac causa mulum interficeret. Ille vero & onere & mulo humeris imposito, venit in monasterium. Deinde illic expulsus propter iumentum interfectum, abit ad Iordanem conuenturus Ioannem qui resplendebat in Chuziba: & narrat ei calamitatem. Is autem ei cõsulit vt eat ad beatum Sabam: & quæcunque ille iusserit faciat prompto & alacri animo. Sic enim fore & non aliter vt salutem consequatur. Is vero cum obedire constituisset, ad Sabam recta proficiscitur deplorans id quod acciderat, & suã deflens alienationem: & si non aliud possit facile consequi, at interim breuem aliquem ab eo quærens audire sermonem, vt sciat quidnam faciẽs inuenire possit salutem animæ.

Cum hæc verba audiisset Sabas, vt vidisset animæ agrum ad suscipienda semina spiritualia aptum, eum excipit prompto & alacri animo. Iubet autem eum in hac cella manere & ad nullum aliũ accedere. Neque è laura egredi. Linguæq; & ventri moderari. Hoc cum ille accepisset mãdatum, apparuit magnus in operibus; & maximum potius & generosum

animum q̃ tale esse corpus consecutus. Perpetuos enim triginta annos nũquam est è laura egressus, nec ad aliam vnquam accersit cellam: & neq; æris 45 aliquid neque vllam habuit ollam. non vsus est igne. non fuit particeps olei. non vinum bibit, non mulsum. non duas possedit tunicas. sed dormebat super stoream: pertuoq; fletui & operi manuũ erat intentus. Id autẽ erat contextura sportarum, quas multi solent appellare μαλάκια. Is enim nonaginta texens suis manibus singulis mensibus, eas præbebat cuidam ex iis qui ministrabant in laura. & ipse rursus vicissim ab illo accipiebat ea quæ ad vsum pertinebant. Quænam autem ea erant? Mensæ fratrum reliquiæ, siue olera essent, siue legumina. Hæc enim ab illo accipiens, reponebat in quadam pelui. & parum illinc sumens quotidie alebatur. & eo erat contentus. Quòd si contigisset ea vermes parere, & si tetro esse odore referta, nihil erat ei reiiciendum: sed implebant omnia vsum nutrimenti.

45 *Ecce miram hominis abstinentiam in cibo, potu, uestibus, somno, & fere in omnibus rebus.*

In hac vitæ ratione illæ triginta annos transegit vt dictum est: & nec ægrotauit; nec vlla affectus est tristitia, neque vnquam ei doluit stomachus. Præuidendi quoq; donum consecutus, septem diebus antè mortem suam præcognouit. cum illa ei vltima fuisset reuelata. Petit ergo à diuino Saba vt sibi liceat descendere ad Theodosium: vt ab eo quoque consequatur remissionem: deinde reuertatur ad cellam. Annuit itaque Sabas petitioni. Nam ei quoque nota erat mors Aphrodisii. & cum eo mittens discipulum Theodulum, per ipsum significat beato Theodosio. Ecce cõmunem fratrem Aphrodisium. quem aliquando accepi hominem, nunc Dei gratia eum ad te misi Angelum. Quem cum lubenter diuinus excepisset Theodosius, & eum communi mensa impertiisset & salutatione, cum Theodulo rursus dimittit in pace. Is autem statim reuersus ad cellam, cum parum ęgrotasset migrat ex hac vita ad iucundam illam vitã & in quam nulla cadit perturbatio. Eius vero diuinas & sacras 46 reliquias, cum conuenientibus hymnis & lampadibus tollens conuentus fratrum, deponit cum aliis sanctis patribus in quodam loco qui erat ex transuerso lauræ. cum hoc quoque mandasset beatus Sabas, vt cum ab iis qui accedebant cognosceretur eius capsa vtpote insignis, eius virtuti conuenientes haberet etiam post mortem honores. Talis fuit hic magnus pater noster in virtutis exercitatione. & tam pulchros collegit fructus suorum laborum.

46 *Nota singula uerba hæc. Eius uero diuinas & sacras reliquias cum cõuenientibus hymnis & lãpadibus tollens conuentus fratrum, deponit cum aliis sanctis patribus.*

Sed cum talia & tanta sint quæ dicta sunt, nempe in multis locis deserti constracta ædificia monasteriorum: continua trophæa contra Dæmones: correctio fratrum qui fuerant supplantati: ipsos facere Angelos ex hominibus: gratia præuidendi futura. Cum talia ergo sint & tam digna admiratione quæ dicta sunt, habent ea quæ consequuntur nihilo pauciora si non etiam plura quæ non sunt minus admiranda. Dicantur autem ea quoque. Est quædam ciuitas ad Orientem quæ vocatur Medapa sita trans Iordanem, subiecta nonnullis Arabum. Qui eam ergo habitabant Madapeni, frequenter euntes ad beatum Sabam, & quandam ab eo magnam percipientes vtilitatem, ipsi rursus multa suppeditabant necessaria illius monasteriis. ea veluti quandam mercedem reddentes spiritalis illius vtilitatis. Ex iis erat etiam vnus Gerontius, quem cum inuasisset quædã corporalis infirmitas, & longo tempore decubuisset

in sancta ciuitate, omnium iucundissimam desiderabat profectionem, nẽpe vt veniret in monte Olíueti & illic oraret, vbi dicunt diuina eloquia meũ moratum esse Christum: & peregisse magnum miraculum assumptionis. Cum ergo iumentum ascendisset Gerontius, statim iniit viam quæ fert ad montem. Interim autem, seu casu seu maligni potius Dæmonis improbitate, conturbatum iumentum, deiicit vectorem. & repente deturbatus Gerontius talem subiit ossium confractionem, vt vel earum rerum periti medici desperarent de curatione. Erat vero Gerontio frater iunior: is cum vidisset fratrem confractum tam miserabiliter, & magno fuisset dolore affectus, alia quidem parua esse reputans & quæ longo tempore indigent, nempe Medicorum euocationem, oleum & ligamenta, & quæcunq; sunt artibus illorum consequentia, statuit ei adhibere medicamentum vtilissimum. & continuo currens ad lauram, accedit ad diuinum Sabam, miserabiliter eiulans, & fratris deflens calamitatem: & ad ipsum visitandum eũ vocans. Ille autem, eius enim doloris valde fuit misertus, erat enim corde propensissimo ad misericordiam, vadit ad Gerõtium. & cum eum offendisset tam male effectum, primum quidem vtitur efficaci auxilio orationis. 47 Deinde cum etiam salutari vnxisset oleo crucis, sanum protinus reddit eum qui fuerat confractus, adeò vt nullo opus ei fuerit tempore ad recreationem. quod maximo stupore effecit eos qui aderant. & admirati sunt magnum & præclarum opus Sabæ & eius ad Deum fiduciam.

47 *Precibus ad Deum, & unctione olei crucis confractũ ossibus sanat Gerontium.*

Postea autem Thomas quoq;, eo enim nomine vocabatur filius Gerontij, propter vsum quendam venit ad habitaculũ quod est in Hiericho. Cum tunc autem fame laboraret ciuitas, conuenit magnum Sabam & Paulum & Theodorum, qui administrabant Castellium & speluncam. Cùm diuinus autem Sabas eum lubenter & iucunde, vidisset ingenue & spiritaliter eum alloquitur, viro valde delectatus. Volebat vero eũ quoq; corporali conuiuio excipere, eumq; mẽsa & sale impertire. Sed cœna quidem erat parata. Minister enim hospitij, quãdo vidit Thomam accessisse, non neglexit statim facere id quod erat solitus. sed hospitem excepit iis quę habebat in promptu. Interim autem dum comederent ministrum rogat Sabas, an posset vinum quoque præbere. Cum is vero respondisset se vix habere acetum in vase cucurbitæ, idq; admodum acre, vt magis condiret olera, ille excipiens, Afferatur, inquit, ad me vas cucurbitæ. Benedictus enim Deus. nos vinum ex eo faciemus. Est enim perspicuum q; qui omnino aquam mutauit in vinum, eius etiam mutabit acorem. Hæc dixit diuinum illud os & melli fluum. & allata protinus cucurbita, inuentum est in ea vinum, & vinum re uera lætificans cor hominis. Cum ij autem qui aderant, vt par erat affecti fuissent admiratione, suffitũ & ignem iussit ille beatus afferri. Diuina enim, inquit, visitatio facta est in hac hora. Sed nõ eo vsque solum constitit miraculum: sed eos vsque processit, vt multitudini quoque daretur vinum. & enim ad tertium vsque diem ab illo tẽpore ad satietatem suffecit bibentibus. Thomas itaque ipse quoque admiratus insigne miraculum, à beato Saba petit cucurbitam. & cum accepisset, illam quidem habuit tanquam thesaurum. quod in ea autem remãserat, vinum ei suffecit domum vsque. Hæc mihi narrauit Gerontius, Gerontius, inquam, Gerontij quidem nepos cuius membra iam confracta fuerant, & à diuino Saba fuerat admirabiliter in integrum restitutus: filius

autem Thomæ de quo dixi paulo antè. cui nũc quoque propter insignem virtutem obtigit præfectura monasterij magni Euthymij.

Porrò vero illud quoque adiecit iis quæ dicta sunt, ꝙ multis postea annis fuit cucurbita compluribus occasio salutis. Si quando enim contigisset aliquem morbo opprimi, nos, aiebat, eam aqua implentes, ei qui laborabat infundebamus: & aqua illa morbum soluebat protinus. Sed hæc quidem Gerontius. Mihi autem se offert narrandã res lepida & amœna. Nam cum aliquando ad Iordanem beatus iter ingrederetur, secum autem quendam adduceret ex suis discipulis ętate iuuenem, eis fit obuiam multitudo mundanorum: inter quos erat etiam adolescentula specie venusta, vagis & lasciuis oculis: laqueus qui nõ poterat facile superari. Postquam vero illi præteriissent, Sabas veluti tentans Discipulum, Tibi, inquit, qualis visa est puella? Mihi.n. visa est vnum solum habere oculũ. Nequaquã, inquit, ò pater. sed duos habebat oculos. Ille verò, falsus est ò fili. erat.n. re uera orbata altero oculo. Discipulus autem ignorans hanc fieri interrogationem à sapiente Saba vt ipsum tentaret: dum quærit vt recte cognosceretur, quod non ab ipso recte cognitum fuerat. Nequaquã, inquit, ò pater. sed vel valdè lucidos habebat oculos & visu iucundissimos. Sabas autem, Qui factum est, inquit, vt hoc scires tam accurate, vt hoc etiã tam constanter audeas asseuerare? Ego, inquit, eam pulchre attendi: & aperte noui eam habere ambos oculos. Cum vero iam esset Discipulus laqueis implicatus, tunc diuinus eum aperte arguens, Vbi, inquit, tibi positum est illud præceptum, Ne ad eam attraharis tuis superciliis? De cætero ergo, inquit, non amplius mecum versaberis: neque mecum in cella manebis: donec assuefeceris oculum non sic vagari, sed in loco manere. Cum sic dixisset, illum statim mittit in Castellium. Deinde cum illic satis longo tempore esset versatus, & pulchre castigatus, & pro oculis satis luisset supplicij, non fallaci pœnitentia sed cordis 48 doloribus, eum rursus suscipit beatus, & refert in numerum suæ cellæ.

48 Vides quod uera pœnitentia non est sine cordis dolore, alioqui falsa est? Non ergo uera pœnitẽtia noua uita duntaxat, ut dicunt hæretici.

Sed quod in cucurbita factum est miraculum me propemodum effugit, nisi quæ de altera cucurbita à me paulo antè dicta sunt, id reuocassent in memoriam. Nam ab Athleta hic quoq; fit aliquid simile iis quæ prius fecerat Moses in fluentis Marræ. Lauræ enim coquus aliquando quidem coquebat cucurbitas, & eas parabat obsenium operariis ædificatorum. Cum autem iam tẽpore prandij gustasset obsenium, inuenit id felle amarius. Cum ergo ęgreferret id quod acciderat, neque enim erat aliud quod illius vsum impleret, diuino Sabæ annunciat id quod factum fuerat. Is autem statim veniens in culinam, cũ in ollam iniecisset signum 49 crucis, iussit coquo eam accipere ac secure apponere. Is vero sic fecit: & lubenter comederunt artifices sic admirabiliter mutata qualitate. Eius.n. voluntatem diuina sequebatur gratia, quæ sola potest fidem facere eorum quæ deinceps sequuntur. Nam aliquando quidem veniebat beatus ea via quæ fert à Ruba ad Iordanem. In via autem incidit in leonem ingenti magnitudine, cui pes erat paxillo transfixus & magnum sentiebat dolorem. Sic ergo affecta fera, quando vidit sanctum Sabam prætereuntem, ad eum accedit protinus pedem tollens sublimen: & paxillum quodammodo ostendens, & rogans vt misereretur & eum illa liberaret molestia. Ille ergo cum rem statim intellexisset, et leonis doloris esset misertus, mã-

49 Ecce quomodo res antiqua est signare creaturas signo crucis.

suetis

suetis enim & rerum honestarum amantibus animis, etiam ad eos vsque pertinet misericordia, illum quidem humi facit sedere. cum pedem autem sensim apprehendisset, eximit paxillum. & sic leonem liberat à dolore. Verũenimuero ipse quoq; beneficio affectus, & quasi magno & excelso animo volens referre gratiam, ferinæ quidem naturæ obliuiscitur. ei autem adhæret tanquam gratus & beneuolus famulus, studiose in omnibus inseruire desiderans.

Nam erat quidem huic venerando patri Discipulus quoque nomine Phlais. aderat autem quidam quoq; asinus, per quem inseruiebat Phlais magni ministeriis. Siquando vero contigisset Discipulum emitti ad aliquod ministerium, Leoni asini custodiam & aliam etiam eius curam pater leoni committebat. Cernebatur itaque leo asini capistrum ore accipiens, & mane ad vesperam vsque ipsum ducens ad pascua, vespere autē ducens ad aquam, & sic domum reducens, & Discipuli implens omnem curam in asinum. Dies aliquot interim transierunt: & leo sic assiduo fungebatur ministerio. Deinde quid accidit, & quid efficit inuidia? Phlais missus ad aliquod ministerium, & à diuina gratia desertus, forte propter aliquam mentis elationem, ex qua multa delicta procedunt, cadit in lapsum fornicationis. Illo vero die, asini quoque custos leo,ململ ferociter insurgit in eum quem custodiebat, & eum deuorat. Cum hoc autem intellexisset Phlais, animaduertisset peccatum suum causam fuisse vt deuoraretur asinus à leone, non ausus est amplius venire in conspectum senis: sed reuersus in locũ vnde trahebat genus, tristitia afficiebatur & seipsum affligebat. Non tamen despexit eum diuinus senex: sed cum eum diu quæsisset inuenit: & ad se rursus reuocat: Deinde admonitionibus eum ducit ad pœnitentiam ex animo agendam: & efficit vt abluat peccatum multis 50 & calidis lachrymis, & sic vita laudabili Deo rursus placeat.

50 *Nota imponi hic à sancto patre satisfactionem pro peccatis commissis.*

Atque sufficiunt quidem ea quæ iam dicta sunt, ad ostẽdendam huius viri virtutis magnitudinem, & quanta Dei gratia esset locupletatus. Operæpretium tamen est se oblectare in iis bonis narrandis quæ fecit Byzantij: & quidnam eum impulerit vt relicta Palæstina ad vrbem venerit regiã.

Anastasio & Elia, illo quidem imperij, hoc verò ecclesiæ quæ est in Palæstina, sedem administrante, oritur interim quoddam scãdalum, quod Imperatorem & aduersus multos alios, & aduersus Eliam adeò irritauit vt eum damnarit exilio. Dicatur autem primum quidnam eum ad iram incitauit. vt sic quæ sunt deinceps dicenda facilius intelligantur. Tertio anno imperij Anastasii, incidit grauis seditio inter eos qui præerant ecclesiis. Romanis quidem Pontificibus dissidentibus à Bysantinis, ꝙ Acacium qui Constantinopolitanus quidem fuit Episcopus: de rebus autem Christianis non recte sentiebat, inscriptum haberent in sacris diptychis. Bysantinis vero rursus infensis Alexandrinis, qui Chalcedonensem quidē synodum feriebant anathemate: Dioscori autem admittebant communionem. Cum ergo inter eos inuicem magna esset dissensio, qui prius dictus est Elias, qui præerat Palæstinæ ecclesiæ, solius Euthymij qui erat Constantinopoli amplectebatur communionem. Occidentalibus quidē, vt diximus, depugnantibus: Palladio vero Antiocheno ad gratiam intuente Imperatoriam: & ideo Chalcedonensem quidem synodum feriẽte anathemate, ea autem amplectente quæ tenebant Alexandrini. vtpote ꝙ

Anastasius eadem quæ Alexandrini sentiret. Cum sic ergo se haberet Elias, & statuisset soli communicare Euthymio, Euthymius quidem, propter rectam de fide sententiam, ab Imperatore, ô iustitia, impie pellitur à sedis rectione: & in eius locum euehitur Macedonius.

Cum in his autem esset ecclesia, iis quidem qui Euthymium sede expulerant assentiri non sustinuit Elias, vt qui eum expulissent præter regulam. Macedonio vero non dubitauit communicare & cum eo conuenire, vt qui ipse quoque rectam fidem amplecteretur. Quod quidem non parum ab initio conturbauit Imperatorem. Postquam autem Flauianus quoque qui post mortem Palladij Antiochenæ præfuit ecclesiæ, eadem quæ ij sentiebat, & in vera & recta ratione ingrediebatur, non poterat amplius contineri ira Imperatoris, qui aduersus pietatem solam erat fortissimus: nec ferre poterat eorum concordiam: sed efferatus & acri ira percitus, vtrosque damnat exilio. Solum autem in præsentia quidem Macedonium cum innumerabilibus impetiisset calumniis, eiicit Episcopatu. Timotheo vero illius loco tradit administrationem. Studium autem & curam ponebat, vt Flauianus & Elias assentirentur Timotheo. Illi vero Timothei quidem susceperunt communionem, vtpote quod ipse quoque conueniret verbo recte fidei. Macedonij autem admodum ægreferebant exterminationem, vt quæ non tam iure ac legibus quam vi & potestate fuisset facta. Hoc aduersus ambos magno furore ciet Imperatorem, & efficitur ecclesiis causa magnæ tempestatis. Quod quidem cum nescio vnde resciuisset Elias qui Palestinæ præerat ecclesiæ, missis legatis diligenter agit ac reconciliatione. Legati autem erant & multi alij patres, & ipse Sabas cuius nunc vita est argumentum nostræ huius orationis, iam septuaginta annos natus. Præterea vero mittit etiam Elias epistolam, in qua hæc scripserat. Habitatores eremi & Sabam cum eis qui est caput eremi, ad tuam potentiam mittimus legatos pro ecclesiis. Tu autem eorum laborem, reueritus, & eos qui sunt ex Deo sudores, ô Imperator, fac vt cesset bellum aduersus ecclesias, & ne finas malũ progredi vlterius. Scimus enim tibi curæ esse vt ea agas quæ Deo grata sunt qui tibi concessit diadema.

Cum hi ergo diuini patres iam ingressi essent viam quæ ferebat ad Imperatorem, erat Sidone quædam synodus Episcoporum Orientis & Palestinæ tunc congregata aduersus Flauianum & Eliam, quæ prætextum quidem habebat iussa Imperatoris: acceperat autem duces, Soterichum Cæsareæ Cappadociæ, & Philoxenum Hierapolis Episcopum, qui Chalcedonensem synodum abrogantes, Eutychis & Dioscori studebant confirmare dogmata. Cum ergo Legati venissent Constantinopolim, arcana & quæ comprehendi non potest Dei sapientia, quæ eminus rerum magnarum præbet occasiones, & iis qui eum glorificant semper aliquando tribuit gloriam, hic quoque certo consilio aliquid gerit, per quod beatum Sabam qui indutus erat 51 cilicio & vili habitu amictus, omni imperatoria purpura reddit splendidiorem: & eam quæ in eo habitabat aperit gratiã spiritus, quæ operta erat multis velis moderationis & humilitatis. Nam cum ij qui cum ipso erant deducerẽtur ad Imperatorem, & fuissent iam omnes intra aulam Imperatoriam, ille solus à custodibus arcetur ab ingressu. seu propter vilissimam & contritam tunicam: seu Deo potius eũ sic volente facere insignem & gloriosum. Cum illos ergo benigne esset

51 *Vide cilicium & vilem habitum sancti viri.*

intuitus Imperator,& ea dixiſſet quę dici ſolent in aduentu: & deinde requireret quiſnam eſſet is qui erat pręcipue in literis poſitus Sabas. Cum Monachi autem in omnem partem circũcurſarent, neque enim ſciebant quonammndo ille eſſet ab eis diſiunctus & vbinam manſiſſet, ſtatimq; Imperatoris Satellitibus ad eum quærendum quoquo verſus obirent, inuenitur ſtans in quodam angulo ante aditum regiæ, & pſalmos canens Dauidicos. Cum illinc ergo eum diripuiſſent Satellites,& per regiam eũ feſtinanter introducerent, cum iam eſſet aſcenſurus limen vbi pręſidebat Imperator: videt ille circa eum inſignem quandam & plane admirabilem viſionem. non vt qui dignus eſſet talia videre: ſed vt ei fieret manifeſtum quantum honorem ſit Sabas apud Deum conſecutus. Viſio autem erat huiuſmodi.

Quidam ſpecie angelicus, veſte ſplendidus, eum in orbem circumiens, & ingreſſus illum præcedens. Hæc cum vidiſſet Imperator, & virum vere eſſe diuinum cenſuiſſet,& ei aſſurgit,ſeq; in eum oſtendit valde officioſum & magno eum habet in honore. Deinde iuſsit omnes ſedere: re uera enim erat ei magna in Monachos reuerentia,etſi quidam ſcelerati efficerent vt conturbaret rectam fidei rationem. Aures ergo præbens omnibus,iuſsit vt vnuſquiſque diceret de quo vellet. Illi autem veluti obliti communis eccleſiarum legationis, & cuius cauſa miſsi fuerant, vnuſquiſque proprias proponebat petitiones. Imperator vero cum eorum poſtulata benigne concedens,quæ volebant impleuiſſet,qm̃ petentibus omnibus ſilebat Sabas,nec omnino quidquam rogabat,ad eum vultum conuertens Imperator, Tibi autem ò pater,inquit,quid ſibi vult tantus labor itineris,cum nihil omnino roges nec poſtules? Adhæc ille rñdens,Hac de cauſa,inquit,veni ò Imperator,primum quidem vt tuam adorem pietatem, donec ſum adhuc in hoc corpore. Deinde vt rogem pro ſancta Dei ciuitate & eo qui illi eſt præfectus, vt nullam tuæ potentiæ ſubeat indignationem, ſed pax concilientur potius eccleſiis. Ita enim & ipſe Deum habebis propitiũ,& tibi præclarus præbebit victorias aduerſus inimicos. Eius ergo libertatem admiratus Imperator, & q nihil peteret ex terrenis & iis quæ ad victum pertinent: ſed quæ ferunt ad Dei cultum & eccleſiæ conſtitutionem,aliis quidem conceſsit vt recederent:ei autem largitur munus mille aureorum. dicens ea eſſe diſtribuenda monaſteriis quæ fuerunt ab ipſo conſtituta.& ſimul iuſsit eum manere,ſtatuens vt ad ſe poſſet ingredi citra vllum impedimentum. Cum vero non ſuſtineret ſedare iram quã iampridem conceperat aduerſus Palęſtinę Pontificem,aliquando dicit magno Sabæ. Qui veſtræ pręeſt eccleſiæ ò venerande pater, nos, vt videtur,magnæ damnans leuitatis,non ſolum ſynodi Chalcedonenſis ſuſcepit patrocinium, quę confirmauit dogmata Neſtorij:ſed etiam effecit vt Flauianus Pontifex Antiochenus eandem etiam viam iniret. & nunc ſolus reſtitit ſynodo Sidone congregatæ, Flauiano conſentiens, vt non feriantur anathemate qui improbe tutãtur dogmata Neſtorij. Vnde etiam nos putans ludificari, per epiſtolas noſtris iuſsis fert leges contrarias, iubens eiici quidquid in noſtram fidem ſentitur recens excogitatum Sed nõ amplius tali noſtra fruetur lenitate. Sed ecce decernimus, vt vides,illum quidem ſede expelli:eius aũt loco eum ſuffici qui ſit digne pręfuturus eccleſię. qm̃ non conuenit ſacra illa loca profanari ſceleratis decretis Neſtorij.

Adorem, ideſt veneret.

Hæc cum dixisset Imperator, & adeo graui ira ferretur in Eliam, incipiens diuinus Sabas Eliam defendere Patriarcham, eius iram ita compressit, vt non solum illam latam rescinderet sententiam: sed etiam Patriarchæ magis caueret: & iuberet ei de cætero remanere sedem minime auferendam. Illinc autem cum ad Imperatricem venisset Ariadnam, eam multum rogauit vt patris Leonis tueretur sententiam, & leges conseruaret pietatis. Hinc exercitatorem subiit amor vehementior quietis & silentij: & valde desiderabat reditum. Qm̃ vero menti eius tempus minime congruebat, tunc enim vigebat hyems, statuit vrbanos tumultus in præsentia declinare: & egressus in quendam locum non procul ab vrbe remotum, qui dicebatur suburbanum Ruffini, hyemauit illic reliquo tempore. Quem quidem in locum & alij quidem ad ipsum ventitabant, maxime autem Valentini Imperatoris neptis Iuliana: & Pompeij coniux Anastasia. quę in hodiernum vsque diem floret multis recte factis in monte oliuarum. Cùm post hæc autem ver aduentasset, ille quidem vt qui iam diu teneretur magno amore quietis & silentij, paratus erat de cętero proficisci in solitudinem. Contigit vero aliquid in pagis qui sunt Hierosolymis quod eius repressit impetum: & fecit eum rursus venire ad Imperatorem. Deinde paulopost magno cũ desiderio ingressus est viam quæ ducit in solitudinem. Verumenimuero non ingratum fuerit hoc quoque addere iis quæ dicta sunt, quod magnam iusti illius significat misericordiam in pauperes quibus fiebat iniuria: & zelum aduersus eum qui improba mente contendebat prohibere misericordiam, & admirabilem in eum prædictionem.

Fames simul & pestis, duo mala & quæ similiter possunt tollere de medio, cum inuasissent nonnulla loca ex iis quę sunt sita sub imperio Romanorum, multas quidem domos exinanierunt hominibus: totos autem pagos & habitationes & agros reddiderunt vacuos habitatoribus Porro autem malum quoque procedebat vlterius, & adhuc pluribus afferebat interitum. Cum ergo considerassent communium curatores, quinetiam ipse Imperator, quanam ratione commune non pateretur damnum vectigalium annuorum decernunt vt à finitimis qui attriti fuerant & perierant ea exigerentur. & hoc locum habuit per vniuersam regionem quæ parebat eorum imperio. & quicunque habitabat in locis vicinis, cogebatur etiam pendere vicinorum vectigalia. siue periissent fame & inopia: siue etiam essent suis bonis euersi propter necessitatem. Beatus ergo Sabas pro re tam iniqua ciuitatibus & tam impia, & maxime quod etiam Hierosolymis executioni mandabatur hoc iniquum & tyrannicum decretum, accedit ad Imperatorem, annuncians rei absurditatem, ostendens pauperum interitum. dicens commune nihil hinc lucrifacere, sed extremo potius damno affici. omnibus qui grauem illam famem & inopiam effugere potuerunt, afflictis ab hac graui exactione, & quæ essent in posterum soluturi, eorum iactura commune afficientibus. Deinde fit etiam supplex: & vnam ab eo petiit gratiam, nempe vt pauperibus iniustum illud vectigal remitteret: & duplici exactione miseros illos non amplius opprimeret. Cum is autem & iustum esset reueritus, & propter illius viri preces motus esset pudore, & nesciret quid ageret, & pauperibus vellet præbere immunitatem, à crudeli illo munere, Marinus quidam agrestis mo-

tibus,

ribus, qui linguam cohibere non poterat, tunc vero magnam habebat potentiam, agebat autem & ferebat quo volebat leuitatem Imperatoris, se in pedes erigens, honestam illam & vere regiam euertit sniam, dicens esse Nestorianos qui erant in sancta ciuitate, & tali dono minime dignos.

Cum eum autem increpasset beatus Sabas, & iussisset eum cessare desuper bellum excitare aduersus Imperatorem: in fine autem illa quoque adiecisset, Nisi te velox propter ea quę dixisti subierit pœnitentia, tibi monimentum peribit cum sonitu. Marinus quidem nihilo se euadit melior. Ille vero cum Imperatori statim vale dixisset, & alias ab eo drachmas accepisset, vt distribueret iis qui sub eo erant monasteriis, proficiscitur statim in Palęstinam & eas quæ sunt in ea solitudines. hæc autem magna in pauperes iniustitia mansit incorrecta tempore Anastasii. cuius partem quidem curauit Iustinus, cum diuinus quoque Sabas tunc litteris apud illum intercesisset: perfectam vero illius curationem postremo effecit Iustinianus. Non multum intercesit temporis: & finem acceperunt venerandi huius viri ad Marinum prædictiones. Nam cum quædam rerum innouatio occupasset ciuitatem, & mota esset popularis seditio, facultates omnes Marini raptæ sunt à seditiosis: & domus fuit igne exusta: & parũ absuit quin ipse periret. Neque verò mortem quę imminebat potuisset effugere, si non cito ad conuersionem aspexisset & pœnitentiam. Hoc autẽ & aliĳ plurimi renuntiarunt, & Pompeius quoque consobrinus Imperatoris: multum quidem deflens Marini calamitatem: multum autem admirans beati Sabæ certam & veridicam prædictionem. narrauit etiam postea Anastasia vxor huius Pompeĳ, quam in monte Olivueti omni florere virtute, vobis superior tradidit oratio.

Diuinus autem Sabas cum emisisset quidem partem auri sibi datam ab Imperatore, paternam domum quæ erat in Mutalasca, extruxit in tẽplum martyribus 52 Cosmæ & Damiano. quod reliquum vero erat, ex ęquo diuisit & iis qui simul erant fratribus, & quæ sub ipso erant monasteriis. Qm̃ autem quidam ex Monachis qui cũ ipso ascenderant Constantinopolim, sordidi & illiberalis animi notam subeuntes in auri diuisione, dicebant maiorem ad se partem pertinere, vt qui plus q̃ aliĳ laborasset, & cũ magno Saba venissent vsque ad Constantinopolim, non permisit vt diu conturbarentur & essent adeò parci & sordidi. partim quidẽ ex historia adducens & ostendens eis Regem Dauid æqualem partem vtrisque tribuisse. nempe et exercitui qui in bello cum eo adiit certamina, & iis qui remanserant ad castrorum custodiam. partim vero etiam ostendens eis à contrario, q illis maior pars debebatur: quandoquidem illi, inquit, pro nobis & corpore & animis decertauerunt: ipsi autem solis corporibus in via laborauimus. Et hæc quidem sic.

52 *Etiam tunc in honorem sanctorum templa ædificabantur.*

Diuinus autem Sabas Mamantem quoq; quandam qui præerat Monachis in Eleutheropoli qui laborabant morbo Seueri: & prius quidem apud tribunal Imperatoris libere & cũ magna confidentia locutus erat aduersus fidem orthodoxam, postea autem ab ipso Seuero vehementer dissensit, assumens Hierosolyma, ab acerba illa hæresi blandis verbis abducit: & vt Eliæ adiungeretur efficit. Deinde multos quoque alios Hæreticos suo exemplo Mamas illaqueat: & deducit ad fidem orthodoxam. Venit autem deinceps oratio ad id quod fuit caput certaminum quæ su-

fcepit Sabas pro recta in fide sententia. Iam enim Soterichus & Philoxenus cum suis improbe ascenderunt in Sidona. vt anathemati quidem subiicerent Chalcedonensem synodum: Flauianum autem & Eliam de sede deponerent. Sed illi, eas quæ in se struebantur insidias, supplicibus litteris missis ad Imperatorem, tunc quidem depulerunt. Postea vero Soterichiani maiore in illos inuidia accensi, magno furore in eos incitant Imperatorem, vt qui maledictis ab eis appeteretur & irrideretur. Certe cum à mente deprauato Imperatore scelerati istis tradita fuisset potestas in Alexandrinos, auro subeunt & corrumpunt populum Anthiochenum. Quę autem sunt consecuta, sunt potius lachrymis scribenda quam litteris. Nā cum Flauiano quidem omnem adhibuissent necessitatem, & quid non graue & molestum in eum intulissent, cogunt eum anathemate notare synodum Chalcedonensem. deinde è sede & ciuitate simul turpiter eiiciunt. Seuerum vero profanum caput Acephalorum, habentes etiam Imperatorem maximam ad id opem ferentem, eius loco sufficiunt. qui cum apprehendisset sedem Antiochenam, innumerabilia quidem mala fecit iis qui non ei communicauerant. Mittit autem sua quoque synodalia ad Eliam Patriarcham. Quibus minime admissis, non mediocriter ad iram accēdit Imperatorē. & hęc synodalia rursus mittuntur Hierosolyma, simul missis etiam quibusdam Clericis, & non parua manu militari. vt iis quibus non persuadebatur eadem tenere quæ ipsi, vim etiam afferrent.

Cum hæc autem ita se haberent, & tam acerba in fidem orthodoxam exerceretur tyrannis, et iam Eliæ graue imminere periculum, & eius capiti malum imperderet, & nusquam auxilium, cum congregasset diuinus Sabas eximios omnes & electos Monachos. & cum illis accedens, & illam quæ circunsistebat Eliam perrumpens multitudinem, ò generosam animam, Regis Satellites & Seueri ministros illinc fugat tanquam quædam mancipia. Deinde alia quoque vndique confluentium Monachorū multitudo, eos qui Seuero communicabant, in illorum ipsorum conspectu anathemati fidenter subiiciunt. Hoc dedecus & hanc ignominiam volens delere Imperator, contra eos mittit Olympium quendam Cæsariensem, ei traditis copiis quæ erant in Palæstina, regia vtens auctoritate, non legibus nec iudiciis. Qui cum primum ascendit Hierosolyma, Eliam quidē de sede deponit, an eum damnat exilio. Ioannem autem filium Marciani, qui Seueri quidem confessus fuerat communionem, anathemati vero subiecerat Synodum chalcedonensem, reponit in illius sedem. Quod quidem cum didicisset beatus Sabas, non licuit ei cunctari: sed cum rursus assumpsisset sacrum illum exercitum Monachorum, tanquam præstantissimus quispiam Imperator, irruit in certamen. Et Olympium quidem non offendit. iam enim ille, tanquam res ei recte successissent, reuersus est in ciuitatem. in Ioannem autem incidens nouum Patriarcham, testificatur & denunciat ne Seuerum admittat in communionem. sed tueatur potius synodum Chalcedonensem, & pro ea ad sanguinem vsque periclitetur. Quod quidem facit ille reueritus patrum protestationem, omnino oblitus conuentorum cum Olympio.

Propter quæ iratus Imperator, Olympium magnæ condemnans stultitiæ, illum quidem statim deponit de magistratu. Cum eum autem tradidisset Anastasio, & eum constituisset Ducem totius Palęstinę, illuc mit-

tit. Ille vero cum quam celerrime veniſſet Hieroſolyma, & ne ſolo quidem verbo impertiiſſet Patriarcham, ſed ſolum ſpectaret gratiam Imperatoris, & pro honore ei dato ſine ratione ei viciſsim præſtaret officium magis expers rationis, eum ſtatim coniicit in carcerem, impudenter vim afferens, & in difficilem adducens neceſsitatem, vt ſynodum quidẽ Chalcedonenſem ſeu abrogaret & confirmaret: amplecteretur autem & defenderet Seueri communionem. Sed ille cum rem communicaſſet Zachariæ qui præerat Cæſarienſibus, latenter conſulendo de iis quæ erant propoſita callida arte ſubterfugit neceſsitatem. Ea autem erat. Pollicitus ſe omnia facturum quæcunque Dux iuberet, prompto & alacri animo, ſi relaxaretur à cuſtodia, poſtquam duo ſoli dies prẹteriiſſent. ne vi, inquit, videamur parere iuſsit Imperatoris, ita dimittitur è carcere. Deinde vna nocte multitudo eorum qui erãt circuncirca Monachorum, conuocatur in templum Stephani primi Martyris, ſpecie quidem vt qui eſſet mane celebraturus commune feſtum primo Martyri: re uera autem eos aduocans ad auxiliũ orthodoxæ fidei: vt ſic magis hæreticorum coërceret arrogantiã. Diluculo ergo congregata fuerat multitudo Monachorum, partim quidem ex iis qui fuerant illic congregati Monachi, ſicut dictum eſt. partim autem de more veniens ad ſynaxim. partim vero quæ concurrerat ad videndum Hypatium, qui erat conſobrinus Anaſtaſii Imperatoris, modo ſeruatus ex captiuitate. erat enim templum quoque capaciſsimum multitudinis. Aderat autem ipſe quoque Dux, vt eo teſte abrogaretur & abdicaretur ſynodus Chalcedonenſis.

Protinus ergo aſcẽdit ſuggeſtum Ioannes, vtraq; manu tenens Sabam & Theodoſium pietatis propugnatores. Cum ſe autem ſuſtinuiſſet aliquantulum, viſus eſt ſenſim ſuſurrantem audire multitudinem, & dicẽtem oportere ferire anathemate eos qui non recte ſentiunt. Hoc ergo ille cum tanquam diuinum aliquod ſignum accepiſſet, & cor habuiſſet repletum audacia, vnam emittit vocem cum multitudine. Si quis ea ſentiat quæ Eutyches, Neſtorius, Seuerus & Soterichus Cęſareę Cappadocię Epiſcopus, ſit anathema. Tunc ſentit Dux fraudem, & veritus populi cõſenſum vnanimem, ſatis habuit ſi ſe ſubducens ſilentio fugeret: & abiit Cæſareã. Qui autem remanſerat conſobrinus Imperatoris, iureiurando affirmauit diuinis patribus, ſe non veniſſe vt communicaret malę Seueri opinioni: ſed vt loca 53 adoraret veneranda, ſeq; velle potius communicare eorum ſanctitati. Dat itaque Sabę magnam vim pecunię: & iubet eam diſtribuere omnibus qui illic erant Monachis. ſimul quidem oſtendens ſuam in Deum fidem, & quam erga illum habebat pietatem & reuerentiam, efficiens manifeſtam.

53 *Venerat Hieroſolymam, ut loca adoraret ueneranda.*

Cum autem beato Sabæ ſic proceſsiſſet è ſententia certamen quod pro recta fide ſuſceptum fuerat, ſciens ille Imperatorem hęc nõ eſſe paſſurum, ſed pro ignominia & dedecore id habiturum, & ęgre laturum, & omnibus modis operã daturum vt ſe vlciſcatur, congregato toto cœtu Monachorum vbi cum eis rem cõtuliſſet, ſimul ſcribit epiſtolam ad Imperatorem quæ hoc modo habebat. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, omnium rex æternus & Deus, excelſi poſt illum regni ſceptra pię veſtræ poteſtati ſua benignitate tradidit. re uera volens omnibus quidẽ ſanctiſsimis eccleſiis, præcipue autem matri eccleſiarum, bonum pacis conciliare per veſtram

in Deum pietatem. Sciunt vero omnes ꝙ cũ ab hac ecclesia cœpisset veri magnum veræ religionis mysterium, 54 peruasit vsque ad fines orbis terræ. quod quidem nos horum diuinorum locorum habitatores, ab alto à sacrosanctis acceptum Apostolis, sanum & integrum in hodiernũ vsq; diem conseruauimus, & in æternum Christi gratia conseruabimus, à recta verbi semita minime deducti ab aduersariis, aut corrupti profanis & variis eorum vocibus. In hac ergo intemerata, & in quam nulla cadit reprehensio, fide, cum nutritum & eductum ab ineunte ętate fuerit vestrum imperium, venit nobis in mentem admirari, quemadmodum in diebus vestræ pietatis tantus tumultus & tanta perturbatio iuuaserit matrem harum ecclesiarum, vt ne parcatur quidem iis qui Deo ministrant: sed Sacerdotes 55 & Monachi qui virtutem sequuntur à pueris, modesteq; & silentio vitam transigere delegerunt, in conspectu Iudæorum & quorundam aliorum gentilium, ab ipsa sancta Sion, per mediã ciuitatem, turpiter trahantur & intemperanter: & in profana quædam loca expellantur: quinetiam cogantur nonnulla facere ad rectæ fidei labem & reprehensionem. adeò vt qui huc veniunt voti causa, pro vtilitate animæ recedant, repleti scandalis & offensione. Rogamus ergo vestram potentiam, vt nos quoque aliquando à tantis malis relaxemur, quorum omnium auctor & origo est Seuerus, cui vt in Antiochena præsideat ecclesia mandatum est ad pœnam nostrorum peccatorum, ad malum quidem prius suæ animæ, & totius ecclesiæ multitudinis. Quomodo enim non est absurdum, nos qui sumus Hierosolymitani, modo doceri de fide, & qui fuimus omnium patres ad verbum pietatis, tam sero videri didicisse veram religionem? Quomodo non est hinc manifestũ, ꝙ hæc quę recenter apparet & videtur esse correctio rectæ & sanæ fidei quæ fuit tradita à patribus, non 56 est re uera correctio, sed peruersio & adulteratio potius eius ꝙ recte habet, eius susceptæ mercedem, iis qui persuadentur, procurans animæ interitum. Non ergo nec patiemur aliquid aliud addere 57 præter ea quæ decreta sunt à trecentis & decem & octo patribus qui fuerunt Niceæ, & tribus quæ post ea consecutæ sunt synodis: neque quidquam aliter innouare. sed pro eo etiam animas profundere, & innumerabiles si fieri possit mortes parati sumus suscipere. Pax autem Dei quę superat omnem intelligentiã, fidem nostram custodiet sanctam: & sedabit tempestatẽ quæ est aduersus eam excitata, nutu vestræ potentiæ, ad eius gloriam & decus pij vestri & religiosi imperij.

54 *Vides eam fidẽ seruandam & usq; ad sanguinis effusionẽ tenendam, q̃ à sanctis Apost. accepta in toto mundo est prædicata, et nõ q̃ à paucis quibusdam recẽter in mundum inuehitur.*

55 *Hic semper fuit mos hæreticorum, sanctos domini Sacerdotes et Monachos habere cõtemptui et ludibrio, & usque ad mortẽ persequi.*

56 *Vides quõ ista q̃ de nouo in Ecclesia introducuntur, non est correctio sanæ & rectæ fidei à patribus acceptæ, sed illius peruersio, & animarũ interitus. Vnde aliquorum hominũ paucitas uel de una p̃uincia mundi, uniuersali Ecclesiæ nequaquam est præferenda.*

57 *Ecce quãta est horũ quatuor generalium cõciliorũ authoritas. Et quomodo nil addi debeat p̃ter ea quæ à patribus in his decreta sunt.*

Cæterum Imperator quidem cum hanc accepisset epistolam, in aliud tempus distulit respondere. eum enim tunc vocabat quædam barbarica expeditio. Nobis autem sunt reliqua adiicienda huius viri narrationibus. Post iniustum illud Eliæ Palæstinę Antistitis exilium, fames quędam & penuria rerum necessariarum, siccitas quoque & locusta, & graues quædam plagæ, integris quinque annis oppresserunt Palæstinam. Cùm vero essent septem quæ ab ipso constituta fuerant monasteria, & quorum ipse curam gerebat, nulli eorum redditum ac prouentum prouidit: sed cũ Deo eorum omnem mandasset curam, & ea similiter premerentur rerum omnium inopia, ille non modo nihil vile & abiectum est locutus: sed etiam conuocans præfectos monasteriorum, suadebat vt propter hæc nihil angerentur animo, neque de corpore quidquam essent solliciti: sed fidem haberent

berent patri qui sciebat eos his indigere, & oĩpotente sua dextera ea suppeditauit. Cum sic ergo statuisset Sabas magnoq́; & excelso esset animo præditus, in ea quæ ei parebat laura adeò defecerant necessaria, vt ne suppeteret quidem panis ad Deo sacrificandum & offerendum. Accedit ergo is cui commissum fuerat ministerium, significãs ei calamitatem: & simul appropinquare diem Dominicum ei in memoriam reuocans: & ꝙ non poterit vtique celebrari diuinum mysterium, cum neque panis sit in laura ad oblationem, neque aliquid aliud ex rebus necessariis. Sed hæc quidem ille.

Magna autem illa re uera & admirabilis anima, ne sic quidem desperauit de Dei curatione & arcanis & ineffabilibus viis prouidentiæ. Sed ego, inquit, nequaquam prohibebo sacrum Dei ministerium. Tanta vero rerum necessariarum indigentia, præbebit nobis aliquem sacrarum rerum thesaurum ad sacrum celebrandum ministerium sed est fidelis, inquit, qui iubet crastinum manere liberum à sollicitudine, quod attinet ad vsum corporis. Et cum nondum aduenisset dies dominicus, veniunt quidam ad ipsum tanquam consulto misi à prouidentia, simul ferentes onus triginta iumentorum. Onus autem erat frumentum & vinum & oleum, & alia Monachis apta ad alimentum: adeò vt laura propemodum esset angusta ad capiendum res esculentas. Statim ergo diuinus Sabas ei qui indigentiã parce & sordide ei obiecerat, Quid ais, inquit, sacrum'ne dimittemus ministerium? Ille autem intelligens interrogationem esse reprehensionem cogitationum quæ non satis erant validæ ad sperandum in Deo, procidit ad eius pedes, petens veniam, & pro tam illiberali parcitate vehementem inferens pœnitentiam. & ille cito eam dat Discipulo: & ea quæ oportebat suadet, dicens non oportere esse tã paruo & abiecto animo: sed à spe diuina firmiter dependere: & quod dicit diuinus Dauid, curam iactare in Dominum: cui nos longe magis q́; parentibus curæ sumus.

Cum in his esset beatus Sabas, accedunt quidam Monachi ex iis qui erant in spelunca, dicentes. Modo quidam pastores non solum secure immittunt pecora agris lauræ: sed ipsi quoque crebro sine pudore ad lauram ventitant, illinc magna licentia alimenta exigentes: tumultuq́; & strepitu fratres implentes quotidie. Ille vero præcepit pastoribus admodũ placide & benigne, vt erant eius mores humani & mansueti, vt de cætero abstinerent à via quę ducit ad lauram: & ne talia amplius aggrederentur. Illi aũt quę dicta fuerant nihili facientes, cum nihil omnino cessissent, re ipsa docentur non contemnere mansuetudinẽ quę in Deo multa potest. Protinus enim admirabiliter quidem & pręter opinionem arcetur lac vberibus gregum: intereunt autem nuper geniti fœtus pecorum, cum eis esset misere exclusum nutrimentum. Cum ergo sensissent Pastores se luere pœnas suæ in Sabam inobedientiæ, ad ipsum veniunt, casum miserabiliter deflentes peccatum suum acriter confitentes: neque se deinceps ingressuros esse viã quæ ducit ad lauram constanter affirmantes. Ille autem tam celeri pœnitentiæ veniam concedit celeriorem: & protinus benedictione soluit calamitatem: & eos liberat à supplicio. Nam simulatq́; ille 58 benedixit, 58
mox solutæ sunt vberum pedicæ: & lac profuse manabat: & agni alebãtur & crescebãt: & pastoribus in gaudium mutata est tristitia. Hinc magnus ille à superna motus prouidentia, venit ad visitandum Eliam Patri-

Vide quantæ uirtutis fuerit sancti huius viri benedictio.

archam, annos iam natus octoginta. erat autem, vt iam diximus, Elias in exilio. Secum vero duxit Stephanum & Euthalium, qui ipsi quoque præerant aliquibus Monachis. Cum ergo cum eis Sabam vidisset Patriarcha qui erat in exilio, & gaudio fuit repletus, & omnium præsentium malorum quodammodo est oblitus. Eiusmodi res est anima quę luctatur cum calamitatibus, & cōdemnata est alienam domum habitare pro sua. si solummodo notos aspexerit oculos, hoc minuit molestias, & affert magnum solatium calamitatis.

Cum illos ergo adeò lubenter vidisset Patriarcha, eum multos dies apud se retinuit: neque eum volebat omnino dimittere. sed eis quotidie circa horam nonam iam è domo procedens, toto enim alio tempore in grato permanebat silentio, sermoneq; & alimento eos impertiebat, amice & sincere cum eis vitam agens. Cum vno itaque die illi venissent vt consueuerant, is autem erat nonus Iulij, cunctabatur egredi Patriarcha. Et illi quidem expectabant, cibum minime tangentes. Patriarcha vero media iam nocte egressus, lachrymosos habens oculos, Vos, inquit, cibū sumite. Non est enim mihi otium. Illis autem diligenter sciscitantibus quidnam ei accidisset q tam tarde esset egressus, & cur tristis esset & essent eius oculi suffusi lachrymis, ille acerbe eiulans, ò beate pater, inquit, ad Sabam intuēs, Heu, inquit, hac hora mortuus est Imperator Anastasius: & oportet me quoque omnino decimo die post eum excedere. vt causam nostrā agamus ante horribile tr bunal. Hoc ipsum quoque apertum fuit beato Sabę. & illa nocte qua visione dignatus est Patriarcha, dicitur ipsum quoque vidisse fulmina quæ desuper immittebantur in Imperatorem, & eum veluti persequebantur vt interimerent: eum autem fugientem in regiæ penetralia, turpiter effudisse animam. Sed mors quidem Imperatoris, vt quæ apparuerant visiones significabant, statim fuit audita. Deinde vita quoque excessit Elias Patriarcha, sicut ab ipso prædictum fuerat.

Cùm ergo post Anastasium Iustinus pie assumpsisset imperium: & per vniuersum orbem terræ misisset edictum, vt Orthodoxi quidem remitterentur ab exilio: Chalcedonensis autem synodus scriberetur in sacris tabulis: & veteres honores redderentur Orthodoxis, & rursus tranquilla fruerentur ecclesia. His sic factis, & Iustino Imperatore reuersa rursus fide orthodoxa, erat quidem beatus Sabas natus plusquam octoginta annos ætatis: & corporis imbecillitate & senectute, & longa illa & intensa virtutum exercitatione afflictus & maceratus. Verumenimuero etsi ita se haberet, prōpto tamen & alacri animi studio florebat ac vigebat: & quos propter Christum suscipiebat labores pręferebat omni quieti & animi relaxationi. Vnde etiam omnia postponens zelo quo ducebatur pro fide orthodoxa, statim profectus est per Cæsaream & Scythopolim, vbique prædicans pium illud edictum Imperatoris: & in tabulis ecclesiarum inscribens quatuor synodos: & alios quidem ex eis, suasionibus & admonitionibus: alios autē etiam reprehensionibus reuocans: & omnes perfundēs suaui melle suæ doctrinę: & optime inducens ad fidem orthodoxam. Erat autem Scythopoli vir Scholasticus nomine Ioānes, bonus animo & vitā suam virtute exornans. qui de quodam Siluano, genere quidem Samaritano, auctoritate autem insigni, & multam aliam narrabat improbitatē & animi vitium, & dicebat etiam eum maxime insectari Christianos.

Hæc cum magnus ille audiuiſſet, quædam prædixit de Siluano quæ non ita multo poſt effectum ſunt conſecuta. quomodo etiã paulopoſt oſtendet ratio. nempe igne in media vrbe accenſo malum male eſſe periturũ. Quid ergo? Sufficiunt ne hæc ex viri miraculis, an adhuc ſitiunt veſtrę aures & ſunt arrectæ, & nondum ſunt ſatiatæ tam pulchris & piis narrationibus? Conuertenda eſt ergo oratio ad ea quæ deinceps ſequuntur. Nam in his quoque eſt gratia ſimilis & operatio miraculorum.

Verſabatur vir quidam in quodam monaſterio ex iis quæ ſunt Scytopoli, nomine Ioannes. qui à congreſsione hominum ſeparatam quietãq; in ſilentio vitam ab ineunte ætate ſuſceperat. Is animæ quidem oculos valentes habebat & ſanos: & per ipſos ſæpe præuidebat futura: Corporis autem oculi luce carebant, & nec minimum quidem ſplẽdorem admittebant. Cauſa vero erat eius per totam noctem 59 aſsiduæ vigiliæ: & fontes lachrymarum: & ſenectus iam profundiſsima. Dicebatur enim vixiſſe pluſquam centum annos quorum octoginta quidem tranſegit in eodem monaſterio: quinquaginta autem permanſit nuſquam progrediẽs. Cum eius multo ſermone vbique fama celebraretur, peruenit etiam vſq; ad ipſum Sabam. Qui cum eius conueniendi teneretur deſiderio, iter ad eũ eſt ingreſſus. Mulier autem quædam in illa via iacens laborabat iã multos annos fluxu ſanguinis: neque poterat malum omnino comprimi: vincebatq; artem medicinam & manum. Emittebat vero tetrum quoque quendam fœtorem minime tolerabilem. adeò vt propter hoc ipſum afficeretur maiori animi ægritudine, vt quam fugerent omnes & auerſarentur. Ea ergo poſtquam ſanctum ſolum ſenſit tranſire, ſupplicationibus & eiulatibus eum prouocabat ad morbi curationem. Ille autem acribus illis cedẽs clamoribus, velociter ei opitulatur: & ſolo 60 tactu manus morbum comprimit. Deinde cum huius rei fama permanaſſet ad multorum aures, vir quidam ad ſanctum accedit cum ſua filia. Luctabatur vero illa cum tetro Dæmone: & patri vitam faciebat acerbam & plane non vitalem. Ea ergo cum magno calore allata, valde miſerabiliter rogabat pater ſanctum, aut vt id ipſum melius dicam, paterne. Quamobrem miſertus Sabas, & reſpiciens preces miſerabiles, vt qui erat re uera clementiſsimus & apud ſe paratam habebat conſolationem, puellam vngat 61 oleo crucis. & cum eius qui in eam actus eſt nomen dixiſſet, eam ſtatim liberat à morbo. parentiq; eam tradit ſanam & mente & corpore.

59 *Nota, cauſa erat per totam noctẽ aſsiduæ uigiliæ, & fontes lachrymarum.*

60 *Solo manus tactu Sabas mulierẽ à fluxu ſanguinis ſanat.*

61 *Oleo crucis & inuocatione nominis Xp̃i ſanctus mulierẽ mẽte & corpore ſanat.*

Atque ſic quidem Sabæ animæ diuina quædam inſidebat gratia, quæcunque ipſe petiiſſet operans admirabiliter. & corpus quidem ſemper habebat cedens eius voluntati, vt neque defatigaretur laborum aſsiduitate: neque voluptate rurſus remitteretur. Nam toto quidem tempore ieiuniorum permanebat ieiunus. Solebat autẽ ſemel tãtum veſci in hebdomada. Si vero aliquando ab aliquo vocatus eſſet ad cœnam, aut ipſe rurſus aliquos conuiuio exciperet, bis ſępe veſcens in die, nihil damni ac detrimenti ſentiebat ſtomachus. Deinde poſtquam rediiſſet Scythopoli, admodum iucundus autẽ & optatus apparens Ioanni Hieroſolymitano Pontifici, quod interceſſerat enim tempus auxerat deſiderium, vt ſolet amicorum, ab ipſo vocatus eſſet ad conuiuium, quoniam vna etiam aderat Antonius Epiſcopus Aſcalonitanus qui erat frater Archiepiſcopi, cum illi Sabam medium intercepiſſent, illi amice propinabant, & pro viribus eum inui-

tabant & accipiebant. Sed neque rursus sancto erant manus otiosæ, sed vt par erat, remota omni fictione & simulatione, vescebatur appositis. Ad erat autem diuinus quoque Theodosius qui erat ei valde amicus & familiaris, vt iam à me sæpe dictum est. qui cum veluti quoddam condimentum, vellet mensæ speciosam aliquam & gratam iniicere orationem, vrbane admodum & lepide inferens, dixit diuinum Sabam ita esurire, vt ne vos quidem ambo, aiebat, qui sufficitis ad totam simul alendam Palęstinam, posśitis eius ventrem alere ad satietatem. Tale & tam validum ac robustum corpus beati Sabæ generosæ contigerat animæ. Erat autem summa modestia præditus & moribus lenis ac facilis. Et ad eum quidem conueniendum facilis patebat aditus. erat vero in sermone iucundus. & moribus quidem simplicisśimus, prudentia autem constantisśimus. charitatem non fictam & sinceram apud omnes conseruans. Erat vero valde affectus in Theodosium, adeò vt quotidie ad se inuicem ventitarent, & inter se de virtute conferrent, & essent ambo instar luminarium omnibus qui vitam amplectebãtur monasticam. Sed ille quidem eorum qui vitam exercebant communem: hic autem, Sabas inquam, eorũ qui à congresśione separatam & quietam, susceperat præfecturam. Dicitur certe beatum Sabam vrbane sæpe dixisse diuino Theodosio, illum quidem puerorum, se autem esse præfectum præfectorum.

Sed eo reuertendũ est vnde digresśi sumus: & iis quę dicta sunt addēda sunt quæ sequuntur. Appetente iam fine anni quarti, quo aquæ penuria & siccitas, & alia mala his cognata, Palæstinam inuaserant, accedunt ad Sabam Monachi speluncæ, petentes vt illinc recederent. Neque enim se posse amplius manere, neque resistere tantæ aquæ inopiæ. Quocirca ille quidem partim adhortatus vt forti & excelso animo ferrent quæ ingruebant, partim autem eos paterne admonens, persuasit vt rursus permanerent in laura. Ad vos enim, inquit, veniet Dei misericordia: & vos cito ab eo descendet. Tertio deinceps die finem acceperunt quæ promissa fuerant. Repente enim erumpens vehemens pluuia, eis impleuit aquarum receptacula. & quod est maxime incredibile, illis solis delapsa est pluuia qui cogitarant à laura recedere. In omnibus autem illius quę circuncirca erant monasteriis, ne minima quidem gutta descendit. Hinc factum est vt monasteriorum quæ erant circuncirca præfecti ad eum confluerent, deflentes & lamentantes, & dicentes. Quid peccauimus Pater, quod nõ ad nos quoque per tuas preces aqua cecidit, qui æque laboramus siccitate, & valde desideramus benignitatem & refrigerationem? Ille autem paucis verbis eos liberauit à magna illa animi afflictione, sic dicens. Nunc quidem misit Deus benedictionem ad eos qui egent maxime. Sed neque vos diu despiciet. Neque vos aqua deficiet donec dederit pluuiam super terram. Iam vero instabat dominica dedicationis, & cum aquæ penuria diutius produceretur, omnis autem fons propemodum deficeret, & nec in se quidem paruum seruaret aquæ vestigium, sed multi ideo misere perirent: Ioannes Antistes Hierosolymitanus valde suspectam habens multitudinem, solet enim cum laborauerit inopia alicuius rei necessariæ, seditionem protinus agitare, & aliorum facultatibus parare insidias, omnes partes obibat, loca locis mutans, & puteos fodiens, humidiora loca proscindens, & fossas perscrutans: & à nullo abstinens quod ei occurreret. Sed hoc nihil proficie-

bat.

bat. Omni itaque spe abiecta, sedebat de cætero mœstus, & apud se deflēs communem vrbis calamitatem.

Cum is ergo ita esset affectus, & commūnem casum, suum luctum esse duceret, quidam ex eius amicis, summus nomine, volens esse particeps sollicitudinis, & quoad eius fieri posset illius cōsolari ęgritudinem, quoniā aliunde inuenire non poterat mali solutionem, accedit ad eum, narrans de pluuia quę eruperat, & de diuinis illis signis quæ facta fuerant Sabæ precibus. & consulit vt eum ad se accersat, & vehementer roget vt hanc eis alleuet calamitatem, & cessare faciat plagam quæ tam grauiter infligitur. Ille autem persuasus cum eum accersiisset & ad eius pedes procidisset, omnes adhibuit preces vt sanctas manus ad Deū tolleret quas ipse solet respicere, & eius misericordiæ viscera in mentem reuocaret, & efficeret vt qui est bonus eos benigne aspiceret & eis recōciliaretur, & solueret calamitatem siccitatis quæ eos opprimebat. Cum is autem differret, & rem suas vires superare diceret, Episcopus non cessat obsecrare & genua prensare, & nullum prætermittere modum supplicationis. Quid enim ad deprimendum & deiiciendum animum est calamitate vehementius, & maxime ea quæ tam multos tam diu affligebat, nesciens deinceps quid ageret mitissimus Sabas se includit in domuncula, iubens illos quoque simul preces fundere. Deinde ille quidem intensæ vacabat 62 orationi, & pro eis fundebat preces. Tertius iam dies præterierat, & circa primam noctis vigiliam repente cōuertuntur nubes, & ex serenitate mutato aëre in profundam caliginem, vehemens erūpens pluuia replet quidem aqua fontes: torrentibus aūt sua reddit fluenta: & vniuersam simul ciuitatem ad vno animo & vno ore gratias Deo agendum excitat. Et hæc quidem sic.

62 *Oratione sanctus pluuiā impetrat à Deo.*

Cum autem multum temporis intercessisset. & magno Sabę ad octoginta & sex annos ætas prouecta esset, decedit quidem Ioannes, relicto successore Petro viro virtute insigni. Tertio autem deinceps anno Imperator quoque Iustinus valde iam prouectę ætatis. & alioqui oppressus morbo corporis, cum ad administrandam rempublicam non amplius sufficeret, deponit imperium, Iustiniano patruele suo constituto pro se Imperatore, qui erat Patricius consul & Dux exercitus, & qui iam fortiter rēpublicam gerere erat aggressus. Sed de Iustiniano quidē dicere interim differamus. immoremur autem in iis quæ admirabiliter à sancto Saba facta sunt in Petrum successorem Ioannis, quæ quidem velim nolim ad se trahunt orationem, & sunt aliis longe iucundiora & gratiora. Nam is quidem veniebat assidue in solitudinem ad diuinum Sabam: & eandem in eum seruabat reuerētiam quam priores Patriarchæ. Interim vero cum morbus inuasisset sororem, erat enim ei soror nomine Hesychia non vulgaris virtutis: & cum omnis ars Medicorum abiecisset spem eius curationis, ipse non minus ꝙ illa animi mœrore confectus, & nullum inueniēs medicamentum calamitatis, ad diuinum Sabam statuit confugere, vt videret an aliquam assequeretur clementiam. Ipse autem cum accessisset ad ægrotantem morbo incurabili, & ter manu fecisset signum 63 crucis, nō differendo sed continuo eam sanam reddit fratri. Talem ergo Episcopus inuenit remunerationem sui in Sabam honoris.

63 *Signo Crucis ter facto Hesychiam morbo incurabili laborantē cōtinuo sanat.*

Tunc vero cū & quę à me superius dicta est Iuliana è vita excessisset, eorum qui apud ipsam erant Eunuchorum fidelissimi, qui iam longo antè

tẽpore erant beato Sabę amici & familiares, accedunt ad ipsum, afferentes cumulos pecuniæ. pro quibus nullam aliam petebant remunerationem, ꝗ̃ solum vt referrentur in numerum suorum Monachorum. Ille autem cum non posset suam legem soluere, neque Eunuchorum & imberbium aliquem in suam lauram admittere, cum multis admonitionibus & sermonibus apud eos esset vsus, & eos cõfirmasset ad futurum, ipsos emittit ad beatum Theodosium. Illi vero paulopost Patriarcham cõuenientes, petunt ab ipso quendam locum, volentes in eo degere separatim: & sibi solis & Deo vacare. Ille autem cum Alexandro Eliæ monasteriorum Prefecto eos commẽdatos apud ipsum aliquo breui tempore deposuisset, apud se consultabat quemnam eis locum tribueret: & quemadmodum finem imponeret eorum voluntati. Interim vero pecuniis illectus Alexãder, nõ stans pactis illis conuentis quæ cum Elia inierat, diuidit Eunuchis monasteria: cum ad ea nullum laborem nec operam prius contulisset, quæ ille multis laboribus & sudoribus construxerat. A' quibus vnum ex monasteriis in hodiernum vsque diem nominatum est Eunuchorum. Sed de his quidem satis.

Cum iam autem imperium assumpsisset Iustinianus & rerum, suscepisset administrationem, agebat quidem beatus Sabas nonagesimum & vnum annum: finem vero vitæ acceperat diuinus Theodosius: qui in Palæstina quidem erat populus Samaritanorum, cum Iulianum quendã qui ipse quoque erat Samaritanus, sibi Regem creassent, multas iniurias faciebant Christianis, ecclesias depopulantes & exurẽtes, Christianos afficientes suppliciis innumerabilibus, & deinde etiã occidentes: & in vicos finitimos facientes incursiones: & capsas sanctorum rumpentes & igni mandantes. Quæ quidem maxime fecerunt in locis quæ erant circa Neapolim: vt qui Episcopum quidem gladio interemerint: quosdam autem Presbyteros comprehenderint: & primum quidem membratim & frustratim eos disseruerint: & deinde eos cum Martyrum reliquiis frixerint in sartagine: & nulli probro & contumeliæ parserint in Christianos. Hæc postquam renunciata fuerunt Imperatori, aduersus illos magnas emittit copias. quæ cum eis manus confligentes, & multos alios interimunt, & ipsum etiam Iulianum. A' quibus Siluanus quoque tunc Scythopoli cõprehensus, in ignem iniicitur: & ita acerbum accipit vitæ exitum. vir qui multis probris & contumeliis affecerat Christianos, & ideo, vt arbitror, pulchre ad hoc à diuina reseruatus erat iustitia: vt sic lueret supplicium sufficiens, & finem acciperet quod non multis antè diebus de ipso dictum fuerat à Saba. Deinde quidã ex eius comitibus nomine Arsenius, illustris dignitate, ad falsa fingenda. & confundendam veritatem omnium callidissimus. Is cum post tetrum Iuliani interitũ venisset Constantinopolim & accessisset ad Imperatorem, & cum ipso & eius coniuge nescio vnde ei magna intercessisset familiaritas, multa quidem dicit, ad magnam autem iram eos accendit aduersus Christianos qui erant in Palæstina, dicens eos vel maxime fuisse auctores & causas seditionis Samaritanorum & dignos grauissimo supplicio.

Hæc postquam in Palæstina renunciata fuere Patriarchæ, eum statim subit misericordia eorum qui falso accusabantur: & accedens ad beatum Sabam eum vehementer rogauit vt abiret & fungeretur legatione apud

Imperatorem: & excogitatam refelleret calumniam, & Christianos liberaret à tantis periculis, nihil aliud futuros nisi Diaboli linguæ trophæũ & improbitatis. Ille autem paruit, & nullo interiecto spatio iter statim arripuit. eratq; re uera præter fidem id quod cernebatur, nempe hominem qui in tam imbecilla lababat senectute, & quem par erat in lecto se quieti dedere, citra moram tantum iter inire, minime cedentẽ, neque simile quidpiam aut languidum remissumue sustinentem: sed perinde atque ætate adhuc vigentem: & magnam corporis imbecillitatem vincentem copia prompti & alacris animi. Cum iam autem peruenisset ad suburbia Constantinopolis. Imperatori quidem significatur aduentus. & ipse statim mittit vnum ex iuuenibus imperatoriis & quosdam ex suis Satellitibus, aduentum illius maxime honorans. Deinde eo quo par erat comitatu stipatus, Sabas ad ipsum deducitur. Deinde Patriarchã quoque Epiphaniũ, & quidquid erat apud se clarum & illustre emittit vt ei procederent obuiam. Neque enim terrenum & mundanum aliquem, sed tanquam vnum ex angelis & ciuem supernę Hierusalem se censebat accipere. Quem postquam adhuc procul procedentem agnouit Imperator, ille quoque cernebat aliquid simile ei quod viderat Anastasius. Videbat enim quandam coronam eius capiti impositam, eleganti quodam splendore decoratam, & micantem luce omnis generis gratiarum. Visione ergo Rex obstupefactus è cathedra surrexit: & sacrum illud caput reuerenter & iucunde est complexus. Deinde cum illa ab eo accepisset 64 benedictionem, orauit vt sua quoque coniux esset eius particeps. 64

Vides Imperatorem à sancto Sacerdote benedici? Ex hoc igitur Apostoli argumẽto cõuincitur hũc illo maiorem esse.

Cum ea autem adfuisset, adorauit & rogauit vt solueretur vitium eius matricis, erat enim petra sterilior: & vt ex se natum posset videre filium: quod quidem illa pluris faciebat q̃ ipsum imperium. Ille autem ad hæc tacens, solum illi precabatur vt sospes & salua esset eius potẽtia. Ille vero rursus instabat, petẽs preces liberorum procreationis. Ille autem pergebat easdem rursus preces dicere. & aperte præ se ferebat se recusare petere ne ipsa fieret mater filiorum. Vbi vero cum illa hoc sępe petiisset, ipse nihilo magis annuit orationi: neque edidit preces conuenientes eius desiderio, tãdem abiit Imperatrix magna affecta tristitia, q̄ id quod volebat non esset assecuta. Deinde cum qui in preces incidissent, & maxime quicunque solent principum gratificari cupiditati, etiamsi sint inutiles & nihil iusti habeant, eum criminarentur q̄ preces recusasset, & dicerent id quod Imperatricẽ maiori molestia efficeret, ille ægreferens causam aperte protulit. Sinite, dicens, ò beati. Non enim sinet aliquem fructum ex ea edi: ne ipse quoq; gustet Seueri dogmata: & deteriores q̃ prius ab Anastasio tumultus, Dei conturbent ecclesiam.

Imperator autem Iustinianus, in sanctum tantam ostendit pietatem & reuerentiam, vt cum eum conuenisset, non solum remiserit iram quam iam olim conceperat aduersus Christianos qui erant in Palæstina, sed etiã Samaritanos plene expulerit è ciuitate, & eorũ synagogas deinceps prohibuerit: & de illis hanc legem tulerit, ne essent alter alterius hæredes. ne per successionem opes eorum crescerent & amplificarentur. Quinetiam vt interficerentur quicunque eorum fuissent auctores seditionis. Quamobrem timore affectus Arsenius qui erat ipse quoque vnus ex Samaritanis, cum humano, metu quoque diuino concurrente, supplex à Saba con-

tendit vt ab ipso babtismum accipiat: & tam piam impetrat petitionem. Sed hæc quidem postea. Imperator autem cum talem sauxisset legem aduersus Samaritanos, & sic ea propter quæ venerat sancto esset gratificatus, nõ hucusque sistit promptum & alacrem animum. sed se extremum damnum accipere existimabat, si nõ eum regalibus & splendidis afficeret beneficiis: & fidei esse abundantiam ostẽderet suam in eum munificentiã. Cum eo certe assidue colloquẽs & eum honorans sicut prius Anastasius, vehementer instabat vt aliquod pecuniæ vectigal subiectis ei Monachis constitueret.

Ille autem, Vectigalium quidem, inquit, & pecuniæ quantum satis est ad vsus necessarios, ille nobis prouidebit, qui populum non obedientem copiose aliquando aluit in deserto: & aquam eduxit è petra: & qui non solum necessaria, sed etiam sæpe quæ redundant suppeditat. Tibi autem ô Imperator, si tantæ est curæ vt nobis gratificeris, adsunt aliæ quoque non paruæ & non cõtemnendæ occasiones: per quas poteris in nos tuam exercere liberalitatem. Nam & Palæstini qui male sunt affecti à Samaritanis, & quorum magnæ quidem prædæ sunt abactæ, multa vero ædificia & diuina templa, & mancipia præterea & greges, frumentumque & alios fructus viderunt exuri ante oculos, & nunc non habent vndenam sibi victum quotidianum comparent, supplices petunt aliquam ad tẽpus immunitatem, vt se parum recreent ac reficiant, & rursus possint sufficere annuis soluendis muneribus. & qui ad adorãdum viuificum sepulchrum veniũt in sanctam ciuitatem, ipsi tecto opus habent, vt se parum recreent à labore itineris: & maxime si quis eorum aliquãdo in morbum inciderit, postulant necessariam corporis curationẽ. Quinetiam quod à Patriarchã Elia prius ceptum est ædificari Dei paræ virgini templum, multis adhuc indiget, nec satis est instructum ornamentis: & quæ sunt meis constructa manibus monasteria, cum nullum propinquo habeat præsidium in quod se recipiant, nullo negotio capi possunt ab inimicis, & prima incursione venire possunt in manus hostium. Ante omnia autem, Arrij, Nestorij & Origenis dogmata conturbant ecclesias, nec sinunt eas pura frui tranquillitate. & ideo à tua potentia magnum est adhibendum studium vt oĩbus viribus 65 ea tollas de medio: & tantum malum procul expellas. Hæc si feceris, bonam spem concipio & in Deo confido, fore vt mox diues sequatur remuneratio Romaque vniuersa & Carthago, & quæcunque amiserunt qui ante te imperarunt, cernentur rursus partes tui imperij. Et fuerunt hæ quidem piæ & in commune vtiles beati Sabæ petitiones apud Iustinianum.

65 Ecce quomodo sancti viri hæreticos omnes semp auersati sunt, & verbis & factis prout potuerunt eis restitere.

Operæ prætium autem est quærere cur prætermissis aliis hæresibus, Arrij solum meminit Nestorij & origenis. Fortasse enim quibusdam simplicioribus videbitur eis assentiri: & ideo harum trium solum meminisse. Quantam ergo de causa harum meminit? Quòd aliæ quidem hæreses non valde tunc vexabant ecclesias. Secta enim Arriana cum Gotthos occupasset & Vandalos & Gepidas, & comprehendisset totum fere occidentem, omnes ferè ex ęquo pestifero repleuit exitio. Nestorij vero & origenis hæresis morbo multi Monachi laborabant. & timendum erat ne alios attraherent ad malorum societatem. Nam cum quidam nuper conuenissent Monachi Byzantium, visi sunt quidam tenere dogmata Theo-

dori

dori Mopſueſtiæ: rurſus autem Origenis dogmata defendere, Leõtius qui erat ipſe quoque Monachus, genere Byzantinus, qui erat vnus ex iis qui cum Nonno ingreſsi fuerant nouam Lauram. quos poſtquam cognouit magnus Sabas, à ſuorum ſtatim expellit conuerſatione. Sed nobis reuertendum eſt ad ſeriem narrationis.

Cùm diuinus Sabas propoſuiſſet tales apud Imperatorem petitiones, ille perinde ac iam diu ſitiens gratificari ſancto, ſtatim ſcribebat, imperabat, decretum in omnem partem mittebat, omnia faciebat ne hæc differrentur & in longum protraherentur. ne eorum quæ fiebant dilatio, tã pulchrorum beneficiorum obtunderet ſplendorem. Hæc quidem Imperator. Qui autem ei qui frigidum ſolum aquæ calicem dediſſet in nomine ſuo, pollicitus eſt, ſcilicet ſe daturum centuplum, non diſtulit remunerari & referre gratiam: neque promiſſum ſuum produxit in longum. Sed vt magnus pollicitus eſt Sabas, ſimul atq; Imperator per Præſides prouinciarum impleuit quæ fuerat pollicitus, Aphrica vniuerſa & Roma eius acceſſerunt imperio: & qui erant in vtraque Tyranni, Vittiges Romæ & Gellimera Carthagine, eos pro liberis ſeruos, & pro Regibus captiuos, & ſupplices accepit pro inimicis.

Sed cum huc deducta ſit oratio, venit mihi in mentem huius viri conſtantia & animi generoſitas, quod nulla eum temporis neceſsitas cöegerit ad illiberalem aſpicere adulationem, aut ſe aliqua in re gerere ſeruiliter. quod quidem difficiliter obſeruari poteſt à viris bonis, & eſt factu admodum difficile. ſed vſus eſt conuenienti aduerſus omnes moderatione. honeſtatisq; & philoſophiæ magnam ducebat rationem. Hoc autem facile poteſt oſtendi. Nam cum in eius petitionibus occupatus eſſet Imperator ſimul cum Tribuniano Quæſtore circa eam quæ vocabatur Magnaura, & in concilium eum adhibuiſſet, ille cum iam veniſſet hora tertia, relicto Imperatore, Deo ſeorſum reddebat preces ſolitas, vacans ſacris diuini Dauid pſalmis. Cùm Hieremias vero vnus ex Diſcipulis ad eum acceſſiſſet, & dixiſſet, Quid hoc ſibi vult pater? Cum Imperator tantum adhibet ſtudium, & vt tuas impleat petitiones vehementer laborat, Tu eo relicto nunc agis alibi, ille admodum ingenue rñdens, Non eſt hoc alienũ, inquit, ò fili. Nam & ipſe facit quod ei conuenit: & nos omnino id quod debemus. Sed redeat nobis oratio ad ea quæ propoſuimus.

Imperator ergo tanto ſtudio affectus aduerſus huius viri petitiones, per vniuerſum orbem terræ mittit decretum: & ſtatim Epiſcopis, Antonio Aſcalonitano, & Zachariæ Pellæ, litteris præcipit imperatoriis, vt viſant loca Palęſtinæ quæ fuerunt exuſta à Samaritanis: & habita ratione eorum tributa alleuent. Viſant aũt templa quoque Sanctorum: & quantum ipſe damnum acceperint à ſcelerata & audaci manu Samaritanorum, per illorum ipſorum facultates aut publicas reparent pecunias: & in ſancta ciuitate extruant Noſocomium: & annuos ei dent redditus mille octingentorum & quinquaginta aureorum. Quinetiam aliam quoq; domum vt in ea habitarent qui procul illinc veniebant. & Dei paræ templum eleganter extruant & exornent: & pręſidium prope lauram muniant. vt in inimicorum inſultibus eſſet tutum Monachis refugium. Præter hæc vero nominatim quoque declaratas hæreſes tollant de medio, & 66
præclaro ſubiiciant 66 anathemati. De his autem ferè omnibus Pro- *Etiã antiquitus hæ-*

reses subiiciebantur anathemati.

copius quoq; Cæsariensis, in quinto libro de Iustiniani ędificiis ab eo cõstructis, hęc sigillatim refert. ipsumq; constructum Dei paræ templum accurate exponens, eiusq; pulchritudinem & magnitudinem nulli dicens esse similem, & id nouam vocari ecclesiam. cum Cyrillo conueniens qui diuini Sabæ vitam conscripsit ab initio. Pręterea autem de duabus quoque ædibus constructis illis suffragatur. quarum vna quidem est ad excipiendos hospites. altera verò ad recreandos eos qui morbo affliguntur. Quinetiam illic constitutos multos pecuniæ redditus, & templorum renouationes quę exusta fuerant à Samaritanis, & propter inimicorum incursiones extructum præsidium, ei congruenter persequitur.

Cum has ergo constitutiones diuinus Sabas ab Imperatore accepisset in litteris, & recessisset Constantinopoli, venit Hierosolyma. Cum autem illuc venisset, & magistratibus tradidisset litteras quas habebat imperatorias, illinc venit Scythopolim, vbique prædicans decreta Imperatoris, docens ciuitates. componensq; & instruens ad fidem orthodoxã Deinde eos quoque qui grauia illa passi fuerant à Samaritanis, & aliis modis recreans, & tributorum immunitate consolans. Hieremias autem Monachus cuius iam feci mentionem, cũ nescio quo pusillo & abiecto animo motus à laura maxima recessisset, in quodam deserto torrente statuit habitare, qui quinque stadiis aberat à spelunca boreali. Cum illic vero fuisset magnus Sabas, & locum vidisset valde aptum, vt qui in rebus honestis non soleret cunctari, paruam quandam aram & oratorium, & diuersas cellas intra paucos dies ædificat & statuens vt quidam Monachi eas habitarent, eorum curam tradit Hieremiæ. & sic Dei gratia fuit locus in lauram constructus, quæ floret vsque in hodiernũ diem, Hieremiæ sortita appellationem. Cũ Scythopoli autem, vt diximus, esset sanctus, ad eum accedunt Cyrilli parentes qui fuerant olim sancto noti & ei legibus amicitiæ coniuncti, qui ei commendant Cyrillum adhuc valde iuuenem: & efficiunt vt ab eo impertiatur puer benedictione. Hic est vero Cyrillus qui magni Sabæ vitam nobis conscriptam tradidit. Dicit ergo ille ipse Cyrillus. Cum me, inquit, magnus Sabas aspexisset, & salutasset, & sua dignatus esset benedictione, hic exhinc, inquit patri, est meus Discipulus. Doceatur ergo psalterium: 67 eo enim opus habeo. Sed enim redeũdũ est vnde digressi sumus.

67 *Prima monachorũm rudimenta olim erat psalmorum scientia.*

Cum ergo regiæ litteræ fuissent ostensæ Episcopis, & quæ factæ fuerãt ecclesiarum euersiones subiectæ fuissent eorum oculis, primæ quidem Palæstinæ, vt quæ perfectam sustinuisset vastitatem, duodecim centariorum publicorum fecit remissionem. Scythopoli autẽ quæ minus damnũ acceperat, non plusquàm vnius. Postquam vero hæc recte gesta fuissent à magno Saba, reuersus Hierosolyma, adoratis sanctis locis, & iis dictis quę quodammodo dici solent in exitu, venit ad maximam suam lauram. In qua cum parum esset moratus, morbus quidam ingruens, illum vere fortem adamantem lecto tradit. Quod quidem cum significatum fuisset Patriarchæ, repente venit ad illum visendum. Cum vero venisset & sic vidisset eum in cella iacentem, egenum rerum omnium necessariarum, quando oportet ea etiam suppetere quæ redundant: & circa corpus omnẽ excogitare curationem, vtpote q; & morbus & senectus & lõgi labores possint vehementer cruciare, supplex ab eo contendit, vt exportetur ad

ſibi ſubiectam eccleſiam: vt poſsit illic frui aliquo ex iis quæ pertinent ad remiſsionem ac recreationem. Ille autem Patriarchæ reueritus ſupplicationem, & illuc exportatus, iacebat cum ipſo morbo luctans, & ab eo ſimiliter cõfectus. Cum vero aliquantum temporis interceſsiſſet, ad eum diuina quædam aduenit viſio, ſignificans illius hinc futurum exceſſum. Statim ergo reportatus in cellam cum vltima verba dixiſſet fratribus, & poſtremum, eis dediſſet oſculum, & cuidã Melitę illorum commiſiſſet præfecturam, viro idoneo cui id crederetur, à terrenis migrat ad cœleſtia, ſuam animam in manu Dei deponẽs, iam natus nonageſimum quartum annum. Erat vero quintus dies Decembris quo mortuus eſt vir ille inclitus & ad vitam quæ illic eſt migrauit, comitatus ab angelis & Martyribus vt paulopoſt oſtendet oratio. Nunc autem per ſeriem procedat narratio.

Cum ergo mors ſancti breui tempore in oẽm partem peruaſiſſet, concurrit quidem ad ſacrum illius 68 corpus multitudo innumerabilis. Concurrit autem vniuerſus quoque ordo Monachorum, & quicunque erant Epiſcopi. qui cum quo par erat ornatu corpus compoſuiſſent, hymnos & cantica ei de more canentes, pie admodum & ſancte inter duas eccleſias in media laura deponunt: vbi cum ille eſſet ſuperſtes, vidit columnam lucis. Atque talis quidem fuit vita beati Sabæ: & eius tam admiranda & quæ naturam ſuperabant recte facta. Nobis autem eundum eſt ad miracula quæ facta ſunt poſt mortem, quæ ſunt & numero multa & inſignia magnitudine.

68 *Vide ſacri corporis honorificam ſepulturam, nẽ̃ ve ornatam monachorum ordinibus, Epõrum frequẽtia, multitudine populorum, hymnos & cantica de more canentium.*

Dicatur vero primum quidem id quod ſe paulopoſt eſſe dicturam pollicita eſt oratio. Romulus quidam, genere Damaſcenus, illiberalis artis opifex, primas partes tenẽs in choro Diaconorum qui erant Gethſemane. Is domo ſua perfoſſa eo tempore quo obdormiit beatus Sabas, & multa ſurrepta pecunia, ſicut ipſe narrauit, angebatur & perplexo erat animo neſciens quid ageret. Accedit autem ad templum Martyris Theodori, vt qui ſciret ſanctum eſſe feruentiſsimum, & qui 69 poſſet efficere. vt deprehenderentur malefici. Cum vero in templo perſeueraret orare, & iam quintus dies aduenisſet, Martyr noctu apparens ante eius oculos, Cur, inquit, tam acerbe affligeris & lamentaris? Poſtquam autem is dixit ſe ipſi ſuam expoſuiſſe calamitatem, ille benigne pro ſe reſpõdens. Sed ſcias, inquit, me hic non adeſſe. Iuſsi enim ſumus omnes Martyres concurrere, & beati Sabæ animam quæ modo eſt exoluta à corpore, ad loca quietis deducere. Sed noli, inquit, flere. Cum enim, inquit, in hunc locum veneris, inuenies fures et pecuniam. Romulus aũt cum ſtatim ſecum aſſumpſiſſet alios, venit quam primum ad locum. & inuenit ſicut vidit veram eſſe viſionem. Et hoc quidem eſt huiuſmodi, quod teſtatur Sabæ in Domino multam fuiſſe fiduciam, Quod autem iam deinceps aggreditur dicere oratio, nihil videbitur minus, ſi non etiam magis admirabile & magis gratum ac iucundum.

69 *Ecce quantam poteſtatẽ habeant ſancti poſt mortem.*

Erant quidam fratres, genus ducentes ex campeſtri regione, ſanctum ſemper colentes, & in eum adhuc ſuperſtitem magnam fidem oſtẽdentes. Hi in agro viuentes, & eum ſuis colentes manibus, in ipſo tempore vindemiarum quodam malo morbo feriuntur: & ſpem omnẽ vitæ abiiciũt. Atque illi quidem graui morbo iacebant oppreſsi. Fructus autem egebat

manu quæ eũ colligeret. Cum hi ergo bifariam diuisum haberent animũ, & propter metum mortis, & propter fructum interitum: nec possent inuenire vllam mali solutionem, sancti vix tandem recordantur: & eum inuocant 70 vt malo ferat auxilium. Ille verò eis præter spem cito subuenit & vtrique eorum apparens separatim, hæc significat, se Deum quidē pro eis 71 rogasse: & oportere eos mane venire in agrum & in vineas. Illi autem cum surrexissent, vsi sunt statim pedibus firmis & valētibus: & facile confecerunt viam quæ ducebat ad vineam: & erant de cætero præclari præcones miraculi: & eo die quo fuere curati, festum publicum celebrabant. Illi post hæc adiiciatur tertium, quod ipsum quoque est paris gratiæ & potentiæ.

70 *Nota, sanctum inuocant ut malo ferat auxilium.*

71 *Vide sanctos pro nobis Deum orare.*

Mulier quædam Palæstina, nomine Ginarusa quæ erat pia & amans virtutis, promiserat se duo templa sancti ornaturam esse duobus velis, speluncæ, inquam, & castellij. Vbi autem ad illa conficienda fuissent parata omnia, quæ se ea esse texturas cum illa conuenerant, nescio quam de causa differebant. Cum animo ergo angeretur & ægreferret Ginarusa, si propter illarum dilationem videretur fidem fallere & non stare promissis quæ fecerat sancto, ille ei in somnis 72 placidus apparens, eius sedauit molestiam: & rogauit ne eam conturbaret mulierum negligentia. Mane enim, inquit, tibi parentes opus aggredientur. Hæc simul quidem piæ mulieri significat: & iis quæ se contexturas opus erant pollicitæ apparens valde terribilis, efferabatur, & se vltima eis mala allaturum minabatur, si de cætero vel tantillum opus differrent. Mane ergo mulieres sibi inuicē renunciabant ea quæ visa fuerant. & statim quæ se operaturas fuerant pollicitæ, manus operi diligenter admouerunt. & sic pia Ginarusæ promissa finem accipere. Nobis autem deinceps fuerit consequens illud persequi quod vulgo iactatur de Camelo.

72 *Lege hæc tu qui dicis sanctos esse emortuos, nescire q circa nos aguntur, & nullam post mortem habere potestatem.*

Frumentum à mari mortuo per camelos mercede portabatur ad lauram. Camelorum autem Dominus erat Saracenus. Postquam vero Cameli fuissent prope lauram, vna ex iis quæ à via declinauerat, ea est aūt præceps & admodum alta, labitur nescio quomodo, & cū ipso onere defertur in torrentem. Hoc autem vbi vidisset Saracenus, clamauit protinus, Abba 73 Saba, preces tuæ meæ camelo opem ferant. Nondum finierat sermonem: & visus est, vt ille dicebat, videre quendam canis capillis Camelo insidentem. ipse verò cursu processit per aliam viam: & Camelum omnino illęsam suscepit ex præcipitio. gratias autem veluti reddens sancto pro beneficio, quotannis accedit ad capsam: & mercedis quam suis colligit laboribus, ei consecrat tertiam partem numismatis, paruam gratiam egregio proposito. Porrò vero hoc quoque ex iis quæ post mortem ab eo gesta sunt, est & iucūdissimum simul & maxime admirabile. quod cū pro multis veluti quoddam signaculum adiecero orationi, imponam finem narrationibus.

73 *Saracenus sanctum inuocat, & is statim adest, opemq; fert.*

Laura laborabat aquæ penuria sicut iam antè diximus: & cum sæpe produceretur defectus pluuiæ, grauiter affligebantur Monachi: & eo aperte redigebantur vt nescirent quid consilij caperent. Cum itaque aliquando apud se considerassent quemadmodum aqua eos deficeret, cogitarunt aliquod supra petram construere ædificium, & fodere inferius cisternam; vt aquæ quidem pluuiæ congregarentur in ædificium: Illinc

autem

autem paulatim confluentes in cisternam, eorum supplerent inopiam. Ad opus quidem certe conducunt quendam Mæmantem cum filio qui erat eiusdem artis. ambos, inquam, ædificandi peritos. Qui postquam supra petram construxissent ædificium, sub qua iacebat illud beatum corpus Sabæ, & aquam contendebant inducere, & eam excauabunt & faciebant aquæ ductum: vt per eum ferretur aqua in cisternam, & non per obliquũ subiens efflueret. Interim vero cum imber vehemens erupisset, rumpitur quidem repente ædificium aqua supra modum repletum. Cum autem vix potuisset Mamas effugere periculum, filius Auxentius, sic enim vocabatur, pręoccupatus a materia & ab impetu aquæ, detractus fuit à pręcipitio, & delatus in vestibulum duarum ecclesiarum. vbi etiam diximus beatum iacere corpus patris, non minus quàm decem vlnas distante altitudine. Deinde cum cessasset pluuia, inuentus est puer sub lapidibus illæsus & integer. & nec sæuus ille aquæ impetus, neque lapidum pondus ei detrimenti aliquid attullerunt.

Sed diuini quidem Sabæ omnia enumerare non est tutum: ne ipsi fugientes socordiam, à multis arguamur crimine immoderationis. Conuerti autem oportet ad ea quæ deinceps sequuntur: & narrandum est bellum quod deinceps exortum est in ecclesiis. Postquam enim fuit ecclesia recẽs liberata ab hæresibus, & respirauit à longis illis tumultibus & perturbationibus: & fuit in ea quies & tranquillitas, malignus in eam rursus inuidum iniiciens oculum, mouet aduersus eam quosdam Nonni asseclas. Domitianum, inquam, & Theodorum. Qui eum iam olim sentirent ea quæ Origenes, vbi etiam assumpserunt auxilium temporis: & eorum alter quidem Galatarum, Theodorus autẽ Cesareæ Cappadociæ creati sunt Antistites, magnam suam ostentarunt potestatẽ. Hinc Nonni quoque asseclæ per classes in omnem partem proficiscentes, & in omnia Orthodoxorum 74 monasteria & ecclesias secure facientes incursiones, aduersus ipsam quoque maximam Sabæ Lauræ militant cum securibus & dolabris, & quibusdam aliis instrumẽtis aptis ad diruendum & euertendnm. vt vel eam funditus euerterent: vel eam etiã sua peste implerent. Sed magni Sabæ Deus nunc quoque magnum operatur miraculum: & eos sicut olim Ægiptum, densis tegit tenebris & profunda caligine. & cum esset hora secunda die, illi cum perinde ac noctu per totum diem ambulassent, & nec vbi quidem essent scirent, vt illud Esaiæ in eis impletur, qui dicit. Contritio & infelicitas in viis eorum: & viam pacis nesciuerunt. Palpabunt vt cecus murum, & tanquam non sint oculi palpabunt. Cum sic ergo nihil scirent, sed in viam asperam & accliuem & omnino minime tritam incidissent, vix tandem die sequenti inuenti sunt circa monasterium beati Marciani, & sic cum lucem aspexissent communem, pudore sunt repleti, & re infecta redierunt.

Ecce morem hæreticorum monasteria & ecclesias deuastare, & uiros orthodoxos usque ad mortem persequi.

Hoc sapientibus & nõ mente captis hominibus suffecisset, si vel paruã honesti curam gessissent, vt scirent se ea aggredi quæ non essent Deo grata. Sed non illis, verum eis magis crescebat vitium, & bellum excitabatur vehementius & tetrius. Dolis enim quibusdam compositis, & sceleratis instructis insidiis, mittunt quendam paulopost nomine Thodorum, ad Petrum Episcopum Hierosolymitanum: & egregio illi vico, hei mihi, persuadentis quæ improbe contexuerunt, vt Petri Alexandrini, &

Ioannis cui erat cognomen Strongylus, ideſt rotũdus, ſuſciperet communionem. Quod quidem Ninni aſſeclis maiorem addidit animum & plus dedit fiduciæ & ſuam hæreſim non latenter ſed aperte circũcirca obeuntes, tanquam legem ferentes promulgabant. Quinetiam ſi aliquem ex orthodoxis Monachis deprehendiſſent in ſancta ciuitate, impia manu ferientes, & Sabaitem vocantes, illinc eum turpiter expellebant. Multos quoque cum grauiſsima tradidiſſent ſuppliciis qm̃ non potuerunt latere, apertum eis bellum indicunt. Cum autem rem ſenſiſſent viri qui circa Iordanem habitabant. Eliæ zelum, vt par erat, ſpirantes, veniunt ad eis opem ferendam. & communiter cum eis, tanq̃ ad aliquod præſidium confugiunt ad lauram diuini Sabæ. Poſt quam vero hæc renunciata fuerunt. Origeniſtis, in eos maximo impetu irruunt. & cum portarum confregiſſent cataractas, lauram ingreſsi ſunt: & vulnerantur multi ex orthodoxis & ex ſociis, Deo hic quoq; permittente arcanis rationibus & minime prohibẽte. vt fieret manifeſtior furor Hęreticorum: & ſuis Athletis ſplendidior contexeretur corona.

Cnm hæc autem ſic proceſsiſſent, mittitur patrum communi ſuffragio Gelaſius cuius fidei commiſſa fuerat lauræ præfectura, Byſantium, vt ſignificaret Imperatori ea quæ facta fuerant. Qui cum interim tantum terræ & maris obiiſſet, ei tamen excluſo omni aditu ad Imperatorem & Patriarcham. omnes enim aditus præoccupauerat vitĳ colophon, qui Nonni ſectatorum erat præcipuus Teodorus, eis diligentibus impoſitis cuſtodibus & ſpeculatoribus: ne per aliquem eorum eis inſcientibus ingrederetur Monachus ex Hieroſolymis & Patriarchæ & Imperatoris aures ad ſe attraheret. Cum ſic ergo omni aditu excluſus fuiſſet Gelaſius, poſt tantam vię longitudinem quam propter Chriſtum pro fide orthodoxa ſuſtinuit: poſt tantam afflictionem vacuis manibus reuertitur, & cum fuiſſet Amorĳ quæ eſt ciuitas clara & illuſtris, propria morte è vita excedit. Cũ hoc autem reſciuiſſent Nonnus Theodorus & Domitianus, & quicũq; erant eiuſdem vitĳ æmulatores, Georgium, qui ipſe quoque ſectam ſequebatur Origenis, eius loco præfectum & ducem conſtituũt: & in diuiniſsimi Sabæ throno, improbe, ò iuſtitia & Dei tolerantia, collocant. Rei abſurditate meus intumeſcit animus, itaq; diſrumpor & ſuffo cor. Hinc enim miſerabiliter accidit, vt patres qui erant in laura, alius alio diſpergerentur, non ſecus atque agni quidam lupo aduentante.

Sed non diu admodum permiſit Deus hanc ſuperare tempeſtatem. Neq; diuini Sabæ preces paſſæ ſunt eum amplius tacere & vti lenitate. ſed mox diuinam iuſtitiam excitant ad vindictam Et ideo Nonnus quidem malorum illorum ſtudiorum opifex vitam euertit miſerrime. Eueſtigio Georgius quoq; accuſatus cuiuſdam libidinis, euius vel meminiſſe ſolum linguam polluit, ab illa laura turpiter expellitur, cum ſeptem ſolũ menſes ei præfuiſſet. Deinceps autem rectionem ſuſcipit Caſsianus, vir qui ab infantia fuerat edicatus apud diuinũ Sabam, & inpulchra illius diſeiplina pulcherrime inſtitutus, & factus Sacerdos maxime Lauræ. Qui cum decimum mẽſem impleſſet in adminiſtratione, & deinde ex hac vita eccesſiſſet, Cononi poſt ipſnm mandant Monachi præfecturam. Mandant vero Deo, vt arbitror, Monachorum animos ad hoc mouẽte. Fuit enim vir ille ſumme reſplẽ dens, & rectis dogmatibus, & omni vir-

tute, & recte factis. Qui etiam in præfectura vsus est magna cura & diligentia. Nam & eos qui illinc recesserant eiecti ab Origenisti patres rursus collegit: & lauram quæ à frequentibus ilis tumultibus & bellis Hęreticorum iā inclinata fuera in genua,mox erexit, & veluti renouauit,

Posthæc cum sancta & Oecumenia quinta synodus congregata fuisset Bysantij, Theodorus Mopsuestiæ & Origenes, & vna cum his impia de præexistentia & restitutione dogmata, generali subiecta fuerunt anathemati. & sic Hæræticis deinceps omni ablata libertate loquendi,diuini Sabæ laurę,& vniuersa ferè cum eis Palæstina, vicesimo tertio anno post illius mortem, à grauibus hæresibus & temporis acerbitate & iniquitate respirarunt: & quietam deinceps & tranquillam vitam egerunt, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri simul cum sancto spiritu sit gloria & potentia, nnnc & semper & in secula seculorum. Amen.

VITA ET MIRACVLA SANCTI *Patris nostri Nicolai Episcopi Myrorum Lyciæ.*

SCITA quædam res est manus Pictoris, & quæ pulchre quidem scit imitari veritatē, & rerum signa ostendere euidentia. sed res est magis scita oratio, & pictura longe efficacior, ad id quod vult ostendendum, & rem oculis subiiciendam: ꝙ & magis scit incitare ad imitationem, & aliquem stimulum imitationis in animas immittere & ad paria excitare. Iam enim vita eorum qui,ex Deo vitam egere,expressa oratione, multos ad virtutem attraxerit et aduocauerit, & ad similem zelum omnino accenderit.Q̄uo etiam vita diuini Patris Nicolai: & eius potius q̄ alicuius alterius, ꝙ & aures delectat & animam afficit lętitia: & excitat animum ad honestarum rerum operationem. Sunt ergo res eius narrandæ, & oratione comprehendendæ pro viribus, etiam si sint iam olim quidem multis cognitæ, & quæ nulla indigent historia, nisi ad eas repetendas & in memoriā reuocandas, & ad vestrum virtutis amantium lætificandos animos. Decemb. 6.

Huic ergo magno & admirādo patri patria quidem erat Patara, Lycię ciuitas prius insignis. Parentes aūt honesto quidem loco nati:eas vero posside ntes facultates quæ sufficiebant & nō erant superfluæ: qui quidem mundanam gloria & pompam ne gustauere quidem, & filio futuri erant pulchrum exemplar ad hoc vt ei gratum esset nil possidere, ei soli quod bonum est vacantes & id modis omnibus persequētes. Hi plantati secus decursus aquarum pietatis, simul atque dant in tempore fructum diuinū Nicolaum, mater cessat parere, sterilis ab illo tempore manens & nullos producens liberos, quodammodo profitente natura non posse eam alium talem proferre. Sed cum eum primum simul & vltimum, generosum ramum mater in lucem edidisset, multiplicem spiritu cum coniunge fructū, dedere virtutum cumulū. hac verȩ pulchra locupletati sobole,Nicolao, inquam, admirabili. Ex his natus præbuit indicium suæ cum baptista cōiunctionis,eius quę ipsum peperit sterilitatem: ꝙ ille quidem in lucem

editus soluit matris vterum: hic autem contra claudit. Cum autem oporteret eum lactare vt infantem, & maternis admoueri vberibus, hic quoq; Deus significat qualis esset futurus Nicolaus, cum venisset ad ætatem quæ saperet. Nã tota quidem hebdomada mamilla vtebatur vt infans, cum venisset autem 1 quartus dies & parasceue, semel in vtroq; eorum lac sumebat, idq; vespertino tempore, sub perfecta regula educatus etiam ante pueritiam: & familiarem sibi esse abstinentiam ostendens ab initio.

1 *Quarta & sesta feria Nicolaus instãs semel suggebat ubera, in signum ieiunij & abstinentiæ.*

Cum sic ergo educeretur, & bonos mores partim quidem ex illis ipsis parentibus exprimeret, partim autem ipse ex se produceret & coleret, tanquam bona aliqua & generosa terra, et iam ad idoneam peruenisset ętatẽ, traditus fuit Grammatico. Is vero cum optimo & acutissimo ingenio plurimas disciplinas breui tempore percepisset, ciuile quidem & forense genus doctrinæ respuit. Insolentes autem sodalitates declinans & consuetudines & collocutiones cum mulieribus, & vel oculos in eas iniicere sibi interdicens, curam gerebat veræ temperantiæ: & iubens valere externas conuersationes, diuinis omnino vocabat ædibus, & mallens in eis abiectus esse ex diuini Dauidis sententia. Postquam autem in diuinarum scripturarum & de Deo dogmatum cognitione satis elaborasset, & ornatus esset gratiis innumerabilibus, accuratamq; & exactam vitę formam quę decet Sacerdotes vere obseruaret, quinetiã fiel ante canos essent eius mores constantes & similes, rogabãt ipsum vt fieret 2 presbyter. Hortatu ergo eius patrui, ab Antistite qui tunc erat Myrensium, ordinatur presbyter, & Deo qui ipsum dederat redditur, vt qui parentibus re uera fuisset donum precationis Hic autem Myrensium Pontifex donum diuini spiritus consecutus, videns iuuenis animam florentem virtutibus, prædixit gratiam quæ in eo erat abundatura, sic dicens. Eorum quidem qui tristitia afficiũtur erit benignum solatium. Pulchre autem pascet animas: & eos qui errauerint reuocabit ad pascua pietatis: & apparebit Seruator iis qui fuerint in periculis. Quę qũo tempore postea ad effectum deducta sint, declarabunt ea quæ deinceps consequuntur.

vacabat

2 *Si rogabant ut presbyter fieret, & presbyter ab Antistite ẽ ordinatus, nõ sunt oẽs ex æquo sacerdotes, ut uolunt impij dogmatistæ.*

Quid oportet autem dicere quanta post eius ordinationem ad virtutum exercitationem ei accessio facta sit: 3 vigilisq; ieiuniis & precibus quomodo sed dederit? Quibus ex rebus factum est vt vitam incorporeorum in mortali corpore agere contenderet: & ideo multis de eo quædam magna daret coniicienda. Postquam vero eius patruus cuius prius meminimus, nominabatur autem ipse quoq; Nicolaus, vidit adolescentem eo processisse virtutis & tanta dignatum esse gratia, ei mandat diuini templi curam, quod ille prius ędificauerat in nomine sancte Sion, & construxerat monasterium: & ad iuueni hac in re opem ferendam adhibet quoscũque sciebat esse virtus eius socios, vt simul cum eo ferrent curas ecclesiasticas, & diligentissime rebus sacris prouiderent. Atque cum aliquãdo quidem 4 profectus esset Hierosolyma admirandus Nicolaus, vt viuificum Christi sepulchrum & salutare lignum crucis in ea adoraret, impleuerunt isti locum illius: & ea quæ ad templum eiusq; dispensationem pertinebant ita administrarunt ac si ille adiuisset. Sed hęc quidem postea.

3 *Vigiliæ, ieiunia & orationes, sancti fuere exercitia.*

4 *Peregrinatur Nicolaus ad loca sancta, ut uiuificum domini sepulchrum, & salutare Crucis lignum adoraret.*

Cum autem eius parentes iam è vita excessissent, facultatum hæres relictus, & ea perpetuo faciens quæ par est filium qui diligit parentes, non statim aspexit ad diuitias: neq; quemadmodum amplificaretur & ei per-

maneret

maneret hereditas, vel paruam vllam curam gerebat. Nam cum iã olim omnibus mundanis renuntiasset delitiis, per eam quæ est hæc consecuta viuendi rationem, contendebat ostendere vera vitæ procœmia: & principio consentiẽs reddere id quod deinceps accesserit. Et ideo omnia sua Deo permittens, Notam fac mihi Domine, dicebat, viam in qua ambulem. Qm̃ ad te sustuli animam meam: & doce me facere voluntatem tuam, qm̃ tu es Deus meus. Qm̃ in te proiectus sum ab vtero. A ventre matris meæ Deus meus es tu. Audiui autem diuinum quoq; Dauid sic dicẽtem, Diuitiæ si affluant nolite cor apponere. A sapientæ quoquæ Solomone, Eleemosynę & fides ne te deficiant, non desistebat benefacere: sed erat manus aperta egentibus: & fluuius fluens multo & quieto fluento. Verum enim uero iam par est meminisse singulorum, vt diuitiæ eius bonitatis cognoscantur accuratius.

Vir quidam qui ex claro obscurus, & ex diuite fuerat factus pauper, qm̃ redactus erat ad summam rerum omnium inopiam, cum ipsa etiam ei defecissent necessaria, proh dolor quousq; progreditur egestas? statuerat filias suas, erant autem tres forma insignes, mercede ad libidinem prostituere volentibus: & ex earum quæstu se & filias alere. Eas enim matrimonio coniungere nõ poterat, ꝙ propter nimiam paupertatem omnes eas dedignarentur. Is ergo in his erat: & hanc improbam animo versabat cogitationem: et iam admiserabile opus aggrediebatur. Sed tu Domine qui es & natura bonus & omnis boni causa, & benigne inflecteris nostris necessitatibus, efficis vt hoc veniat ad aures Nicolai: & bonum mittis nuntium, & promptum opitulatorem ad eum qui iam veniebat in animæ periculum, qui simul & eius solaretur paupertatem, & liberaret à te quæ erat grauior, paupertate. Vide autem mihi sancti cum prudentia commiserationem. Non enim sustinuit ad eum accedere, & de eo paucis dissereret: neque ei ostendere manum quæ illi benefecisset, quæ solent facere qui sunt ad misericordiam pusillo & abiecto animo. Sciebat enim hæc esse grauia iis qui ab opibus & gloria deciderunt ad inopiam. vt quæ eos pudore afficiant, & priorem felicitatem reuocent in memoriam. sed perinde ac euangelicum præceptum contendens superare, quo iubetur ne id quod fit dexteræ fidei credatur: ne ipsum quidem qui afficiebatur beneficio voluit adhibere testem eius quod fiebat: tantum aberat vt gloriam quæreret ab hominibus. Nam ipse etiam boni quid faciens, magis studebat latere q̃ ij qui mala faciunt. Certe cum auri per multum simul colligasset, intempesta nocte venit ad eius viri ædes: & cum id per quandam iniecisset fenestram, domum statum reuertitur, veluti erubescens videri dare.

Mane ergo cum vir ile surrexisset & aurum inuenisset, & deinde vinculum soluisset, sunt obstupefactus: & se falsum esse putabat. timens ne non esset aurum id quod cernebatur. Vnde nam enim tale quid fuisset suspicatus, noluisse benefactorem eum habere conscium beneficij cui benefecerat? Quo circa summis id atterens digitis & curiosius intuens, vbi cognouit id vere esse aurum, lætabatur, mirabatur, dubius erat animi, præ gaudio calidas effundebat lachrymas. Postquam autem multa apud se versans, neminem habebat eorum quos cognoscebat cui adscriberet ad quod factum fuerat, hoc Deo acceptũ ferebat: & lachrymis non cessabat

ei gratias agere: sui quoque in Deum peccati culpam contendebat soluere ante alia. & vnam ex suis filiabus, nempe primam, viro coniungit matrimonio, pro dote ei solute auro quod abũde fuerat suppeditatum. Quod quidem postquam venit ad notitiam Nicolai admirabilis, & hominem cognouit fecisse ex eius animi sentẽtia: hoc enim erat ei studio per nuptias auferre mali occasionem, paratus erat similia quoque facere in secundam filiam. atque adeò tantundem auri pondus alligatum mittit per eandem fenestram, noctu, omnibus inscientibus. Cum vero vir mane surrexisset, & aurum similiter inuenisset, eodem modo rursus fuit obstupefactus: humiq; postratus solum calidis irrigabat lachrymis Deus dicẽs, qui vis misericordiam, dispensator nostræ salutis, qui etiam prius propter meam homo factus es inobedientiam: & nunc me cum filiabus liberas à laqueo alieni, ipse mihi eum ostende qui tuæ deseruit volũtati, qui inter homines est angelus & imitator tuæ benignitatis: quis hic est qui nos eripuit à paupertate quæ nos premebat, & à tetris soluit cogitationibus. Ecce enim tua misericordia secundam filiam trado viro coniungendam matrimonio legitimo, quæ iam vitauit ne sit preda Diaboli, & ne mihi quęstũ afferat quouis damno, proh dolor grauiorem.

Hęc dixit & secũdę filiæ statim celebrauit nuptias, erecto iam animo & bona spe ductus fore vt nec in tertia quidem ei sit defuturus qui eam accipiat coniugem. Se enim iam in promptu putabat habere dotem, ex prioribus de ea quoque, vt par erat, concipiens fiduciam. Erat itaque attentus & sollicitus & totas noctes vigilabat assidue, ne eo insciente accederet egregius ille suppeditator pecuniæ: sed si veniret eum ambabus manibus apprehẽderet, & ex eo sciret quisnam esset, & vndenam aurum ad eum afflueret. Atque illi quidem sic vigilabat aduentum eius præstolans. Tertio autem pedetentim accedit Dei seruus Nicolaus cum esset nox profunda. & cum venisset ad locum consuetum, tantundem auri rursus alligatum immittit per eandem fenestram. Pater vero puellarum cum sensisset strepitũ auri quod ceciderat, & animaduertisset adesse consuetum opum suppeditatorem, quam citissime potuit eum est persecutus. cumq; eum comprehendisset & cognouisset quisnam esset, neque enim is propter virtutem & splendorem generis erat obscurus, procidit ad eius pedes, & illum redemptorem vocabat, & adiutorem, & seruatorem animarum quæ iam ad extremum adducebantur periculum. Nisi enim, dicebat, tuas magnus ille in misericordia Dominus excitasset miserationes, iã olim perijssem infelix pater cum tribus, hei mihi, filiabus. Sed nunc nobis per te dedit salutẽ, & ab acerbo casu peccati liberauit: & erexit mendicos è sterquilinio, & è terra surgere fecit pauperes. Hęc ille quidẽ cum lachrymis lætitiæ & calido spiritu fidei ei dicebat: & ad beatos illos pedes adhætescebat. Ille autem postquam cognouit se iam homini euasisse manifestum, eum facit surgere, & sacramento illius adstringit animam, ne apud alios proferat quæ facta fuerant toto tempore vitæ suæ: neque publicet misericordiam. Hoc est huius viri vnum, quod est & maximum & maxime cognitum. Eius vero quæ quotidiæ fiebant in egenos distributiones, & panis mẽdicis suppeditationem quos in fame alebat, & bonis implebat animas esurientes: Sed ad hæc ne mediocriter quidem dicende suffecerit aliquis.

Quoniam autem etiam virtutem amabat perfectiorem & maiorem apud Deum coniunctionem assequi & familiaritatem, capitur quidem amore silentij, animo vero concipit abscendere, vtpote quod non posset aliter assequi quod desiderabat. Vacate enim, inquit, & cognoscite. Quãobrem statuit se longe remouere, & conuenienter Prophetæ habitare in solitudine, & cum aliquando ei visum esset venire Palæstinam, vt sancta loca videret, in quibus qui pro nobis passus est Dominus in mundo est versatus, cum ascendisset nauem quæ tunc venerat ex Ægypto, tendit versus Palæstinam. simul qudiem quæræns eam quam desiderabat solitudinem, & 5 proficiscens ad visenda loca sancta. Sed de his quidẽ dicere differamus: paululum autem immoremur in nauigatione. Atque nauigabat quidem recta in Ægyptum Cum autem nihil futurorum a nautis præuideretur, is tempestatem maximam & sæuos ventorum impetus eis prænunciat. Dicebat enim se vidisse malignum nauem ascẽdentem: veliꝗ & claui rudentes gladio dissecantem, & totam nauem retinentem & circumagentem, & volentem eam cum viris ipsis submergere. Sic inquit: & statim veluti signo dato, vehemens quædam procella spirans e nubibus, pelagus tollit in fluctus maximos. & qui cum eo nauigabant, non minus fluctuabant animis, & prope magnum stantes Nicolaum, Deum quidem precabantur ipsum verò rogabant vt opem ferret in grauissimũ adductis periculum, & nullam sperantibus mali solutionem, ex eo ꝙ ipse prædixisset sperantes eum posse etiam opem ferre. Ille autem eos iussit bono esse animo: & policitus est breui futuram à malo liberationem. Omnia certe quæ eis molesta erant cito sunt ablata: mareꝗ euasit placidum. & in prefectam mutatum est tranquillitatem: & ipsi obliti lamentationum, ad lætitiam animi sunt conuersi, Deo & eius famulo agentes gratias: & dupliciter eam admirantes, & quòd prædixisset, & quòd tristia remouisset.

5 Vide iterũ peregrinationẽ ad loca sancta.

Sed cum hæc ita se haberent, quidam ex nautis cũ in summum mediæ antennæ ascendisset, vt nauis armamentorum recte aliquid componeret, cum iam illinc esset descensurus, ex alto lapsus cadit in mediam nauem: & ille quidem iacebat nihil spirans, & videbatur mortuus. Ille uero ad opẽ ferendam etiam antequam vocaretur paratissimus, oratione eum facilius quam si somno detineretur excitat: & viuum rursus nautis reddidit. Deinde cum vela omnia expandissent: & aura leni & suaui confecissent sequentem deinceps nauigationem, cum iam terræ appulissent, multas Dominus per Nicolaum fecit curationes. Nam & cæci statim charam lucem aspiciebant: & alij qui laborabant, liberabantur ab iis quę habebãt malis. Et vt semel dicam, nullus erat qui ab vllo detinebatur morbo aut ægritudine, aut vlla etiam opprimebatur molestia qui si ad Nicolaum accessisset, non statim curaretur & leuaretur eo quod illi afferebat molestiam Cum sic ergo non solum facilis sed etiam gratuita facta sit curatio, quemnam oporteret abesse ex iis qui male se habebant dat ratio considerandum: rursus vero quam multi fuerint qui curabantur: Deinde etiam quanta fieret ad Deum gratiarum actio, & quanta esset celebritas eorum qui eum glorificabant.

Cum illinc autem profectus esset ad Christi sepulchrum, rursus etiam venit ad venerandum Golgotha, vbi etiam pro nobis fixa est crux salu-

taris. Deinde etiam noctu accedit ad diuinum lignum crucis. Et ei quidem sua sponte aperiuntur sacrosancti loci portæ. Cum feruētes autem preces & multam obtulisset illic adorationem, consequitur etiam maiorem boni spiritus operationem. Postquam vero satis versatus fuit in Palæstina, rursus per mare reuertitur in patriam. cum hoc diuina ei iussisset visio, ne suaui ilius voce eius oues amplius priuarentur. Hic cum nauem ascendisset iile admirabilis, & nautarum arguitur improbitas & diuini spiritus virtus in eo habetur in admiratione. Nā ille quidem erat nauigaturus in patriam: & cum hoc prius pactus esset cum bonis illis nauis, ita nauē ascendit. Illi vero postquam sustulissent anchoras, domum versus tendebant. Cum è portu ergo egressi essent, & velum extēdissent, secundo velo vtentes, nauigabant in patriam suam. Nequaquam autem hoc cōtemptui habuit iustitia: sed euestigio eos est persecuta: & violenta quædam repēte exorta tempestas, clauum auulsit & detraxit gubernacula: & ipsis quidē vltimum minabatur periculum: illum autem appellit in portum patriæ. Quid ergo ille magnus & misericors animus? Ne acerba quidem in eos vsus est oratione. Sed cum primum eos vidit mutatos & acerba motos pœnitentia, à propria quoque victus est bonitate: & secunda nauigatione eos rursus remisit in patriam. Ipse vero sanctæ Sion iam redditus monasterio, quod ab eius patruo olim pulchre fuerat ædificatum, vt iam antè declarauit oratio, iucunde ab eis est visus, & omnes qui in ipso erant repleuit voluptate: eosq; excepit liberali & munifica gratia. Sapienter autē res eius superna dispensabat prouidentia, & magnam hanc lucem erat magno impositura candelabro & ideo eum rursus deduxit ad ciuitatem, diuinum mel virtutis diligenter operantem.

Cum sic autem vitam ageret vt humanos omnes lateret oculos, & magis aperiebat & ostēdebat esse maximi faciendum. Non enim celabat virtus operarium non magis q̄ lux eos qui per ilum ambulant. Quinetiam fructus laborum illius cito arborem indicabant. Sed Deus quoque qui nouerat occulta cordis illius, non sustinens cultorem suum amplius latere, virum reddit manifestum. Quemadmodum autem hoc factum sit attendenda est narratio. Cum illo tempore Myrensium Antistes & sedem & vitam simul reliquisset, & iter ad Deum esset ingressus, diuina subijt æmulatio subiectos ei Episcopos & è clero eximios, vt vir dignus in sede reponeretur. & cum esset aliquando omnes congregati in ecclesia, consuluit quidam ex eis, Dei & sapientię illius dispensationi hanc rē precibus committere. Hoc cum omnes, tanq̄ vnusquisq; suam elegisset sententiam, Deus qui facit voluntatem timentium eum, & exaudit preces illorum, vni eorum reuelat eum qui erat præfuturus ecclesiæ. & ad eum aliquando diuina apparens visio, visa est ei iubere, vt veniens ad templi aditum illic staret: & dicere qui primus ad templum venerit, is est qui meo mouetur spiritu. & eum accipientes, est autem ei nomen Nicolaus, eum create Episcopum hoc enim est ei prædestinatum.

Cum hoc vir ille diuinus accepisset mysterium, hæc synodo & clero communicat. & omnibus diligentius vacantibus orationi, is cui ille magnus fuerat reuelatus, venit in eum locum ad quem fuerat iussus. Iam autem circa matutinum diuino spiritu motus magnus ille Nicolaus, venit in ecclesiam. Cum vero, fuisset in vestibulo, eum accipiens is qui illa

fuerat dignatus visione, Quo vocari o fili, diligenter rogauit. Ille aũt comiter & simpliciter. Nicolaus peccator, inquit, Domine, seruus tuæ sanctitatis. Ille vero vir diuinus postquam hæc moderata & humilia audiuit magni verba, partim quidem : nomine Nicolai quam ei predixerat visio quę apparuerat, partim aut ex summa modestia, Non ignorabat enim, Super quem Deus respicit nisi supra mitem & quietum: cognoscens illum huc esse quem Deus significabat, protinus impletur lætitia, & perinde acsi in aliquem occultum incidisset thesaurum, & lucrum esse reputasset viri inuentionem, dicit ei, Sequere me fili. Deinde eum assumpsit & duxit ad Episcopos. Illi vero rem statim coniiciunt quæ à viro prius eis dicta fuerat. & diuino gaudio ei quoque plenus fuit animus. & Dei suffragio conuenientem iudicant viri virtutem. Deinde sanctum statim ducunt in medium templum. Cum vero in omnem partem fama peruasisset, solet enim ea in rebus tam magnis valde contenta & celeri vti penna, confluit quidem multitudo innumerabilis. Illi autem maxima voce, Accipite, inquiunt, ò fratres, vestrum pastorem, quem vobis vnxit sanctus spiritus. cui nostras animas gubernandas & instituendas tradidit. quem non humanum suffragium sed diuinum præfecit. Habemus ergo quem desiderabamus. quem quærebamus nunc accepimus. Cum ab eo recte pascendi & ducendi simus, non deficimur spe fore vt Deo assistamus populus peculiaris in die apparitionis eius & reuelationis. His adiecit populus gratiarum actionem, & locutus est lætitiæ verba ad Deum quæ verbis exprimi nequeunt.

Sacra autem Episcoporum synodus vnà cum Cleto, cum quidquid iustum est & sit de more in eo prius disposuissent, cum Pontificatus chrismate intiant, cunctantem quidem & dubitantem suscipere munus Pontificale, propter vere laudatam autem timiditatem vix ad sedem ascendentem Episcopalem, & Myrensium suscipientem prefecturam & præsidentiam, recte tractantem verbum veritatis: & pietatis recta tenentem dogmata & ea docentem. In hæc autem malignus inuidum iniecit oculum: sic enim florentem non ferebat pietatem sed acris, vehemensq́ue eos subiens qui rerum potiebantur, statim acerbiorem effecit persecutionem: & edicta venerunt imperatoria per vniuersum orbem terræ, ad abnegandam pietatem fideles euocantia. Sin minus, vincula, & carceres, & grauissima tormenta, & postremo violentæ mortes, eos accipiebant protinus qui non obtemperabant. Ea breui perueniunt vsque ad ciuitatem Myrensium, volucribus vtentia ministris, seruentibus impietatis amatoribus. Diuinus ergo Nicolaus, quoniam in ea erat magnus, res defendens & colens Christianorum, & pitatem libera voce prædicans, comprehenditur ab iis qni primas partes tenebant in ciuitate: & condemnatus vt in vincula coniiceretur & omni suppliciorum genere torqueretur, cum multis aliis Christianis traditur in custodiam. in qua etiam mãsit non paruo tempore, nulla re quidem quæ bonna esset fruens: mala autem carceris ferens tam forti & generoso animo, q̃ quis ferret ea quæ essent grata & iucunda. Sed nec sic quidem intermittebat suos in fide alere: infirmo & infracto fundamento pedes illorum statuens: & eos reddens viuidiores & acriores pro veritate.

Sed statim sol apparet post nubem: & leuis & suauis quædam aura

post procellam benignus que & clemens meus Christus desuper ad suam intuens hæreditatem, destruit quidem omnia impietatis sceptra tollitque de medio. Diocletianos inquam & Maximianos & quicunque fuere post eos gentiles. erigit autem cornu salutis populo suo. & figura crucis per stellas apparent Costantis & Helenæ filium Constantinum euocat: & ei tradit sceptrum Romanorum Is vero cum esset sapiens, & eum qui vocasset non ignorasset, in eo confidit: & deiectis omnibus aduersariis, acerrime defendit pietatem: & iis qui priu fuerant Imperatoribus cecinit pallinodiam: iubens quidem dirui templa simulachrorum: solui autem è carceribus eos qui fuerant inclusi propter nomen Christi: & ędificari 6 templa Christianorum: & ecclesias suum ornatum suscipere. Cum hoc ergo decretum omnem eius imperio subiectam comprehendisset regionem, in suam patriam reuertebantur omnes Christi cōfessores. Suum itaque pontificem Nicolaum ciuitas suscepit Myrensium, instituto quidem ac voluntate martyrem & incruentum victorem. Ille aut à Deo datis omni ex parte florēs donis, & morbos omnes curabat & fuit breui clarus & gloriosus, non solum apud fideles, sed etiam apud multos infideles, & habebatur in omnium animis in maiori admiratione quam quę possit verbis exprimi. Et ideo cum videre adhuc restare multas aras simulachrorum & magnam Dæmonum cateruam in eis habitare, & nō paucos perdere ex Myrensibus, diuino zelo animo incensus exurgit fortissime, & omnem illorum obiens regionem, si in aliquam aram aliquādo incidisset, humi deiiciebat, & in puluerem comminuebat, & sic procul expellens Dæmonum multitudinem, effecit vt grex pace tranquilla frueretur.

6 *Si christianus Imperator mandat tēpla ædificari, & ecclesias suum ornatum suscipere qui contra hoc faciunt iam nō Christiani sunt habendi, sed pagani uel hæretici.*

Cum sic bellum gereret sanctus aduersus spiritus improbitatis, fit quędam ei à superis inspiratio & diuinior cogitatio, vt ne à Dianę quidem templo abstineret: sed ipsum quoque aggrederetur & ei idem faceret quod prioribus: erat enim id & pulchritudine admirabile, & alios superans magnitudine, & iucundissimum Dæmonibus habitaculum. Cum ergo maior aduersus hoc templum eum subiisset impetus, idque iuuenilius & acrius esset, non solum diruit omnia quæ supra terram eminebant & ea humi deiecit: sed etiam totum conuulsit ab ipsis fundamentis & ab summam, templi quidem ea quæ erant in aere sublimia humi deiecit: quæ aut erant sub terra proiicit in aerem. Mali vero Dæmones ne aduenientem quidē sanctum vllo modo poterant sustinere: sed etiam voces emittebāt fugientes: & affirmabāt se ab ipso magna affici iniuria, & inuitos à rebus suis excedere. Et hæc quidem sancto sic procedebant, & bonum exitum est assecuta quæ ab ipso aduersus Dæmones suscepta fuerat expeditio: Sed aliarum eius rerum vult rursus meminisse oratio, & non mandare obliuioni ea quæ digna sunt quæ dicantur & mandentur memoriæ.

Cum enim Constantinus, qui primus Imperator elegit esse pius, administraret Romanorum imperium, & hic magnus Pontifex suam exerceret plebem ad recta suscipienda dogmata, & si quid in eis erat alienum & adulterinum id totum radicitus excinderet, Niceæ quidem omnes cōgregantur Orthodoxi, vt pium fidei decretum constituerent, Arij autem impiam procul expellerent blasphemiam: & conciliarent pacem vniuersę ecclesiæ, decernendo filium esse patri honore æqualem, & ambas partes

coniungendo in vnũ. Fit ergo hic quocꝫ admirabilis Nicolaus pars sacrę synodi & strenue resistit nugis Arrij & cum omnia dissoluisset: & accuratam fidei regulam omnibus tradidisset, illinc recedit & ad suum gregẽ reuertitur, adhortans omne & adducens ad virtutem: & tractans doctrinam acrius & feruentius. Cũ autem aliquando fames inuasisset Lyciam, alimento etiam opus habebat ciuitas Myrensium & iisdem malis laborabat. Cuidam itaque nautæ qui frumenti fecerat mercaturam, noctu magus apparet Nicolaus, & ei tribus datis pro arra aureis iubet eum proficisci in ciuitatem Myrensium, & iis qui sunt illic vendere frumentum. Excitatus itaque mercator, aureis in manu inuentis, cum visionem mentes agitasset, & quod factum fuerat esset admiratus, venit Myra. Et ille quidem vendit frumentum in ciuitate: qui vero in ea erant, inuento eo famis solatio, id Deo & magno Nicolao, sicut ẽt multa alia, adscribebant.

Deinde seditio à Taiphalis oritur in magna Phrygia. Quod cum audiisset Imperator Constantinus, & de eo communiter deliberasset, tres simul ei subiectos duces exercitus, eorum autem nomina erãt Nepotianus & Vrsus & Herpylion, ad res sedandas & componendas emittit in Phrygiam. Illi vero magna celeritate profecti Constantinopoli, appulerunt in quendam portũ Myrensium prouinciæ Lyciæ, vocabatus autem Andriaces nauale. Cum vero non cõcederet eis mare vt nauigarent, breui tempore in portu manserunt. & interea quidam ex eorum militibus è naui exeunt, ea cõparaturi quæ erant eis ad vsum necessaria. Quomodo autem solent milites alienarum rapina & violentia valde delectari, iis hic quoque vtebantur: & res vexabant accolarũ & depopulabantur. Deinde res etiam processit ad seditionem. & excitatus est quidam tumultus ad Placoma quod dicitur. Hoc cum resciuisset Nicolaus admirabilis, ille nihil cunctatus venit ad nauale. Postquam autem manifestus fuit paucis quibusdam, fama omnia peruasit. & protinus vniuersa ciuitas cum ducibus exercitus de more ei processit obuiam. Cum ille itaqꝫ exercitus duces interrogasset quamobrem & vnde venirent, illi dixerunt se fuisse missos ab Imperatore, vt componerẽt seditiones exortas in Phrygia. Ille vero eos in ciuitatem acceptos, splendide & magnifice hospito excipit. Deinde cum illi militum tumultum sopiissent, & ab illo assecuti essent benedictionem, iam erant egressuri.

Interim autem quidam ex ciuibus ad sanctum Nicolaum accedunt: & ad eius pedes magno animi ardore procidentes, rogabant vt opẽ ferret iis quibus fiebat iniuria: & postulabant vt liberarentur à malis præsentibus. Præses enim Eustathius, cum eiulatu dicebant & lachrymis, pecuniis corruptus ab iis qui colunt inuidiam & improbitatem, tres viros ex iis qui sunt in ciuitate, cum nihil omnio peccarint, morte multat. Pro his ergo vniuersa ciuitas miserandum in modum cruciatur & affligitur: & in magno mœrore tuam implorat præsentiam. Si enim ad fuisses, non apud eam tale Sol scelus aspexisset. Hęc cum homo Dei audisset, & imitator illius clementiæ, ad hæc excitatur & assurgit animo, zelum induens & fiduciam. & assumptis Ducibus exercitus, statim viam est ingressus. Cum autem fuisset in quodam loco, is vero vocabatur Leo, rogabat eos qui accedebãt, an de viris illis aliquid scirent, & vbi eos reliquissent. Illi autem, in platea, inquiunt, apud Dioscoros qui vocantur. Ille verò recta

pergens ad martyrium sanctorum Crescentis & dioscoridis, vbi intellexisset eos modo portam egredientes duci ad Beran, is autem erat locus quo ad mortem ducebantur condemnati, gradum accelerans, & quod deerat senectuti, cordis feruore supplens, breui tempore peruenit ad locum constitutum. & videt magnam quidem circunsistentem multitudinem, viros vero, proh dolor, ponè vinctos manibus, & opertos habentes oculos, & nudo collo & extenso sectionem expectantes, miserabile spectaculum, & quod nec oculum quidem poterat habere testem perspesionis: & ipsum carnificem qui iam gladium strinxerat, cædemq́; spirantibus & furiosis intuebatur oculis, & vel solo aspectu prę se ferebat immanitatem.

Hæc postquam vidit & in illud triste spectaculum coniecit oculos, lenitate temperans austeritatem, neque temere & insolenter aliquid est locutus, neque timido accessit & pusillo animo. sed cursim accedens ad lictorem, ensem quidem eripit ex illius manibus, nullo timore affectus aut perturbatus. eum autem iacit humi: & viros illos soluit vinculis quibus erant ligati. Hæc eum facientem cum magna auctoritate, nemo erat qui esset prohibiturus. cum & insignem eius nossent virtutem, & eius pro iustitia zelum reuerentur. Atque iis quidem qui seruati fuerant, lætitia calidas mouebat lachrymas: & ob mutationem alacri animo simul exclamabant, Totus autem campus erat theatrum. laudabātq́; omnes & inclamorem erumpebant ad conspectum eorum quæ aspexerant. Tunc Præses apparet Eustathius. sed eum cum apparuisset magnus despicit Nicolaus: & minime admittit accedentem: & properantem procidere ad eius pedes repellit: & minatur se de eo dicturum Imperatori, & aduersus eum Deum esse vocaturum, & in extrema cum esse mala ad ducturum, qui tam iniuste vtebatur magistratu, & magna mala aggrediebatur. Ille autem & grauiter feriebatur stimulis pœnitentiæ: & cor eius mordebatur graui morsu cōscientię. Ea ratione & lachrymis captabat misericordiam, eiq́; fiebat supplex: & toto animo rogabat ut magnus Nicolaus ei reconciliaretur. Deinde culpam quoque transferebat in Simonidem & Eudoxium qui erant primi Myrensium. Non ignorabat autem eum mentiri. Sciebat enim eum pecunia corruptū morte damnasse innocentes. Atque illi quidem maximas ei agebant & habebant gratias: & præclarus Christi seruus a lingua eorum canebatur: & illius solus hoc fuisse factum erat extra controuersiam. Duces autem exercitus diuinis eius dignati precibus, & eas honestum ducentes viaticum, venerunt in Phrygiam. & rebus illic omnibus vt oportuit compositis, & iis confectis quæ iusserat Imperator, læti rediere Byzātium. Hi accipiuntur ab Imperatore & magistratibus honorifice & magnifice, & de cætero in regia erant clari & insignes: & erat magna in eos obseruantia.

Non erat autem hæc æquo animo passura inuidia: neque erant tolerabilia inuidorum oculis. Accedentes itaque quidam ad Prefectum urbis, vt qui existimatione ab eis vinceretur, aduersus illos grauem adornant calumniam dicentes illos duces nō rectum capere consilium: neque eorū desiderium ad bonum finem tendere. Res enim nouas moliuntur, quantū ad nostras aures peruenit: & mala machinantur aduersus Imperatorem. Cum de his Ducibus hæc dixissent, & multo auro Præfectum emissent, per illum corrumpunt aures Imperatoris. Nam cum ipse protinus ve-

nisset

nisset in conspectũ Imperatoris, narrat quę ab illis audiuerit. & persuadet vt in dicta causa ab illo capiantur, & in carcerem coniiciantur. ne nobis, inquit, non animaduertentibus faciant ea quæ sunt meditati Sic quidem factum est. & coniecti sunt illi in carcerem, cum nec ipsum quidem sciret cur essent traditi in custodiam. tantum aberat vt aliquid male machinati essent aduersus Imperatorem.

Intercessit aliquantum temporis, & rursus malignitas tanquam non contenta prioribus, adimplet etiam id quod deerat. Nam sic quidem degebant illi viri afflicti in carcere: calumniatores autem cum viderẽt tempus fluere, timentes ne si euenisset aliquid inopinatum, structæ quidem angueretur eorum insidiæ, conuerteretur vero in eos periculum, rursus accedunt ad Præfectum: & ei facessunt negotium ne sic viros relinqueret, sed eis iustum inferret supplicium. Ille autem veritus ne aurum sibi auferretur, si finem non accepissent quæ erat pollicitus, accedit rursus ad Imperatorem: vultusq́ue seueritate & ipso tristi aspectu, præ se ferens malorum se venire nuncium: & simul volens ostendere se illius vitæ curam omnino gerere, esseq́ue in eum summa fide & beneuolentia. Deinde varie insidiosis verbis irrepit & se ei insinuat, dicens. Domine, qui aduersus tuam mala sunt meditati potentiam, pro iis bonis quæ à te sunt consecuti, ne in carcere quidem desistunt à tali meditatiooe: neq; vlla ducũtur pœnitentia: sed nunc quoque perseuerant in ceptis prioribus: & improbe eadem rursus struunt. Nunc ergo si liceat quidem, eos iuste puniemus. Sin minus at considerandum est ne si eos præuenerint, ipsi malè afficiant. Hæc conturbant Imperatorem, & iniiciunt ei suspitionem. Ipse ergo volens mentem liberare à sollicitudine & in futurum non amplius timere, morte condemnat innocentes.

Constitutum ergo fuerat vt die sequenti morerentur. Vespere enim lata fuerat sententia. & ad custodem carceris venit infelix nuncius condemnationis & illi de eis omnia significat. Ille autem cum multum suã deplorasset calamitatem, erat enim, vt videtur, longe profecto humanior, & alioqui iam eis euaserat amicus & familiaris, deinde mœrens ad eos accedit: & vtinam, inquit, ne vobiscum quidem primo sermonem contulissem, neque tantum tempus apud me versati essetis, neque satis fuissem vobiscum particeps. facilius enim sustinuissem calamitatem: de disiunctione minorem dolorem accipere: non sic perturbatio meum perculisset animum Cras enim à nobis inuicem disiungimur, acerba, hei mihi, & vltima disiunctione. Neq; vos amplius iucundum videbo spectaculũ. non audam loquentes. non panem apponam communem. Iussi enim estis interimi, Sed si de vostris facultatibus vultis aliquid disponere, iam est tempus: ne mors vestram præueniat sentẽtiam. Hæc ille quidem dixit mœrens, & illorum mortem acerbe deplorans. Illi autem, quid enim ad hæc fecissent animę, quæ nullius rei quæ mortem mereretur sibi erant cõsciæ, & vestes lacerabant, & capillos mysere vellebant: Quis nobis Dæmon, dicentes, vitam inuidit? Cur nos autem subibimus mortem maleficorum? Quidnam fecimus quod mortem mererentur? Amicos suos nominatim vocabant: cognatos: familiares. Deum ad rerum pñtium vocabant testimonium. iã ante oculos mortem visione apprehendebant.

Cum sic acerbe lamentarentur, & tam miserabiliter suam lugerent ca-

lamitatem,alter eorum cui nomen Nepotianus, recordatur Nicolai, & quemadmodum Myris ille tres viros defendit: & à matre eripuit, cum ex inopinato eis fuisset seruator & defensor. Hæc eis inter se loquentibus, inuentione enim valet necessitas, & animama ad multas excitat cogitationes, ab illis quoque ad Deum 7 intercessor statim assumptus est Nicolaus, dicentibus. Domine, tui Nicolai Deus, qui tres viros ab iniusta morte prius eripuisti, ad nos quoque aspice: q̄m non est inter homines qui opem ferat. Ecce enim cor nostrum cõprimitur: & eius afflictiones multiplicatæ sunt super nos: & nemo est qui nos educat è tentatione. Ecce nos quoque vox deficit ante animam. & lingua igne cordis exiccatur: & tibi non possumus amplius offerre preces. Cito præueniat nos misericordiæ tuæ Domine, ne despicias iniustitiam & iniustam mortem. Eripe nos è manu eorum qui quærunt nostram animam: & festina ad nostrum auilium. cras enim dedemur morti.

7 *Vides Sanctum assumi intercessorem ad Deum?*

Cum hæc attendisset, qui eorum qui ipsum timent, tanq̃ pater filiorũ, miseretur, mittit auxilium à sancto, nempe suum famulum. & noctu apparens Imperatori Nicolaus admirabilis, Imperator, inquit, surge cito: & eos tres Duces exercitus qui detinentur in carcere libera. Fuerunt enim temere appetiti calumniis. Deinde iniustitiæ quam patiuntur exponit tragœdiam: & quemadmodum eis fuerunt paratæ insidiæ accuratæ persequitur. Sin minus, se & bellum moturum, & male ipsum perditurum, & extrema ei facturum est minatus. Admiratus itaq; Imperator eius fidentiam & dicendi libertatem, & alioqui ꝙ intempesta nocte sic ingressus esset regiam, sed quis tu es, rogauit, qui hæc meæ potentiæ intẽtas & miraris? Nicolaus autem, Qui pręsum, inquit, Myrensium metropoli, & statim ille quidem surgit conturbatus à visione. Sanctus vero similiter etiam apparet Ablabio Præfecto dormienti: & de eis mãdat eadem. Ablabio autem qui ipsa quoque rogauit quisnam esset, Nicolaus r̃ndit, Christi seruus. Excitatus ergo Ablabius. mẽte versabat id quod in somnis viderat, & quidnam esset quod ei apparuerat & quidnam significaret. & statim venit ad ipsum quidam ab Imperatore, significans ea quæ Imperatori visa erant in somnis. Ille verò ei rursus renunciat visionem: & narrat ei omnia quæ ibi apparuerant. Illa ergo admirabilis, & quæ erat præter opinionem, visione obstupefacti, Imperator & Præfectis, & ꝙ veluti signo dato eadem ad vtrunque venisset, q̄m somnium non poterant conjicere, accersitis è carcere illis Ducibus exercitus, omnibus circũsistentibus, Quanam, inquit, arte magica vtentes, talia ad nos misistis somnia, tam acre bellum intentantia? Illi autem qui nullius rei eiusmodi sibi erãt conscij, se nutu inuicem interrogabant, si quis eorum quid nosset, obstupefactum alter in alterum oculum coniicientes. Imperator verò eos videns sic affectos, mutatur ad lenitatem. & prope eos accedens, iubet ad hæc respondere.

Illi autem oculos replentes lachrymis, & assidue vlulantes, Nos, dixerunt, ò Imperator. Neque ars magica quid sit nouimus: neque aduersus tuam potentiam graue quid sumus meditati. Testis est qui omnia videt oculus. Si autem hæc non ita sunt sed mali aliquid in te cogitauimus, nullam ò Imperator, de nobis ceperis misericordiam. Non ò Imperator per ipsam trinitatem, neque toti nostro generi pepercens. Sed si quid est

vel morte grauius, id in nos pronūcies. Nobis ò Imperator, fuit hæc hæreditas relicta à parentibus, honorare Imperatorem, & in eum beneuolentiam præferre rebus omnibus. Si quis vero hæc transgrediatur, male cum mulctare, & eo vti deinceps tanq̃ hoste. Quãobrem nostra neglecta, ad tuam ò Imperator, salutem aspeximus. Vnde etiam munificæ remunerationes nobis à tua sperabantur dextera. Qñ autem manus quoque hostilis aduersus tuam mouebatur potentiam, & tempus postulabat talem virorum virtutem, aliis prętermissis qui erant eiusdem cuius nos au-ctoritatis, nos quod vtinam non fecisses, elegisti prę cęteris: & belli iu eos gerendi curam nobis mandasti. Hac de causa prõpto & alacri animo tuo iussui paruimus: & bellum suscepimus aduersus inimicos: & propriã virtutem, id Deo dictum sit propitio, factis satis ostẽdimus. in quo quidem omnes sat scio consensuros. Hoc quod nobis prius prębuit felicitatem, aduersus nos nuc armat inuidia: & condemnamur, proh dolor, vt vides: & nos esse extrema passuros expectamus. Quo circa eo rediјt nostrę in te beneuolæntię ostensio, vt esset occasio maioris supliciј, & pro gloria quæ sperabatur & remunerationibus, nos tenet metus mortis & condemnationis, propter hoc vltimum & pręclarum quidem sed infelix factum. Qũo hæc ò Sol, Quomodo hæc sustines videre ò iustitia.

His animo flexus Imperator, aperte ostendit se pœnitere factę illis iniuriæ. Timebat enim Dei iustificationes: & verebatur purpuram, ne legeis ferens aliis, redderet ipse rationem & pœnas lueret iudiciј. Eos itaque statim benignis intuerunt oculis, & placide, eos alloquitur. Illi autem, suis ad dicendum excitatis animis, qm̃ ansa loquendi libere eis data fuerat ab Imperatore, publicabant thesaurum: nec spem celabant: & Domine tui Nicolai Deus magna voce clamabant, qui tres viros ab iniqua mortem aliquando seruasti, nos quoq; per ipsum eripe ab hoc periculo imminẽti. Sermonem arripit Imperator: & quis est, inquit, hic Nicolaus, & qũo & quosnam seruauit dicite. Nepotianus autem omnia statim narrat sigillatim. Imperator vero qui & in Deum & in suos famulos honore prius quoque sibi, placebae, ne hic quoque suę est oblitus virtutis, sed simul atque de illo viro fuit renunciatum, non opus habuit multis verbis: sed quę sibi apparuerat visiionem magis recolens, fiduciamq; & loquendi libertatem pro iis qui afficiebantur iniuria, & acrem illius zelum supra modum admiratus, eis donat veniam, &, Non ego, inquit, vobis vitam largior: sed is quem vocastis ad auxilium, qui nec nos quidem sinebat dormire, vos acerrime defendens & vestri curam gerens. Abite ergo ad ipsum. & tonsa coma ei agite gratias. Nostro quoque nomine ei renunciate. Ecce feci quod iusseras. noli mihi amplius minari. Hæc dixit: & aureum Eueangelium: & quoddam aliud vas ex auro & gemmis compositum & duos cereolos aureos eis donat, iubens ea dedicare 8 templo quod est Myris. Sic illi admirabiliter & contra opinionem assecuti salutem, iter continuo sunt ingresi, & læti ad sanctum veniunt: & lubentes eum videbant: & præ maximo gaudio aperte ostendebant se promptissimo & alacerrimo animo esse profusuros vitam sibi donatam, vt referent gratias ei qui ipsos tanto affecerat beneficio. Deinde templo dedicant & offeruut ea quæ acceperant ab Imperatore. Domine Domine, quis similis tibi, qui liberas egenum à manibus eo potentiorum, sensim dicẽtes.

8 *Ecce quomodo dona mittit imperator tẽplo quod est Myris.*

& nec ipsos pauperes fluentes expertes gustus lætitiæ, sed eos quoque suis bonis impertientes.

Sic ergo Deo in operibus suum extollente famulum, alata de eo sublata fama, in omnem partem peruadebat, & omnia comprehendebat: mare trasmittebat: per terram ferebatur: & nullum dimittebat locum ad quem non magni magnarum gratiarum peruenisset auditio. Nautæ itaque aliquando in magnam incidunt tempestatem, qui cum eam quæ in manibus eorum erat posita salutem desperassent, quoniam magnum Nicolaum à fama acceperant esse velox auxilium in iis quæ præter spem eueniunt, se totos ad eum precandum conferunt. & eum 9 inuocabant in tempestate, & manus ad eum tendebant, & a solo eius pendebant auxilio. Ille autem ne parum quidem cunctatus, protinus nauem insilit: & cum se manifeste conspiciendum illorum præbuisset oculis, Ecce, me, inquit, vocauistis & adsum vobis opem laturus. Deinde cũ eos iussisset esse bono animo, clauum sumit in conspectu omnium: & ita nauem videbatur dirigere. Deinde etiam mare increpans, sedat fluctus & turbines & alia mala tempestatis, quõ prius quoque meus Iesus, & sic eis facilem & tranquillam præbet nauigationem. Cum autem eos leni & placido vento vectos terra excepit, è naui descendentes contendebant ad eum accedere qui eos liberarat à periculo. Deinde cum accepissent eum iuisse ad ecclesiam, vadunt ad tẽplum. Atque ille quidem cum se fecisset partem cleri, stabat cum aliis. Illi autem cum in eum coniecissent oculos qui non erat eis prius cognitus, ex ea quæ eis in mari facta fuerat apparitione, eum continuo agnouerunt. & accurentes procidunt ad eius pedes. & lingua quidem eis mouebatur ad agendas gratias: simul vero cum ea etiam loquebatur animus, eorum quæ passus & quomodo fuerat liberatus recordans: & oculis emittebat lachrymas testes eorũ quæ dicebantur. Deinde etiam iis qui aderant sigillatim narrabant seriem rei gestæ.

9 Nota omnia hæc, Et cum inuocabant in tẽpestate, & manus ad eum tendebant, & à solo eius pendebant auxilio. Vide etiã mirabilia quæ sequuntur.

Admirabilis verò Nicolaus non minus sciens liberare á periculo animæ, quod erat etiam ei maiori curæ, cum perspiciendi facultatis dono spiritus eis insidentem vidit improbitatem, quæ procul à Deo remouebat & ab illius mandatis, vos ipsos, ò filii, dicebat, agnoscite, agnoscite inquã, vos rogo: & corda vestra & mentis vestræ motus & cogitationes ad hoc dirigite vt Deo placeatis. Nam et si multos lateamus & boni esse videamur, at illum quidem certe omnino nihil latebit eorum quæ nostra sunt. Nam homo quidem inquit, in faciem, Deus autem ad cor. Hoc quoque quæ scripturam audiuistis dicentem. Ne faciatis mala, & vos non comprehendant mala. Discite vero potius bene facere: & corporis sanctificationem toto exercere proposito. Vos enim estis templum Dei. Qui aũt corrumpit hoc templum, perdet eum Deus hæc dicit diuinus Paulus. Sic facite, & de cetero Deum habebitis adiutorem. Snfficiunt mihi hæc quæ dicta sunt ad ostendendas opes quibus ille à Deo erat locupletatus. Sed nescio quõ eius mentio, nec hic quidem patitur sistere orationem. sed nisi ea quæ supersunt adiecerit, damnum ducit esse maximum.

Quidam enim seruo ab antiquis vtique temporibus repetitus ad nos veniens, describit hunc beatum moribus quidem senilem, aspectu autem angelicum, spirantem vero sanctificationem & diuinam gratiam. Porrò autem hæc quoque de eo adiicit, q si quis in eum incidisset, ei qui inciderat,

derat, ex solo eius aspectu, magna fiebat ad id quod est melius accessio & mutatio. vnusquisque vero cuius animus aliquo premebatur dolore & perturbatione, cum vel solum in eũ defixisset oculos, satis magnum inueniebat molestiæ solatium. Ex eius quoque vultu emicabat fulgor quidam supra modum luminosus: & eius illustrabat faciem plus quàm Mosis. Si itaque contigisset aliquos ex iis qui erant diuersæ sectæ vel in via cum eo congredi, si solummodo suauem illius linguã sensissent, statim abibant abiicientes hæresim quæ illis cõaluerat à pueris: & rectam veritatis rationem toto pectore admittebant. Ille ergo cum sic vixisset, & ex virtutis ratione se præclare gessisset: & vere iucundo & suaui vnguento, mediam Myrensium ciuitatem, diuinarum, inquam, gratiarum floribus perfudisset, & ad profundissimam peruenisset senectutem, fuissetque plenus diebus tam diuinis quàm iis qui resoluuntur. quoniam eum cum esset homo, oportebat communi legi inseruire naturæ, in breuem morbũ incidit. Ille verò ab eo consumptus est in agendis Deo 10 gratiis, hymnisque qui dicuntur in excessu: & spe migrationis iucundissime eam reddebat affectum. Nã quod aliis permanere in carne, hoc illi disiungi à corpore. Sed ille quidem hanc breuem & caducam relinquit vitam: & transit ad illam diuturnam & beatam, cum splendoribus Angelorum conuersans & exultans, & videns lucem veritatis apertius & purius. Pretiosum aũt 11 eius corpus, sanctis Episcoporum manibus & cleri totius facibusque & luminibus honoratum deponitur in templo quod est Myris, vnguentum 12 in hoc vsque tempus profluens, morborum corporis & animæ remedium.

Alludit ad μύρα, quod vnguentũ significat.

10 *Ecce quomodo moriuntur sancti.*

11 *Vide pretiosi corporis christianam & honorificam sepulturã. Elatum est enim sanctis Episcoporum manib9 & cleri totius, facibusq; & luminibus honoratum.*

12 *Vnguentum quod est sancti corpore profluit nonne splendorem uitæ eius aperte profitetur.*

Cum autem ex omnibus terræ partibus illuc confluerent qui copiosæ illius gratiæ fiebant participes, quosdam ex Lyciis qui erant procul remoti, & multorum dierum iter aberant, vehemens inuadit desiderium veniendi ad sancti monimentum 13 & participandi sanctificationem. Cum itaque cibos in nauem immisissent, in Lyciam erant nauigaturi. Malignum autem Dæmonium quod Dianæ templum olim habitabat, quod inclitus Nicolaus cum multis aliis illinc expulit, ara humi deiecta, cum sensisset illorum nauigationem, partim quidem in sanctum cõcepto odio quod & templum eius euertisset, & eum illinc exterminasset, & pro viribus eum studeret vlcisci: partim autem volens viros priuare sanctificatione, & lædere desiderium, se simulans mulierem, videbatur ferre vas plenum oleo: & dicebat se valde quidem cupere id ferre ad sancti sepulchrum: sed vereri longam nauigationem & contremiscere. neque enim, inquit, fieri potest vt mulier tanta sit audacia: vt tantum maris audeat nauigare. Rogo ergo vos vt hoc vas accipiatis & feratis ad sepulchrum, & in sancti lucernam iniiciatis oleum. Hæc abominandum dicebat & rogabat Dæmonum, vas illud tradens in manus piorum. Illi autem, vt semel dicam, inerat mala quædam operatio & omnino digna eo qui dederat. Multum itaque precata persuadet. Cumque id accepissent, quoniam primi diei erat eis peracta nauigatio, tuum opus ò fidelis Dei serue & egregie defensor periclitantium, hoc quoque quod mirabiliter factum est & contra opinionem. Noctu enim cuidam eorum apparens, iubet vas iacere in profundum. Illi vero cum primum mane surrexissent, ita fecerunt: & id in mare proiiciunt. statimque flãma sublime sublata est in aerem: fumusque & tetri odores illinc emittebantur. Tunc aqua cœpit dehiscere: & inferne

13 *Vides quod etiã tum mos erat uenire ad sanctorum sepulchra ueneranda pro participatione gratiarum ς*

clangens tanq̃ erumpentis terræ motus ſtrepitus edere: & aquæ guttæ erant ſcintillæ. & nauis tantis intercepta fluctibus iam obruebatur. & viri tam inopinato periculo obſtupefacti, ſe inuicem triſtes & planè deſperantes intuebantur: & nullum tanti mali inueniebant exitũ. Sed qui procul ſalutis eorum curam gerebat, & iuſſerat vt vas in mare proiicerent, is tunc quoque eis apparens, eos à grauiſsima liberauit tempeſtate & à maximo periculo. Nam ſimul atq; nauis parum mota eſt à loco, & viri ſoluti ſunt metu: & quędam eos afflauit aura ſuauis & odorifera. & odore ſunt delectati, & maximę ſunt eorum animi affecti lętitia.

Hæc tibi ſunt à Deo dona ò Nicolae. hę ſunt laborum remunerationes. hæc ſunt pręmia tuorum certaminum & tuæ exercitationis quæ, inquam, adeptus es in hac vita præſenti. Futuræ enim illa ſunt omnino, quę neque cerni poſſunt oculis, nec audiri auribus, nec corde cõprehendi, quę didicimus Deum præparaſſe iis qui ipſum diligunt. Ego autem nihil dubitabo te & præclarum vocare martyrem, coronatumq; victorem ſine ſanguine, quantum ſcire poſſumus reſpicientes tuum animi inſtitutũ. Qui ſola precatione impiam confregiſti potentiam, & ab exilio pulchre fuiſti reuocatus: & cum ſplendidis trophæis rediiſti ad Chriſtianos: & priorem honorem ſecundo excepiſti in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cũ quo patri ſimul cũ ſancto ſpiritu gloria, potentia, honor & adoratio nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI *Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis.*

Decemb. 7.

VALENTINIANVS, poſt mortem Iouiani acceptis ſceptris Imperij, fratrem ſuum Valentem abductum è Pęonia adſciſcit ſocium in imperio. & traditis ei Aſię ſceptris & Ægypti, ſibi attribuit Europam. & Romã veniens deduxit omnes occidẽtales ad veram Dei cognitionem, incipiens primũ à pietatis prędicationibus. Nam cum è vita exceſsiſſet Auxentius qui peſtiferam quidem ſectam Arrij admiſeret, ſuæ autem fidei habebat creditam Mediolanenſium eccleſiam, in plurimis verò ſynodis fuerat abdicatus, accerſitis Epiſcopis, Valentinianus apud eos hæc verba fecit.

Recte ſitis vt qui ſitis eruditi in diuinis, qualem oporteat eſſe eum qui ſit dignus habitus Pontificatu: & q̃ non verbo ſolum ſed etiam vita ab eo ſint moderandi & componendi ij quos regit, & ſeipſum oporteat totius virtutis exemplar proponere, & viuendi rationem habere teſtem doctrinæ. Talem ergo vos nunc quoq; collocate in ſede Pontificali, vt nos qui regimus imperium, ſincere ei noſtra 1 inclinemus capita: & quæ ab illo fient reprehenſiones tanq̃ medicam amplectamur curationem. Nos enim cum ſimus homines, omnino labi neceſſe eſt. Hęc cum pius dixiſſet Valentinianus, Synodus ipſum rogauit vt eligeret cum eſſet & ſapiens & ornatus pietate. Ille vero dixit eam rem eſſe maiorẽ q̃ vt eam poſſet ſuſtinere. Vos enim inquit, qui diuinam illam eſtis aſſecuti gratiam, & ſplendorem illum ſuſcepiſtis, melius eligetis. Ii ergo egreſsi apud ſe conſultabant. Qui illam autem habitabant ciuitatem, agitabãt ſeditionem.

1 *Si Imperator caput inclinat Epõ, ſignum eſt quod imperatore Ep̃s eſt ſuperior.*

alij quidem hunc: alij vero illum magno studio cõtendentes præfici. Qui enim eodem laborabant morbo quo Auxentius, eos eligebant qui erant eiusdem sententiæ. Qui erant autem sanarum partium, rursus eum quærebant qui eadem sentiret.

Diuinus ergo Ambrosius in senatu Romanorum insignis, post multa alia imperia & magistratus, illo tempore, à Constantino & Constante piis Imperatoribus, habebat suæ fidei commissam Italorum præfecturam. vir vita quidem purus & amans virtutis, probatus autem in verbis & operibus, & educatus in sapientia diuinarum scripturarum, etiamsi erat adhuc sacramentis minime initiatus. Quinetiam erat in græca eloquentia & doctrina exercitatus. Iuste vero & recte iudicabat: omnemq; malam actionem accurate examinabat & arguebat. Is cũ accepisset de hac seditione, & timuisset ne fieret aliquid noui, maxima celeritate veniẽs ad ecclesiam, ambabus partibus sedat & componit tumultum. Illi aũt cum cessassent ab illa contentione, vocem emisere cõem, petentes beatum Ambr. eis creari Pastorem. Quæ cũ audiisset Imperator, iussit protinus & mysteriis initiari & ordinari hunc virum laude dignum. Sciebat enim eius mentem esse quauis amusse rectiorem: esse autem hæc quauis regula suffragia perfectiora. Existimabat enim diuinam quoq; eam esse sententiam, ex eorum qui contraria sentiebant consensu hoc coniiciens.

Postquam autem sanctissimi baptismi donum fuit assecutus Ambrosius, & gratiam accepit Pontificalem, dicitur optimus Imperator hunc hymnum obtulisse Seruatori & Domino. iis enim quæ facta sunt interfuit. Gratia tibi Domine omnipotens & Seruator noster, ꝙ huic quidem viro ego corpora, tu vero animas credidisti: & meam electionem iustam esse pronuntiasti. Postquã vero paucis interiectis diebus, hic vir diuinus Ambrosius cum maiore libertate alloquens Imperatorem, eum reprehendit ꝙ à Magistratibus res male essent administratæ. Ego, inquit Imperator, hanc olim tuam noueram dicendi libertatem. & cum eam recte scirem, non solum non contradixi, sed tuæ etiam consensi electioni. Medicare 2 ergo, vt lex iubet diuina, delicta animarum nostrarum. Hæc cũ Mediolani Valentinianus ille magnus & pius Imperator, & dixisset & fecisset & imperium recte administrasset, & recta in fide sententia præclarus extitisset, decimo & octauo anno sui imperij migrat è vita. Filios autem relinquit successores Gratianum & Valentinianum minorem, Valente iam imperante in Oriente, qui fuit etiam Arrianorum sectæ socius. Cum Gothis vero prælio congressus & victus, cum ille quidem in paleæ horreum confugisset, igne fuit in eo consumptus. ad Gratianum autem Valentiniani quidem filium, Valentis vero patruelem, translatũ est vniuersum Romanorum imperium. Nam primum quidem Europæ, deinde etiam totius Orientis sceptra à patre acceperat. Deinde etiam Asiam, & quæ restabant Lybiæ, Valente mortuo sine liberis.

2 *Ecce quõ in his quæ ad remouenda peccata pertinent, Epis etiam Imperatorum cura ex diuina lege demandata est.*

Cum autem esset pius sicut pater, reuocauit omnes Episcopos ex exilio, quos exterminauerat Valẽs propter sectam Arrianam, & eiecerat è patria. Cum vero intellexisset Gratianus vastari Thraciam à barbaris qui Valentem superauerant, relicta Italia venit in Pæoniam. Eodem autem tempore Theodosius quoque qui & propter claritatem maiorum & propter propriam virtutem erat maximi nominis, & ab æqualium in

honore inuidia erat expulsus, versabatur in Hispania. eo enim fugerat & ibi vitam agebat. Cum dubitaret autem Gratianus quidnam facere oporteret, Victoria enim inflati barbari, & erant & existimabantur expugnatu difficiles, existimauit malorum futuram solutionem si ducendũ exercitum accepisset Theodosius. & cum statim ex Iberia quæ etiam dicitur Hispania, eum accersiisset & ducem exercitus elegisset, emittit cũ collecto exercitu. Ille autem inuictis armis, nempe fide Orthodoxa, munitus, audacter processit contra aduersarios. & cum ascẽdisset in Thracã, & prælio conflixisset, ille quidem victoria est potitus. Barbari vero ne eius quidem primum ferentes impetum, continuo simul omnes fugam arripuerunt: & facta est magna eorum cædes, non solum à Romanis, sed etiã à seipsis. Quo enim plures erant, eo se magis ipsos lædere videbantur quã hostes. Sic ergo omnibus propè interfectis, pauci qui potuerant latere Istrum transmittunt. Lætatus autem Gratianus vt qui optime Theodosium elegisset ducem, eum continuo creat Imperatorẽ: & ei tradit sceptra imperij Valentis. & ipse quidem transit in Italiam: illum autem mittit ad eam quam ei dederat administrationem.

Cum ergo imperium accepisset Theodosius, concordiæ ecclesiarum q̃ maxime fieri potuit curam gessit. & suæ ditionis Episcopos conuenire iussit Cõstantinopolim. ipsa enim sola erat referta peste Arrianica. Patres enim occidentales erant ab hoc morbo liberæ. Nam cum Cõstantinus & Constans filij magni Constantini, paternam fidem conseruassent integrã: & rursus Valentinianus suam non prodidisset pietatem, pars orientalis in multis locis eam pestem susceperat, quæ ab Alexandria primo cæperat, deinde progressa fuerat vlterius. Atque fuerunt hæc quidem adhuc superstite Gratiano. Postquam autem ille & se in bellis præclare gerens, moderateq́ ac iuste regens ciuitates, ex insidiis mortem obiit, non relictis quidẽ filiis successoribus imperij, fratre autem admodum iuuene pronuntiato imperij successore, quidã Maximus Valentiniani conspecta ætate, arripit ipsum imperium occidentis. Illo vero tempore Iustina coniux quidem magni Valentiniani, noui autem mater, quæ Arrianicæ doctrinę olim susceperat semina, ea aperit filio. Coniugis enim sui sciens ardorem in fidem orthodoxam, studuit latere toto eius tempore. non ignorans autem pueri mentem esse teneram & ad inducendum facilem, ausa est ei adhibere deceptionem. Ille vero vtilia esse matris monita arbitratus, & ad escam naturæ intuitus, repente incidit in laqueum.

Magnus ergo Ambrosius cum nuper quidem omnem Arrianicum errorem expulisset ex Italia, postquam iuniorem quoq; Valentinianum didicisset in eum incidisse, studebat quoad eius fieri poterat iuuenis mentẽ ab eo liberare. Ille vero eum habebat suspectum tanq̃ aduersarium: & se in eum comparabat tanq̃ quem constaret esse hostem. Ambrosius autẽ & patris pietatem ei reuocabat in memoriam: & rogabat vt quam acceperat hæreditatem conseruaret integram. Docebat vero dogmatũ quoq; differentiam. & quemadmodum omnia cum Domini doctrina conuenirent & cum Apostolorum prædicationibus. alia verò aperte pugnarent cum lege spiritali. Iuuenis verò, vtpote iuuenis, & qui à matre decepta deliniebatur, non solum non admittebat ea quæ dicebantur à Pontifice: sed ira quoque replebatur: & verbis armabatur: & Satellitibus ecclesia-

ſticos circundabat ambitus. Cum autem magnum illum & fortẽ Athletam Ambroſium, nihil terruiſſet ex iis quæ ab ipſo fiebant, ea. n. exiſtimabat puerorum terricula, ille id admodum ægreferẽs, iuſsit virum progredi extra ſacras illas portas. Is verò ſe inuitum quidẽ dixit eſſe facturũ: nec, inquit, ad ſanguinem vſq; ſuſtinebo lupis prodere ſtabulũ ouiũ. Sed ſi tibi videtur me intus interficere: infer, inquit, mihi enſem aut cuſpidem. Nã talem ego cædem ſuſcipiam lubentiſsime. Et hæc quidem diuinus Ambro.

Cum multum autem cõtereretur temporis, didicit quidem Maximus quanta eſſet audacia illius grandis præconis veritatis. Scribit autem ad Valentinianum, iubens vt deſiſtat bellum gerere aduerſus pietatem: & rogans ne prodat paternam pietatem. Si autem non pareret, grauiſsimum ei bellum minatur. Quinetiam coacto exercitu contendebat Mediolanũ. Is vero cum illum accepiſſet aduentare, aufugit in Illyricum, ipſa diſcens experientia quem fructũ percepiſſet ex matris cõſiliis. Imperator Theodoſius cum & de iuuene audiiſſet Valentiniano, & quæ ad eum rurſus ſcripſit Maximus, ſcribit ad iuuenem qui fugerat, non eſſe mirandum ſi Imperatori quidem metus, Tyranno autem ſit coniuncta potentia. Nam aduerſus pietatem, inquit, bellum quidem geſsit Imperator, Tyrannus autem tulit opem pietati. & qui eam quidem prodebat, nudus aufugit. Qui hac vero eſt armatus, eum qui nudus eſt vincit. Cum pietate enim ſimul eſt is qui de ea legem tulit. Atque hæc quidem ſcripſit, cum eſſet remotiſsimus. Cum autem ad petendum veniſſet auxilium: & ſuo quidẽ relicto imperio, ad eius imperium vidiſſet acceſsiſſe, primum quidem adhibuit animæ curationem. & qui eum inuaſerat, morbum impietatis abſtulit, & ad paternam reduxit pietatem. Deinde cum iuſsiſſet eum eſſe bono animo, & aduerſus Tyrannum ſuſcepiſſet expeditionem, illi quidẽ regnum tradit ſine ſanguine, Tyrannum autem tollit de medio. Exiſtimabat enim ſe facere iniuriam & violare pacta conuenta cum Gratiano inita, ſi non ſumpſiſſet pœnas de iis qui eum interemerant.

Hic ergo Imperator fideliſsimus, etiam aduerſus errorem gentilium omne ſtudium adhibuit, & leges tulit, iubens ſolui templa idolorum. Nã magnus quidem Conſtantinus qui eſt omni laude digniſsimus, cum primus pietate ornaſſet imperium, & furore percitum adhuc videret orbem terræ, prohibuit quidem omnino ſacrificare Dæmonibus, iubens vt nulli liceret eorum templa ingredi. Porrò autem eius quoq; filij paterna ſecuti ſunt veſtigia. Iulianus vero renouauit impietatem: & veteris erroris flãmam accendit vehementius. Cum autem imperium aſſumpſiſſet Iouianus, rurſus prohibuit cultũ ſimulachrorum. Magnus quoq; Valentinianus iiſdem vſus legibus adminiſtrauit Europam. Valens autem permiſit quidem omnibus eam quam vellent colere religionem: aduerſus eos vero ſolos bellum geſsit qui Apoſtolica defendebant dogmata. Toto ergo tẽpore illius imperij, & ſuper aras accendebatur ignis: & libamina & ſacrificia offerebant idolis: & publicas epulas per fora celebrabant. & qui erant Dionyſii orgiis initiati, cum caprinis pellibus currebant, ad ſe canes attrahentes, furenteſq; & bacchantes, & alia agentes quæ ſignificabant Magiſtri nequitiam. Theodoſius autem Imperator fideliſsimus, & ea omnia abſtulit, perinde acſi ne fuiſſent quidem ab initio; & eorum loco plura alia intulit Chriſtianis.

Verumenimuero communis à principio hominum hostis omnia effugere retia nequaquam est facile. Sæpe enim cum quis vitium effugerit libidinis & intẽperantiæ, implicatur fortasse laqueo auaritiæ. Quod si ea quoque fuerit superior, aliunde rursus oritur barathrum inuidiæ. Quod si hoc quoque rursus transilierit, iræ rete inueniet propositum. Alios quoque innumerabiles laqueos hominibus statuit malignus, eos venans ad interitum. & corporis quidem affectiones habet deseruientes machinis quas fabricatur ipse aduersus animam. Sola autem mens vigilans, per suã ad res diuinas propensionem, superat eius machinas illius arguens malignitatem. Cùm humanæ ergo naturæ esset particeps Imperator admirabilis non mansit omnino expers illius perturbationum. Sed cum quędam immoderatio iustæ iræ accessisset, ęquum quid & iniquum parturiit, sicut statim dicetur. Non solum enim habet reprehensionem Imperatoris admirabilis, sed etiam laudem dignissimam quæ mandetur memoriæ: & maxime generosi huius Ambrosii hic ostensam fiduciam & loquendi libertatem: & magnum illum quo vsus est zelum in pietatem. Declarabit autem oratio.

Thessalonica est magna ciuitas & frequens populo, quæ est quidem in Macedonia, præest autem Thessaliæ & Achaiæ, & multis aliis quoque gentibus quæ sunt subiectæ Præfecto Illyrici. Cùm ergo orta esset in ea seditio, lapidibus obruti & lacerati sunt aliqui ex magistratibus: & turpissime sic vitam finiere. Imperator autem inflammatus nunciis eorum quæ euenerant, nõ tulit moderate. sed tota ira in omnes emissa, & iniustis districtis ensibus, insontes sustulit cum sontibus septem, inquam, vt fertur, millia, cum ei nullum præcessisset iudicium. Cùm hanc lachrymabilem resciuisset calamitatem magnus ille Ambrosius, Imperatorẽ qui venerat Mediolanum, & diuinum templum volebat vt solebat ingredi, procul occurrens, ne sacras quidem portas permisit introire. Nescis, dicens, vt videtur, ò Imperator, perpetratæ cædis magnitudinem. neque postquam ira cessauit, quod admissum fuerat apud se reputauit ratio. Non sinit enim fortasse potestas imperĳ peccatum reputare & agnoscere. sed se rationi opponens impedit potentia. Oportet autem nosse naturam, eiusque mortalitatem & fluxum perpetuum: & primum illum puluerem ex quo facti sumus & in quem defluimus: & non propter purpuræ florem ferri effrenatum, & ignorare imbecillitatem corporis quod tegitur, cum simus eiusdem ab initio naturæ, atque adeò conserui. Est enim vnus omnium Dominus & Rex, qui est etiam omnium opifex. Quibus ergo oculis videbis templum communis Domini? Quibus autem pedibus calcabis solum illud sanctum? Quomodo autem extendens manus quæ calidio adhuc distillant sanguine? Aut quomodo suscipies manibus sanctissimũ corpus Domini? Quomodo autem ori inferes 3 sanguinem pretiosum, cum inique per iram tantũ sanguinis effuderis? Abi ergo, & ne tentes secundis augere priorem iniquitatem. & suscipe vinculum quod vniuersorũ Deus desuper sua comprobat sententia. est autem hoc tibi medicum, & sanitatẽ conciliat, nisi tu malis pati morbum immedicabilem.

3 *Quia adhuc uigebat consuetudo Ro. Eccl. sub utraque specie communicandi, ideo hoc loquendi modo utitur Ambrosius.*

His verbis cedẽs Imperator, nam cum esset in diuinis literis educatus, aperte sciebat quænam essent quidem propria Sacerdotum, quęnam autẽ Imperatorum, simul gemens & lachrymans reuersus est in regiam. Cum

ex illo autem tempore mensis trãsiisset octauus, venit quidem dies festus natalis 4 nostri Seruatoris: sedebat autem in regia grauissime lugens Teodosius. Hoc cum tunc vidisset Ruffinus quidam magister, accedens, vt qui ei esset vtilis & familiaris, causam rogabat. Ille vero acerbius eiulans & lachrymis effusis calidis Tu quidem ò Ruffine, inquit, ludis, mea enim mala non sentis. ego autem ingemisco & meam deploro calamitatem, reputans quod famulis quidem meis atque adeò mendicis pateat templũ diuinum: & secure ingrediuntur & suum rogant Dominum, mihi autem nec ad id patet aditus, & clausum est præterea cœlũ. Memini enim vocis Domini quæ dicit, Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cœlis. Ruffinus vero volẽs inseruire Imperatori suum faciendo officiũ, & in tempore ei gratificari, Curram, inquit, si tibi videtur, & precibus persuadebo Pontifici vt te soluat à vinculis. Sed non persuadebis, inquit, Imperator, Scio enim quod sit iusta Ambrosii sententia. Non enim imperatoriam reueritus potestatem, diuinam vnquam legem transiliet. — 4 Dies festus Natalis Domini.

Postquam autem pluribus aliis verbis vsus Ruffinus, pollicitus est se esse magno persuasurum Ambrosio, iussit Imperator eum abire quam primum. Porro ipse quoque spe inescatus, secutus est paulopost, credens promissis Ruffini. Cum primum autem Ruffinum vidisset diuinus Ambrosius, Canum, inquit, impudentiam imitaris ò Ruffine: & neque erubescis, neque vereris, qui contra diuinam imaginem fuisti tanta percitus rabie. Cum vero rogaret Ruffinus, & diceret esse paulopost venturum Imperatorem, diuino zelo accensus diuinus Ambrosius, Ego, inquit, hoc tibi dico ò Ruffine. 5 prohibeo eum ne sacra intro eat vestibula. Si autem in tyrannidem conuertat imperium, ego quoque lubens cædem accipiam. Hæc cum audiisset Ruffinus, per quendam statim Imperatori mentem significat Pontificis: & suasit vt maneret intra regiã. Imperator vero cum iam in medio foro hæc resciuisset, Abibo, inquit, & iustas accipiam contumelias. Postquam ad sacros autem peruenit ambitus, diuinum quidem templum non est ingressus: sedit autem in domo salutationis, obsecrans vt solueretur à vinculis. Ille vero Tyrrannicam vocabat confidentiam: & dicebat Theodosium in Deum insaniisse: & conculcare illius leges Imperator autem in 6 contritione cordis & spiritu humilitatis. Non audacter, inquit, me gero aduersus leges impositas. neque cupio præter leges sancta ascendere vestibula. sed rogo te vt tu me soluas à vinculis: & reputes communis Domini clemẽtiam: & nec mihi claudas portam, quam omnibus qui vtuntur pœnitentia Dominus aperuit. Pontifex autem, Et quamnam, inquit, ostendisti pœnitentiam post talem iniquitatẽ? Quibusnam vero medicamentis medicatu difficilia curauisti vulnera? Imperator autem rursus in contrito corde. Tuum, inquit, est omnino & ostendere & temperare medicamenta. — 5 *Vides quanta autoritate Eps Imperatorem suspendit à diuinis?* — 6 *Ecce quõ uera pœnitentia habet secum dolorẽ annexum de peccatis commissis, & satisfactionẽ pro eis.*

Tunc diuinus Ambrosius, Quoniam, inquit, iræ permisisti iudicare & non ratio sed ira profert sententiam, scribe legem quę iræ sententias otiosas reddat & superuacaneas: & quæ de cæde & publicatione feruntur sententiæ, triginta dies maneant inscriptis, expectantes iudicium rationis. Postquam autem triginta dies præterierint, qui scripserunt ea quæ decreta fuerunt, ea ostendant: & tunc cum ira cessauerit, per se iudicans ratio examinet & consideret quę decreta fuere, sint'ne iusta an non. & siquidẽ iusta inuenerit,

rumpat ea quæ scripta sunt, & infirmet sententiam. Si autem iusta, confirmet: & triginta dierum numerus non abolebit ea quę recte decreta fuerint. Hanc admonitionem accipiens Imperator, & existimās eam optime habere, iubet statim scribi legem: & suæ manus scriptis eam confirmauit. Hoc autem facto vinculum soluit diuinus Ambrosius. & diuinum templum ausus ingredi Imperator, non stans supplicauit Domino, 7 nec inclinans genua: sed in nudo solo pronus cadēs, vocem emisit Dauidicam. Adhesit pauimento, dicens, anima mea. viuifica me secundum verbum tuum: & manibus crines vellens, & frontem feriens: & lachrymarum guttis solum irrigans, rogabat vt veniam impetraret.

7 *Vide quomodo satisfaciat Imperator pro peccatis suis.*

Cum autem esset tempus sacra dona afferendi ad mēsam, surgens cum totidem lachrymis, adyta ascendit. Ingressus vero, mansit sicut solitus fuerat iuxta cancellos. Sed nec tunc diuinus Ambrosius sustinuit tacere: sed docet locorum differētiam. & primum quidem interrogauit an aliquo indigeret. Cum autem dixisset Imperator se diuinorum sacramentorum expectare participatione significauit, administro vtens eo qui præerat Diaconis. Solis sacerdotibus ò Imperator licet introire. aliis autem omnibus non licet ingredi nec tangere. Exi ergo & sta simul cum aliis. Imperatores enim facit purpura non Sacerdotes. Hāc autem admonitionem lubentissime fidelissimus accipiens Theodosius, contra significauit se nō temeritate aut audacia aliqua mansisse intra cancellos: sed hoc se didicisse Constantinopoli. Tali & tanta resplendebant virtute Imperator & Pōtifex. Nam amborum quidem ergo admiror, alterius quidem libertatem, alterius autem obedientiam: & alterius quidem zeli ardorem: alterius vero fidei puritatem. Quę autem à diuino Ambrosio Mediolani acceperat Imperator, ea etiam seruauit reuersus Cōstantinopolim: & nihil ex iis dimisit. Nam cum eum rursus diuinum festum duceret ad sanctum templum, sacræ mensæ donis oblatis, protinus est egressus. Cùm autē ecclesiæ Antistes, erat vero tunc Nectarius, ei dixisset, Cur non mansisti intus, ægreferens Imperator, Vix tandem, inquit, didici quid intersit inter Imperatorem & Sacerdotem. Nam vix tandem inueni doctorem veritatis, Ambrosium solum qui merito vocatur Episcopus. Tantum prodest reprehensio quæ fit à viro insigni virtute.

Habebat autem aliam quoque vtilitatis occasionem hic Imperator. Eius enim coniux assidue diuinas leges ei reuocabat in memoriam, studiose & accurate in iis se exercens. Non enim eā extulit potestas imperij: sed magis diuinum amorem in ea inflammauit. Magnitudo enim beneficij maiorem in benefactorem efficiebat amorem. Iam enim eorum qui corpore erant manci & omnibus membris mutilati, nullam non gerebat curam. non famulis neque suis stipatoribus ad id vtens administris: sed ipsa per se hoc agens, & ad eorū veniens habitacula: & vnicuiq; prębens ea quę erant necessaria. Ipsa etiam ecclesiarum obiens Xenodochia, ministrabat ægrotantibus & eorum curam gerebat, ollas tractans: & ius gustans: & catinum afferens: & panem præbens: & poculum abstergens: & alia omnia faciens quæ existimantur esse opera famulorum ancillarū. Solebat vero coniugi quoque dicere assidue. Oportet ò marite, te semper animo agitare quid olim quidem fueris, quid verò nunc sis. Hæc enim assidue cogitans, in benefactorem minime eris ingratus. sed quod accepisti

imperium

imperium iuste & recte gubernes: & sic colas eũ qui dedit. His vtens sermonibus, veluti quandam pulchram & vtilem irrigationem, virtutis mariti inducebat seminibus.

Decessit autem ante coniugem: & contigit post aliquod tẽpus mortis vt tale quid fieret quod ostendit magnam illam Imperatoris in eam affectionem & beneuolentiam. A frequentibus enim bellis coactus Imperator & egens pecuniis, tributa imposuit ciuitatibus. Antiochia autem cum alias ciuitates videret premi tributis, & per vim & citra vllam excusationem exigi pecunias, non ferens hoc commune vectigal, & alia multa fecit quę solet turba occasionem sumens insolentiæ: & omni laude dignissimæ Placillæ, hoc enim erat nomen Imperatrici, æneam deiecit statuam, & per magnam traxit partem ciuitatis. Hæc cum audiisset Imperator, & vt par erat ægre tulisset, & iura abstulit ciuitatis: & vicinæ ciuitati maritimæ Laodiceæ largitus est vt præesset ac præsideret, sic maxime se arbitrans eos affecturum molestia: à multis enim iam antè seculis æmulabatur Laodicea Antiochiæ. Postea autem minabatur etiam se eam esse exusturum & deleturum, & ciuitatẽ in vicum conuersurum. Magistratus vero quosdã etiam interemerunt quos in audaci ipso cepto comprehenderant, antequam sciret Imperator tragœdiam. Hæc autem omnia minatus quidem est Imperator, non fecit autem protinus hoc vetante lege, quam vt ferret magnus suaserat Ambrosius. Postquam vero venerunt Antiochiam qui illas minas afferebant, Ellebichus qui tunc erat dux exercitus, & Cæsarius qui præerat Regiæ, Magistrum autem vocant Romani eum qui talem habet magistratum, in metu quidem erãt omnes, minas horrentes. Qui vero in latere montis habitabant Athletæ virtutis, erant autem multi illo tempore, simul dolebant eorum vicem in quos minæ fuerant intentatæ: & in omnem partem cursitabant. & pro iis qui puniebantur rogabant pro viribus. Vnus autem ex eis vir sanctus, omni virtute ornatus, noctu & interdiu offerens puras preces Seruatori vniuersorum. Is neque ira obstupefactus Imperatoris, neque eorum qui missi fuerant reputans potestatem, cum fuisset in medio ciuitatis, apprehensa læna alterius eorum qui missi fuerant, iubet ambos ex equis descẽdere. Illi autem videntes paruum quendam seniculum vilibus pannis indutum, primum quidem ægre ferebant. Postquam vero quidam ex iis qui consequebantur, significarunt viri illius virtutem, ex equis statim desilierunt, & illius prensantes genua, petebant veniam.

Vir autem sanctus diuina impletus gratia, his verbis apud eos est vsus. O amici, dicite Imperatori. Nõ es solummodo Imperator verumetiam homo. Ne ergo ad solum aspicias imperium: sed ipsam quoque reputa naturam. Cum enim homo sis, iis imperas qui sunt eiusdem naturæ. ad diuinam autem omnino imaginem & similitudinem creata est humana natura. Ne tam crudeliter ergo & immaniter Dei iubeas occidi imaginem. Sic enim irritas creatorẽ, illius castigans imaginem. Considera vero te hæc facere, indignantem propter ęneam imaginem. Quantum autem intersit inter inanimam & animatam viuamq́ue imaginẽ & rationis participem, ex æquo patet omnibus qui mente & sensu sunt præditi. Prǽterea autem illud quoque reputet, q̄ nobis quidem facile est pro hac imagine multas fabricari æneas; clarum est autem eum ne vnum quidem

posse fabricari pilum eorum qui fuerint interempti. Hæc cum audiissent viri illi admirabiles, Imperatori significarunt ea quæ dicta fuerant: & flammam iræ extinxerunt. adeò vt pro illis minis statim scripserit defensionem, & causam iræ declarauerit. Non oportebat enim, inquit, si ego peccaueram, mulierem omni laude dignissimam post mortem tantam accipere contumeliam: Oportebat vero indignantes iram aduersus me armare. Porrò autẽ hoc quoque adiecit, se dolere & ęgrè ferre, quod acceperit fuisse aliquos à magistratibus interemptos. Sic ergo Christi quidem amantissimus Imperator, hæc ab admitãdo didicerat Ambrosio: & tantã gratiam & spiritalem vtilitatem ab eo perceperat.

Diuinus autem hic Ambrosius cum eo modo quo dictum est in Orthodoxis clarus fuisset dogmatibus, & fuisset æmulator & defensor virtutis, & ædificasset super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & Orthodoxę doctrinæ exposuisset sermones, & ab Arrio & Apollinari omnem innouatam expulisset hæresim, & suæ ecclesiæ omnia recte disposuisset, & ad profundam prouectus esset ætatem, & fuisset dierum plenus, requieuit in pace depositus in ecclesia Mediolanensi, veram relinquens memoriam, vitam suam & recte facta. Quorum nos quoque dignetur esse imitatores, & easdem quas ille remunerationes assequi & coronas. Gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI PATRIS *nostri Patapij.*

Decemb. 8.

NON multo parit Ægyptus: sed quando parit, magnum parit. Hoc dictum quidem est de quodam alio ex antiquis Philosophis. euentum autem accipit in Patapio. Vir enim ille, & vita & miraculis, non solum pro multis, sed etiam pro omnibus sufficit patriæ ad ornatum. adeò vt illa non magis pudore suffundatur propter eas quæ olim in ea fuerant impietates, quàm quod hunc post gratiam produxerit, 1 gloriatur. Is patriam quidem habuit clarissimas Thebas. Thebas illas, quas pulcherrimus fluuiorum Nilus circunfluit quidem semper, irrigat autem in tempore: præbet vero iucundissimum fluentum & ad videndum & ad bibendum. In his ergo natus, & per aquam & spiritũ renatus, ortus enim erat ex fidelibus parentibus, honeste quidem alitur: diligenter autem eruditur: & sic in moribus componitur, vt virtutis rami paulopost ostendent.

1 *Patriæ illustres redduntur ex Natiuitatibus sanctorum.*

Cum sic ætate & vera sapientia magnus ille cresceret, Philosophus factis non sermonibus res humanas despiciens, & res solum diuinas persequens, propter hæc aliis quoque omnibus despicatui habitis. patria, parentibus, amicis, familiaribus & cognatis, Ægyptum quidem illam & illum Nilum iubet valere. vt quæ terrenorum solum fructuum profiterentur fertilitatem. Ille autem sciebat solitudinem esse maxime accommodatam ad virtutum exercitationem. In eam ergo profectus se ei tradidit. In qua cum multis laboribus longo tempore versatus, non solum quidquid erat pulcherrimum & produxit & aluit: sed etiam perfecit vt

in ipso radices ageret, vt propemodum secundum naturam virtus ad eum pertineret. Sic cum sufficientem illum diuinum percepisset radium, & lux totus esset effectus, non sub modio super candelabrum à Deo ponitur. Illud autem maxime omnium velle multos latere, vel maxima causa fuit ei vt non lateret. Nam ille quidem postquam mons eum celare non potuit. erat enim ille re uera ciuitas multis ornata bonis claraq; voce clamabant & omnes conuocabant, partim quidem eius recte facta, partim autem etiam miracula.

Cum ergo multi confluerent, & propter multitudinem eorum qui accedebant, præberet solitudo speciem ciuitatis, ab illa quidem se fuga subducit & ab iis qui ipsum recte norant: ignotus vero venit Constantinopolim. & cum ad murum qui est in Blachernis fixisset sedem suæ habitationis, soli sibi & Deo vacabat. hospes solitarius, & qui neque cum multis vllam habebat congressionem, neque ab eis aspiciebatur. & quæ alius finem statuisset certaminum, ea arbitratus ille esse principium, præcedentia, inquam, & quæ ipse iam recte gesserat, acriter tendebat ad anteriora, maiora veluti certamina aggrediens: & se totum arcens à consensione affectionum corporis. Nihil erat ei curæ vestitus. nihil alimētum. nihil somnus, vt qui exercitatoriam quidem seu quæ in agendo consistit vitam superauerat: angelicam autem æmulabatur etiam cum corpore, & in aliis, & quod intelligenter versaretur cum intelligentia, & illam diuinā visione apprehenderet pulchritudinem. Sic cum actione concurrens contemplatio, erectum & sublimem tenebat exercitatorem, & ad ipsum vsq; cœlum extollebat. Multa vero & admirabilium rerum effectrix, mirandum in modum vigebat & florebat gratia, vtpote quod non posset virtus suum celare operariū, & Deus simul glorificaret eos qui elegerunt ipsum glorificare Sed quod iam mihi dicere aggressa fuerat oratio, gloriam quidem minime admirans, latere autem maxime cupiens, hic quoque euadit manifestus miraculorum & virtutis thesaurus.

Adolescens quidam qui oculorum quidem splendorem ab ortu amiserat: fidei autem lumine resplendebat, eum desuper ad id mouente prouidētia, ad hunc magnum accedit: & imitatur cæcū qui dicitur in Euangeliis. nisi quod ille quidem ad Christum: hic vero accedit ad Christi 2 famulū: & loquitur eadem quæ ille, & cum eodem ardore, & affectione, dicens, Miserere mei: & præbe lumen meis oculis, qui es vere lucis filius & gratiæ. vt ego quoque effectus contemplator horum quæ videntur, admirer quidem eorum excellentiam: per res autem creatas celebrem creatorem. Et hæc quidem cæcus. Ille vero homo misericordiæ, videns oculos quidē nullius omnino splendoris participes, tantam autem fidem, quam dicit diuina scriptura efficere etiam vt montes transferantur, frāgitur quidem. Quidni enim, cum esset animo clementissimo & mansuetissimo? & simul mentem illius examinans. Quid ad me, inquit, accedens ô adolescēs, quæris vt ea donem quæ meas vires superant? Quid in me vidisti eiusmodi, vt id à me postules quod solus potest efficere vniuersorū opifex? Ille enim hæc, vbi, & quando, & iis quibus vult, dat admirabiliter. His sensim verbis abigens adolescentem, nihilo minus eum aliquid inuenit de fide remittentem: neque à sua petitione & desiderio desistentem. sed voces adhuc flebiles emittebat & miserabiles. Et miserandus quidem eius vide-

2 *Non ergo infert Domino Iesu Christo iniuriam hic cæcus ad sanctum confugiendo, ut dicunt hæretici.*

batur habitus. admiranda autem prudentia & oratio: persuadens verbis, lachrymis, rogans, se in omnem speciem mutans. & postremo affirmans se non esse abscessurum, vt qui sciat fore vt ab illo accipiat curationem. Tunc ergo cum certam & minime dubiam fidem apud eum inuenisset, impertit ei magnus gratiam. & quoniam ad curationem ei 3 sermo sufficiebat; In nomine Iesu Christi, qui & cæcis, inquit, lucem & spiritum largitur mortuis, in quo etiam credens accessisti, esto videns. Ille quidem dixit. hic autē vidit. & ita se habere est conspectus. & ibat omnia faciens gaudens. glorificans gratias agens. oculos omnium ad se conuertens adeò vt nonnulli significarent digito, dicentes, Hic est qui erat aliquando cęcus. Hoc fuit principium magni Patapij miraculorum. & hic modus, ne magnum lumen illius gratiæ esset sine teste, & ne non cerneretur à multis. Vult autem oratio ei quoque alterum addere, quod ad miraculi rationem non est priori inferius.

3 *Solo uerbo hoc, In nomine Domini Iesu Christi &c. Sanctus cæco lumen restituit.*

Vir quidem inter Byzantinos insignis, laborabat hydrope & ei erat corpus valde inflatum quæcunque autem habebat effundens in manus medicorum, illos quidem iuuit, reddens locupletiores; se autem præter sanitatem priuauit etiam facultatibus. Is de illis quidem spe abiecta, in superno vero auxilio & magni Patapij precibus spem suæ salutis collocās, venit ad eum & morbi ostendit grauitatem, & dolorum enunciat acerbitatem. Ille autem rem nouam videns & miserabilem, pellem quidem illā inflatam & tumefactam, tumorem vero qui totum corpus peruaserat, & veluti quoddam sepulchrum animatum, calamitatis inouetur misericordia: & his tribus vtitur ad eius curationem, nempe 4 oratione, & cruce, & lachrymis. oratione quidem tanquam medicamento. cruce autem tāquam instrumento, qua etiam signat omnia circa ventrem. lachrymis vero, tanquam pecuniis Eas cum commiscuisset oleo, vnxit corpus Deinde etiam ei nomen occinens Dominicum, & dicens. Iesus Christus, qui ei qui prius laborabat hydrope, præbuit sanitatē, ipse te nunc curat, & liberat à plaga quæ te premit Hoc cum ipse dixisset, statim quidem soluta sunt vincula humidarum ventris obstructionum. meatus autem naturales emiserunt quidquid erat humidum & saniosum. & purgata fuit interna viscerum vniuersorum structura: & homo conualuit.

4 *Oratione, cruce & lachrymis hydropem sanat Patapius.*

Tertium vult his adiicere oratio, quod est & dictu maius & narratu admirabilius. Quidā alius ætate iuuenis, miser autem animo, à seuo Dæmone agitatus, aliquando veste rupta nudus errabat: aliquando vero per præcipitia & fossas ferebatur: aliquando autem vagabatur in montibus & solitudinibus: aliquando etiam se in aquam iaciens, sibi mortem minabatur miserabilem. Hic ergo cum à consueta & Dæmoniaca plaga aliquando agitaretur, in mare, proh dolor, maximo impetu ferebatur. Sed Deus à superis eius sistit impetum, præter opinionem ad eum magnum adducens Patapium. Nā cum ei ex inopinato occurrisset Dæmoniacus, incipit quidem conturbari, & misere in orbem saltare, spumam autem ex ore expuere, & oculos peruertere, dentibus vero stridere, & ad sanctum minaci & cędem spirāti intueri obtutu. Postquam autem fuisset propius, Dæmonium voces emittebat miserabiles, dicens, ò calamitatem. Quid hoc est? hic quoque rursus est Patapius? Quid agam? Quo me vertā? Vbinam deinceps habitabo, qui iam multum laboraui & vix inueni habitaculum,

bitaculũ, & exeo nunc per vim expellor? Vere terribilis es ò Nazarene, vere terribilis, & vbiq; in omnes obtines imperiũ. Quo ergo proficiscar? Si in desertũ: si in ciuitates, si vbicunq; dixerit aliquis, ipse illuc præueniis, sola 5 crucis figura, solo tuo nomine nos expellẽs. Victus sum. superatus sum. cogor recedere. Hæc malignus loquebatur spiritus: & iuuenem in medium aërem excutiebat saltibus. Magnus autem ille Dei Athleta cùm in aëre crucem 6 formasset digito, & eum eo modo quo Dominus increpasset, Egredere, inquit, immunde spiritus, egredere. abi procul in solitudines. Christus hæc tibi per me præcipit, cuius potentiam vel inuitus es confessus. Hæc cum iussisset Patapius, adolescentem discerpens spiritus, terræ allisit, & per os tanquam quidam fumus exiit & effugit. Cum autem ad se rediisset adolescens, lachrymabatur præ gaudio: & primũ quidem Deo, secundo vero Patapio adscribebat salutem.

5 *Nota mira uerba, sola crucis figura, solo tuo nomine nos expellis.*

6 *Signo crucis digito in aere formato, & increpato Dæmone, Sanctus obsessum liberat.*

Suffecerint hæc quidem vt sint signa illius gratię & in Deum fiducię: sed tamen cum his vnum adhuc addidero, non est enim iniucunda narratio, finem imponam orationi. Mulier quædam in grauem morbum inciderat. Affectio autem quõ erat maior q̃ vt eam vlla manus humana medicaretur, ita maior est etiam q̃ vt eam vlla lingua dicat. Eius enim mamilla, in se, proh dolor, producens morbum, quem Medici vocant cancrũ, exedebatur cum magnis doloribus. Nihilo secius autem, reliqua quoque membra corporis, cum vno per consensum affecta tabescebant. Procedente tempore tota quidem ferè pars fuerat consumpta. dolores autem cor acrius attingebant: & mors appropinquabat. Periti vero medicinæ callide tractãtes mulierculam, & ipsi facultates, & morbus nihilo secius attondebat mamillam. Ea, cum magni Patapij fama in omnem locum peruaderet, prudenter & vtiliter faciens ad eum accedit: & terræ caput allidit: & tangit eius genua: & flens miserabiliter, Cura serue Dei, cura me miseram, clamabat lamentabiliter. cuius ante sepulturam vermis corpus depauit, & dolores exederunt: & mortem omnibus fugiendam mihi reddiderunt optabilem. Ille autem cum ante corpus prius aspexisset ad animam. Si puram, inquit, fidem offers Deo qui hæc potest, & nihil dubitas de curatione, consequens fidei sequetur exitus tuæ petitionis. Audiuit mulier, & cum ex imo miserabiliter ingemuisset, Credo Domine, magna voce exclamauit, cui sunt omnia aperta & manifesta. medere graui meæ erumnæ. credo Domine. huic malo medere. non fero dolores qui cor meum penetrant & mortem parturiunt. Cum eam vidisset adeò cruciatam, iubet eam ei ostẽdere locum morbi. & cum 7 manum admouisset vulneri, & eam cruce signasset, ò mulier, inquit. Scio morbum tuum esse grauem & curatu difficilem. cæterum fides vincit affectionem: & spes percipit curationem. Abi ergo in pace, sanatum est vlcus tuum: & sopitus est dolor. Simul atq; hæc dixit, & mulieri cessauit affectio: & mamilla euasit omnino sana. Cum illa esset talem consecuta gratiam, fuit apud omnes testis & prædicatrix diuinæ & admirabilis magni Patapij virtutis curationum.

7 *Cum manum admouisset uulneri, & mulierem cruce signasset, eam ab incurabili plaga liberat.*

Ex vnguibus leo, ex his nobis cognitus fuerit Patapius. Nam qualia quidem fuerint quæ ab illo fiebant, hæc possunt ostendere. Si quã multa autem vellem dicere, opus esset longa oratione & tempore. Sed quõ in signaculo quod est vnum & idem, nihil oportet anxie inquirere de ea q̃

habet potestate, seu sint plura seu pauciora ea quæ imprimuntur: ita hic quoque non oportet nimis curiose scrutari multitudinem. Similis enim est gratia & eadem potestas. Conuertenda est ergo oratio ad illius decessum: & eius vitæ finis sit nobis quoque finis orationis.

Sic magnus ille homo Dei, & re uera virtutis exemplar animatum, cum vitam suam ornasset bonis factis & miraculis cum esset excessurus imo verò in suam ciuitatem profecturus, & sublatum esset è cœlo signũ apud eum quidem aderant quicunque se dediderant exercitationi & erãt amantes virtutis, mœrore affecti & lachrymantes, illius migrationem communem existimãtes orbitatem. sine illo viuere mortem communem nominantes: dolore vincentes rationem, & in apertas erumpentes lachrymas, & conquerentes de separatione, Pater, dicentes, charissime. pater suauissime. cur nos filios diligens apparuisti sic decessum accelerans? Cur patris orbitatem filiis concilias? Cur migras in aliam patriam? Cur nõ nos quoq; prius eo amandasti si potest fieri? Quis est qui post te sit quidem sedaturus dolorem, corpus verò curaturus, animam autem medicaturus, oratione, vita, & miraculis? Quęnam est spes de cętero? Quęnam filiis tuis consolatio? Heu quomodo feremus calamitatem.

Hæc illi quidem, casum vt poterat vnusquisque tragice deplorantes. Ille verò se aduersus mortem fortem ostẽdens & vitę minime cupidum, ad eos qui circũstabant se amanter inclinans, sensim oculos attollens, & ad eos intuens, Ne sic ò charissimi, ne sic vestrum patrum lachrymis prosequimini; sed potius precibus. Nam illud quidem & vos & me lædit, hoc autem præbet auxilium. Sic cum eorum luctum sedasset & fletum & de anima & de futura illic vita multa esset philosophatus, & oibus, prout vniuscuiusque ætati conueniebat & dignitati, monita dedisset, & deinde esset precatus, tanq̃ in somnum resolutus, puram illam emisit animam. In virtute autem exercitatæ & sacræ 8 illius reliquiæ sanctis manibus compositæ, deponuntur in sacro tẽplo præcursoris, multis eas prosequentibus & glorificantibus patrem & filium & Spiritum sanctum, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

8 *Vide sancti honorificam sepulturam, & eius sacrarum reliquiarum depositionem non in campo hæreticorum more, sed in sacro templo præcursoris.*

MARTYRIVM SANCTORVM
Christi martyrum Menæ, Ermogenis & Eugraphi.

Decemb. 10.

POST Seruatoris Christi in terram aduentũ, multi quidem etiam alij se ad martyrica certamina exuerũt: cum omnibus autem se quoque magnus exuit Menas. Postquam enim Diocletianus simul & Maximianus magnum quidem habuerunt imperium, fuerunt omnibus terribiles: cum autem voluissent repugnare pietati, & fidem in Christum expugnare, quam vel portis inferi validiorem mansuram ipse pronũciauit: postquam magnum ad hoc adhibuere studium & omnem mouere lapidem, quando cognouerunt se ea aggredi nõ posse. t fieri, & vt dicitur, iaculari in aërem, & conari mouere quæ sunt immobilia, vterque eorum deposuit imperium. apud alios quidem prætexentes fortunæ satietatem, & amorem mutationis: iis autem quibus poterãt secreta communicare, & animum aperire, dicentes Christi

virtutem & quæ ex signis proficiscebatur persuasionem. & ꝙ cum hoc non potuissent efficere, alia posthabentes & parua existimantes, nec imperare quidem volebant.

Cum sic ergo illi imperium deposuissent, Maxentius quidem ab eis Romæ, Constantius autem Galliis, Maximinus vero orienti præficiũtur Imperatores. Fuit ergo protinus in Oriente magna persecutio aduersus Christianos, & rerum communium confusio, & vt semel dicam, magna quædam perturbatio & seditio in terra & in mari, Maximino studente quidem confirmare maiorum suorum deceptionem & falsam religionem: è terra autem si fieri posset, tollere res Christianorum & omnino auferre de medio. Cum vero ei relatum esset totam Alexandriam, ea est autem ciuitas illustris in Ægypto, & per se quidem seditionem agitare causa reipublicæ, & seditionem etiam agitare cũ Christi ad eam venisset prędicatio, vbi deliberasset & considerasset, & visum est, qm̃ non poterat per se præsens ciuitatem conciliare, edictis interea reprimere quidem prędicationem: componere autem controuersis publicas & ciuiles Cũ vero edicta videretur superare eorum qui seditionem agitabant controuersia, & ratio prædicationis, relata sunt hæc quoque rursus ad Imperatorem. Ille aũt continuo non parum quidem ægreferebat suarum contemptionẽ constitutionum: irascebatur vero ꝙ Dij patrij abolerentur.

Irę itaq; hunc prætextum prę se ferens ꝙ tanta defecisset ciuitas, tunc quidem suum retinuit impetum, eos qui erant in ecclesia vt qui essent ex magistratibus, reueritus. Postea autem cum in hoc totum suum conuertisset studium, & cognouisset sibi quidem necesse esse reipublicæ gratia adhuc versari Bysantij, non expedire vero eo relicto proficisci Alexandriam, mittit ad eos virum, qui vocabatur quidem Menas, & erat genere Atheniensis, & vnus ex senatu, & ex Gręcorum processerat disciplina, vt qui cum in alia esset doctrina summe exercitatus tum etiam in arte rhetorica quæ in disceptationibus versatur & contentionibus, erat inexpugnabilis. & vt paucis dicam, addicendum quidem erat promptissimus, ad audiendum verò prudentissimus: tunc autem celabat religionem, & occulte sectabatur res Christianorum: vsque ad hoc tempus autem se simulabat sequi voluntatem Imperatoris. Verebatur enim, qm̃ sunt certamina periculosa, sua sponte venire ad martyrium. Atque Imperator quidem maxima celeritate eum mittit Alexandriam: vt rerum quidem ciuilium componat controuersias, & eos reconciliet qui propter eas processerunt ad seditiones: maxime vero & præcipue, vt zelo patriæ religionis, & dicendi arte, & animi celsitudine, Christi prædicationem expelleret è ciuitate, & rursus imperatoriam doceret religionem, eos subiungens qui illam abiurauerant.

Ille autem potestatem & tantarum rerum molem suscipiens, cũ breui tempore fuisset in ciuitate, artis necessitate & ingenij præstantia controuersias facile composuit. & ciuibus quidem antiquam pacẽ, ciuitati vero potentiam & tranquillitatem omnino restituit adeò vt raro quidem tribunali, plagis autem ne semel quidem opus fuerit Cum autem in aliis quidem vidisset cõuenire ciuitatem, in noui vero dogmatis sententia nondum conuenire, & omnia sigillatim scripsisset ad Imperatorem, cõuersus est ipse ad prædicationem. & intelligens esse facile si modo velit, totam

per se ciuitatem conuertere ad veram religionem: & quod si in alio quidem tempore subiisset martyrium, pro se solum accepisset coronam: hodie autem pro iis qui decertant accipiet mercedem: intuens ad coronas, statuit & magis arguere deceptionem, & traducere ciuitatem ab errore gentilium: & persuadere omnibus vt discant pietatem: & seipsum reddere manifestum: & certaminum occasiones ipse tanquam ansas præbere aliis. Quoniam vero perspicabat multitudinem nequaquam quidem nudas admittere adhortationes, sed eas potius habere suspectas: facilius autem capi à fide quæ proficiscitur ex operibus, pauca docens, idque solum quando videbat interrogantes, & cupientes discere, magna ex parte autem eos per signa inducens, adeò breui ad eam quæ latebat traduxit veritatem, vt fuerint omnes parati Dæmonum statuas & aras deiicere: & si quando liceret, pro Christo pati mortem prompto & alacri animo. Nam cum ille quidem cum rebus publicis ipso quoque dignitatis fastu exutus, totum forum obiret honesto & moderato incessu, & totus quoque ferè populus ipsum consequeretur, propter reuerentiam magistratus & signorum & curationum, accideret autem forte fortuna vt ipse incideret in ægrotos, aut illis occurreret quibus erat corpus aliqua parte mutilum, ille quidem protinus cernebatur animo perturbatus: & 1 manus eis imponebat: & Christum inuocabat: & signo crucis obsignabat. Illi vero cum essent claudi, statim saltabant omnibus videntibus. surdi autem & cæci protinus videbant & audiebant: mutique loquebantur: & Dæmoniaci curabantur.

1 *Manuum impositione, & Christi inuocatione, ac signi crucis obsignatione, Menas languidos curabat.*

Cum hæc ergo fierent, & precaretur quidem beatus Menas, ad inuocationes autem concurrerent omne genus miracula, manifestum enim erat iis qui simul aderant quis solum nominatus faceret miracula, & quod non erat alius nisi Christus Deus, erumpens repente vniuersa ciuitas à maiorum in qua enutriti fuerant deceptione, & patrios quidem Deos multum ludificans, multa vero dicens aduersus Imperatorem, & grauissime execrans tam eos qui colunt quam ea quæ coluntur, & toto animo abiurans parentum impietatem, à Martyris lingua & mente omnes simul pependerunt, & sua ei anima adhæserunt, sacras voces arbitrantes, & verba vitæ illius solius verba agnoscentes paucis ad signa conniuentibus, & ad agnitionem eorum obsurdescentibus. Quinam autem erant isti? Ii à quibus magni quidem fiebat festum Dęmonum quod peragebatur ad aras, propter comessationem, & ebrietatem, & cubilia, & intemperantiam: contemptui vero habebantur res honestæ & venerandæ Christianorum, propter vitam continentem & impatibilem, & quæ erat cum corpore vitam incorpoream. Cùm autem isti tenebrarum filij & interitus, derelictum errorem & suorum simulachrorum dedecus non ferentes, sanctum quærerent vlcisci pro facta eis iniuria. & populum pro eius in Deo contumelia, cauerent autem impetum multitudinis, hæc quoque clam referunt ad Imperatorem. Vt vero eius iram maxime accenderent, & ad pœnas sumendas eum totum inducerent: & à dubitatione & ira obsessum efficerent celerem vltorem audacis facinoris, hoc nomen Galilæus seminarunt per totam epistolam: eiusque dominatus & Deorum contemptionem & abolitionem: & aduersus ambos scommata & irrisionem, & vniuersam ciuitatis defectionem.

Maximinus autem statim eis lectis litteris, pudore & dolore fuit repletus.

pletus. Dolebat enim propter damnum ciuitatis, cum considerasset q̃ mutilatum sibi esset imperium: & quanta pars potestatis esset sibi ablata. Pudore vero afficiebatur, videns se esse victum, & suos Deos esse affectos contumelia. Cum autem præ se tulisset eam quæ ipsum inuaserat animi perturbationem, & vultus tristitiam, esse solummodo intensam cogitationem, & eius quod expediebat meditationem, qm̃ huic tempestati diu nõ potuit resistere, fit protinus manifestus, & arguitur ab animi perturbatione, & aperte erũpit in iram. Cùm itaq; multis maledictis Christum esset insectatus, & beatum Menam condemnasset erroris: & adiecisset fieri quidem non posse vt homines hominem discernant: peccare autem peccatum minime ignoscendum, eo qui cum nihil habeant cuius insimulent benefactores, efficiunt vt illorum in eis spes cernatur inanis, surrexit, interim rerum vrgentium prætermissa solutione. Mane aũt die sequenti conuocatis magistratibus, cum communiter cum eis considerasset, & vidisset omnes consentientes in quendam Ermogenem, virum quidem honestum & clarum, & alioqui non malum. erat enim temperans & bonus in pauperes, & vt dicit Apost. legem non habens, natura faciebat quę sunt legis: ignorabat vero tunc Christi virtutem: & nec eius erat baptismo consummatus. etiamsi imprudens ingrediebatur via quæ est ex Christo: & erat quidem eius ouis, sed non signata: & coniunctionis ac familiaritatis nondum acceperat signaculum. Cum ergo hæc ei adessent, & esset quidem ipse quoque genere Atheniensis, & in græca eruditione summe exercitatus, tam experientia q̃ natura valeret prudentia: & ad dicendum ita accederet, vt videretur ad hoc venire meditatus: & ideo censeretur esse aptus implicatis & perplexis quæ tunc orta erant negotiis, & ad eum adiecit animum Imperator: & cũ vidisset vniuersum ad hoc consensisse senatum, statim quidem tanq̃ probri & ignominiæ causa vel absentem beatum Menam remouit à rectione: misit autem Ermogenem qui tunc erat præfectus vrbis. iubens eum & magnum Menam examinare, & ciuitatem ab errore, vt ei quidem videbatur, liberare. non modica quidem ei data manu ex Bysantio quæ cum eo versaretur, & maiore ex Alexandria quæ ei inseruiret.

Ermogenes ergo iam nauigans in Ægyptum, cum vndique circũflueret ministris & Satellitibus, videt tres viros luminosos ei dicentes. Vide Ermogenes q nec breue quidem studium Deus despicit. Cum ille autem interrogasset, Et quod est hoc breue studium? Imperfectum tuum, dixerunt, suscipiens propositum, viam tuam quæ ad multorũ spectabat naufragium, effecit tibi gloriæ conciliatricem & honorum immortalium. Vide ergo vt hæc bona nuncia apud te conserues, & ne ea mandes obliuioni. etenim per hoc tuum iter, mox habebis verum Regem & ęternũ. Porrò autem à nobis quoq; ipsis eum virum consequẽris, per quem & huic beato Regi fias amicus, & eum accipias profectum, quem qui hodie regnat tibi dare non potest. Cum vero ad extremum galli cantum noxiam peruenisset, excusso simul somno & quam ex nocturna visione acceperat perturbatione, non valens coniicere ea quæ visa fuerant, suspicatus est solummodo somnium esse visionem illam, quod illi nec opinatam euestigio rerum annunciabat mutationem: & gloriam fortasse constantiorem quidem, sed tamen terrenam. Cum autem paucis post diebus

longam illam confecisset nauigationem: & placido fluctu in portum appulisset Alexandriæ, descendit de naui. & continuo se totum dedebat exequēdis Imperatoris monitis atque iussis. Nam cum Imperator quidem multa Præfecto mandasset aduersus beatum Menam: ei vero vniuersa ciuitas obuiam processisset in littore: tympana autem & laudes & tubę in occursu circūsonarent: & vna vox esset laudantium, eum extollens qui missus fuerat ab Imperatore, cum ipse Præfectus suos tanquam in phalangis ordinem direxisset Satellites, & iussisset pręcedere lictores & apparitores, cum tanto stupore & admiratione omnium ascendit in ciuitatem, cum quanta iis qui tunc erant potuisset videri vel ipsam terram mouere, & negotiorum meditatione, & in rebus omnibus studio diligentissimo, constantiꝗ; & inflexibili habitu animi. sperans se & ab Imperatore mandatum honorem recte administraturum, & eorum qui non erant firmi, gressus supplantaturum.

Cum autem vespere solus per se esset dimissa turba quæ eum deduxerat, animaduertens magnus Menas ꝙ cum seorsum quidem sunt homines, & maxime viri clari & insignes, ferunt reprehensiones: & cum ea quæ eis sępe visa fuerant refelluntur, sustinent. In concione vero & congregata multitudine ęgreferunt se redargui: & constanter permanent in iis quæ sibi visa fuerint. Hoc ille optime cōsiderans, & ꝙ eruditissimus quidem vir erat Ermogenes, nondum autem poterat comprehendere tantam dogmatis altitudinem, & ꝙ si sic ascenderet tribunal, cum de pietatis institutione nihil antea audiuisset, non prius discussis malis quas anticipauerat notionibus, dicendi scientia, & vehemens ingenium, & contentio animi, ingentes spiritus excitante auctoritate magistratus, non solū erunt impedimento ad tradendam pietatem, sed satis etiam erunt ad tantam corrumpendam ciuitatem quæ in fide nuper est plantata, & ad eius pia euellenda semina, moderato & honesto habitu ingreditur ad Pręfectum. Quem cum compellasset, dixit. Gratia vni & magno Deo. eius enim, vt videtur, prouidentia, nunc primum tu excelsus & clarus, magna illa & prima regia vrbe relicta, ad hanc vltimam & paruam accessisti & cum iam esset sanctus de pietate sermonem inchoaturus: vel potius malas de Deo anticipatas notiones prius labefactaturus, Pręfectus cum & vnum Deum audiuisset, & ne à calumniatoribus vocaretur in inuidiam, vt qui admitteret inimicos Imperatoris, & eos sermone impertiret, & alioqui morum grauitate, & in sanctum acerbitate, Imperatoris captans beneuolentiam, & ad emolumenta aspirans, interrupto sermone eum iubet comprehendi & conseruari in custodia, tantum dicens assistentibus, si venerit dies crastinus, sciet hic solidus mysta Galilęi, qualis ego sum amicus inimicis Imperatorum & Deorum, & an sit vnus Deus an multi.

Crastino autem die ei proposito tribunali, & spectante toto populo, & assistentibus Satellitibus, ipse præsidens, iussit sanctum assistere Cum hoc autem factum esset, & læto vultu & interrito animo Martyr adstitisset, dixit Præfectus. Æquum est ò Mena omnem hominem honorare Regis & rerum Deus colere, & præterea grato esse animo in benefactores. aut ipse aperte doce quid ad hæc facere oporteat. Sanctus vero, Eatenus, inquit, ò Præfectæ, grato esse animo oportet in benefactores, quatenus & ei qui est gratus, & ei in quem hoc fit, id fuerit vtile. Qñ autem

contrà magnum vtrisque affert damnum, tunc oportet reiecta ea quæ est cum damno beneuolentia, ea præferre quæ conferunt. Reges vero honorare quidem sanctum est propter potestatem & principatum. Qñ autem ij non sunt recte & sane affecti in Deum qui est primus principatus, neq; ei, vt par est, honorem tribuerint, non dixerim eos esse honorãdos. Quinetiam eorum Dij non sunt temere colendi, nisi prius examinauerimus an vere possint quęcũq; oportet Deum posse: & num cum & ortum habeant & principium, fine quoque careant & sint immortales. Sinautem eis horum desit aliquid, eos quidem oportet despicere: quomodo enim fuerit Deus imperfectus? feruenti autem desiderio & mundo corde quęrendus est Deus qui est vere Deus.

Ego igitur, vt ipse scis ò præfecte, cum & essem Atheniensis, & patriam legem iãdiu honorarem, & in tenera adhuc ætate amissis parentibus essem nescio quõ studiosus & valde laboriosus, statui percurrere oẽm Gręcorum fabulosam doctrinam. Hoc vero à me breui est confectum, omnemq; eorum scientiam & artem accurate percurri. Cum vix tandẽ autem accepissem esse apud Christianos quoque quasdam scripturas, fuit mihi studio eas legere. Cum vero legissem, animaduertebam in eis tantã latere vtilitatem, quanta ne dici quidem potest. & eas conferens cũ gręca disciplina, inueniebam magnam differentiam, easq; inter se pugnare quasi ex diametro. In illis quidem virtutem & veritatem. in hac autem errorem & improbitatem. Nã quę sunt apud Christianos quidem scripturæ, inducunt Christi virtutes Deo conueniẽtes, & alioqui simplices diuinęq; naturæ & sibi consequentes. Græcorum autem scripturæ, inducunt Deũ præditum humanis affectionibus & perturbationibus. & sunt quidem plenę mendacio, plenę etiam turbulentis animi motibus: repletæ quoque intemperantia & immoderatione. habentes Deos inter se pugnantes: victosq; & sauciatos ab hominibus in quos cadit interitus: & innumerabilibus aliis malis refertæ & fabulis. Et vt semel dicam, illarum quidem finis est salus ex vera Dei cognitione: harum autem apertus interitus, & deductio ad turpes probrosasq; affectiones, & inuentionem erroris. Quãuis vero ita se habeant scripturæ Christianorum, nõ continuo decreui eas sequi: sed etiam Christi virtutis quærebam experientiam, vt facto docerer veritatem. & cum incidissem in quendam cui erant mutila membra corporis. & cum hoc dixissem esse bonæ fortunæ, inueni verbis diuinis factum quoque esse consequens. Postquam ergo solum Christi nomen dixissem super illa membra mutilata: illa, protinus amissa mutilatione, perinde ac rursus transformata, ad eam quæ erat in principio traducta sunt sanitatem. Cùm ergo reipsa & facto agnouissem Opificem, & Græcorum ac gentilium abiurassem vanitatem, baptizatus sum, & me soli Christo dedicaui. Ab illo autem tempore in hodiernũ vsque diem ò Pręfecte, morbos difficiles & affectiones incurabiles, & quas solus poterat curare Deus, cito & facile 2 curo, solum Christi nomen inuocans. Eorũ vero quæ dico testis mihi est vniuersus populus, & hoc quod circũsistit theatrum. nec potest dicere hęc esse falsa & verba inania. Nam nũc quoq; licet ea quę dicuntur facto ipso comprobare.

2 *Vides quomodo sancti inuocato Christi nomine incurabiles morbos curantur.*

Cum sic veritatem aperte explicauisset Martyr, totus populus & vniuersum theatrum ab hora tertia vsque ad septimam, à lingua Mar-

tyris quodammodo dependebant: & illius magis sermonem desiderabāt quam contumeliam. Et postremo cum vidissent ipsum simul & Deos Imperatoris refellisse & arguisse, & verū Deum demonstrasse, & simul illos producere testes suorum miraculorum, vno ore omnes, Ne labores, dicebant ò bone Præfecte. Nam nos ipsi fuimus testes prodigiorum. ipsi fructum sensimus eius miraculorum. Nullum serpit mendacium. neque vlla fraus subest in iis quæ ab ipso fiunt. cognouisset ipse quoque veritatem si simul adfuisses, & ꝙ non oportet alium existimare & adorare Deum ꝙ̃ eius Deum. Reueritus autem Præfectus ciuitatis fidentiam & loquendi libertatem: & videns omnem fere populum ad Christum declinasse & iusse in Athletæ sententiam, & seruare ne quid noui in eum audeatur: & partim quidem non potens dicere contra veritatem: partim vero etiam erubescens eum punire qui veritatis verbum tam recte tractabat, vt omnes qui aderant ei parerent & crederent, perturbatione plenus & tristitia, iubet sanctum rursus includi. Surrexit ergo protinus à tribunali: & dimisit theatrum. & à certamine simul effluxit populus & vniuersum theatrum: & eorum omnium emanabat quidam susurus, martyrem laudibus prosequentium. Atque sanctus quidem erat inclusus: linguam autem ne sic quidem habebat tacentem, & ab hymnis in Christum abstinentem. Liberasti nos Domine ab affligentibus nos. & eos qui nos oderunt pudore affecisti. Aperuisti in parabolis os nostrum. & locuti sumus propositiones ab initio.

Præfectus autem reputans quantum ex prima quidem experientia eū condemnasset ciuitas, quantum vero sit eum etiam condemnaturus Imperator cum acceperit, & non parum se affligens, propemodum sibi indicebat mediam. Cum tamen apud se cogitaret somnia, & tota nocte ea mente versaret, postquam illuxit, audiuit vero congregatum rursus esset theatrum, & hesternam superare hominum frequentiam desiderio communis in dicendo contentionis & Athletæ probabilitatis, reliquarum rerum curam dicens esse posthabendam, sedit in tribunali. circunsistebant omnes Satellites attoniti: & subiiciebatur eius oculis quodlibet instrumētum factum ad torquendos homines. ita enim iusserat Ermogenes vt metum afferret Martyri. Postquam ergo hæc facta sunt: & introductus est sanctus vinctus funibus, dicit Præfectus. Dic mihi tu execrāde, Quanam fortuna fretus, eo processisti audaciæ, vt populo quidem persuaderes vt à potestate deficeret Imperatoris: impudenter autem Diis detraheret: & tuam teneret sententiam: & sic repente tuæ linguæ mentiꝗ adhęresceret: & conuictus es criminis peregrinæ à te introductæ religionis, & affectatę tyrannidis? Ad hæc sanctus. Quòd tyrannidem quidem, inquit, non affectem, moderatus hic in quo me inuenisti habitus, ante me pro me respondit. Populum vero non ipse persuasi deficere, sed zelus Dei qui per signa ab eis fuit agnitus. De tuis autē & Imperatoris Diis male dixi, ꝙ oportet omnem hominem cum ratione & iudicio falsum deprehenderit, ipsum quidem execrari, adorare autē veritatem. Veritas vero ò Præfecte, apud homines, de qua non est dubitandum, est ipse Christus.

Præfectus verò dixit Hoc tibi ita videtur ò demens. Quòd enim non oportet colere & adorare crucifixū: & ꝙ nugæ erant & inanes sermones quæcunque à te heri dicta sunt, ex hoc patebit. Quando enim cum ego

aliquod

aliquod tuum membrum execuero aut exussero, tu qui Christum adoras non potueris id restituere, quomodo hæc visus fueris aliis re uera dedisse, quæ non potuisti tibi ipsi largiri? Ad hoc annuit vniuersus populus. Sāctus verò dixit. Opto ò Præfecte vt tu in me Christi facias periculum. Confido enim fore vt ea deposita quam nunc sustines dignitate, ipse quoque cernaris vnus ex iis quibus Christus imperat. Præfectus itaque & suam volens iram vlcisci: sperans autem fore vt propter ea quæ dixerat sanctum in omnibus conuinceret, iubet carnosam illam partem plantæ pedum, super quam collocata est vtraque basis, gladiis excoriari. & sic denudatis ossibus, stare ipsum ad rogata de Diis ei proponenda: vt sic maxime laborum dolorumq́; acerbitate perculsus, ad danda responsa & soluendas quęstiones facile impediretur. Sanctus autem cum ei immisericorditer caro gladiis scinderetur, & vniuersæ quæ circuncirca sitæ erant venæ ei rumperentur, & quicunque nerui motum administrantes congenerati erant, diuellerētur, parum quidem ingemiscebat, gratia quodammodo cedente & Athletam probante, quinetiam ei coronarum præbente occasionem. aperte enim fructus laborum sunt coronæ. Se enim fortiter gerebat aduersus dolores, tanquā ipsa magis adesset & ipsum sustentaret, & leuaret sensum dolorum. Postquam autem fuit dimissus è tormentis, protinus exiliens sanctus, stetit rectus super sola ossa. Pes meus, psallēs, „ stetit in rectitudine. in ecclesiis benedicam te Domine. Effluebat autem „ vndiq; ex eius vestigiis magna vis sanguinis. & ipse quidem lætum habebat vultum. florentem vero & vigentem habebat animam aduersus pericula. liberam autem linguam ad vehementius arguendum q̄ prius. Nullum autem eum omnino terrebat instrumentum tormentorū Statim ergo manibus plausit theatrum tanquam parta victoria.

Præfectus autem simul & cogitans vitare reprehensiones, & aduersarium reddere veluti inermē & inutilem, iubet ei statim amputari linguam ex ipso gutture. Sanctus vero, Etiamsi, inquit, extinxeris pupillas meorū oculorum, ne sic quidem ego offendam. Est enim lucerna meis pedibus lex Christi. Confido autem dicens, q̄ postquam ipse linguam amisero, tunc tu linguam suscipies clara voce canentem Christi magnalia. Postquam vero quadam machina & studio lictorum lingua Martyri crudeliter euulsa fuit ex ore sacro: & ipsi ferri aciem deorsum iniicientes eam iā excindebant patiebatur vir generosus et angore plenus erat eius animus. Fortem tamen se præbebat, & ad Christum totam suam dirigebat cogitationem. Postquam autem finem accepit tormentum, defessum quidem erat sancto robur corporis: ipse vero Christi desiderio animo cōfirmatus, sensim sublato capite, & multum sanguinem expuens, & defluxionibus totus effectus purpureus, confidenter omnes fixis aspiciebat oculis: & nutu Præfecto suum in rebus asperis animum, & populo suam significabat fortitudinem. & se non modo non cedere, sed eam rem etiam delitias putare, & mortem sitire. Præfectus autem furore correptus, quod etiam ludificans supplicium, populum suis nutibus testem faceret suæ magni animi virtutis, iussit protinus eius quoque excindi oculos. Postquā vero ministri ad hoc magnam adhibeere diligentiam, & statim nulla cōmuni naturæ moti misericordia, tenentes Athletam, crudeliter eius sacros effodiebant oculos, dolentis quidem, Quidni enim? & significantis humanæ

naturæ imbecillitatem, ferentis autem hoc quoque fortiter, & caput, quoties id ab eis remittebatur, inclinantis, & quodammodo Domino gratias agentis, q̃ talia sit bona cõsequi dignus habitus, Præfectus repente animo affectus & tristitia motus ob ea quæ videbat, cum hoc solum dixisset, Cras reliquum corporis erit tradendum auibus, vt nullæ ad memoriam supersint reliquiæ, & eum sic iussisset seruari, surrexit è tribunali.

Milites vero sanctum adhuc modicum spirantem abducunt, & coniiciunt in carcerem. Noctu autem hora circiter tertia, cum quasi fulgur illustrasset carcerem, accedit Christus ad locum in quo proiectus fuerat sanctus: & primum quidem eum complet fiducia & animi alacritate. Deinde linguam quoque & oculos reformat vt prius. Deinde cum pedes quoque sanasset, & vt semel dicam, eum veluti mortuum totum denuo viuificasset, Attẽde, inquit, tibi ipsi ò Mena. Ergo enim, inquit, sum Iesus Christus propter quem es passus, qui neque prius à te aberam, neque lõge eram à tuis certaminibus: sed expectabam vt tuus in me amor cognosceretur à magistratibus & potestatibus. Quoniam autem est cognitus, de cætero ero tecum aperte te defendens. Ermogenem autem Præfectum qui meo est infestus nomini, cras quidem habebis supplicem, paulopost etiam socium certaminis, vt tibi erit manifestum, & qui pro me vna tecum feret testimonium, promptoq́ & alacri animo tecum patietur & simul coronabitur. Est enim mea indignum clementia, propter ignorationem, eius in cognitione bonitatem & bonorum operum effectionem præterire. Hæc cum dixisset & sanctum ei afflasset spiritum, eum replet omni lætitia.

Præfectus autem quoniam & ipse erat solerti ingenio & vir bonus. & beatum quidem Mena sciebat esse & doctum & genere clarum, & ex eadem præterea ortum patria, media nocte cum somnum excussisset, & ab ira quæ tenebras offundit ad se rediisset, & anime reputasset qualia quidẽ sancto Menę intulisset supplicia, quantam vero ipse contra attulisset fortitudinem & animi constantiam, nihil quod pusillum & abiectum ostẽderet animum, aut passus aut locutus, & q̃ is periisset cuius sapientiæ & studio sunt omnes inferiores, eum enim iam existimabat mortuum vt qui ad tanta non suffecisset supplicia. & seipsum damnans q̃ non blanditiis eum potius induxerit, bene enim actũ esset si vel sic eum cepisset, oculos suffundit lachrymis, & deplorat iacturam. Decreuit ergo veluti viri tantam reueritus virtutem, cum mane surrexisset, illius corpus publice honorare, vt mortuos honorant qui sunt eis proximi genere: & sic Martyri pro iniuria quam ei fecerat satisfacere. Orto autem iam die, quoniam erat theatrum plenum Alexandrinis, fuerat enim congregatum à Præconibus cum sic iussisset Præfectus, præsidens ipse, iussit maximo honore è carcere ad tribunal deferri corpus Martyris.

Cum vero qui missi erant ingressi fuissent carcerem, viderunt miraculum quod erat superius ratione & cogitatione. luce quidem plenum obscurum alioqui carcerem: Duos autem viros, quorum forma non potest verbis exprimi, qui assistebant quidem tanquam Satellites: vt milites vero erant parati ad defendendum. Martyrem autem non solum viuum & conseruantem illæsam corporis integritatem, sed placide etiam intuentem, & linguam mouentem, & iucunde psallentem. Nam etsi ambula-
„ uero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es

Domine. Protinus ergo visione obstupefacti stetere muti Cùm breui autem perspexissent non esse fraudem & somnium ea quæ videntur, sed vigiliam & veritatem & diuinam quandam potestatem, mutati exclamauerunt. Magnus Deus Christianorum. Protinus ergo procul abiectis illis ensibus militaribus. Iudicis autem iram nihil facientes, & Præsides quidem ac Præfectos damnantes, damnantes vero etiam ipsum Imperatorem, crediderunt in Christum: & statuerunt deinceps manere apud sanctum. Cum autem ex eo contigisset diutius tardare milites, desiderabat autem ciuitas quidem videre corpus fortissimi Athletæ, videre vero etiã quid esset euenturum, stabat theatrum, aduersus ipsum Præfectum & milites indignans & tumultuans. Præfectus autem volens gratificari populo, postquam cognouit nihil aliud esse quod eis afferret molestiam nisi militum moram diuturniorẽ, pluribus aliis diligentioribus militibus iubet vt afferant Martyrem. Cum autem illi ipsi quoque venissent in carcerem, & illas res omnes vidissent admirabiles, audiuissent vero Martyrem apertissime & expeditissime disserentem. & linguam diserte mouentem: Viderunt autem milites quoque ei tãquam Deo alicui animum adhibentes, admiratione pleni & spectaculo propemodum resoluti, ipsi quoque statim cognouerunt rem esse diuinæ virtutis: & toto animo crediderunt, nihil Præfecti curantes potestatem: & reliquis accesserunt.

Sanctus vero postquam audiuit à militibus, iam totam adesse ciuitatem, magnifaciẽtem eum videre: & paratos esse omnes credere illius Deo si quæ in eum facta sunt tantum viderint miracula, nihil cunctatus egreditur, habens etiam simul cum eo futuros milites. Cum autem eum ad theatrum accedentem vidit populus, adeò sanum & integrum atque si nihil asperum & molestum esset passus: audiuit vero eum quoque canẽtem. Si constiterint aduersus me castra, non timebit cor meum, simulatum & scenicum quendam esse actum suspicabantur ea quæ videbantur. Postquam autem curiosius oculos coniicientes, agnouerunt illum esse Menam, oculis videntem, & lingua loquentem, & ingrediẽtem pedibus, statim omnes vna voce. Fortis fuit, dixerunt, fortis fuit Christi virtus etiã aduersus ipsam mortem. Felix ciuitas Alexandrina, quæ per vnum hunc virum hodie tantam fraudem deprehendit, & pulchre didicit veritatem. Dei solius citra controuersiã est hęc potestas & virtus. Gloriare ò orator Athleta veri Dei & Seruatoris gloriare. Præfectus autem obstupefactus rei nouitate & admirabilitate, & veritus ne præter spẽ aliquid noui facere cogitaret theatrum, statuit surgere. Postquam vero vidit totum populũ ferri quodã magno motu & impetu, & audiuit omnes clamantes. Mane ò venerande Præfecte. Noli inuidere tantę ciuitati rem maximam, nempe vt verum Deum agnoscat hodie, & recta ingrediatur ad lucem veritatis. ipse quoque totus versatur in contemplanda re admirabili quæ acciderat Martyri. & populo denunciat silentium. Cum autem sanctum iussisset ad se venire, vbi proxime fuit, eum animaduertit & cognouit. Nam ei quidem antea videbantur somnia ea quæ apparebant, vt qui Christi nõdum habuisset experientiam. Postquam autem & qui aderant lictores, & omnis alia Satellitum caterua, quientiam ipse Pręfectus, propriis manibus singula examinantes, cui contradici non potest fidem cognouere miraculi, tunc omnes circunsistentes, & ipse quoq; Præfectus obmutuit.

Cum autem per multum transiisset temporis, multum vero stuporis excussisset Præfectus & ad se rediisset, dixit sancto. Dic mihi ô homo vere per Deum tuum. Quid hæc sibi volunt? & quæ hæc sunt quæ videntur admirabiliter & preter opinionem? Potest enim hæc Deus solus facere & non alius. Sanctus autem cum breui & principij expers Dei principium eos qui aderant docuisset: & q̃ esset crux necessaria & maxime salutaris esset elocutus: & ad summam vniuersum susceptæ carnis
" Oeconomiæ explicasset mysterium, subiunxit in fine. Deus ergo ô Præ-
" fecte cum sit bonus & benignus, & propter salutem hominum in terram
" descenderit, nullum vult omnino perire ex omnibus, & à bonis æternis excidere. sed quomodo mater post partum omnino quidem curam gerit filij. Sustinet autem, propterea ꝙ sit imperfectus, eius etiam cõtumelias, non ideo male volens infanti. vincitur enim à visceribus & valde potius cupit videre eum, cum peruenerit ad perfectionem, gloria aliqua & splẽdore insignem: ita etiam Deus nostri quidem curam gerit post creationẽ, & tanquam pater sustinet ea quæ in ipsum admittuntur delicta propter ignorationem. & à suis potius victus visceribus, beneuole se gerit & clementer. nihil aliud desiderans q̃ vt eius gloriam consequamur, cum in virum perfectum creuerimus ad mensuram ætatis spiritalis, sicut nos docet Paulus, plenitudinis ipsius Christi. Postquam ergo vidit nos Seruator à Dæmonibus inescatos tardare venire ad eius cognitionem, & ad æmulationem ipsum prouocantes in non Deis, & ad iram concitantes in vestris simulachris, & non formidantes eius vires & potentiam, vestri curam gerens tanquam filiorum, in me hodie conuicit, & errorem vestrorum cultuum, & zelum qui non est ex cognitione, vt ipsi quoque præsentes mihi confitemini. Discat ergo vnusquisq; vestrum, in me Christi reputans potentiam, ꝙ homo qui iam spectabam ad senectutem, & magnam quidem corporis partem, omnes autem vires tormentis amiseram, & perinde ac mortuus eram coniectus, in carcerem, adsum nunc coram vobis integer, illæsus, nihil diminutus, tanquam rursus in lucem editus, & iterum natus valentior. & si quis velit inuenire eum qui est vere Deus, cum agnouerit eum qui mihi hodie dedit linguam & pedes & oculos, eũ quoque esse credat qui ab initio & alia & ipsam lucem & rationem & motum rebus donauit mobilibus. Cum sis ergo intelligens ô præclarissime Præfecte, ne sustineas ignorare eum qui tui curam gerit, & tuam expectat conuersionem. Oportet enim te quoque ipsum ad Christum accedere, sicut etiam ab ipso mihi fuit significatum. Lætare autem ꝙ ad bonum & æternum sis Regem accessurus, & ad martyrij stadium te mecum exuturus.

Præfectus autem vt qui bonam haberet animam & gratiæ capacem, maxime vero cum etiam gratia eius animæ oculos attigisset, cœpit intelligere, & partim quidem ex verbis, partim autem etiam ex miraculo, verum Deum & splendorem pietatis paulatim admittere. Coniectans vero eam quoque quam prius in nauigando aspexerat visionem, & quẽadmodum Deus qui apparuerat, vult eum connumerari cũ suis ministris & amicis, lætabatur quidem tanquam de re magna: dubitabat autem quemadmodum qui tanto tempore errori adhæserat, repẽte dignus fuerit habitus qui tali Deo fieret familiaris. Cum ergo hæc apud se versaret, di-

uina

uina gratia eum adhuc magis vocans ad agnitionem, ei illustriora præbet signa veritatis. & videt ille cum quibusdam paucis, duos viros sanctum circunsistentes, fulguri forma similes, alatosq́ue, & iis qui videbant, magnũ afferentes terrorem, vt qui essent parati ad eum defendẽdum, caput autem corona redimibant. Postquam vero aliis quoque communicauit id quod cernebat, & inuenit eos eandem quam ipse aspexerat vidisse visionem, cũ nihil esset quod dubitaret, constitit repente cum è sede exiliisset, & clamauit ad populum. Est hic re uera veri Dei famulus, manu sanctum ostendẽs: & magnus est is quem nos docet colere Deum verum: qui adeò quidem admirabiliter & cõtra opinionem proprios refingit Athletas: è cœlis autem eis, vt videtis, tribuit victorias: & intelligentem eis opem ferens, eos defendit. Imprudens vero eram malis deditus Dæmonibus: & volebam id ipsum vobis persuadere, qui recte Christo volebatis parere.

Hæc dicens, paratus quidem erat currere & prensare pedes Martyris: Diu autem eum retinuit terror & spectaculum Angelorum. Atq; repẽte quidem euanuerunt angeli. Ille vero accurrens & sancti pedes apprehendens, suauiter deosculabatur: & ei dicebat, Ora vere Dei serue, Ora queso per ipsam quam prædicas veritatem, Ora vt ego quoque indignus fiam seruus, & Deo tuo seruiam. Nunc sensi ex iis quæ in te facta sunt spectaculis, quibusnam vtantur Satellitibus qui germane ad Christum accedunt, & vndenam eis & quales sint laborum remunerationes: & q̀ sunt quibusdam alienis & terribilibus stipati Satellitibus, vt tu quoque. Qui nos etiam tanquam sceleratos & profanos, visu aliquandiu repellebant & amouebant. Tandem autem vsi humanitate, tua nobis cesserunt sanctitate & puritate. & vereor ne me accedentem Christus repulerit, rogãtem, & hoc magnum, & quod nostra merita superat, postulantem, vt referar in numerum infimorum suorum famulorum. Verumenimuero sic quoque præclare mecum agi existimo, si talem Deum assecutus, luam pœnas pristini erroris & amentiæ.

Sanctus autem. Bono animo esto, inquit, clarissime Præfecte: neque quidquam de clementia Dei dubitaueris. Ego enim qui ex meipso Dei feci periculum, & scio eum esse benignum et misericordem, & qui ob vitia hominum mouetur misericordia, confido q̀ te non solum non repellet accedentem: sed hac etiam tua sincera suscepta fide, scripsit iam nomen tuum in libro vitæ. & quantum ego possum scire, statuit vt tu per martyrium, diuinum eius nomen mecum glorifices. Cùm sic dixisset, & intellexisset populum toto die manere ieiunum: & vidisset eum stare erectum præ admiratione eorum quę cernebantur, & velle adhuc manere & eius vultum cernere, & sermones audire, pollicitus eum mane affuturum, statim abiit, & dimisit theatrum. Sed Præfectus ne sic quidem sustinuit discedere à Martyre. sed cũ eo vacante tota nocte est versatus, accuratius per catechesim ab eo institutus in verbo veritatis. Cũ autem esset mane, & tanta frequentia congregatus esset populus, vt nec eum caperet quidẽ locus theatri, vna vero cum Præfecto ascensurus esset sanctus in concionem, magna multitudo gentilium sancto dedita opera occurrens, tãquam vno ore, Omnes nos, dicebat, credimus Deo qui à te prædicatur. & iam omnia negamus: & ei soli militare & seruire constituimus. Cum Deo autem gratias egisset sanctus, & laudasset multitudinem propter celerem

conuersionem, & dixisset quod nec protinus quidem credidisse cum audiuerint, neque esse cunctatos animo dubitantes, apud Deum caret mercede: & quod mox baptizati futuri sint participes donorum Christi, cum vna cum Præfecto ascendisset, constitit.

Postquam autem intuens ad populum Deus, dixit, vos suo perficiat signaculo: & reddat sibi ad omne opus vtiles, iussit vnumquemque rogare & discere de Deo quod vellet. Præfectus vero cum toto populo, De tuo, inquit, Deo nulla est nobis dubitatio ô sanctissime. Omnia aperte cognouimus, & omnibus quæ à te dicta sunt credidimus. Vnum solum petimus vt Deo cōiungamur & familiares reddamur per baptismum Cum itaque consensisse Præfectum vidisset populus. Re uera, dixerunt, non est Deus acceptor personarum. vt qui propter moderationem & curam quā gessit pauperum, reddiderit Præfecto sui cognitionem & vero Dei cultu eum sit remuneratus. Postquam autem ex iis quę circuncirca erant ciuitatibus affuerunt Episcopi quidam pij & religiosi, qui erant omnes tredecim, qui alij quidem solum vt viderent certamina Martyris: alij autem ideo è deserto descenderant, vt visitarent fideles qui erant in ciuitate, & allata quoque esset aqua cū ita iussisset sanctus, ipse sanctus cum è loco excelso descendisset, & Præfectum quidem inclinare caput Dei amantissimis fecisset Episcopis, illos vero eius capiti aquam infundere & dicere. Suscipit lauacrum regenerationis Ermogenes in nomine patris & filij & spiritus sancti, sic eum fecit baptizari coram toto populo Eo autem nomine populus Christum multis laudibus est prosecutus.

Quoniam verò & Præfecti regeneratio cogebat festum celebrare, nec facile poterat satisfieri tantæ multitudini, tunc quidem sanctus dimittit theatrum Deinde etiam conuersus ad Episcopos. Non iustum est, inquit, vt ecclesia tanto viro priuetur, qui est tam studiosus & modestus & tam sublimi ingenio. Ea de causa propter multam in sanctum reuerentiam, cū accepissent Ermogenem nihil contradicentem, illi eum referunt in cleri numerum. Deinde cum per 3 ordinem ecclesiasticos omnes gradus transiuisset, eum constituunt Episcopum ciuitatis. Qui etiam cum post electionem die septimo coëgisset quidquid habebat 4 auri & aliarum facultatū, & valere iussisset delicias & lautitias & alia quibus delectantur eorum animæ qui mundo delectantur, omnia dedit in manus pauperum. Deinde cum etiam alia omnia parui fecisset, cum vniuersa multitudine se armauit ad bellum gerendum contra Dæmones, vt aduersus quos gereret inimicitias propter priorem vitam, & eorum errorem vehementer persequeretur. & cum breui eorum fana & aras euertisset & simulachra deiecisset, vbique crucem fixit, & in Christi nomine construxit altaria. Atque turbas quidem postea ad eius pedes procidentes & rogantes baptizari, baptizabat, tam multos quotidie, vt nec facile posset eorum numerus cōprehēdi: Dæmoniacos autem aut qui ab aliis premebātur ægritudinibus, sola Christi inuocatione, repente liberabat à Dæmone & ab ægritudine: & docebat semper amplecti 5 castitatem & pium Dei cultum, humilitatemque & charitatem, mansuetudinemque, & nil possidendi virtutem, & cęteras similiter virtutes. seipsum proponens exemplar iis qui docebātur.

Cum autem non multi dies præteriissent, & tota ciuitate in vnam cōueniente sententiam, effecti sunt omnes vnus grex Christi, vir quidam de

3 *Ecce quomodo in ordine eccles. diuersi sunt gradus ad quos ordinate ascenditur, & Epalis dignitas super omnes gradus Eccle. est.*

4 *Ecce quomodo factus perfectus Christi seruus paupertatē etiā Euangelicam vltro amplectitur.*

5 *Docebat amplecti oēs uirtutes sanctus, inter quas erat & castitas & uoluntaria paupertas.*

ditus falsæ religioni Dæmonum, vnus ex Senatu, nomine Rusticius, ciuitati inuidens & nobis Christianis: & simul ebrietatem qua vti solebāt ad aras, & reliquam intemperantiam, pluris faciens, quam eam quæ est apud Christianos abstinētiam & moderationem, ita vt erat ira percitus, magna celeritate currens ad Imperatorem, paucis narrat omnia Abolitū est, dicens, omne sacrificium contumelia est affecta Deorum magnificentia. euersa sunt templa. diruta sunt omnia Deorum altaria. & ad summā, refert Deorum deletionem, & Præfecti mutationem: & ꝙ Præfectus Ermogenes, vetere beneuolentia & lucro ciuili inductus ab eloquente Mena, vniuerso fere persuasit imperio vt declinaret ad crucifixū: & iam quidem vbique secure adoratur Christus: eum autem secuta est tota Alexandria. Hæc cum dixisset, vt eum magis prouocaret ad iracundiam, & ad pœnas de Christianis sumendas acrius irritaret, adiicit. Nisi hoc tibi magnæ fuerit curæ, & à te quidem euertantur res Christianorum, in pristinum vero statum restituantur res Deorum, scio fore vt tuum quidem imperium citissime euertatur, confirmetur autem regnum eius qui dicitur Christus.

Hoc cum audiuisset Maximinus, fore quidem vt suum corrueret imperium, Christi autem regnum erigeretur, laudatio quidem & honorato Rusticio propter eius in ipsum & in Deos beneuolentiam, efferatus aduersus Præfectum & vniuersam ciuitatem, & magis quam expediret indignatus, statuit ille ipse continuo proficisci Alexandriam, magno studio & apparatu, cum bellicosorum hominum decem millia ad hoc iussisset sequi, dicens. Vel sola Imperatorum reuerētia motus populus, eos Deos honore afficiet quos illi censent colendos, & se ab alia reprimet improbitate. Nam nisi ita esset vt ipse rerum status arguit, citra vllum ruborem mala fierent, & nec studeret quidem latere aliquis. Attamen cum Deorum prouidentia fuero Alexandriæ, & hos ipsos vlciscar: & meam corrigam ignorationem, procul amandans errorem in crucifixum. Dixit, neque multum temporis permisit intercedere: sed rebus omnibus publicis posthabitis, magna celeritate venit Alexādriam: & statim iubet sanctos comprehendi: & mane tota vidente ciuitate, & manu assistente militari, sedens pro tribunali, eos iussit nudos introduci.

Postquam autem eos solum vidit introductos, magna voce exclamās, ô Dij, inquit, quid hoc futurum est, ꝙ iste cuius tantam curam gessi, & ei primos magistratus, quos nulli alij ex iis qui nobis parent, mandaui, sua sponte omnia despexerit, & ad tam obscuram & abiectam fortunā transfugerit, & comam etiam capitis sibi ademerit, & nihilo melius sit affectus quam mimi & scurræ qui in scena risum mouent. Propius vero accedens ad Ermogenem, Dic mihi, inquit, ô infelix, quanam de causa tibi commisi totius terræ & maris imperium: & decreui vt absq; successore gereres magistratum: non vt Diis quidem futurum beneuolum, & nullo modo eos abnegaturum: & beneuolum quoq; nobis futurum: & vt hūc doctum & sapientem virum, qui prospero fortunæ afflatu præter æquum inflatus & hinc lapsus est in errorem, arte & experientia & verborum persuasione ad patriam reduceres religionem. Quidnam ergo te mouit, aut quidnam spectasti, vt sineres eum diutius versari in vanitate, & non solum eum ab errore non reduceres, sed eiusdem malæ opinionis ei fieres

socius: & tibi præterea caput o stolide tonderes, & reputareris esse vnus ex iis qui sunt in theatro histrionibus? Cum eo iræ & acerbitatis processisset Imperator, iracũdeq; & furiose eos esset intuitus, benigne Deus aspexit Martyres: & repente eis apparent Angeli, eos audacia replentes & viribus, & vngentes ad certamina, iubentes ne timerent iram Imperatoris, vtpote quod victoria sit cum eis futura.

Ermogenes autem statim respondit Si sustines me patienter audire Imperator sapientissime, quanam de causa & quid spectans, primas quæ apud te reputãtur felicitates lubens adiecerim: proptq; & alacri animo ad hanc fortunam descenderim, vt velim videri stultus & pauper & ridiculus & inglorius, & dici potius Christi: & ideo lubenter accusari erroris & ignorationis, & paratus esse & ensem & ignem & bestias propter Christum despicere: & pro illo potius mortem sitire quam vitam, toto meo testimonium ferente concilio, maxime vero reipsa subiecta oculis, magnam veritatis curam gerens, & ne quid quod sit opportunum prætermittam, dicam id quod quæsiuisti. Imperator autem. Ego, inquit, hoc omnino, & nihil aliud cupio. si non ipse falsum præfers veritati, hoc in maiori honore habens propter necessitatem. Ermogenes autem. Mihi o optime Imperator, me aduersus Christum audacter & insolenter gerenti, & volenti quidem quos olim Deos colere, tuam autem obseruare potentiam, studio fuit vt ipse quoq; scis cum tanta ad ciuitatem venire pompa & apparatu, & virum quidem partim blanditiis, partim vero metu, ad hanc quæ vigebat patriam reducere impietatem. vt te ne cum maiore quidem dixerim ad nos accessisse. & ne tu quidem si affuisses, desperasses virum posse vincere. Mihi autem feret testimonium vniuersus hic populus, quã eram ab initio varius. blandiens. minãs. terrens. in oẽs denique species me transformans, vt virum abducerem a pietate. Ego. n. stultus ignorabam in qualem virum incidissem, quam interritum & valentem, & qui liberam quidem habebat linguam ad responsa, animum vero adferenda intentata supplicia, & omnia denique perpetienda paratum, potius quã ad Christum abnegandum.

Sed vt alia omittam, cum vidissem eum recusare Deos colere, & neq; potestatem curare, neque suppliciorum aut tormentorum vllam ducere rationem: sed tam probabiliter quidem & ad persuadendum apte contradicere, vt ego quidem ab eius ingenio vincerer: Dĳ autem arguerentur: & ei vniuersus suffragaretur populus & eadẽ quæ ipse sentiret de religione, cogitaui eum paulopost talibus cruciare suppliciis, vt si possem quidem eum perfecte vincerem. Sin minus, eius quidem certe reprimerem promptum & alacrem animum, & dicendi facultatem impedirem. Visum est ergo mihi plantas pedum eius gladiis excindere vsque ad ossa. quinetiam eius quoque linguam excindere eloquentem a qua omnia superabantur. præterea vero eius quoque oculos effodere. vt propter oculorum quidem tenebras otio deditus, fractus autem dolorum cruciatu, tardior quidem fieret ad respondendum, imbecillior vero ad contendendum. Atq; lictores quidem cum primum iubentem audiuissent, fecerunt vniuersum. Ille autem homo continuo esse conuictus, & nihil amplius ferens quam communis possit natura, missus in carcerem erat plane mortuus. Viri tamen misertus, verum enim fatebor, vt docti & mei ciuis, & ægreferrens quod vir

perisset

periisset tanta sapientia prǽditus & eloquentia, summo, mane afferri iussi corpus eius exanime, volens videre quonam eius rediisset constantia.

Postquam autem eum vidi accersitum recte ingredi & pure intueri: Deinde etiam eum audiui aperte differentem, videbar mihi videre spectrum & inane somnium. & statim clausi oculos, Deorum inimici vel ipsum simulachrum abhorrens. Cum autem de sede descendissem, & visionem simul cum aliis curiose indagassem: & non solis credens oculis: sed etiam manibus examinans & contrectans, illum ipsum didici esse Menã, protinus victus sum à veritate, non falsum testem habens conscientiam. Verumenimuero adest ipse quoque ó Imperator: & dicat quidẽ populus cruciatus. curiose autem ipse quoq; inquire vt volueris, cum miraculum sit tibi ante oculos. Dic vero mihi per tuos Deos ó Imperator, Si quis vidisset Christum sicut ego ipse vidi, repente totum hominem reformantem & animantem, & ex hoc quidem suam potestatem confirmantem, nempe ꝙ hæc quidem non sunt alterius ꝗ Dei, & ꝙ ipse sit qui primum creauit hominem, pollicetur autẽ iis qui illum secuti fuerint, in cœlis quidem regnum æternum, hic vero tantum posse quantum ipse solus. Si quis cum hæc & didicisset & vidisset, despiceret quidem talis Dei esse & dici amicus, Despiceret autem posse omnia agere & mutare quæ solus ipse Deus: & cæcos quidem facere videre: claudos autem saltare: & montes mouere: & mortuos suscitare: & vt semel dicam, rem omnem mouere creatam solo verbo & nutu: Deinde etiam pignus habere ꝙ lætabitur & regnabit in æternum: Qui eum reliquisset & clausisset oculos ad tantam beatitudinem, elegisset autem vestros Deos colere, & esse Consul & Imperator, quisnam is tibi videretur? Non verè stultus, non emotæ mentis, & qui longe abest vt intelligat quod sit conducibile.

Propterea igitur ó Imperator, ego errorẽ & fabulas vestras & Deos abominatus, & abnegata hac omni quæ videtur felicitate, ad solum Deum accessi, & malui, vt ipse dixisti, esse infelix, potius videri stultus ꝗ esse eligens. Atque nostra quidem, ex iis quæ audiisti iam didicisti. Res autem Christi si velis experientia discere, ne cuncteris. Excogita cito in nos magnum aliquod & graue supplicium. & si tibi forte deest aliquid ad excogitanda supplicia, ego qui magna in his exercitatione ad summam processe experientiam, ea quoque quæ restant reuocabo in memoriam. Obiice bestiis. deturba è præcipitio. mari obrue. terra infode. gladio scinde. igni combure. vnicuiq; mẽbro appositum excogita supplicium. Sic enim ego quoque paulo ante cęcutiens, feci meo luminari, & qui me deduxit ad veritatem, Menæ. Atque populus quidem cum tam artificiose & libere dixisset Ermogenes, admiratus est eius animi virtutem & dicendi facultatem. Imperator autem cum nec aduersus quæ dicta fuerant posset aliquid dicere, nam & populus testificabatur: & in conspectu eius erat miraculum: & simul cogitans ꝙ si ad dicendi veniret contentionem, ipse quidem pudore afficeretur: eius vero Dij refellerentur, animi dubius & dolore affectus, iussit sancti manus & pedes, illas quidem ex humeris, hos autem ex genibus ense amputatos ipso vidente iaci in focum ignis. Deinde cum ventrem conto percussissent, & omnia effecissent fluere, id quod restabat adhuc spirans iacere eos iussit in fluuium qui præterfluit ciuitatem. Lictores ergo nudos enses, & crudeliter intuentes, cum essent vel solo

aspectu terribiles, sanctum statim circunsistentes, primum quidem crudeliter manus, deinde rursus quoque pedes immaniter amputauerunt. Ille autem laborabat quidem frequentibus confectus doloribus. adeò vero se fortem præbebat acsi non ipse pateretur, sed alios potius videret affectos suppliciis.

Postquam autem vidit sua membra igne redacta in cinerem, caput parum attollens, & ad focum aspiciens, Quàm felix sum, inquit, quòd manus meas quas aliquando extendi ad Deos, alienos, & pedes qui ambulauerunt in errore, Deus hodie accipit vt oblata ei in sacrificium. Protinus autem milites, postquam abscissæ fuerunt manus & pedes, ad ventrem se contulerunt. & conto quidem eũ verberarunt. fluxerunt autem intestina. Ipse vero iam quidem deficiebat & imbecillum adhuc conseruabat spiritum: tam generoso autem erat & forti animo quàm si modo cœpisset decertare. Cum eũ ergo adhuc spirantem accepissent milites, sicut iussi fuerant, in fluuio demerserunt. Postquã autẽ Maximinus de Martyre Ermogene vix tandem deposuit solicitudinem, protinus de beato Mena cœpit deliberare. Cum vero timeret ne si cum eo disseruisset, quoniam & miraculis & dicendi facultate existimabatur esse supra hominem, ipse quidem victus dedecoraretur: & eos etiam perderet quos adhuc habebat errore implicatos, sancti miraculis inductos ad veritatem: omnibus prætermissis, iubet vt cum eum in obscuro & tenebricoso carcere inclusissent, primum quidem vinctus manibus à tecto suspenderent: Deinde etiam ab eius pedibus lapidem appenderent adeò grauẽ, vt vehiculo impositus vix posset ferri: Deinde eum relinquerent, vt diuulsus violenter moreretur.

Protinus ergo ij quorum est hoc munus, fecerunt quod eis fuerat imperatum. & sic ipsum dimittunt suspensum, nullum omnino sinẽtes eum videre ad consolationem. Sanctus autem cũ & capiti impositis vinculis, & deorsum trahente pondere lapidis extẽderetur, & ei propemodum dissoluerentur compages, nerui vero conuellerentur & carnes dilacerarentur, & vt semel dicam, omnis ei alia grauiter abrumperetur commissura, quandiu quidem vires corporis suffecerunt ad animi constantiam, grauiter quidem patiebatur, psallebat autem assidue. ›› Vide humilitatem meã & laborem meum. & illud, Non sunt condignæ passionis huius tẽporis ad futuram gloriam. Postquam autem plane ei consumptis viribus, suam cõiunctionem omnino negauit natura, cum dixisset, Gratias ago tibi Domine quòd tua bona perceperim, tanquam pondere supplicij repente ei voce repressa, in soporem resolutus tacuit.

Postquam vero vtrique Athletæ tanta constantia & fortitudine desiit certamen martyrij, repente affuerunt amantes & socij angeli ad eos defendendos. & primum quidem cum Martyris Ermogenis corpus è fluuij profundo sustulissent, & repente eum totum integrum restituissent, & deinde etiam animassent, & dixissent se proficisci ad Menam Athletam, & ipsum hortati essent vt consequeretur, vbi parum ingressi venerunt ad custodiam, intro statim perrexerunt, viribus quæ sub aspectum non cadũt dissolutis eis claustris. Ermogenes verò seipsum quidem mente agitans, & totum actum tacite considerans, obstupescebat. Beatum autem Menam etiam suspensum aspiciens, & iam nõ spirantem amplius, & tormentum cernens intolerabile, tristitia afficiebatur. Vt vero esset attentus

& videret hortati angeli, statim cum quodam honore & reuerentia, ad sanctum accedunt. Relaxatis autem vtrisque vinculis, cum quam sustinuerat membrorum iuncturam compegissent & sanassent: & eum magno gaudio & alacri animi studio repleuissent, statim quidem soluunt Ermogenis mœrorem propter magnum Menam. Cum autem vsque ad matutinum cum eis essent versati, & ad pericula subeunda eos magis acuissent, & iussissent eos festinare ad mox eis mittendas coronas, & polliciti essent se simul ad futuros & certamina vna esse adituros vsque ad tempus coronarum & victoriæ renunciationem, & deinde etiam eis pacem dedissent, & faustũ victoriæ nunciũ eis significassent, statim ab eis recesserunt.

Imperator autem cum summo mane iussisset aperiri theatrum, & ad eum omnem conuenire populum, sedit pro tribunali. Quoniam autem acceperat totam ciuitatem credidisse Christo: deliberando vero & consultando statuerat esse quidem inutile eam relinquere impunitam: rursus autem inconsideratum & à ratione alienum, condemnare omnes vt puniantur: simulans se totum ignorare, dixit. Quòd vos quidem qui adestis, Deos quidem sacrificijs & aliis libaminibus, nos autem Imperatores reuerentia & timore & in aliis rebus obedientia colere statueritis, ex multis aliis intellexi. Quòd autem non statim repugnastis & restitistis illis execrandis qui crucifixi res ausi sunt docere, & non ipsos ante nos lapidibus obrueritis, existimo Deos ex hoc iram non leuem concepisse. Ego igitur qui & ipsos Deos cupio vlcisci, & nullum vestrũ in diuinitus immissam incidere calamitatem, iubeo ciuitatẽ & vos omnes priuari iis qui vtrisq; olim fuerunt attributi honoribus. vt sciatis & ex his pœnis vobis impositis, & stultorum illorum suppliciis, q quando Iudex qui non fuerit ipse præoccupatus, non vult suam prodere sententiam, & prodigia facere cum his histrionibus, nunquam potest opẽ ferre crucifixus aut liberare à malis. solum autem hoc potest, certam mortem & extremam infelicitatem procurare iis qui parent. Eorum quæ dico fidem vobis possunt facere deceptores illi & præstigiatores Ermogenes & Menas, vterque ipsorum, ante tormenta, pollicẽtes se esse alios à mortuis suscitaturos. à me autem breui, vt oportebat, graui morte vita priuati, ne sibi ipsis quidem possunt opem ferre. Vbi autem nunc est plani illius Christi virtus.

Postquam ergo ad tantam blasphemiã processisset Imperator, multo tumultu plenum erat theatrum, eius maledicta omnibus ægreferentibus, & iam res nouas moliri statuentibus. Ceterum cum à Præconibus factũ esset silentium, & rursus dicturus esset Imperator quæ erant ex sui animi sententia, repente totum aspiciens theatrum cum vidisset sanctos qui in medium tribunal descenderant, ex inopinato enim apparuerãt, vna veluti lingua & vno ore omnes exclamauerunt, Vnus vere est Deus, Deus Christianorum. Hoc facto, quidam Eugraphus qui ipse quoque in Græcorum doctrina erat exercitatus, rempublicam autem adhuc gerentis Menę fuerat minister: Is ergo cum tunc esset vnus ex iis qui erant in theatro, & videret quę fiebant, cum vidisset miraculum, & esset veluti zelo accẽsus, & se diuinæ crucis signasset 6 signaculo, & animi fortitudine & audacia esset repletus, in medium prosiluit, & audacter Imperatori, Ego ò Imperator, inquit, sum Christianus. & tua iussa respuo & execror. & non abiuro religionem. & iam tibi sum propter Christum propo-

6 *Signum crucis semper fuit christianis ualidissimum ppu-*

gnarum contra oẽs aduersarios.

situs, nulla mearum carnium motus misericordia. Ne existimes autem fore vt minis vel blanditiis me sis omnino superaturus, sed neque vllum Christianorum. Nobis enim mors quidem est vita quę cum vobis agitur impiis. Vere autem ita est mors quæ pro Christo suscipitur. Et scio quidẽ, ꝙ tãquam leo rugiens, in hanc ascendisti ciuitatem, quærens ira corripere & cultu simulachrorum Christi gregem discerpere: & ꝙ hodie quoque ad nos prosiluisti cum eadem spe & armis. Sed te auersabimur, & audacia qua impellimur ad mortem lubenter suscipiẽdam, & pietate immutabili, tanquam dolosam aliquam vulpem quæ ludit maxime ridicule.

Hęc cum audiisset Imperator, & esset ei cor ira accensum, & iam esset emotæ mentis ex stupore miraculi, veluti oblitus se esse Imperatorem, è sede desiliens cum insana manu cuiusdam. eorum qui prope erant strinxisset ensem, multa & certa vulnera affert Ergrapho: & sic per se interimit prope tribunal virum fortem & martyrem. primum quidem stantẽ citra vllum timorem & ferentem plagas, & vel in ipsis arguentem Imperatorem: postea autem in terra iacentem firmo & constanti animo & Deo agentem gratias, ꝙ primus aliorum ad eũ ingrederetur: & non vno ictu sed multis finem acciperet, vt dignus pluribus haberetur coronis. Qui cum & has plagas acciperet & has voces ederet, expirauit. Temulentam autem adhuc habens animam Imperator, ꝙ ira victus, sic ad militare descendisset ministerium, cum rursus reuertisset ad sedem, aliquãdiu manens cogitabundus, cognouit se per impudẽtiam dubitationi attulisse remedium, & specie oppugnasse veritatem. Cum repente ergo ad se rediisset, & se ad sanctes conuertisset, Iuro, inquit, Deorum potentiam, me multa quidem alia sperasse videre inopinata: tales autem me visurum esse Magos nunquam suam opinatus. Sed quid noui facere videmini, arte magica & præstigiis populum à se facientes discedere, & simpliciores abducentes à Deorum potestate: & mori pro crucifixo tam facile persuadentes? Ego itaque qui vos miseros sum optime expertus, mox aperte ostendam vel vos esse spectra, vel hanc ementitam membrorum vestrorum reformationem esse fraudem oculorum & apertas præstigias.

Sancti autem dixerunt. Consequentia dixisti o Imperator. Nam quoniam mens quidem tua est infatuata: cæcutit autem anima: cor vero est excæcatum, merito rei quoque admirabilis veritas, præstigiæ esse videtur & deceptio. An non enim aperte cæcutis, qui iis non credis quæ sunt vel luce clariora? Quod si quid etiam de iis quæ vides dubitas, in nobis adhuc ipsis diligenter inquire veritatem. Si autem sęuis minis vel bonorum promissis, etiamsi ipsum dixeris imperiũ, quod res est apud vos maxima & beatissima, existimas nos à nostra traducere sententia, falleris o Imperator. Nam tu prius mutato errore Christum confiteberis, q̃ꝫ nos à veritate deficientes, falso simus adhæsuri. In nos ergo pronuncia sententiam, recte sciens ꝙ quidquid de cætero dixeris aut feceris, à te fiet inaniter, & ab eo quem tibi proponis scopo longe cadet. Imperator autem cum & ex se quidem intellexisset veritatem, maxime vero eam cognouisset ex stupore & admiratione eorum qui adstabant. (Sanctos enim tangentes & manibus contrectantes obstupescebant) timens ne populus cuius iam erant animi persuasi à rei euidentia, illo resistente manifestæ veritati, aliquid noui in eum agerent, cum hoc solum iussisset eis amputari capita, sur-

rexit

texit è tribunali. Postquam autem sancti, cum iis qui eos ducebant militibus, & toto populo ad locum venerunt, stantes & manus simul & oculos in cœlum 7 tollentes, in conspectu omnium satis diu sunt precati, ciuitati & Christianis omnibus & ecclesiis quietem & trãquillitatem: & vt nemo qui eorum eguisset auxilio, reuerteretur inanis. Deinde post precationem se inuicem amplexi, dataq; pace & salutatione, porrectis collis vterq; eorum à milite cui id obtigerat beatum finem accepit.

7 *Ecce oratio cùm manuum & oculorum ad cœlũ eleuatione.*

Qm̃ autem magnus Menas adhuc viuus petierat ab Imperatore vt eius corpus deponeretur Byzantij. De eo autem mandauit etiam iis qui tunc erant fideles & erant ei alioqui familiares, dicens eam ciuitatem sibi esse attributam ad habitandum, & inuidens Maximinus vel ipsam sepulturam, iussit capsam construi ferream, & in ea imponi corpora martyrũ: Deinde etiam in maris profundum transmittere. ne forte, dicens, aliquid de iustis faciendis Galilęis prædixerit: & vt sic eius excideret prædictio. Qui ad hoc ergo inseruiebant, cum essent vniuersum diligenter executi, in arca ferrea sanctorum corpora in mari demerserunt. Imperator autem cũ nec ciuitatis ferre posset scommata, & simul intellexisset populum in eũ efferri audacia, & dubitaret ne temere & periculose aliquid in eum iniretur, ex ea iter ingressus est versus Byzãtium, metu & pudore affectus. Cùm hic ergo fuisset rerum exitus, fit rursus etiam aliquid non minus prioribus.

Imperatorem ęquitatem præuenit capsa quæ ferebat corpora martyrum, quæ & tanta erat, & ferrea, & per mare nauigabat. Nã cum diuina quadam virtute celerrime è fundo emersisset, & fluctus marinos peruasisset, secunda aqua nauigabat: & celeritate par volucribus currebat Byzantium: & eum qui condemnauerat ne habitaret ciuitatem, ea quę fuerat condẽnata, magna præuenit celeritate. Postquam autem diuina quędam apparitio ciuitatis Episcopo facta est media nocte, quæ significabat & mox affuturos Martyres, & iubebat eũ properare ad littora quę sunt in arce: vt eos descendentes è mari statim exciperet: cum hac ipsa hora noctis congregasset eos qui ex clero simul aderant, & quosdam pios & fideles, cum eis perrexit ad littora quæ ei ostenderat is qui apparuerat. Cum autem versus mare intenderent oculos, repente vident lucem tanq̃. columnam è cœlo vsque ad mare peruadentem, & in quadam cymba quodammodo fundatam. Duos vero viros aspectu præclaros ex vtraq; parte honorifice & venerabiliter appropinquantes. Idipsum autem quod videbatur, appellare ad portus in quibus illi stabant.

Postquam vero paulatim fuit propius, etiam cognitum fuit eam esse arcam & non nauem, considerantes eam, neq;, cum vnde erant conuexę, resilire, neque cum rursus concauę, delabi: & sine remis & clauo ingredi, & ex aduerso virorum illorum nauigare: lucemq; esse multam & splendidam, & tantam vt non minus quam Sol locum illustraret. & viros illos in se ferre quidem signa cuiusdam diuinæ & admirabilis naturæ, qui ipsi quoque quodammodo pedibus ingrediebantur per aquam, & deducebant capsam cum quadam reuerẽtia, omnes metus & horror inuaserat. Atque Angeli quidem capsæ ductores, cum iam fuissent in conspectu eorum qui adstabant, cum tantum visi essent & appropinquassent quantũ satis erat ad mandandum vbi nunc quidem Martyres ponere oporteat,

propter Imperatoris amentiam,& vbi paulo post propter eorum volũtatem,& quæ & quemadmodum facere oporteat,repente ex eorum oculis recesserunt. Episcopus autem & qui cum eo aderant,primum quidem arcę circũfusi, eam amplectebantur. Postquam vero intellexerunt eam esse totam ferream,eos stupor inuasit considerantes quonammodo supra tam tenuem nauigauerit superficiem, non omnino obruta. & tunc quidẽ cum eam suprà in arcem detulissent, in occulto quodam templo absconderunt sicut iussi fuerant.

Postquam autem statim reuersus Maximinus,& euestigio plaga diuinitus immissa percussus,priuatus fuit oculis: & simul ab Angelis flagellatus,vt ipse suis dixit familiaribus,paucis post diebus expirauit.cũ post plagam & flagella tantum vixisset temporis quantum satis erat ad aperiendum arcanum iis qui ad ipsum genere attinebant:ne lateret Dominus iudicia faciens,& diuina iustitia etiam hic malos puniens:adhibita audacia Episcopus,considerans solam fidem sufficere ad auxilium, magno studio & honore trãsferens fortissimorum Martyrum Christi corpora,propter mœnia arcis ea deposuit, 8 custodes quidem ciuitatis, nauigãtium autem conseruatores:eorum qui sunt in morbis & calamitatibus certissimum solatium, ad gloriam magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

8 *Nota quid de his sanctis Martyribus dicat,deposuit custodes ciuitatis, nauigãtium conseruatores, & eorum qui sunt in morbis & calamitatibus certissimum solatium.*

Decemb. 11.

VITA SANCTI PATRIS *nostri Danielis Stylitæ.*

QVEMADMODVM viris fortibus vsuuenit,vt quãdo quis de bellis & certaminibus disserit & trophæis, eis statim excitetur animus, & quærat instructas acies, & manus conserere cupiat cum hostibus: & quo plura de his verba fieri audiuerint, eo magis eis crescit desiderium, & talia facinora statim aggredi cupiunt: ita etiã virtutis amatoribus, si quis eis narret vitas quæ in monastica versatur exercitatione, & per omnem peruadunt virtutem quæ Deo conciliat,simul inflammantur,& ea cupiunt quæ sunt sibi cõuenientia,& ad summam iis quæ dicuntur,vt quæ sint sibi propria,afficiuntur:& separant ad imitationem. Admirabilis itaque vita huius Danielis, quemadmodum non vel sola maxime sufficit,ad animum qui captus est amore virtutis,maiore zelo accendendũ: & ipsum omnino mouendum & demulcendum:& suauissimorum laborum exercitationis afferendam voluptatem quæ non habet satietatem? Quo est enim admirabilior, eo est etiam vtilior. & si quis eum voluerit æmulari,in modico multam & quæ cum paucis conferri potest inueniet virtutem.

Huic ergo beato,patria quidem erat quæ inter Euphratem & Tigrim sita,& est & nominatur Mesopotamia. Natus est autem in quodã vico vicino vrbi Samosatorum. eorum qui illic habitant lingua eum vocat Maratha. Ei pręter quidem erat Eliu,mater vero Martha.fuit autem hic modus conceptionis.Matris eius vterus erat admodum mancus ac mutilus. erat enim sterilis ad liberorum procreationem. Cum itaque mille probris eam in dies insectarentur, maritus, noti, cognati & omnes alij,

& liberorum egestatem ei acerbo obiicerent, illa ab eis male affecta & corde cruciata, quid facit? Confugit ad eum qui hæc potest curare. & clam domo media nocte egressa, manus 1 in cœlum tollens & terram lachrymis irrigans, Domine Rex, inquit, qui ab initio masculum & fœminam fecisti, qui dixisti, Crescite & multiplicamini. qui dedisti in sterilitate Sarræ quidem Isaac, Annæ autem Samuelem. Elisabetę vero Ioãnem, tu quoque meę similis miserere calamitatis: & me misericorditer intuere, & solue sterilitatem, & aufer opprobrium: & sterilis vteri da mihi fructum. vt eum quoq; tibi offeram qui dederis. quõ prisca Anna Samuelem. Cum tam acerbe fleuisset in contritione spiritus, domum rursus ingreditur, & cum parum dormitasset, videt in somnis duo luminaria, pręclara pulchritudine, ingentia magnitudine, figura autem disco similia. Ea videbatur videre cœlo relicto sensim descendentia, desuper eius immi nere capiti. Cùm mane autem surrexisset, & marito visionem & suis co gnatis communicasset, alius quidem aliquid aliud dicebat euenturum. illud vero erat præsignificatio eius quod ex ea erat processurum vel ipsis stellis lucidius.

1 Orationẽ hic habes cum manuum eleuatione ad cœlum & lachrymis.

Non multum temporis intercesit: & cum concepisset peperit beatum Danielem. & partu vtrisque mox liberatur, nempe & sterilitate & animi ęgritudine. Hæc beato Danieli vitæ fuere prooemia. sic prodiit in lucem is qui erat re uera fœtus luminis. Atque puer quidem quintum annum iam attigerat: nondum autem ei vllum nomen fuerat impositum à parentibus, vt qui hoc quoq; ei vellent dari à Deo, quõ eius quoq; in vitã productio ab eo processerat. Duxerunt ergo parentes puerum in quoddam monasterium. Simul autem tulerunt quoque quęcũq; piæ manus Deo solent offerre. vt hic verè sacer etiam in sacro loco susciperet appellationem. Cum vero accessissent & diceret Præfecto mandræ spiritalis, Quodnam nomen est imponendum puero? ille vir diuinus, diuino veluti instinctu afflatus, dicit id esse, imponendum quod Dñs omnino reuelauerit. & simul ad puerum intuẽs, ad hunc, inquam, ipsum intuens, iussit afferre vnum ex iis libris qui erant supra mensam. mos enim erat eis ponere libros super aram sacram, propter communem Monachorum vtilitatem. Protinus ergo facit puer id quod ei fuerat imperatum: & affert librum, non forte fortuna, sed diuina voluntate & ductu Dei, librum illum qui Prophetæ Danielis habebat eloquia. Cùm ille ergo vir iudicasset è cœlo datum esse hoc signum, eodem statim nomine quo Prophetam, vocat eum qui erat ei moribus similis. & vt Deo placuit, puerum vocat Danielem.

Atque si parentum quidem verbis acquieuisset hic vir diuinus, tunc fuisset Deo Daniel continuo dedicatus: & ab infantia fuisset cooptatus in numerum Monachorum. Cum is autem non posset persuaderi: sed teneram causaretur ætatem & nimiam infantiam. tunc quidem reuersi sunt domum cum Daniele. cum ita visum esset ei qui est superior: vt non aliorum, sed sua sententia, puer bonum eligeret. Atque protinus quidem primum germen significabat qualis futura esset arbor, & virtutum vmbrę iam sequebantur eum qui per lucem ambulabat. Paulatim autem ei procedente ętate, aperte ostendit quantum incrementum spiritus accepisset præter ętatem. Nam iam quidem attigerat Daniel annum duodecimũ.

& cum nemini quidquam dixisset, neque voluntatem animi protulisset, despicit quidem parentes propter Christum. despicit & cognatos, mundumq́; & quæ sunt in mũdo omnibusq́; relictis, amicis æqualibus, vico illo qui eum tulit, cum procul ab eo abfuisset circiter duodecim stadia, venit quidem in quoddam cœnobium Monachorum. Procidens autem ad pedes præfecti sacri gregis, rogabat vt ipse quoq; cooptaretur in numerũ illorum: & eum monastico 2 amictu indueret. Cum autem ille & corporis imbecillitatem & teneram ætatem obiiciens, dixisset non posse eum ea subire quæ subeunt Monachi: fore enim vt breui defatigetur 3 laboribus, qui sunt multi & vel ipsis viris difficiles. vigiliæ. humicubationes. ieiunia: corporis & eius voluntatum perfecta mortificatio: & ideo suaderet vt aliquantum temporis maneret apud parentes, & non tantos susciperet labores in ætate tam immatura & corpore non satis robusto & adulto. Ego quidem, inquit Daniel, ideo accessi, vt sic quidem Christo viuam, moriar autem carni. Quòd si dum hos pulchros suscipiã labores, mors sequetur; melius erit mihi mori q̃ abire vacuum, & mittentem manum ad aratrum, vt cum Euangelio dicam, retro conuerti.

2 Vides quod qui monachus fiebat, nouo habitu monastico induebatur?

3 Nota monachorũ exercitia, labores multos & difficiles, uigilias, humicubationes, ieiunia, corporis & uoluntatum eius perfectam mortificationem. Quìd habes hic reprehensibile tu qui monachorum p̃fessione detrahis?

Cum ergo multa quidem dixisset, multa autem etiam audiuisset Præfectus sacræ mandræ, nec potuisset eius vehementem retardare impetum & acrem hunc amorem, fratres adhibet in consilium, an oporteat eum in ipsorum admitti monasterium. Illis vero pueri magnam mirãtibus constantiam, alacremq́; & intensum eius animi studium, & existimantibus esse Deum qui eum moueret, & vt admitteretur lubenter 4 assentientibus, de cætero est cum eis quoq; Daniel, imo verò supra ipsos, quod ad vitam ex Deo agendam attinet & ardorem ad virtutem. Intercessit parum temporis, & cum cognouissent parentes vbinam sit & apud quos, illi quidem ad eum accedunt cum admiratione Cũ vidissent autem puerum seipsum dedicasse 5 & Deo consecrasse, nequaquã eis accidit quod solet hominibus & parentibus. neque petierunt charissimum filium vt eum acciperent & domum reducerent. idq́; cum nondum esset monastico habitu consummatus. sed re uera volentes ostendere se esse illius parentes, valde lætati sunt de eo quod factum fuerat: & multis precibus à monasterij Præfecto contenderunt, vt ante suos oculos monastico eum amictu induerent. Ille vero hanc rem rursus communicat Monachis. & postquã illos quoq; vidit assentiri, cum iussisset omnes congregari in Dominico, & Danieli sacram recitasset 6 regulam, & tondet 7 ei capillos, & monastico eum induit habitu, qui iam sicut monachi viuebat & viuere statuerat. Cum eius autem præcepisset parentibus ne ad filium frequenter accederent, lætos emittit, quod quidem est valde nouum, parentes priuatos filio.

4 Daniel duodẽnis est in consortium monachorum cooptatus.

5 Vides quomodo per Monachismũ quis se consecrat Deo?

6 Ecce quomodo etiã antiqui monachi habuerunt regulas.

7 Cùm quis monachus fiebat, tondebatur, & monastico induebatur habitu, quod & modo fit.

Erat ergo illic beatus Daniel proficiens & inualescens spiritu. & ei crescenti simul quoq; crescebant omnia semina virtutis: & alia quoq; haud ita multo pòst accesserunt. Quod autem excellentioris ei fuit vitæ principium, & radix fructuum qui postea prouenerunt, hoc iam sum dicturus. Cor eius accendat amor diuinus, & in eo vehemens excitat desideriũ, videndi loca illa in quibus Christus pro nobis est passus, & vbi est sepultus: & vnde cum surrexisset, ascẽdit in cœlos. Simul autem diuina quoq; quædam cupiditas eius inflammabat animum, videndi virum illum magnum

gnum

gnum in exercitatione, Symeonem, inquam, qui erat in columna & accedens ad Præfectum monasterij, id quod volebat ei communicauit: & rogauit ne quod petebat sibi denegaretur. Ille vero tunc quidẽ sua spõte non concesit. paulopòst autem vel inuitus dimisit. Nam cum ei necesse esset venire Antiochiam, propter curas ecclesiasticas, tunc cum secum assumpsisset Danielem & quosdam alios fratres, incipit iter ingredi. Et postquam fuissent in illo vico qui nominatur Telada, vbi magnus ille in sanctitate Symeon, magnos illos peragebat labores exercitationis, cum ad ipsam iam venissent columnam, contemplabantur & columnæ altitudinem, & loci asperitatem, & quemadmodum vir ille generosus & hyemis ferebat algorem & ęstatis calorem, & minas imbrium, & vim ventorum, & omnem aliam corporis tolerantiam. Cum hæc viderunt, alij quidem insipientiores, existimabant sanctum vana gloria adductum tanta sustinere certamina. Beatus autem Daniel non solum ea stupebat & mirabatur, sed etiam incitabatur ad imitationem: & boni zeli stimulum accepit animo. Cum vero vbi inferne clamassent, magnus ille desuper prospiciens dixisset oportere admouere scalas & ad ipsum ascẽdere, tunc pulchre licuit videre animorũ probationem, alius quidem causatus pedum imbecillitatem, alius rerum alius senectutem, alius aliquid aliud, recusabat ascendere. Daniel vero cum cucurrisset, & magistrum rogasset, & ab eo iussus esset, ascendit prompto & alacri animo, & magnum salutat Symeonem cum gaudio & admiratione.

Neque verò fuit hic labor Danieli inutilis & ad eum ascensio. Sed primum quidem ad virtutem excitatur & instruitur, & redditur vehementius eius desiderium. Deinde autem ab eo quoque vt oportebat consequitur benedictionem manus impositione: & futuri suscipit prædictionem eum enim audiuit dicentem vel maxime prophetice. Esto fortis fili: & confirmetur cor tuũ. Multos enim & difficiles labores propter Christum es suscepturus qui & sufficiens erit tibi consolatio, & ad eos fortiter ferendos tuum roborabit animum. Descendit ergo Daniel post hanc suauem cum eo congresionem, & rursus ad sacrum redit monasteriũ. Postquam autem monasterij Præfectum ad se vocauit Deus, egregius vero hic Daniel qui pasci pulchre didicerat, modo recte posse pascere putabatur, & vi ad hoc trahebatur à suis condiscipulis, ipse qui gratam consectabatur quietem & silentium, & hoc ambibat vt esset remotus ab omnibus negotiis: & sciens quantum ea posit conferre ad virtutem, minime statuit cedere. sed alium adduxit qui esset eis vtiliter præfuturus: sibi aũt optime consuluit. Ecce, dicens, liber factus es Daniel, nemini obnoxius. Ecce tempus quod antè desiderasti. Tuũ ergo persequere scopum & viæ institutum: & quod proposuisti perge exequi. Cum sic ergo omnia reliquisset, & nulli animi sui arcanum aperuisset, egreditur clam è monasterio & venit ad mãdram illam in qua erat sita columna beati Symeonis. Infra enim circa eam erat quoddam monasteriũ. in quo cum totos quatuordecim dies transegisset, volebat Symeon Danielem adhuc apud se manere. Simile enim simili delectatur. Ille autem non sustinuit, cum alio teneretur desiderio. Desiderabat enim videre sacra loca: & interiorẽ quærebat solitudinem. sed viam quæ vergit ad Palęstinam audiens esse difficilem & propè inuiam, vtpote ꝙ Samaritani bello inuaderent Christia-

nos ipse non ferens de hoc suo prompto & alacri animi studio aliquid remittere, cum se confirmasset & sibi mortem contemnere persuasisset, paratus erat exequi id cuius studio tenebatur.

Cum vero iter esset ingressus, & in via occurrit vir quidam, cui erat ætas senis, Monachi vestitus, cana autem coma, & qui erat in omnibus similis Symeoni qui erat in columna. Syra vero lingua allocutus Danielem & eum complexus, rogauit quò iter suum dirigeret. Ille autem, Si Deo, inquit, videtur, vado ad loca sancta. Is verò excipiens, Recte dixisti, inquit, si Deo videtur. Nunc autem certo scias id quod est tibi propositum non esse ex Dei sententia. Non enim audiuisti seditionem & tumultum qui est in palæstina. Ille verò, Audiui, inquit, sed in Deo confido eum mihi futurum adiutorem. & maxime quidem spero omnino fore vt nec mali aliquid nobis omnino accidat. Sin autem aliquid tale acciderit,
" seu viuamus, seu moriamur, sumus Domini. Illo autem hoc propheticū
" proferente responsum, Ne dederis in commotionem pedem tuum. & non dormitabit qui te custodit angelus, cum ad hoc prompto & alacri animo respondisset Daniel, dicens, omnino bonum esse mori propter Christum, id ægreferens canus, auertit faciem, &, Non fero, dixit. Non enim permisit Deus vt nos intempestiue in mortem coniiciamus, & vt per vim inter-
" ficiamur procuremus. Ille est enim qui dixit. Si persequantur vos ex
" hac ciuitate, fugite in aliam. Cum autem concessisset sanctus obiectioni, & dixisset, Si tibi ita videtur, nihil moror reditū. Non consulo, inquit ille, tibi, vt ab hoc cepto omnino desistas: stultus 8 enim essem. sed si mihi credas, iubens multum valere regiones orientales, conuersus vade Byzantium, quæ quod attinet ad sanctificationem est secunda Hierusalem, imo verò est prima. Illius enim priuilegia ei nunc à Deo data sunt. in qua multis quidem tibi licebit frui templis, multis vero sacris spectaculis & si tibi cordi fuerit viuere in quiete & silentio, aut in superiore Thracia, aut in ipso ore ponti, eius rei tibi erit magna facultas: & Deus hac in re tuum implebit desiderium. Præterea non oportet existimare te Deum quidem esse conuenturum Hierosolymis, Byzantij autem minime, Deus enim nequaquam loco circunscribitur ô dilecte.

8 Vides quod qui peregrinationem ad loca sancta ire uolētibus omnino dissuadet, stultus est.

Hos sermones cano ille conferente cum Daniele, Sol erat in occasu: & accidit vt diuerterent ad quoddam monasterium. Cum audiuisset autem Daniel hic esse diuersandum, Tu quidem, inquit senex, prior ingredere. ego autem te sequar euestigio. Existimans itaque sanctus eum vrgere aliquā corporis necessitatem, portam ingressus, expectabat. Postquam vero ille non amplius aderat, ratus Daniel eum in aliquo alio loco diuersari, solus accedens ad Præfectum monasterij & ad eos qui erant sub ipso fratres, honestum dedit osculum, signum dilectionis. Deinde etiam sumpsit cibū sibi appositum. Postquam autem somni tempus esse cognouit, ei rursus assistens senex suadebat illa facere quæ prius dicebat, & quam primum proficisci Byzantium. Atque ille quidem excitatus. cogitabat quisnam is esset, & an esset homo aliquis, an vnus Angelus. Is vero erat magnus ille Symeon, qui iubebat eum frequentissimam & ciuitatum reginam adire ciuitatem. vt hæc esset multis via ad salutem. Cum ergo sic ei visum esset facere, neque vlli quidquam dixisset, postquam nocturna 9 cecinit cantica, omnibus valere iussis egressus, propere contendebat Con-

9 Postquam nocturna cecinisset nocturna cantica.

ſtantinopolim. & cum in oſtium ponti eſſet ingreſſus, eum excipit templum Michaelis militiæ principis, quod illic pulchrè eſt poſitum. & ſeptem illic dies eſt verſatus. Cum autem audiuiſſet aliquos dicentes de alio templo, quod ſitum quidem erat ſupra id quod dicitur Hieron. Locus vero ab iis qui incolebant, nominabatur Philemporus. & cum accepiſſet in eo malos habitare ſpiritus, & nonnunquam ſubmergere nauigantes, & inuadere eos qui tranſeunt, & malos eſſe vicinos accolis, & non poſſe aliquem eum tranſmittere illæſum: non mane: non meridie: non veſpere. reuocans in memoriam magnum Antonium & res illius: & quam multas ille quoque à Dęmonibus ſuſtinuerit tentationes: & quod eos tandē virtute Domini omnino ſuperauerit: & quam multos illis ſuperatis honores ſit aſſecutus, ipſe quoq; ſe ad aggredienda exuit certamina, & cum iuſsiſſet eos qui aderant ei templum oſtendere: & veniſſet in atrium, medium templum ingreditur. Chriſti 10 crucem tanq̃ arma inferens inexpugnabilia: & ſimul pſallens. Dominus illuminatio mea & ſalus mea: quem timebo? Quamobrem vel ante conflictum perterrita ipſa phalãge Dæmonum, obibat omnes angulos. quærens fugientes Dæmones, & in vnoquoq; eorum flectens genua. 10 *Chriſti crucem tanquam arma ferens inexpugnabilia.*

Atque iam quidem erat veſpera: & aderat princeps tenebrarum: & iaciebantur lapides in Danielem: & ſonus audiebatur: & cõfuſa vociferatio & ſtrepitus excitabatur. Ille autem rurſus perſeuerans in oratione, ſtabat quietus. Deinde ad eos, Si aduerſus me, dicebat, ſtructa conſtiterit acies, non timebit cor meum. Primam ergo illam noctem, & ſecundam quę poſtea eſt cõſecuta ſic tranſmiſit. Tertia autem vidit homines magnitudine maximos: forma alienos: crudelitate, quantum licebat conijcere, carniuoros, horribiliter ſtridentes, & minantes Danieli, & metui admiſcentes ſuæ cauſæ defenſionē, & dicentes. Quis tibi ò infelix, vt huc venires perſuaſit, quando etſi nihil aliud, tempus quidem certe quo hic fuimus, nos loci Dominos vtiq; effecit? Et ex iis alij quidem minabantur ſe eum in mare eſſe iacturos: alij autem rurſus maximos lapides immittebãt. Nemo vero audebat ad eum accedere propius. Quid ergo facit? Credit Domino qui dixit hoc genus expelli ſolo ieiunio & precatione. Et ſic quidem facit. & eos minantes atque etiam iacientes parum aut nihil curans, primum quidem ipſe quoque contra minabatur. tantum enim in Chriſti, virtute confidebat. Deinde cum eos adhuc videret ſe magis impudenter gerere & tumultuari, ipſis omnino deſpectis obſtruit omnem templi aditum, oſtendēs ſe ſolum velle cum eis luctari: & nec fuga quidem egere ſi ipſi irruperint. ſolam autem aperit feneſtram, vt videret accedentes, & vt corpore exiguum acciperet nutrimentum. Non multum interceſsit temporis, & Chriſti quidem virtute deleta eſt omnis illa mala Dæmonum operatio. redditus eſt autem vniuerſus locus liber ab illorũ inſultibus. & deinceps libere vt ſine vllis inſidiis ambulabant & mare nauigabant.

Huius vero rei fama manauit in omnes partes. & licebat videre viros ſimul & mulieres, iuuenes & ſenes, pauperes & diuites, & qui habitabãt circuncirca in locis finitimis, tanquam fluentum aliquod, continuo tractu ad eum ferri, & admirari quonammodo vbi nuper quidem erat exitium, illic ſit ſalus: Vbi autem Dæmonum vociferationes, illic 11 noctu & diu canantur ad Deũ cãtica. Inuidus vero Satam & hominum inimicus, 11 *Vide Deo cantari nocturna & diurna cantica.*

neque de se partam victoriam, neque sancti patientiam, neque priorum videre sustinens vtilitatem, ad secundum aggreditur callidum commentum. & quibusdam ex iis qui in templo cooptati erant in clerum, tales immittit cogitationes, quales olim Iudæis aduersus Christum, non bonũ esse permittere homini hic habitare, quem ignoretis vnde sit. Ille autem & fama omnes ad se attrahit. & illius honor est omnino diminutio vestrorum vectigalium. Sed significate dicebat hæc Episcopo, & eum cito expellit. Et sator quidem hic est. tale est autem semen. Qui vero acceperant, non ex alio noti, quam ꝙ hæc continuo produxerint. Cum primum semen acceperunt, fructum produxerunt: & accedunt ad Episcopum: & de sancto renunciant. Episcopus autem Constantinopolitanus, is erat Anatolius, Et quomodo, inquit, de homine male dicitis, & expellere aggredimini, quem vnde sit nescitis, neque quænam sit eius vitæ ratio: cum contra oporteat quidem eum illic sinere. vt si sit quidem bonus, nos quoque faciat participes vtilitatis. Sinautem contra, ipse quidem hinc iure expelletur. vos vero & ego hac in re vacabimus reprehensione. Sic illi à seipsis capti. (Res enim est eiusmodi vitium. ipsum quidem in seipsum cadit: & à rebus suis capitur) præ pudore vultus tegentes, cessarunt ab improbitate.

Postquam autem eorum insidias sic vidit malignus esse irritas, longũ esset dicere quam multas quidẽ rursus visiones prioribus grauiores beato intulerit: quam multas autem molestias & vexationes nunc quidem minans se eum interempturum: Nunc vero in mari submersurum: Nunc autẽ aliquid aliud facturum eorũ quę nollet. etiamsi maxime & ipse & malus eius exercitus ab ipso hæc erant passuri. Nã postquam ille surgens orauit & audacter est locutus dicens, Dominus Iesus Christus in quem credidistis & credo, ipse vos in vltimum abyssum demerserit, illi tunc acerbe vlulantes, & flebiliter clamantes, & suas facies, vt videbantur, pulsantes, assimilati vespertilionibus, illo ipso hæc aspiciente sancto, egressi sunt & abierunt. Ille autem nunquam cessans iniuriam facere, existimans quod si eum sæpe tanquam in vrbis obsidione inuaderet, tandem poterit beati spiritus & generosum animum deprimere ac frangere, accedit ad maleficij tertiam probationem. & aduersus eum rursus commouet priores calumniatores. Qui cum accessissent ad Episcopũ, perinde ac iam maximis affecti iniuriis, sanctum vocabant maleficium, simulatoremq́; & deceptorem: dicebantq́; eius consuetudinem esse eis intolerabilem, vt qui vel solo aspectu sit molestusl & importunus. Ille verò iam victus à tot vexationibus, ad se accersit Danielem: & rogat quisnam sit & vnde, & quibusnam rebus opus habens: & postremo quamnam in Deum tenens opinionem, in has partes venerit. Ille autem cum eius quod est maximũ & primum, nempe orthodoxæ in Christum fidei, primum meminisset, alia deinde contexuit, patriam: & genus: & finem. nempe ꝙ eum diuina mouerit reuelatio, vt videret Byzantium, & in hæc loca veniret. Hæc cũ audiuisset Episcopus, assurrexit & eum est amplexus: & eum tanquam virum re uera diuinum honorauit. Atque hæc quidem sic recte gesta fuerant à magno Daniele. Fieri autem omnino non poterat vt qui Christi vitæ institutum susceperat, non etiam eius vitæ agendæ ordinem pro viribus videretur imitari. Quomodo ergo eius Dominus cũ tentationibus:

signa

signa videtur inchoasse, ita hic quoque nisi quatenus ille hunc mouebat & hic illius 12 virtute faciebat miracula.

Non multi dies præterierunt: & vehemẽs morbus inuadit Patriarchã, qui etiam efficit vt is fieret sancto supplex: & eum continuo accerseret, & pro ipso Christum rogaret vt laboranti opem ferret. Cum is autem solum genua 13 flexisset ad orationem, adfuit Christus exaudiens, propemodum anteuertens petitionem: conualuitq; & sanus euasit Patriarcha. Et sic quidem miraculum. Non magis autem est admirandus propter curationem, quam propter benignitatem in curatione. Nam postquam eum sanauit, petiit mercedem sanationis. ea vero erat, vt iis qui calũniati fuerãt remitteretur debitum. Pontifex autem ei lubenter concessit petitionem: &, Quomodo enim, inquit, nõ remittam, quibus parum abest quinetiam agam gratias quod effecerint vt te viderem qui mihi dedisti salutem. & fuerunt causa vt tu ad nos venires? Cum autem apud eum, & monasterij, & donorum, & vt cum eo perpetuo esset, meminisset. Si vis me, inquit ille magnus, magno studio prosequi, sine me ea facere quæ Deo & mihi videntur. Et sic ad templum missus cum magno & præclaro comitatu, cum eadem fecisset quæ prius, & aditum obstruxisset, per paruum quoddam foramen colloquebatur cum iis qui accedebant. Nouẽ interim anni præterierant: & eum ad vitam perfectiorem vocans prouidentia, aperte ostendit futura. Cum enim fuisset in extasi, videt columnam nubis. & ea admodum sublime erat sublata. & ex aduerso eius pẽdebat in aëre: & admirabilis Symeon stabat supra caput columnæ. Simul autem cum eo duo adstabãt adolescentes: eratq; eis vestis clara & refulgens. Desuper vero ex capite columnæ audit vocem dicentem. Huc ad me ascende Daniel. Cum is autem respondisset, Et quomodo potero ego Domine in tantam extolli altitudinem? iussit Symeon iis qui cum ipso erant adolescentibus vt descenderẽt & assumptum ad se deducerent. Qui cum imperata fecissent, eum tollunt & prope ipsum statuunt. Ille autem eum statim amplexus, simul in cœlum eum tollebat, & magna voce clamabat. Esto fortis Daniel. te strenuum ac robustum præbe: & sta pulchre ac generose. Postquam vero vox admodum clara eum circunsonabat, visa est enim terribilis & tonitrui similis, Daniel cui percussæ & conturbatę erãt aures, ex somnio quodammodo ad se rediit.

12 Nota sanctos in virtute Christi facere miracula.

13 Sola oratione cum genuflexione impetrauit sanctus à Domino patriarchæ sanitatem.

Hoc, futurũ eius vitę institutum Symeonis instituto conueniens, prius significauit: & q̃ oportebat eum & columnam ascendere: & transire ad locum columna longe excelsiorem, Sic sententia & voluntate omnipotẽtis ab eo effecta sunt omnia. & ad eum paulopost missa est pellis ouilla ab Elia, ad eum, inquam, qui moribus erat Elisæo similis. Sic autẽ missa est. A' Symeone ad Imperatorem missus quidem erat Sergius eius Discipulus, ad eum deferens donum omnia mala depellens, nempe tegmen quod habebat in capite. solẽt autem id vocare cuculam Cum autem Imperator haberet animum aliis, intentum & esset in curis publicis occupatus, Deo hęc omnia prouidẽte & dispensante, hic quem diximus Sergius, statuit nauigare & redire. & cõtendebat peruenire ad monasterium quod nominant Accœmetorum, idest, non dormientium. Cum ergo ipse reuertẽs cum quibusdam aliis accessisset prope locum Danielis, statim tanquam signo dato beatus erat in ore omnium. Et alij quidem meminerant eius

tolerantiæ. alij autem precum. alij vero curationum. alij vero ꝙ mansuefecit locum qui possidebatur à Dæmonibus. & nunc quidem qui sunt in mari, sine periculo nauigant. illæsi autem iter obeunt ij qui sunt in via pedites. Hæc intelligit Sergius cui commissum fuerat donum pretiosissimũ: & cum eius desiderio motus fuisset animus, rogat quisnam hic sit, & vbi, & an liceat eum conuenire. Illi vero & locum alacriter ostenderunt: & cum in terram appulisset, ipsi accedũt ad sanctum, & vna cũ eis Sergius. Qui cum benigne admodum beatum salutasset, alia quidem ipse exponit, Symeonis, inquam, hinc decessum. & quod ab ipso donum ferret ad Imperatorem, dicens Danieli id ad eum potius esse missum, quam ad illum ad quem ipse id mitti opinaretur. Alia autem rursus audit à Daniele, quæ ei Deus significauit de Symeone & de vita eius vitę instituto congruenter agenda. Quæ quidem cum audiisset Sergius, sacrum statim donum eiiciens, id donat Danieli, à Patre Symeone dicens migrare ad patrem Danielem. Et hæc quidem sic fiebant.

Deus autem rursus consueta faciens, incitabat Danielem visione quadam diuiniore, vt aggrederetur viuendi rationem maiorem & sublimiorem, vas eum electionis, quomodo Paulum, præsciens eum futurum. Apparuit vero visio non Danieli, sed potius Sergio. Videbãtur enim tres ad eum venisse adolescentes & dixisse. Surge Sergi, dic Abbati Danieli. Expletum est tempus tuæ in templo habitationis. Adesto deinceps, & ad maiora parare certamina. Cum ergo ei Sergius diuinam aperuisset visionem, quoniam is statuerat non, repugnare omnibus nutibus omnipotẽtis, & alioqui priori quoq; visioni secunda consentiebat: & pręterea, Symeonis etiam indumentum erat arra talis vitæ degendæ, mittitur Sergius vt disceret loca magis solitaria quæ illic sunt, vbi oporteat ponere columnã, & aptum ad agendam vitam in quiete & silentio. Qui cum partes quasdam fastigij montis pulchre esset perscrutatus, postquam venisset in illũ locum in quo oportebat stare columnam, tu Deus omnium hoc quoque ostẽdis. Videt ergo protinus dictus Sergius albam columbam. Quę alas frequenter expandens, & parum rursus subuolans, iterum decidebat. Arbitratus ergo eam esse captam & vinctam laqueis, ad eam festinat & contendit eam capere manibus. Illa vero cum statim euolasset, ne oculis quidem poterat apprehendi. Cum tam euidens accepisset signum statuẽdæ columnæ, & ipse quoque satis intellexisset ꝙ esset aptus locus, descẽdit ad sanctum: & omnia sigillatim renunciat cum ea quam viderat visione. Ille autem & lætatus est cum audiuisset, & ad locum venire cupiebat. Dat vero Marcus quidem ei amicus & alioqui familiaris colũnam. Cum autem factus esset is quoque qui solet vocari modius, & capiti columnæ fuisset adaptatus, iubet circa mediam noctem perforari sibi tẽpli parietem. & ita omnes latens ascendit. Deinde etiam cum gaudio cõcipit preces quæ ita habebant. Gloria tibi Christe Deus, ꝙ me talibus bonis & tali vitæ instituto es dignatus. Sed tu scis ò Dñe, ꝙ te solo fretus hanc ascendo colũnam, & hoc certamen subeo. Suscipe meum propositũ, confirma me ad cursum. ceptum meũ absolue. Sic beatus ille non spiritu solum esse cœlestis, sed etiã quoad eius fieri poterat, corpore esse contendebat. & de cætero solus erat in colũna, seipsum collocans in cœli & terræ cõfinio, ab hac quidem recedens carne & spiritu, ad illud aũt contendens,

Hæc autem non poterat inuidus fere oculus: neque patri inuidiæ erant illa tolerabilia. Sed cum loci Dominus ad horum venisset cognitionem, erat autem illi nomen Gelasius, inconsiderate ira animo perturbatus, aut potius Dæmonis importunitate commotus, & aduersus sanctum virum furore percitus, causa autem prætexebatur quod non eã posuisset voluntate illius, Imperatori quidem renunciat id quod factum fuerat. Renunciat autem etiam Gẽnadio, is enim constitutus fuerat Episcopus Constantinopolitanus post decessum Anatolij. Atque ab Imperatore quidem dicens non fuit exauditus. Episcopus vero se inuidia motus, seu ei qui rogarat concedens, non solum censebat sanctum è columna deiiciendum, sed etiam pœnę subiiciendum. Redit ergo Gelasius totus ira percitus, alios quoque multos secum assumens, & è columna sanctum volens detrahere. Sed qui semper in sanctis suis est admirabilis Dominus, qualia nunc quoque fecit, illum audacter insultantem reprimens, & eius seruum qui erat occultus gloriosum efficiens. Nam cum esset maxima serenitas, essetque aër purus & limpidus, nubes repente concurrerunt, & orta est caligo, & vehemens pluuia & grando deorsum ferebatur. Tantusque erat eius impetus, & tam ingentes minæ iræ supernæ, vt etiam vitium caderent folia & pampini, non solum fructus. erat enim tunc tempus vindemiæ. Sed nec hæc quidẽ reprimebant amentis stultitiam. Sed cum non multum absuisset quin ille periret, ne sic quidem discebat sapere & se moderate gerere: neque volebat scire quanta superna gratia locupletatus esset Daniel. Sed anhelans, & madefactus cum iis qui circa eum erant aggressus, indignabatur, minabatur, clamabat. & deiicere sanctum aggrediebatur.

Sed postquam qui cum eo erant, ei quæ erant optima suggesserunt, dicentes nec esse columnam agro propinquam, & hinc ei nullam futuram molestiam: imo vero eum percepturum fructum multarum orationum, & ei futurum valde vtilem, cum sit bonus vicinus. Postquam hæc dixerũt, persuaserunt. & tunc quidem iussit descendere, pudore, vt arbitror, motus propter eos qui aderant, ne videretur frustra venisse. postea autem ei rursus pollicebatur ascensum: & cum rursus ascendisset, quantum voluisset mansurum. Cum autem columnæ admotis scalis, sanctus descenderet, & iam in sexto gradu pedem figeret, eum qui erat inflexibilis cœpit misericordia, dum illos videret pedes tanquam alias columnas: quos per totas noctes & dies stationes reddiderant tumidos & vlceratos & vulneribus plenos. Quæ ille cum stupore contemplatus, & sanctum adiurauit vt rursus rediret: & audacis sui cepti petiit veniam. Postea vero ei quoque columnam posuit excelsiorem, & crassitudine validiorem, basique & cæteris magnificentiorem: & de illius patientia & tolerantia Imperatorem reddidit certiorem Atque hęc quidem sufficerent quæ sunt plurima & maxima, ad sancti vitam ostendendam, & gratiam quam ipse à Deo erat assecutus. Oratio autem hęc parua esse considerans & tanquam elementa ac principia, quæ sunt his longe maiora properat declarare.

Venit paulopost quidam ad sanctum, Thrax quidem genere, ætate autem senex, qui ex scribendis contractibus sibi victum parabat, μονικον, id est legis peritum vocant Græci. Is filium ferens vnigenam qui à maligno detinebatur spiritu, cum eum posuisset ad columnam, & ei lachrymę fluebant ex oculis: & adiunxit verba lachrymis magis miserabilia. Vide

enim quam multas fletus habebat occasiones. naturam. canitiem. filij adolescentiam. q propter eum solum laboraret. q longe esset profectus & magni itineris labores esset perpessus, idq; cum esset puer Dæmoniacus & tanta esset eius vexatio & immoderatio. Et cum postremo addidisset, esse iam tricesimum diem ex quo nomen illius malignus clamaret spiritus: eius animus qui facile mouebatur misericordia, ipsius statim est misertus. Quidni enim misericordia mouendus erat Christi discipulus? Si tu ergo, inquit, credis fore vt per me sanetur tuus filius, dabitur tibi secundum fidem tuam. & simul eum iussit potari oleo 14 à sanctis qui illic erant. Quod cum factum esset, statim quidē eum humi iacit sæuum Dæmonium: eumq; valde laniat ac lacerat. Deinde magna voce cum luctu clamās, Egredior heu, inquit, egredior. Cum dies iam adesset octauus, vbi Dęmoniacus nigrum & concretum euomuisset sanguinem, gloriosi patris sanatus est precibus: & sanus & recte se habens suo patri est traditus. Ille autem cum accepisset filium, lingua quidē vtebatur ad agendas gratias: lachrymis vero ad lætitiam. Sunt enim etiam lætitiæ lachrymæ, quando summam animi ægritudinem summæ excipientes lætitiæ, nubemque premebat protinus depulerint: & naturali fluxione lachrymarum visæ fuerint cum voluptate. Sic puer non solum curatur à malo Dæmone: sed etiam continuo armatur aduersus Dæmones, cum pater post curationem eum 15 Deo consecrasset, & vt monasticum amictum & vitam susciperet effecisset: & medico corporis eum tradidisset, & rogasset vt esset etiam medicus animæ quie tiam purus ad purum accessit, omni mundanæ vitæ relicta vanitate. Hoc quidem fuit vnum eiusmodi. alterum autem eo non inferius.

14 *Potatione olei à sanctis, & orationibus, Daniel ab obsesso Dæmoniū expellit.*

15 *Per monachismum quis Deo cōsecratur, & cum noua uita nouus etiā amictus assumitur.*

Cuidam Cyro qui prius quidem fuit Præses, postea autem ascendit etiam ad sedem episcopalem ciuitatis in Phrygia cui nomen erat Cotyaium, & ab illo postea discesserat propter quadam motam aduersus eum calumniam, erat filia nomine Alexandria. Ea eodem modo erat affecta quo ille quidem prius diximus, & grauiter vexabatur à Dæmone. Eius ergo pater cum sanctus ei venisset in mentem, ad ipsum ducit filiam, naturali beneuolentiæ alium commiscens ardorem, nempe fidei. Simul atq; ergo sancti 16 manus eius capiti fuerunt impositæ, fugatus est spiritus: & quæ laborabat statim conspecta est sana. Porrò autem huic quoque miraculo fuit alterum coniunctum. Iam enim Cyrus sancto valde confidens, eius vtebatur gratia. Vnde etiam vxorem eius cui suorum agrorū fuerat mandata cura, quæ ipsa quoque erat Dæmoniaca, duxit ad ipsum. Neque eum sua fefellit fiducia. sed ea quoq; cum filia mundata fuit à rabie Dæmonis. Pro quibus is vtique magnas ei habens & agens gratias, erat enim vir doctus & humanis litteris eruditus, in posita illic columna epigramma postea insculpsit quod sic habet. Hic stat vir qui vndique impetitur, & ventos non timet: Ambrosio autem vtitur alimento & siti experte sanguinis: Actis vero radicibus fundauit ædificium columna duplici. Est autem radix Symeon. filium prædicans matris quæ non est experta nuptias. Sed hæc quidem sic.

16 *Sola manus impositione puellam à Dæmone obsessam liberat.*

Deinceps vero erat quidem dies 17 omnium dierum pręcipuus: Vir autem quidam ex iis qui prope Euxeinum pontum habitabant, venit afferens filium qui ipse quoque posidebatur quidem à Dæmone: sed erat

17 *Vides non omnes dies æquales esse, sed alium alio celebriorem?*

alioqui

alioqui & surdus & mutus: & qualem curasse Christum docent Euangelia. Cum autem columnæ iam appropinquarent filius cum patre, excutiens puerum Dæmon, & auellens eum ab iis qui ipsum tenebant, impulit eum ad scalas quæ tunc quidem fuerant admotæ columnæ. & ille quidem protinus ascēdebat scalas: Sanctus vero desuper aspiciens, Deum rogabat. Quomodo enim non à Dæmone è scalis proiectus, fuisset confractus, nisi is retinuisset Dæmonem precationem. Non ergo ei manus imposuit: neque fecit quæ aliis facere consueuerat. sed ille quidem precabatur superius. Puer autem cum esset adhuc inferius, & ad medias scalas nondum peruenisset, 18 sanitatem est assecutus. Cum vnus tantū fecero mentionem, aliorum suo tempore meminero. 18 *Et hic precationem tantum Dæmoniacū surdum & mutum sanat.*

Magnus leo qui Romanum quidem regebat imperium, naturam autē regere non poterat, sed proles ei deerat masculas quid facit? Confugit ad Deum omnium Dominum, apud ipsum Daniele vsus 19 intercessore. Ille verò paruit: & anno sequenti parituram esse vxorem protinus significauit. Res ergo vt dixerat succesit: & natura cessit precibus, non solum ad hoc vt daret filium: sed ad hoc etiam vt daret illo tempore quo sancti os diuinum prædixerat. Sic ille nō solum erat filius precationis: sed etiam per preces dabat aliis vt haberent filios. Idcirco eum remunerans Imperator, tertiæ columnæ ei iecit fundamentum. 19 *Ecce quomodo sancti sunt intercessores nostri apud Deum.*

Cum fama ergo sanctum vbique prędicaret, ad eum venit etiam Imperatrix Eudocia quæ nuper seruata ex Aphrica. & magnam quidem ei reuerentiam, multum autem tribuens honorem, & rogans ipsum vt de columna quidē descenderet, ad sua vero loca veniret & ea habitaret, Sunt autem, dicebat ea, mihi multa: & simul quidem amica silentio, & quæ possint aliam præbere consolationem. Ille vero bonam eius mentem accipiens & laudans, statuit non transmigrare: sed in eo loco perseuerare in quo fuerat à Christo plātatus: & virtutis radices in eo agere. & fructum conuenientem dare suo tempore. Cum hæc & alia dixisset eiusmodi, & benedictione eam impertiisset, emittit. Tunc autem transit ad columnam Gelasii. & simul cum columna, erat enim excelsior, ei quoque aucta est virtus: & vitæ institutum aggressus est excelsius. Non erant autem futura hæc tolerabilia, neque Diabolo, neque illius asseclis. Propterea ipse quidem ei rursus accendit fornacem tentationum. vsus est vero ministris Hæreticis qui erant Byzantij. Isti cum quandam sumpsissent mulierem ex meretricibus, quæ erat quidem genere Asiana, ei autem erat nomen Basiana, cum nauigasset vero Byzantium, improbum, proh dolor, quæstum faciebat suo corpore. Eam cum verbis decepissent, & promissa pecunia totam ad id quod volebant incitassent, efficiunt vt vadat ad sanctum. & vel illum vel vnum ex suis Discipulis ad amorem illiciat: & ad fœdam prouocet libidinem. Proficiscitur ergo impudica ad pudicum: impura anima ad mundam comitum secum ducens multitudinem: splēdida externa vtens specie & libidinosis gestibus: aureoq; amictu & alio intertexto ornatu arbitrata se allecturam & inescaturam illos oculos, qui nihil terrenum, nihil ex materia concretum dilexerunt. Manens autem in quodam agro qui erat ex aduerso columnæ & mandræ rationis compotum pecorum huius egregij pastoris Danielis, simulabat se ægrotare. vt si fieri posset, vel ipsi quidem sancto ęgrotationis animi causa esset. Sin mi-

nus,illius saltem Discipulis afferret perniciem.

Cum autem postquam longo tempore mansisset,inane & irritum erat callidum eius ceptum, descendit quidem ad eos qui miserant. Dicit vero execranda,& ea mentitur de sancto,quæ non solum magno illi nunquam in mentem venerunt,hoc enim ne qui valde quidem à mente discesit crediderit: sed nec vlli ex illius Discipulis. multum quidem abest. Hæc autē erant. Mei amore,dicebat,valde quidem captus erat Daniel: animo vero telum acceperat. & tandem cum iussisset suis Discipulis vt me sursum ad ipsum per scalas deducerent,ego autem, inquit,passa non essem, me occidendi consilium ceperunt,vt hæc lateret intemperantia. Et ecce vix manus eorum effugiens mihi fuga consului. Sic mentiente Mænade & ea dicente quæ probari non poterant, hæc verba illi attendentes, arripuerunt perinde ac verissima. Quæ enim volebant ea etiam vera putabantur: & ea ad alios transmittebant. Verumenimuero hic quoque erat idem Deus: & iustitia quæ neque potest vitari nec obliuioni mandari. Quid ergo accidit: & quomodo hæc dispensantur? Malus spiritus statim mittitur ad malam & mendacem fœminam: & inuitus inuitam cogit effari fraudem Hæreticorum in illam: & suum rursus mendacium & machinationem. Cum eam ergo accepissent ciues, & ad sanctum duxissent, rogabant sanctum vt curaret. Ille autē verus Christi discipulus qui dixit septuagesies sexies oportere fratribus remittere debita, & diligere inimicos, ambo simul præcepta vna executus est actione. illud quidem, condonando iniuriam. hoc vero miserendo calamitatis: imo verò eam plene erigendo et sanitati restituendo. Nam cum oratione vsus, eam oleo 20 sanctorum tanq̃ salutari aliquo potasset medicamento, malum quidem spiritum,tan quam aliquid venenatum,statim expellit:eam autem quę laborabat,suis sanam reddit. Quæ etiam illius complexa columnam, magnas quidem agens gratias: & deinceps multa Deo promittens. vt quæ duplicem morbum effugisset. non solum eum qui apparebat, & damnum afferebat rei quæ videbatur: sed multo magis eum qui latebat, eratq; voluntarius & sua sponte susceptus,& animam immortalē punire poterat immortaliter.

20 Oratione & olei sanctorum potatione calumniatricem meretriculam sanctus à Dæmone liberat.

Non solū autem morbum qui modo inciderat poterat curare sanctus: sed etiam ritu bonorum medicorum, & futurum nosse, & quod erat euenturum prophetice & videre & dicere,certissima poterat coniectura. Magnam quidem certe vrbem magnas adorturas esse minas cum à superis accepisset reuelationem,eam Episcopo significat Gennadio, iubens contentione vti precatione. Quinetiam Imperatori Leoni prædicit similia. & bis in hebdomada iubet communes fieri supplicationes. Sic enim eis pollicetur iram Dei futuram mitiorem. Atque ij quidem sancti præceptis contemptui habitis, erant ipsa intellecturi experientia, ea quæ multitudo peccatorum effecit vt ad effectum deducerentur. Procedens autē id declarabit oratio. Qm̃ autem diuini quoq; agni sacrificatorem oportebat esse Danielem qui iam ei prius sacrificauerat & corpus & animā, è superis quidem mouet Imperatorem spiritus: mouet autem Gēnadium quoq; Imperator: & ad eū scribit vt acceptis multis ex ecclesia, veniat ad magnum Danielem, & eum consummet ordine sacerdotali. Cum is vero hæc fecisset, qui præuidendi quidem futura magnam habebat potestatem, primum quidem spiritu præcognoscit futurum ad se aduentum.

Deinde cum ille iam venisset ad columnam, dixit se iampridem desiderasse ad eum ascendere: sed curas prohibuisse ecclesiasticas ne finem imponeret suo desiderio. nunc autem venire vt & ipsum videret, eiusq; precibus frueretur & sermonibus. Rogabat vero vt scalæ quoq; adhiberẽtur. Frustra, inquit ei prædicendi magna vi præditus Daniel, hunc laborẽ vt susciperes procurauit, qui te ad nos mouit. Hoc simul & stuporem & metum affert Sacerdoti. Stuporem quidem, quonammodo sic eius cognouit aduentum. Timorem autem quod mens eius magno erat Danieli manifesta. Neque enim nisi coactus fuisset ab Imperatore, ad eum vnquam venire annuisset.

Cùm autem & Episcopus, & qui sequebantur Episcopum, multũm rogauissent vt admouerentur scalæ & ad eũ ascenderet, prohibebat vero inuictus Daniel, imminebat autem iam Sol mediis eorum capitibus, calidis eos feriens radiis, & videbat Episcopus multitudinem siti & æstu torreri, iubet inferius quidem Archidiacono preces dicere consuetus. Ipse autem cum esset precatus, ordinat 21 magnum Danielem etiam non præsentem, Presbyterum, & simul multitudo de eo qui erat vere dignus clamabat, dignus. Cum sic Patriarcha Gẽnadius Danielem nominasset sacerdotem: & ecce, dixisset, & tibi populus iustam de more propterea emisit vocem: & Deus desuper tibi per me manum imposuit: & omnia, vt semel dicam, suscepisti signa sacerdotij. Restat ergo vt scalæ admoueantur columnæ: vt sis etiam sacri particeps sacrificij: & Deo vocanti omnino cedas. Tunc cum beatus cognouisset Daniel hæc non fieri sine Dei numine: sed ei quoq; grata esse & accepta quæ facta sunt, iubet poni scalas: & cœlestem margaritam, diuinam inquam, communionem & dat & accipit. Deinde cum etiam fecisset alia omnia quæ solent fieri à sacerdotibus, & precatus esset pro multitudine, eos dimisit lætantes simul & admirantes. partim quidem propter pręscientiam & vere laudabilem timiditatem: partim autem quod vix quidem, persuadetur tamen ipse quidem accipere sacerdotium, illis vero præbere preces & benedictionem. Hæc Imperatori quoque significantur: & simili eum replent lætitia & admiratione.

21 Hic tria habes notatu digna. Presbyteros ab Episcopis ordinari. Ordinari autẽ cum certa precum forma & manuum impositione. Populum solere testificari ordinandum esse dignum.

Cum non ergo ingentes qui sunt imperij proprij sumpsisset spiritus, sed didicisset quantum sit virtus imperio præstantior, ipse quoque ad eũ ascendit. & perinde ac si regium fastum & supercilium reliquisset inferius & se exuisset, se quidem humi 22 prosternit: tangit autem sacros illius pedes, quasi hæc faciendo magis honoraretur quam q; esset Imperator. Quos cum tetigisset, impletur admiratione sicut prius Gelasius. erant.n. illi pedes valde tumentes & omnino scatentes vlceribus. eratq; simul horribile & miserabile illos videre & tangere. Tunc ergo Imperator donat eum basi geminarum columnarum, quas ipse posuit, duplicem eam columnam nominans. Quam ascendens lætabatur Daniel. Nam & illa erat sublimior altitudine: & hæc etiam extendebatur ad exercitationem ęstate quidem ardentius eum sole feriente: hyeme autem acre frigidius. Cum vero & vis ventorum niuisq; & grandinis vehementer impeteret, & violentiam ostenderent minimè tolerabilem, certè multa consequebantur miracula. quæ quidem mihi vitanti prolixitatem orationis non sunt omnia dictu facilia; sed solum quæ sunt præcipua vt sum pol-

22 Hæc Imperatoris humiliatio ostendit sacerdotium esse imperio sublimius.

licitus. Quod autem nec si velim quidem possum prętertire, hoc nunc, quã tum potero assequi oratione, conabor narrare.

Iampridem quidem principium habebat anni ambitus: & mensis instabat quem Romani vocant Septembrem, in quo magni Martyis Mę-

23 *Festum sancti Mamantis martyris.*

mantis 23 festum pij celebrant. Vespere ergo quando festum à piis prę paratur & tota 24 nocte agitur vigilia, finem accipit magni Danielis prophetia: & repente in maxima & regia ciuitate incipit incẽdium, quod

24 *Vides quomodo ante sanctorum festa tota nocte uigiliæ ducebãtur pparatoriæ.*

vsque adeò est excitatum & adeò inualuit, vt ferè vniuersam contriuerit ciuitatem. Nam cœpit quidem à muro qui est propter mare, quem etiam nominant nauale. peruenit autem vsque ad forum Constãtini, & pertigit ad portum Iuliani: quasi mediam cinxisset ciuitatem. Quo in loco & comprehensa sunt vniuersa corpora: quæcũque vero fuere comprehensa facile perierunt. & sic pastus ignis in maximam creuit flammam. eratq; malum inexpugnabile. quippe cum quidquid ad opem ferendam afferebatur, argueretur nihil proficere. Quapropter multas quidem domos, multa autem templa, virorumq; & mulierum proserpsit depascens multitudinem. multi vero, partibus & membris corporis, quę inuaserat ignis, statim mutilabantur: erantq; semiustulati & media parte cæsi, miserabiliores iis qui omnino cum suis perierant. Erat ergo periculum ne quod vulgo celebratur orbis terræ miraculum, Constantini, inquam, ciuitas, cerneretur pati similia incendio Sodomorum. Vix tandem, vt in tanto malo, eis venit in mentem sancti Danielis prædictio. & credunt fore vt illius solum precibus malum vincatur. Hinc factum est vt ad eum magna celeritate currerent, ille quidem pecuniæ deflens priuationem: hic seruorum: alius domus: alius amicorum: & hic quidem cognatorum: ille verò vxoris & suorum filiorum: alius autem omnium facultatum. Propter quæ sanctum tanto dolore affecere, vt totus repletus lachrymis, eos damnaret negligentiæ, quod ipso eis multum testificante & prædicente, malum pœnitentia vitare non curarint. vt qui in patiendo solum fuerint Nineuitæ, non etiam in pœnitendo. Hæc dicens, illis quidem sic suadebat

25 *Sanctus pro auertendo incẽdio Byzantinis orationẽ indixit & ieiunium. Ipse quoque manus ad cœlum tollens, orauit & impetrauit.*

curam gerere 25 orationis & ieiunij. Quinetiam ipse quoque manus in cœlum tollens, illinc implorabat auxilium. & post orationem cum eis dixisset finem calamitatis, eos dimisit. Post septem, inquit, dies cessabunt minæ ignis. Sic ille dixit: & res est consecuta. Septimo enim die non erat amplius ignis. Tunc & alios, & eos qui gerebant magistratus, quinetiam ipsum Imperatorem incessit metus. & secum assumpta Imperatrice, fit supplex beato Danieli. pro eo quidem quod præterierat misericordiam, securitatem autem in futurum postulans.

Atque iam quidem post autumnalem conuersionem mutato tempore erat hyems. & hyems maior q; vt eam possit explicare oratio, quæ tamen superabatur ab inuicto generosi animo. cadebant autem imbres plurimi. & ventorum erat procella vehemens. Venti vero etiam inter se agitabant seditionem: & multi simul spirabant & adeò violenti & immanes, vt ferreas ensas columnarum, quæ duas columnas inter se committebant & coniungebant, & Danielem in alto ferebant, violenter auellerent: ille autem in parua sola contineretur columnella quæ inter eas erat iniecta. Simul ergo & procella irruebat, & conquassabantur columnæ: & iustus superne tanq̃ ramus arboris huc & illuc circũferebatur & flatu

circũ-

circũagebatur. Inferius autem vociferebantur Discipuli lachrymantes: & in illum solum conuertebãt oculos. & vna eis erat acerba expectatio, patris eorum priuatio. Sed non itidem lababat spes Danielis in Dominum: sed super hanc firmam petram fundatus beatus: nemini quidquam loquens: neq; si hoc euenerit pertimescens, Quid enim ei graue erat mori, cui hic manere Dauidi congruenter, erat carcer? perseuerabat mentem sursum erigere & orare, Clamauit ergo iustus, & Dominus statim exaudiuit eum. & desuper è cœlo sicut è naui prius ventos increpat. & repẽte tranquillitas fuit & serenitas. Et ventorum quidem res ita habuit.

Cum autem non spiritus solum, sed etiam quosdam ex iis qui Arriana laborabant insania, cöerceri oporteret à perturbatione: hoc quoque prudentissime, vt consueuerat, per illum prouidetur. Et videte q̃ vario vti consilio & multiplici dispensatione, & alia per alia contexere sæpe scit prouidentia. Nouerat Imperator quæ iusto Danieli acciderant: & contendit ad videndam columnam, partim quidem pœnas sumpturus de iis qui ansas non effecerant firmas & validas. partim vero vt eas tuto de cætero committeret. Sed illos quidem magni Danielis mansuetudo eripit à minis Imperatoris, mortem eis minantis. Descendenti autem de mõte Imperatori non paruum accidit periculum. Nam cum quidam metus equum forte fortuna perturbasset quem ipse ascenderat, isq; conterritus pedes erexisset anteriores, supinus quidem statim humi iacebat equus, supinus autem etiam cum eo Imperator: id vero quod antè stabat super stellam regiam, frontem contriuit Imperatori. & quæ erat in capite coronam procul expellit. Quo tempore contingit eas quæ erãt in ipsa margaritas, aliam alio dispergi. Sed Daniel quoque cum 26 oratione præuenisset malignum, à mala morte seruat Imperatorem. & sic reuersus fuit sine periculo. Sed hoc in loco est caput narrationis: & q̃uo nouit prouidentia admirabili vti consilio & dispensatione.

26 *Oratione sanctus à mala morte seruat Imperatorem.*

Equiso Imperatoris, aut vt eum vulgaris & consueta lingua vocat, Comes equorũ, omni quidem anteriori tempore laborabat nefaria Arrij insania. Tunc autem & Imperatoris timens periculum, & ne quod acciderat ei iram conciliaret, cursu venit ad sanctum. Ille vero non solum eũ metu ab Imperatore, sed etiam mala est pollicitus se esse liberaturũ opinione, quæ est quouis alio periculo grauior. Hæc audiuit Equiso & cum mitibus ac placidis eius suasionibus opinionem Arrij abiurasset, ea sentit quæ Orthodoxi. Atque sanctus quidem scribit ad Imperatorem, q & Iordanes abnegata deceptione, in rectis incedit dogmatibus: & q vel propter hoc ipsum est iustissimus. Quinetiam huc ad me venit vt à te veniam consequeretur. Ille autem contrà rescribit. Periculi quidem mei causa non alius fuit q̃ ipse mihi qui sic ausus sim ascendere ante tuos oculos, & non pedes procul abij à sacra columna. Hoc autem deinceps diligenter cauebo. Iordani vero non modo non irascor: vt etiam valde lętet q meus ex equo casus ei causa fuerit vt qui iacebat surgeret. De cætero autem tanta erat Imperatoris in sanctum reuerentia, vt non solum ipse honoraret eum iis quæ oportebat: sed etiam aliis eum tanquam rem cœlestem ostenderet.

Itaque cum paulopost contigisset Regem Lazorum venire ad Imperatorem Romanorum causa faciẽdi fœderis, aliis quidem pretermissis,

eum vero accipiens & ducens ad sanctum, Hoc est, inquit, mei imperij miraculum. Ille autem vsque adeo obstupuit eius videns tolerantiam atque fortitudinem, vt non solum sanctum sed etiam 27 columnam in qua erat positus cum lachrymis adorans, multas voces emitteret barbarus, valde eruditæ mentis & quæ multa didicerat. Ago tibi gratias, dicens, Rex cœlestis, quod mihi qui ad terrenum Regem veneram, cœlestem huius viri vitam ostenderis: & dignum me censueris qui essem spectator talium mysteriorum. Adeò autem vtrisque magnus ille visus est dignus admiratione, vt ambo illum ad definienda fœdera arbitrum constituerent. Porro autem cũ domum reuertisset Gubazius Rex Lazorum, & subiectis sibi populis narrabat miraculum: & sancti semper meminerat: neque vnquam mittebat Bysantium quin ad eum quoque scriberet litteras, quæ non terminabantur solis salutationibus, sed etiam plurimi faciebant eius meminisse, & rogabant vt oraret pro suo regno. Adeò stupebant oẽs iusti tolerantiam, & propinqui & hospites: & priuati & Reges: & Romani & barbari. & accedentes accedebant tanquam ad Angelum: & abeuntes eius inuocabant 28 auxilium: & precibus ab eo aliquid petebant & impetrabant.

27 *Vides quomodo etiã res externæ sanctorũ sacræ sunt, & uenerabiles regibus quoque existunt.*

28 *Nota sancti inuocabant auxilium, & precibus aliquid ab eo petebant, & impetrabant.*

Atque sufficiunt quidem ea quæ nuper dicta sunt ad significandam illius fortitudinem: & quod quæ ab eo suscipiebantur certamina, erant maiora quàm vt homini conuenirent. Quoniam autem hoc maxime studeo, nihil prætermittere eorum quæ sunt præcipua, adiiciam iis quæ dicta sunt maius quiddam, quod attinet ad fortitudinem & tolerantiam, & ad eum admirandum qui dedit illi vires. Erat hiems, eaque glacialis & valde aspera: vehementes vero rursus ventorum procellæ & grauiores præcedentibus, simul autem cum vento densa quoque nix decidebat. Venti itaque vehementius ingruentes, ei expelle confectam 29 cucullam flando expellũt: & in vallem quandam subiectam iaculantur. Cum ventis autem multa quoque nix & frigida eius faciem impetebat. Ille autem, neque enim habebat tectum ad quod cõfugeret, tota nocte, ò inuictam animam, omnia suffert vinculis corporis, temporis acerbitatem. niuem. ventos. asperam circa auroram concretionem & conglaciationem. Apparebat dies, & malum non cessabat, sed magis inualescebat, & hyems intendebatur. Discipuli autem nullo modo poterant è porta prospicere. neque erat vllus qui ei opem ferret. Totum ergo illum diem & sequentem noctem quæ fuit multo acerbior, hic vir generosus fortiter & constanter pertulit. Iam tertius quidem erat dies tempestatis: desierat vero effera glacies. & cum scalas admonuissent qui erant feruentiores ex Discipulis, & propere ascendissent, videns ò Domine Deus, horrendum spectaculum, & quod antequam vidissent quidem, ab eis expectabatur, ipso tamen aspectu visum est terribilius. sanctum amictu quidem iam nudatum: glacie vero omni ex parte comprehensum, & capite, & facie, & reliquis partibus corporis. neque hoc solum, sed etiam ipso corpore omnino concretum, & in glaciẽ, si frigus spectes & concretionem, conuersum eum quis glacialem hominem nominauerit, Quid enim aliud? aut mortuum, quod existimaretur ne posse quidem spirare. Cum calidis ergo aquis soluissent glaciem: quinetiam corpus aspersissent, & spongiis abstersissent: postquam ille ad se rediisset, & tanquam à morte suscitatus spiritum recepisset, vocem quoque

29 *Ecce quomodo etiã antiqui monachi utebantur cuculla.*

accepit, & dixit. Cur, inquit, mihi vultis exhibere negotium: & suauiter dormientem vexatis? Nam cum modo Domini inuocarem auxilium, accidit mihi vt parum dormitarem. Cæterum bene sit vobis ò filij, qui patris tantam curam geritis. Date autem mihi, inquit, quo me induam. erubescens, vt arbitror, propter nuditatem, non autem calore indigēs. Illi vero alium amictum ad eum attulerunt & eum induerunt, tunica diuinæ lætitiæ indutum, vt dicam cum Propheta.

Postea autem multum eum rogante & obsecrante Christi amante Imperatore, hęc enim ad eum vsque peruenerunt, & dicente. Si nō tua causa, at nostra & nostræ vtilitatis, parce istis nimis præcipitibus & proiectis periculis: & ne tibi ipsi mortem propemodum consciscens, & nos orbos relinquas, & ipse te ante tempus videaris è vita educere. Hęc & his plura dicente Imperatore & rogante, & pedes simul prehensante, vix sustinuit vt sibi paruum saltem fieret tectum, reueritus lacrymas Imperatoris. Hoc quidem iam à me dictum est, nihilominus tamen nunc quoque dicam. Nullum erat nec videbatur Imperatori maius miraculum magni Danielis tolerantia & vita. Omnes ergo qui apud eum fungebantur legatione, siue essent Reges, siue legati, aliquos quidem per alios, alios verò etiam per se deduxit ad sanctum. Illi vero magis stupebant videntes q̃ audientes: & sic redibant benedicentes, & anima effecti meliores. Quòd autem vt futura quoque videret tanquam iam præsentia à superis acceperat, à me quidem iam sępe superius ostensum est. Est vero huius quoq; rei manifestum indicium. Quædam fama in omnes partes manabat, Gezerichum Regem Vandalorum bellum gerere aduersus Romanos magno apparatu & maiore audacia: & q̄ iam cum magna manu peruenit Alexandriam, eam sibi volens belli facere præmium. Non parum ergo animo angebantur magistratus & ipse Imperator. qui etiam cito currit ad consuetum medicamentum animi ægritudinis: & sancto famam significat. Ille vero tanquam non præuidens, sed iam videns, oculis ea quæ erant euentura, dixit protinus, non solum Gezerichum Alexandriam non esse occupaturum: sed in omnibus etiam aliis, re infecta domum esse reuersurum. Oino nihil opus est adiicere id quod euenit iis qui virum norunt. Factum est enim non multo pòst sicut diuina Danielis lingua pręd[i]xit.

Propter hæc ergo & multa alia his admirabiliora, volens Imperator magnum remunerari Danielem, q̄m alia ratione non licebat, rogat vt fiat saltem domūcula illius Discipulis. vt habeant, inquit, suo corpori habitationem. Sanctus vero si dixisti quidem, inquit, de extruendo ædificio, non potest id mihi esse gratum. Neq; enim beato Symeoni hoc vnquam adfuit. Tu autem si velis facere mihi rem gratam, festina huc adducere illius reliquias: & rem mihi gratissimam acceptam tibi feram. Tūc lubens iubet Imperator, tum vt sacro 30 domus ædificetur Symeoni, ante columnam Danielis, ad boream: tum vero vt domus quoq; fierent hospitibus qui ad montem ascendebant, & magni Danielis discipulis, etsi ei sanctus tunc multum prohiberet. Cum autem qui missi fuerant Antiochiam, sic iubente Imperatore reliquias attulissent, significat quidem magnus Daniel Episcopo vrbis, vt prædicet & publice annuntiet exportationem tabernaculi: & vt ipse sedeat in vehiculo Imperatoris, sinu tenēs reliquias; & sic iter faciat 31 cum psalmis & hymnis. & cum eas dedu-

30 *Ecce quomodo domū sacrā imperator beato Symeoni ædificat.*

31 *Vides quomodo cum*

psalmis & hymnis maximoq; apparatu & populi frequētia sacras beati Symeonis reliquias deduxerint Imperator & Epus, quoque miracula per eas in transitu facere cō spectus sit dominus.

xerit ad templum militiæ principis Michaelis, illic diuinam celebrent mystagogiam. Quæ cum peragerentur, & magno & splendidissimo comitatu deducerentur, multa p ipsa in transitu facere miracula conspectus est Dominus. quæ quidem sigillatim omnino narrare non est præsentis temporis. Postquam autem finem acceperunt ea quæ pertinebant ad reliquias, & ipse Sacerdos & omnes qui simul consequebantur, cum gaudio ad sanctum ascenderunt, maximas suauissima anima in eos verbis effudit gratias: & mellis plurimum re uera scatere fecit in illorum animis, de amore in pauperes & in fratres, de charitate & iudicio & remuneratione, & de aliis huiusmodi, apud eos verba faciens.

Non solum autem in iis quæ ipse faciebat, ostendebat præstantiam suæ virtutis: sed etiam in iis quæ patiebantur ij qui non erubescebant eū maledictis insequi. Cum quidam certè aliquando ex iis qui ad eum accedebant, fuerat vero is lapsus in vera religione, sanctum maledictis incessesseret: & qui aderant & audiebant, eum increparent, ipse cum manu intra indumentum iniecisset, & pissem assatum eduxisset. Ecce, inquit, hūc & alios multos comedebat qui vestro iudicio est abtinēs. Statim autem iustitia virum est persecuta. Postquam enim & ipse paulopost re uera de pisce comedit, vxoriq; eum dedit & liberis comedendum, eos inuadit furor: & à Dæmone possessi conspecti sunt ab omnibus. Qui ergo aderant cum causam sensissent, duplicem furorem miserāti, eos accipiunt & ducūt ad sanctum. Ille vero cum non solum esset mitis erga peccatores, sed etiā calamitates conuerteret in contrarium: postquam vidit confitentes, precatus, eos liberauit à furore, & à grauiore Dæmone, nempe à mala opinione. Qui etiam postea tantum fructum acceperunt ex eius curatione, vt volentes esse descriptam suam gratiarum actionem, ex argento illius

32 figuram effinxerint: & seipsos sub eius pedibus posuerint: & nomen scripserint: & gratiarum actionem adscripserint: & militiæ principis templo dedicauerint. In beati autem Danielis labris tanta erat salutaris persuasio: & eius oratio propemodum ęque ac vita poterat delinire animū: & persuadere vt viam angustam eligerent: vt non solum eos qui ad hoc ipsum ad eum ascendebant, aut erant alioqui mites & mansueti, flere & eius magno amore capi persuaderet: sed eos ipsos qui erant etiam impudentes & agrestes similiter afficeret. Huius aūt rei apertum est indicium.

32 Quid modo garriūt noui hæretici? Videant etiam olim tabellas argēteas cum imaginibus sanctorum & personarum à morbis liberatarū solitas in templis appendi, in beneficiorū receptorum memoriam.

Quidam nomine Edranus, genere Galata, fortis alioqui & manu strenuus, in sanguine & bellis educatus, qui etiam in multis locis se præclarissime gesserat, & suo imperio parentes habebat multos, & eos omnes in bello fortes. Eius fama peruenit vsque ad aures Imperatoris. Is autem cum illum & eos qui eius parebant imperio accersiuisset, eos quidem aliis afficit honoribus: illi vero tradit curam suorum equorum. solet is vocari Comes sicut superius diximus. Porrò autem ipsum quoque mittit, vt solebat, ad magnum videndum Danielem, & accipiendam eius benedictionem. Cum vero ad eum venisset: & eius vitam didicisset: & sermonibus ea quæ vere erant vtilia doctus esset: & diuina quadam mutatus esset mutatione: & ex lupo in ouem esset conuersus, militias quidem & bella & honores Imperatoris multum valere iussit. & qui toto ante tempore ad sanguinem & cædem erat exercitatus, & quid aliud quam miles, idq; barbarus, is repente Philosophus & mitis Christi erat discipulus: & rogabat

bat vt referretur in numerum eius Discipulorum. Postquam autẽ vidit magnum Danielem suis precibus annuere, illius Discipulus fit doctor multorum aliorum. & cum omnes qui erant cum ipso aduocasset, familiares & notos & qui alioqui ad eum attinebant, suadet illis vt eadem qua ipse via ingrederetur. Adhortatio vero fuit eiusmodi quæ posset vel cum lingua certare oratorum, & ferre victoriam. Eius ego memoriæ mãdabo quæ sunt iucundissima. & scio fore vt ea quoque vobis placeant.

Ego, inquit, statui deinceps Regi militare cœlesti. Mihi enim persuasi nihil profuturum homini, si totum mundum lucrifaciat, & damnum suæ animæ patiatur. Quod non autem ad nos ex bello lucrum redit, nisi omnino gladij, cædes sanguis & strages? Quænam vero in his non inest calamitas, & præterea detrimentum animæ? In quibus & qui cecidit, iuste cecidit. Quid enim bellum gerebat cum iis qui sunt eiusdem generis? & qui interficit, est omnnio parricida & execrandus. Cur enim proter pecuniam aut manem gloriam tantum facinus ausus est suscipere? Sed leones quidem ò homines, & pardi, & lupi, & si quid est his agrestius, nunquam commune inter se bellum gerunt. Nobis autem quibus natura adest mãsuetudo, & oratio quæ comprimit feritatem quæ est præter naturã: quinetiam mouet misericordiam, & communem naturam reuocat in memomoriam: ante omnia vero, quibus, vt neque iniuriam faciamus, neque cõtradicamus omnino si nobis fiat iniuria, est maximum præceptum. idq́ cum prope habeamus exemplar, illum ipsum scilicet nostrum Dominum: qui cum traheretur ad cædem, sequebatur, atqui quanta est differentia inter Dominum & seruum? quomodo hæc se recte habent, quando & si hæc non faciamus multas habemus remunerationes: si faciamus autem, multa supplicia. Quòd si etiam oportet vicissim inuadere eos qui nos inuadũt, oportet omnino magnam manum & excelsam inuocare ad nos defendẽdos ac vindicandos: vt sic nos potius facientes ea quæ ille præcipit, vehementiores plagas imponamus inimicis. Hæc ergo si vultis finite: mecum autem manete: & vitam quæ est ex Deo eligamus. Sin minus, vnusquisq́ viam suam ineat. Nullam ego maiorem imponam, necessitatem, in hoc quoque Christum sequẽs, qui cum nos multis quoque aliis honorasset, primum honorauit libero arbitrio.

Hæc etsi non videantur esse barbari hominis, si quis tamen reputauerit gratiam diuini spiritus, & ꝙ is dignus esset eam assequi, inuenies omnino eum potuisse hæc dicere & his excelsiora. Mox autem ostensa est etiam vis suasionis. Duobus enim barbaris qui diuinam doctrinã ne auditione quidem acceperant, persuasit, vt omnibus dimissis simul cum eo viuerẽt. aliis vero cũ dedisset pecunias ex iis quas habebat, & eos valere iussisset, permisit vt irent quo vellent. Ille autem & qui cum eo erant, renunciationis, sacram 33 sequentes regulam, habitum Monachorum sancti manibus accipiunt. & Edranus mutato nomine pie vocatur Titus. Neque verò ipse Imperator ignorauit id quod factum fuerat. sed cum resciuisset, id ægreferebat. & mittit qui Edrano exprobret eius recessum. Postquam autem qui missus fuerat, cognouit illum immutabilem, & fuit hoc etiam sancti litteris cõfirmatum, desperato redditu statuit nihil amplius addere. Ipsum vero Titum tãtus subiit magni zelus & imitatio, vt illius etiam nutrimentũ curiose inquireret; & magni faceret scire quidnam comederet.

33 *Qui vere monachus fit, prius omnibus quæ possidet renunciat, deinde monachorum habitum accipit.*

34 & quoniam non videbat, aliis 34 fratribus post cantica vespertina se ad quietem conferentibus, ipse clam egrediens è dormitorio, latebat post columnas. & sanctum curiose indagans, prębuit fratribus speciem quandam & opinionem socordiæ. Sed cum totis septem diebus nihil amplius resciuit, cogitationem suam sancto aperit: & rogat vt dicat an quid comedat & bibat. Cum is autem se comedere quidem & bibere affirmasset: sed adiecisset. Tanto vtor alimento, quantum sufficit ad vinculum corporis continendum. Non enim viuimus gratia deliciarum: sed potius nutrimur vt possimus viuere, illi quidem adoratione suam significans submissionē, abiit. Dæ cætero autem in cibo & somno tanta cautione vsus est & obseruatione, vt cibi quidem tantum sumeret quantum sufficit ad viuendū.

Nota aliis fratribus post cantica uespertina se ad quietem conferentibus.

Aduersus somnum autem qualem ostendit generosus hic vir decertationem? Cum se funibus ab axillis medium suspēdisset in aëre, ad pectus extendit tabulam: & librum imponit tabulæ. vt vtrunque faceret, nempe vt & sic suspensus posset legere: & si à labore aliquando oporteret ad somnum conuerti, tabula caput exciperet, parum consolans vim naturæ. Atque erat ipse quoque Titus Imperatori charus propter virtutem. & quando ad sanctum ascēdebat Imperator, ad ipsum quoque ibat & redibat, ex eo magnam capiens vtilitatem. Atque ille quidem cum sic vitam instituisset, in pace ibidem obdormiit. Non solum autem ipse sic aspexit ad virtutem, sed vnus quoque ex eius famulis, nomine Anatolius, qui illo viuente vna cum eo ferebat iugum vitæ ex Christo agendæ: & eo abscedente adhuc magis virtutem exercuit: & multos alios participes fecit vtilitatis. Sic spiritalis patris in triplici prole conseruabatur gratia. & sic fuit genus fertile, quod ad virtutē attinet Anatolio. Duodecim enim discipuli ei chorum implebant, parem illi zelum spirantes ad ea quæ sunt pulchra & honesta. & ei postea sacra ædes constituitur & monasterium: & vir erat clarus & insignis. Sed hæc quidem hactenus.

Nobis autem reuertendum est vnde digressi sumus. quænam sunt ea quæ postea facta sunt ab admirabili Daniele: & quibusnam miraculis vitæ conuenienter effectus est gloriosus. Imperator quidem leo, suam filiam Ariadnam iam nubilem coniūgit matrimonio Zenoni Isaurico: & nuptiali eum honore cōsulatus afficit. Deinde etiam eum mittit aduersus barbaros qui populabātur Thraciam. Ille autem simul cum iis qui eius imperio parebant principibus, ad velox auxilium, nempe beatum ascendit Danielem. Ille verò prophetice effatur. & prædicit illæsum reuersurū Zenonē: & aliquos quidem esse ei postea structuros insidias: eum autem insidiis fore superiorem. Sufficiebant hæc quidem: & nihil amplius dicere oportebat, sed ex iis quæ præcesserunt, quod hæc quoque ita vt dixit facta sunt, certo scire. Dicentur tamen hæc quoque sigillatim. apud pias enim aures habetur oratio, & quę omnia scire sitiunt. Iam quidē ex hominibus leo excesserat Imperator: & filius ex Zenone susceptus, paruus, inquam, leo, qui etiam ab auo fuerat renuntiatus Imperator, quoniam propter nimis teneram non erat omnino aptus ad tantum administrandum imperium, Zeno pater pueri, à senatu ad sceptrū est perductus. Huic ergo Zenoni, eius quidem in imperio collega filius statim decessit. imperium autem ad solum patrem redit. Omnibus vero rebus Romanis quietis ac tranquillis, grauis in eum exarsit inuidia à cognatis: & vt dicam cum

Propheta, iniquo odio oderant ipsum. Insidiatores autem erant Armatus & Basiliscus. Cum ergo sæpe Zeno sensisset insidias, omne quidem aliud despicit auxilium: ascendit autem ad sanctum, & ei renunciat vniuersum. Ille vero quid non ei prædixit eorum quæ erant euentura? Quid vero non factum est eorum quæ prædicta fuerant? Prædixit quidem fore vt ex imperio expelleretur: & in exilio aleretur: & præ cibi inopia herba vesceretur: & ab iis qui ipsum oderant postea reuocaretur: & ad imperium reuerteretur: & in eo vitæ finem acciperet. Ille autem cum primum quidem prædicti, ab Imperatrice Verina incitati, ei struebant insidias, lubēs cessit imperio, sciens fieri non posse aliter. ei ad fugam opem ferente nocte & multo imbre. & cum Ponti fretum clam transmisisset, cum vxore venit in Isauriam.

Sed cum ad hunc locum peruenit oratio, nescio quo me vertam: cum me multa simul vocent & vicissim trahant, quæ sunt & vtilitate paria, & ordine æqualia. Multa enim à magno Daniele simul præclare gerebātur. & simul effecta reddebantur ea quæ prædixerat: & ipse in acie stabat pro veritate. Vtrum ergo sunt illa an hæc narranda. Existimo prædictionum vos quidem iam cepisse satietatem, neque plures cupere: eius autem zelum pro pietate requirere. Sceptra quidem, vt dictum est, arripit Basiliscus. horribiliter vero statim sibilat aduersus Dei ecclesiam. & de carnis à Christo susceptæ dispensatione, nugatur quædam blasphema & adulterina. Acacium autem qui tunc sedem tenebat Pontificalem, qui rectam quidem defendebat rationem: illius autem dogmatum tempestati, spiritus feruore, & dicendi libertate, vehemēter resistebat, vult iniqua morte multare. Hoc cum multos quidem congregasset ex iis qui vitam agunt solitariam, & ex iis qui promiscue viuunt & communiter, & grex concurrisset vniuersus, seruauit pastorem qui ne periret veniebat in periculum. Decretum fuerat magnum quoque Danielem vocare in auxilium: & viro miti Sacerdos Imperatoris rabiem significat. Cum autem qui erat sapiens ad malefaciendū, hoc cognouisset Imperator, ipse quoque Danieli significat hunc ipsum potius Sacerdotem fuisse causam huius tumultus. Nam & facit ciuitatem aduersus me insurgere: & milites corrumpit ac peruertit: & in me maledicta congerit: & probra inurit: & aduersus me facit innumerabilia. Quocirca oportet te, aiebat, precibus tuis Imperatori potius opem ferre contra Episcopum.

Sed hic mihi consideret aliquis, admirabilis Danielis & in discernendo summam sapientiam, & in dimicando pro Christo fortitudinem & generositatem. Quorum illud quidem ostendit in deprehendendo maleficio. hoc verò ꝙ non solum probro affecerit eum qui susceptam à vero Deo humanitatem probro afficiebat: sed etiam maximas minas in eum intenderit, & prophetice ei effatus sit. Disrumpens, inquit, disrumpet Deus regnum tuum: & alia adiecerit quæ cor eius vsque adeò poterant mordere & tangere, vt nec ille quidem qui minister erat futurus verborum, ausus fuerit hæc ore renunciare Imperatori: sed à magno petierit, vt litteris iisqꝫ obsignatis hęc significarentur Imperatori. Et sic ille quidem recessit. Pōtifex autem cum omnes ferè eximios congregasset Episcopos, mittit ad magnum Danielem, eum adhortās vt suum pro Christo daret auxilium. dicens illius esse solius linguæ & virtutis aduersus adeò absurdam depu-

gnare blasphemiam: & suscipere bellum pro ecclesia. Atque isti quidem profecti hęc significarunt. Quoniam vero sancto erat valde difficile è columna descendere, & renuebat, quid rursus machinatur Patriarcha, volens eum ad id flectere? Rursus mittit Episcopos, iubens eos ei apparere mœstos, vtique miserabilibus & verbis & gestibus: & profundere lachrymas, validissimum medicamentum ad persuasionem: & omni ratione conari eum flectere. Imitare, dicentes, primum magistrum & præceptorem. In iis enim quæ sunt facienda pro Christo, pulchrũ est Christum imitari. Declinauit ille quoque è cœlis & descendit, procurãs salutem hominum. Quid ergo absurdi fuerit, si tu quoq; aliquantisper è columna descenderis, & quæ venit in periculum ne pereat, seruaris ecclesiam. pro qua ipse eam amans proprio non pepercit sanguini. Existima tibi ipsam astare ecclesiã, & vocem emittere, & extendere manus ad auxilium.

Cum his & aliis pluribus Episcopos prius instruxisset Patriarcha, & omnino exercuisset, vt aptissime admouendã misericordiam, & maxime miserabiliter ad proponendam accederent petitionẽ. Illis autem imperata facientibus, & inferne supplicium ritu cum lachrymis clamantibus, primum quidem ea quæ fiebant ægreferebat sanctus, & angebatur animo. Deinde cum videret magis perseuerantes & vehementius precantes, & cũ miserabili clamore calidas lachrymas emittentes, nesciebat quid ageret illa misericors anima, ad vtrasque distracta cogitationes Quando enim ad Sacerdotes & ad Sacerdotum intuebatur lachrymas mouebatur. qñ autem ad columnam, & eos qui sunt in ea labores, & optabilissimam quietem, erat inflexibilis. Sic ergo inter se contendentibus cogitationibus & in æquilibro quodammodo positis, quærit momentum superni iudicij. & eo stante ad orationem, vox statim è cœlo existit, quæ iubet ei vt & descendat, & rursus reuertatur ad columnam. Sic eum cum gaudio excipientes Episcopi, deduxerunt ad Pontificem: qui dici non potest quanta rursus fuerit plenus lętitia: & quanto eum honore exceperit. Atque statim quidem Christi miles, vertit aduersarium etsi ei in conspectum nõ venerit: verbis autem solum, tanquam eminus emissis iaculis, vsus sit, sicut etiam per eam quam prius miserat epistolam, nouum appellans Diocletianum: & cum p vtraq; eum terruisset, nempe & præsentis seculi & futuri supplicia, tanq̃ improbum mancipium, persuasit vt fugeret. Mirarum. n. timore affectus cum respondisset, Ecce tibi cõcedo ciuitatem & oẽs qui sunt in ea ipse prætextu exercitationis processit extra terminos ciuitatis.

Sed ne sic quidem eum dimisit vir fortissimus: sed fugientem, tanquam qui clypeum abiecisset, persequebatur militem. & contendebat eum apprehendere vt argueret, & cum eo singulari certaret certamine. Init ergo viam quæ illuc ferebat. Vide autem mihi zelum Athletæ. Nam cum ei pedes laborassent exercitatione, & non possent ingredi, commodato accipit alios pedes: & ducebatur portatus ab aliis. Fuit'ne vero eius iter inane & absque miraculis? Nequaquam. & lubentissime, quidem omnium meminissem. sed cum tria prohibeant, nempe & proxilitas narrationis: dicendi facultatis imbecillitas: & ne si velim omnia dicere, cum vos exatiauero, sitis socordiores in iis quæ sunt præcipua, multis prætermissis, paucorum meminero. Quidam leprosus ad eum in via accedens, emisit vocem quam olim etiam ad Christum, nisi q; ille quidem filium, hic autẽ

seruum Dei vocabat: & rogabat vt ab eo assequeretur curationem. Ille vero, Quid tibi vis, inquit, qp eo 35 relicto qui hæc potest curare, accessisti ad hominem qui est similibus obnoxius affectionibus; ea postulans quæ eius vires superant. Verumenimuero si quidem credis non illum solum, sed etiam eius ministros posse hæc curare, erit tibi per eos quoque vt credidisti sanatio. Cum autem ille hæc confitebatur, & adhuc magis rogabat vt sanaretur, misericordia simul & admiratio magnum subiit, Danielem, misericordia quidem propter morbum, admiratio autem, propter feruorem fidei. & conuersus significat iis qui sequebantur, vt & 36 manus tollant in cœlum, & Deum placent lachrymis. Deinde cum illius iussuis mari corpus lauisset & fuisset mundatus, non procul enim aberat, ostensus est totus sanus iis qui aderant. Qui cum aspexissent id quod factum fuerat, & nudum accepissent eum qui fuerat curatus, quid non faciebant? quid non dicebant? quo non animi motu afficiebantur? Admirabantur: clamabant: glorificabant, obstupescebant. mouebat quidem fides eis linguam ad gratiarum actionem. Verba autem sustinebat admiratio, & efficiebat vt præ stupore obmutescerent. Quinetiam dicentes nesciebant quidnam dicturi essent, huius'ne fidem, an illius gratiam, an Dei potentiam. Oculi autem omnium in illũ solum erant coniecti: voxq; vna erat & narratio, leprosus & illius mundatio. Vt ergo essent plures testes huius rei admirabilis, veniunt ad maximum Dei templum: & virum illum in sugesto statuunt, facientes sicut Zacchæus. Nam illi quoq; persuasit fides vt ascenderet Sycomorum. & his rursus vt in alto statuerent eum qui curatus fuerat, persuasit similis feruor spiritus. Quis quæ tunc propter magnum Danielem fiebant narrauerit?

35 Vides ex hoc loco nõ inferri Domino Iesu Christo iniuriam si ad sanctos eo omisso quis confugiat. Vides etiam quod non solum Deus curat infirmos, sed etiam sancti, in illius tamen uirtute.

36 Ecce quomodo impetratur oratio cum manuum in cœlum extensione & lachrymis, & statim sequitur admirabilis eius effectus.

Confluit ad eum vniuersa fere ciuitas. ęgrotantes quidem desiderio sanationis, prope habentes exemplar, leprosum qui fuerat curatus. Sani autem, vt viderent eos qui curabantur, & spectaculo miraculorum minime priuarentur. Quę vero eorum qui accedebant fidẽ sequebantur miracula, sunt maiora quam vt verbis exprimi posint & auribus percipi. Cum autem sic splendide comitatus magnus ille Daniel ad locum in quo erat Imperator, fuit prope palatia septimi, vir quidam Gotthus genere, desuper prospiciẽs per fenestram, cum sanctum vidisset sicut deduci & portari, eius irridet mollitiem, & 37 ironice eloquitur. Ecce, inquit, nouus consul. Hęc dixit, & statim accepit fructum suarum nugarum. illinc enim deturbatus humi iacebat mortuus. Vidẽt quod factum fuerat Satellites: & dolore simul & ira repleti, & alioqui timore correpti, ne vel alius ex suis, vel ipse Imperator simile quid aduersus magnum illum locutus in eadem incideret, non sinebant sanctum ingredi regiam. Cum vero iis qui cum eo erant conantibus ingredi, alioqui magna erat perturbatio, tunc cũ euangelicę pedum suorum excutere puluerem, eos qui cum ipso erãt hortatus esset sanctus, & ipse hoc fecisset, reuersus est: sed neque tunc vacuus. Multi enim milites, qui cum eum parum solum vidissent, mores & habitum stupuissent euangelicum, eum statim sunt consecuti. Et sic quidem vadit Byzantium homo Dei.

37 Nota sanctos nõ esse irridendos.

Imperator autem viri reueritus virtutem, & veritus ne quid ei graue accideret propter illius contemptionem, mittit ad eum quam primum & rogat vt reuertatur. Ille vero nonmodo flexus, sed etiam magis irritatus,

cum dixisset q̄ qui cœlestē Regem conatur exacerbare, ipse multo magis malorum thesaurum sibi recondit: & deinde adiecisset etiam fore vt hic breui excidat ab imperio, & eas quæ illic sunt minas non effugiat: Hæc cum dixisset, & si quis in tunica remanserat puluis, eum excussisset, processit fidenti animo. Cum hæc annunciarentur Imperatori simul etiam sua sponte cecidit turris palatij, perinde ac si per res inanimas arrogantem & insolentem hominem Deus vellet erudire. Quænam autem ab accedente sancto facta sunt miracula: quomodo enim ex vrbe cum eis est egressus, ita etiam ingredientem ipsa rursus sequebantur, quodammodo ipsa, vt ita dicam, Dei virtute famulum deducente: cum ex his pauca, eaq; propter satietatem, veluti cursim adduxero, transibo ad ea quę supersunt.

Duo quidem ab ipso adolescentes primum sanantur, qui vexabantur à Dæmonibus. Deinde mulier quædam alia fide Chananęa, quæ habebat filiam, & veluti ęstuantis animi testes lachrymas profundebat ex oculis, & per eas quærebat curationem, sanam quidem accipit filiam: Lætitiam autem referens pro mœrore, domum rediit. Deinde cum sanctus per mediam procederet ciuitatem, patricius quidam ex senatu, qui ipse quoque Zacchæum est imitatus, cum eum feruenti fide domo sua accepisset, Zacchæo quoque similem consecutus fuit benedictionem. Postquam autem fuit in ipso maximo Dei templo, & simul versatus fuit cum Patriarcha, qui ipsum cum magna simul lætitia accepit & honore, hic quoq; aliis quidem noua, sibi vero solita facit miracula. Serpens qui alicunde prorepserat, & se magni Danielis pedibus per spiras inuoluerat, erat terribile spectaculum. & cum ad eum defendēdum qui aderant accurrissent, illos quidem insimulat timiditatis: ipse autem 38 serpenti audacter ac fidenter minatus, cum ei tāquam ministro magna imperasset auctoritate, Vade, inquit, & tuas latebras repete & specus subterraneos. Ille vero perinde vt qui non posset contradicere, statim repit ad parietem, & in cōspectu omnium disrumpitur.

38 *Etiam immanissimis bestiis sancti in uirtute dei imperāt, & illæ eis obediunt.*

Hæc cum de magno Daniele didicisset mulier, Rais, fide quidem feruētissima & maxime pia, gloria autem valde insignis, prompto & alacri animo ad eum accurrens, & similiter atq; illa meretrix, illius pedes rigans lachrymis, precibus ab eo contendit vt sibi nasceretur filius. Cum autem humi deiecta, vidisset eius pedis soleam, exercitatione à tendine discissam, stupet tolerantiam: & emittit voces Chananææ similes. dans enim funiculum, rogat vt cum circa illius pedem inuoluerit, ei rursus reddat. hæc est, inquiens, summa meæ petitionis. Ille vero primum quidem non sustinebat. Deinde motus etiam illius lachrymis: & præterea Episcopi & cęterorum verbis flexus, non solum cum funem circunuoluisset, ei reddidit: sed etiam significauit fore vt ipsa pareret filium & prædixit etiam nomē filij, Zenonem, dicens, ò mulier, vocabis filium. Et sic quidem sanctus. ego autem nihil dicam amplius Clarum est enim ita euenisse. nihil enim excidebat ex iis quæ ab illo prædicebantur. Propterea sanctum quoque timēs Imperator, & ei omnino repugnare declinans, eum aggreditur arte & blanditiis. & cum ipse sæpe eum, & per multos, vt ad ipsum veniret precatus, non persuadebat, ipse ad eum venit: & ritu supplicis adorat, & illius pedes prehensat, rogans vt sibi detur venia. Ille autem, Quis enim ad ea videnda erat ipso perspicacior? illum quidem multis tunc probris

insequitur. Deinde etiam aperit id quod multos latebat. Humilitas illa, dicens, & contritio est artificiosa simulatio, densa pelle tegens importunitatem eius & immanitatem. sed cito videbitis qui omnia perspicit Dei oculum, & validam manum quæ etiam potentes deiicit. Atque cum sic quidem sanctus tam multa fecisset miracula: Deiq; vertisset & profligasset hostem: & res ecclesiæ bene constituisset: quinetiam futura prædixisset, reuertitur ad columnam, & certamina ac labores magno & forti animo suscipit.

Non multum interfluxit temporis: & Basiliscus quidem, vt à magno prędictum fuerat Daniele, à regia expellitur: & Zeno rursus sceptra tenet: & finem acceperunt eius prædictiones. & ad magnum Danielem venit Zeno cum vxore, videns quidem conuenientes exitus prædictionum: euentu autem dignas redditurus gratias. Iam vero finem quærente oratione, & cum magni Danielis vita volente simul requiescere, in illius miraculis adhuc parumper iucunde immorabimur. Vir quidam artificio aurifex, habebat puerum qui septimum quidem iam annum attingebat, nondum autem poterat ingredi, sed serpentium ritu ventre vtens se mouendo reptabat. Sumpserunt eum parentes & posuerunt ante columnam. ipsi autem infra miserabiliter & flebiliter eiulantes ipsos quoq; qui videbant prouocabant ad lachrymas. Sanctus vero exalto despiciens, cum partim quidem increpando, partim autem admouendo eorum luctum sedasset, iubet vt perseuerent 39 in sacra æde Symeonis: & venerandis vtantur reliquiis: & ea tanquam aliquod soluens medicamentum, morbo vinctis imponant pedibus. Dixit, & facta sunt. & septimo die cum de more precatio fieret à beato, ô admirabilium operum opifex Domine: Vident statim puerum salientem: & gradus ascendentem & columnam amplectentem.

39 *Iubet ut perseuerēt in sacra Symeonis æde, & uenerandis utātur reliquiis, atq; morbosis applicēt pedibus. Quo facto, & sancti adhibitis pcibus, sanitas sequuta est.*

Quidā alius iter faciens ab oriente incidit in latrones: qui cum ei plagas, vt cum sacra dicam scriptura, imposuissent, quæ secum habebat auferunt: quinetiam cum eius genuum neruos execuissent, relinquunt semimortuū. Eum quidam viatores cum vidissent sic iacetem, & benigne sustulissent, ferunt in propinquam ciuitatē Ancyram: & id ciuitatis Episcopo significant. à quo multorum medicorum traditus manibus, cum ad eum curādum ab eis adhibitum esset omne studium, sanantur quidem vulnera, sed nequaquam restituitur ad hoc vt posset ingredi. Nondum enim is re uera sacram anchoram apprehēderat Danielem. Cum multis ergo lachrymis persuasisset Episcopo vt ipsum ad magnum mitteret Danielem: hac enim de causa iurabat se iter esse ingressum, tanquam onus inanimum impositū iumentis, ducitur ad sanctum. Deinde columnæ impositus quid non ad mouendam dicebat misericordiam? quas non vel maximas afferebat lamentationes? Clamabat. lachrymabatur. manibus petebat. oculis reuocabat in memoriam iter propter eum susceptum. ostendebat mala quæ acceperat à latronibus. Sed hic mihi considera q̃ esset hic magnus à fastu alienus & quantum oderat gloriam: & quemadmodum in fugiendo honore tantum posuerit studij, quantum alij ad gloriam consequendam feruntur cupiditate. Vt enim alij adscriberent curationem, eos transmittebat ad Symeonis oratorium: etiamsi maior ad ipsum ex eo rediret gloria. Sed reuertendum est vnde digressi sumus. Postquam enim ille portatus fuit

ad templum Symeonis ad quod iussus fuerat, & quod ex reliquiis sumi-
40 tur 40 oleo quotidie vngebatur. iam quidem erat sextus dies circa au-
roram, cum staret magnus Daniel ad cantica matutina, idem huic quoque
accidit quod priori: nã & repente consistit supra pedes: & cursim gradus
ascendit: & columnam amplexus, Deo & eius ministro agebat gratias.
Sed cur non dico id quod est maius? Quidam Hippasius, & auctoritate
& fide Centurio, sicut erat is qui celebratur in Euangeliis: Hic ergo si
quando vidisset aliquem ex familiaribus aut cognatis aut filiis aut seruis
morbo implicatum à sancto scriptis verbum solum requirebat. & ægro-
tanti imponens epistolam, statim morbum tanquam aliquem fugitiuum fu-
gabat. Cũ vnius adhuc meminero, accedã ad magni Danielis migrationẽ.

Vngebãtur oleo sumpto ex reliquiis beati Symeonis, & sanatus est.

Mulier quædam habens filium, duodecim annos natum, ab ortu mu-
tum, ea, inquam, cum latenter accessisset, & in sancti mãdra clarissimum
posuisset, cum bona spe recedit. Vident itaque Monachi puerum. & cum
eum sumpsissent, ducunt ad sanctum. Ille vero cum eum solum vidisset,
iussit vt cum eis versaretur, futurus ipse Dei minister. Postquam autem
significarunt beato puerum esse mutum, iubet illius linguam vngi oleo
41 sanctorum. 41 Quis præterierit ea quæ sunt postea consecuta? Suspi-
cantur matrem propter paupertatem mentiendo dixisse filium esse mu-
tum, vt ex eo ei aleretur filius. & accedentes, alij quidem ei incutiebant
terrorem, vt sic conturbatus loqueretur: alii autem telis pungebant dor-
mientem aut lignis acutis: & repente è somnis excitabant: vt clamasset &
aliquid interim dixisse deprehenderetur. Is vero cum vellet ipse quidem
multa dicere præ dolore: valido autem morbi vinculo linguam haberet
præpeditam, erat mutus, ore cordis multa loquens ad Deum. Venit die-
42 rum 42 primus & præcipuus. & cum Diaconus Christi euangelium
esset de more lecturus, cum primũ nomen Euangelistæ effatus est populis,
omnes puer præueniẽs, dixit pura & maxima voce, Gloria tibi Dñe. &
sic deinceps per totum sacrum ministerium perseuerauit simul cũ populo
canere & rñdere. Atque multa quidem alia à magno Daniele gesta sunt, quæ
neque verbis explicari possunt, neque propter satietatem capi auribus.

Iubet eius linguam vngi oleo sanctorũ.

Quid respondebunt hic qui dicunt omnes dies æquales esse, nec alio alium celebriorem aut sanctiorem?

Verumenimuero sufficient hæc ad ostendendum quanta ille fiducia
esset diues apud Deum: & quanta ei cum illo intercederet coniunctio.
Hoc autem solum dicam: & ea quæ dicta sunt veluti obsignabo, quod cum
multis & maximis miraculis tanta erat ei lenitas & moderatio: & non
solum moderatio, sed vt cum diuino Dauid dicam, contritio & summa
humilitas, vt non magis eum quis admiretur propter operationem mira-
culorum, quam quod cum talia operaretur, nihil existimaret, se plus habere
aliis. Quinetiam cum virtute tantum præstaret, in iudicio de aliis ferendo
erat admodum cautus & parcus. Quàm vero esset in omni re à fastu &
superbia alienus quis dixerit. Eorum autem quæ supra nos sunt adeò time-
bat & cauebat docere aliquid, vt cum quidam qui de Theologia lubenter
sciscitabantur, quædam etiam absurda proponerent quæ audebant fa-
cere Sacerdotes, & ei exhiberent molestiam. Si à vobis quidem, inquit, de
Deo disseptant, vobis sufficit chorus Apostolorum, & quæ de Deo
disserunt patrum voces. neque opus est curiose vlterius inquirere. Quod
si de rebus humanis & Sacerdotibus vobis est controuersia, sunt hæc
omnia Dei iudicio relinquenda, & iis qui ab illo talem acceperunt admi-
nistrationem.

nistrationem. nobis vero satis esse debet si ab aliis pascamur: & ea consideremus & inquiramus quæ ad nos pertinent. non autem has superuacaneas & noxias persequamur quæstiones. Et hæc quidem sic habent.

Oratio autem, cũ iam veniat sanctus ad finem, desitura est ipsa quoq; in silẽtium. Verumenimuero cum hic quoque pauca quædam ante finem dixerimus, sic sistemus orationem. Cognouit quidem vir ille propheticus cum reliquis omnibus, suam quoque ad Dominum migrationem: idq; aperte suis prædixit Discipulis. Cum autem præstitutus dies iam appropinquaret, benedictionem eis relinquit in scriptis, sicut quidam alij facultates. eiq; deseruiit scriba. & tale fuit eius testamentum. Ego, inquit, ô filij & fratres, ambo enim vos estis. tum q; vos genui spiritaliter. tum verò q; Deus est communis pater omnium. Ad hunc communem patrem iam vado. sed non orbos relinquam mihi dilectos, deflentes patris solitudinem. sed illi patri vestri relinquo curam, qui cum vobis omnibus me creauit. Ipse ergo qui omnia fabricatus est ratione & sapientia: & deinde cœlos quoque inclinauit & descendit in terram, & mortuus est & resurrexit pro nobis, ipse erit vobiscum. Vt sapiens quidem, vos seruans à maligno: vt Dominus autem ad suam conseruans voluntatem. vt pater vero, si forte aberretis, benigne reuocans, & spiritaliter vlnas vobis extendens. Vt autem qui se pro nobis ad mortem tradiderit, vos etiam inter vos inuicem coniunget concordia: & efficiet vt sitis vnum patri. 43 Sectemini humilitatem seruitæ obedientię. amate hospitalitatem. ieiunium. vigiliam paupertatem & quod est primum & maximum præceptum, charitatem. Quæ ad pietatem pertinent recte tenete. Hæreticorum 44 zizania cauete. à matre vestra ecclesia minime separemini. Si hæc omnia feceritis, eritis virtute perfecti:

Hæc piis labris dictauit, & iussit legi ab omnibus Monachis, stãtibus ad scalarum gradus, & deflentibus illius separationem. Dicitur autem hoc visum esse circa eum. nempe tribus diebus ante mortem, iam media nocte concurrisse & ad eum conuenisse sanctos qui fuerunt à seculo. Prophetas, Apostolos. Martyres, & omnes denique sanctos, qui & magnum benigne salutarũt: & iusserunt eum diuinum celebrare mysterium. Quod quidem celebrauit, & intemerata ipsa sumpsit 45 sacramenta, & iis quibus par erat impertiit. Atque iam quidem magnus extremum agebat spiritum: & ipse Antistes Episcoporũ, is erat Euphemius. iam. n. mortuus erat Acacius, cum aliis veniebat ad emigrationem. Aderat autem Rais quoq; fidelissima: & vir quidam qui possidebatur à Dæmone, pergebat ad columnam: qui & sanctorum ad sanctum aduentum clamãdo aperte significabat: & eos suis apellabat nominibus: & ipsorum vt qui conuenissent meminerat Angelorum. Deinde etiam adiiciebat, fore vt tertia hora huius diei ipse Daniel excedat Dominum: & à diuturna habitatione immundus expellatur spiritus. Quæ vtraque suo tempore euenerũt. Quę prius dicta est autem Rais, magnifice parabat ea quæ pertinebant ad sepulturam. & cum multos adduxisset artifices: & iussisset fieri tumulum in inferiori parte basis columnæ & vsque ad fastigium, statuit ex vtraq; parte tumuli homines qui faces 46 ferrent & lampades tenerent manibus, & ea canerent quæ cani solent in decessu. Cumq; illa corpus infra detulisset, in plumbeo id ponit loculo. in hoc quoque seruans magni Da-

43 *Tu qui monachismũ insectaris, uide num sanctiora monita dari possent, quã quæ dedit hic sanctus pater monachis suis.*

44 *Nota mirãda uerba Hæreticorum Zizania cauete, à matre uestra Eccl. minime separemini.*

45 *Sancti iusserunt sanctum missam celebrare, & ita sacratissimam accepit Eucharistiam, ut hoc uiatico armaretur ad transitum.*

46 *Habes sancti honorificam sepulturam,*

cum facibus & lampadibus ac canticis quæ de more christianorum cani solent.

niclis testamentum. Ille enim mandauit Discipulis. Seu Imperatores, seu Reges, aut vlli alij, seinuicem superaret contendant in loculi sumptu & magnificentia, nolite suscipere. sed illic & sic corpus deponi sinite vbi & quomodo voluerit Rais fidelissima. Hæc ergo peracta sunt: & expulsus est immundus Dæmon, cum multum hominem discerpsisset.

Porro autem quædam quoque alia affecta sunt miracula. Tres enim per stellas cruces, cum dies esset & Sol luceret clarissimus, cum summa pulchritudine & splendore dicũtur apparuisse: & stetisse super pretiosum illum loculum. Quinetiam volasse columbæ candidissimæ, quæ cum eo semper est, gratiam spiritus significantes. Sic ergo sacrum 47 illud corpus Danielis depositum fuit manibus primi Pontificis. Rursus illi quoq; fuerunt impositæ reliquiæ trium puerorum qui erant Babylone, cum sic iussisset sanctus, ne tam illius reliquias, q̃ eos qui erant ei impositi adorarent accedentes. Sic sanctus ab humana gloria studuit ostendi alienus etiam post decessum. Talis fuit vita magni Danielis ab ortu vsque ad decessum. Talia eius sunt benefacta. Qui cum obiisset omnem exercitationem & omne genus certaminis. & tam multis clarus fuisset operibus, effectus plenus dierum tam humanorum quã spiritus, in senectute bona excedit è vita, cum ad octogesimum annum peruenisset & menses tres.

47

Nota, sacrum illud corpus deposuerunt.

Aiunt autem eum quoque capillis capitis processu temporis adeo euasisse comatum, vt quadruplici quidem coma discriminarentur: longitudo autem eorum ac quatuor cubitos produceretur. Barba quoq; erat ei densa, quæ ipsa quoque bifariam discriminabatur. Atque ille quidem cum sic vixisset, requieuit. nobis autem pulchrum exemplar suam reliquit vitã, non solum vt laudemus, aut etiam vt admiremur: sed vt pro viribus quoque imitemur. Laus enim ad eum fertur solum. Imitatio autem facit vt simus etiam participes bonorum quæ ei debentur. Gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia cum patre eius qui caret principio & sanctissimo & bono & viuifico eius spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

VITA ET CERTAMINA SANCTI *patris nostri Spyridonis Archiepiscopi Trimithuntis.*

Decemb. 12.

AD vtilitatem animę res est maxima, vita generosorum & piorum virorum, & quę potest parare magnas opes virtutis. Non solum enim resecat id quod est deterius: sed etiam magnam efficit mutationem ad id quod est melius. Siue enim fuerit aliquis vitiis præoccupatus, talibus fruens narrationibus, facilius ab eis se continet. Siue sit aliquis virtutis studiosus, audita historia, exurgit alacrior: & amore eius q; est simile incitatur ad imitationẽ. Imitatio autem & ęmulatio magnorũ & admirabilium virorum, quantum possit, & alij quidem ostenderunt, eorum qui pręcesserunt præclarum virtutis studium imitati. maxime vero omnium vita admirabilis Spyridon, qui Iacob simul et diuinum Dauid summe est ęmulatus: & sicut illi, amplexus est lenitatem ac mansuetudinem & à simulatione alienam simplicitatem. similiter vero ad Abrahami aspexit hospitalitatem: & suas fa-

cultates effecit communes indigentibus Hincq́ factum est vt non terrę, propter mansuetudinem, vt habet promissio, sed ipsorum cœlorum asse queretur hæreditatem: & propter diuitias quas despexit, Christum plane diuinas compararit diuitias: miraculorum autem dilatatus sit fluuiis, qui semper quidem hauriuntur, nunquam vero desinunt.

Eum tulit quidem insula Cyprus. erat autem non garrulus aliquis, neque vrbanus & elegans moribus: neque qui multitudine & foro delectabatur: sed simplex & quietus, & à negotiis curisq́ remotionem colens si vllus alius. Quocirca ad Patriarchæ Iacob vitam se omnino effingens sicut diximus, fuit ipse quoque pastor ouium. nō tamen omnino pastor, aut nimia simplicitate, aut feris & agrestibus moribus, sed commodis & valde facilibus. & qui à vulgi quidem se abducebat congressione. Pauperibus autem & hospitibus tam facilis ad eum patebat aditus, & se eis tam præbebat affabilem, vt esset omnibus hominibus in sermone iucundior: & ad facultates suas communicandas longe 1 liberalissimus. Præteriisse certe aliquem ex iis qui accendebant, qui non fuisset ab eo hospitio acceptus, erat ei longe molestissimum, perinde ac si re aliqua maxima & quæstuosissima esset fraudatus. Et erat quidem alioqui & liber animus, & alienus ab omni illiberali assentatione & humilitate. ad eorum autem qui iter ingrediebantur labores recreandos, & ad pedes qui erant fatigati abluendos: & ad mensam apponendam & alia administranda iure amicitiæ & moderationis, erat adeò dexter & officiosus, vt ipse solus hoc magis præstaret, q́ famuli qui sunt in suos Dominos maxima præditi beneuolentia. Erat enim ei contemperata cum grauitate quidem simplicitas: cum animi vero magnitudine lenitas. cum intensa autem & ardenti charitate, grata florebat temperantia: quam non minus dilexit & ardenter est amplexus q́ reliqua omnia. vt qui cum legitima quidem & pudica vxore non diu versatus, & liberorum pater ex ea effectus, deinceps voluptate & omni alia mundana cupiditate permansit superior. Hinc mel virtutis conficiens diligentius: & in lege Domini studiose meditans, benignissimus euasit & clementissimus. Et vt semel dicā, erat Spyridon diuinum virtutum exemplar archetypum: habēs quidem omnes in se scriptas, sed ad quarum imitationem pauci poterāt accedere.

1 *Vide chorum virtutum in quibus sanctus uir exercebat se.*

Cùm sic ille resplenderet benefactis, magnamq́ vitam & insignem attulisset, multa quoq́ dona maiora consequitur, tam quæ sunt hic, inquā, quam quæ futurorum describunt magnitudinem. Hæc aūt erant. Morbo confecta confirmabat corpora: membrorum mutilationes sanabat incurabiles: malignos increpabat spiritus, quos cū primum increpasset, nulla mora interiecta fugiebant & statim recedebant. quoq́ alia ab eo fiebant his maiora, virtute 2 diuina ei opem ferente. Quamobrem ex pastore constituitur pastor, loco ouium cura gregis ei cōmissa. quo tempore magnus Constantinus Romanorum tenebat imperium, Trimithuntinorum creatus Episcopus. Quantam autem postquam perductus fuit ad sedem, virtutis curam gesserit, ostendent quę similiter à sedem adepto facta sunt miracula. Verumenimuero omnia illius persequi stulti & ineruditi fuerit hominis, neque verò id quis assequi potuerit: quomodo etiam omnia prętermittere, nimis magnum damnum attulerit. Quæcunq́ autem & dici possunt, & auditu valde sunt vtilia, ea dicam.

2 *Aduerte quod quando sancti miracula faciunt, ea ex Dei uirtute non ex sua peragunt.*

Castigabat Deus insulam pluuię egestate: & grauis premebat siccitas: & siccitatem quidem consequebatur fames: famem autem pestis. & populi quidem magna pars iam interierat: altera vero id mox credebatur passura. Opus autem habebat illud malum omnino aliquo Elia, aut alio illi simili, qui cœlum aperiret oratione. is vero erat Spyridon. Nam cùm plaga grauiter vrgeret & populum valde persequeretur, ipse pro grege magnum capiens angorem & paternis inflammatus visceribus, rogat quidem vt clemens Deum clementem. Ille autem statim implet cœlum nubibus ex extremo terræ: & quod est mirabile, ne aliquem motum elementorum existimaret consequi pluuiam, Deus eas procul ostēdit. Sistit autem, non prius permittens eas ascendere insulam, quàm sanctus eum rursus 3 oraret. Nondum enim ille guttam emiserat lachrymarum: & protinus multa erupit pluuia. & pinguescit quidem terra: aluntur autem fructus: & crescunt segetes: & omnia simul mala soluuntur. In hoc Spyridon fuit ipso Elia, vt aliquid dicam audacter, benignior. Nam Elias quidem cum pluuiam retinuisset, deinde rursus remisit. Ille vero primum nō imitatus, existis ei par in secundo. Et hoc quidem est eiusmodi. Alterum autem est illo nihilo inferius.

3 *Oratione sanctus terræ suæ pluuiam impetrat à Deo.*

Affligebat rursus communis calamitas: & fructum non ferebat insula. Frumentarij autem & frumenti cauponatores, in tantis Dei minis volentes frui delitiis. & tempore callide & malitiose vtentes, magis augebant calamitatem, frumenti, vt dicit scriptura, trahentes & augentes pretium: & è propinquorum malis impium sibi lucrum parantes. Ad vnum ergo horum diuitum cum quidam pauper accessisset, & pecunias quidem nō haberet quibus emeret quæ erant sibi ad vsum necessaria, lachrymas autem, quas, proh dolor, habebat, exolueret, & flebiles voces miserabili habitu & obtutu emitteret, illū inflexibilem conabatur flectere, pedes prensans, totam domum complens eiulatu. Quid non faciens. quid nō dicens, quod posset attrahere ad misericordiam? Postquam autem nihil horum omnino lapideam illam animam mouit ad miserationem, vnum refugiū inuenit pauper, nempe sanctum. Ad quem cum accessisset, & suam inopiam, & summam diuitis refert egestatem misericordiæ. Cum is autem hoc audiisset, misertus quidem est calamitatis: diuitiis vero odio habuit immanitatem: & veluti à Deo afflatus, prædixit in primis prophetice. Tu autem nec gemas nec lachrymeris. Tua enim domus cras abundabit bonis. qui autem nunc est diues, simul erit & miserabilis & irridebitur. & inuitus tibi cedet iis quibus eges: promptoq; & alacri animo rogabit vt accipias. Hæc pauper putabat sanctum quidem solum dicere ad consolandam qua pręmebatur calamitatem. Vnde etiam abibat tristis, vt qui sacram ancoram, nempe eam quam in magno Spyridone spem habebat, inuenisset inanem & irritam.

Cum nox autem iam aduentasset, Deus quidem annuit: repente vero cœlum aquam effundit in terram, tanta copia & tanto impetu, vt diuitis vna attraherentur horrea, frumentum autem & omnis alius fructus sparsim eiiceretur & iaceret paratus ad rapiendum volentibus. Orto autem die diues quidem miser, & luctu plenus, & huc & illuc circūcursans, & iustam deflens calamitatem, rogabat eos qui accedebant vt sibi opem ferrent ad fructus colligendos. Cum multi vero, vtpote esurientes, ad rapiendum

piendum concurrissent, accedit etiam ille pauper, miraculo quidem obstupefactus, pauperem autem irridens suauissime & meritissime: & domum replens fructibus: & omnia nullo negotio habens, vt dicitur, nec seminata nec arata. Deinde cum confluentem videret multitudinem sæuus ille & immisericors, oportebat enim nihil manere imperfectum eorũ quæ prædicta fuerant à Spyridone, & res omnes illius secure ambabus haurire manibus, & eum quoq; qui heri fuerat supplex, vnà cum reliquo populo abunde sicut diximus, frui iis quę iacebant, perinde ac ei sua spõte dare volens, liberalisq; esse & munificus, qui sordidissimus erat & parcissimus, iubebat eum ad satietatem accipere ex iis quæ aderant. Ille autem satis irrisa eius ignorantia, domum est reuersus, Deo præcipue, Deinde etiam Spyridoni id accepto ferens. Sic sciebat Spyridon, non solum propter multos, sed etiam propter vnum, super nos sæpe aperire fontes: & simul quidem prædicere tempus quo hoc esset futurum: simul autem pauperibus quoq; prodesse, & castigare diuites. Nam etsi parcus ille nihilo melior euasit vt iam dicetur: multis tamen similibus fuit occasio vt emẽdarentur. Hæc quis ex præsentibus non lubenter audiit? Quis autem cũ audiuisset, non fuit alia quoque audiendi auidior, & cupiit scire quisnam erat adeo ignauus aut inuidus vt sitientem animã tali priuaret alimento.

Alius autem agricola, vir sancto familiaris, cum fame valde premeretur, abiit is quoq; ad inopem illũ diuitem, adhuc habentem alia multa horrea plena frumento. existimans illam priorem eum oĩno castigasse calamitatem. Visus est autẽ ille frumentũ quidem amisisse: parcitatis vero & quæ in diuite inerat crudelitatis nihil omnino dimisisse: neque omnino seipso euasisse melior. etsi polliceretur pauper se tempore ęstiuo id quod datum fuisset redditurum cum accessione. sed ille dicebat id quod dicitur, spem pascere insipientes. Tu autem, inquit, absque pecunia non granum vnum, imo ne vnius quidem grani vmbram accipies. Cum itaque hic quoque pauper desperasset, imitatur præcedentem: & tanquam ad communem thesaurum confugit Spyridonẽ: & ei renunciat quæ esset passus, & quæ diuitem rogans ab eo audiisset. Ille autem cum tunc quidem eũ satis esset consolatus, domum dimittit. Neque tamen verbis tenus sistit consolationem: sed sequenti die magnus Pontifex venit ipse ad pauperem auream quandam secum afferens speciem non leuis ponderis. quæ quænam esset & vnde, & quomodo inuenta sit à sancto, declarabit paulo pòst oratio. Cum tunc autem magnus Spyridon eam immisisset in manus pauperis, Accipe, inquit, & cum diuiti gratum hoc pignus præbueris, quæ tibi sunt necessaria ad vsum ab eo accipe. Hoc cum accepisset pauper lætatus est, & quanta maxima potuit celeritate, contendit ad diuitem. Deinde cum vidisset ille id quod erat in manibus, qui paulo antè erat durus & inexorabilis, & cuius aures ad preces obsurduerant, statim flectitur ab oculis: euaditq; iucundus & benignus. cumq; id accepisset, eum tam copioso frumento impertitur, vt & domum suam impleret: & ad deiicienda semina in iis quos habebat agris datum sufficeret. Quod autem deiectum fuerat, fructum produxit tam multiplicem, vt & ei qui dederat debitum reddiderit: & aurum ei datum pignori receperit: & ad sanctum rursus grato animo retulerit.

Sed sic quidem pauper debitum. vult autem oratio quoque id quod

debet exoluere, & ostendere id quod erat pollicita, quidnam erat prius aurum, & vndenam fuit sumptum Cum eum recepisset sanctus id quod datum fuerat, Adesdum ó frater, ait pauperi: & reddamus, inquit, communiter ei qui benigne commodauerat. Sic, inquit, & cum eum accepisset, ducit ad quendam ortũ, qui magni mediam quibusdam paruis recreabat oleribus. Qui cum in ipso aggere constitisset ad septem attigisset, in cœlũ sublatis oculis, Dñe mi Iesu Christe, effatus est, eo audiente qui aderat, qui sola voluntate omnia creas & transmutas: qui aliquando Mosi virgam, vidente Rege Ægypti, in serpentem conuertisti, ipse hoc quoque aurum, quomodo ex animante prius in hãc mutasti formam, ita nunc quoque annue vt reuertatur in eam formam in qua erat ab initio. vt hic quoque sciat quam tu nostri curam geras: & rebus ipsis discat id quod est in diuina scriptura, ꝙ quæcunque vult Deus fecit omnia. Cum ita esset precatus, Quis ó Domine, dixerit magnitudinem tuorum miraculorum? Aurum erat serpens, spirans & repens, & circa sepem mouebatur & volutabatur: ex qua primũ sumptus sancti manibus. admirabiliter mutatus fuit in illud aurum. Hoc cum præter omnem humanam cogitationem aspexisset Agricola, tremore correptus pronus cadit in faciem: & capiti aspergit puluerem, lachrymas emittens ex oculis, & se esse dicens indignum non solum tali dono & gratia, sed vel solo spectaculo, imo veró auditione. Verũenimuero eum quidem sanctus erigit: & ei animum simul & corpus corroborat. Serpens autem interim per sepem transiens, subiit cauernam quam habebat ab initio. Miraculum omnino nulla opus habet oratione ad amplificationem. ex ipso enim satis ostenditur quale sit: & arte omnino non indiget natura, quę propriam habet exuperationem. Dicatur autem id quoqꝫ quod consequitur, quod est cognatum prioribus & eiusdem gratiæ & potentiæ.

Alius qui erat ipse quoque sancto. amicus, erat autem virtutis studiosus, & ideo improbos homines mouerat ad inuidiam, & aliquorum criminum accusabatur per calumniam, comprehensus à Præside ciuitatis, coniicitur in carcerem. protinus vero damnatur capitis. Cũ autem propè esset dies præstitutus, præuenit sanctus qui hoc præsciuerat, & festinat liberare amicum à calamitate erat vero tunc hyems vehementissima: & qui præter fluebat torrens cum valde inundasset, & è suis esset effusus limitibus, ei valde fluebat in transitu: neque poterat omnino transmitti. Ille autem Iesum Naue & quæ ille fecerat mente versans: & arcæ transitum reputans, & credens eundem esse sicut erat Deum: & perinde atque seruo vtens torrente. Sta, inquit. communis hoc tibi imperat Dominus: & ego transibo: Vir autẽ seruabitur, pro quo properamus & multas Deo preces fudimus. Sic 4 dixit, & quod dictum fuerat protinus fit compes fluuio: & sistit fluentum. cedit vero via non solum Spyridoni, sed aliis etiam viatoribus. De cætero nihil amplius illis malum occurit & dubium. Quod ergo ab eo factum est transeundo, nõ fuit minus admirabile quàm id quod instituerat facere. ex hoc autem illud quoque facilius & melius est perfectum. Nam cum qui cum eo ambulabant vidissent quod factum fuerat, eum præcurrentes, & venientes quam primum in ciuitatem, fiunt præclari pręcones eius quod factum fuerat. & Pręses partim quidem stupefactus, partim autem timore correptus, ne virum qui

4 *Ecce quomodo etiam insensatis rebus imperãt sancti, & illæ eis obediunt.*

talia potest cerneretur offendere, repente eius amicum relaxat è vinculis: & eum sancto largitur. Is autem eo accepto est reuersus, cum ex vna causa duo effecisset, nempe fluenti quidem repressisset impetum: hominem vero benigne liberasset à calamitate. Atque quod ad prophetiam quidem attinet, aut miracula, aut in ærumnis commiserationem, nihil arbitror esse maius iis quæ dicta sunt.

Oratio autem adhuc amplius iis quæ dicta sunt parata est ostendere, quod spectat ad prophetiam simul & commiserationem. quod, inquam, peccata hominum videret ex occulto, & ea remitteret, animi benignitate & gratiæ abundantia. Vbique suos mores seruabat magnus ille Spyridon. delectabatur maxime tenuitate & frugalitate, vt qui vellet suum imitari Dominum. Neque enim equo vtebatur iter ingrediendo. Neque se remouebat ab omnium sermone & congressione, tanquam qui ex eo videri vellet grauior & seuerior. Cum ergo aliquando vehementer ambulasset, & defatigati essent pedes itineris lõgitudine: & à quodam suorum amicorum & bona suæ gregis pecude hospitio esset exceptus, ipse tanquã ouis boni pastoris, & qui ad illius vitam tanquam pulcherrimum exemplar intueretur, magistri vel potius Domini & primi magistri Christi ostendit moderationem. Nam cùm accepisset aquam & eam in lauacrum immisisset, paratus erat sancto lauare pedes. Qui autem erant in vicina, cum sensisset sanctum accessisse, ipsi quoque concurrerunt. & volebant nihilo secius hoc ipsum facere illius pedibus: eamq; rem ducebant huiusmodi vt de ea re esset inter eos decertandum: & inter se contendebant de benedictione.

Inter eos autem erat etiam quædam mulier quæ complures in hoc certamine superabat, vrgebatq;, & hoc maxime volebat facere. Ea vero fuerat haud ita pridem capta carnali amore, & victa, proh dolor, à peccato. Ipse autem re uera in cor iutuens, & vt qui sciret quemadmodum res eius se haberet, sensim quidem auertit mansuetam illam & suauem suam faciem. sensim vero ei quoque dicit, Ne me tangens mulier. Non, vt dixerit quispiam, sibi placens & se magnifice circũspiciens: aut mulierem abominans. Quomodo enim qui erat illius Discipulus qui vescebatur cũ publicanis, meretricibus, & peccatoribus? sed eam pudore afficiens, & turpem ei actionem reuocans in memoriam. & sic eam placide vocans ad pœnitentiam. quod quidem est ab eo perfectum, & scopum est assecutus. Quo enim illa magis contendebat facere quod studebat, magisq; vrgebat & instabat, ille eo acrius eam tetigit, aperte dicens id quod illa fecerat. Tunc ipsa sapienti quidem reprehẽsione animo sauciata, obstupefacta autem q̃ qui sub oculos non cadebant animæ liuores aspexisset, non amplius quidem aquis, lachrymis 5 autem pedes emundat: & contrito corde enunciat id quod factum fuerat. Quid ergo, illa quidem ei ea quæ meretrix: ipse autem ea quæ Dominus ei dicit liberrime, Confide filia. dimissa sunt tibi peccata tua. Et rursus. Ecce sana facta es, noli amplius peccare. simul & morbum curans sicut sapientes medici, & prouidens ne rursus in eadem incidat. Atque sic illa quidem curationem assequitur pulcherrime & vtilissime, vt nõ solum ei esset sanitas immutabilis: sed etiam aliis narrans, multis esset occasio consequendæ salutis.

5 *Vides hic ueram pœnitentiam non esse duntaxat nouã uitã, sed cum ea necessaria est etiã cordis cõtritio, oris confessio, & operis satisfactio, quæ omnia hic concurrerunt.*

Quoniam autem ex miraculis quidem sumitur de vita coniectura,

oportet vero declarare qualis esset ei zelus circa fidem, hoc indicabit id quod est propositum. Quando Romanis imperabat magnus ille Constantinus & primus inter Imperatores Christianus, consul autem erat Paulinus & Iulianus: à regno vero Alexandri Philippi filij agebatur sexcentesimus tricesimus & sextus annus, tunc Niceæ congregata fuit insignis illa patrum synodus, vt Arrium quidem deponerent qui rem creatã impie nominabat filium: decerneret vero filium esse eiusdem essentię cum patre. Erant autem ex iis quidem qui eius suffragabantur blasphemiæ, primi & maxime insignes, Eusebius Nicomediæ, & cum illo Maris & Theognis, quorum hic quidem Niceæ, Maris autẽ erat Episcopus Chalcedonensis. Isti Arrio duce illius insaniæ, Dei filium & Deum, creatum esse ô insaniam, improbi & scelerati homines decernebant. Eorum autem qui pro pietate decertabant principes, quorum & doctrina simul & vita erat præstantissima, erant hi. Magnus inter sanctos Alexander, qui erat Presbyter, tunc vero vicem gerebat beati illius Metrophanis vt qui ipse non adesset, ꝙ abesset autem, causa erat morbus. & clarissimus ille Athanasius, qui nondum Sacerdotali sede erat decoratus: sed in ecclesia Alexãdrina munus obibat Diaconi. Quocirca non parua in eos irrepsit inuidia, ꝙ cum nõdum dignitate præstarent, in ratione fidei alios superarent. Erat autem cum eis quoque magnus ille Spyridon: cuius vita & quæ cum eo habitabat gratia, erat vtilior ad persuadendum q̃ linguæ aliorum, & ineuitabiles ansæ syllogismorum, splendidæq́ꝫ & elegãtes periodi orationũ.

Peripatetici, dicti ἀπὸ τοῦ περιπατῶν, quod est ambulare.

Cum autem hic adesset (hic enim iam res est iucundissima) interessent autem synodo etiam Philosophi. cum ita videretur Imperatori, qui ab ambulando se iactabant, & in animos, inducente Sophistica arte erant summe eruditi. Quidam vero vnus inter eos primas partes tenebat in agendo, qui habebat pesuadendi vim inexpugnabilem, & cuius eloquẽtia linguis celebrabatur omnium. Is cõgressus cum Episcopis fortiter defendebat Arrium. & valde resistebat suscipiens eius patrocinium, adeò vt magnam partem populi attraheret ad audiendum, auentem scire vtri ex contradicentibus futuri essent superiores. Nihil enim erat adeò solutu difficile, ꝙ non ille redderet facile solubile sua dicẽdi copia & facultate. Cum autem sæpe in arctũ cogeretur responsio, instar anguillæ elabebatur furtis persuasionis & escis sophisticis. Erat ergo veritatis & artis contentio: illis quidem qui veram tuebantur rationem, sententiis nõ arcificiose & callide excogitatis, Sophistam ferientibus: hoc autem, tanquam arma, obiiciente varietatem orationis, fallacem q́ꝫ & subdolam ratiocinationem, & ea se magis arbitrante posse vincere.

Sed ne dicendi facultatis esset victoria, verum Christi & veritatis, alis viris doctis prætermissis, ea fuit Spyridonis viri simplicis. qui cum nihil aliud sciret nisi Christum eumq́ꝫ crucifixum sicut ait Paulus: cũ vidisset Philosophum se iactantem Sophismatibus, & linguam maledicam mouentem contra Christum, & nostra conantem subsannare, accedens petiit vt sibi liceret parumper cum eo colloqui. Qui autem erãt earundem partium, cum scirent q̃ꝫ esset ei simplex & prisca pietas, & præterea ꝙ græcorum doctrinam ne summis quidem labris gustasset, prohibebant ne veniret in medium & congrederetur cum Sophista. Is vero ab eis minime persuasus (sciebat enim quid superna quidem esset sapientia, quid autem

humanæ

humanæ vires & quæ inanes redduntur & abolentur) ad virum accessit & dixit. In nomine Iesu Christi ò Philosophę, mihi iam quoq; animum adhibe: & audi ipse quæ volo dicere. Cum is autem dixisset, Tu quidem dic: ego verò audiam. Vnus est Deus, inquit Spyridon, cœli & terræ & aliorum omnium quæ intercedunt opifex. Is est qui cœlestes produxit virtutes. Is est qui è terra formauit hominem: & omnia constituit tam quæ sub aspectum cadunt q̃ quæ non cadunt. Huius verbo & spiritu productum quidem est cœlum: producta est autem terra: diffusum est mare: extẽsus est aër: generata sunt animalia: homo formatus est magnum hoc animal & opus admirabile. omnia facta sunt. astra. luminaria. dies. nox. reliqua omnia. Hoc ergo verbum Dei nos scientes esse filium & Deum, ex virgine propter nos credimus esse natum & crucifixum, & fuisse postremo sepultum, deinde etiam resurrexisse. Deinde cum resurrexerit, & nos simul fecerit resurgere, & ab interitu alienam & æternam nobis vitam præbuerit, eum dicimus etiam rursus venturum iudicem omnium: nostrorum quæ factorum sermonum & cogitationum incorruptum & qui falli minime potest iudicem. eum esse eiusdem cum patre essentiæ, & simul considere & esse ei honore æqualem. Non hæc quoque ita tibi esse videntur ò Philosophæ?

Ille quidem interrogauit: Philosophus verò, vt qui nõ eandem quam prius haberet animam, nec eandem mentem & linguam quæ tam facile opponeret & contenderet, auribus quidem fuit attonitus, animo vero obstupefactus, ei autem vos est extincta. & cum aliquandiu conticuisset, nihil aliud habuit quod responderet, nisi. Hæc quoque ita mihi se habere videntur. Sanctus autem, Age ergo, inquit, quoniam hæc tu mecum confiteris, nec factis velis discrepare. sed cum scias quis sit Deus & quis hoc fecerit vniuersum, surge & accede ad ecclesiam: & accipe signum rectę fidei. Hęc postquam audiuit Philosophus, statim quidem mutatus fuit ad accuratam ac perfectam religionem. Conuersus autem ad discipulos & alios auditores eorum quæ dicebantur. Quandiu quidem, inquit, ò viri, certatum est verbis, ego quoque arte resisti. Quando vero non amplius quidem verba, sed diuina virtus fuit opposita, & in verborũ simplicitate arcanam quandam & ineffabilem ostendit virtutem, tunc me non pudet esse victum. Quinetiam & mihi ipsi & aliis lubenter consuluerim, si non sit aliquis nimis sinister & peruersus, aut qui se in veritatẽ velit improbe gerere, vt credat Christo & hunc senem sequatur. cui lingua quidem omnino est hominis, verba autem sunt Dei. Quantum putatis hoc Arrianis quidem dedecus, piis autem honorem attulisse & voluptatem? Illi autẽ fuere superati, cum omnes ferè quidem rectæ assensi essent sententiæ, sex vero soli relicti essent Arrio, futuri mala pars & improba patris mẽdaciĳ & ab initio implacabilis inimici veritatis. Tam aperte cõfutatis iis quorum mala erat opinio, reuersi sunt Episcopi, victoria quidẽ læti, miraculo autem obstupefacti, & propter hæc ambo Deum laudantes. nempe q; & aspexissent admirabilia & quæ erant præter opinionem: & q; vicissent Arrĳ insaniam. Porrò autem ipse quoque Imperator miraculo omnino obstupefactus, Spyridonem omni honore prosequitur: & cum postulasset vt per ipsum Deum haberet propitium, eum domum dimittit.

Interim vero dum hæc agitarentur, moritur quidem sancto filia: 6 *6 Habuit filiam san-*

Eius Epus ex uxore quæ ante adeptum Epatum mortua fuerat ut supra ostensum est.

quæ nata ei fuerat ex honorabili coniugio: & florenti ætate longe speciosiorem ostendens temperantiam, permansit virgo toto tempore. res quæ puro sponso digna est thalamis cœlestibus. Reuersus autem magnus Spyridon, cum eam ita tulisset calamitatem vt par est virum talem, ad eum vero qui paulo ante aduenerat accessisset quędam mulier, tristis admodum & deflens miserabiliter, q apud filiam eius adhuc superstitem ornamentum quoddam aureum deposuisset: cumq; illa celeri morte prærepta esset, quod eius fidei creditum fuerat apud eam mansisset, fuit hoc sancto curę. Quidni enim, cum esset animo tam benigno? & nisi restitueretur depositum, violatum ius esse iudicabat, & ei putabat fieri iniuriam. Cum ergo totam suam domum diligenter scrutatus, nusquam id quod quærebatur poterat inuenire, quidnam fit, & quemnam affert exitum multiplex Dei sapientia? Accedit ad loculum sicut meus Christus prius ad Lazarum, vt qui omnino esset eius Discipulus, & quoad eius fieri posset res illius imitaretur. Multi autem eum sequebantur ex iis qui cum illo versabantur. Deinde perinde acsi non in sepulchro, sed in thalameo adhuc esset viua, conueniens filiam, ea suo nomine vocata, omnibus qui cum eo aderãt audientibus, Filia Irene inquit. Vbi est ornamentum quod apud te fuit depositum? Illa tanquam ex molli aliquo somno expergefacta, simul sanum seruans & spiritum & vocem. Domine mi, inquit, in hac parte domus fuit à me repositum aureum illud ornamentum. Inuasit post hæc stupor eos qui aderant. Deinde miraculum etiam sequitur aliud miraculum. Nam perinde acsi ille esset vitæ & mortis Dominus, & hoc dono à Christo quem desiderabat honoratus, qui ad breue tempus propter vsum eam viuificauerat, iubet rursus mori. Dormi de cætero, inquit, filia, donec communis Dominus te cum omnibus communiter excitauerit. Ipse autem cum accessisset ad illam filiæ domunculã, & vt dixerat filia, ornamentum inuenisset & sustulisset, id tradit mulieri, sic & augens miraculum & eius maiorem fidem faciens. Et hæc quidem in insula.

Vt autem Antiochia quoque posset videre Spyridonis virtutem & gratiam & de ea ferre testimonium, hoc quoque fit valde mirabiliter & contra opinionem. Quomodo vero, iam ostendet oratio. Nuper quidem magnus Constantinus relicto imperio è viuis excesserat. id autem filij diuiserant. Et Cõstantius quidem cui sorte obtigerat vt teneret imperium Orientis, in magna vrbe Cælesyriæ, nempe Antiochia, versabatur. Eum autem grauis morbus inuadit, qui Medicorum manus & artem reprobabat. Hac de causa aliorum omnium spe abiecta, eum precabatur solum qui potest curare animas & corpora. Cum vero precatione vteretur intensius, noctu in visione ei apparet angelus, ostendens ei chorum sanctorũ multorum Episcoporum. In quos cum Imperator defixisset oculos, in medio quidem eorum videt quosdam duos stantes qui erant ipsi quoque Episcopis similes, videbantur autem esse Duces & præsides aliorum. Cũ eos ipsi ostendisset angelus, solos eos esse dicebat eius morbi curatores. Cum eum vero dimisisset somnus, cõsiderabat quidem quinam ij essent: non poterat autem somnium coniicere. Quomodo enim, cum eorum nec nomen nec patria ei esset nota? maxime cum alter eorum qui ei apparuerat vt Episcopus, nondum re uera erat factus: sed quod futurum erat, tanquam quod iam factum fuerat apparuerat. Cũ propter hæc ergo esset

animi dubius Imperator: & simul quidem visione moueretur, cruciaretur autem doloribus, nesciebat quidnam ageret. Feruor vero fidei illũ optime admonebat, non adeò temere illam apparuisse visionem. Vnde etiam ei persuadet, vt præclarum & Imperatore dignum, & in præsentia quidem sapientia minime vacuum, caperet consilium. Quotquot enim Episcopi per vniuersum Romanorum Imperium vitæ ex virtute agendæ curam gerebant iussit conuenire: vt cum simul conuenissent, duo quoque qui ei apparuerant, ei noti euaderent.

Missæ sunt ergo litteræ per vniuersam regionem quæ parebat Romanis, & vocabant Episcopos. & quoniam cum alij accessissent, ij qui quærebantur nequaquam agnoscerentur, mittit etiam in Cyprum insulam, accersens Spyridonem & illius gratiam. Ille autem omnia quidem spiritu præuiderat de Imperatore. In somnis enim ei singula significabat gratia. Cum vero Imperatoris quoque verba ei consentirent, non inuitus ad eum proficiscitur, illum quoq; virum secũ ducens, qui in ea quę prius apparuerat visione cum illo adstiterat Imperatori. Ei nomen erat Triphyllius, qui nõdum quidem erat adeptus sacerdotium: à superis autem, antequam eligeretur ab hominibus, fuerat designatus. Cum eo ergo simul ingreditur Spyridon in regiam, tenuiter admodũ ornatus & simpliciter. Nam vestis quidem erat admodum 7 vilis. In manu autem habebat virgam ex palma: & tiaram gestabat in capite. Pręterea vero vasculum quoq; quoddam fictile ei pendebat ex collo, vt qui, sicut mos erat iis qui sanctam habitabant ciuitatem, statuisset ferre oleum sanctæ crucis.

7 *Vtebantur sancti uilibus uestibus & simplicibus.*

Quoniam autem non satis erat tenuitate & à rebus superfluis aliena simplicitate, sed etiam in ferendis iniuriis moderatione, suum inuitari Dominum. Quidam in regia, eius irridens tenuitatem, & indecorum esse arbitrans eum ingredi in regiam qui ita esset vestitus, ille sacræ maxillæ incussit colaphum. Fulmen autem non fuit è cœlo missum in eum qui percusserat: sed id omnino passus est, qui ipse quoque in seipso diuine id erat passus. Ille vero, ò generosum animum & ad patiendum ambitiosissimum, ei qui ipsum afficiebat iniuria præbuit ei alterum promptus ad dominicam legem implendam: & se promptum exhibendo ad patiendum, vincens illam nimiam celeritatem manus & impudentiam. Hoc illum insolentem & iniuriosum cœpit hominem, & magno pudore affecit: & maxime quòd acceperat eum esse Episcopum qui affectus fuerat iniuria. Vnde etiam mutatus fit ei supplex: & petit venia, inconsideratæ lapsum audaciæ curare contendens calore pœnitentiæ. Ille autem, didicerat enim, sicut ferre iniurias, ita debita remittere: imo verò eum qui ipsi molestiam attulerat remunerari bonis, verbis quibus potuit eum affecit beneficio, paterne consulens & meliorem eius reddens animam. Quo factum est vt qui apud Imperatorem primos honores obtinebant, eum reuerentes prosequerentur, & vt par erat ducerent ad Imperatorem.

Non sunt autem prætermittenda quæ interim euenerunt, quæ sunt studio digna, & quę possunt magnam afferre vtilitatem animis studiosis sapientiæ. Videns ille magnus suum discipulum Triphyllium perfectum mox futurum & ei similem: in præsentia vero ea quę in mundo sunt magna, & pro quibus multi esse contendendum existimant, magna esse existimantem, vt qui esset adhuc ętate iuuenis & haberet ętatem ad hoc opi-

tulantem: & ea quidem admirantem quæ erant in regia, vestes, inquam, splendidas, & auri nitorem: & ante omnia quidem ipsum Imperatorem qui in excelso quidem præsidebat, conspiciebatur vero terribilis & specie insignis Cum propter hæc omnia videret eum stare sublimem & erectũ & quasi à se discessisse, ei veluti somnum soluens: & quæ vere habebat somnia manu palpans & depellens. Sed mihi, inquit, Triphylli illum ipsum ostende Imperatorem neque enim possum scire quisnam sit. Is autem non intelligens quid magnus sibi vellet Spyridon, Hic est, inquit, manu ostendens Imperatorem. Quid est ergo, inquit, Spyridon, hic aliis admirabilior, nisi eum etiam dixeris iustiorem ob fastum & splendorem? Non ęque ac quiuis pauper ignotus morietur, similiter vero sepulturæ mandabitur & interibit: similiter quoque sistetur ante incorruptum iudicem? Cur quæ fluunt tanq̃ quæ sunt stabilia honoras, & quæ nihil sunt habes in admiratione, cum licet potius ea quæ sunt materiæ expertia & æterna quærere, & gloriam amare cœlestem in quam non cadit interitus?

Cum hæc autem diceret Triphyllio, Imperator ex excelso tribunali in sanctum coniicit oculos: & primum quidem eum attrahebat habitus & amictus, formæ quæ visa fuerat conueniens. Sic enim visus fuerat ei adesse in somnis. & erant omnia eadẽ. virga. tiara. vas è collo dependens. & vestis. Eum ergo statim cognouit ex alto. Triphyllium autem non poterat coniicere. neque enim curabat eius speciem curiose inquirere, q̃m eum non videbat Episcopum, sicut somnus ei significabat. Quamobrem statim surgens è sede vadit ad magnum Spyridonem. Desiderium enim recuperandæ sanitatis faciebat eum alia contemnere. Splendorem certe imperatorium & imperij magnitudinem postponens honori magni Spyridonis, se admodum humiliter & abiecte in eum gerit, humilitate captans misericordiam: & ostendens quantum intersit inter Regem qui est ad tempus, & eum qui seruit Regi æterno. Illi ergo inclinato capite, placabat cum lachrymis: & eius petebat preces tanq̃ validissimum aliquod medicamentum, quod omnem molestiam potest facile soluere. Postquam ergo manus illius 8 tetigit caput Imperatoris, statim fugatus est morbus, & conualuit Imperator.

8 *Solo tactu capitis Imperatoris eum curat ab infirmitate sua.*

Quis quæ postea consecuta sunt narrabit, eorum qui aderant, & ipsius Imperatoris, quemadmodum toto die festum agebant, & propemodum exiliebant, & neque se præ gaudio poterant continere? Solus Spyridon erat in labris omnium. aspiciebatur Spyridon. Spyridon erat id quod studio erat omnibus. Imperatori itaque fuit quidem corpus restitutum sanitati. vt autem sana esset eius anima, nunquid vt paruum & à medico contemnendum fuit despectum? Vbinam vero hoc fecit sacrosancta illa anima? Sed ei quoque omnino conueniens adhibuit medicamentum. vt qui suaserit quidem vt meminisset Dei beneficij: in eos autem qui eius parebant imperio, iis quidem qui offendebant & aliquam attulerant molestiam, clementem se præberet & misericordem. iis vero qui secus se gesserant benignum & liberalem. iis autem qui priuati erant rebus necessariis, patris & curatoris munus obeuntem: manumq; & viscera iis benignissime aperientem. Quantum enim, inquit, præstas cæteris, tantum te esse oportet virtute excelsiorem. Qui enim non sic est affectus in subiectos, Tyrannum oportet eum potius vocare q̃ Imperatorem, qui non est cen-

sendus

fendus beatus propter potestatem, sed qui censetur miser & odio habetur propter superbiam. Postremo adhortatus est vt accurate teneret & obseruaret, ea quæ pertinent ad pietatem, & ne tantillum quidem admitteret quod non Dei videretur 9 ecclesiæ. Et hæc quidem magnus. 9

Imperator autem volēs eum remunerari propter acceptam ab eo curationem, dabat ei vim auri innumerabilem. Ille vero ei dixit lepide. Non sic oportebat ò Imperator, odio remunerari amicitiam. Quæ enim à me propter te facta sunt, sunt re uera amantis, Domum relinquere, & tantum maris transmittere: & hyemis ferre difficultatem: & ventorum in aqua immanitatem. Pro horum ergo remuneratione aurum accipiam quod est omnis mali causa, & facile perdit quidquid est iustum? Quomodo non meipsum aperte accusarem, & summæ damnarem improbitatis? Hæc illo dicente & se nihil accepturum affirmante, violentius instabat Imperator vt daret, dedecus quodammodo existimans, vt qui beneficio esset affectus, beneficium non remuneraretur: sed expulso morbo corporis vinceretur in animi probitate. Quocirca magis instabat vt vinceret sic affectus eum qui vinci non poterat. Et persuadet quidem illi vt accipiat: nō autem vt quod datum fuerat apud eum maneat. Cum enim valere iussisset Imperatorem, distribuit omnia iis qui erāt in regia. re ipsa docens quomodo oporteat eos affectos esse ad opes & pecunias si velint esse liberi. Magna enim ad eas propensio, & nimis victum esse ab earum possessione, quid est aperte aliud quam voluntaria seruitus? Hoc cum audiisset Imperator, dixit se non amplius mirari, si hic vir qui ita viuit tam magna faciat miracula. Quantum itaque fructum percepit Imperator ex verbis Spyridonis? vsque adeò & benignitatem aspexit & humanitatem, vt omnibus quidem egentibus, & viduis & orphanis, illis quidem viduitatem, his verò orbitatem, his autem etiā inopiam, magno & excelso animo recrearet & sustētaret. Porrò autem omnibus quoque qui sunt partium ecclesiasticarum, Sacerdotibus inquam & Diaconus primus lege decernit immunitatem. absurdum esse iudicans, eos qui Regi immortali attributi sunt ad ministeriū, Regi mortali soluere vectigalia. Et hæc quidem ita se habebant.

Nota prudentissimū documentum Imperatori datū à sancto, ne tantillum quidē admitteret quod nō Dei uideretur Eccl. At proh dolor hoc infelici tempore multi multa afferunt, quæ cum catholica Eccl. manifeste pugnant.

Vult autem oratio etiam aliorū meminisse miraculorum, quæ sunt ornata læto flore gratiarum, & cum vtilitate magnam spirant vtilitatem. E regia sanctus egrediens, & hospitio excipitur à quodam Christi amāte. Ad eum autem accedit mulier barbara & linguæ græcæ imperita: quæ suum filium mortuum ferens in manibus, eum deponit ad sancti pedes: quinetiam ipsa quoque prona cecidit, deflens miserabiliter. & iis quidem qui aderant ea dicens quæ non poterant intelligi propter barbariem, solis loquebatur lachrymis, significans se flere propter filium, & petere à Pontifice vt eum suscitaret. His frangitur vir animi misericordis. & duabus rebus, moderatione scilicet & cōmiseratione mulieris distrahitur. Quādo enim ad eius dolorem & viscerum ardorem aspiciebat, aggrediebatur miraculū & incitabatur ad orandum Deum vt puer reuiuisceret. Quādo vero rursus intuebatur ad magnitudinem petitionis, cum esset modestus ac moderatus cordeq; pius & cautus, cedebat & differebat: & esse iudicabat conatum impudentem. Quocirca statuit adhibere in consilium vnū ex iis qui erant secum. is autem erat Artemidorus qui iam erat Diaconus.

vir qui omnia quidem diligenter exercuerat quæ pertinent ad virtutem. Vnus vero veluti communis quidam color erat contemperatus omnibus, vt recte gerens nulli esset omnino manifestus. Eum ergo rogauit Sanctus quid eis esset faciendum. Ille autem ei dixit, quod illum omnino oportebat dicere & hunc audire. Quid enim ò pater, inquit, interrogasti? Quid est autem aliud faciendum & tibi maxime, nisi Christus vitę dator inuocandus, quem iam in multis fuit euidens tuas exaudire orationes? & alioqui si per te saluus euasit Imperator, pauperes & inglorij iudicabuntur esse despiciendi.

10 *Oratio cum lachrymis & genuflexione, & eius mirabilis exauditio.*

Pulcherrimo consilio paret Pontifex: & corde accensus misericordia, & oculos habēs plenos lachrymis, genibus in terram flexis, & eam rigans fletibus, ardenter admodum clamat & miserabiliter: & bonum Christum benigne rogat, vt miserę mulieri infantem viuificet: & matrem reddat, congruenter scripturæ sacræ. propter filium lætantem. Qui ergo per Elissæum & Eliam Sareptanę filio & Sunamitidis immisit spiritum & vitam est largitus, ipse rursus etiam audiuit Spyridonem. & puer qui mortuus iacebat, conspectus est veluti plorans ante oculos matris. Lachrymis mihi sunt suffusi oculi prægaudio. Sic enim meum affecit animum id quod dicetur reuocatum in memoriam. Vos quoque id audite. Cum enim viuum vidit mater suū charissimum, ò arcana tua, ò Christe iudicia, nimiam non ferens lætitiam, in terram cadens expirauit. Ostendit id quod factum est, nihil nimis esse longe optimum. Ecce enim non mortalem solum esse doloris exuperationem, sed etiam gaudij nouimus immoderationem. Vos quoque sat scio affecti estis animo, ex lætitia mutati in dolorem. Sunt enim homines natura misericordes. sed prope adest magnus Spyridō, qui vestram tristitiam mutabit in gaudium. Rursus enim morem gerit Artemidoro, & ad hoc vt det matrem filio vir modestus inducitur.

11 *Oratione facta, solius vocis imperio mulierem à morte reuocat sanctus.*

Ad cœlum ergo intuens, & Dominū qui in eis habitat mente agitans, illum precatus qui vitā inspirat mortuis, & sola voluntate omnia transmutat ac transformat, dicit ei quæ iacebat. Surge, & sta supra pedes tuos. Illa autem repente, vt quam somnus potius quam mors oppresserat, surrexit & ei astitit: & infantem in vlnis accepit. Ille vero, vt diximus, erat viuus, & in vlnis maternis exiliebat. Hæc ille quidem magnus, propter insignem, vt dixi, moderationē nolebat efferri in vulgus. Artemidoro certe, & mulieri per eum indicit silentium. Sed Artemidorus post eius mortem nefarium esse iudicans frādare viros pios tam pulchra auditione imo vero tam magno miraculo, id aperit, & tradit auribus fidelium. Et hæc quidem sic habent.

Postquam autem magnus Spyridon Antiochia reuersus est in Cyprū, quispiam ad eum accedens, volens emere capras gregis numero centum, iussus à sancto prius pretium soluere, deinde accipere, ipse cum nonaginta & nouem solum soluisset pretium, vnius retinuit, lucrū, vt dicitur, melius dedecore existimans. aut etiam opinans fore vt lateret illius simplicitatem remotam ab omnium negotiorum solicitudine. Cum ergo ambo fuissent intra mandram, ille quidem iussit quantum soluerat pretium tot capras accipere. Ille autem ne sic quidem intelligens, centum exigebat è mandra. Vna vero ex capris tanquam bona ancilla cum sensisset se non fuisse vēditam à Domino, cito rursus est reuersa & petrexit ad mādram. Ille au-

tem rursus abduxit & per vim retraxit impudens. Hoc bis iam vel ter factum erat, quod est mirabile: & capra quidem reuertebatur: ille vero retrahebat manu violenta & animo, Quid ergo? cum sic nihil proficeret, eam humo sublatam & humeris impositam abducebat. Illa autem maxima & asperrima voce clamans, & eum cornibus feriens & in illius caput impingens, vim illius aperte prædicabat: & auari hominis quodammodo puniebat iniuriam: adeo vt qui aderant fuerint hac re obstupefacti, causam non valentes coniicere. Magnus autem Spyridon nolens eum aperte arguere, sensim dixit ei qui faciebat iniuriã. Vide fili ne non frustra hæc faciat animal, & non sine causa ægreferat se abduci: sed ꝙ forte imprudens eius non soluisti pretium. Sic ille piscator animo sauciatus id tulit: & cum sensum eius quod fecerat accepisset, id & confessus est, & eius petiit veniam. Deinde etiam cũ pro vna soluisset pretium, ea nõ amplius clamabat & resistebat, sed tacite alias sequebatur. Et hic quidem sic.

Alius autem. sed hoc dicam superius. In insula est quidam vicus qui dicitur Erythra; non procul à metropoli Constantia. Non distat enim ab ea plusquam triginta stadia. Huc cum venisset magnus Spyridõ propter aliquem vsum, ingreditur 12 templum gratia orationis: & iubet cuidã Diacono ex iis qui erant in eo loco, vt breuem aliquam sacram perageret precationem. Via enim quæ fuerat longa erat defessus. & maxime cum esset tempus æstiuum: & ei æstus magnus tunc afferret laborem. Ille autem erat admodum tardus: & consulto preces ambitiose producebat, inanem, vt videtur, ex hoc sibi captans gloriam. Torue itaque eum intuitus qui erat alioqui natura lenissimus, increpando dixit, Tace. Ille vero perinde ac linguæ aliquo vinctus compede & sermone priuatus, erat mutus, repente interrupta serie orationis quæ tunc ab eo canebatur. Sed cum sanctus id quod deerat adimplesset, procidit ad eius pedes miserabilis, qui paulo antè apud se erat excelsus. mutus, qui verbis antea abundabat, & mora delectabatur intempestiua. Ex iis vero qui vicum habitabant, eos quidem qui aderant inuasit metus: eos autem qui aberant fama fecit concurrere. & multis continuo confluentibus, tum motis sancti admiratione, tũ etiam eius qui passus fuerat misericordia. & maxime eius cognatis & necessariis, qui etiam generosam illam rogabant animam, vt ei ignosceret qui damnatus fuerat vt esse mutus & ei relaxaret vinculum, vide quid facit vir ille aptus virtute & cõcinnus, cum precibus quidem flecteretur, ꝙ castigatione autem adhuc egeret Diaconus retraheretur, nam hoc quoque videbat per spiritum, pœnam scite partitur: & permittit quidem vt lingua vtatur ad omnem sermonem. non tamen omnino libere, nec vt prius clara & canora: sed hebete & imbecilla & parum cespitãte & balbutiente, erudiens ne amplius propter linguã sibi placeret, nec se de verbis iectaret, cum nec de rebus quidem ipsis se iactare viro bono sit honestum.

12 *Vides templa esse cõstructa etiam orationis causa, & non tantum ꝑ auditione verbi Dei ut dicunt haretici, aut pro sacramentorum participatione.*

Volebam nunc imponere finem orationi & amplecti silentium, vt qui nec habeam linguam quæ cum tantis possit extolli miraculis. Sed quoniam & ipse propter meam in hunc sanctum beneuolentiam parturio expositionem: & vos video nihilominus ore hiante ad audiendum attẽtos, adiiciam rursus alia miracula. melius esse ducens ea quomodo potero persequi, q̃ si ea memoriæ non mandauero, vos illa fraudare vtilitate. Ingressus erat aliquando quoddam templum suæ ciuitatis hic vir diui-

nus de more vespertina peracturus cantica. Ita autem contigerat vt populus non esset in templo. Cum ergo nullus esset alius nisi Æditui tantũ & ministri, iubet solito plura accendi lumina: & ipse quidem lætus stabat ex aduerso aræ, pacem acclamans consuetam. Cum autem non esset vt solebat populus responsurus, auditur desuper vox quædam multarum myriadum acclamãtium, Et cum spiritu tuo. Erat vero vox quædam modulata & numerosa, & quæ erat præstantior q̃ vt humana esse coniiceretur. Postquam autem preces peregit Diaconus, timore correptus rursus audiuit, ò miraculum, Kyrie eleeson, diuine acclamatum. Et quoniam hæc vox se manifestam reddebat iis etiam qui erant foris, concurrebant omnes simul admirantes. Nam priusquam portas ingrederentur, aures voce percutiebantur. Cum autem ingressi essent, nullum amplius audiebant, neque vllum videbant, prȩter iustum, & paucos ex iis qui ei ministrabant. qui ipsi quoque dicebant se neminem quidem huc vsque videre, audire vero emittentes vocem diuinæ exultationis.

13 *Ecce antiqua consuetudo accendendi lumina in templis.*

Nec hoc quoque est silentio prætermittendum. & q id dicere conueniat, scietis cum audiueritis. Nam cum vespertinum canticum aliquando esset perductum ad medium, iam quidem lucernȩ deficiebat oleum. aliud autem non esse tunc contigerat. parum vero aberat quin lucerna extingueretur. Ille autem angebatur animo, vt qui nollet imperfectum relinquere ministerium. Protinus autem virtute quadam quæ non cadebat sub oculos, lucerna quidem scatet oleo. Superfunditur vero oleũ instar fontis. & cum vasa subiecissent Æditui, excipiebant id quod defluebat. Tam copiosam habebat ille magnus vim scatentis gratiæ in sua anima, non minus quam illud sensile oleum in lucerna. Atque q ea quidem quæ erant in profundo animæ, videre poterat sine impedimento, prius iam declarauit oratio: declarabit autem nunc quoque.

Est ciuitas in Cypro eiusdem nominis cuius Cyrene in Lybia. Ad eam ex Trimithunte cum vsus ita vocaret, abibat magnus Spyridon. Eum autem sequebatur Triphyllius quoque Discipulus, qui iam Callinicensiũ ciuitatis. vt visum fuerat in somnis, factus erat Antistes. Cum vero visum esset ei venire per montem qui dicitur Pentadactylus, vbi fuit in loco qui dicitur Parymne, est autem is locus bonus & amœnus, & multis rebus iucundis affluens, Tripyllius eo loco delectatus, desiderat ipse quoq; fieri Dñs alicuius agri in Parymna: & eum suȩ consecrare ecclesiȩ. Hæc magni faciebat Triphyllus & animo versabat, que neque effugiebant conspectum internorum oculorum Spyridonis. sed & ille pulchre vidit, & placide reprehendit. Discipulum. ò curnam, dicens, ò Triphylli, hæc vana & inania assidue mente versas? agros cupiens & vineas, quæ re uera quidem sunt nullius pretij: solum autem videntur & nomine demulcent. Habemus possessionem in cœlis quæ non potest auferri. Habemus domum non manufactam. Illa persequere: illis vel ante tempus spe fuere, quæ non possunt ab alio transferri ad alterum. sed qui eorum semel fuerit Dominus, manet habens hæreditatem quæ minime aufertur. Hæc cum audiisset Triphyllius, non temere audiit: sed melior euasit animo: & ea celauit in cordis penetralibus: & rogauit sanctum vt ei ignosceret: & postea vitam egit accuratam & perfectam. adeo vt fieret vas electionis Christi sicut Paulus, & innumerabilia dona sit assecutus. Sic magnus

Spyridon

Spyridon alios quidem corrigebat volentes :iis autem qui correctionem nolebāt admittere,malus eueniebat exitus.cuiusmodi est hoc ꝙ sequitur.

Quidam Nauta eiusdem ciuitatis cuius sanctus, cum peregre fuisset profectus, & tempus duorum annorum consumpsisset in peregrinatione, reuersus est. & cum ad charam rediisset patriam, domum suum inuenit inimicam.aperte enim ei fuerat adulterata mulier.Nam & certus erat testis tumor vteri,& fœtus qui in eo gestabatur. Ille ergo continuo vxorem propemodum interfecit. Plenus,enim inquit,ira est zelus viri eius. Cum vix autem iram cohibuisset, & considerasset ꝙ neque esset ei honestum cum ea amplius habitare, neque bonum eam interficere. hoc enim illius esset exitium:illud verò perpetuum ei in vita probrū,& cordis cruciatus qui finem nō haberet,eam quidem relinquit. protinus vero venit ad sanctum: & omnia sigillatim aperit. peregrinationem. tempus.adulterium. & omni exceptione maius vteri eius testimonium. Deinde quid ageret? quomodo ferret: quid de hac re sentire sciscitatur. & dicit se velle quidem dimittere vxorem.cupere autem scire an hoc quoque ei ita videatur. Ille vero illius quidem mentem admiratur: deplorat autem & miseratur calamitatem accersit vero mulierem. & non interrogat quidem num id fecisset, esset enim superuacanea interrogatio quis enim id melius renunciet q̃ vterus, cum sit res manifesta, sed cur sic virum affecisset probro & dedecore? Illa autem, est enim mulier res impudens & temeraria, cū pudorem semel exuisset, nequaquam mentiri aperte erubescebat:& constanter affirmabat se cum nullo alio rem habuisse. Ille vero contrà tempus afferente absentiæ, vtpote ꝙ per eam posset argui mendacium, ea nec sic quidem quidquā remisit de impudentia.sed tumultuabatur execrādat & contradicere conabatur mulier audacissima,adeò vt qui audiebāt eius responsionem ęgrius ferrent quam adulterium. Quādiu enim, aiebat, fuit maritus meus,tandiu fuit mihi infans in vtero. vt simul & ille ex aliena, & hic ex meo vtero prodiret.

Cum hæc & his maiora magno impudenter diceret Spyridoni: quinetiam tumultum excitaret & vociferatione compleret ciuitatem:& tanq̃ grauissima affecta iniuria, eos qui aderant vocaret ad opem ferendam, vir ille mitissimus, ne sic quidem eam iudicio subiiciens: sed eam metu potius attrahens ad pœnitentiam. Si quidem o mulier,inquit,sicut in magnum prolapsa es peccatum, ita etiam magnam induxisses pœnitentiam, fortasse etiam tibi magna relinqueretur spes salutis. Nulla est enim tanta vis peccati quę non à Dei superetur clemētia. Qm̃ autem adulterio quidem desperationem, desperatione vero impudentiam etiam parturiisti, iustum quidem erat vt tu horum præmia agnosceres & velox subires supplicium. Verumenimuero adhuc tibi præbentes locum pœnitentiæ, hoc dilucide prædicimus hunc fœtum non esse tibi in lucem exiturum, donec ipsa lucem veritatis sub profundis mendacĳ tenebris celare destiteris.ea volens tegere quæ vel ab ipsis cęcis videntur, vt aiunt. Hęc verba ad rem paulopòst rediguntur mulieri. & ante tempus partus graues eam inuadentes dolores,acriter quidem torquebāt vterum:fœtum autem nihilo secius intus retinebant: & quod est malorum omnium extremum, cùm ne sic quidem quidquam de sua remitteret peruicacia,eam transmittunt ad mortem maxime miserabilem. Eius calamitatis alius quidem

misereretur. ego vero malę mentis & cui non potuit vllum adhiberi remedium. Quamobrem dicunt sanctum magnum dolorem accepisse, & lachrymas emisisse ex oculis & adiecisse, Non amplius indicabo inter homines, cum tam cito eos inuadat prolata sententia. Hæc quæ visa & audita fuerant, effecerunt vt esset magna in sanctum reuerentia. & ideo pie & caute eum attendebant, & cum timore ad eum aspiciebant, sicut etiam olim ad Apostolos, qui in Ananiam & Saphiram modo fecerant miraculum.

Sed hæc quidem est narratio improbæ & scelestæ mulieris. Adiiciatur autem narratio quoque de ea quæ recte & vt oportet amabat maritum. Mulier quædam nomine Sophronia quę moribus erat moderata & pia, non habebat maritum qui esset eiusdem cuius ipsa in fide sentētiæ, sed ille errorem tenebat gentilium. Illa vero non intermittebat ad sanctum ventitare, & eum vehementer rogare, vt maritum liberaret ab insania. Sed nec eius maritus prohibebat quominus veniret ad sanctum. partim quidem vt qui ignoraret quanam de causa ad eum accederet: partim vero ꝙ apud eum quoque sanctus in magna haberetur reuerentia. Nam ipse quoque ad illum ventitabat: & eo tanq̄ amico vtebatur: & illum honorare proprium suum ducebat honorem. Præterea autem magnus quoque Spyridon ad eum veniebat. Cum ergo sic se inuicem hospitio acciperent & acciperentur, conuiuium quandoꝗ simul ineuntes, sanctus opportune volens captare amicum suum gentilem, conuersus, eis audientibus, dicit cuidam ex iis qui ministrabant. Puer, inquit, paruus, qui meæ fidei fuit cōmissus vt gregem pasceret, grauiori somno oppressus prudēs perdiderat. Cum eū autem dimisisset somnus, diligenter scrutatus inuenit oēs simul absconsas in quadam spelunca. Priusquam vero eas inuenisset, ad nos misit nuncium qui significaret quod euenerat. Ille autem accessit & stat pro foribus. Tu vero descende, & ei nuncio significa omnes esse inuentas & nec vnam quidem deesse gregi. Audiuit minister, & abiens maxima celeritate, ei significauit qui stabat pro foribus. Mensa nondum sublata, alius rursus veniens nuncius renunciat omnia similiter, inuentas pecudes, & locum, & ne vnam quidem deesse numero. Hæc dicta iis quæ sanctus dixerat omnino conuenientia, magnum stuporem iniecerunt illi Idololatræ. & sanctum pro Deo habebat & obseruabat: & volebat eadem facere, quæ Lycaones aliquando faciebant Barnabæ & Paulo, nempe ei tauros sacrificare, & in vestibulo coronas suspendere. Ille vero sicut illi, & dixit, Non ego sum Deus: sed seruus Dei potius, homo qui sum obnoxius eisdem quibus tu affectionibus. Vt autem rectè sciam largitur is, quem si tu quoque Dominum fueris confessus, accurate omnino scies q̄ꝫ sit apud illū inexpugnabilis potentia & quantæ vires. Illa vero Christi magis amans q̄ꝫ viri, hac re tanq̄ opportuna aliqua arrepta occasione, ex se quoꝗ ea afferens quæ ei conueniebant, marito persuadet vt omnē quidem vanum abiuret errorem: & cultum irrideat simulachrorum: rectè autem discat veram pietatem, & Christum induat per baptismum.

Si eam quę deinceps sequitur narrationem silentio texerimus, q̄uo non priuabimus auditores maxima vtilitate, cum simul cum vtili multum etiam inducat iucunditatis? Dicatur ergo hæc quoque. Ferunt magnum Spyridonē, prout erat modestissimus & ab omni fastu & superbia alie-

nus, præclare quidem & sancte Episcopatum suum administrasse: nihilo secius autem ouium quoque curam gessisse. Intempesta vero nocte stabulum adorti latrones, suffurabantur quasdam ex eius pecudibus, Deus autem qui curam gerebat pastoris, ne oues quidem quas pascebat neglexit. Sed fures isti ineuitabilibus quæ sub aspectum non cadebant vinculis comprehensi, & vinctis erant manibus: & nõ poterant omnino recedere. Iam mane aderant: & cum magnus cognouisset Spyridon quod factum fuerat, videns eis manus pone adductas & vinctas, precibus quidem eis relaxauit vinculum. cum plurimum autem eos admonuisset vt ex iustis laboribus pararent quæ erant sibi necessaria, eis etiam præbet arietem, lepide elocutus, Ne frustra vigilaueritis. Cęterum aliud quoque se offert volens sequi id quod dictum est, quod illi nihil cedit iucunditate.

Vir quidam Trimithuntinus erat nauis Dominus: & cum auro opus haberet ad mercaturam, accedit ad sanctum ab eo accepturus. Ille autem huius quoque præcepti cum aliis adimpletor, quod dicit, Eum qui à te voluerit mutuo accipere ne auerseris. id paucum quod habebat idq́ paratũ propter necessarium vsum Episcopatus, ei tradit prõpto & alacri animo. Ille vero qui id acceperat, cum ei fausta & felix successisset nauigatio, & cum lucro esset reuersus, accedit ad sanctum, debitum soluturus. Ille autem non curiose scrutatus nec multis ratiocinatus, iubet illum ipsum qui attulerat, reponere in illo ipso vase ex quo id prius sumpserat. Et tunc quidem eius qui mutuo dederat reueritus, Mercator bonitatem & à negotiorum solicitudine remotionẽ, illic aurum deposuit sicut iussus fuerat. Cum autem vsu eum rursus vrgẽte, sic quidem prompte acciperet: & sic ipse rursus sine dolo reponeret: & hoc modo sæpe fieret, subit mercatorem vitium auaritiæ: infideliterq́ & maligne se gerit in eum qui credebat: & violat veritatem. & cum maleficij materiam inuenisset libertatem, fingit quidem se reponere. Cum vero nihil reposuisset, sed vas vacuum clausisset, recessit. Sed sanctum non sic permisit decipi. Qui comprehendit sapientes in malitia eorum, vt sacra dicunt eloquia: & ne simplicitas & liberalitas facile posset decipi, & facile despiceretur & contemptui haberetur ab astutioribus, vide quemadmodum sapiens & iusta Dei prouidentia, eum qui iniuriam facere erat aggressus vt sibi potius male faciat efficit. Nam cum in sumptibus aurum consumpsisset non ad lucrum, & deinde redactus esset ad inopiam, priori viæ meminit. & veniens ad magnum Spyridonem, aurum quod non reposuerat quærebat vt qui reposuisset. Illum vero non latuit quidem maleficium. placide autem vt solebat iussit vt iret & acciperet. Ille vero tanquam qui nihil turpe fecisset & illiberale, abiit accepturus id quod repositũ fuerat. Cumq́ aperuisset, & vas inane reperiisset quomodo etiam reliquerat, hoc quidem sancto renunciat, eum existimans id latere. Ille autem iubet eum quærere diligentius. Ex quo enim, inquit, tu reposuisti, nullius alterius manus quod depositum fuerat acceperunt. Ille vero simulat quidem se rursus scrutari. Cum autem inueniri nõ posset quod re uera non erat, & prę se ferens ignorantiam dixit ille rursus se nihil inuenire, vir ille bonus & mitis, Si vere, inquit, reposuisses, quod reposuisses facile inuenires. Sin vero quod apud te mansit id nunc quæris à nobis, scias te ipsum potius q̃ nos decipi Hoc cum ille audiuisset, & simul haberet conscientiam eum tacite reprehen-

dentem, minimè tulit: sed humi statim procidit. & sacros illius pedes prehensans, petit veniam. Sanctus autem promptus remisit quã ille petiit. de cætero vero est adhortatus ne aliena sic concupisceret: neque dolis & mendaciis pollueret conscientiam. Nam quod ex eiusmodi, inquit, rebus paratur lucrum, nam est omnino lucrum, sed damnum manifestum.

Cum vnius adhuc ex sancti miraculis meminerit oratio, vadet ad eius decessum. Aiunt ꝙ cum sanctus esset adhuc superstes & præesset episcopatui, Patriarcha Alexandrinus, in dicta Synodo omnium qui ei subiecti erant Episcoporum, volebat gentiles statuas & imagines communibus precibus euertere & eas in terram deiicere. Rebus enim eiusmodi adhuc plena erat ciuitas: & quomodo Paulus ipse quoque inflammabatur spiritu & ardenter spirabat aduersus impietatem. Cum omnes ergo concur-
14 rissent & se dedissent 14 precibus, aliæ quidem statuæ Dei nutu & viribus deuolutæ fuerunt & in terram deiectæ. ex iis autem vna sola, etsi & separatim & simul cum ipso Patriarcha multas preces fudissent, manebat in suo loco. non ꝙ Deus non attenderet aut despiceret sacras illorũ preces: sed hoc sapienti consilio vellet suo famulo gloriã tribuere, & ostendere id quod à multis ignorabatur, qualis esset inter Episcopos Spyridõ. Cum nox ergo iam aduentasset, ipse quidem Patriarcha adhuc vacabat orationi. Quædam vero diuina ei apparens visio, iussit eum non angi animo ꝙ non caderet simulachrum. reseruatum enim esse Spyridoni vt id ab eo solo deturbatum caderet: sed cum eum quam primum è Cypro accerseret. Is enim est, aiebat, Episcopus Trimithuntinus. Fecit vt ei imperatum fuerat Patriarcha: & litteris ad eum missis accersit sanctum: & litteræ significabant causam cur accerseretur: & eam quæ apparuerat visionem: & nequaquam esse recusandum aduentum Ille autem paret continuo. Simul atq; enim desiit legere quæ scripta fuerant, iter init. & nauem conscendens nauigauit Alexandriam. Atque nauis quidem appellit neapolim, est autem hic insignis portus Alexandriæ. ipse vero de naue descendens, execrandam imaginem, cum multis templis, precibus nondum peractis, euertit, & in puluerem comminuit. Hoc sancti aduentum, qui nondum erat manifestus, Papæ significat. Cum enim qui illud simulachrum sua sponte cecidisse viderant, ei renunciassent, Papa continuo, ò amici, inquit, adest Spyridon ex Trimithunte. Illi autem præparantes, eos enim iusserat ei ire obuiam, offenderunt magnum qui adhuc descendebat. Quis adeò remotus habitat orbis fines, qui non hoc miraculum acceperit auditione? Nouerunt quidem Byzantini. nouit autem ipse Imperator Senserunt omnes quoque vrbes quæ intercedunt. & vniuersum ferè orbem terræ peruadens miraculum, dici non potest quantam pararit vtilitatem tam fidelibus quam infidelibus his quidem conuersis ad pietatem & sacrum baptismum accipiẽtibus. illis autem stabilius fundatis super eius petram. Hæc non quædam nuda & minime probata auditio, sed etiam imago loquitur & testatur, quæ stat inter porticum qui dicitur Archonticus & templum Trimithuntis vbi sunt sacræ reliquiæ Spyridonis. Atque his quidem cum aliis dimissis, accedendum est vt simus polliciti ad diuinam illius mortem.

Mira res, precibus episcoporum communibus statuæ Gentilium Alexandrinæ corruerunt.

Tẽpus erat æstatis: & vberes segetes, fructusq; copiosus & multiplex erat sancto. Ipse autem vt qui suis manibus plurimum vteretur in opere

faciendo,

faciendo, dextra accipit falcem & incipit metere. repente vero admodum tenues guttæ roris, Deo tunc minime pluente, solum sacrum illius caput petunt. Deo hoc ei ostendente quod ille quoque florens, virtutibus, tanquam pulchra aliqua seges, rore appetitur. & quod illico hic quoque fructus portatur ad Dominum & Agricolam. Hanc rem admirabilem alia quoque consecuta fuit admirabilior. Cum enim ille suum caput tenēs dextera, iis qui aderant ostendebat roscidū, continuo capilli effloruerunt simul flaui nigri & albi. nescimus quidnam Deo per hæc significante. Ille autem cum vt videtur cognouisset, Sciatis ô amici, dixit præsentibus, quod ego quidem iā excedo è corpore. magna vero gloria Dominus mei excessus circundabit memoriam. & multis hominibus dies mei aduentus erit festi argumentū. idque omnis ætas peraget splendide & magnifice tam puerorum quam iuuenum & senum. Cum hæc & multa alia dixisset & prædixisset, & alia quæ oportebat admonuisset: & quidquid erat bonum & salutare apud eos qui aderant, oratione, vt semel dicam, esset persecutus, & maxime de generali & omnium aliarum virtutum maxima, de charitate inquam in Deum & proximum disseruisset, non multo pòst, vt dixerat, castam illā & sacram emisit animam, in Angelorum quidem chorum merito admissus: neque tamen omnino discedens ab hominibus: sed nunc 15 quoque maximam curam gerēs, quando & Deo est propinquior & maiori apud eum fiducia vtitur & libertate. Atque multa quidem post eius decessum & facta sunt ab illo & adhuc fiunt. Nos autem ne & fine vitæ protinus etiam circūscribamus miracula: neque rursus scriptionem nimium extendamus, cum vnius aut duorum meminerimus, Deo volente finem imponemus orationi.

15 *Nota sanctos non posse dici emortuos cum nostri maximā curam gerant.*

Dixit quidam ex iis qui sunt Christi amantes, & sanctum quidem ardenter amant, amant autem nihilominus etiam veritatem. quod cum eius dies 16 festus celebraretur: celebratur autem duodecimo mensis Decēb. accessit ipse quoque ad 17 sepulchrum, tanquam viuum allocuturus, magnā in eum vultu significans reuerentiam & venerationem. Cum aūt propè fuisset, & oculos esset admoturus, dicebat se tantam diuinam sensisse visitationem intus operantem: & cor eius adeò penetrasse, vt sublime quidē fuerit raptus spiritu, & solas quæ illic sunt visione perciperet pulchritudines. oblitus quidem omnium terrenorum. oblitus vero ipsius quoque corporis, vocisque & sermonis propè expers. ieiunus quoque & neque apud vllum vocem emittens: neque cibum aut potum toto illo die admittens, nisi solum quod sumpsit diuinum corpus & sanguinem 18 Dominicum. Porrò autem aliàs quoque ei extitit miraculum euidentius. est vere modus ad narrandum iucundissimus. Ille quidem, vt dixit, cum eum rursus eius dies festus inuitaret, accessit Trimithuntem: & capsam quæ sancti continebat reliquias adorans & amplectens, similiter quidem habuit cor repletum lumine: impletus est autem ei quoque animus voluptate, & quænam bona expectant sanctos, per præsentia, quoad eius fieri potuit, coniecit. Deinde iuit ad nundinas vt suppellectilem quandam emeret & vestimenta, vt iis indueret pauperes & egenos, vtpote quod tempus animi ad id vocaret. erat enim frigus. Cum ea ergo adornasset, & domum eundum esset vsu ita poscente, erat quidem nubium concursus vt solet hyeme: intentabantur autem minæ vehementis futuræ pluuiæ. & non parum erat

16 *Festum sancti Spyridonis Episcopi.*

17 *Vide antiquū morem uisitandi sanctorum sepulchra in die decessus eorum.*

18 *Quod & sanguine sumpserit cum dominico corpore nos te turbet, nōdum enim latum erat Synodale decretum de communicādis laicis sub una specie tantum.*

sollicitus,num ita afflictus cum onus tradidisset pluuiæ,deberet compendio domum iter ingredi. Bonam itaq; spem sibi proponit:& cum suppellectilem & quidquid erat vestium iumentis imposuisset, ipse currit ad

19 templum Domini.& 19 loculo circũfusus,& tanq̃ vinum ardenter amplexus,rogat vt sit ei viæ comes & bonus dux. eiq; & suis omnibus faustum & felix iter præbeat imbrium minas & vim reprimens ventorum. Ille quidem hæc precatus exit è Trimithunte. Sanctus autem, sicut ipse fuerat precatus,nõ solum fugiens obtutum, sed etiam cadens sub oculos, per totam viam simul aderat, tanquã vnus ex viatoribus. Pluuia vero, & confusione aëris,& concursu nubium,vt semel dicam,impẽdebat.eius autem virtute cohibebatur & reprimebatur illius impetus. Qñ vero is peruenit domũ,ille quidem protinus euanescit. eius autem cor rursus ineffabili luce illustrabatur, & gaudio diffundebatur. perinde ac si sanctus id tetigisset,& ipsum impertiisset sua lętitia & voluptate. Cum aũt sanctus quidem euanuisset,vir vero domum esset ingressus,statim quidem admodum vehemens pluuia est cõsecuta,quæ tandiu durauit vt tres totos dies non defecerit. Et tunc quidem sic viæ difficultatem: alias autem ei etiam aliam depulit animi ęgritudinem.

Vide precationem fusam ad sancti tumulũ illi usque exauditionem. Vide ẽt quantã habeant sancti potestatem post mortem.

20 Agebatur quidem dies festus 20 magni Spyridonis: non licebat autẽ huic vero eò venire:& ea res ei quædam grauis videbatur calamitas.rogabatq; ne consueta visitatione priuaretur & gratia. Quid igitur? Nondum finitæ erant preces: & visus est sibi ire ad templum: & simul illius sensit aduentum: illuminationisq; & dulcedinis de more fuit particeps: & sibi visus est templum ingredi: & cum ipse esset precatus, fuisse cũ eo per totam glorificationem. Qui cum omnibus qui aderant benedixisset, tandem recessit.

Agebatur dies festus magni Spyridonis.

Mihi quidem oratio, si non res omnes illius,at eas quidem certe dixit quæ viris bonis & virtutis studiosis sufficiunt. Qũo autem quotidie eo-

21 rum qui eum 21 rogant,curam gerat & eos protegat, non alij vt par est dixerint,q̃ ij soli q eius miraculis singulis horis fruuntur & gratia. Oportet vero ne hoc quidem fraudare viros pios,si quis dubitãs quærat vnde nam sit Spyridoni tantum mare miraculorum: & quibusnam benefactis effectum est vt esset tam gratus Dño: sciat oĩa quidem bona & honesta, tanq̃ ex consensu in eum concurrisse, & eum fuisse præstantissimæ vitæ exemplar definitum. Vnum autem signum quo cognosceretur Spyridõ & insigne aliorum præstantissimum, erat summa humilitas & insignis moderatio.& ꝙ cum oẽs fere alios superaret qui sunt miraculorum gratiam consecuti, se nihil existimaret: neq; putaret se pręstare alicui ex vilibus & abiectis & grauatis peccatorum multitudine. Talia quidem sunt eius vitæ benefacta. talia autem miracula. Concedatur vero nobis quoq; vt illius aliqua, vix enim fieri potest vt omnia, eius auxilio, imitemur. vt efficiamur etiam cum eo participes paratorum bonorum, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi, Cum quo patri simul cum sancto Spiritu, gloria, honor, potentia & adoratio. Nunc & semper & in secula seculorum. Am̃.

Nota sanctum eorũ curam gerere illosq; protegere qui eum rogant.

MARTYRIVM SANCTORVM *& gloriosorum Christi Martyrum, Eustrathij, Auxentij, Eugenij, Mardarij & Orestis.*

IMPERANTE Diocletiano & Maximiano, vniuersum Romanorum imperium completum fuerat cultu simulachrorum & omnes homines perciti mutua quadam inter se inuicē ęmulatione, proficiebant in hac falsa religione. maxime cum edicta imperatoria quotidie, vt semel dicam, mitterentur ad loci magistratus, quæ iubebant vt Calendis magnifice offerrentur Diis sacrificia: & fore vt ab Imperatoribus honorem consequerētur eisq; noti euaderent, qui ad hæc suum studium contulissent, significabant. ij autem qui in eis colendis essent aliquo modo socordes & ad aliam inclinarent religionem, priuat iis bonis quæ habebant, post multos cruciatus, subiicerentur mortis extremæ sententiæ. Erat itaque magna persecutio in toto orbe terrarum, cum quotquot erant vbique magistratus & Præsides magnā curam gererent vt de medio tollerent vniuersum. Decemb. 13.

Accidit autem vt cum illo tempore ad hos Tyrannos esset delatum q̄ tota magna Armenia & Cappadocia illorum edicto repugnarent: & iam vnanimes spectarent omnes ad defectionem, immutabilem habentes animum in Dominum nostrum Iesum Christum, propter hæc fuit conturbatus Cæsar Diocletianus. & cum omnes suos accersiuisset proceres: & tribus diebus à mane vsque ad vesperam cùm eis consultasset, deposuit eos quibus commissę fuerant rectiones vtrarūq; harum gentium, eos simplicitatis damnans & stultitiæ. misit vero duos viros qui è Græcia ducebant Originem: patriæ autem doctrinæ magnam consecuti fuerant cognitionem: erant vero ingentis & immanis spiritus, aures ad cogitandū & ad dicendum promptissimi. & qui mores habebant & calliditatem quæ non poterat indagando & perscrutando cognosci. Ex quibus cum vnum quidem nomine Lysiam iussisset curam gerere omnium limitaneorum, alterum qui vocabatur Agricolaus, iussit totius Præfecturæ administrare imperium. decernens vt non solum eis deseruiret manus limita eorum. sed etiam quicunque milites erant collocati in propinquis ciuitatibus.

Cum hi ergo in has venissent prouincias, protinus omnis ętas hominū immisericorditer & absque vlla venia excindebatur: cum neque vlla inueniretur opportuna occasio: parua autem & quælibet calumnia, aut ab inimicis aut à maleuolis hominibus sequeretur. Innumerabilis vero multitudo Christianorum indagabatur & quotidie cōprehendebatur: & his sanguinoris bestiis tradebatur ad interitum. Dux ergo Lysias versans in Sateleon, si huius regionis inueniebat aliquos sanctos viros & sanctas fœminas, post multas interrogationes & tormenta, sub tutissima custodia transmittebat vinctos ad Agricolaum in Metropolim Sebastenorū: vt ab illo de medio tollerentur, & non sincerentur in sua regione: & nec eorum cognati & necessarij vllam eorum curam gererent: nec iusta fierēt eorum corporibus; Prouinciæ quoq; Præside similiter transmittente eos

qui apud Sebastenos orti erant, Sateleon, hoc improbo diu ante inter se inito consilio. Impia enim sua mente cognouerant, Christi Athletis non futurum hoc paruam partem supplicij.

Cum hæc sic fierent quidam Eustrathius qui erat ducalis ordinis scriniarius, & eo tempore primas partes in ea obtinebat, vir pius & Deum timens, & qui vitam agebat citra vllam reprehensionem, angebatur animo propter ea quæ fiebant quotidie: suppliciterq; & miserabiliter vociferabatur ad Dominum nostrum Iesum Christum, in 1 ieiunio perseuerans & oratione, vt propitius esset suis famulis: & intueretur populũ suum in salute & in malorum cõsolatione. Cupiebat autem ipse quoque idem quod sancti subire certamen, & assequi martyrium. Sed varias minas & sæuitiam insuperabilem multiplicemq; molitionem & machinationem Præsidis pertimescebat. Sui tamen scopi & instituti periclitationem faciebat hoc modo. Nam cum zonam suã accepisset, dedit famulo suo fidelissimo: & iussit eam portare in ecclesiam Araucenorum ex qua processerat: & in ara deponere: eum ipsum autem cum eam latenter occultauerit, seruare. & si viderit quidem quendam Auxentium Dei seruũ cui ferunt omnes pietatis testimonium, qui eo tempore erat Presbyter huius ecclesiæ, ingressum ad orandum eam sustulisse, vt habeat zonam sinere, & ad ipsum reuerti. Si aliquis autem alius hoc faciat, nequaquam ei permittere, sed eam zonam repetere. hoc in mente iudicans, ꝙ si Presbyter zonam abstulerit, futurum sit id diuinum consilium & prouidẽtia quæ significet felicem successum martyrij quod desiderat. Sin vero hoc non euenerit, debere eũ latere, nec audere vti fiducia & dicendi libertate.

1 *In ieiunio perseuerans & oratione.*

Cùm hoc ergo factum esset: & famulus paucis post diebus reuertisset, & dixisset ꝙ ea ipsa hora qua zonam in ara posuerat sicut iussus fuerat, presbyter Auxentius tanquam ab aliquo missus ingressus sit ecclesiam, & zonam acceperit: His auditis lætatus est vir pius. & ex Prætorio accipiens omnes suos amicos hora prandij, venit lętus, & magnam vultus alacritatem, quantam nunquam antea, ostendens in cõuiuio. adeò vt propter insuetum hoc spectaculum adducerentur omnes in admirationem & scire causam magni facerent. Vnus autem ex iis qui simul accumbebant, ętate iunior eius charus amicus & ciuis, nomine Eugenius, fidenter eum percontatur, dicens. Nunquid ò maxime Eustrathi, propterea ꝙ à nostro Præside in crastinum diem sunt parata & publice producentia omnia tormentorum instrumẽta aduersus Christianos, accessit tibi profusus hic risus, vt qui ex eo speres aliquid lucrari? Hoc vero dixit, propterea ꝙ in illum annum esset ipse Commentariensis. Sanctus autem respondit Eustrathius. Recte existimasti ò amice. Spero enim ego quoque die sequenti ex hac re consequi thesaurum qui auferri non potest. Sequenti vero die Lysias, ei erecto excelso tribunali in media ciuitate in signostasio, iussit omnes qui erant in costodia produci vt interrogarentur. Sanctus autem Eustrathius profectus in carcerem, rogauit oẽs sanctos vt pro eo orarent. Dixit enim se illo die futurum paris socium certaminis. Cum omnes autem orassent & genua 2 flexissent & extremum Amen dixissent, secuti sunt sanctum Eustrathium, cum eos tenerent milites.

2 *Ecce oratio cum genuflexione.*

Cum autem cohors vt consueuerat astitisset ante Iudicẽ, iussit Lysias sigillatim adduci ad suum tribunal eos qui prius fuerant interrogati Eu-

strathius

strathius dixit Commentariensis. Litteris imperatoriis pridie rursus lectis in iudicio, quæ decernebant vt omnes qui vbiq; inueniebãtur Christiani, cuiuscunque essent dignitatis, iudicio tuo subiicerentur, Auxentius qui olim quidem fuit opibus & vita acta insignis, probatior autẽ & ornatior ex ea quæ nunc ei inuenta est generositate & animi fortitudine, vt qui sit seruus Christi Regis cœlestis paucis his antè diebus assistens in hoc tribunali, transegit certamen immortalitatis, tuam ô Iudex arguens impietatem, verborum sapientia & operum tolerantia. & quoniam ab illo die eum inclusum in publica custodia iussisti adduci hodie examinandum cũ cœtu qui cum eo erat, stant mecum omnes forti & robusto animo, tuas machinas quæ à patre tuo Diabolo sunt tibi suggestæ dedecore affecturi & omnino deleturi. His auditis Lysias, hãc inopinatam viri admiratus libertatem, & cædem spirantibus oculis eum intuitus, ex imo pectore & iracundo eius animo emisso suspirio, voce intonuit, sic dicens. Acerbius mihi q̃ vnquam antea extitit hoc iudicium, & græca patria austeritate repletum, oratore mihi proposito scelerato hoc carnifice. Ab eo ergo stãte tollatur qua indutus est læna & zona: & ex his signis ostendat omnibus se alienũ ab ea quæ ad ipsum pertinebat hucusque militia. Deinde nudus corpore, funibusq; expansis manibus & pedibus, humi extensus, pergat exequi eam qua se defendit concionem.

Hoc autem facto maxima celeritate, dixit Dux, Nulla ô Eustrathi duceris pœnitentia ob ea quæ à te sunt inchoata perniciose: vt quę mihi inest clementia effugias supplicium? sed exordire & dicante tormẽta, cum tuo nomine patriam quoque quæ te tulit: & aperi nobis nouitatem eius quæ in te latebat religionis. Dixit sanctus Eustrathius, Natus sum in oppidulo Araucenorũ, nomine Eustrathius, cognomine Cyrisices paterno sermone. Sum autem seruus Dei domini vniuersorum, & adorandi eius filij Iesu Christi & sancti spiritus. Ex maternis fasciis didici quam colo religionẽ. Dux dixit. Deponat cohors. Quot annos trãsegit in hac militia? Cohors dixit. Vicesimus septimus annus completur hoc anno, ex quo cum esset adhuc paruus ætate, functus est munere exceptoris. Dux dixit. Nunc ô Eustrathi videns q; ex tua inobedientia tibi imminet periculum, & resipiscens ex eo qui tibi accidit furore, sapienti vtens ratiocinatione, ne relinquas eam quæ à te tot annis recte & ordine gesta est militiam, propitiam Deorum inuocans potentiam, & Imperatorum beneuolẽtiam, & iudicij clemẽtiam. Dixit sanctus Eustrathius. Execrãdos Dæmones, & surda simulachra ab hominibus constructa, nullus vnquam homo qui compos esset mentis, censuit adoranda. Dictũ est enim alicubi in nostris scripturis. Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant. Dux dixit. Sed est ne is compos mentis qui Deum adorat crucifixum. sicut vos pleni superstitione? Sanctus Eustrathius dixit. Si tibi non essent mutati sensus mentis, & perturbationũ conspersione non esset ad res terrenas tibi transmutatus animus, ostenderem tibi hunc crucifixum, verum esse seruatorem & Dominum, & vniuersæ creatæ naturæ opificẽ, qui est cum patre ante secula, & ineffabili sapiẽtia per regenerationẽ suscitauit nostram mortificationẽ.

Cum autem vellet adhuc sanctus contexere orationem, interrumpens dixit Dux sceleratus. Funibus in aërem feratur hic vir generosus. ignis autem congeries accensa admoueatur eius pectoribus ad hoc vt combu-

rantur. Supra humeros vero tripliciter vno impetu virgis verberetur, vt oratione nobiscum decertet elegantius. Cum hoc autem factum esset: & multis horis sancti inferne viscera & venter ab igne substrato combureretur, & acerbissimis plagis eius tergum virgis flagellaretur, nulla vox emittebatur: sed neque vlla vultus apparebat mutatio. cerniq́ poterat & coniici quod in alieno corpore subibat supplicium. Propterea obstupefactus sceleratus Iudex, vix tandem iussit eum relexari à tormento. & vultu subridens dixit. Quisnam tuus est sensus ò Eustrati? Vis paruam aliquã aliam tibi impositis plagis excogitem delectationem? Sanctus ait Eustratius. Maxime. Dux dixit. Quoniam ergo quæ nobis placent, à iacente illo sunt approbata, iubeo muriam aceto contemperatam magno fluento infundi membris igne combustis: & acutis testis fortiter ei affricari, donec ex nostro ministerio eorum quæ sunt iucunda plurimo sensu percepto satiatus fuerit.

Cum magna autem celeritate eo quoque ei allato tormento, eadẽ vsus est constantia & animi fortitudine. & neque vllus quantumuis leuis gemitus audiebatur emitti. Dux dixit. Tanquam in scena superstitionem ostentat & iactat, hic, sicut dicit, Athleta crucifixi. Nunc ergo dicat, si per hæc castigatus, sibi persuaserit ad sacras Deorum aras accedere adoraturus. Sanctus dixit Eustratius. Propter eam quę est in te superstitionem & falsam religionem, hæc, sicut existimas, mihi inferens supplicia, imprudens & insciens me hodie multis affecisti bonis, quæ mihi maxime erant in votis ò Iudex. Circunfusam enim caliginem & obscuritatem quæ ex crassitiæ corporis meo inerat animo, his à me tormentis depulisti: & quæ principatum obtinet rationem, earum quæ longo tempore intentabantur tentationum victricem conseruasti: & effecisti vt funderem ac profligarẽ eas quæ in me magno impetu insurgebant animi perturbationes, nullo tumultu oppugnandum mihi largitus pręsidium interni spiritus qui mihi vitam regit in immortalitate. in quo sunt mihi reconditæ diuitię incorruptionis. & ostendisti viam compendiosam & ab afflictione remotam, per quam potero in fictili hoc corpore degens, vitam amplecti angelicam: & cœlesti frui æternitate. Nunc scio me esse templum Dei: & sanctum eius in me habitare spiritum. Discedite ergo à me omnes qui operamini iniquitatem. Quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Dminus deprecationem meam suscepit. Exultabit re uera anima mea in Domino. Delectabitur in salutari eius. Omnia ossa mea dicent. Domine Domine, quis similis tibi, liberans inopem à manu potentiorum eo, & à diripientibus eum. Festina ergo, & decerta, minister aduersarij: & quod in te est nihil remitte: & proba me sicut aurum in fornace magis magisq́: & in me non inuenies sordẽ quę est tibi amabilis & re uera quęritur. Tui enim Dij sunt abominationes, quæ tuæ & tui Imperatoris dominãtur egestati rationis.

Dux dixit. Mentis fortasse, vt videtur, emotio, consecuta est corporis imbecillitatem. quo factum est vt multis verbis vsus sis obscuris & superuacaneis. Si enim posset ille tuus, vt dicis, Deus te participem reddere immortalitatis, à præsenti vtique te plaga liberasset. Mittens ergo vanæ spei agitari somniis, propera ad salutem quæ à me ostenditur. Dixit Eustratius. Vis persuaderi ò tu qui es orbus omnibus sensibus, nihil esse quod meus non possit Deus? Attende & me intuere quem tuis tormentis exi-

ſtimas morte eſſe multatum. Cumq́ omnes in eum defixiſſent oculos, repente veluti quædam ſquammæ eiectæ ſunt ex eius corpore: & ſtetit ſanctus totus ſanus, corpus nihil habens omnino laceratum. Cum propter miraculum autem quod factum fuerat omnes Deum glorificaſſent, quidam Eugenius vir Arauracenus, qui erat ipſe quoque oppiduli officialis eiuſdem cohortis, & permanebat apud ſanctum Euſtratium, magna voce exclamauit, dicens, Lyſia, Ego quoq́ ſum Chriſtianus: & tuam anathematizo religionem: & iuſſui Imperatorum & tuæ reſiſto volũtati, ſicut etiam Dominus meus Euſtratius. Dux ergo propter hæc indignatus & eum execratus, ipſum quoque comprehenſum iuſsit duci in medium. & ſic eſt effatus.

Cum horum quos punire eſt difficile, interrogatio, tempore & otio opus habeat opportuno, nunc autem vrgeat ad ſuſcipiendam conſuetam rerum publicarum defenſionem, hunc prçſtigiatorem & incantantionibus miraculorum effectorem Euſtratium & Eugenium quem nuper apparuit idem quod ipſe ſentire, toto corpore ferro vinctos iubeo conıici in carcerẽ cum reliquis qui ſunt mihi ſeruandi ad aliam examinationem. Hæc cum pronuntiaſſet, deſcendit è tribunali. Sancti vero ducebantur omnes læti & exultantes propter tantum tolerantiam ſancti Euſtratij conſtanſq́ teſtimonium, & propter ſalutare quod in ipſo factum eſt miraculũ Domini noſtri Ieſu Chriſti Poſtquam autem ingreſsi ſunt cuſtodiam, pſallebant omnes vna voce. Ecce Quid æque bonum & iucundum atque habitare fratres in vnum. & quæ ſequuntur. & poſtquam preces impleſſent, ſedentes docebantur à ſancto Euſtratio: promptiq́ & alacres ab eo reddebantur ad propoſitam eis decertationem.

Die illo in his tranſacto, ſequenti nocte Dux cum ſurrexiſſet, profeſſus eſt ſe velle ire ad ciuitatem Nicopolitanam. & interim dum ſoliti ad iter ſe parabant miniſtri, proſiliit ipſe in cuſtodiam vbi erant ſancti. & ſolum beatum Euſtratium iubet trahi foras. Cum autem eſſet adductus, vultu ridenti dixit ei. Lçtare chariſsime Euſtrati. Sanctus vero reſpondit. Deus omnipotens cui ego ſeruio, te viciſsim digne ſalutet ò Iudex. Dux dicit. De Deo ſit tibi curæ in præſentia autẽ cape & geſta hanc quæ tibi datur crepidã: vt lubens nobiſcum iter facias. erat vero crepida longis & acutis clauis transfixa: vt tanquam fibulis perforaretur quælibet pars pedum eius. Cum hac ergo crepida eum induiſſet & loris aſtrinxiſſet, ſuo obſignauit annulo: & iuſsit eum dum duceretur, per totam viam verberari & trahi cum reliquis ſanctis. Ipſe autem cum toto qui cum eo erat exercitu iter perſequebatur. & poſt duos dies peruenerunt ad caſtellum quod eſt prope Arauracos. Cum ſancti autem acceſsiſſent, quotquot erant illius regionis, egreſsi ſunt ad ſpectaculum, deſiderantes videre beatum Euſtratium. Nullus vero cognatus nec amicus audebat ei appropinquare, ne ipſi quoque comprehenderentur. hoc enim à ſcelerato Duce quibuſdam iam imperatum fuerat.

Quidam autem Mardarius, vir quidẽ ſorte priuatus & ſuo contentus, cum illis diebus domum ſibi cõſtruxiſſet, tegebat domum. Cum in omnes autem ſanctos defixiſſet oculos, vidit medium eorum tanquam ſtellam inſignem Euſtratium. & cum cito è domo deſcendiſſet, dixit vxori ſuæ ſermone Armenio. Vides ò vxor, eum qui erat Dominus eius quæ

eſt circũcirca regionis, qui & genere & opibus erat tam inſignis, & tandiu fuerat militiæ clarus, quemadmodum omnia deſpexerit: & abit vt Deo fiat grata hoſtia, & regnum cœleſte cõſequatur? Beatus ille, ꝙ & in hac vita fuerit glorioſus, & apud Dominum noſtrum ſit magnam habiturus fiduciam, & cum Angelis ineffabili voluptate fruiturus. Egregia autem illius vxor reſpondit, Dulciſsime marite, quid obſtat quominus tu quoq; eo venias & eandem qua ipſe viam ineas, & ſanctam conſequaris cum ipſo conſummationem vt ſis mei defenſor, & horum paruorum infantiũ, & totius tui generis? Dixit eius maritus. Da mihi calceos: & ingrediar viam à me deſideratam. Illa vero hoc fecit velociter: & lęta eum dimiſit. Qui cum accepiſſet calceos & ſe veſte induiſſet, & duos quos habebat filios vlnis eſſet amplexus, ſtetit ad orientem: & Dominum inuocauit, & dixit. Dominus Deus pater omnipotẽs, & Domine Ieſu Chriſte, & ſancte ſpiritus, vna diuinitas, vna virtus, miſerere mei peccatoris: miſerere ancillæ tuæ & eam ſuſcipe & hos duos infantes, qui es defenſor viduarum & pater orphanorum. Ego enim Domine cum magno & alacri animi ſtudio ad te venio. Hæc cum dixiſſet, oſculatus eſt ſuos filios & dixit. Salua ſis mulier: & noli affici triſtitia nec flere: ſed gaude & exulta. Te enim & filios meos & animam meam depono in manu boni Dei noſtri qui poteſt omnia.

Et cum hæc dixiſſet, curſim, eſt egreſſus: & venit ad quendam nomine Mucatorem qui in regione Auracenorum habebat habitationem, & in ea obtinebat primas partes, & erat vir valde clarus & diues. & cum eum ſalutaſſet, dixit. Ecce ego vado ad amicum tuum & cognatum Cyriſcem: & Deo volente ero ei comes in via: & cũ eo ſubibo diſcrimen certaminis. Tu ergo eſto poſt Deum defenſor meæ vxoris & meorum filiorum in hac vita: & pro hac gratia ego quoque tibi operam nauabo in illo die qñ coram Deo ſiſtemur, vt mercedem accipias. Dixit vero vir ille pius. Abi in pace fili mi. & pulchrum hoc iter confice: & ne de eo ſis ſollicitus. ſatisfaciam tuo deſiderio. ero enim ſpiritali affectione vxoris tuæ maritus: & pater tuorum filiorum. His auditis, Mardarius cum ei vale dixiſſet, iam de cætero prope caſtellum venit ad ſanctos: & ſic vocauit ſanctum Euſtrathium. Domine Cyriſce. Quomodo ouis ſimplex ad proprium currit paſtorem, ita ergo quoque ad te, volens eſſe vobis in via comes Me ergo ſuſcipe, & refer licet indignum in numerum ſancti tui cœtus. & adduc me, etſi indignum, teſtẽ Chriſto Domino Et hæc cum dixiſſet, clamauit voce magna, dicens. Ego quoque ſum Chriſtianus, ſicut etiam Dominus meus Euſtrathius. Audite miniſtri Diaboli, audite. Tunc cum ipſum milites cõprehendiſſent, colligarunt cum reliquis ſanctis: & cum in caſtello eum conieciſſent in publicam cuſtodiam, de eo quoque ad Ducem retulerunt.

Hac ipſa autem hora, tanquam leo rugiens, ſedit ad examinationem. & pro more adducẽte cohorte lictorum, adductus eſt nudus, funibus manus habens vinctas ſanctus Auxentius, ſanctis adſtantibus & ſingula videntibus: & adhuc vultu læto Dux inquit. Auxenti. Nos quidem liberans à laboribus: te autem ſalute dignum cenſens, nunc ſaltem doce an à vana illa & tibi pernicioſa deſtiteris peruicacia: & cũ Diis redieris in gratiam. Sanctus dixit Auxentius. Paucis audi ò Lyſia. iuro tibi eam quæ præeſt & omnia aſpicit iuſtitiam, eſſe mihi mentem immutabilem: vnumq; Deũ

me

me nosse. & ipsum colere. etiamsi innumerabiles alias mihi plagas imposueris & cruciatus, maiores iis qui iampridem mihi sunt illati. etiamsi me ferro, etiamsi me igne consumpseris, nunquam poteris meam flectere cogitationem. De cætero fac quod velis. Tunc Dux pronunciauit sententiam. Auxentius qui post multa tormenta & cruciatus, etiam nunc permanet in sua perniciosa ignorantia, per ei paratam gladíj amputationem, ferream suam & quę molliri non potest perdat animam. in loco aliquo nemoroso & deserto finem huius sententiæ accipiens: vt iusta sepultura infelix eius corpus careat. Qui autem ausus est se nuper reliquorum cœtui adiũgere, producatur in medium, celeriter consecuturus honorẽ qui ab eo requiritur.

Sanctum vero Mardarium soluentibus militibus ab ei impositis collaribus, hic beatus dicebat. Dñe mi Cyrisce, ora pro me rogo te: & doce me quid sum responsurus huic exitioso & pestifero homini: ne me tanquã agrestem & illiteratum hominem irrideat immanis iste lupus. Sanctus autem ei dixit Eustrathius. Dic solum constãter, frater mi Mardari, Sum Christianus. Sum Christi seruus: & nihil aliud respondeas si quid contra dicat aut faciat. Cum vero esset adductus, dixit cohors, Adest Mardarius. Dux dixit. Qui se nuper tradidit interrogationis, is nomen doceat. studiũ. quæ eum tulit patriam. cõditionem. & quænam sit ei religio. Mardarius dixit. Sum Christianus. Cum autem rogaretur ab Apparitoribus, vt diceret nomen & conditionem & patriam, perseuerauit clamare, sum Christianus. Et cum diu rogaretur, nihil aliud dixit nisi solũ, sum Christianus. sum Christi seruus. Cùm eius itaque simplicitatem & puritatem vidisset Dux sceleratus, dixit. Terebra terebrẽtur calcanei pedum eius, & funibus traiecti ab orbe rotæ pendeant. candentes autem obelisci eius tergo admoueantur. vt ex hoc ambitu fiat sanæ mentis & ad danda responsa idoneus. Cum hoc autem factum esset, & ipse diu penderet à calcaneis, & vreretur subulis, emisit vocem, dicens. Domine ago tibi gratias, q, me his bonis sis dignatus. Desideraui salutare tuum & amaui ipsum valde. Suscipe animam meam in pace. & cum hæc dixisset, tradidit spiritum.

Demissis vero sanctis 3 eius reliquiis, Dux dixit. Nudo corpore adducatur etiam is qui est ex Sataleorum regione Eugenius, qui cum de Eustrathio haberetur quæstio, ausus est subire, quem nõ dico Christianum vt ipsi errantes dicunt, sed plane achreston, hoc est inutilem. Cum ipse autem adstitisset, dixerunt apparitores. Adest Eugenius. Dux dixit. Dic mihi sceleratissime. Quis malus Dæmon te malis fatis actum ad tantam impulit audaciam, vt cum tanta te ingereres impudentia, & nihili faceres iudicíj austeritatẽ. Dixit sanctus Eugenius. Deus meus, qui quos tu colis Dæmones abolet, ipse dedit mihi virtutem: & largitus est mihi fiduciam & dicendi libertatem, vt tuam conspuam infelicitatem sordide canis. thesauræ Satanæ qui tecum traditur in interitum. Dux dixit. Contumeliosa eius lingua excindatur. ense vero priuetur vtrisque manibus. & baculis confringantur eius tibię: vt in nos se gerat temperantius. His autem factis ipse quoque tradidit spiritum.

3 *Nota, demissis sanctis eius reliquiis.*

Hæc cum fecisset Dux sceleratus, exiit in campum vt exerceret exercitum. Cum autem recenserentur, vnusquisque ostentabat suam in armis experientiam Duce contemplante. Quidam vero Orestes nomine, vir procerus & forma decorus, ad nomẽ vocatus & ordinem, adstitit Lysię.

Cum Lysias autem eius laudasset speciem & verum appellasset militẽ, iussit pilum torquere ad scopum. Cũ is vero manum direxisset & arma cõcussisset quę ab eo in pectore ferebatur crux aurea, é veste eius excussa, extrinsecus apparuit, ita vt omnes eam cernerent: & ipse etiam Lysias. Statim autem adductus stetit prope Ducem. & cum manu crucem accepisset Lysias, rogauit quidnam hoc esset. Nũquid tu quoque es inquit, ex iis qui sunt partium Crucifixi? Ille vero dixit. Sum seruus crucifixi Domini mei Dei. & hoc gesto 4 amuletum ad omnia mala auertenda

4 Vide virtutem signi sanctæ Crucis.

quæ mihi ingruunt. Dux dixit. Hic quoque egregius miles, vinctus cum illo carnifice Eustratio, sit ei comes in via, cum opportune sit de eis habenda quæstio in ciuitate Nicopolitana. Cum venisset autem Lysias in ciuitatem Nicopolitanam, magna multitudo legionis militum quæ erat in ciuitate ad eum accesserunt: & omnes vna voce clamabãt. Lysia, nos quoque sumus milites Domini nostri Iesu Christi, fac q̃ velis. Ille vero primum quidem fuit obstupefactus, timens ne aliquid noui aduersus eum innouarent. Deinde cum cognouisset q̃ sicut oues seipsos tradiderunt, solutis zonis suis iussit ipsos comprehendi, & vinctos coniici in carcerem. apud se autem considerabam quemadmodum in sanctis perdendis se gereret: & non esset à Nicopolitanis aut ab eorum cognatis aliqua cõfusio. Præcipue autem timebat sanctum Eustratium, ne si rursus ei inferrentur tormenta, faceret similiter aliquod miraculum: & non solum in fide confirmaret eos qui iam erant Christiani: sed gentiles quoque traduceret à cultu simulachrorum. Visum est ergo ei cum mane surrexisset, transmittere ad Agricolaum in ciuitatem Sebastenorum, sanctum Eustratium & sanctum Orestem. Cum esset itaque dies, iussit hoc fieri, publicam scribẽs epistolam ad Agricolaum hoc modo.

» Magnificẽtissimo Agricolao Dux Lysias. Cum in vniuersa terra quę » est sub Sole, neminem nossent diuinissimi nostri Imperatores, qui melius » scrutari posset arcana orbis terræ, regendæ prouinciæ tibi dederunt pote» statem. Aperte enim sciunt te posse noctes sicut dies ad rem publicam de» fendendam consumere. Quæ dormire non possunt itaque stellas prius so» mnus domuerit, q̃ tuos oculos sopierit, donec effectum fuerit id quod stu» des ad vtilitatem vniuersorum: & vt semel dicam, cum apud te solum » summam inesse vidissent vnamquãq; partem, merito huius quam nunc » obtinens administrationis, quæ nihil habet contemnendum, dignitatem » permiserunt. Quocirca ego quoque testis tam multarum quæ in te insunt » rerum præstantiæ, hunc ad te vinctum mitto Eustratium, qui eorum qui » dicuntur Christianorum magno morbo laborat. maxime cũ nihil possim » inuenire quod sufficiat ad auertendum audacia eius cepta. sed etsi eius quæ » mihi seruit militiæ honorẽ esset assecutus, maiori superbia animo erectus, » desiit in contumeliam. Quo si intentarem metum, sua arrogantia circun» scripsit futurum, vim suæ superstitionis reddens potentiorem. & licet vi» deret alios eisdem affectos suppliciis, neque propter minas quæ in eos in» tendebantur suam repressit audaciam. sed quod euenerat, existimabat esse » potius fortunæ insultum, quam supplicium. Eum ergo, & qui cum eo est » Orestem, qui est eiusdem sententiæ, ad tuam mitto sapientiam, sequens » edicta Imperatoria. Cum has ergo litteras accepissent milites, & sanctos habetent vinctos, viam persequebantur. Sanctus autem Eustratius simul

cum Oreste sic canebat in via. Viam iustificationum tuarũ elegi. instrue ,,
me & discam mandata tua. ,,

Impletis vero precibus, dixit. Frater Orestes, narra mihi quæ animi alacritate consummatus fuit sanctus Auxentius, & in quo loco. Sanctus autem Orestes dixit, Postquam Dux pronunciauit in eum sententiam, rogauit milites qui eum abducebant vt veniret ad videndam tuam virtutem, & te iuberet valere. Nemo vero eum audire sustinuit. erat enim tẽpus prandij. & festinabant illi ventri seruientes, implere id quod eis imperatum fuerat. & duxerunt eum in quandam vallẽ quam nos vocamus Ororiam. Veniens autem in via canebat sanctus. Beati immaculati in via qui ambulant in lege Domini: & vsque ad ipsum locum impleuit Psalmum. & flexis genibus orauit. Cùm manus vero sustulisset, accepit tanquam oblationem, & dixit Amen. & cum circunspexisset, vidit me prope eum stantem. & cum me vocasset, dixit mihi acriter. Frater Orestes, alloquere Dominum Eustratium: & dic ei vt oret pro me. & eũ cito ad me venturum. eum enim expecto. & sic fuit ei caput amputatum. omnibus quos suspitio erat esse Christianos passis persecutionem. Sanctæ autem eius reliquiæ noctu furto sublatæ sunt à Presbyteris qui erant in Arabracis. Eius vero capite non inuento, cœperunt flere & Deum rogare, vt eis aperiret sanctum caput Martyris. Dei autem prouidentia stans cornix super ramum arboris in qua erat caput, cœpit clamare. Cum aspexissent vero ad ramũ arboris Presbyteri, in qua Cornix stabat clamans, vident id iacẽs prope cornicem. & cum ipsum ʕ honorifice sustulissent, sustulerunt etiam sanctas eius reliquias: & eas transtulerũt in locum purum & insignem. Hæc cũ sanctus audiuisset Eustratius, fleuit & Deũ inuocauit. & dixit Orestæ. Pergamꝰ nos quoq; & ad eũ venire festinemus.

ʕ *Sustulerunt presbyteri honorifice caput & sanctas reliquias martyris, & in locum purum & insignem transtulerunt.*

Quinque autem post diebus sancti adducti sunt Sebasteam: & traditi sunt à militibus. & accepta Lysiæ epistola, Agricolaus iussit eos seruari in tutissima custodia. & die sequenti cum publice sedisset in foro pro tribunali in ciuitate Sebastenorum, iussit Agricolaus duci sanctos. Vniuersa autem ciuitate congregata ad eos videndos, dixit Agricolaus. Epistola missa ab illustri Lysia, & quę est consecuta scriptis mandata examinatio, prius legatur. Quæ postquam fuit lecta, sic locutus est Agricolaus. Ne existimes ò Eustrati similiter cessurum hic tibi esse supplicium. Priusquã ergo eius facias periculum, submitte te edictis Imperatorum: & accedens sacrifica Diis. Dixit vero sanctus Eustratius. ò Iudex. imperant ne leges etiam Imperatoribus, an non? Dixit Præses. Maxime. Nam eæ ab illis seruantur. Sanctus dixit Eustratius. Tibi ergo ante omnes & eos etiam qui tecum sunt, in scriptis solis sitæ sunt leges. Dixit Præses. Cur nam hoc dicis ò caput impium? Quis vnquam ausus est facere contra leges? Dixit sanctus Eustratius. Quoniam sic continetur in legibus Cæsaris. Vis quidem absit in omni sermone & facto. persuasione autem potius administretur respublica. & alterum duorum oportet, vt aut qui imperat, persuadeat ei qui paret eius imperio, vt assequatur ea quæ cupit. aut qui paret, persuasus, sua sponte faciat quod iubetur. Et rursus hoc continet post eundem versum. Statuimus autem, vt Præses iudicet, miscens metum lenitati. vt neque aliqui propter metum fint infensi: neque peccent propter lenitatem. Hæc ò Iudex, ita scripta sunt, an non? Dixit Præses. Sunt. Te

ergo rogo.idem ordo in me quoque seruetur. Dixit Præses. Et in te & in omnibus leges cum ea qua par est reuerentia necesse est custodire. Sanctus dixit Eustrathius. Sit ergo rogo tuus metus lenitate cōtemperatus.vt qui cum sis omnium experientissimus, velis potius persuaderi q̄ persuadere, iudicans singula ratione. Sin autem hoc non licet, absque vlla oratione & constitutionibus, puni, occide, fac quod velis. Præses dixit. Quod velis dic audacter & libere cum gaudeat iudicium hoc potius efficere persuasione.

Sanctus dixit Eustrathius. Quibusnam Diis iubes me sacrificare, maioribus an minoribus? Dixit Præses. Ioui primum, & tunc Apollini, & Neptuno. Sanctus dixit Eustrathius. Quibusnam parētes sapientibus aut interpretibus aut Prophetis, inuenistis eos esse adorandos? Dixit Pręses. Platoni. Aristoteli. Hermeti. & aliis sapientibus. quos si tu esses expertus, eorum coleres memoriā ò Eustrathi, cum sint diuini viri & admirabiles. Sanctus dixit Eustrathius. Nullius horum mihi sunt ignota mysteria: sed ab ineunte ætate eorum habui experientiā. Quinetiam in musica pulchre sum versatus, vt cui obtigerit pater virtutis studiosus. & si iubes, incipiamus primum à Platone. Dixit Pręses. Inuenimus Platonem in libro qui inscribitur Timæus, descendisse in Piręum & precatum esse Deam. Tibi ne videtur hic esse sapiens an non? Sanctus dixit Eustrathius. Valde cōdemnat Plato Iouem Deum tuum. Audi autem verba Platonis. Quoniam vero incepisti à Timęo & ciuilibus eius orationibus, audi in secūdo
„ eius libro ea quæ sic sunt posita. Deus quoniam est bonus, omnium bo-
„ norum fuerit causa, sicut ueluti dicimus. malorum autem nequaquam
„ causa. Et bonorum quidem nullum alium dicemus esse causam nisi Deū,
„ malorum autem non esse causam. Sed quid opus est ab alio quærere? Non est ergo admittendus Homerus & alij Poëte, qui dicūt Iouem esse auctorem bonorum & malorum. Violati ergo iurisiurandi & confusi fœderis à Pandoro aduersus Græcos rationem, non hic. Iupiter, vt dicit Poëta, procurauit per Mineruam. Non laudabimus autem optionem ad quam ipse duxit eos quos tu Deos existimas. Dixit vero Æschylus, Deū causam producere mortalibus, quando vult domos affligere & euertere funditus. Plato autem in sua ciuitate neminem vult hæc dicere aut audire, neque iuuenem neque senem. Nefarium enim est Deum fuisse parricidam, sicut hic Iuppiter qui nunc colitur à vobis fecit, qui suum patrem Saturnum deiecit de cœlis & eum contriuit. aut factum esse Cignum, vt mortalem deciperet mulierem & eam vitiaret. Præterea verorursus ægrescit Plato, q̄ fletu & muliebri insania correptus Deus tuus ò Iudex, defleat inconsolabiliter mortem Sarpedonis. An non ita est? An non sunt scripta in libris vestris omnia fabulosa? Si ipse autē sapiēs Plato vester scriptor, eum Deum esse denegat: & iubet neminem hominem cui virtus est curę, imitari tales animi perturbationes; cur vos ipsos submittitis quarum ipsi conuicti fuerunt actionibus: & nos eos hodie adorare cogitis?

Dixit Præses. Tuam fero audaciam propter eam quæ in me inest philosphiam. Sed tu quoque dic mihi, Quem tu colis Deum quomodo cum esset homo, ductusq̄ fuerit ad iudicium & in crucem actus, Deus esse est à vobis putatus? Sāctus dixit Eustrathius. Si me patienter audias, primū te interrogabo ea quæ cogitationi meæ sunt proposita: & tunc dicam ordine id quod à me quæsisti. Dixit Præses. Dabitur omnino tibi potestas

&

& opportune & importune dicendi quod vis. Dic nobis quod velis. Dixit Eustrathius Omnem hominem qui est sanę mentis, conuenit Deum existimare iustum. qui comprehendi non potest. neque effingi, neque verbis explicari. estque immutabilis. & diuinis suis bonis omnem superat potestatem. an non ita tibi videtur Iudex sapientissime? Dixit Præses. Ita arbitror. Dixit sanctus Eustrathius. Hoc quoque adiiciemus, ei omnino nihil deesse. Pręses dixit, omnino, Sãctus dixit Eustrathius. Quid ergo, dabimus ne aliquos etiam alios esse Deos: & eos cõsistere intra hanc quam dicimus ab interitu alienam essentiam? Sed est absurdum quod dicitur. Quod si vel parum quid eis desit huius beatæ conditionis, non arbitror eos existimari Deos ab hominibus. Deo enim nihil deest vt prius dictũ est. cui credere & quem adorare oportet omnes homines. Dicit Præses, Ita habet. Sanctus dicit Enstrathius. Quid ergo, multi tui Dĳ consistunt ne intra hæc intemerata bona & immortalia, & pares inter se vires habent? Qui sunt in vna distincti essentia, & tanquam in vnum verticem, conueniunt in virtutem diuinitatis, dicantur nõ Dĳ maiores & minores, sed Deus vnus, qui in virtute incomparabili est vnicus, & nomen habet diuinitatis. & ne à vobis existimetur alius quidem cœlũ habitare: alius verò mare: alius autem terram. An non tibi sic videtur?

Cum non posset autem Præses ad hæc respondere, diu siluit. vix tandem vero respondit, dicens. Mittens hos syllogismos & multum valere iubens rationum tuarum probabilitatem, hoc doce de quo fueras interrogatus. Qũo vos Deum colitis crucifixum? Sanctus dixit. Incipiam qũo tuus poeta Hesiodus. In principio erat Erebus & Chaos. hoc est caligo & profunditas aquarum Deus ergo cum tunc hunc mũdum in hunc ornatum distinxisset, & non ex subiecta aut quæ prius existebat materia, sed omnia ex eo quod non erat ad essentiam produxisset, fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Malus ergo Angelus qui ipse quoque obtinebat principatum in ordine Angelorum, cum sua sponte rebellasset aduersus eum qui ipsum fecerat & elatus fuisset superbia, à suo ordine fuit expulsus & à Deo assidendi potestate: & merito à Deo accepit sententiam quæ eius puniret audaciam. & tunc propter eam eius inobedientiam, proiecit eum Deus à superna potestate, & Angelica eum priuauit gloria. hominem autem posuit in paradiso, dãs ei mandatum quod exercebat ad obediẽtiam. vt vesceretur quidem omnibus bonis quæ erãt in paradiso: vnam vero nõ tangeret arborem. hoc ei instituto certamine, vt si ei insidiante malo, non amplius Angelo, sed Dæmone qui defecerat, & omnia contra eum machinante, posset primus homo non transilire ei datum à Deo præceptum, & dedecore afficere aduersarium qui ei inuidebat propter insignem honorem: si hoc, inquam, factũ esset, homo esset immortalis degens in corruptione. Sin minus, non sineretur amplius esse in paradiso: sed ex eo exterminatus viueret & moreretur. Malus ergo Dæmon qui inuidia ferebatur in hominem, in eum variis vsus est præstigiis. & cũ ope serpentis decepisset vxorem primi hominis, per eam ipsum quoque induxit vt præceptum transiliret. vt ipse ideo expulsus ex paradiso à Deo omnipotente, deduceretur ad labores sudorum & interitum. Obtinuit itaque malignus victoriam, qui gloriabatur quod propter eam sententiam hominem accepisset redactum in suam potestatem. & cum de

cætero multiplicatum esset genus hominum, is tanq̃ Tyrannus omnem animam redegit in seruitutem.

Cum itaque ij in multam lapsi essent impietatem, inundatione Deus mundum perdidit. Conseruauit autem Noe quendam virum iustum qui præclare decertauit aduersus malignum hunc Dæmonem, & non fuit ab eo omnino superatus, in arca lignea cum vxore & liberis. Cũ rursus vero restituisset omnem terram in pristinum statum, tanq̃ ciuem quendam victorem eum in terra posuit. Procedente autem tempore cum rursus multiplicarentur homines, omnis profecit impietas: & omnes vincebantur à peccatis & morti subiiciebantur: & vincti tenebantur apud inferos, ad interitum examinati à maligno Dæmone. Misertus autem Deus q nos formauit, & non amplius volens quod à se factum erat opus despicere, primum quidem Græcis hanc concessit sapientiam, vt immotis animæ oculis agnoscerent Deum omnipotentem, & superarent Dæmonem aduersarium. Hi ergo, etsi visi sunt paululum resipiscere & rectum iter pietatis attendere, cum tamen tanquam in vmbra verbis solum apprehendissent visionem, rursus cadebant in errorem maiorum. ipsi quoq; superati à falsa religione, & in deteriorem prolapsi impietatem, & via in via aberrantes. Et nec sic quidem passa est insignis & ab omnibus celebrãda Dei potestas nos iacere in delictis vnde etiam dedit legem & misit Prophetas: & multifariam multisq; modis generi Hebræorum viam ostẽdit salutarem. Omnes autem retrocedentes recidebant in maiorum suorum infirmitatem: & morti subiiciebantur omnes propter peccatum. Æquum itaque censuit æquale nobiscum certamẽ suscipere Dominus noster Deus verbum: & nobis ostendere victoriam aduersus aduersarium. par nobis in omnibus factus præter peccatum. & cum seipsum humilem reddidisset, & nobis seruis formam similem suscepisset, natus est ex virgine, non mutatus diuinitate: sed ouis ferens pellem propter lupi progressum. Si.n. per supernam diuinam suam potentiam percussisset hunc aduersarium, poterat enim, vt qui potest omnia quæ à me non possunt fieri, dedisset ei iustam occasionem defensionis, dicendo. Hominem vici, & à Deo sum victus. Se enim tunc sic facile potuisset defendere, vt qui sciret Deum quidem posse omnia efficere: & nec si corpus quidem induisset, non esse eiusmodi quod non posset facere.

Accipiamus autem ò Iudex aliquam similitudinem quæ conueniat huic meæ narrationi. Si tu ipse qui es Dominus huius ciuitatis, cum vidisses lupum aut vrsum aut aliquam aliam bestiam inuadentem tuam ciuitatem, dixeris seruo tuo. Occide illam. Ille autem parens tuo iussui & sine arte accedens, fuisset à fera deiectus & consumptus, sustineres ne iterum alteri seruo tale certamen imperare, aut illum damnareq; victus periisset? Nequaquam. Sed ne videaris eis imperasse quæ fieri non poterant, eos qui tecum sunt opem tibi laturi despicis: non vteris autem nec equo nec aliquibus armis, cum & habeas & possis omnia. sed propter ceteros tuos seruos, effectus similis seruo cui iusseras & qui victus fuerat, sicut ille, nudus & omni alio auxilio defectus, ad hanc bestiam accedis. & ea percussa, tunc famuli quidem qui fuit consumptus damnabis imbecillitatem coram omnibus. docebis vero cæteros vt simili animo accedant & experientia, quoties tale quid occurrerit; & tunc minaberis si

non similiter eis ostensa assidue vsi fuerint victoria: & se & sua custodierint. Sin minus, eos futuros inexcusabiles, & esse ad magnum ducendos supplicium: eos autem qui se fortiter gesserint, & imitati fuerint virtutem eis à Domino ostensam, & honorem & libertatem esse consecuturos, vt bonorum custodes & præclaros Imperatores.

Sic ergo Dominus quoque noster Deus, seruator omnium cum sui serui in certamine suscepto aduersus Dæmonem qui nunc à vobis colitur, ab ipso victi essent & contriti, ipse ineffabili quodam consilio seipsum exinaniuit descendens ad sanctam & venerandam virginem, & serui formã accipiens, & in omnibus effectus iisdẽ quibus nos obnoxij affectionibus præter peccatum. & progressus in hoc vitæ theatrum, voluntaria sua & longe sapientissima & salutari humilitate latuit sceleratum, ipsum Dæmonem, qui à vobis, vt dictum est, colitur. & eum, vt consueuerat, tanquam nudum ac solum hominem inuadentem, vicit & eius totam profligauit potentiam per suam pretiosam & nobis salutarem passionem quã in cruce subiit, docens nos qui fuimus eius victoriæ spectatores, eodem exemplo contra eum pugnare & eius potentiam deiicere ac prosternere. Ipse ergo nostras accepit affectiones: & suam nobis dedit impatibilitatẽ. cum tam iis qui propè erant, quàm iis qui erant apud inferos, largitus esset resurrectionem: & docuisset nos in filiorum adoptionem astitos in eum manuum habere inuictam, & coronari si decertauerimus. Corpore ergo vincimur, & vincimus spiritu. Cadimus in interitum: & is casus, nempe mortis, eo nobis deducitur vt efficiamur incorrupti & ab interitu alieni. Auersamur vestram ebrietatem qui ritu brutorum vitam agitis: & angelicam quærimus æternitatem. Non 6 terram proni spectamus sicut pecora: nec cum simus belluinis moribus, nominamur homines: sed erecti cœlum intuemur. & cum simus in corpore, vitam quæ illic est angelicã amplectimur. Scimus animi nostri & corporis esse perpetuũ & implacabile bellum. sapientiq; & moderata vtentes ratiocinatione, auersamur coniunctionem cum hoc mortali corpore. eiusq; titillationes & suaues libidinis motiones fortiter recusamus. cogitatione in altũ exilire, & membra 7 mortificare, semper exercemur per tolerantiam & à rebus propriis abstinentiam. Vtimur vero pura & perspicua Domini nostri memoria. & scaturit nobis sermo minime perturbatus. In nos citra vllum impedimentum rationales operantur virtutes Hæc & his plura nobis largitus est Deus cum hominem induisset. Vos autem, vt est probabile, corpori estis dediti. & cum corpori dediti sitis, eos Deos appellatis qui fecerunt probrosa opera ignominiæ: & eorum posita colitis simulachra: & alienati estis à coniunctione virtutum cœlestium. & in dies angimini, nõ solum propter res aduersas, sed etiam propter insolentes & quæ in somnis agitantur huius vitæ fœlicitates. Vos non solũ corpore sed etiam anima morimini ad eum qui nũquam desinit interitum. Nos autem à Domino nostro Iesu Christo didicimus, viuentem spiritum corpus quoque quod omnibus communi soluitur interitu, rursus animare, & ad immortalitatẽ ei essentiam præbere. Hæc ergo breuiter sum persecutus, vt & tuo Platoni parens, & à me discẽs ea quę vera sunt, renuncies parricidæ Deo tuo & amabili Cygno qui multum flet propter mortem suorum filiorum.

Dixit Præses Agricolaus. Non potuimus nos diuinorum & magno-

6 *Ecce honorum fidelium exercitia.*

7 *Sancti carnis concupiscentiam abstinentia & tolerantia mortificant.*

rum Regum virtutes discernere: sed solum iis cedere quæ iusserunt Imperatores. Quãobrem cessante omni superuacanea oratione & dilatione, veni & Diis sacrifica. alioqui periclitaberis multa supplicia quæ nunquã audiuisti. Sanctus dixit Eustrathius. Cur nos ergo fecisti tantum laboris capere, & non hoc diu antè cœpisti? Tunc iubet lectum afferri ferreum, & multum ignem substerni, vt ipse arderet & candens euaderet. & sanctum Orestem primum & iubet imponi. & dicit sancto Eustrathio. Æquum est, vt cum quæ te manent supplicia prius in aliis fueris contemplatus, tunc subeas tormentum: vt constãtiorem ostendas fortitudinem. Sanctus vero Orestes cum ad lectum adduceretur, timuit. & sanctum intuens Eustrathium, dixit. Ora pro me. laborat enim mihi cogitatio. Sanctus autem respondit Eustrathius. Noli animum despondere frater Oresta. Solus enim aspectus affert timorem & cruciatum. nullus vero eius tibi aderit sensus, si audacter & fidenti animo accesseris. Ipse enim Dominus adest nobis aiutor & nos defendit. Memento generositatis sancti Auxentij & reliquorum sanctorum. neque iis videaris deterior. hæc n. mox deficiunt: manet autem nos thesaurus qui non potest auferri. Hæc cum sanctus audiuisset Orestes, audenti & forti animo insiluit: & stetit supra ignitum grabbatum, cum se signasset: & statim accumbens, toto corpore se expãdit supra ignem. & magna voce clamans, dixit. Domine Iesu Christe, in manus tuas commendo spiritum meum. & Domino sanctam suam tradidit animam. Acclamauit autem S. Eustrathius. Amen. & statim iussit Agricolaus S. Eustrathium abduci in custodiam. Qui cũ consuetas preces Deo emisisset, & famulum qui erat cum eo vocasset, dicit ei. Age fili, faciam testamentum. Spero enim fore vt ego quoque cras sistar ante Dominum meum Christum.

Charta autem ei allata, fecit testamentum. in eo significans se velle sanctas suas reliquias efferri in oppidulum Arabracinorum, & illic deponi: nemini vero licere omnino eas tangere: sed saluas esse deponendas in loco qui vocatur Analicozora, simul cum Auxentio & Oreste & Mardario & Eugenio. qm̃ hi sancti S. Eustrathium 8 sacramento adegerunt, dicentes vt postquam esset consummatus cum sanctis suis reliquiis, eorum quoque deponerentur reliquiæ saluæ & integræ. Quas autem Arabracis habebat facultates, assignauit ad eos alendos qui erant permansuri in ministerio martyrij eorum. reliquorum vero omnium mobilium, dimidium quidem distribuit pauperibus: aliam autem suis sororibus. famulos vero suos donata eis libertate iussit accipere legata. Hæc cum decreuisset, toto die 9 ieiunauit tota aũt nocte perseuerauit Deum orare & ei psallere.

8 *Vide quantam cũrã gerant sancti suarum reliquiarum. Non est ergo negligenda sepultura ut quidam dicunt.*

9 *Ecce ieiunium, vigiliam, orationem & psalmodiam sancti martyris.*

Episcopus aũt ciuitatis Sebastenorum, eo tempore latebat propter persecutionem, qui noctu venit ad eum, & datis custodibus pecuniis, ingressus est ad sanctum Eustrathium audiuerat enim de magna eius sapientia: & ꝙ Præsidem cum Diis suis pudore affecerat. & cum fuisset intra custodiam, pronus cecidit in faciem, & sanctum adorauit, dicens. Beatus es fili Eustrathi, ꝙ Dominus Deus tãtam tibi dederit virtutem. Memento autem mei quoque te rogo. Rñdit vero S. Eustrathius. Ne sic facias pater spiritalis: sed ad eam quæ est tibi data dignitatem aspiciẽs experta hoc à nobis implendum tibi debitum. Cum ij ergo sedissent, dixit Eustrathius Episcopo. Qm̃ Deo volente cras hora tertia sum sistendus ante Dominum

num meum Christum: ita enim mihi fuit aperte reuelatum: ideo accipe chartam mei testamenti & lege. Cum ergo legisset Eps chartam eius testamenti, rogauit illum cum iis qui cum ipso erant Clericis vt testamēto subscriberent: & eum adegit iureiurando, vt ille ipse surreptas eorum ferret reliquias, & deponeret in eorum regione, in loco qui continetur in testamento: & reliqua omnia impleret. dicens pro eo labore esse ei reddendam mercedem à Dño nostro Iesu Christo in futura vita. Cum pollicitus aūt esset Eps se singula eorum esse facturum, rogauit eum vt ab ipso sanctam acciperet 10 communionem. Sic enim dicebat sanctus. Ex quo tempore fuit comprehensus, non communicaui. Allato ergo eo quod oportebat ministerio, & impleto sacrificio, accedens S. Eustrathius, cœlestem accepit margaritam. & repente tanq̃ fulgur illuxit in carcere: & vox venit, dicens. Eustrathi, recte decertasti. veni deinceps in 11 cœlos, & accipe tuam coronam. Hac voce audita, proni in faciem humi ceciderunt. Tota ergo illa nocte mansit Eps apud S. Eustrathium, eum audiens & voluptatem capiens ex sermone Martyris.

10 *Sācti semper decessum suū munire solēt dominici corporis perceptione.*

11 *Sanctos hic habes post mortem recipi in cœlum.*

Cum mane autem factum esset, recessit, iubens eum valere, & promittens se nihil præteriturum eorum quæ in suo testamento statuerat. Agricolaus vero cum mane è lecto surrexisset, sedit in tribunali, & iussit sanctum Eustrathium adduci. Cum is autem adstitisset, eū vocauit Pręses & dixit ei in arcano. Testis mihi est ò Eustrathi, quæ omnia intuetur iustitia, me de te valde angi animo, q̃ in animum non inducas vt pareas edicto Imperatorum. Sed publice saltem simula & specie Deos adora: apud te autē crede & adora Deum tuum. is autem tibi ignoscet propter impositam necessitatem. Nec cū sis vir tanta doctrina & sapientia, male pereas tanq̃ vnus maleficus. Si hoc enim esset remotum à periculo, ne id quidem à te requirerē. multos enim puniri tuæ religionis: & nullius sum misertus. neque ab vllo sum flexus. Tui vero magnam curam gero. & propter te tota nocte magno sum dolore cruciatus. Sanctus dixit Eustrathius. De hac re ne crucieris. neque propter me venias in periculum. sed q̃ Imperatorum tuorum cōtinetur edictis, accurate exequere. Ego enim neque simulate neque vllo alio modo Diis tuis sacrificabo: sed semper Deo meo cōfitebor in omnibus: & in medio multorum laudabo ipsum. Tua vero tormenta me recreant ac iuuant. & huius rei si velis fac periculum. Præses autem cum diu manu vultum texisset, est lachrymatus. adeò vt vniuersa quæ circūsistebat turba, cum cognouisset pręsidem misereri sancti, vocem emiserit lamentabilem. eratq; magnus luctus in ciuitate. Dixit vero sanctus Eustrathius. Deus altissimus irritas faciet machinas patris tui Satanæ. ille enim hanc quoq; in me excogitat tentationem, vt mihi propositum impediat brauium. fac quod velis. ego enim sum seruus Domini Christi. & aduersor edicto Imperatorum: & auersor eorum abominationes. qm̄ sunt execrandi & ipsi & qui eos colunt. Cùm ergo vidisset Præses tam alacre & promptum eius animi studium, vix tandem in sanctum Eustrathium pronunciauit hanc sententiam. Eustrathium qui non paruit iussui Imperatorum, & Diis noluit sacrificare, iubeo, igne combusta ferrea eius anima, finem accipere. Hæc cum dixisset, cursu recessit in Prætorium.

Cum autem sanctus abduceretur Eustrathius, iis qui audiebant stan-

tibus,sic orauit. Oratio. Magnificans magnificabo te Dñe. Qm̃ respexisti humilitatem meam: & non conclusisti me in manibus inimicorum meorum.& ex necessitatibus eripuisti animam meam. Et nunc Dñe tegat me manus tua:& veniat supra me misericordia tua. Qm̃ conturbata est anima mea & tristis est dum egreditur hoc corpore. Ne forte mala inimici potestas ei occurrerat & eam impediat in tenebris, propter peccata quæ à me in vita facta sunt in ignorantia. Sis mihi propitius Dñe. & ne videat anima mea tenebricosum vultum malorum Dæmonum. sed eam accipiant Angeli læti & lucidi. & da gloriam nomini tuo sancto. & tua virtute deduc me ad diuinum tribunal dum iudicor. Ne me comprehēdat manus principis mundi huius,ad hoc vt me peccatorem attrahat in profundum inferorum. Sed adsis & sis mihi seruator adiutor & defensor hæc enim corporis tormenta sunt gaudia tuis seruis. Miserere Dñe animę meę quæ fuit inquinata huius vitæ affectionibus. & eam puram suscipe. Qm̃ es benedictus in secula. Amen.

Hæc cū ipse esset precatus,iam accensa fornace & valde ardente, facto
12 crucis 12 Christi signo in eam est ingressus S. Eustrathius,psallens & dicens. Dñe Iesu Christe, In manus tuas commendo spiritum meum. & sic cum pace tradidit suum spiritum,cum ne eius quidem pilum ignis tetigisset. Consummatus autem fuit S. Eustrathius. XIII Decemb. Sanctissimus vero Eps Blasius cum sancti accepisset reliquias, easq́ cū sancti Orestis reliquiis composuisset, ea impleuit quæ ipsi mandata fuerant in testamento S. Eustrathij. Glorificans patrem & sanctum Spiritum. Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Facto crucis Christi signo in fornacem ardentem ingressus est sanctus psallens.

MARTYRIVM SANCTORVM

Martyrum, Thyrsi, Lucij, Callinici, Philemonis & Apollinij ac reliquorum.

Decemb. 14.

CVM Dominus noster Iesus Christus, carnis inita societate, benigne, vt dicit Paulus, in terra esset versatus. misit enim Deus filium suum factum ex muliere,factū sub lege: vt & nos ad veritatis adduceret agnitionem, per prodigia, per signa per Apostolicum sermonem & doctrinam.per prǽclaros & admirabiles viros qui postea fuerunt: & omnibus modis procuraret vt reuocaremur à vitio:qui statim ab initio,nostro generi insignis extitit inimicus, hæc videns,& nostram non ferens correctionem,mouit aduersus nos omnem, vt dicitur, lapidem & cum ex se nos non posset aggredi, prioribus rursus vsus est machinis, & per alios excitauit seditiones, & bella commouit, & molitus est omne genus insidias. Nam cum artificiose subiisset Decium qui tunc Romanis imperabat,vehementer conturbabat Christianos lacerabat.trahebat ad iudicia eos maximis afficiens suppliciis, & postremo ipsa morte. Causa autem,ꝙ non relicto vero Deo,vanas & inanes Deorum abominationes vt adorarent persuaderi poterant. Quo tempore fortes pietatis Athletę, Lucius, inquam, & Thyrsus,& Callinicus, re uera Callinicus, nempe præclarus victor, mortem propter Christum

elegerunt. prius multis cruciati suppliciis. quæ omnia superarunt tolerantia: & deinde ipsa quoque corpora, tanquam sanctum sacrificium, consecrarunt ei quem desiderabant. Eos tulit quidem inclita regio Bithynorum. cum essent autem clari & genere & gloria, multo magis studuerunt sibi parare splendorem ex pietate.

Cum ergo quæ in Christianos fiebat persecutio adhuc duraret, atque adeò magis magisque cresceres: & per vniuersum orbem terræ mitterētur decreta impietatis: et permitteretur omnibus punire Christianos, maxime quibus erat commissa aliqua præfectura reipublicæ, adstiterunt hi, opem laturi Dei legibus in quas exercebatur tyrannis, & pietatis veræque religionis ritibus quibus fiebat iniuria. & per ea quæ dixerunt & quæ passi sunt plurimum adiumenti attulerūt. Venit enim quidam ex Nicomedia per Nicæam, ad eam quæ ipsos aluit ciuitatem, quæ dicta est Cæsarea à quodam ex veteribus Cæsaribus, nomine Cumbricius. cui magnę curę erat templa simulachrorum, aræque & sacrificia, & si quid aliud erat gratum Dæmonibus. Non ille autem hæc solus, sed etiam contendebat vt vniuersus exercitus facti huius nefarij esset cū eo particeps. & alios quidem terrebat minis: alios verò promissis & spe bonorum inducebat. Lucius vero qui inter ciues erat & prudentia & doctrina insignis, & erat etiā genere clarus sicut diximus & ex illustri familia, propter hæc valde angebatur animo diuinoque zelo eius inflammabatur animus. Hinc factū est vt de cætero non amplius occultam haberet pietatem: neque amplius contineret dicendi libertatem: sed illam ostendendi opportunissimum hoc tempus esse ratus, & in lucem proferendi zelum quem iādiu parturiebat, ad impietatis defensorem continuo accedens, Cur, inquit, ò Cumbrici, tam misere & infeliciter in tuam armaris animam, Dæmonum insensilia & surda adorans simulachra: & multos assumens ad societatem infaustæ huius superstitionis. vt vel ipsis lapidibus, & lignis, videamur homines minus habere sensus cum oporteat potius agnoscere Deum verum & Seruatorem, & ambulare in luce veritatis, relicto errore tenebrarum & omni vanitate.

Hæc cum in principio dixisset Lucius Præsidi, insipiens ille & plane amens animo morsus, & tanquam impium quid & sinistrum, libere prolatā odio habens veritatem, eius tergo statim iussit infligi plagus. & nec eum prius conueniens, nec tentans an eum posset a sua traducere sententia, sed indicta causa & citra vllam examinationem, vt qui crederet nullam esse spem mutationis, tradidit cruciandum. Martyr itaque plagas illas lubenter accipiens, & propter eas Dominum laudans, incitauit Præsidem ad longe maiorem & grauiorem furorem. Ipse certe fuit sibi causa maiorum plagarum. Nam hoc etiam omnino volebat propter cupiditatem maiorum remunerationum, donec & percutientes lictores defessi essent, & defatigatum esset eius corpus quod plagis iam fuerat contritum. Ipse vero precabatur vt ad Deum resolueretur, illum conuenire desiderans. Quamobrem annuentem quoque habuit Præsidem, vt qui desperarent se eum posse vincere in certamine, & illius linguę non ferret libertatem. Qm̄ ergo, inquit, ò Luci mors est tibi grata, age nos quoque tibi largiamur, qđ desideras, qūo nos scimus esse largitos multis Christianis qui fallebātur similiter. & statim iubet sancto ciuitate expulso caput amputari. Duce-

batur itaq; Martyr à Lictoribus, non mœstus, nec timens, neque vllum doloris vestigium vultu præ se ferens: sed totus lætus & alacris, perinde acsi abduceretur, nō vt caput ei amputaretur, sed potius vt coronaretur: quod quidem erat in cœlis consecuturus. Procul ergo abductus à ciuitate, sic pie cōsummatur. & vere beatum ei caput amputatur. Sed eum quidem iam deinceps habet I cœlum, quæ non corrumpitur corona coronatum.

F *Vides sanctorū animas postquā à corporibus migrauerint ferri in cœlum?*

Cum autem Cumbricij fama peruasisset in omnes partes, & laterent omnes Christiani propter illius crudelitatem, diuino zelo vndique armatus Thyrsus, erat autem is quoque honesto loco natus, & proficiscens ex regione Bithynorum, venit ei in cōspectum. &, Salue, inquit ò optime Præses. Cum is vero ipsi quoq; parem reddidisset salutationem, Licétne, dixit Thyrsus, dicere vobis qui geritis magistratus, ea quæ quis velit, an solum oportet vestris se iussis submittere, & nec vocem quidem omnino emittere? Præses autem, vt videtur, oblitus quemadmodum ante eum cum Lucio egerit. Licet, inquit, neque vlli in hūc diem adempta fuit hęc libertas. & maxime si ea possit dicere quæ in commune conferant. Thyrsus autem. Quænam, inquit, dici possunt, vtiliora iis quæ prosunt animę? Ego enim videns te multis damnum afferentem in eo quod est salutis pręcipuum: & à recta quidem abducentem sententia: miserabiliter autem adducentem ad errorem simulachrorum: & plane sciens te totam ignis gehennam in tuum caput aut in animam potius accendere, duxi expedire cum ea qua par est fiducia ac libertate libere tecum agere, tecumq; disserere & ex te scire, quanam de causa relicto cœli & terræ & hominum opifice, opera manuum quæ facta sunt ab hominibus, statuisti potius adorare. dicens, Pater meus es tu, vt dicam cum diuino Hieremia. & lapidi. Tu me genuisti. & ad Deum qui te genuit tergum vertens & non faciem tuam. & omne studium conferens, nullamq; vim aut necessitatem prætermittens, vt omnibus hominibus, si fieri possit, persuadeas, vt malæ opinionis sint tecum participes?

Ad hæc Præses. Importuna hæc & nimia dicendi libertas, ostendit te laborare morbo eorum qui dicuntur Christiani. Verūenimuero inanium harum interrogationum & nugarum solutiones mitte iis qui sedent in scholis: qui publicis scilicet sunt curis vacui. Illi enim singula horū aperte tibi soluent. In præsentia autem cede iussis Imperatoris: & accedens Diis sacrifica. Sin minus: importunorum verborum opportunam inuenies tormentorum remunerationem. Ille vero, Cum sitis, inquit, Dei figmenta ratione prædita qua vos ille honorauit, nihil vos stulte facere oportet & contra rationem: sed iudicio & diligenti examinationi omnia permittere. Si autem vis ipse ea sequi quæ citra vllam rationem decreta sunt ab Imperatoribus, cum mihi nunc non sit persuasum vt abiurem Christianismum, fac ipse quod est tibi constitutum. Cumbricius vero. Forte, inquit, φ tecum benigne & leniter agamus, ideo te arrogantiorem effecimus & insolentiorem. Sed cum te videam adeò intelligentem & tam acuti & solertis ingenij, suadeo vt pareas antequam crucieris. Nam pulchra quidem res est mutatio in melius quandocūq; ea facta fuerit. Sed neque ipsum id quod oportet intelligere, neq; alteri dicēti parere: cum multa autem prius passus sis tormenta, deinde discere id quod est vtile, non existimo id effugere

gere suspitionem amentiæ. Vade ergo iam ad templum, & Diis redde quæ iusta sunt. Sic enim & eorum quæ præcesserunt veniã consequēris: & magno Imperatori euades familiaris: & toto vitæ tempore à nobis in honore habeberis. Martyr autem. Ego, inquit, de rebus præsentibus diu deliberaui: neque me omnino aggressus nunc es minime præmeditatum. Nam cum rem prius multis examinassem ratiocinationibus: & vestra simulachra immundaq; altaria & sacrificia summe irrisissem, puram & veram fidem elegi Christianorum. Quamobrem si quid tibi contra nos permissum est ab Imperatore, ne sis negligens.

Statim ergo cum illi iãdiu intumesceret animus, adolescentes aliquot manu valentes, vehementer insultantes, iussit pugnis cædere martyrem. Deinde cum eum loris è summis manibus & pedibus fortiter alligassent, vtrinque violenter trahebãt: adeò vt ei soluerentur compages articulorum: membratimq; & particulatim is discerperetur. Ille autem etiamsi hæc pateretur, non modo vultu nullum signum doloris præ se tulit, sed visus est potius lætior, florentibusq; genis ac purpureis. Qua de causa hoc non sufficere ad cruciatum ille immitis arbitratus, & alioqui inuidens alacritati & flori vultus, Martyrem quidem soluit è vinculis. cilia vero & oculos iubet ferro confodi. Hoc autem facto veluti diuina quædam audacia repletus Thyrsus, Præsidem maiori arguebat libertate: & iis quę ab illo patiebatur vtebatur ad ea probanda quæ ab eo dicebantur. Animum ad me attende, dicens, quem, quod ad te quidem attinet, innumerabilibus, tradidisti mortibus: & vide ineffabilem Christi mei potentiam, quemadmodum nos impleat audacia, & virtute nos accingat cœlitus: & permittet vt sim particeps propriæ eius formositatis. Nã quo mihi corpus magis perdis, eo maiorem mihi adiicis pulchritudinem. Quæ enim pro Domino suscipiũtur stigmata, quouis ornamento pulchrius adornãt & animos & corpora: & sanguis qui pro ipso funditur, veluti nos irrigans, efficit vt simus vultu læto & alacri.

Ad hæc autem vir ille Pestifer & exitiosus, cum nõ haberet quid ageret, aut quomodo viri illius generosi reprimeret loquendi libertatem, & illius linguæ vitaret plagas, ei vero cruciaretur animus & ira ferueret, iubet glãdibus æneis eius verberatas maxillas vnà cum dentibus excuti Martyri. Sed cum hunc quoque sustineret cruciatum Athleta, eadem quæ prius erat ei lætitia & alacritas: & in omni tēpore benedicebat Domino. & perpetuo in ore eius canebatur eius laudatio. quę quidem irę fornacem accendebant & flammã magis excitabant Præsid:. Quid ergo, Ne putes, inquit, ò Thyrse, fore vt hucusque tibi sistãtur quæ sunt grauia & aspera. Nam quæ præcesserunt quidem, erant parua quædam & quæ temere tēpus nobis suggessit: quę autem deinceps, ostendet tibi experientia. & scies de cætero qualia sunt præmia eorum qui non obediunt. Martyr autem, Euge, inquit, ne hæc maxima nobis bona inuideris. Non inuidebo inquit. sed illa tibi pro viribus suppeditabo affatim & munifice. Statim autem supra ignem liquefactum est plũbum: & lectus fuit propositus: & super eum pronus extensus fuit iustus. Hic vero mihi considera q̃ esset Præses improbus & peruersus. Interim ad eum adducit quosdam præstigiatores & qui erant apti ad persuadendum, tentans Martyris dissoluere & eneruare constantiam. qui quidem cum eo iucunde colloquebantur, & con-

sulebant vt aliquid remitteret de hac nimia pertinacia: & tandem pareret Præsidi. Sic enim, inquit, & imminens effugies periculum: & magnorum eris bonorum particeps. ignoscet autem omnino Deus tuus imbecillitati naturæ: & hoc omnino non ægreferet. cum sit magna ex parte benignus & clemens vt audimus.

Martyr vero. Propter hoc ipsum, inquit, stabo fortiter: & pro ipso tormenta sustinebo. Si enim vos cum auditis nunquam terminanda quæ vos manent supplicia, nequaquam conuertimini: neque declinatis apertũ animæ periculum: cur non ego hos qui sunt ad tempus, magno & generoso animo sustinuerim cruciatus, qui regnum cœlorum habent remunerationem, & bona quæ sunt post finẽ nos exceptura & perpetuo futura? Sed quandiu vos maligne vestra sponte vos geretis, contra tam manifestam contendentes veritatem? adeò vt vel hoc plumbum vestrę malitię ferat testimonium, & multos tradat igni qui non potest extingui, vt impietatem vestram immedicabilem puniat in ęternum. Atque ille quidem hæc dicebat, diuina eius cor implente gratia. Illi autem (vilia enim sunt, ait diuinus Iob, veri viri verba) eum nugari putantes & loqui temere, feruens adhuc plumbum & valde candens in nudum eius tergum effundunt. Plumbum vero in superficie tantum & leuiter id attingebat, nihil omnino eum offendens. Illinc autem repente tãquam fluentum aliquod ꝓfluẽs, opus est hoc ò Christe, tuæ virtutis, interimit multos ex incredulis. Atq; Martyr quidẽ è lecto surgit illęsus. Miraculũ vero ingenti timore afficit eos qui aderant. quinetiã ipsum Pręsidẽ valde obstupefacit.

Cæterum quum oporteret intelligere, & agnoscere quisnam esset qui posset hæc facere, erat ille sua sponte vere cæcus, vidistis enim sæpe, inquit Esaias, & nõ custodiistis apertas aures vestras & nõ audiuistis. & magis iratus fuit martyri. & eum vocauit pręstigiatorem & veneficum, & quę sunt huiusmodi. Deinde etiam eum acerbioribus affecit suppliciis. Sed ille permansit cõseruans adhuc eandem animi fortitudinem. & vox quędam exalto est audita quæ Athletæ magis addebat animum: & impiorum quidem perturbabat animos, dubiosq; reddebat & perplexos: pios autem fidei petra stabiliebat: maiusq; & alacrius animi studium afferebat. Non ferens itaque Præses dedecus, sanctum statim vinctum mittit in custodiã, dicens opus esse maiori deliberatione, & nouis tormentis aduersus hunc monstrorum effectorem cuius est insignis amentia & insolẽtia. Ille vero tunc Domino supplicabat vehementius, & rogabat vt ei fieret coniunctior: precabaturq; vt per baptismum ab eo adoptaretur in filium. Nondum enim erat mysteriis initiatus, & nõdum absolutus in rebus Christianorum. Ille verò circa mediam noctem ad eum accedit: & baptismum dat ei dupliciter: nunc quidem per aquam. paulopost autem etiam per martyrium, quo quidem ipse quoque fuit baptizatus.

Statim ergo & ianuæ carceris sua sponte sunt apertæ, & solutus fuit Martyr à vinculis. & egressus è carcere venit ad quendam Phileam Cęsariensium ecclesiæ Episcopum, qui propter terrores impiorum, & sedem & cœtus declinans, seipsum celabat & occultabat. Hic ergo Episcopus qui olim de Thyrso, & de eius libertate & animi magnitudine audiuerat, eumq; admirabatur & in honore habebat, cum eum tunc vidit ad se accedere, protinus procidit ad eius pedes. Ille quoque cum similiter proci-

disset ad pedes Episcopi, eum erigit: & Noli, inquit, ô venerande pater præripere id quod à nobis tibi debetur. accesimus enim vt benedictionẽ assequeremur, non vt benediceremus. Cum dixisset autẽ Episcopus oportere eum benedicere, vt qui præbuisset satis magnam virtutis probationẽ, & splẽdidiorem effecisset vestem spiritus per asperarum & difficilium rerum tolerantiam, Martyr, Propter hoc ipsum, inquit, huc accesi, vt induerer veste incorruptionis: & per aquam & spiritum sanctum regenerarer. Nondum enim sum diuinum baptismum consecutus. Ne cuncteris ergo, sed facias quæ desidero & quæ pietati conueniunt. Cum protinus ergo peracta essent quę in eo fiunt, Thyrsus sanctum suscipit baptismum. & deinde adiiciens, Domine Iesu Christe Deus meus, dicit, qui me dignatus es per aquam cõsummari & spiritum, dignare me vt ego eodem quo tu baptizer baptismo & bibam tuum calicem, & tuæ morti conformer. Deinde etiam cum pauca esset locutus cum Episcopo, & se inuicem impertiti essent benedictionibus, Martyr reuertitur in carcerem, præeunte ei diuino lumine & sequentibus Angelis, vt ij aperte videbant, qui digni erãt videre. Quo in loco rursus consuetis inuigilabat precibus, & cum Deo loquebatur per otium.

Alio autem alium studente vincere in vitio, & Imperatori in primis impio volente gratificari maiore improbitate, Siluanus quoque quidam, genere quidam Persa, dignitate autem Comes, in suppliciis vero de piis sumendis crudelis & inexorabilis, petiit ab Imperatore, vt esset examinator eorum quibus permissum est punire Christianos. Cum ergo liberam & reddendæ rationi non obnoxiam in eos accepisset potestatem, venit Nicæam, libamina & sacrificia peragens Dæmonibus, & eis conuiuia celebrans sanguine Christianorum. Hic de magno Thyrso ei significatur, ꝙ & nullis vinci posset tormentis, miraculisq; & prodigiis homines obstupefaceret. Statim autem mittit quosdam ex suis, vt simul quidem & virum seruarent tutius, & verbis quoque ipsi eum adorirentur, & compellerent ad negãdam religionem: & terrore Comitis animum eius prius labefactarent. Deinde ipse quoque accedit. Et primum quidem magnifice sacrificat maximo qui est apud eos Ioui. Sequenti autem die cum simul cũ Cumbricio sedisset pro tribunali, & Thyrsum sisti curasset, omnibus audientibus ea iubet legi quæ fuerant prius examinata. Quod cum factũ esset. Ne existimes, inquit, ô Thyrse, ea quæ instant fore similia præcedentibus: sed quod Imperatori futurus es coniunctior: & quo tibi maiores habebuntur honores si illius decretis parueris, eo rursus acerbiora senties supplicia, si pergas hanc improbam tenere opinionem. Martyr vero Qui me tui, inquit, Confessoris suppliciis fecit potentiorem, Dominus meus Iesus Christus, ipse mihi quoque nunc asistet, & à vestris manibus eripiet, qui ipsi soli seruior, & eum solum noui Deum: simulachra autem & Deos gentium apertum ludibrium voco & deceptionem. Sed si mittens vim afferre, mauis persuasione & eius quod rectum est iudicio cõtendere, dic mihi iam cuinam & quemadmodum me vis sacrificare? Ego autem si nihil potero contradicere, parebo omnino, & non aduersus res validas inaniter decertabo.

Excipiens itaque statim Siluanus. Eamus, inquit, in templum. & tunc tibi erit manifestum cui sis sacrificaturus. Cum in proximum ergo tem-

plum iuissent quod erat Apollinis, hic Comes dixit ostendens imaginem, Hic est Deus quem colimus. eum cum placaueris ô Thyrse & obtuleris sacrificium, validum habebis custodem: & aliorum Deorum parabis tibi beneuolẽtiam. Martyr autem, Vide, inquit, quodnam offeram sacrificiũ, & quemadmodum eum placabo. Cùm omnes vero in eum animum attendissent, ille 2 manus simul & oculos in cœlum tollens, Dei virtutem inuocat ineffabilem. & cum tonitru repente erupisset, in terram cecidit statua Apollinis, & resoluta fuit in cinerem. Conuersus ergo Martyr ad eos qui circunsistebant, Videte, inquit, ꝙ qui sunt apud vos Dij, sunt solum figmenta, qui nec veri Dei possunt vel solam sustinere inuocationem. Ad hæc ira inflammatus Siluanus. Ego tuas, inquit, præstigias omnino conteram & delebo: & ostendam quænam percipiatur ex eis vtilitas. Continuo autem iniectus est Martyr in ferream quãdam machinam: & eum ferrei discerpebãt pectines: & auellebantur quidem fibræ corporis. carnes vero continuæ defluebant in terram: promptum autẽ & alacre eius animi studium non dissoluebant. sed eius zelum & ardorem magis irritabant.

2 *Ecce oratio cum eleuatione manuum et oculorum in cœlum, eiusq; mirabilis effectus.*

Quoniam autem visus erat deficere, & ne minimum quidem vitæ ei videbatur esse reliquum, relaxatur quidem è tormẽtis. Cum eum autem sistendum curasset Comes, vis, inquit, rursus vti prioribus tuis incantationibus & maleficiis contra Deos: vt tibi quoq; rursus largiamur secundas remunerationes. Atqui totum tuum corpus tormentis est consumptum, propemodum vero tibi quoque deficit anima. Ipse autem quem colis, & quem tuum dicis adiutorẽ esse Deum, vbi est? Sed quandiu perseuerabis in iis quæ sunt inutilia. & non videbis vtile quod est tibi propositum ante oculos? Martyr vero. Quid non sentis, inquit, Christi quæ est in me virtutem quæ mihi adest manifestissime, & me aduersus hos insultus cõfirmat? Quomodo enim corpus terrenum & adeò imbecillum, posset talibus resistere difficultatibus, si non ei superne diuinum daretur auxilium? Vt qui ergo certe scias esse immutabilem mihi confessionem, & nulla ratione meum posse animum conuerti, fac quod tibi visum fuerit: & à nullo abstine eorum quę statueris. Tunc cum iussisset Siluanus maximum afferri Lebetem: & eum quidem aqua impleuisset, & vehemẽter bullire fecisset, è Thyrsi autem pedibus funem alligasset, eum demisit capite. Ille vero ne in tali quidem periculo constitutus, eguit defensore. Sed ille quidem Christum inuocabat pro quo hæc pati elegerat: lebes autem protinus est disruptus: & aqua est effusa: & illæsus conseruatus fuit Martyr. Porro autem Iudex tam aperte vidẽtibus omnibus pudore affectus, arrogantioribus vtique & superbioribus verbis tegebat dedecus. In te ipsum, dicens, ô Thyrse, vteris præstigiis & incantationibus. Nam quo magis contra aliquid machinaris, mihi quidem iram magis accendis: in te ipsum vero acerbiora comparas supplicia.

Sed tũc quidem cum esset aliis curis occupatus, Martyrẽ rursus tradit in custodiam. Postea autem cum Apameam maritimam quãdam ciuitatem cum illius loci Præside esset profecturus, vinculis Thyrso iniectis, iubet eum per eos qui ipsum sequebantur pone trahi. Cum vero nõ procul essent à ciuitate, arbitratus Siluanus primum quidem turpe esse eum circunducere: deinde etiam & vinculorum & longæ viæ perpessionem, pietatis constantiam relaxasse Martyri, aliam rursus ei adhibet periclitationem.

nem.

nem. & cum ingressum paululum sustinuisset, producit Thyrsum in suũ cõspectum, & dixit. Vel dic te sacrificaturum. Vel à vita misere excedes. Cum is autem prioribus consequens dedisset responsum: quinetiam subiunxisset, Imo verò vestrę mox erumpent animæ, ad maiorem iram ipsi sunt incitati: & iubent eum cum plagis trahi Apameam vsque. Illic vero cum suis, aiunt, præstigiis in mare iaciatur: in quo malus male peribit, & nec sepulturam quidem consequetur post mortem. Nondum peruenerant in ciuitatem: & Martyris euenit prædictio. Nã Siluanus quidem repente fuit membris solutus. Cumbricius autẽ vehementi febre correptus, ambo miserabiliter vitam quarto die finiere. Fertur vero terram non admisisse eorum corpora, donec martyr precatus eam prosilientem & se vibrãtem placauit: & miseris illis reconciliauit.

Cum isti tam infeliciter è vita excessissent, & suæ in Martyrem insolentiæ iustas pœnas dedissent, in custodia & vinculis Thyrsus ab illo die viginti tres dies fuerat conseruatus. Deinde venit quidam alius Præses, nõ solius eius quem prior habebat potestatis, sed morum etiam successor. qui barbara lingua nominabatur Pandus. Is cum venisset Apameam, & in medio concionis quæ ipsi erat congregata constitisset, & quæ de Imperatore dici solent dixisset, scrutans deinde quæ facta fuerant ab iis qui ipsum præcesserunt, & acta illorum perlegens, incidit in ea quæ de Martyre Thyrso decreta fuerant. Et cum partim quidem exactis, partim autẽ ex circunstantibus omnia didicisset, publicum in diem sequentem ei theatrum congregat & cum examinandum Thyrsum produxisset in mediũ. Tu es, inquit, Thyrsus, qui Imperatorum iussa contumelia afficis & in ea te insolenter geris: & magni Dei Apollinis contriuisti statuam. Ille vero, Ego sum, inquit, qui non pareo iniquis edictis, neque operibus manuum hominum offero sacrificium: sed soli Christo sacrifico sacrificium laudis, & eum verum Deum nomino. Ille autem similiter nugãs atque Iudices qui præcesserant: & putans se posse minis terrere eum qui terreri non poterat. Tu fortasse, inquit, ideo secure magnifice loqueris, ꝙ putes te simile nunc quoque habiturum esse iudicium & cruciatus adeo tolerabiles: & audacter ac confidenter loqueris. Sed hæc te nihil iuuabunt cum nostrorũ tormentorum feceris periculum, Quamobrem vanis relictis sermonibus, accede & Diis sacrifica. Sin minus, cũ passus fueris scies: & fortasse obliuisceris oium præcedentium. Martyr autem. Scio, inquit, vnũquenq; vestrum contendere vt præcedentes crudelitate & impietate superet. Sed mea est in Christo fiducia, fore vt & vestros insultus facile ferã ac superem, & Martyris corona sim redimitus. Et sic quidẽ admirabilis Athleta.

Hęc quidem valde conturbabant & pungebant communem inimicũ. nec ferre poterat pietatem resplendentem in Martyre: sed ad eum latenter accedens, ei consulit. & qualia ei qui eum præcesserat suggesserat, etiamsi diuina è superis sententia euentum prohibuerat, talia huic quoque nunc suggerit. & hinc cum statuisset Iudex esse laboriosissmum qui in aquis accipitur interitum: & hinc rursus duo contigere grauissima, nempe ꝙ & Martyris corpus careat sepultura: & Christiani hoc damnum patiantur, vt qui sic priuẽtur reliquiis in commune vtilibus, cum eum tuto ex omni parte ligasset, & in saccum immisisset, dimittit in mare triginta stadiis procul à littore. Sed ignominiam rursus & dedecus rursus aperte induerũt

qui magnificè & elate aduerſus eum loquebantur: & incaſſum viſi ſunt conſilium cepiſſe. Nam cum repente ſaccus eſſet diſruptus, chorus virorũ candidatorum, ò miraculum, excipit Martyrem: & tanquam per ſiccum ſolum ingredientem, ruſus deduxerũt in terram. Cum hec ergo vidiſſent qui eum in profundum iecerant, repente tremebundi & timore affecti veniunt ad Præſidem: & quod factum fuerat renunciant. Ille autem cito venit ad littus, furioſo & cædem ſpirante vultus intuens. & cum ſolum ſtantem vidiſſet Martyrem. Certe miræ ſunt, inquit, veſtræ præſtigiæ & incantationes, per quas ſic etiam mare, vt video, frenatis: & elemẽtorum naturæ vim affertis. Sed eæ vobis nihil oĩno proderunt: imo verò plures cruciatus afferent: & tandem violentiſsimã mortem cõciliabunt. Martyr autem. Quouſq; non intueberis, inquit, tu qui es aperte cæcutiens, & Diis tuis patiens ſimilia. Nam cuiuſmodi, inquit, ſunt hæ præſtigiæ & incantatio, ſerua facere elementa, & ea accipere cedentia voluntati. Quis autem eorum qui ſunt apud vos præſtigiatorum, aut eorum quos vos Deos eſſe cenſuiſtis quorum ſunt præſtigiæ & deceptio, quorum viſa & doloſa oĩa figmẽta & artificia. Quis eorum oĩno tale quid fecit, vt homo qui iacitur in profundum, Angelorum manibus ſuſcipiatur, & pedes mare tranſmittat, illæſuſq; & ſoſpes in terram veniat?

Ad hæc Præſes. Etiamſi ſit plane difficile ei qui captus eſt errore Chriſtianorum, vitam eripere eo modo quo quis, propter ea quæ ipſi contra callide excogitant. At ego tibi ſimul & difficilem & celerem mortem excogitabo. Impræſentium autem me feſtinantem Cęſaream hic quoq; me ſequatur, dixit iis qui adſtabãt, vi tractus, & virgis valide tergum cęſus: vt illic conſequatur ea quæ deſiderat pręmia & remunerationes. Hoc autem facto, poſtquam intellexiſſent Cæſarienſes nouum ad eos aduentare Præſidem qui Thyrſum adducebat in vinculis, omnes ſimul exierunt, ſpecie quidem vt Præſidi irent obuiam: re uera autem viſuri Thyrſum. Deſiderabant enim eum videre, vt qui vel ex hac ſola poſſent conſequi gratiam. Poſtquam vero fuerunt in ciuitate, Martyr quidem ſtatim coniectus eſt in carcerem. Conſultanti autem Pręſidi quibuſnam modis eum conſumeret, viſum eſt eum in beſtias immittere. hãc enim iudicauit mortem eſſe & acerbiſsimam & quæ vitari nõ poterat. Iubet ergo ad ipſum montem turrem ædificari ligneam: & ſæuas feras omnis generis in eam immitti: fame vero multorum dierum irritari eas ad ſæuitiam: & deinde in medium earum inijci Martyrem. Cum hæc autem perfecta fuiſſent triginta diebus, vniuerſum populum in concionem congregat Comes ad templum Iouis: ſplendidumq; & magnificum parat ſacrificium: & ſic è cuſtodia educit Thyrſum tradẽdum beſtiis. Quod vero erat oĩum grauiſsimum & validum ad eius mouẽdum animum & incitandũ ad abnegationem, cum hoc ſorte excogitaſſet inimicus, eum circunſtans multitudo cognatorum & amicorũ, rogabat vt ſibi parceret, & effugeret horrendum illud genus ſupplicij, faciendo quod iubebatur. Sic enim, aiebant, non ſolum nulla mala patieris: ſed etiam honores conſequeris: & eris Imperatori valde familiaris. Ille autem nequaquam ad hæc fecit quod primi parentes: ſed potius id quod Dauid non præbens aures acerbis ſerpẽtibus & malis conſultoribus, ſurdus vero erat ſicut ille & mutus, non aures, non os omnino aperiens.

Adducitur autem ad Præsidem qui peragebat sacrificium. Ille vero cum vidisset Martyrem. Ecce, inquit, supra modũ fuimus in te clementes, qui tibi ad deliberandum tantum temporis concessimus. Si ergo & ipse ea quæ oportet tibi consuluisti, & ex te cognouisti id quod tibi futurum est vtile: cum & totam patriam videas Ioui maximo Deo sacrificãtem, sacrifica ipse quoque accedens: & liberare ab oĩbus minis & periculis & ab acerbo vitæ exitu. Sin minus: te bestiarũ discerpent vngues & dentes. propter quæ nullus erit omnino tibi adiutor & qui te à malis liberet. Martyr vero fingens quandam vtique pœnitẽtiam. Ego quidem, inquit, iampridem satis mihi consului. & nisi Apollo vt qui sit despectui habitus succenseret, cũ solus à me colatur Iuppiter, non abscessissem nunc à meis ciuibus: sed de more cum eis sacrificassem. His auditis lætatus est Præses, vt qui iam generosum illum cepisset Thyrsum: & statim cum eo lętus ad templum accedit: & solum, dicit ei, Sacrifica. Ego enim sum tibi huius rei fideiussor idoneus, ꝙ tibi nullus Deorum irascetur. Cũ ergo attentus esset Martyr, & ad verum Deum quasdam fudisset 3 preces, repente veluti quidam terribilis irruens terræmotus, conterit quidem ipsam Iouis imaginem & humi deiicit. metu autem labefecit animos infideliũ. qui relicto sacrificio fugerunt quam potere celerrime. in templo vero remansit solus Athleta. Cum itaque fraudem intellexisset Præses, suam quidem accusabat benignitatem & clementiam: efferabatur autẽ magis aduersus Martyrem, vt qui fuisset deceptus: & non solum nõ persuasisset, sed etiam tam insigni affectus esset ignominia. & ideo acerba morte eum afficere studebat, qui & ipsum & illius Deos tam graui affecisset iniuria.

3 *Ecce quanta uis orationis Martyris.*

Cum ergo sciret fore vt quod iuberet statim effectum redderetur, & turris fuisset ædificata: & fame esset irritata bestiarum, feritas, vt nec à lapidea quidem abstinuissent natura, iubet Athletam proiici in medium earum. Solus ergo eis fuit Martyr dimissus, foris oculis innumerabilibus omnia videntibus. Cæterum non erat solus: sed quædam ei diuina à superis aderat gratia, quæ quidem faciebat vt videretur is cum tribus aliis. Cum eum ergo in orbem circundedissent bestiæ, placide & mãsuete eum aspiciebant: & martyri amice blandiebantur, perinde acsi iam diu fuissent cicures & mansuetæ & ei familiares. Ipse autem manibus in altum sublatis, Ago tibi, inquit, gratias Domine Iesu Christe, ꝙ in me tuum nomen sanctũ effecisti gloriosum & effecisti admirabiles tuas misericordias, bestiarum ora mihi obstruens, sicut olim Danieli tuo famulo, Tu ergo qui & tunc & nunc facis res tam admirabiles & tam pręter opinionem, effice ò Rex efficaci tuo nutu qui sub aspectum non cadit, vt hæ feræ agrestes redeant vnaquæq; in sua habitacula, ex iis qui ad sunt neminem lœdentes. Hęc cũ Deum esset precatus, ad 4 bestias conuersus, In nomine, inquit, veri Dei, reuertimini rursus vnde vnaquęq; venerat, nemini damnum afferentes. Protinus ergo bestiæ quidem erumpebant. Cum vero timor inuasisset eos qui circunstabant, & alij alio fugere contenderent, illæ magno cursu tendebant ad syluam. Miraculum autem multos induxit infideliũ, qui Christi parti se adiunxerunt.

4 *Vide quomodo etiã immanissimis bestiis sancti in uirtute dei imperant, illeq; eis obediunt.*

Cum autem hæc cognouisset Præses, in dubio erat quidnam esset sibi faciendum: & quemadmodum eum vlcisceretur pro meritis. Propterea omnibus corporis partibus ei iniectis vinculis, in præsentia quidem eum

coniicit in carcerem. Cum vero intra paucos dies abiturus esset Apolloniam, ea autem ciuitas non procul abest à Cæsarea, iubet Thyrsum sequi tractum à militibus. Cum venisset ergo in ciuitatem & res illic ordinasset ex sententia, quoniam de oībus quæ in ea erant volebat erigere trophęum impietatis: vt & sacrificij essent cum eo participes, & ad illius Deos animum adiungerent, statuit oportere eos terrefacere per suam in Thyrsum crudelitatem. vt metu ne eadem eis inferrentur, nemo esset qui nō pareret. Nesciebat vero se, vt dicitur, gladium in seipsum acuere. Publicam quidē in templo Apollinis, quod omnibus quę illic erant, & alta magnificentia & imaginum multitudine erat maxime insigne, congregat concionem. Iubet autem quosdam iuuenes, mente crudeles, manu valentes, ante illas idolorum imagines Martyrem adducentes, grauibus eum virgis conscindere. Ille vero tanquam in somnis ea patiens, ad ea quæ erant molesta & aspera nihil se conuertebat: sed ad verum Deum suam transmittens cogitationem, qui & abyssos exiccat, & mōtes sole aspectu liquefacit: Veniat manus tua super me, inquit, Domine. & ne procul abesse velis auxilium tuum à me. sed attende ad defensionem meam: & ne pudore afficiar q̄ te inuocaui. Hæc ille quidem est precatus. Deus autem effecta reddidit ē superis. Nā & repente horribilis strepitus audiebatur in ciuitate: & acutissimis quidem dolorum stimulis Iudex feriebatur. solutę sunt autem dexterę Martyris tortoribus: & humi deiecta est multitudo imaginum, & humi iacebat turpiter. Diuina ergo voluptate repletus Thyrsus, Cur non Diis tuis manum porrigis, irridens dicebat Præsidi, qui tam turpiter iacent & tuo indigent auxilio: sed in medio eos despicis theatro, ad irridendum expositos iis qui non cæcutiunt? Ille autem etsi grauibus tangeretur doloribus, non erat tamen eius vitium curabile. Sed, scelerati Thyrsi, aiebat, præstigiæ, grauiorem mihi morte vitam omnino efficiunt.

Erat autem Apolloniæ vir quidā nomine Callinicus, nobilitate clarus & intelligentia: & qui in patrios Deos semper magnam ostendebat superstitionem: eratq; illorum Sacerdos & minister: & ideo æque atque Dij à Gręcis omnibus habebatur in honore. Is iampridem attendens ea quę mirabiliter & præter opinionem vi superna fiebāt à Martyre, cum etiam imaginum interfuisset euersioni, & vidisset malum quod ciciderat in pręsidem, Deos quidem suos magnę condemnabat imbecillitatis. semine autem pietatis in animo suscepto, sensim apud se, Qui à Thyrso, inquit, prędicaris Deus, Qui tot & tanta per eum admirabiliter fecisti prodigia, tu quoque me tanquam recenter electum militem suscipe: & me iam confirma ac corrobora aduersus inimicos veritatis. Hęc cum apud se cum vniuersorum Deo disseruisset, accedit, Præsidem artificiose irridēs. Clarissime, inquit, Pręses. Hic homo qui tormentis misere conteritur, Iouem supremū Deorum in terram deiecit & contriuit. Phœbum Apollinem iā tertio confregit. Quinetiam ipsum Herculem q in bellis est inuictus, prostrauit, nō manibus, non armis, non ense aduersus eum indigens: sed solo verbo nudo & X̄pi inuocatione. idq; cū ille crucem & mortem sustinuerit. Si ergo vestræ vr̄ potentiæ, accedamus, & Herculem, Deum q in malis fert opem, erigamus: & rogemus vt respiciens ea q̄ iam olim de ipso iactantur, adsit tyrannide oppressis Ioui patri & diuino Apollini. Ii.n. videntur dormire graui somno oppressi: & hoc ei quartum decimū certamen adscribemus.

Irrisionem

Irrisionem aũt non intelligens Pręses,cum ergo,inquit,me malè habeã & sim infirma valetudine, vade ipse & nobis placa Deos: & aduersum prodigiorum effectorem hũc Thyrsum cito eos excita. Callinicus vero. Sed arbitror,inquit,esse maximam potentiam Dei qui eos deiecit: & vereor ne sibi quidem ipsis possint opem ferre. Tunc Præses dolum intelligit. &, Num tu quoq;,inquit,ó Callinice,viri huius scelerati captus es præstigiis? Ille autem cum ne eum quidem amplius loqui sustinuisset, neque enim de cætero pietatem celari patiebatur,statim excurrens in domunculam,tondet capillos.deponit barbam:exuit vestes: & cum eas sustulisset manibus, portat vsque ad præsidem. & cum illas iecisset ante pedes, Accipe inquit, pilos meos ó Præses & vestem quæ nidor sacrificiorum,& fumus,& torrens sanguinis, & mysteria Dæmonum polluerunt. Nam cum eis quoq; priorem abiicio errorem,vt qui nouam viuẽdi formam acceperim & iam factus sim Christianus.

Præses autem illa repentina obstupefactus mutatione. Quid vero,inquit,Callinice,tantum illius Præstigiatoris valuerunt prodigia,vt te generosam animam, ministrum Deorum, illorumq; interpretem & Sacerdotem,qui ab illis magnam assequeris beneuolentiam, abduxerint à patria religione, & ad extremum attraxerint interitum. Callinicus vero. Ex multis quidem,inquit,etiam aliis sum persuasus. Maxime autem talis mutationis causa est ipse Hercules,qui tot quidem certamina,vt de eo narrant fabulæ, perfecit: nunc autem ne nudo quidem viri verbo restitit: sed adeò misere cecidit: & ostendit esse iucundas fabulas quæ de ipso & aliis Diis iactatæ sunt ab hominibus. Rursus autem Præses. Nequaq̃,inquit,sed illius præstigiarum & similium prodigiorum amor id tibi persuasit,existimantem te ipsum quoq; posse facere similia. Sed neque Præstigiatorem illum & planum,neque te hæc iuuerint,nisi te tuorum pœniteat delictorum,& pristinos honores cursus Diis reddideris.

Ille vero volens aperte conuincere ignorantiam Præsidis. Sciebat.n. aperte, sciebat, ei quoq; ad futurum Thyrsi Deum, & sua in eum ostensurum prodigia. Qm̃,inquit, ó Præses, non recte tibi se habet corpus: & putas me deceptum esse figmentis & visis,accedamus si videtur, ad magnum Æsculapium: & communiter obsecremus, vt morbum tibi sedet, & liberet à doloribus: & tunc scies nihil oĩno fingere,nec visione quidq̃ apprehendere mihi vnquam venisse in mentem. Eorum ergo quæ dicebantur ille modum non intelligens: sed hæc simpliciter dicta esse arbitrãs, & iam Callinicum aliqua duci pœnitentia, eum statim assumens, lætus perrexit ad tẽplum. Postquam autem ingressi sunt execranda illa adyta, mente attenta Callinicus, Domine Iesu Christe,inquit,qui per famulum tuum Thyrsum à me agnitus fuisti verus Deus, qui me qui millies te offendi & legem tuam sum transgressus non repulisti,tu quoq; surge.nũc ad auxilium meum: & in me quoq; rursus tuam ostende potentiam. Hæc dicebat. & ecce vox quædam ex alto audiebatur quæ & eius animo addebat audaciam, & excitabat ad brauium supernæ vocationis. Ille aũt cum ex eo esset repletus audacia & nomen Christi esset effatus, vehementer & minaciter increpat simulachrum Æsculapij. Tãta vero statua paruam non tulit increpationem. sed statim cadit ad illius pedes,perinde acsi quędam manus & vim attulisset. Ad Pręsidem itaque intuens Cal-

linicus. Hic, inquit, ne poterit quidem surgere, nisi ei manum præbueris adiutricem. Aspice ergo & cognosce nõ esse prestigias nec artem quę adsunt: sed Deum aliquem in me operari, qui in te quoq; potest eadem facere miracula, si tantum in eum credideris. Animo ergo valde anxius Præses, quòd iam ipsius quoque Callinici fecisset iacturam, tunc quidem eum includit in carcere.

Cùm mane autem surrexisset, qm̃ malis quæ infligerentur eũ nouerat fore superiorem, vt qui Thyrsi esset ęmulator, in ambos talem pronunciat sententiam. Illum quidem, inquit, qui se à Deorum abrupit coniunctione & familiaritate, & horum miserorum fraudi, quos Christianos vocant, se adiunxit, Callinicum, iubeo ense mortem subire. Thyrsum vero qui multis gloriatur prodigiis, & qui etiam procurauit vt miser peruerteretur Callinicus, in quandam ligneam iniectum capsum, cum eo acutissima serra minutatim dissecari. vt prolixæ illius deceptionis & præstigiarum, dignas etiam post mortem luat pœnas. Atque ille quidem cum in Martyres hanc tulisset sententiam, rursus cœpit vacare iis quæ se ad manum offerebant negotiis. Cum eos autem accepissent milites, Callinicum quidem è foro eductum, cum tempus petiisset & accepisset precationis, p ensem illata deinde morte consummant. Generosum vero Thyrsum cum in quandam machinam immisissent ligneam, vt improbe iusserat Præses, cuidam Vitali & Sabino mandant vt tormentum exequantur. Qui cum sursum serram trahere aggrederentur, ea quidem eis videbatur valde grauis & ductu difficilis: in lignum vero descendebat admodum leuis & sublimis. adeò vt illi quidem pondere laborarent & multo sudore circunfluerent: lignum autem maneret integrum, id serra minime attingente. Tãdem autem vrgentibus & instantibus illis vehementius, capsa quidem sua sponte aperitur. egreditur vero Athleta lętus & alacris, perinde ac si diuinum quoddam gaudium illius inuasisset animum. Atq; eos quidem qui circunstabant, tam qui aderant vt supplicium sumerent q; vt solum spectarent, cepit omnes stupor & admiratio. & neque poterat vllus eum tangere propter insigne miraculum.

Martyr autem cum sensisset cursum sui certaminis iam venire ad finẽ: & desuper audiuisset vocem quandam eum ad brauia vocantem, manus 5 simul & mentem in cœlum tollens. Ago tibi gratias Domine Iesu Christe, inquit, q me qui sum indignus acceperis, & tua hæreditate & choro eorum qui tibi placuerunt dignatus sis. Et nunc accipe animam meam in pace: & eam introduc ad sacrum tuum altare, ineffabilis apud te lætitiæ futuram participem. Hæc dixit, & cum se vndique Christi signasset 6 signaculo, in manus illius sanctam deponit animam. Tam facilem & tam expeditam in rebus perplexis & dubiis inuenit viam ineffabilis Dei sapientia. Ecce enim qui ab inimicis, tam multis fuerat traditus suppliciis, & ex eis nihil graue & molestum senserat, consentanea & naturali morte excedit è vita.

5 *Orat sãctus manus simul & mentẽ in cœlum tollens.*

6 *Signat se Martyr Christi signaculo, nẽpe sanctæ crucis.*

Multum intercessit temporis: & Diocletianus quidem tyrannice romanum inuadit imperium. edictum autem rursus mittitur in omnes partes: vt vel omnes sint cum eo participes impietatis, aut pœnam mortis subeant. Arrianus ergo qui tunc erat Præses Thebaidis, nihil cunctatus, cum mox Aselam & Leonidem accepisset qui colebant & tuebãtur pie-

tatem, eos multis & magnis subiicit tormētis. Deinde etiam acerbissime eos à vita liberat. Postquam vero fuit peractum ab illis martyrium, iubet etiam omnes comprehendi Christianos qui erant in ciuitate, & maxime qui erant aliis pietate magis insignes. & ante ipsum quidem poni instrumenta suppliciorum. Deinde ipsos quoque sisti ante illius faciem. Quæ cum celerrime facta essent, ipse superbo quidem vultu, superbiore autem spiritu, Hoc est, inquit, in manu vestra: & hanc rem vestræ potestati permittimus: vt vel sacrificantes secure viuatis & libere: aut si non pareatis, variis dedamini suppliciis, & deinde etiam ipsi morti. Hęc cum dixisset Præses, & continuo tormenta eis fuissent ostensa, viri numero triginta & septem, viri & sententiis inuicti & animis, ea quæ dicebantur irridentes, quæ cernebantur omnia despiciētes, & sibi inuicem animum addentes, cum hoc solum dixissent, Non solum q̃ impie viuere, sed etiam q̃ recte in pietate vitam degere, pro ipsa mori esse satius, in media prosiliũt pericula: & tempus continuo arripiunt. Sed alij quidem in eodem prompto & alacri animi studio adhuc persistebāt: neque quidquam illos conturbabat eorum quæ aderant.

Quidam autem nomine quidem Apollonius, * ordine vero lector, cum vidisset tormentorum formam & multitudinem, timore completur eius animus, & dissoluitur promptum eius animi studium. Cum autem duplex eam inuasisset metus, vnus quidem imminentium suppliciorum: alter autem abnegandæ impietatis, mediam inter vtrũq; ingreditur: vt neque animam daret Dæmonibus: neque corpus lictoribus: sed ex æquo & illorum effugeret sacrificia, & horum cruciatus. Quemadmodum aũt, iam parata est declarare oratio. Erat vir quidam stans prope illum, religione gentilis, nomine autem Philæmon, arte tibicem, qui propter eam ab iis quidem qui habitabant in regione vocabatur Choraules. Delectabat vero is quoq; Arrianum, q̃n paululum laxatus à curis, aspiciebat ad voluptates. Cùm eum autem propè vidisset Apollonius, ad se vocat, & pollicetur ei quatuor aureos, si pro illo sacrificet: & eum quidem liberet à tormentis: eos vero qui videbant & ipsum Arrianum deciperet, dicens se Apollonium. Paret his Philemon: & illius quidem vestem induens, & vultum quoad eius fieri potuit operiens, perrexit ad sacrificium. Deus autem erat qui hæc procurabat admirabiliter: & Philemonem quidem ad se attrahebat per Apollonium: per Philemonem autem Apollonio texebat coronam martyrij: & sic per se inuicem dans ambobus occasionem vt ei familiares euaderent.

* *Ecce quomodo Lectoratus ordo est in Ecclesia.*

Nam cum Philemonem tunc illuminasset, & vt cum veste animum quoq; mutasset effecisset, fecit vt hoc ipsum esset quod simulabat. Nam cum se quidem signo 7 crucis signasset tanq̃ Christianus, vt in hoc quoque ostenderet Apollonium, profectus est recta ad ipsum Præsidem. Ille autem cum eum vidisset, eos qui aderant rogabat quisnam esset. Cùm illi vero dixissent, Est quidem vnus, vt videtur, ex Christianis: ille autem iussisset illico eum sacrificare: tunc tunc Philemon, mēte facilius mutata q̃ veste: & perinde ac reueritus esset id quod imitabatur, aut potius ei quod est videri vt esset etiam adiecisset, clara voce quantum poterat clamabat. Non sacrifico. Sum enim Christianus, Christi seruus, Christi Dei viui. Præses autem, Non vidisti paulo antè, inquit, qualia & q̃ multa

7 *Nam cum se signo crucis signasset tanquam Christianus.*

perpessi supplicia Aselas & Leonides, deinde etiam morte fuere condemnati? Hoc ipsum, inquit, fuit mihi occasio quæ me impulit ad martyriū, ꝙ Aselas & Leonides sic paulo antè decertarunt propter Christum: & maximæ tolerantiæ hinc percepi doctrinam, & argumentū fortitudinis. Et alioqui miraculum quod in illa tua illi nuper ostenderunt, quam cum per medium fluminis alueum ferretur stiterunt, quos non induxerit vt se parent ad suscipiendum certamen pro pietate? Cum desperaret itaque Præses se posse illum à sua traducere sententia, Mihi, inquit, accersite Choraulem Philemonem. fortasse tibiarum illarum dulcedine delinitus, facilius mutabitur. ignorans omnino stultus hunc ipsum esse Philemonem, & eadem lingua vtentem. nisi ꝙ prius quidem lyra & tibiis: tunc autem diuino loquebatur spiritu.

Cùm ergo tota fere cohors eius apparitorum obiret populum: & nusquam posset inuenire Philemonem: illius, inquit, frater Theon est accersendus. ipse enim omnino docebit vbi sit Philemon. Cum aūt adfuisset Theon, ille nihil sciens qualis esset scopus Philemonis, Hic est, inquit, Philemon, ostendens fratrem. Statim ergo iussit Præses eum aperire faciem, & cum vidisset, vehementer quidem cœpit & profuse ridere, arbitrās Philemonem hoc omnino facere vt rideret Christianos: & ideo illam eū induisse personam vt alios quoq; moueret ad risum. Deinde illum quidem iussit actum deponere & simulationem: accedentem vero cum illo sacrificare. Postquam aūt contra dixit Philemon se Christo quidem re uera seruire: illius autem Deos habere pro ludo & ridiculo. Iudicem magnus inuasit stupor & dubitatio. Intuens itaque Philemonem, Per ipsam, inquit, Romanorum salutem, verá ne sunt quę in pręsentia ò Philemon à te fiunt, an comparata ad irridendum & ludificandum Christianos? Ille vero, Non Romanorum, inquit, ego sed meam ipsius iuro salutem, & Dominum meum & Regem Christum non esse irrisionem, nec lusionem, nec fictionem quæ videntur: sed veram cordis mutationem, & fidem esse in Christum certissimam. & me pro hac confessione, non vnam solam, sed innumerabiles si fieri posset, paratum esse subire mortes.

Hæc ira impleuere Præsidem: & conuersus ad eos qui circūstabant, rogabat an oporteret protinus occidere Philemonem, qui Deos aperte tanta affecerat contumelia & euasisset tam insigniter impius, an ei tempus pręberet vt deliberaret & eius quod fecerat duceretur pœnitentia. Atque populus quidem, Philemonis enim magno tenebatur desiderio, & pendebant omnes ab illius lingua & à tibiis, rogauit protinus Præsidem ne perderet communem voluptatem ciuitatis: ille autem volens eius soluere constantiam & promptum animi studiū. Vides, inquit, ò Philemon, quanto tui amore tenetur populus, & quemadmodum cōmunem te vocat voluptatem, communem autem existimat lętitiam. Tu ergo saltem eorum plausus & laudum memor, & faciens quę sunt & tibi & iis consueta, sacrifica Diis seruatoribus. Ecce enim maximum festum mox peragitur, in quo tu quidem præclare canes, & eorum laudibus tibi oblectabitur animus: aures vero nostras cantu tibiæ demulcebis. Ad hæc autem Philemon. Hoc, inquit, festum ò Præses, mihi in memoriam reuocat festum quod illic agitur. honor vero & laus musicæ facit vt visione apprehendendam Angelicam hymnodiam. Scias ergo fore vt frustra labores

bores si me coneris à mea dimouere sententia:neq; verò solum nihil proficies:sed etiam maius mihi in Christum accedens desiderium. Pręses aũt. Sed etsi omnia, vt dixisti, molesta & grauia propter Christum sustinueris, quid hinc lucrifacies? Neq; enim etsi omnia pati elegeris, res tibi succedet ad martyrium. Nam neq; factus es omnino Christianus: neq; accepisti baptismum conuenienter illorum legibus.

Hoc postquam audiuit Philemon, exclamauit ô ignem spiritalem qui accensus es in meis præcordiis. Quãtum tibi debeo ô Præses, q; me etiam inuitus maximis affecisti beneficiis, sacrum baptismum in memoriam reuocans. Hæc cum dixisset Pręsidi, stetit in media turba. & rogo vos, vehementer exclamauit, Si quis inter vos præest Christianis, & contemnit tormẽta propter pietatem, adsit cito & me diuino impertiat baptismate. Postquam autem vidit omnes victos timore, & qui vt tempus postulabat, nihil poterant facere iuueniliter, dolore animi cruciatus, & cõtinuo in vocem erumpens cum calidis lachrymis. Deus meus Christe, inquit, qui me benigne aspiciens, à profundo errore me reuocasti, ne sic me despicias diuinum baptismum minime assecutum. Sed quo vis modo ostẽde mihi Sacerdotem & aquam. à quo & in qua, similiter atque alij Christiani, baptizabor. Cum sic dixisset, nubes desuper continuo descendens, cum eum stantem medium in orbem comprehendisset, baptizauit. Deinde nubes quidem sursum ascendit: Ille aũt omnibus videntibus fluẽto cœlesti baptizatus. Vobis, inquit, omnibus videre licuit, qui Christiani quidem estis, nondum aũt vultis manifestam esse vestram pietatem, quẽadmodum cum nullus vtique ad me ausus esset accedere, ipse veniens aperte Dominus, me maximo dono impertiit baptismatis. Videte ergo, & turpi ac illiberali timore liberemini. Quinetiam tu quoq; aspice Præses, relicta quæ nihil habet vtile insania, cognosce cuinam Deo teipsum absque ratione feceris inimicum: & quemadmodum eo Iudice sis luiturus pœnas.

Cùm Martyr sic esset locutus, Præses neque ea quæ audiit, neq; ea quę vidit admirabilia omnino attendens, res enim plane cęca est vitium. Hæc quidem, inquit, mitte ô Philemon. Nihil est enim aliud nisi solum oculorum deceptio & præstigiæ. Tu autem dic quanam de causa res despicis adeò dulces: vt neque tuarum tibiarum vllam ducas rationem: neque maximum nostrum festum vel tantillum tibi veniat in mentem, neque vllum totius populi te capiat desiderium. qui postquam venerint quidem in theatrum, te autem non aspexerint concinne & modulate canentem, sed alium pro te sumentem tibias, quantum putas, lugebunt, modorum tuorum recordantes & tuæ illicientis suauitatis & gratiæ? Sed hæc quidem Præses quæ magis fœminis q̃; viris conueniunt, seruilibus blanditiis volens corrumpere generosum animum. Philemoni aũt tantæ curæ fuerunt ea quæ dicta sunt, vt postquam cognouit Præsidem ei tibias tanq̃ escas proponentem, & sic eum conantem illicere, Deum rogauit ardẽtissime vt ignem immitteret in tibias, & eas in cinerem redigeret & puluerem. Exaudi me nunc quoque Domine, dicens, Domine Rex & quomodo supra me aqua, ita etiam supra meas tibias veniat ignis & eas deuoret. quas ad tuum currens martyrium, deposui apud Apollonium. Ita Domine Iesu, vt vani huius mei artifici nullæ remaneant reli-

quiæ. neque eas videns quispiam ex infidelibus, dicat, Hæ sunt tibiæ Philemonis.

A Vide miram effunditionẽ precum martyris.

Nondum finitę erant A preces, & descendit quidem fulmen supra manus Apollonij: & à manibus quidem abstinuit admirabiliter. combussit autem tibias: & eas continuo redegit in puluerem & cinerem: perinde ac si fulmen circũduceret quispiam: & à quibusnam quidem abstinere, quænam verò tangere oporteat ostenderet. Hinc vtraque rectè successerunt. Nam & Philemonis votum deductum est ad effectum. Apollonio aũt iam aperta erat ianua ad martyrium. Nam Theon frater Philemonis, tanq̃ ab aliquo missus, currens omnem rem gestam significat Præsidi, quemadmodum Philemonem sua veste induit Apollonius: & quemadmodum effecerit vt pro illo adiret ad certamen: & vt fuerit ipse pręcipua causa illius exitij. Adducitur ergo mox quoque Apollonius Quẽ toruo & furioso vultu intuens Arrianus. Quid hoc est inquit, ò omnium hominum sceleratissime, quod fecisti & nobis & ciuitati & huic misero: ꝙ propter arrogantiam quidem Deos & leges despiciens, metu autem tormenta declinans, cũ eo mutasti vestem, & quibusdam maleficiis cor eius peruertisti, priuans ciuitatem maxima voluptate? Oportebat, si sic timebas supplicia, ad me accedere & tuũ animum aperire. Ego vero omnino id tibi remisissem lege humanitatis: & neque tibi fuisset exhibitum negotium: neque tu exhibuisses aliis. sed liberatus à metu & periculis, secure vixisses & sine vlla molestia. Hæc cum dixisset Præses, excipiens Apollonius.

Quòd nos quidẽ contumeliis & maledictis iure insecteris, ne ipse quidem contradixerim. vt qui me ipsum primis accusem. verum non ideo ꝙ tantorum bonorum illi causa fuerim: sed ꝙ non mihi multo prius: & non ꝙ ipse meam vestem induerit: sed ꝙ ego vestem illius induerim. Qm̃ tamen per ipsam ambo vere salutari indumento induti sumus, iis iudiciis quæ verus nouit Deus, certo scias neque posthac Philemonem, neque Apollonium Diis sacrificaturos. Quod si prius timiditatis à te sum accusatus, nunc maximam & apertam ostendam fortitudinem. Propter hæc iram spirans Arrianus, ipsum quidem iubet maioribus reseruari cruciatibus: Philemoni autem à tribus militibus fortiter cædi oculos. Cum vero populus ea quæ fiebant ægretulisset, & clamaret vt milites ab eo abstinerent: moleste enim ferebant illum pati qui eos voluptate affecerat: dicebat Præses, Tui saltem modo miserere Philemon. Sin minus: at populi quidem, cuius pro te acerbe discerpuntur viscera. Te enim oportet considerare, quod si te tam paruum & leue subeunte supplicium, ostendunt tantam animi perturbationem: quid fiet si maioribus malis afficiaris? Ego enim vt tibi quoq; meam mentem aperiam, nõ temere possum credere iis quæ videntur. sed hoc mihi das coniiciendum, ꝙ populi volẽs in te amorem experiri, simulasti te esse Christianum, & Diis sacrificare recusasti. Si ergo hæc est vera causa tuæ mutationis, & pulchre nosti q̃tũ tibi bene velit populus: & quemadmodum cum tibi creditur facies, ipsi corde & animo magis afficiuntur, Sacrifica tu quoq; Philemon: & quẽ ex incussis tibi colaphis acceperunt dolorem, leni per gaudium quod postea consequetur. & prandeamus in templo Serapidis: & lętitia maxima fruamur & delitiis.

Philemon autem Iudici. Mihi quidem, inquit, cœna parata est in cœlis. Ad populum vero conuersus, Cur, inquit, si ego cædar vobis est molestum? Atqui quando eram Choraules, multi nos feriebant adulatores: & nonnunquam faciebāt etiam peiora & grauiora. Vos autem suauiter & profuse ridebatis: eamq; rē vos re vera esse vestras putabatis delitias. Sed nunc consentaneum est vestrum dolorem esse lætitiam & gaudium Angelorum quorum lętitia est mihi magnæ curæ: & quos ego volo per me delectare, cum sim Christianus & colam pietatem. Hæc cum audiisset Præses, & de Philemone omnem spem abiecisset, tunc in eum grauiora aggreditur supplicia: & Philemoni & Lenoni & Apollonio iubet perfodi talos: & funes ex eis alligari: & sic per totam ciuitatē duci Martyres. Cum cito autem factum fuisset quod iusserat, eos rursus iubet ad se adduci. Qui cum essent adducti, propius accedens ad Philemonem, Vides, inquit, ò Philemon, q̄ sint grauia & molesta quæ inferuntur supplicia. Vbi est autem vobis inuictus ille Deus: & cur non vos à præsenti liberauit calamitate? Ad hæc Philemon. Nondum nosti, inquit, Arriane, quemadmodum non verbis solum, sed etiam factis ostendimus fortitudinem: & tormenta vicimus experientia. Nostri vero Dei virtutis multa quidem etiam alia vidisti in nobis signa: aquam de cœlo, ignem de cœlo, ne dicam ea quæ vidisti per Aselam & Leonidam. Quòd si etiam plura quæris, ego tibi alia quoq; ostendam. Prius autem qūo ab ipso custodiar, ego tanq̄ figura quadam tibi ostendam. Hæc cum dixisset, petit vt sibi construatur quidam Ocnus ęneus. significat vero apud eos qui in ea regione habitant hoc vocabulum, speciem quandam currus muliebris.

Cum Præses autem annuisset, & currus vt ille petierat esset constructus, iubet adduci puellum: & in eum immitti & diligenter includi: congregari vero omnes qui erant in ciuitate periti sagittandi, & ad currum iaculari tanq̄ ad scopum: & non cessare iaculari donec totus currus esset tectus sagittis. Atque illi quidem congregati sic faciebant. Æs autem, erat enim huiusmodi vt ad resistendum aciei telorum, ictus acciperet extrinsecus, intus illæsum conseruabat puerum. Cum vero & ipsi sagittādo essent defessi, & tela eis defecissent, puer educitur illęsus. Et stabat quidem Præses dubius cur hæc fierent. Dicit autem Martyr Arriano, Hoc, inquit, ò Præses, est tibi euidens imago meæ salutis. Qūo enim hic puer, etiamsi sibi ad nihil posit esse vtilis, nihil tamen graue passus est à tam multis viris & iaculis. ęre optime munitus: eodem modo ego quoque, etiamsi mihi innumerabilia inflicta fuerint supplicia, nullius horū curam geram. ea enim obtundit & hebetat mei Christi virtus, quæ me circumcirca muro munit adamantino. Propter hęc ira impletur Adrianus: & cū vellet verba Martyris conuincere, facit vt ea potius deducantur ad effectum. Nam cum è quadam arbore suspendisset iustum, quæ stabat quidē iuxta tribunal, vocabatur autem Persei, circa eum ex omni parte statuit sagittarios. Et illi quidem fortiter torquebant: ille verò sua ad Dominum oratione 8 omnia tela similiter depellebat. Nam alia quidem cadebant in terram: alia vero figebantur in arbore: alia autem admirabiliter pendebant ex aëre. 8

8 Mira res orationes sua omnia tela depellebat.

Postquam vero eis quidem fuerunt exinanitæ pharethræ: Martyr aūt nihil omnino graue patiebatur, Præses hæc videns non poterat credere

iis quæ cernebat: & præ admiratione accurrit ad miraculum. Nam ille quidem studebat scire an vera essent quę videbantur. Cum ad locum autem accessisset, Philemonem vidit aperte in arbore. Interim aũt ex aëris illis iaculis vnum aduolans ferit ei dexterum oculum, eumq; excęcat. hęc vero excęcatio fuit Iudici principium illuminationis. Vide enim Dei sapientiam, quæ è longinquo contexit & admirabiliter variat vtiles rerum dispensationes. Arrianus enim multum quidem Christum, multum aũt etiam Christianos insectatus est maledictis, vt qui graui dolore irritaret. A malo tamen victus, iussit deferri Martyrem. Deinde etiam rogauit vt curaret oculum. ex eo quod passus fuerat stultus, dicens, q̃ quõ admirabiliter fuerat potens ad percutiendum, ita sit etiam ad sanandum admirabilis. Ille aũt, Nunc quidem, inquit, tibi defero sanationem: ne beneficium acceptum rursus voces præstigias, & ipse inconsiderate me tibi reum constituam. Sed quãdo è corpore excessero, iam aũt finis appropinquat, veniens ad meum sepulchrum, & ex eo puluerem accipiens, eo vnge oculũ, inuocans tu quoq; Christi nomen. & non diu pòst, sed statim sequentem habebis sanitatem.

Post hoc non differt Arrianus: sed amborũ simul, Philemonis & Apollonij amputat capita. Nam siue mentiatur Philemon, inquit, iræ medebor. Sin minus, mihi curabitur oculus. Tales quidem fuere Athletis occasiones martyrij: tales autem etiam exitus. Q̃m vero oportebat Arrianum quoq; non solum esse oculo occæcatum, sed illum quoq; simul esse animo illuminatum, hoc quoq; consequitur ea quæ præcesserunt. Nam cum reliquię 9 fuissent vt par erat à piis habitę in honore, & cum Asela & Leonida diuinis Christi martyribus depositæ: Arrianus statim, non sinebat enim oculus eum esse desidem, accedit ad eum sicut fuerat ei prædictum: & cum 10 sustulisset puluerem, inungit oculum. In nomine tuo Iesu Christe, dicens, propter quem isti mortem sua sponte elegerunt, impone puluerem meo oculo: etsi rursus aspexero, ipse quoq; dicam nõ esse alium Deum præter te. Hæc cum dixisset, statim duplicem inuenit curationem, nempe & oculi & animæ. Nam illo quidem videt solem: hac vero veritatem. Egreditur ergo lętus & clamans, Sum Christianus: & coram multis testibus confitens acceptum beneficium. Demum aũt reuersus, & omnes qui erant apud se baptizat: & trigintasex Christianos relaxat è vinculis. Tot enim tunc erant propter Christum in vinculis. Deinde cum 11 pretiosos accepisset sindones cum multis aromatibus: cum multis aliis & duobus Epis, rursus venit ad thecas sanctorum: & horum venerandas reliquias fideliter simul & pie terra tegit.

Cum de eo autem fama iam fuisset delata ad Diocletianum, q̃ Christianus ex Græco factus esset Arrianus, & q̃ sacrificare nequaquam in animum induceret, mittit ille quatuor protectores, iubens vt eum quam primum adducerent. vt accurate sciret an vera essent quę dicebantur. Atq; isti quidem cum ipsum comprehendissent, vrgebant ad iter ineundũ. Ille autem persuadet iis qui tantopere vrgebant ductoribus, cum id nummis emisset octingentis, vt paruo tpe sibi liceret accedere ad reliquias Marty. Cum ergo ei data facultate accessisset, 12 rogabat: pronus cadebat: supplicabat: puluerem amplectebatur: & præcabatur vt ei opem ferrent in certamine. & vox statim audita est è sepulchro. videbatur aũt vox esse

9 *Ecce reliquiæ sanctorum habitæ à piis in honore.*

10 *Cerne admirabile factũ. Imposito puluere ex sepulchro sancti occecato occulo, & per præsidem ipsum Christi nomine inuocato, is statim sanatur, illiusq; anima etiam illuminatur.*

11 *Habes sanctorum splendidam sepulturam, cum multis aromatibus, cum hominum frequẽtia, cum duobus Episcopis, cũ ipso quoque præside.*

12 *Vide cõfugientem ad sanctorum sepulchra eorumq; opem implorantem, miro modo exauditum.*

Phile-

Philemonis, dicens. Esto fortis Arriane: & nullus metus te inuadat. Ecce enim Dñs te ad seipsum accersit: & ducit ad certamina: & incipit tibi con texere coronã martyrij. Habebis vero eos quoq; qui te ad eam deducũt protectores, Laborum simul socios & remunerationis. Illum cum hæc audiisset, subiit stupor & admiratio simul cum iis qui aderant. & ei potestate data à protectoribus, domum suam est reuersus. Quo in loco copiosiorem à superis gratiam consecutus, prædicit sibi & tempus sui decessus & modum. Nam cum pueros qui erant domi suę vocasset, Nunc quidẽ, inquit, venietis nobiscũ vsque ad Alexandriam. Deinde ego quidem ducar ad Imperatorem: & Deo à superis ferente auxilium, hoc mihi propositum certamen peragam octauo mensis Phamenoth, in saccum iniectus & proiectus in mare. Vos autem, sit vero vobis curæ quod dictum est, vndecimo eiusdem mensis circa horam sextam, venite ad littus. & cum corpus meum inueneritis quod vehetur à tergo Delphini, id tollite et deponite cum aliis martyribus.

Hæc cum dixisset, ducitur ad Imperatorem Diocletianum. & ipse primum quidem cum eo agit benigne & placide. Deinde paratur lauacrũ: & ante lauacrum ara. ara autem erat Apollinis. Et simul quidem lauatur Imperator & Arrianus. Egressi aũt è lauacro cũ aræ appropinquassent. Sacrifica ò Arriane, inquit, Diocletianus, maximo Deo Apollini. Sic.n. vt par est, exhilarati, alacri deinde animo veniemus ad cœnam. Ille vero, Et qũo possem ego, inquit, ò Imperator, post tot & tanta Christi qui est solus Deus viuus miracula, quorum non sunt inanes fabulę & rumores, sed ipsi testimonium nobis præbuerunt oculi: Qũo ergo ego qui tot & tanta vidi, eum quidem relinquam, sacrificabo aũt his inanimis & nullo sensu præditis? Hic fuit deprehensa & conuicta Diocletiani simulatio, & ficta q̃ indueret persona: & quam sibi illiuerat mansuetudinem exuens & benignitatem, ad suam rediit consuetudinem. & his excepit Arrianum, nempe vinculis manuum. catapultis pedum. profunda in agro fossa magnorum & molarium lapidum magnitudine. His enim cum eum vinctum trusissent in hiatum, desuper obruebant.

Postea aũt ipse quoq;, vt qui deiecisset inimicum, thronum ponit excelsiorem. Et ille quidem seuerus cum grauitate sedebat & seueritate. iubebat aũt milites eum ludificari, irridens miser & dicens impia & blasphemia. Videam, inquit, quid ei proderit Christus, & quemadmodum liberabit eum è meis manibus. & quæ sunt similia, puluis marcidus insolenter iactitans. Deinde cum equum superbe & gloriose ascendisset, ipse quidem tanq̃ qui fortia & præclara gessisset, venit in regiam. Dei autem prouidentia q̃; sit ineffabilis, & vt ingrediatur per ea quæ sunt contraria, non multo postevadit manifestum. Nam ingreditur quidem Imperator in cubiculum vt paululum requiescat: videt vero spectaculum terribile, ò Domine & Rex omnium Christe, & quod est solũ tuæ infinitæ & quę inuestigari non potest potentiæ. nempe illos quidem compedes & lapides cum quibus in fossam demiserat martyrem, lecto apprehensus imperatorio. ipsum aũt Arrianum iacentem in eodem cubili & regaliter in eo quiescentem. Hæc cum vidisset Diocletianus, fuit conturbatus & exterritus. existimans aliquem ex iis qui erant in regia inuadere tyrannidem. Clamabat itaq; & conuocabat eos qui essent opem laturi. Arrianus vero ei le-

niter dixit è lecto. Ne conturberis. nemo ex iis qui sunt tuæ subiecti potestati aduersus te insurrexit: neque vllæ tibi sunt paratæ insidiæ. sed ego sum ille Arrianus, quem cum in vasum illum iecisti hiatum, Videamus, dicebat, an Christus ipsum à meis liberabit manibus.

Propter hæc Diocletianus fuit animo obstupefactus: sermoq; fuit ei impeditus: & neque vocem quidem oïno poterat emittere. Vix tandem ad se rediens, foras processit, timore perturbatus: & clamore impleuit regiam ò improbam artem, dicens, ò præstigias. Nemo hucusque tale quid fecit. & multas eiusmodi dicẽs nugas. Deinde etiam maiori ira accensus, iussit statim saccum afferri in quo esset quidem arena, sed non esset ea plenus, imo esset magna ex parte vacuus. Vt pondere quidem, aiebat, arenæ deorsum trahatur: eo autem quod est vacuum suscipiat Arrianum. in quẽ iniectum iubet eum dimitti in alto mari. Interim vero Protectores quoque, vt quorum animi priore miraculo essent moti, confitentur se esse Christianos. & accedentes ad Diocletianum, Quanam de causa, aiebant, hominem qui nihil mali quidem fecit, imo verò Deo vero est coniunctus & familiaris, & per ipsum non pauca fecit miracula, adeò vt omnes qui ei Deo crediderunt, confidant q̃ etiamsi quis mortuus fuerit viuet: etsi in fossam fuerit proiectus: etiamsi lapidibus obrutus: etiamsi sit sub petris: etiamsi oĩa simul fuerit passus grauia, possit rursus seruari ex omnibus: Cur eum tanquam maleficum quempiam iussisti in mare deiici? Cum ipso ergo nos quoque nos ipsos præbemus, & rogamus vt eandem mortẽ quam ipse subeamus. Credimus enim Deum Arriani, qui eum eduxit ex profundo terræ & vinculis & tantis lapidibus, posse nos quoque suscitare, & ad optimam vitam traducere & longe beatissimam.

Ad hęc ille admodum ironice. Ego etiam prius, inquit, quando eramus eiusdem sententiæ & eratis studiosi vt me obseruaretis, nullam, vt scitis, vestram repuli petitionem: sed semper vos exaudiï: & vt pater filiorum sic vestri curam gessi. Quinetiam nunc quoque etsi in patrios Deos impiï, & in nos infideles extiteritis, ne sic quidem vos repellam. Sed qm̃ sititis eandem mortem quam Arrianus, ego eam quoque vobis concedam lubentissime. Theotychus autem qui erat primus illorum, excipiens. Deus, inquit, ò Imperator, ad quem migramus & in quẽ resoluimur: qui nobis nomen præbuit admirabile: & cui placuit vt nos mortem pro eo subiremus, ipse te remunerabitur pro meritis tuæ in nos affectionis. Sed si hoc quoq; à te potest impetrari, rogo te ò Imperator, vt mea facultates liceat in duas partes diuidere: & vna quidem pars aulę consecretur regiæ: altera vero distribuatur orphanis & viduis. Cũ ipse autem adhuc plura vellet dicere, qui erant cum eo tres, dixerunt, Frater Theotyche. harum quidem rerum curam relinquamus Deo qui curat res nostras: in præsentia vero nos nostri decessus curam geramus. Propter quæ diu cogitabundus stetit Diocletianus: vt qui videretur admirari eorum in morte contemnenda magnum & excelsum animum.

Cum eum autem sic vidisset affectum Arrianus. Sed noli, inquit, ò Imperator nostram amplius differre migrationem. fortasse enim sunt hę maligni insidiæ, vt nobis interrumpat cursum decertationis. Tunc cum de eorum mutatione spem oẽm abiecisset Diocletianus, iubet alios quatuor saccos afferri cum arena: & similem Arriano mortem subire Protectores.

& sic ad effectum est deducta prædictio Philemonis. Ipsis vero in mare proiectis, statim accedens Delphinus, maior q̃ soleat esse Delphinus & robore & magnitudine: & Cœto magna ex parte similis. & natura planè aliena & admiranda, quinque simul saccos admirabiliter secure fert humeris: & tanquam quædã nauis onus vehit Alexandriam. Pueri autem, expectabant enim adhuc in ipso litttore, vt eis prædictum fuerat ab Arriano: & horam accurate obseruabant, postquam Delphinum viderunt cum onere, stupent quidem rei ipsius magnitudinem: nihilominus vero ꝙ sacci quoque tuto fuissent adducti, adeò vt eis nullus caderet ex humeris, cum natura essent leues & lubrici. Dubitantibus autem pueris quemadmodum Dñs quidem Arrianus de solo suo corpore dixisset fore vt id apportaretur à Delphino, Nũc vero prẹter ipsum vident alia quatuor, vox quædã diuinior ab eis est audita. Venite vos, dicens, & Domini vestri & Protectorum accepturi corpora: Qui enim illum ad suam vitam euocauit, eos quoque vocauit cum eo similiter. Cum ea ergo acceperitis, cum Asela & Leonida honorifice deponite. Et sic quidem vox.

Delphinus autem cũ saccos posuisset in littore, rursus enatauit in mare. Pueri vero cum ea honorifice sustulissent, & in nauem immisissent, per fluuium portabant. Cum autem tres dies & totidem noctes nauigassent, appropinquant metropoli Autonoëtarum: vbi oportebat eas sacras deponi reliquias. Cum eos vero somnus oppressisset, nauis plenis velis aduolans, momento temporis stetit in illo loco: & vox exaudita fuit admirabiliter. Theodotion, hoc enim erat nomen gubernatoris, hic est locus qui est sanctorum corpora sortiturus. Ille ergo excitatus cum inuenisset nauem veluti vinctam compedibus, descendit quidem de naue: celeriter autem profectus in ciuitatem, significant miraculum. Protinus vero publice confluunt 13 omnes, gestantes lampades & coronas. & diuinos hymnos canentes Et cum sic eas præclare & magnifice illic deposuissent, vberes fructus miraculorum quotidie colligunt. Ad gloriam patris & filij & spiritus sancti, vnius diuinitatis & potentiæ, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

13 *Ecce quõ martyres honorifice deferunt publico concursu, gestantes lampades & coronas, & diuinos hymnos canentes.*

MARTYRIVM SANCTI *Martyris Eleutherij Episcopi.*

Decemb. 15.

CVM Ælius Adrianus Romanis quidẽ imperaret: Dæmonibus autem & simulachris diligenter seruiret: admirabilis quoque Eleutherius illo tempore, cognitus est veluti quædam stella diem illustrãs. Cui patria quidem fuit inclita & magna Roma. parẽtes autem genere quidem nobilissimi: diuitiis vero opulẽtissimi: gloria etiam clarissimi. Ter Consulem enim fuisse eius patrem eius scribit historia. Sed cum essent adeò insignes, nec eis quidẽ deerat nobilitas ex pietate orta & religione. Eius enim mater Euanthia, cum diuini Pauli Apostolicis admonitionibus fidem accurate didicisset, cũ studio virtutis Dei quoque cultu erat valde locuples. Ea cum hunc sanctum peperisset puerum, Eleutherium quidem vocauit ex ipso ortu. adeò autem liberaliter & honeste eum educauit, vt nomini res quoque conuenirent.

Sic ergo educatum cum ad virilem ætatem peruenisset, Deo & Archiepiscopo Aniceto dat eum, donum ipso dignum. Ipse enim tunc Romanæ præerat ecclesiæ. Qui videns morum eius moderationem & alias virtutes, eum quidem primum 1 Diaconum, Deinde Presbyterum, postremo Epm ordinat Illyrici. sicq; lucerna, vt Euangelice dicam, posita super candelabrum, & verbi luce illuminante multorum cogitationes: & falsam quidē mendacij doctrinam proculēte doctrinæ sermonea bluente, ad solius autem Dei cognitionem multos conuertente & deducente ad pietatem, non poterat malignus hæc ferre moderate: sed rabie quidem in ipsum agitabatur: & grauiter spirabat contra pietatem. Totum vero subiens Adrianum, cum illo armatur contra veritatem: & ante alios oēs contendit de medio tollere Eleutherium, ex piis studens demetere eos qui erant insigniores, tanquam spicas quasdā cæteris præstantiores. & statim cū terribili legatione mittitur felix quidam vnus ex Ducibus exercitus, iussus vt & per vim adducat Eleutherium, & eum sistat ante tribunal imperatorium. Qui cum ad Christi mandram peruenisset ecclesiam, eam extrinsecus circunsidet multitudine militum. & cum intus intercepisset Eleutherium, tanquam predam aliquam studebat habere agnum Christi.

1 Vides tres Eccl. ordinis gradus, Diaconatū, Presbyteratū & Epatum.

Deinde templum ingressus, & truculentis quidem oculis & truculentiore etiam spiritu, tanq̄ ipso vultu eius qui miserat significans sæuitiam, se ostendens iis qui videbant: postq̄ vidit Eleutherium suauissimum doctrinæ fluentum profundentem, & ornatissime pietatem annunciantem iis qui cum eo versabantur, ille mirandum in modū admirabatur Christi virtutem. & statim mutata sæuitia (visus est enim habere animum aptū ad suscipiendum semina pietatis) fit ouis pro lupo & pro persecutore Discipulus: & priorum veluti oblitus, nō latro & persecutor, sed Christi quem persequebatur amicus & Discipulus. & despicit quidem ipsum Imperatorem: procidit autem ad pedes sancti. & ab eo tempore lubens versabatur cum Magistro, illius verbis illuminatus, & in pietate confirmatus. Sed sic quidem fecit felix, & nequaquam curauit reuerti ad eum qui miserat. Non erat autem id quod videbatur Eleutherio. festinabat.n. ad confessionem: eratq; prompto & alacri animo ad pietatem libere efferendam. Iter certe protinus est ingressus, habens etiam se sequentem Felicem Ducem exercitus. Cum autem inter eundum in quam incidissent, fit hic Felix alius Candaces: & à diuino Philippo baptizatur, nempe Eleutherio. & idololatriæ caligine, tanq̄ putrido aliquo indumento, exuitur.

Postquam vero itinere confecto Romam venerūt à fidelibus quidem qui erāt Romæ agnitus, sigillatim de Eleutherio omnia annunciat. Eleutherium autem iussus Imperatoris imperabat sisti ad illius tribunal. Ille vero tam magno & excelso animo ingreditur, acsi non ad certamina sed ad festum accerseretur. Quem cum aspexisset Imperator, vt vidit eum esse & iuuenem & formosum, & virtutis ornamento & animo & oculis decorum. Cur, inquit, ò Eleutheri, patria relicta religione, Deorum cultum nihili faciens, nouum quendam Deum colis: idq; cum non solum sit aperte mortuus, sed etiam mortem subierit turpissimam? Eleutherius autem ei qui se tam stulte gerebat nec respondendum quidem esse arbitratus: & alioqui ipsum Christum in iis quę pro Christo passurus erat imitans stabat tacens. Sed responde, rursus dixit Imperator, Qui fit q̄ te tam stolide

geras,

getas, & in hũc Christianorum cultum insanum te immiseris. Deinde aliquantum remittens de acerbitate. Pare, inquit, mihi, & Diis inuictis sacrifica. Si enim persuasus conuertaris, honores tibi præbebo maximos. Sin autem non pareas, grauissima inferam supplicia.

Eleutherius vero Domino inuocato qui dixit, Nolite esse soliciti quõ aut quid respondeatis. Dabitur enim vobis, inquit ille sapientia, cui nullus poterit resistere. Quomodo, inquit, potero sustinere talibus Diis seruire: aut alij sustinenti assentiar? Quomodo autem non magis vobis consuluerim ab eis deficere: & si non pareatis, vestram defleam amentiam: quod ratione à Deo honorati, affecti estis viliores lignis & lapidibus: adeò vt hæc Deos esse putetis: & non solum esse sed etiam bene esse existimetis: idq; vero Deo relicto, qui ratione constituit vniuersum? Cœlum enim & terra sunt opus manus illius. Sumus vero nos ex iis quæ creauit opus pulcherrimum & pretiosissimum. etiamsi tanq̃ in pugna nocturna ignoramus id quod est amicum & hostile. & aduersus nostrum quidem Dñm bellum gerimus: eos autem qui sunt vere nostri inimici & hostes, Dæmones, inquam, nostros, ò insaniam, putamus esse Dominos: & eos honoribus extollimus & sacrificiis. Ego igitur Dño meo adhæreo & semper adhęrebo: & Christo meo seruiam, ignominias vestras & honores, & has pueriles laruas suppliciorum, infantium esse plagas reputans. Mihi enim, vt meus dixit Doctor Paulus, totus mũdus est crucifixus, & ego mũdo. & mori pro Christo delitiæ mihi sunt & exultatio. Ira plenus per hæc euadit Imperator: & grabatum iubet afferri æneum. & ei multum quidẽ ignis substerni: supra eũ autem nudum extendi Athletam: & sic perpetuo deflagrare, donec omnino interierit.

Postquam autem hæc cito facta sunt, Martyr insiluit in grabatum: & totus in toto fuit extẽsus. Ciuitas vero ægreferens id quod factum fuerat, oẽs enim ferè conuenerant ad spectaculum, exprobrabãt Imperatori crudelitatem. Cur, dicentes, vir adeò clarus, genereq; & sapiẽtia insignis, male perit tanq; infamis quispiam? Deus autem dolorem alleuabat è superis: & tanquam quodam rore refrigeratus, & in molli herba cubans, Martyr sentiebat voluptatem. Imperator autem postquam animi rabiem tormento iam satis lenierat, existimans eum iam esse mortuum, iubet illinc tolli illius corpus. Postquam è lecto ferreo surrexit Martyr, non solum illæsus, sed etiam lætus & alacer: & extollam te Deus meus Rex meus, canebat cum gaudio, & laudabo nomen tuum perpetuo. Laudabo Deũ qui lætificat iuuentutum meã. Qm̃ generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam annuntiabunt: & miracula tua narrabunt. Postq̃ vero Deo sic glorificato, audacius deinceps astitit ante Tyrãnum. Aspice ad me, ait, ò Imperator, quem tu existimasti ab igne exedendum. & intellige eum qui à me prædicatur. Agnosce autem tuorum quoque Deorũ imbecillitatem. Hanc audaciam & dicendi libertatem, suam esse contumeliam Imperator arbitratus, & se victũ esse opinatus quod cõtemneretur, supplicium eo excogitat maius & vehementius. Rursus ergo in medio proponitur craticula, igne quidem subtus accensa: oleo autem desuper aspersa, & flammam grauiter accendens. Sed ne tũc quidẽ gratia neglexit Martyrem: sed simulatq; fuit ipse impositus craticulæ, ignis statim fuit extinctus: & carbones emarcuerunt. craticula vero, tanq; non oleum sed

aqua potius desuper fuisset infusa, ipsa quoque erat frigida, sanctum conseruans illæsum.

Quid verò cũ his ne fuit extincta ira Imperatoris? Nequaquam. sed rabie semel percitus: & ad alia quidẽ nihilo melius affectus quam cæcus: adhoc autem solum intuens vt Diis suis gratificaretur in sancto puniẽdo, qui quidem sunt omnino Dæmones homicidæ, rursus iubet afferri sartaginem, ceramq́ue & picem & adipem in eam inijci: multo vero igne subtus accendi: & sic in ea rursus extẽdi Martyrem. Postquam ergo factum fuit quod fuerat imperatum. & sartago & tota erat candens: stetit autem Martyr quoque subiturus supplicium. Ne differas, inquit Imperator, ò Eleutheri. stas enim medius inter mortem & vitam. cura id quod tibi futurum est conducibile. Nam ego quidem magnam tui curam gerens ne male pereas, in te sum affectus tanquam in germanum filium. nec vellem per Deos, virum tam nobili loco natum, & qui est ipse adeò bonus, tam disertus & tam pulchra specie, seipsum incõsiderate inijcere in periculum, idq́ue propter nihil aliud quam propter peruicaciam vanam & inutilem. Postquam autem stetit Martyr aduersus hæc generose decertans, apte probris remunerans blanditias, & illum lupum appellans Arabicum, vt qui ouibus Christi insidietur. Tandem hæc quoque adiecit, Quidquid feceris, non mihi pesuadebis vt ab hac pia & beata desistam constantia.

Hic Adrianus animo sauciatus, verbis relictis ad facta se contulit: & iubet eum extendi in sartagine. Quod cum factum esset, eadem quæ prius rursus sunt consecuta. & ignis quidem mutatur in rorem aura vero quædam suauissima fortem ac generosum virũ refrigerauit. Adrianus autem nesciens quid ageret, cum ei mutarentur omnia in contrariũ, sedebat animi dubius, bouem habẽs in lingua, vt dicitur: & linguam vinctus profundus dolore. Quem cum vidisset sic affectum is qui tunc erat Præfectus vrbis, nomine Corebo, ad noua inuenienda tormenta vir egregius, & ad faciendum aliquid quod aduersus necessitatem esset acre & efficax: erat autem Christiani dogmatis non omnino ignarus: sed & quę felici exercitus duci acciderant verbis acceperat: & Christianorum fidei veluti quædam semina & initia in corde acceperat: adhuc vero sectabatur res gentilium, & plurimi faciens colere & obseruare Imperatorem. Ipse autem tunc vidẽs Adrianum dubitantem, & nescientem quõ se in sanctum gereret, accedens. Ego te, inquit, ò Imperator, liberabo à negotiis: & hunc iuuenem qui repugnat tuis iussis, docebo nunq́ue tale quid aggredi. Sed clibanus quidem inferatur æneus: acuti autem obelisci infigantur in vtraque eius parte. & mox scies Eleutherium aut paruisse aut male periisse. Hæc vero dicens, non animaduertebat se leonem putare posse terrere ictu arundinis. Hęc tñ placuerunt Imperatori. & cito confecta machina, Martyr in cœlum tollens 2 oculos tam qui cernuntur quam qui sub aspectum non cadunt, & totam mentem in cœlum defigens, & præ gaudio totus quasi à Deo afflatus, Ago tibi gratias, inquit, Domine Iesu Christe & Deus, ꝙ me talibus & tantis bonis sis dignatus: ꝙ me manu tua potenti virtute accinxeris, ꝙ pro tuo nomine talia tibi pati visum sit. Et nunc aspice de cœlo, & vide qualia contra me fabricantur qui te oderunt: & libera animam meam à iaculo eorum. & à viris sanguinum qui bonus es serua me. vt sciant omnes te esse solum Deum & gloriosum in toto orbe terrarum.

2 *Orat Martyr oculis in cœlum eleuatis.*

Deinde etiam pro iis ipsis qui illum cruciabant, sicut Stephanus pro iis qui eum lapidibus appetebant, orãs, Tange cor eorum, dicebat, ò Domine qui es multe misericordiæ. & tuum sanctum eis nomen fac sit cognitũ: & deduc ad tuam voluntatem. vt cognoscant te solũ verũ Deũ: & desistant à pernicioso cultu simulachrorũ. Quoniam benedictus es in secula Amen.

Cum Corebo sic orantem attẽdisset Martyrem, veluti accenso qui erat ei repositus carbone pietatis, repente mutatur longe pulcherrima mutatione. & tanq̃ non is esset qui paulo ante excogitabat supplicia aduersus Martyrem, accedens ad Imperatorem, Pro quo, inquit, maleficio, aut pro quo crimine his pœnis afficitur Eleutherius: aut pro qua causa morte tam acerba damnatur? Imperator vero hac inopinata auditione valde commotus, torue intuens Corebonem. Num tu es, inquit, is quem ego noui Corebo? Quidnam autem tibi, accidit, aut quidnam tibi factum fuit? Nunquid te cœpit aurum ab illius matre acceptum, & tam repente mutauit? Quàm multa vero etiam à multis aliis tibi data, potuerint cõferri cum meis donis, quẽ ego & opibus & gloria & mea familiaritate & coniunctione beatũ Romæ reddidi? Quòd si plura desideras, licet tibi nostris frui affatim. tibi sunt aperti omnes mei thesauri. ex his hauri ambabus manibus. neq; teipsum ita prodas, à fœmina furto sublatus & pauco auro emptus. Corebo autem iam totus repletus bono spiritu, & Martyris precibus mentem habens illuminatam, exclamauit illud admirabile & dignum quod celebretur, Pretium tuum, dicens, tecum eat in perditionem. Tuæ vero pecuniæ sint fomes igni qui te manet. Quid enim tua sponte cæcutis, & conaris mouere ea quæ sunt immobilia? idq; cum didiceris experientia q́ nullus quidem ex tuis Diis, potest vllum ex iis qui adsunt in ignem iniectum seruare. Is autem quem colit Eleutherius, reddit eum & igne potentiorem & quouis alio supplicio.

His sic dictis, dici non potest quanta ira & insania repletus fuerit Tyrannus. Solent enim re uera validæ amicitiæ validas quoque similiter parere inimicitias. Vnde etiam iubet Præfectum eodem puniri Clibano quo ipse consuluerat vt puniretur Eleutherius. Cum ergo iam appropinquaret tormento, ora pro me clamauit Corebo Martyri. & me arma his armis, nempe Christi signaculo, quibus ducem exercitus muniisti Felicẽ. Sic ergo Corebo armatus à Martyre, & protinus iniectus in Clibanum, ipse quoque mansit similiter ab igne non expugnatus. Adrianus autem his tormentis defessus, eum condemnat vt ei caput amputetur. Et Coreboni quidẽ sic succedit finis martyrij. & qui à multis à seculo desideratur, hic breui tempore thesaurum arripuit. Quænam vero sunt Eleutherio postea consecuta? Primum quidem ipse in clibanum immittitur. Deinde etiam obeliscis, vt videbatur. transfigitur. Et Clibanus quidem rursus sicut prius extinguitur. conuertuntur autem protinus cuspides obeliscorũ, quodammodo carnem honorantes Martyris, & eius qui punit animę arguentes cæcitatem: quinetiam multos ex iis qui adstabant attrahentes ad Dei cognitionem qui hæc faciebat miracula. qui etiam magnus est Deus Christianorum clamabãt, qui nobis prædicatur per Eleutherium. Rursus ergo & hæsitatio & magnus dolor inuadit Tyrannum. Et tunc quidem Martyrem tradit in custodiam. Postea autem eximios ex iis qui ei parebant cõuocatos congregat. & cum toto die deliberasset vbi & quonam-

modo Eleutherius subiret supplicium, visus est ei locus quidem carcer, modus vero maxime miserabilis, nempe per famem.

Et postquam hæc visa sunt, multos quidem dies in carcere decertauit cum fame. Sed qui olim Danieli, & postea Eliæ per volucrem alimẽtum suppeditauit, eum quoque alit per columbam: & eius animam implet bonis. Et ille quidẽ agebat gratias q̃ his magnis bonis sit dignus habitus. Tyrannus autem insaniebat & q̃ ostensum esset eius machinationem fuisse imbecillam, efferabatur. & ideo equos fereos & minime mansuetos, eis longe sæuior iubet iugo alligari & eis etiam alligari Eleutherium: vt cum equi qui iugũ ferre non didicerant, & erant alioqui feri strepitu curus valde essent perturbati, & huc & illuc temere ferrentur, Martyri petris & aliis alliso diuellerentur & lacerarentur carnes. vt sic particulatim & membratim concisus abrumperet animam: Sed nec hęc ei processerunt ex animi sententia. sed q̃uo ille non cessabat ea operari quæ ad vim faciendã pertinebant & ad afferendum interitum: ita nec Christus ea prouidere quę spectabant ad salutẽ. Angelus enim e cœlo aduenięns, & feros illos equos repente reddidit mites & mansuetos. & cum soluisset Eleutherium, eum immittit in currum. & cum direxisset equos ad mõtem vicinum ciuitati, effecit, vt Martyr ascenderet leniter & placide. Ei vero aliud quoque accedit admirabile & contra opinionem. Nam cum sic in montem venisset Martyr, & deinde rationale sacrificium, consuetam Deo laudem, sacrificaret, quæ aderant animalia, vrsi & leones, & si quæ erant aliæ feræ, accedentes circũdant Dei famulum & ei blandiuntur. & tanquam illius vocẽ intelligentes, benedicere cœperunt & adorare. & hoc significabant quod & in terram annuerent, & rursus in aërem pedibus efferrentur, & aliis etiam gestibus corporis. Sed sic quidem feræ, perinde acsi Martyr esset Chori institutor & ductor, cum is incepisset canere, eæ quoque choream implentes circunsiliebant & quasi respondebant, & magistrum, quoad eius fieri poterat, sequebantur admirabiliter.

Adrianus autem non solum Martyris, sed ne ipsarum quidem ferarum reuerebatur intelligentiam. sed cum ad illas venisset audiendas, erat idem Adrianus, multis etiã feris & asinis insipientior & efferatior. Multi enim quibus curæ erat venatio, cum hæc suis vidissent oculis, renunciarũt Imperatori. Sed ille erat, vt est in prouerbio, asinus ad lyram. Non solum n. miraculo nihil euasit melior: sed etiam armatos emisit milites, mox comprehensuros Eleutherium. Feræ autem non conseruabant parem in illos obseruantiam. sed vt quæ accurate scirent sui Domini discernere amicos & inimicos, cum primum eos viderunt, celerrime in eos ferebantur: & parum abfuit quin eos discerperent cornibus & dẽtibus, nisi Martyr illis quidem tanq̃ freno aliquo non aspectabili, iniecta oratione, iussisset eas reuerti vnde venerant. cum militibus vero metum soluisset: & qui cum armis fuerat eis aduẽtum exprobrasset, neque enim ad parricidam aliquẽ venisse aut latronem. quos oportebat cum nutu solum significassent, sequentem habere eum qui ab eis quæritur: hoc cum dixisset, læto & alacri animo sequebatur, multũ disserens in itinere. & si nihil aliud, dicens oportere eos reuereri ferarum intelligentiam: & ex eis capere, certum exemplũ ad eum qui ipsos creauit agnoscendum. Deinde optime cum eis disseruit de regno cœlorũ et gehenna. & sic per totã viam benignissime admonens

& docens,

& docens, tantam vim habuit vt multis ex eis persuaderet: efficeretq; vt lux veritatis luceret in illorum animis. Postquam vero Romam peruenerunt, Imperator statim maximam conuocat concionem, volens habere plurimos testes interitus Martyris.

Postquam autem fuerunt omnia parata, & frequens cõuenit populus, secus euenit quam putabat Imperator. Qui enim aderant, non Martyris occisionis, sed Christi quæ in ipso erat virtutis, fuerunt potius testes omni exceptione maiores. Nam Leęna quidem admodum sęua in eum immittitur. quæ instar teli magno impetu irruit & ad sanctum accedit. non vt Eleutherium discerperet, aut vel exiguo morsu eum offenderet. sed potius vt illius pedes prę magna amplecteretur beneuolentia. Quod quidem fecit accurrens. Inclinauit enim ceruicem eius pedibus. lingua vero lambebat eius plantas. Videbatur autem ægreferre q̄ nõ etiam vocem haberet humanam quæ pro pietate loqueretur cum Martyre. Sed nec hæc persuadent Imperatori qui erat duro corde sicut ille Pharao, vt pietatem ex eis disceret. sed vt qui bestiam damnasset imbecillitatis q̄ ea esset fœmina, iubet etiam marem simul immitti in Martyrem. Ille vero veluti contendens cum fœmina, & non minus beneuolus volens videri in Athletam, illam quidem repellit. ipse autem accurrens pedes amplectitur. adhæret. lambit. exilit. gestu aspectu & motu suam annunciat beneuolentiam. Ex iis vero qui aderant & hæc videbãt, qui animæ quidem oculis vtcunque intuebantur, protinus clamabant magnum esse Deum qui colitur ab Eleutherio. Quorum autem mentis visus cæcutiebat, ij sanctum vocabãt planum & maleficum, qui hæc solis præstigiis falso faciebat apparere. Sed fieri nõ poterat vt in his diuina quiesceret iustitia: sed oportebat oĩno obstrui labra dolosa, vt diuinus dicit Dauid, quæ aduersus iustum loquebantur iniquitatem, in superbia scilicet & contemptione. sicut etiam obstructa sunt: & vltimo siluere silentio. Nam inter loquendum ictu percussi qui non cadebat sub aspectum, protinus accipiunt mortem præmia blasphemiæ.

Iniquus autem Imperator in summam adductus dubitationem, postquam videt oĩa cedere Martyris menti & gratiæ, eum morte condemnat quæ gladio sit ei afferenda. Nam quoniam martyrij cursus non poterat aliter finem accipere: & hic ipse Athleta venire ad Christum quem desiderabat, ipsum quidem qui sunt huius rei ministri gladio interimunt. Deinde matrem quoque quæ erat eius collo circunfusa, & ei magis corde q̄ ore adhærebat: nihil autem muliebre aut maternum loquebatur: neque tali filio indignum, sed eius certaminibus letabatur & gloriabatur, immisericorditer impij filio suo adhærentem interficiunt. Quidam vero erat conuenientius, illos ne fecisse cum essent mali, an illam esse passam cum esset pia in Deum & amans filij: an cum sic moriente filio esse mortuam, & non abesse à præmiis filij matrem quæ eum pulchre erudiit: sed eos communiter sisti ante communem Dominum, & apud eum manere, vt sacra dicit scriptura, matrem propter filium lætantem.

Qui autem erant pij ex Illyrico, quicunque quidem tunc aderant, cum diligenter eorum extulissent reliquias, iis qui erant Romæ fideles qui eas diligenter inquirebant, vbinam essent significant & communicant. & sic cum ambo eas 3 vnxissent & condiuissent & vt par est honorassent, 3 Ecce quo ungũnt, cõ-

diunt, honorant & sepeliũt Romani fideles sanctorum reliquias, christianis diuitias, morbis & spiritus propulsandis præsens remedium.

ipsas pie sepeliunt: Christianis diuitias quæ non possunt eripi, morbis & malis spiritibus propulsandis præsens remediũ. Ad gloriam patris filij & spiritus sancti. Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

COMMENTARIVS DE SANCTO *Propheta Daniele & de sanctis tribus pueris.*

Decemb. 17.

CVM Nabuchodonosor Rex Assyriorum ciuitatem Hierusalem bello cepisset, & magnam illinc prædã egisset, & plurimos abduxisset bello captos, & splendide ac magnifice reuersus esset Babylonem, sui imperij sedem, nobilissimos pueros Iudæorum delegit, & sibi ad suum attribuit ministerium. Inter quos erant etiam quatuor ex iis qui à Rege Dauide ducebãt originem, pulchri quidem specie corporis, pulchri autem specie quoque animæ, ingenuumq; & liberalem aspectum pulchre ex vtrisque ostendẽtes qui etiam ad Ezechiam & Iosiam viros iustissimos genus proxime referebant. Cum illos ergo excidisset, & prouidisset vt ex mensa regia alerentur, tradit Pædadogis, vt in externa sapientia & ipsa Chaldæorum doctrina pulchre erudirentur. Ex his vnus quidem vocabatur Daniel, qui ipsum vero sequebatur Ananias, & tertius Azarias, & alius Misael. Mutatis autem eorum nominibus, Danielem quidẽ vocat Baltasar, Ananiam Sedrach, Azariam vero Misac: & Misaelem nominat Abdenago. Quos quidem & Rex amabat, & benigne admodum eos aspiciebat, eorum laudans indolem: & q; non solum valebant ingenio ad disciplinas: sed eis quoque magnum afferebat ornamentum solertia & modestia. Sed sic quidem erat Rex affectus in pueros.

Diuinus autem Daniel nõ solum erat laudator virtutis: sed eam etiam diligenter exercebat. Et ideo asperitate vitæ 1 corpus affligebat: & ciborum mensæ, regiæ non solum recusabat esse particeps: sed aliis etiam cognatis, tribus inquam pueris, sic suasit vt facerent. Cùm vtrisque ergo visum esset ab omnibus abstinere animatis, & vesci solum seminibus & oleribus, accedentes ad Aschanetum Archieunuchum cui erat commissa eorum cura à Rege, eũ rogarunt vt quæ ab ipso Rege, ad eos afferrentur, ipse accipiens consumeret: pro eis autem præberet legumina & dactylos ad nutrimentum, & si quid aliud vellet ex inanimis: in hac enim vitæ ratione dicebant se esse educatos ab initio: aliam vero despicere. Ille autem dicebat se esse quidem paratum inseruire eorum voluntati: sed timere ne id Rex rescisceret ex corporum gracilitate & vultus pallore. Necesse enim esse vt eis simul mutẽtur corpora & colores cum ratione victus, & maxime ne cum alij pueri sint bonæ habitudinis, ipsi sint ei causa periculi & supplicij. Cum itaq; cautione hac in re vteretur Aschanes, ei persuadent pueri illi egregij, vt decem dies hæc illis præberet experiendi causa, & si non mutaretur quidem eis corporum habitus, sineret in eis perseuerare. Sin autem viderit diminutos & aliis se habentes deterius, eos ad priorem victus reducat rationem, & faciat vt fuit ei imperatum. Cum vero eo alimento vtentes nihil offenderendetur: sed & corpora eorum melioris essent habitudinis quàm aliorum & aspectu pulchriora, adeò vt qui eos videbant, putarent Danielem quidem & tres alios viuere in om-

1 *Daniel asperitate uitæ corpus affligebat, & simul cum sociis ciborum delectum habebat.*

nibus lautitiis & delitiis: alios autem pueros vesci parcius nec eis suppetere ea quæ sunt ad vsum necessaria.

Ex illo tpe, cum reuerentia, Aschanes quæcunque quidem è sua cœna vt solebat ad eum mittebat Rex, ipse accipiebat: quæ prædicta sunt vero eis suppeditabat. Illi aũt, vtpote ꝙ eis animę propterea euaserant mundę & aptæ ad suscipiendas disciplinas, omnem cito didicere doctrinam, tam quæ erat apud Hebræos, ꝙ̃ quæ apud Chaldæos maxime vero Daniel, qui cum iam esset satis doctrina prouectus, studium quoque posuerat in iudicio somniorũ. eiꝗ Deus manifeste apparebat, à quo cum eius mens informaretur, ex futuris multa euidenter prædixit. Secundus annus præterierat ex quo capta fuerant Hierosolyma. & Rex Nabuchodonosor somnium videt admirabile cuius euentum in somnis ipse Deus ei significauit. Ille autem cũ surrexisset è cubili, & ipsius somnij est oblitus, & illius quam à Deo habuit coniecturæ. Chaldęis ergo protinus accersitis, tam qui erant inter Magos eximij, ꝙ̃ qui periti diuinationis, dixit eis se vidisse somnium: & significauerit accidisse vt eorum obliuisceretur quæ viderat. & iubebat eos dicere quodnam esset somnium & quænam esset significatio. Illis vero dicentibus fieri non posse ab hominibus, vt nisi ipse exposuisset visionem, coniecturam enuntiarent: ipse mortem minatus est sapientibus, nisi ei & visionem reuocarent in memoriam, & coniecturam simul enuntiarent. & statim iussit eos oẽs interimi, cum pronuntiassent se non posse facere id quod iussi fuerant.

Cùm hoc intellexisset Daniel, iussisse Regem omnes occidi sapientes: inter hos autem se quoque cum cognatis venire in periculum, accedit ad Arioch vnum ex Regis Satellitibus: & rogat vt ei dicat causam propter quam Rex tam improbe iussisset occidi omnes sapientes Chaldæos & Magos. Cum vero de sonio ex eo intellexisset: & quòd iussi à Rege hoc ei declarare qui fuerat oblitus, dixerunt se non posse: & propterea Rex ira motus, eos morte damnauit: rogauit Arioch, vt intraret ad Regem & peteret Magis vnam noctem, & mea hanc differret interemptionem. Dicebat enim se sperare, fore vt cum in ea Deum orasset, somnium cognosceret. Et ille quidem hæc Regi quam primum renuntiauit. Ille autem cupiens scire quænam esset visio, & quęnam esset eius significatio, iubet sustineri Magorum interemptionem, donec sciret quidnam dicturus esset Daniel, & quænam esset eius virtus. Hic ergo beatus cum tota nocte cũ cognatis ad se secessisset, tota nocte Deo supplicauit vt Magos seruaret & Chaldæos cum quibus ipse quoque simul erat periturus, & liberaret ab ira Regis, aperiendo ei visionem cuius Rex erat oblitus. Deus autem simul & misertus eorum qui erant in periculo, & volens suum Prophetã reddere gloriosum, ei significat somnium, & aperuit coniecturam. & cũ protinus Daniel hæc Azariæ & cæteris aperuisset, eos qui vitæ spem abiecerant & in mortem suam defixerant cogitationem, immutat & reddit lætiores & animo alacriores.

Cum Deo autem cum eis egisset gratias, qui misertus fuerat eorum ætatis, & esset dies, accedit ad Arioch: & rogat vt eum ducat ad Regem. Dixit enim se ei velle somnium significare, quod ei accidit vt nocte videret præterita. Ingressus vero primum se excusauit, nolens aliis Chaldæis videri sapientior: & ꝙ cum nullus illorum potuisset inuenire somnium,

ipse id esset dicturus. Non enim per experientiam, neque ꝙ sit subtilioris & solertioris ingenij, hoc accidit. sed nostri, inquit, misertus Deus q̃ veneramus in mortis periculum, mihi pro mea anima & eorum qui sunt eiusdem gentis precanti, & somnium aperuit & eius expositionem. Non minorem enim nostri doloris q̃ tuæ gloriæ curã gerebam ò Rex, qui viros tam bonos & tam honestos inique mori iusseras, cum nihil petiisses quod esset humanæ sapiẽtiæ: sed hoc ab eis exegisses quod erat solius Dei opus. Tibi ergo ò Rex cogitanti quis post te esset tibi mundo imperaturus, volens Deus significare, tale ostendit somnium. Visus est videre magnam statuam stantem, cuius caput quidem contigit esse aureum: humeros aũt & brachia argentea. ex ære vero ventrem & fœmora. tibias & pedes ferreos. Deinde lapidem vidisti abruptum à monte, incidere in statuam: & eam comprehendere ac conterere: & nullam eius partem relinquere integram. aurum autem & argentum & ęs & ferrum vel puluere fieri subtilius. & statuam quidẽ vento spirante dispersam fuisse in aërem: lapidem vero adeò creuisse, vt videretur vniuersa terra ab eo fuisse repleta. Atque somnium quidem quod ipse vidisti fuit tale. Eius autem coniectura hoc modo se habet.

Aureum quidem caput te significabat, & qui ante te fuerunt Reges Babylonios. Duæ vero manus & humeri, à duobus Regibus dissoluendum esse vestrum principatum, à Persis inquam & Medis. Illorum aũt principatum destruet quidam alius ex occidente, ære indutus. Is est Alexander Macedo. & eum faciet alius cessare, viribus ferro similis. Superabit autem omnino propter ferri naturam. est enim is fortior auro argento & ęre. est vero id potentissimum Romanorum imperium. Significauit autem ei etiam de lapide, dicens. Lapis qui fuit scissus sine manibus est Christus. Illud vero, Sine manibus, prædixit eum sine coitu esse nasciturum ex vtero à labe alieno.

Nabuchodonosor autem cum hæc audiuisset, & hoc esse quod ei apparuerat somnium intellexisset, stupuit Danielis ingenij magnitudinem: & protinus parua omnia, & ipsum regnum, & imperij magnitudinem esse ducens, surgit è throno: & Deo paribus illum afficit honoribus. Præterea vero ei quoq; sunt Dei imposita appellatione, eõ totius regni efficit curatorem. Quinetiam eius cognatos qui erant ei virtute pares, Azariam inquam & cæteros, creat principes Babylonis. quos paulopòst contigit propter inuidiam incidere in periculum, cum Regem offendissent hac de causa. Rex ille Babylonis, felici rerum successu, & infinitis diuitiis, & multitudine earum quas subiunxerat gentium, in superbiam elatus & valde inflatus, & propemodum propter leuitatem se Deum esse visione apprehendens, propemodum se vel Deos eo ipso die putabat posse fingere: & suarum manuum opera Deos contendebat efficere. Hinc factum est vt cum auream construxisset statuam, sexaginta quidem cubitorum altitudine, sex autem latitudine, eam statuerit in medio campo Babylonis qui vocatur Deera. Et cum esset eam consecraturus, ex tota terra cui imperabat, conuocauit primos Satrapas. Dederat vero eis quoq; signũ, vt non tam temere nec absque aliqua ratione ei honorem tribuerent: sed tanq̃ signo dato accedentes, cum magno metu adorarent. Fuit autem tale signum. Qñ, inquit, audiuerint tubam hoc magna voce significantem,

tunc

tunc oportet, inquit, procidentes adorare statuam: eos vero qui hoc non fecerint, cõtinuo iniici in fornacem ignis ardentis. Vt enim esset ei manus & clarius certamen pro statua, iubet fornacem ex diametro distantem, pice, sarmentis naphta & stuppa accendi è regione statuæ. vt si quis con uinceretur iussui Regis non assentiens, in fornacem statim coniiceretur.

Cum omnes ergo vt iussi fuerant, iam resonante tuba adorarent statuam, hi tres soli recusarunt hoc facere: vt sacra docent eloquia. vt qui patrias leges transgredi minime sustinerent, & Deum dedecore efficere, & simulachro offerre adorationem. Hinc factum est vt apud iniquum Regem accusarentur. Accedentes autem qui eos accusabant, Rex, dixerunt. Ii quibus à te datum est imperium regionis, Sidrach inquam hic, Misac, & Abdenago, neque omnino sustinent adorare imaginem: neq; tuis iussis obediunt. Hæc cum illi dixissent, hĳ statim producti sunt ante tribunal regium. Quid ergo deinceps est consecutum? Ille quidem rogauit an vera essent, & nollent auream statuam adorare cum aliis. Dicebat enim se non credere hæc esse vera. Illi vero magno & excelso animo dixerunt, se nullum alium habere nisi solum Deum in cœlis: qui nos potest ò Rex, eripere ex hac fornace ardente & ex tuis manibus. Certo enim scias q nos Deos tuos non colemus, & auream quã posuisti statuam non adorabimus. His tyrannus non minus ira accensus quã fornax ardens, iubet iratus, viros robustos, Azariam cum cæteris, vinctos cum vestibus & tibialibus, ita vt erant in fornacem iniicere. Et illi quidem statim in ignem iniecti, diuina prouidentia conseruantur illæsi: & admirabiliter ac contra opinionem manifestum & fugiunt periculum. Non enim eos omnino ignis attigit, neque eos vlla affecit molestia. Sed cũ vnà cum eis descendisset & Angelus, statim quidem à circũpositis relaxantur vinculis: aura autem rore aspergens eis euasit ignis: & tanq̃ in thalamo in media flamma stantes, laudabant Deum vniuersorum. Benedictus es, dicentes, Domine Deus patrum nostrorum: & laudabile & gloriosum est nomen tuum in secula. & quæ deinceps sequuntur in cantico. Eos vero qui ipsos accusabant, Chaldęos, & multos alios ex Assyriis, ignis excurrens perdidit & interemit. Sic gloria & honore coronare nouit Deus eos qui re uera nomen illius glorificant. Sic fide dignus est qui promisit, q etiamsi per ignem venias, non combureris neque ardebis. Atq; hæc quidem sic habuerunt: & tres pueri degebant in fornace laudantes Deum vniuersorum.

Rex autem rem admiratus, statim quidem surgit è throno. Dubitabat autem q̃ñ tres ab eo coniecti in fornacem, nunc cernantur quatuor qui nihil omnino graue aut molestum sensere. Aspectus vero quarti est similis filio Dei. & statim accedens ad ostiũ fornacis, Sidrach, inquit, & Misac, & Abdenago, serui Dei altissimi, exite & venite. Illi autem salui egressi sunt & intacti, cum ne in vnum quidem pilum dominatum obtinuisset ignis. Hæc cum vidisset Rex, miraculi vel potius miraculorum summã stupens magnitudinem: nempe q & tali igne fuerint superiores, & q nõ solum superiores, sed nec eorum quidem pilus, res quæ facillime flaccescit & marcescit, tanta flamma effluxerit: & præterea q cum essent vincti, continuo fuere soluti: & q cum adhuc essent in fornace, auditi sunt canentes: quod quidem iis qui sunt in flamma, ipsa statim oris apertione, mortem solet afferre protinus. & q ille ignis qui in eis proprię est oblitus

naturæ,in Chaldæis qui erant circa fornacē fuit verus & perfectus ignis, & nec in loco quidem manens, sed egrediens & saliens, & eos qui digni erant comburens facillime. Postquam ille vidit hæc omnia,statim humi cecidit, &, Bñdictus es Domine, magna voce clamauit, Deus Sidrach, Misac & Abdenago qui misit Angelum suum: & liberauit sanctos suos pueros ab igne,& à malis conseruauit illæsos. Deinde etiam edit decretū. Quicūq;,dicens,non adorabit Deum Sidrach,Misac,& Abdenago,interibit. & illius bona omnia prædæ erunt. Ipsos aūt beatos pueros maiori ꝙ prius honore afficiens,iussit Iudæis captiuis præesse.

Non multum intercessit temporis,& rursus alia visio Regi apparet in somnis. Videbatur sibi videre arborem magnam & admirabilem, quæ radices quidem egerat in terra: creuit autem & valde fortis euasit. & altitudo eius cœlū attingebat: & speciosis erat comata foliis, & plena erat multo fructu. omnes vero bestiæ agri & volucres in ea habitabant. Deinde vox quoq; quædam repente ex alto extitit, quæ iubebat arborē excindere, solum autem dimitti germen radicis. Fuit itaq; excisa & eius folia repente effluxerunt: & quæ erant in ea omnes animantes & volucres,cito recesserunt. Atque fuit quidem hoc somnium. Rex aūt è somno excitatus, Magis rursus vocatis narrat id quod visum fuerat: & simul rogauit vt dicerent quidnam significaret. Atque aliorum quidem nullus potuit statim inuenire significationem & aperire Regi quidnam esset futurum. Daniel vero solus hoc coniecit: & euenit sicut iis prædixerat. Dixit enim. Tu es arbor ꝙ vidisti ò Rex. Non multo pòst autem excides ab imperio. hoc enim significabat sectio. Deinde etiam vitā ages simul cum feris. & fœno pascēris sicut bos. cumq; sic septem annis vixeris in solitudine,imperium rursus accipies. hoc enim sibi vult vox illa. Sed germen radicum dimittite. Propterea ò Rex, tibi mecum placeat consiliū. & iniquitates tuas in eleemosynis redime. & peccata tua in miserationib⁹ pauperum. & fortasse in tuis delictis exercebitur lenitas & patientia.

Atque hæc quidem postea euenerunt & finem acceperūt sicut dixerat Daniel. Cum enim dictos septem annos versatus esset Rex in solitudine, neque vllus esset ausus regnum aggredi, Deum precatus vt suum regnū reciperet, cum successione potentiæ excelsam rursus mentem induens, in regnum reuertitur. & cū regnasset quadraginta tres annos, excedit è vita, vir in rebus gerendis acer & vehemens, & eorum qui ipsum precesserūt Regum longe felicissimus. Post decessum autem Nabuchodonosoris, eius filius regnum suscipit, qui statim Iechoniam Regem Hierosolymorum, quem pater Nabuchodonosor captiuum duxerat Hierosolymis, soluens è vinculis,habuit inter amicos maxime necessarios. ei donans multa munera, & honore afficiens inter eos qui erant in regno Babyloniorum. Nihil enim boni Iechoniæ omnino ostenderat pater Nabuchodonosor: sed eum in vinculis tenebat & affligebat. etsi Iechonias fecerat rem humanissimam & dignam multis laudibus, vt qui seipsum tradiderat cum vxoribus & liberis & toto genere manibus Babyloniorum, ne vrbs ab hostibus capta euerteretur. vt hæc leges apud Iosephum narrantem sigillatim. Cum autem is quoq; è vita decessisset, postquam regnasset octodecim annos, eius filius ei succedit in imperio. quod cum tenuisset quadraginta annos, è vita excedit. Deinde Baltasar quoq; eius nepos fit hæres

imperij. Non multum intercessit temporis, & Cyrus Rex Persarum, & Darius Medorum expeditionem suscipiunt aduersus Babylonem. Cæterum cum regnum accepisset Baltasar, & accidit nouum quiddam & prodigiosum.

Accumbebat ille, cœnans in magna domo, & facta ad conuiuia regalia, cum suis concubinis & amicis. Ipse autem, cum sic ei visum esset præ magna arrogantia, iubet è suo templo afferri vasa Dei, quæ Nabuchodonosor eius auus cum rapuisset Hierosolymis, iis nequaquam vsus fuerat, sed in suo tẽplo pie deposuerat. Hic vero inconsiderata & à ratione aliena inductus audacia eis vtebatur. & dum biberet & maledicam linguam moueret aduersus excelsum, ex pariete videt manum procedentem & in muro syllabas inscribentem. Conturbatus vero à visione, Magos simul & Chaldæos, & quotquot erant Babylone eius generis qui poterant signa & futura coniicere statim conuocauit, ex illis volens discere ea quæ scripta fuerant. Dicentibus autem Magis se eorum nihil intelligere, Rex valde anxius, & magno animi dolore oppressus, propter hanc rem inopinatam & valde admirabilem, publico præconio breui edixit p̱ totam regionem, se ei qui has litteras & quidnam significarẽt esset declaraturus, pollicens esse daturum torquem aureum, et vestem gestandam purpureã, sicut solent ferre Reges Chaldęorum, & prętererea tertiam partem sui imperij. Cum hoc publico præconio sic fuisset promulgatum, adhuc quidẽ magis concurrebãt Magi, & contendebant inuenire quid sibi vellent litteræ. Nihilominus autem stabant dubitantes.

Interea Regem angore animi plenum videns eius auia, cœpit repetere, & de Daniele Propheta ei significare quæ illius auo, Nabuchodonosori, inquam, propter ea quæ viderat arcana, ei exposuerat. Est quidem, dicẽs, qui fuit ductus huc è Iudæa captiuus, nomine Daniel, vir egregius ad inuenienda arcana & quæ sunt soli Deo cognita. qui Regi Nabuchodonosori, cum nullus alius posset dicere de iis quæ quærebat, omnia pulchre significauit, & edidit in lucem ea quæ quærebantur. Si eum ergo accersiueris, id quod scire cupis mox inuenies. Ille verò eum celerrime accersiit, & cum dixisset quę de ipso & de eius audiebat sapientia, & ꝙ diuinus sit cum eo spiritus, & sit ad inueniendum solus vel maxime idoneus ea quæ non veniunt aliis in mentem, rogabat vt ei diceret & solueret ea quæ scripta fuerant: etiamsi sit, inquit, iniucundum & asperum quod à Deo significatur. Hoc ergo si feceris, dabo tibi purpuram qua te induas: & torquẽ aureum quem collo tuo imponas, & tertiam partem mei imperij, futurã præmium & honorem tuæ sapiẽtiæ. vt ex ipsis euadas longe clarissimus & ab omnibus suspiciendus.

Daniel autem rogabat quidẽ vt sibi sua haberet munera. virum enim sapientem & diuinum non esse capiendũ muneribus: se vero gratis velle iuuare eos qui opus habeant. Declarat autem ei ea quæ scripta fuerant, nempe vitæ exitum. ꝙ nec iis quidem quæ auus eius Nabuchodonosor passus erat suppliciis propter suas in Deum contumelias, iis ipse didicerat esse pium, & vltra modum humanæ naturæ non sumere spiritus. sed ꝙ etiam cum Nabuchodonosor mutatus esset in vitam ferinam propter ea quæ impie gesserat, & post multas preces & supplicationes misericordiã esset consecutus & rediisset ad vitam humanam & ipsum regnum: &

propterea Deum vt qui omnem haberet potentiam & hominum curam gereret vsque ad mortem laudaret, ipse eorum est oblitus. & Deum quidem multis insectatus est maledictis: 2 vasis autem eius vt sibi ministraretur effecit simul cum pellicibus. Hæc ergo videntem Deum ei esse iratum, & per ea quæ scripta sunt ei præsignificare qualis sit futurus vitę exitus. Significabant autem hæ literæ, Manel Thecel Phares. hoc vero dicebat lingua latina significare. Tempus vitæ tuæ numerauit Deus & in libra appendit: & ablatum regnum tuum diuidet Medis & Persis.

2 *Vides grauiter puniri à Deo qui sacris uasis abutuntur?*

Cum Regi sic dixisset Daniel quęnam significarent hę in muro literę, Baltasar quidem angore & animi dolore fuit oppressus propter aspera illa & tristia quæ ei significabantur. Neque tamen ei tanq̃ Prophetæ malorum, non dat ea munera quę fuerat pollicitus: sed præbuit omnia. quam minatus quidem erat regni euersionem, definitæ esse necessitatis, sed non eius qui prædixit esse reputans. ea autem quæ promissa fuerant implere, boni esse viri iudicans iustiq; & veri. Præterfluxit breue spatium temporis, & captus fuit ipse & ciuitas sicut prædictum fuerat à Daniele, cũ Rex Persarum in ipsum duxisset exercitum. Sed Baltasar quidem sic è vita excedit. Darius vero qui Babyloniorum dissoluit principatum, qui erat etiam filius Astyagis, regni sexagesimum secundum annum transegerat qñ cepit Babylonem. Qui etiam admirabilem hunc Prophetam secum accipiens, tanq̃ rem aliquam magnam & pretiosissimã, duxit in Mediam, magnum suum in eum studium ostendens & obseruantiam.

Daniel ergo cum esset in tanto honore & existimatione apud Dariũ, & ipse eius sermones acciperet vt qui haberent aliquid diuinum, in eum quoque excitata est inuidia ab iis qui primas partes ferebant in Media. Ei enim inuidebant Satrapæ, videntes eum esse in maiori existimatione, & esse maius in eum Regis studium, & haberi in maiori apud eum honore. Quærentes autem calumniæ occasionem & accusationis, minime inueniebant. nullam enim eis præbebat causam. nam neque à pecuniis vinci poterat, & omnem quæstum despiciebat. Hinc factum est vt cum nihil possent inuenire, quod de eo dicentes apud Regem, de eius honore possent aliquid detrahere, alium modum quærerent quo eum depellerent à Regis beneuolentia. Videntes ergo Danielem ter in die precantem, arbitrati sunt se inuenisse occasionem, per q̃ sint ei allaturi exitium. & accedentes ad Darium, ei renuntiãt, visum esse omnibus eius Satrapis & principibus, vt nullus ex omnibus spatio triginta dierũ vllam omnino petat petitionem, neque à Deo neque ab homine, nisi ab ipso Rege. Qui hanc autem legem fuerit transgressus, in lacum leonum iniiciatur. Rex vero nõ intelligens eorum malignitatem, nec suspicans eos hæc esse machinatos aduersus Danielem, cessit eorum sermonibus. Et alij quidem omnes cauentes ne transgrederentur ea quæ eis imperata fuerant, quiescebant. Daniel autem hoc minime curabat: sed sicut ei mos erat, stans orabat. Hinc cum eum obseruassent Satrapæ, & apparuisset ea quam in ipsum studebant accipere occasio, statim venerunt ad Regem: & accusarunt Danielem vt qui solus transgrederetur ea quæ fuerant imperata. Nam cum nullus, aiebant, alius auderet Deos orare, Daniel hoc nõ vult facere: & simul tanq̃ legis transgressorem volebant eum ex lege iaci in lacum leonum. Cõfidens autem Darius fore vt Deus eum eriperet, & à feris nihil graue pate-

pateretur, iussit eum alacri animo ferre quod acciderat: & in lacum iniecto Daniele, cum obsignasset Rex lapidem qui erat situs in aditu, loco ostij, recessit, totam noctem insomnis transigens, vt qui premeretur cura de Daniele.

Cum autem postquam dies esset surrexisset, venit ad lacum. & cum saluum inuenisset signaculum quo reliquerat obsignatũ lapidem, aperiẽs, nominatim vocauit Danielem, & rogauit an adhuc esset saluus. Cum ille vero inferne audiisset, & dixisset se nihil molestum esse passum, iussit eum extrahi è lacu. Cùm vidissent autem inimici Danielem nihil mali fuisse passum, Non fuit, dicebat, iste conseruatus propter Deum & propter eius prouidentiam, sed ꝙ leones essent cibo satiati. Hoc illi quidem dicebant victi ab inuidia. Rex vero odio habens eorum improbitatem, iubet quidem multas carnes obiici leonibus. cum ij autem fuissent satiati, eos in lacum iniici qui odio habebant Danielem. vt sciret an propter satietatem eos non tangerent leones. Planum vero factum est Dario, fuisse diuinam manum quæ seruauit Danielem cum iniecti fuissent Satrapæ. Nulli enim eorum omnino pepercerunt. sed eos omnes vnguibus & dentibus protinus discerpserunt & deuorauerunt, perinde acsi fame laborarent & alimento egerent. Cum ij ergo interiissent qui Danieli parauerãt insidias, Rex Darius seipsum ostendens virum prudentem & parentem veritati, rebusq́ꝫ apertis & contra quas nihil dici poterat, misit per totam regionẽ, laudans Deum quem adorat Daniel: & eum solum dicebat esse verum, & qui in omnes obtinet dominatum. Habebat autem Danielem in maiori honore quam vllum alium. ostendens eum esse primum ex amicis. Simul vero cum eo erant etiam cognati. Azarias inquam cum cæteris, in quos & par erat studium Regis & in pari eos honore habebat.

Cum is autem esset insignis & splẽdidus, extruxit in Medicis Ecbatanis, turrim, pulcherrimum quoddam ædificium & factum admirabiliter, quæ in hodiernum vsque diem conseruatur: iis autem qui vident videtur nuper fuisse constructa, atque adeo eo ipso die quo illã aspicit vnusquisq́ꝫ, Tam recens eius pulchritudo, & quæ minime consenuit tanto tpe, cernitur. Sepeliuntur vero in hãc turre Reges Medorum & Persarum: & is cui ea est commissa, est Iudæus Sacerdos. hæc ab Iosepho Iudeo ad verbum conscripta sunt. Qm̃ autem non solum fuit admirabilis in soluendis aliorũ somniis, sed longe admirabilior in iis quæ ille ipse vidit, operæ pretium est hic quoque eorum meminisse, & ostendere quàm esset eius mens pura & Deo digna.

A magno hoc Propheta, cum adhuc degeret Baltasar in terra Caldęorũ, visi sunt quatuor venti cœli in mare irruere: & quatuor magnę bestię ex eo ascendere, quæ significabant quatuor magna regna. Quarum vna quidem visa fuit tanquam leæna, & eius pennæ tanquam aquilæ. ea significabat regnum Chaldæorum. Vrsa autem secunda, quę in ore tria habebat latera. Cui vox quoque audiebatur, dicens. Surge, comede carnes multas. ea significabat regnũ Medorum & Persarum. Et tertia, Pardus. quę etiam ostendebatur habens quatuor pennas volucris supra ipsam. & in ea quoque bestia cernebantur quatuor capita. Regnum Græcorum per eam significabatur. Quorum potentissimos Reges vidit postea in forma arietis & hirci. Darium quidem tanq̃ꝫ arietem, in omnibus terrę partibus

cornu potentem. Alexandrum vero tanq̃ hircum in eũm insurgentem, & viribus ac impetu conculcantem & prosternentem. Quartam autem bestiam vidit terribilem & stupendam & mirandum in modum fortem. cuius ferrei quidem dentes, vngues autem ænei. ea vero superabat omnes quæ ipsam præcesserãt viribus & audacia: exedebatq́ & comminuebat & reliquas conculcabat pedibus. per hæc docens manum Romanorum quæ iamdiu tenet imperium. In cuius capite animaduerti, inquit, Propheta, decem cornua: & aliud quoque paruum quod inter ea nascebatur, & tria ex prioribus euellebat radicitus. Iam enim in ipso fine Romani imperij quod secatur in multos principatus, dicit quidem fore vt decem Reges simul exurgant. hoc enim significabat visio decem cornuum. tria autem ex his regnis à paruo illo cornu dissolui. ꝗ cernebat habere oculos hominis, & os magnum loquum, & superaturum esse vitium omnium vitiorum quæ fuere à seculo. quę quidem aperte significãt Antichristum.

Cum sic ergo in visione valde fuisset admirabilis Propheta, vidit etiã quosdam thronos intelligentes positos & supramũdanos: & Deum gloriæ, tanquam antiquum dierum, præsidentem. qui eò ꝗ sit ante secula sic videnti voluerit videri. cuius etiam indumentum erat album sicut nix: & capillus eius cernebatur tanquam lana pura. Nihil enim obscurum, nihil triste, nihil sordidum apud veram & magnam & primam lucem. Quinetiam thronum quoque eius dicit apparuisse tanquam flammam ignis: & rotas ignem emittentes. & fluuium ignis ante eum fluentem: & horrenda omnia & terribilia: & admirabilia omnia & quæ Deum decebãt.
" Mille enim millia, inquit, & decies mille millia, ei assistẽtes pie admo-
" dum ministrabant. Deinde cum nubibus tanquam filium hominis, filium Dei dixit se vidisse venientem. & eum ad patrem vsque euntem, & tanquam ab eo dilectum cum eo honorifice sedentem: & ei vniuersam potestatem & regnum omnium dari & honorem. Quinetiam libros ei esse apertos, & occulta ei esse manifesta, & omnia adstare nuda & detecta: & aliorum quidem aboleri potestatem & imperium: illam autem pessimam bestiam & improbitate incomparabilem, quæ mouit bellum aduersus sanctos, & os habuit quod magna & superba loquebatur, deletam & transmissam ad ignis conflagrationem qui nunquam extinguitur. Deinde verò maiestatem & vniuersorum regnum datum sanctis in æternum.

Neque verò hæc solum, ò beatam visionem, vidit Daniel: sed orans quoque postea, & verbis cõfessionis placans eum qui est summe bonus. Eram, inquit, deinceps Susis quæ est metropolis Persidis, & postquam egressus sum in campum cum familiaribus, ecce factus est magnus terręmotus. & fugientibus iis qui mecum erãt, relictus sum solus. Et ecce quidam stans me tetigit & fecit surgere: & quæ ciuibus erant euentura post multas generationes mystice enarrauit. Is autem erat magnus ille & primus cœlestium potestatum Gabriel. Qui etiam sibi, cum surrexisset, significauit fuisse magnum ostensum arietem, cui multa quidem enata erãt cornua: habebat autem vnum altius. Et hæc quidem cum aspexisset, ait se vidisse in occidente hircum qui inde ferebatur per aërem. confligentem vero cum ariere & bis cornu petentem, ipsum humi prostrauisse & conculcasse. Deinde vidisse hircum cui magnum cornu nascebatur in fronte.

quo fracto germinasse quatuor versa ad singulos ventos Ex ipsis autem exortum esse aliud quoque breuius: quod is qui ostendebat, dicebat fore vt cresceret & eius gentem bello inuaderet, & ciuitatem vi caperet, & quæcunque sunt legis tolleret. idq; diebus mille ducentis & nonaginta sex. Hæc quidem se vidisse in campo qui est Susis scripsit Daniel. Deum autem, eorum quæ aspexerat visionem dicebat sic sibi declarasse.

Nam arietem quidem dicebat significare regna Medorum & Persarum. cornua autem eos qui erant regnaturi Ipsum vero cornu vltimum, significat ipsum vltimum Regem. Dicebat enim fore vt is præstaret cæteris, & diuitiis & gloria & alio splendore. Hircum autem significare futurum ex Græcis Regem quendam, qui bis cum Persa confligens, eum pugna vinceret & vniuersum assumeret principatum. significari vero à magno cornu quod est in fronte hirci, primum Regem. Deinde etiam ortum quatuor Regum cum ille excessisset. vniuscuiusq; autem eorum conuersione ad quatuor climata terræ, describi successores post mortem primi Regis, & significari factam ab eis diuisionem. Futurum autem alium quoque quendam ex iis Regem, vultu quidem impudentem, idoneum vero ad intelligenda problemata: qui & dolo multos interimet, & stabit ad interitum multorum. bellabit autem aduersus gentem, & eorum leges fortiter dissoluet. quinetiam templum quoque spoliabit: & delebit rēpublicam, & prohibebit tres annos fieri sacrificia. Hęc quoque sic facta sunt & ad effectum peruenerunt, Antiocho videlicet regnante qui fuit cognominatus Epiphanes.

Prædixit autem ipsa Daniel multis ante generationibus, cum Deus ei ea ostendisset & vt scriberet effecisset. vt & qui ea legunt & considerant ea quæ eueniunt, & Danielem admirentur propter honorem quo fuit dignus à Deo iudicatus: & inueniat Epicureos hac in re valde errare, qui & prouidentiam è vita expellunt, & Deum non censent rerum humanarum curam gerere: neque à beata essentia & in quam non cadit interitus, ad hoc vt vniuersa permaneant gubernari omnia, carentia auriga & curatore. Mundum autem vniuersum dicunt sua sponte ferri. sic male sentientes & dicētes aperte stolidi: & nescientes q̃ ne nauis quidem in portu seruari potuerit, defecta gubernatore & nautis. Sed quis in rebus honestis fuerit adeò socors & ignauus, aut auditores tantæ damnarit negligentiæ & somnolentiæ, vt nō aliorum etiam meminerit Prophetæ huius admirabilis, quæ & possunt afficere admiratione, & magnam afferre vtilitatem animis auditorum?

Erat enim tunc apud Babylonios simulachrum quod in magno habebatur honore. Et nomen erat Bel. cui etiam tanquam Deo constructum erat templum & ara. eiq; suppeditati fuerāt largi sumptus: & circa illum erat frequens turba Sacerdotum. Sumptus vero specie quidem ac prætextu, suppeditabantur idolo. reuera autem ab eius Sacerdotibus latenter consumebantur. Id ipse quoque Rex colebat, is erat Cyrus qui Dario successerat. Qui etiam similiter atque Darius honorem conseruans in Danielem, eū habebat cōuictorem & gloriosissimum omnium suorum amicorum. Hinc etiam factum est vt ei suaderet vt Bel coleret tanquam Deum viuentem. An non vides, inquit, q̃ similæ quidem artabas duodecim quotidie, oues autem non pauci ores quam quadraginta comedat:

vini vero sex totas ebibit metretas. Est hoc error manifestus & aperte deceptio, ait Dei Propheta. Nam quod intus quidem est lutum, æs autem extrinsecus, neque potest esse neque bibere. Irascitur hæc audiens Cyrus: & statim vocat Sacerdotes. minaturq; mortem nisi Bel comedentem ostenderint. Illi vero, Mensæ cibos, aiunt, appone nos autem egrediemur, & clauibus ac signaculis obserata ianua, redi die sequenti. & nisi omnia consumpta inueneris, nos digni erimus supplicio. Sin minus: Daniel, qui & de nobis & de ipso Deo est mentitus. Atque Cyrus quidem statim sicut dixerant, cibos apposuit Daniel autē eis imprudentibus, cinere tēpli solum conspergit. & cum sic ambo clausissent & obsignassent, recesserūt. Sequenti vero die accedentes, vident vestigia mulierum & virorum & puerorum in cinere. Qui etiam capti ostendunt occultos aditus, per quos nuper ingredientes, consumebant ea quæ apponebantur. Hæc cum Rex vidisset, ira simul repletur & pudore: & vlciscēs Sacerdotes propter eam quæ ad hoc vsque tempus latebat fraudem, eos omnem interimit. Templum autem & Bel præbuit euertendum Danieli.

Cum Daniel Babyloniis hoc pręclarum primum ostendisset factum, quod nullo eorum quæ propter intelligentiam & ingenij acumen in admiratione habentur, est inferius, deinde etiam secundum adiicit. Nō solum enim isti nullo plane sensu pręditi, nullo sensu præditum, Bel colebant: sed etiam magnum quendam Draconem qui in domo quadam delitescebat, tanquam Deum colebant. Hoc opus est eius qui intelligentia percipitur Draconis, abducere quidem ò Deo vniuersorum, persuadere autē vt adhæreant bestiæ nequissimæ. Tentatur ergo in hoc quoq; Daniel à Cyro: & iubebat vt eum adoraret tanquam vere comedentem & bibentem & viuentem Deum. Non potes enim, aiebat, dicere hunc non esse Deum viuentem. Ille autem, Dñm inquit, meum adorabo. Is enim est solus vere viuens, per quem viuimus & mouemur & sumus. Hic vero serpens est Draco venenatus & malus, qui scit quidem nocere, nemini autem potest prodesse. Quòd si velis scire eum etiam esse mortalem & in quem natura cadit interitus, non autem Deum, permitte ò Rex: & ego eum occidam sine gladio & virga. Cum vero ei Rex in hoc annuisset, & picem simul & adipem & pilos coxisset hic vir admirabilis, & deinde etiam offas fecisset, demisit in os Draconis. Ille aūt cum comedisset, cōfestim rumpitur.

Hæc cum grauiter tulissent quicunque ex Babyloniis erant superstitiosi & falsæ religioni dediti, ad Regem accesserunt & petierunt Danielē. erant enim reuera instigati à Dracone qui non cadit sub aspectum: & aduersus Prophetam magnum furorem conceperant. & iam parturiebant. Accedunt ergo ad Regem, dicentes, Trade nobis Danielem. Sin minus: te occidemus. iam enim nobis ex tuis factis euasit manifestum te quoque ipsum eadem sentire quæ Iudęi. Eum itaque tradit Rex in manus eorum, non lubens alioqui nec volens, tradit tamen. Illi vero cum eū accepissent, rursus demittunt in lacum leonum. Ii erant septem numero, quibus & duo corpora & duæ oues singulis diebus erant deputatæ ad eorum alimētum. Sex autem totis diebus quibus iustus fuit cum eis inclusus, relicti sunt oīno ieiuni & omnis alimenti expertes: vt fame quidem oppressi, & omni alio nutrimento carentes, etiamsi Propheta haberet aliquam virtutem quæ eorum arceret impetum, at fame certe impulsi violentius, ma-

xillas

xillas celeriter in eũ immitterent ac discerperẽt. Quid ergo dñs? Tradit ne feris animam quæ eum confitetur: aut seruat quidem ex ore Leonum: relinquit autem eum fame moriturum: aut alimentum quidem præbet ad esum, sed per alienigenam aliquem & incircuncisum? Multum abest. sed vt per oĩa omnipotentes eius vires & ineffabilis misericordia fieret manifesta, diuina quidem manu obstruuntur ora leonum: vel potius ipsi seipsos comprimunt ac contrahunt, angulos subeuntes: & nec sacrum corpus omnino audentes attingere: sed tanquam quidam satellites beneuoli ac fideles, suum Regem custodiẽtes, & quos nec famis quidem meminisse sinebat qui eos vrgebat metus.

Erat autem alius quidam Propheta in Iudæa. is erat sacer Abacuch, quem scio satis omnibus esse notum. Is ergo cum panem in disco comminuisset, & ius ei immisisset, abibat vt ferret ad messores. erat enim tempus æstatis. Angelus autem Dñi ei apparuit, & iussit eum id ferre Babylonem ad Danielem. Cum is vero ignorantiam, & esse maximum quod intercedit spatium, & q̃ difficile esset imperatũ, adduceret, protinus Angelus comam captis apprehendit, & momento temporis impetu ducentis spiritus expansus stetit super lacum: & appellauit Dei vinctum, & dixit. Accipe hanc cœnam, quam Deus ad te misit, tui magnam curam gerens. Hæc Abacuch. Magnus autem Daniel in contritione spiritus & humilitate animæ, Meminit vero mei Deus respondit: Fidelis vox est reuera famuli, quomodo bonus quoque Dñs eius curam gerit. Deinde cum accepisset, comedit: ipse autem Abacuch, cum eadem rursus virtute illud immensum trãsuolasset spatium, ô celeritatem, ô diuinam pernicitatem, momento temporis ita suo fuit loco restitutus, vt nondum præteriisset hora prandij messoribus. Atque hoc quidem cum sit plane solius Dei opus & eius immensæ potentię, maius ex se habet miraculum q̃ vt id possit assequi sermo vel cogitatio. Atque sex quidem dies sic transierunt, Danielem in lacu conseruantes. Cyrus autem septimo die abiit vt amicum iam lugeret mortuum. Cum vero despexisset & vidisset ipsum sedentem in lacu illæsum, magna voce laudauit Deum rerum admirabilium, & magis q̃ prius Darius. & illum quidem illinc quam primum extraxit: eos autem qui ei temere inuidebant, continuo demisit deuorandos à leonibus. Sic etiã in gentibus cognoscitur Deus iudicia faciens vt in operibus manuum ipsorum comprehendantur peccatores, prouidens modo ineffabili. Fuit ergo postea Daniel & Regis conuictor: honoremq; & gloriam apud ipsum est consecutus supra omnes eius amicos.

Sed & rursus admirabilis Daniel consueta faciens, & perseuerans in ab initio cepta abstinentia, rursus talibus dignus est habitus contemplationibus. Fui enim, inquit ille, tres dierum hebdomadas ieiunans. panem enim desideriorum non comedi. & caro & vinum non intrauit in os meũ: & vnguento non fui vnctus, donec impleti essent dies trium hebdomadũ. & vicesimo & quarto die primi mẽsis, ego sedebam prope magnum fluuium Chobar: & sustuli oculos meos & vidi. Et ecce vir indutus sacra stola. & lumbus eius accinctus auro Hophatz: & corpus eius tanquam Tharsis. & vultus eius tanquam aspectus fulguris: & oculi eius tãquam lampades ignis: & brachia eius & tibiæ tanquam aspectus æris resplendentis, & vox verborum eius tanquam vox turbæ. Hæc vidi, & virtus

Ecce in sancto viro abstinentiam, ieiunium & ciborũ delectum.

,, mea defecit à me: & gloria mea conuersa fuit in interitum: & cõtinuo cado
,, in terram & ecce manus me tangens: & erexit me super genua mea. &
,, attẽde, inquit, ad me: Daniel vir desideriorum: & sta in statione mea. Qm̃
,, nunc ego missus snm ad te. Qm̃ à primo die quo dedisti cor tuum vt hu-
,, miliaueris coram Dño Deo tuo, ego veni ad te: & Princeps regni Persa-
,, rum stetit contra me viginti & vnum diem. Et nunc esto vir fortis & ro-
bustus, qm̃ ego sum tecum. Hic multa quidem futura, qui apparuit Angelus, Prophetæ mystice enuntiat. de regno Persarum & eius euersione: & ad quos erat deuenturum. Deinde etiam de Regina Austri. quæ quidẽ postea finẽ acceperunt & scripta sunt in libris qui vocantur Macabęorũ.

Non ex his autem solis, sed etiam ex aliis, Daniel apparuit magnus in contemplatione & admirãdus intelligentia. Et vt alia omittamus, quod de Susanna factum est iudicium, quod diu antè fecit cum esset adhuc iuuenis, quidnam reliquit intelligentiæ quo id posſit superare? Quã quidem cũ fuisset mariro fidelis, morte autem esset damnata ex iniquiſsima calumnia eorum qui illam impudicis aspexerant oculis, & erat similia passura iis quæ Ioseph passus est, qui illunc tunc eripuit, is eam quoque admirabiliter seruat per Danielem, qui sapiente iudicio seniorum conuicit malignitatem: & eos magis morte dignos ostendit, & vt mortem paterentur effecit.

Cum tanta esset intelligentia, tanta gratia & tam magnis dignus est habitus contemplationibus. Cumq; ipsa Dei arcana, & duplicis verbi aduentus mysteria spiritu esset contemplatus: quinetiam quęcunque sunt aliis pluris facienda: & quæcunque sunt euentura in fine seculi: & eã quæ tunc erit afflictionem: & hominum ex terræ aggere resurrectionem: & sanctorum gloriam: & impiorum ignominiam quæ nunquam desinit: & Dei profunda, quantum potest is qui est carne indutus, per ipsa scrutẽtem spiritum cognouisset, Deinde vinculo solutus, terra terræ lubenter tradita, ad Deum quem desiderabat vir desideriorum abiit, cum his tribus & amicis pueris & Prophetis perpetuo conuersans, & nec à nobis quidem quod ad 4 defendendum & adiuuandum attinet, abscedens. Ad gloriã patris & filij & spiritus sancti supernaturalis & diuinę trinitatis. Quam decet honor & adoratio. In secula seculorum. Amen.

4 *Habes hic sanctos etiam post mortem nobiscum esse, ad defendendum & adiuuandum.*

MARTYRIVM SANCTI
Martyris Sebastiani, & eius sociorum, Zoes, Traglini, Nicostrati, Claudij, Castoris, Tiburtij, Castulli, Marcellini & Marci.

Decemb. 18.

CVM multi diuersis temporibus, aduersus Christum & aduersus illus asseclas insanierint, Diocletianus & Maximianus, in malis par improbum, tantum alios omnes superarunt in producenda in nos persecutione, vt nullum posteris locum reliquerint quo eos in furore possent antecellere. Nam cum tyrannicum accepissent imperium quod suffragabatur eorum amentiæ, & secure omnia auderent, contendebant partim quidem blanditiis, & verbis

fallacibus, partim autẽ minis & plagis grauissimis, eos qui subiecti erant illorum imperio à Deo vero abducere & ad impietatis ditionem traducere. Vbiq; itaque per suum principatum eos omnes comprehendentes qui Christianam tuebantur religionem, in custodias tradiderant & carceres. vt paulatim torti maiorem sensum caperent perpessionis: & pietatem quidem negantes, viderent hanc lucem, in non parentes autem mortis ferretur sententia.

Cum hæc sic fierent, quidã Sebastianus, vir & genere clarus & gloria insignis, ortus Mediolani, Tyrannis erat adeò venerandus q; videretur in omnibus vir spectatus, & probatus, vt connumeraretur inter amicos fidelissimos, & primas partes teneret in numero militari. Is cũ didicisset veram fidei rationem, & vellet non solum seipsum sed etiam alios ad Christum adducere per martyrium, conabatur quidem in principio latere & se celare. Non q; timeret cruciatus. sed vt cum simulatione crederetur impius, esset re uera aliptes Christianis, & sic per multos induceret ad pietatem. Cùm vero euasisset tẽpore omnibus manifestus, & postremus martyrij subiisset certamen, longe pulcherrimam assecutus est victoriam quæ bona cœlestia ei conciliauit. Sed hæc quidem postea.

Tunc autẽ qñ sicut dictum est conabatur latere, & fingebat se ea honorare quæ Imperatores, accedens in carceres in quibus seruabantur quicunque erant capti ex Christianis, piis eos verbis adhortabatur ad suscipienda certamina martyrij, præsentem vitam cum futura comparans: & suadens hanc quidem contemnere vt fragilem & morti obnoxiam: illam autem solam intueri, & omnia facere ne exciderent à bonis in quæ non cadit interitus. His verbis, & multos quidem alios induxit, vt quæ sunt grauia & aspera ferrent vsq; ad mortem, & non proderent pietatem: qui autem erant genere & opibus omnium clarissimi, ij fuerunt Marcellinus & Marcus, quorũ pater quidem erat Trãquillinus, mater vero Marcia: non minus autẽ fuerunt vitæ instituto fratres q̃ corporibus. Quibus cum postquam diu fuissent inclusi in carcere, & plurima tormentorum genera pertulissent, & iam vltimam gladij plagam essent accepturi, & Chromatius præfectus vrbis eis dedisset spatium triginta dierum, iussit omnes accedere qui ad eos genere attinebant, & eis venire in cõspectum. vt tempore & necessariorum suorum molliti eiulatibus, impietati concederent.

Cum ergo hæc facta essent & omnes accessissent, pater quidem in cõspectu filiorum suam deflebat orbitatem. dicens illa verba miserabilia. Quis, ò fili, erit mihi baculus senectutis? Quis me mortuum componet? Quis hoc miserum & abiectum corpus mandabit sepulturæ? Miseremini mei ò filij, quos genui quos alui: quos ad hanc vsque ætatem produxi. Cur mortem amplectimi voluntariam? Cur ad obitum festinatis immaturum? Parcite formæ vestræ. parcite iuuentuti. Ne me quidem despiciatis orbatum filiis: domum autem in qua estis educati, trãseuntem ad alienos, & eos fortasse qui nobis sunt odio, vt quæ suos non habeat hæredes. Et pater quidem sic suam impleuit lamentationem. Ex alia vero parte mater comã vellens vnguibus, & è finu porrigens vbera, partũ, & lac, & alios labores quos in iis alendis susceperat, reuocabat in memoriã. quid non dicens, quid nõ faciens ex iis quæ possunt mouere ad misericordiam? Post Parentes autem rursus sequebantur vxores & chorus im-

puberum filiorum. illæ quidem enumerantes mala viduitatis. hi vero, qm̃ nondum loqui poterant, intentis oculis intuentes parentes, orbitatem eis reducebant in memoriam, & alia quæ cõsentaneum est iis euenire qui in hac ætate non curantur & defenduntur à parentibus. His accedebat turba æqualium & amicorum, quæ dicebat. Recordemini pulchræ & iucundæ vitæ quam inter nos degebamus. Veniat vobis in mentem lux suauis, quam qui sunt experti, est omnino eis molestum ea priuari. Cùm hæc sic dicerentur, tota domus erat plena lamentationibus. adeò vt dicti Athletæ emitterent fontes lachrymarum, & discerperentur eorum viscera commiseratione. Quod quidem cũ animaduertisset beatus Sebastianus, & timuisset ne misericordia emolliti proderent pietatem, stans in medio, & aperte ostendẽs omnibus se esse Christianum, neque enim existimabat oportere se celare, apud eos qui aderant verbis est vsus eiusmodi.

Si stabilis quidem & firma, ò vos, esset hęc vita, & in omne ęuum extenderetur, videremini fortasse facere consentanea, ab his perpetiẽdis auertentes Athletas. Cum autem eorum quæ sunt præsentia nihil sit firmum ac stabile, fluant vero ac ferantur omnia, & alia nos vita excipiat quæ nõ est fluxa nec vnquam desinit: cur ad hæc attrahitis fortes & generosos Athletas, eis suadentes vt maneant in iis quæ videntur, & ea quæ decidũt præferant iis quæ manent? An nescitis ꝙ pro Christo quidem pati, conciliabit regnum cœlorum: eum autem negare, & prodere certamen, facit
" vt qui sic cogitarunt ab eo excidant? Qui enim, inquit, me negauerit
" coram hominibus, ego quoque eum negabo coram Patre meo qui est in
" cœlis. Sed timetis ne sint omnio perituri & nõ amplius futuri, qui vitam præsentem reliquerunt? Sed ego huius sum fideiussor: ego hunc vobis metum adimo. hæc est enim summa & caput nostræ fidei. hoc persuadet vt terrena despiciamus, ꝙ postquam hinc excesserimus, ad aliam sumus vitam transituri: in qua conuenienter iis quæ gesserit accipiet vnusquisq; remunerationem: vbi hi quoque habitantes & cum 1 Christo lætantes, recordabuntur & parentum & filiorum & vxorũ, bona eis postulantes, & suis ad Deum supplicationibus facilem eis vitam præbentes. Desinite ergo flere, & Athletas emollire & à prompto & alacri animi studio retardare. Non enim vos omnino relinquent, etiã si hoc videatur. sed erunt seruatores 2 & custodes, nũc quidem ita aduentantes vt non cadant sub aspectum: post vitæ autem exitum, in æternas suscipientes mansiones, cũ eis delectationis futuros participes. Et hæc. quidem ad eos qui venerant, orationem vero rursus conuertens ad fortes & generosos Athletas, dixit.

1 Vides q̃d post mortem sanctorum animæ recipiuntur in cœlum, recordantur parẽtum & filiorũ, & uxorum pro eis Deum rogãt, & bona impetrant?

2 Sancti seruatores nostri sunt & custodes.

Videtis ò Christi millites, callida maligni inuẽta, per quę conatur vos à vestra salute abducere? Quod enim per tormẽta facere non potuit, hoc tentat efficere per vestros necessarios. Sed ne ignoretis vos eius consilia, sciẽtes eum omnibus modis insidiari, & omnibus vos aggredi machinis. qũo nunc quoque cum vidit vos venisse ad finem certaminum, & non ferens dedecus ꝙ sit victus, postquam multa vobis mala intulit, studet post victoriam vos priuare præmiis. vt præter id ꝙ ex acceptis plagis nihil essetis lucrifacturi, præterea Christũ quoque amittatis. Hoc est enim illius opus, & grauia inferre, & eam quæ hinc accipitur vtilitatem intercidere iis qui laborant. Sed vos cum hęc sciatis, resistite fortiter insidiis aduersarij, neque parcite carnibus quæ sunt paulopost interituræ: neq; metu

vltimæ plagæ,ea enim sola est in inimici potestate,prodite regnum cœlorum,& gloriam in secula permanentem:quam magnum quidē est assequi & supremum bonorum.ab ea autem excidere est longe miserrimum. Hęc cum diceret beatus Sebastianus, & promptum & alacre animi studium confirmaret Christi Athletis, dicitur lucem eum circunfulsisse: & visum esse stantem prope eum iuuenem, & magno vestis splendore refulgētem, adeò vt oēs qui viderunt obstupuerint, & supernæ gratiæ hoc esse opus confessi fuerint, quæ testimonium ferebat eum dixisse veritatem. Hæc aliud quoque est consecutum dignum quod dicatur & memoriæ mandetur. quod quidem eos qui aderant maxime ad fidem adduxit: & persuasit vt solum verum Deum attenderent.

Quædam enim mulier, Zoe nomine, coniux Nicostrati, qui ordinem obtinebat Primicerij, est autem hæc vna dignitas ex iis quæ sunt sub Præfectura,cum in grauem morbum incidisset, non poterat quidē loqui, neque cordis motus explicare, intelligere vero & audire quæ dicebantur poterat citra vllum impedimentum. Ea mente agitans verba beati Sebastiani, custodiebantur enim sancti in eius domo, cum illa non posset lingua admirari vt quæ recte dicta essent, oculis annuens omnibus, & manum quatiens, ac sancti pedes tangens, propemodum per muta facta vocem edebat: & tacens erat prædicatrix pietatis. Cum intellexisset autem vir ille diuinus non sine Dei numine moueri mulierem: & vellet ad agnitionem multos adducere per miraculum, iubet eam stare in medio: & Christi nomine 3 inuocato, ei statim largitur vt loquatur. Quod quidē cum vidisset Nicostratus, sanctos quidem laxauit è vinculis,petita autē ab eis venia ꝙ in eos prius deliquissent, rogauit eos vt abirent procul à ciuitate. Illis vero preces eius non admittentibus, sed dicentibus se non esse suam prodituros nobilitatem,nec coronis martyrij aliis esse cessuros. Essem,inquit ille,re uera felix,si causa vestræ salutis athleticum certamen suscepissem: & meum sanguinem pro vobis effudissem, vt sordes malorum abluerem quas iam mihi iniussit Dæmonū ministerium. Sed si hoc, aiunt, vis consequi, necesse est vt hic prius congreges eos qui in diuersis seruantur carceribus, & eos donum Deo offeras. deinde etiam venias ad finem quem desideras,vt hinc maiorem habeas fiduciam: vt qui nō solū ipse pro Christo sacrificeris, sed etiam totū populū ei per fidem concilies.

3 Sebastianus Christi nomine inuocato Zoe mulieri mutæ largi gitur ut loquatur.

Cum hæc verba audiisset Nicostratus,nihil cunctatus fecit quod iubebebatur. & cum omnes qui erant in vinculis duxisset in domum suam, admiscuit iis qui illic erant Christianis. Qui cum à beato Sebastiano didicissent verbum veritatis,ipsi quidem 4 ieiuniis vacātes & precibus, præpurgabantur ad suscipiendum baptismum. Cùm autem Præfectus vrbis Chromatius audiuisset omnes reos è vinculis laxatos versari in domo Nicostrati, dolore affectus iubet Claudio Commentariensi eum adducere magna celeritate. Qui cum fuisset adductus, hæc ei dicit. Cur, ò caput impium, eos qui erant in carceribus congregari fecisti domi tuæ. Ille vero volens interim eum decipere,sapienter sic respondet. Non tuam ò Iudex,despiciens potestatem, Quis enim tanta esset audacia? sed intēdens Christianis maiorem metum supplicij, hoc sum aggressus: vt quæ eis imminebant tormenta videntes in aliis, extimescant, & pareant decretis Imperatorum. Eius itaque ingenij solertiam admiratus præfectus

4 Ecce quomodo etiā antiquitus adulti baptiZandi per aliquot dies ieiuniis & orationibus præpurgabantur.

vrbis,fraudem enim nōdum intelligebat,iussit redire domum. Ille autem domum reuertens simul cum Claudio Commentariensi, narrauit ei pietatem beati Sebastiani: & q̄ cum esset notus Imperatoribus,& ei ab illis maxima haberetur fides, despexerit gloriam & opes & potentiā: & nunc versetur cum Christianis,eos exhortans & ei animū addens ad pietatē: & signis quæ sunt cōtra opinionē,& miraculis verbū confirmans veritatis.

Hæc cum audiuisset Claudius, & esset consauciatus Christi desiderio, cursim domum venit. & duobus acceptis filiis, ex quibus alter quidem conflictabatur cum graui morbo hydropis: alter autem erat totus vlcerosus & leprosus, accedit ad Nicostratum apud quem erant sancti: & cū cecidisset in terram,adorabat ipsos,confitens pietatem,& petens vt curarentur filiĳ. Cum ergo tota domus esset plena viris & mulieribus qui verbum fidei susceperant,quidam Polycarpus vir pius & presbyteratus dignitatē assecutus,stola Sacerdotali indutus,peractis consuetis precibus, perficit omnes diuino baptismate. Post quod cùm qui morbo laborabāt sanitatem recuperassent, & se inuicē exhortarentur ad suscipienda fortiter certamina, qm̄ præter fluxerat quod fuerat ei datum tempus dilationis, Præfectus, accersito Tranquillino patre Marcellini & Marci, nondum enim sciebat illum religionem tenere Christianā eiecto cultu simulachrorum,dicit ei. Adhuc'ne tui filiĳ recusant Diis sacrificare,cōtemnentes iussa Imperatorum? Ille vero dixit, respondens. Beati illi q̄ sint in hac sententia,& ab errore liberati ipsam agnouerint veritatem: & vix me tandē ad eam deduxerint. Dixit Præfectus vrbis. Ergo tu quoque re uera immutatus à mente discessisti,verbis credens fallacibus, & ad hāc infelicem traductus religionem? Dixit Tranquillinus. Erā ego quoque aliquando in hac sententia ò Iudex: & qui religionem sectabantur Christianam, arbitrabar decipi & non esse sanæ mentis. Postquam autem egregium conueni Sebastianum,virum insignem, & qui est, vt scis,magno studio Imperatoribus, & ab ipso didici q̄ sit honesta & veneranda fides, & non vt nostra superstitio, sordida & odiosa, didici experientia quem Deum colere oporteat. Quem qui ignorant,si fas sit dicere, sunt propter errorem miserabiles. & eo magis q̄ sibi videantur esse sani, cum non sint sani sensibus. Dixit vrbis Præfectus. Dic quibusnam verbis credens aut factis es adeò mutatus, vt eum pro Deo habeas qui actus fuit in crucem,& alia passus est plena probro & dedecore. Dixit Tranquillinus. Si non iracūde sed patienter & placide me audiueris ò Iudex, ostendam tibi hunc crucifixum verum esse Deum & Dñm totius naturæ,tam quæ est aspectabilis, quàm quæ non cadit sub aspectum. Dixit Præfectus. Dic nobis libere & nihil reticens. Vt si res tui Dei bene se habeant, simus nos quoque sociĳ tuæ religionis.

Dixit Tranquillinus. Qm̄ facta est mihi dicendi potestas à tua mansuetudine, audi paucis mysterium consiliĳ & œconomiæ carnis susceptæ. & scies omnino, nisi velis lubens cæcutire ad veritatem, nullam aliam religionem carere errore præterq̄ solorum Christianorum. Hic Christus quem vos insectamini maledictis, cum esset Deus ab initio in quem non cadit interitus, & qui mutari nō potest & alterari, & qui est semper cum patre & spiritu, ipse omnia produxit. primū quidem angelicas potestates cœlestes. Deinde autem hunc mundum, & postremum inducens hominē:

quem & manus suæ ornat effictione: & Regem constituit eorum quæ sunt in terra. & cum eum ad habitandum locasset in paradiso, dat ei mādatum, vt fruatur quidem omnibus quæ in eo sunt arboribus, ab vna autem sola abstineat, eum erudiens ad obedientiam, & maiora procurans per obseruationem. sed vnus cui obtigerat imperium in angelicos ordines, ad vitium impulsus, & diuina gloria, propter elationem, cum eo ordine cui imperabat, priuatus, non patiebatur videre hominem Deo esse coniunctum, & ad cœlum vnde ipse ciciderat euehi. Vnde etiam inuido in eum coniecto oculo, spe fallaci & eo modo quo ipse ceciderat, diuina eum gloria spoliat. & à loco qui ei datus fuerat ad habitandum, & ab immortalitate efficit alienum. Neque verò is deinde intermisit hominum naturā in mala sibi inuicem succedentia immittere, vt quæ à superna ope esset destituta. adeò vt hominum abduxerit à Deo qui eum crearat & formauerat: deduxerit vero ad simulachra & manuum figmenta: & effecerit vt res creata insurgeret aduersus creatorem. Hinc lex data est ad correctionem: & Prophetæ opem ferunt Dei figmento. & cum esset morbus immedicabilis & ad deteriora extenderetur, ipse Patris filius vnigenitus visus est in terra, & in omnibus est effectus. similis nobis absque peccato. & cum eum qui defecerat, & eos qui eius parent imperio, cum corpore vicisset, quos vos Deos esse putatis, nos ad antiquam reduxit nobilitatē. & rursus ascēdit ad patrem cum eo quod assumpserat. & veniet hac vita dissoluta. & congregabit omne figmentum, daturum rationem eorum quæ fecit bene vel male.

Hæc sunt ò Iudex arcana Oeconomię. Propterea est & crux & mors & sepultura. quæ vos cum Christo obiicitis, non animaduertitis vos per ea per quę contemptui habetis, ostendere eum esse colendum & venerandum. Si enim passus est vt homo, resurrexit vt Deus. etiamsi vos relictis iis quæ sunt excelsiora & quæ eam aperte Deum ostendunt, remanetis in iis quæ sunt humiliora, eius in homines benignitatem & Oeconomiam reputantes imbecillitatem. & neque opera admirabilia, quæ & tunc & nunc fiunt in eius nomine, vobis tandem persuaserunt intueri ad veritatē & agnoscere creatorem. An non vides qualis ego quoque euaserim ex cōfessione eius & baptismate. qui prius eram membris dissolutus & vix poteram ingredi.

Postquam hæc audiuit Præfectus, tacuit aliquādiu & cum quæ dicta fuerant animo agitasset, & vidisset res verbis congruere, & veritatem religionis ex miraculis aperte didicisset, iis qui aderant semotis, vocat Trāquillinum, & ei dicit. Video frater esse magnam Christianorum religionem, & non esse alium Deum præter eum solum qui à vobis adoratur. Si ergo vis me quoque ad eum accedere & esse tecum participem tuæ religionis, nunc quidem abi domum, secretum tenens consilium. crastino autem die accipiens sanctos quos dicis præesse collectis Christianis, duc eos ad me adhibito studio ne quis eos videat. Nā ego quoq; sum Christo per illos offerendus, relicto errore simulachrorum. Post hæc ergo dimisso concilio cum in domum suam venisset Trāquillinus, & sanctis narrasset quemadmodum locutus fuerat cum Præfecto, & quemadmodum ei persuaserat vt religionem sequeretur, Christianam, effecit vt omnes magna afficerentur lætitia. cum resciuissent eum qui prius erat persecutor, mox

5 futurum acrem Christianis Athletam. Quare cum 5 nox illa fuisset consumpta in psalmis & hymnis, vbi dies aduenit, accipiens Tranquillinus sanctos Sebastianum & Polycarpum sicut ei iusserat Præfectus, abiit in domum suam. Quos cum vidisset ingressos, surrexit: & cum pedes eorũ tetigisset, eos rogauit vt salutem assequeretur, & liberaretur ab eo morbo quo laborabat. erat enim eius corpus totum tumefactum & mutilum: adeò vt ex hoc ei fieret tardus & torpidus motus. Cum ij autẽ dixissent fore vt ei membra soluerentur si ex toto corde Deo crederet, hoc voce clarissima est confessus, abnegata impietate simulachrorum. Nec hoc solum, sed etiam cum ipsa Dæmonum simulachra quæ erant domi eius, sanctorum monitis inductus contriuisset & in puluerem comminuisset, ostendit sincerum opus fidei.

Nota cum nox illa fuisset consumpta in psalmis & hymnis.

Quo tempore fit etiam quiddam dignum quod dicatur & memoriæ mandetur. Tiburtius enim filius Chromatij adhuc dubitabat in fide. & cum vidisset alia quidem simulachra patris esse contrita, vnum autem adhuc esse reliquum opus admirabile in quo erat vniuersa astrologia & motus cœlestium, alia esse contrita ægreferens, hoc vltimum amplectebatur, & non prius id sinebat conteri, q̃ per ipsum accepisset sanctorum experientiam, & opere confirmatus fuisset ad pietatem. & cum curasset afferendos clibanos, & eis ignem substrauisset vt accenderentur, dicit sanctis. Hoc velim sciatis, q hoc pulchro cõtrito opere, si sanitas quidem fuerit restituta patri meo sicut estis polliciti, ero ipse quoq; verus Christi discipulus, excusa dubitatione. Sin autem eius morbus durauerit postquã id interierit, vos huic quod videtur supplicio subiiciam tanq̃ deceptores. His verbis dictis, pater quidem prohibebat eum ad talem venire experientiam. Sancti vero lubenter accepta conditione, non enim diuinæ virtuti poterant non credere, vrgebant iuuenem ad opus cõterendum. Quod cum factum esset, lux statim circũfulsit Chromatium. & ei pulcher apparens adolescens, dixit ei. Beatus es q Christo credidisti, qui nunc misit me ad te vt dem tibi liberationem à morbo quo teneris. Quæ simulatq; dicta fuere, dissoluta est membrorum mutilatio. & licebat videre eum qui prius vix ingrediebatur, tanq̃ ceruum tunc saltare. Propter quod fertur stupefactus Tiburtius protinus accurrisse, & sanctorum pedes tangentem, Deum verum confessum esse Christum, & rogasse vt ab eis assequeretur baptismum. Lætati autem sancti iuuenis mutatione, eiq; & patri dato 6 tempore præstituto vt sordes ex priore vita susceptus abluerent, diuino eos dignantur baptismo. Et post hæc Cromatius prętextu morbi Præfecti vrbis deposito magistratu, nondum enim volebat suam cognosci mutationem, & indigentibus suis dispersis facultatibus, & iis q iugum trahebant seruitutis manumissis & liberatis, iisq; veluti quibusdã primitiis Deo oblatis, deinceps versabatur cum sanctis, discens fidei rationem: & ad pietatem adhuc magis confirmabatur.

6 *Vides quomodo baptismum iure præcedit priorum delictorum pœnitẽtia? Non quidem quæ est sacramentum, cum baptismus sit ianua sacramentorum, sed q̃ est uirtus.*

Sed iis quidem res ita se habebant quãdiu Carinus administrauit Gallias, qui Christianis mitiorem faciebat persecutionem, parcens amicis qui erant inter illos. Postquam autem ille quidem vitam finiit, pij vero nullum habebant qui eos defenderet, erupit in eos grauior persecutio. & columnæ vbique erigebantur per totam ciuitatem, in plateis, in fontibus, in foris. in quibus eis quidem qui Diis sacrificabant, concedebant & aquã

sumere,

ſumere, & alias res venales: eos autem qui non parebant, præter cætera mala, etiam vacuis dimittebant manibus. Tunc ergo Chromatius vſus conſilio illius qui Romanam regebat eccleſiam, nomen ei erat Gaius, primum quidem domum ducens omnes Chriſtianos, illos accipiebat bonis ſuis omnibus impertiens. neque ſinebat eos è domo egredi, ſed eos volebat intus ſedere. hoc enim ſciebat eſſe tutius propter imbecilliores. Sed q̃m non poterat fieri vt diu laterent, omnia enim deprehendebat acris perſecutio, ſtatuit proficiſci in quendam montem, in quo illi erat prædiolum aptum & ad latendum & ad fructus percipiendos, cum Chriſtianis imbecillioribus: & illic effugere periculum. Et poſtquam hoc fuit ſtatutum, & Chriſti populus fuit in duas partes diuiſus, nempe in eam quæ manebat & eam quæ volebat recedere, fuit inter beatum Sebaſtianum & Polycarpum laudabilis controuerſia, quæ tale habuit initium, & ex hoc mota eſt. Diuiſo enim populo, neceſſe erat eos quoq; vt qui ſoli aliis pręeſſent, à ſe inuicem diſiungi: & alterum quidem ſequi eam partem quæ abſcedebat à ciuitate: alterum autem relinqui cum ea quæ manebat. Hi vero volentes ambo ſubire martyrium, volebat vterque manere: & periculum exiſtimabat non adire certamen. Sed hanc bonam litem cōponit Gaius in medium procedens, & apud eos verbis vtens eiuſmodi.

Si vna quidem ò beati via eſſet quæ ducit ad ſalutem, nec poſſet qui ab ea errasſet conſequi ea quæ deſiderantur, recte haberet vos ita arcte tenere decertationem, ne à ſalute excideretis. Sed cum hoc quoque largiatur via confeſsionis, quam ſcio eſſe tutiorem & minus periculoſam, cur non omiſſa contentione, laudabili diuiſione ceditis alter alteri? Non enim fas eſt quos Chriſto coniunxiſtis, eos relinquere ſine paſtore & abſque veſtra curatione. Videtur autem mihi oportere potius Polycarpum vnà ire cum abeuntibus. vt qui ſit & ſacerdotio inſignis, & ad eos ducendos ſit idoneus & inſtituendos in pietate. Hæc cum beatus dixiſſet Gaius & omnes eſſent aſſenſi iis quæ dicebantur, Tiburtius filius Chromatij volebat non vnà cum patre recedere, ſed manere in vrbe, & accipere coronã martyrij. & cum id conceſsiſſet Gaius propter magnam conſtantiam adoleſcentis, ille quidem deinceps vnà erat cum ſanctis, diuino accenſus deſiderio, & propemodum ægreferens q̃ non citius mitteretur ad ſtadiũ decertationis. Beatus autem Gaius, cum eos qui remanſerant, ad propoſita ſubeunda certamina prolixa confirmaſſet oratione: & Marcellinum quidem & Marcum in 7 ordinem Diaconorum, eorum autem patrem in presbyterorum retuliſſet, inclitum vero Sebaſtianum eccleſiæ defenſorem conſtituiſſet, cum eis verſabatur quotidie, vacantibus ieiuniis & orationibus, & Deum rogantibus vt ſe fortiter gererent in certaminibus & tormentis, & redimirentur corona martyrij. Et illi quidem in his erant. quidam autem qui cum variis morbis conflictabantur, clam ad eos accedentes, ſani reuertebantur. & fiebant ab eis miracula quæ erant contra opinionem. quorum alia quidem prætermittam, vitans ſatietatem orationis. Vnius vero meminero q̃ potero breuiſsime.

7 Diaconatus & Preſbyteratus duo ordines eccleſiaſtici.

Deſcendens aliquando beatus Tiburtius è domo in qua erant ſancti, incidit in foro in hominem qui ex alto ceciderat, & è caſu tam male ſe habebat vt eius neceſſarij deſperantes de ſalute, ſepulchrum ſolum & iuſta ei facienda curarent. Cum itaq; ei qui iacebat appropinquaſſet, &

8 consuetas super eum preces 8 fecisset, reddidit hominem sanum iis qui ad eum attinebant, adeò corroboratum inuocatione nominis Christi, vt nec ei quidem videretur tale quid omnino accidisse. Post curationem autem eius qui ceciderat, accersitis eius necessariis, Tiburtius dicit eis Si vultis quoque esse effectores rerum admirabilium, Christo credite, à quo ad me quoque profecta est hæc virtus miraculorum. Postquam vero vidit assentientes & parentes, eos ducens ad Gaium, dicit ei. Suscipe hos venerande pater, quos hodie per me Christus lucrifecit. Ille autem postquam ij verbum fidei didicissent, diuino baptismate initiatos, commiscuit aliis sanctis, propter hæc Deo agens gratias qui facit admirabilia in omnibus inuocantibus ipsum. Sed iam tempus est narrãdi decertationem, & quisnam finis vnicuiq; euenerit: quod quidem faciam aliis omissis.

Precibus & inuocatione nominis Christi Tiburtius collisũ hominem de salute desperantem sanat.

9 Beatissima Zoe orans aliquando ad 9 loculum Apost. Petri, ab impiis comprehenditur. Et primum quidem adducta ad magistratum viciniæ. & tantummodo iubenti ei vt sacrificaret statuæ Martis quæ illic stabat, cum verecunde respõdisset, Eum venus magis delectauerit q̃ ego, illa de cætero quidem mansit tacens & oculos humi defigens. Ille autem hoc dicto efferatus, iussit eam seruari in carcere tutissimo, & neque lucem videre, neque cibos sumere. Deinde cum sex dies transegisset in hac afflictione, septimo transmittitur ad præfectum Flauianum. Qui cum post multas interrogationes vidisset eam non posse persuaderi, iubet eam in aliqua alta arbore à capite suspensam & multo fumo inferne suffumigatam, sic finire vitam. Et illa quidem sic migrat ad Christum desideratũ. Crudeles autem Parricidæ corpus eius acceperunt, & lapide ei appenso in Tiberim iniiciunt, existimantes fore vt sic non appareret, & non esset Christianis morborum medicamentum.

Dũo hic habes morẽ fuisse etiam antiquitus orationes fieri ad sepulchra sanctorũ, & corpus beati Apo sto. Petri esse Romæ.

Postquam vero beatæ Zoes martyrium fuit sanctis cognitum, id omnes adeò incitauit ad similem zelum, vt Tranquillinus dixerit beato Sebastiano. Vides Domine mi, quemadmodum fœminæ sexus imbecillitatem prompto & alacri animo corroborantes, coronas præripiunt.

10 Quod simulatq; dixisset domo egressus & veniens ad 10 loculũ beati Apost. Pauli orandi causa, repente fuit comprehensus, & lapidibus obrutus iacitur in Tyberim. Huius corpus Nicostratus & Claudius simul cum Castorio ad ripas quærentes vt mandarent sepulturæ, veniunt in manus eorum qui insidiabantur. & ducti ad Præfectum, adeò nec blandis verbis nec minis nec vllis insultibus conuerti potuere, vt Præfectus admiratus significarit hæc Imperatoribus. & ab eis acceperit in illos sententiam quæ sic habebat. Eos qui non parent edicto nostræ diuinitatis, & nolunt Diis sacrificare, iubemus cum ter fuerint examinati tormentis, marinis tandem tradi fluctibus. nisi castigati suppliciis, nostri imperij cesserint potestati. Hac ergo accepta sententia, Præfectus, postquam multis eis illatis plagis vidit eos non cedere nec inclinari, seruiens decretis Imperatorum, quæ ab illis lata fuerat in sanctos pronuntiat sententiam. Et illi quidem sic consummati iaciuntur in mare.

Et hic idem habes de corpre Pauli quod in superiori notula de corpore Petri.

Curtuatus autem vir quidam re quidem vera impius, specie vero pius & se Christianum simulans, cum se retulisset in numerum sanctorum, factis ipsis præbuit suspitionem. Nam & positura capillorum q̃ par erat elaboratior & nimis accurata, victusq; nimis mollis & delicatus, & alia

minime honesta cõuersatio,induxit eos qui videbant,vt id quod erat,fraudulentum hominem putarent & deceptorem. Non multum intercessit temporis, & cum beatum vidisset Tiburtium in quadã sacra æde orantem,& eum indicasset impiis,ipse quoq; comprehenditur simul cum Tiburtio. Hoc enim ita volebat, vt neque Christianis videretur esse proditor, & cum satis per ludum simulasset, sic deprehenderetur. Cum itaque Flauianus vtrũque curasset sisti ad suum tribunal, dicit Curtuato. Num tu quoq; pro Deo habes crucifixum? Cum is autem subridendo dixisset, se illum existimare Deum quem hic beatus,ostendens digito Tiburtium, ęgreferens admirabilis adolescens tantam simulationem, & ira motus,dicit ei. Ne teipsum decipias ò Curtuate,tentans latere in dolis. Nemo qui vescitur 11 vnà cum meretricibus, & perseuerat in vini potione vsque ad ebrietatem,& alia facit impudẽter quorum vel solum meminisse abhorreo, potest esse Christi discipulus, & gloriari illius pro nobis perpessionibus. Putásne nos ignorare qualis sis, & quemadmodum mihi iucundissimam mortem sis machinatus, quæ me celerrime liberabit ab hoc humili corpore, & coniunget Christo quem desidero? Nam qui expectantur cruciatus & multiplicia tormenta,à me ridentur & habẽtur ludibrio. Neque enim timeo exilium, qui domum mea sponte dimisi volentibus, non ignem, non flagella, non aliquid aliud ex asperis & terribilibus quorum mihi minæ intentantur. Redduntur enim hęc omnia imbecilla & debilia diuino auxilio.

11 *Notent hoc ut mirabile ita etiã uerum dictum nostri temporis hæretici.*

Dixit Flauianus. Has quidem nugas mitte ò Tiburti. mihi autem parens,parce tuæ nobilitati & iuuentuti: & ne probrosissimam hanc mortem amplectaris. Ille vero respondens,dixit. Nõ est,inquit,probrum nec dedecus ò Iudex,seruire vni Deo viuẽti: sed Dæmonibus & mortalibus hominibus qui honorantur ex vitiis. quos qui colunt sunt miserabiles & digni qui lugeantur. vt qui in iis quę adorant ignominia afficiantur, & sui erroris mercedem hinc accipiant. honor enim eorum qui adorantur, est contumelia eorum qui adorant: & peccare apud ipsos vocatur cultus. Tunc Præfectus ira feruens iussit afferri carbones: & dicit ei. Elige tibi alterum è duobus,vt vel Diis sacrifices,vel super carbones nudis incedas pedibus. Beatus autem Tiburtius, cum signum 12 crucis impressisset, stetit supra ipsos & dixit Præfecto. Vide nunc in me quanta sit fidei potentia: & disce hunc solum esse verum Deum quem ego colo. & efficere tandem Christianis excussis tenebris impietatis. Ille vero timẽs ne his miraculis multos induceret ad pietatem,iussit vt abduceretur procul à ciuitate & illi caput amputaretur. Et ille quidem inuenit hunc vitæ finem.

12 *Cũm signum crucis impressisset, stetit illæsus super carbones ardentes.*

Post eum autem Castullus Digtarius comprehensus,apud quem manebant sancti post Chromatij emigrationem è ciuitate,& post multa tormenta proiectus in lacum, illic finit vitam. Præterea vero Marcellinus & Marcus egregij veritatis Athletæ,cõprehensi & pedes clauis confixi, iussi sunt à Iudice tandiu stare,donec Diis tribuerint honorem qui eis debetur. Illi autem in hoc tormento adeò intolerabili, Ecce q̃ bonum & q̃ iucundum, & quæ deinceps sequuntur dictitantes, eis postremo lãceis punctis lateribus sicut Christus pro quo hæc patiebantur, emiserunt spiritum. Atq; illi quidem oẽs eo modo quem diximus consummati,hostiæ ab omni labe & reprehensione alienę oblati sunt Domino.

Sebastianus autem longe generosissimus vltimus ad supplicia reseruatus, ipse quoque gloriose suscipit coronam martyrij. Quem cum accersiisset Diocletianus, & iussisset ad suum tribunal sisti, dixit ei. Non ego te ô Sebastiane, in maximo honore habebam: & tibi imperium magis q̃ aliis credebam. Et nunc qui factum est vt ad tãtam sis pessundatus amentiam, vt contra tuam vitam & meam potentiam te petulanter & insolenter geras? Dixit Sebastianus. Tunc quidem ô Imperator cum verũ Deum ignorarem & essem implicatus errore simulachrorum, inconsiderate tuis iussis seruiebam. Nunc vero cum agnoui veritatem & quem me Deum colere oporteat, despexi & diuitias & gloriã & alia quibus prius resplendebam, desiderans ea quæ manent & non perfluunt. quæ parata sunt iis qui Christum diligunt. est enim extremæ amentiæ, Deos putare eos qui facti sunt ex lapidibus & alia quæ interit materia, & honorare opera manuum hominum quę paulo post non erunt. His verbis ad iram motus Diocletianus, iussit eum in medio campo tanq̃ scopum propositũ multis sagittis peti. Quod cum factum esset, arbitrati Satellites sanctum esse mortuum, eo dimisso recesserunt.

Cum nox autem aduenisset, profecta coniux Diætarũ in campum vt eius corpus mandaret sepulturæ. & cum eum inuenisset adhuc viuum, deduxit domum. & intra breue tempus reddidit sanum. Hoc cum resciuissent quidam ex Christianis & ad eum accessissent, obsecrabant vt abiret è ciuitate. ne si rursus apparuisset, pluribus tormentis afficeretur. Ille autem non modo se abdidit, sed etiam stans in alta quadam domo, se prętereuntibus ostendit Imperatoribus. Eum cum vidisset Diocletianus & ad se accersiuisset, dicit ei. Non es tu Sebastianus quem nos prius iussimus interfici sagittis? Sum, inquit, ô Imperator: & me suscitauit Dominus à mortuis: vt cognoscas eum esse Deum qui fecit omnia: & non amplius colas impuros Dæmones, quorum cum sonitu peribit memoria. Tunc is iussit sancto totum corpus clauis contundi ac confringi, & sic eum è vita excedere.

Postquam ergo hic beatus migrauit ad Dominum, Satellites quidem eius corpus noctu sustulerunt & in quandam cloacam proiecerunt, cum sic iussisset Tyrannus. Timebat enim ne si fuisset apud Christianos & faceret miracula, etiam post decessum multos abduceret à simulachris & p̃suaderet vt Deum colerẽt Sebastiani. Hic aũt beatus, in nocturna visione apparens mulieri cuidam claræ & piæ, ei nomen erat Lucina, dicit ei. Vade ad hunc locum: & accipe corpus meum & id 13 sepeli in ea quæ dicitur Crypta, ad pedes Apostolorum. Illa vero cum surrexisset & venisset in locum in quo erat cloaca, sustulit illinc corpus Martyris. & cum in loco quem dixerat, ipsa diligenter & honorifice eum sepeliisset, ad sepulchrum permansit triginta dies. & cum fuisset tandem pax reddita ecclesiis, illa domum suam effecit sacrum monasterium: & quandiu quidẽ fuit ei vita superstes, largissima manu succurrebat egentibus. Quãdo autem è vita excessit, omnes suas facultates in testamento donauit Christianis. Ad gloriam Seruatoris nostri Iesu Christi gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

13 *Habes ex hoc loco sepulturam nõ esse negligendam. Et par esse ut uiri Deo dicati splendidam illã & honorificam habeãt. Et corpora Apostolorum Romæ esse.*

Martyrium

MARTYRIVM SANCTI
Martyris Bonifacij.

ET ALIORVM quidem Christi martyrum certamina magnum lucrum viris bonis afferunt. nam & communis naturæ maxima & quæ naturam superãt facta ostendunt. & vincentem quidẽ Christum: aperte autem victum & probro ac dedecore affectum inimicum. Præterea impios quidem manifestissime arguũt: pios vero magis confirmant & corroborant: & ad spiritalem decertationem acriores reddunt & vehementiores Et hęc quidem in illis in quibus reliqua quoq; vita congruit cũ martyrio, & à pueris eis coaluit virtutis exercitatio. Si quis autem ab initio quidem ignauã et dissolutam vitã egerit: postea vero bonis adeò resplenduerit vt repẽtẽ martyrij coronam arripuerit, quidnam potest esse hac gratia præstantius apud pios? Nam natura quoq;, id quod præter spem boni euenit, est delectabilius eo quod est consuetum. Eo tendit ouis quoq; perditæ à Dño inuentio. Talem ergo nouimus quoq; fuisse hunc inclitum Christi martyrem Bonifacium. cuius non ęquum est despicere certationem: sed eam literarum mandare monimentis. Sic autem habet. Decemb. 19.

Erat Romæ mulier quædam nomine Aglais. hoc autem nomen consequebantur etiam alia congruentia. genus & species & diuitiæ, quæ ei magnum splendorem & decus afferebant. Nam genus quidem erat patritiorum, & eorum qui proconsularem honorem sunt assecuti. species vero cum iuuentute, quæ efficere posint vt mulier sit amori vehementius dedita. luculentę autem diuitiæ & quę vel ad eis abutendũ satis essent. His omnibus accedens libera viuendi potestas, ignem valide accendebat, & ad turpes amores incitabat. Cum esset ergo adeò diues Aglais & terræ bonis floreret, & propterea incontinenter vteretur amoribus, ea cũ quodam ex suorum bonorum procuratoribus, is erat pulcher Bonifacius, non ingenij solum solertia & in eam beneuolentia, sed etiam specie alios longe superans, non honestis vtebatur congresionibus. non erubesco enim hæc dicere, cum paulo pòst posim ostendere vere diuinam & admirabilem mutationem Alioqui autem à vino quidem & amoribus vincebatur ab initio, sed & pecuniæ erat contẽptor magnificentissimus, & ad eas egentibus distribuendas longe liberalissimus: & hospitalitati deditus si vllus alius. Si quando ergo vidisset aliquos ex viatoribus, aut ęstu & siti eliquatos, aut niue & frigore concretos, aut alia ratione itinere grauatos, ipse festinans hilariter eis ibat obuiam, & rogabat vt à labore requiescerent. & cum cessissent, in domum suam introductos hospitio benigne accipiebat: & verbis & factis eorum omnem propulsabat molestiam. Hæc etiam ante martyrium ornabant Bonifacium. Neque est ille solũmodo examinandus & spectandus ex aliis: sed sunt etiam coniungenda ea quæ sunt meliora. Bonifacius enim aliquid quidem voluptati, plurimam vero partem tribuens virtuti, & pulcherrima genera virtutis accurate exercẽs, ne esset perfectus ex hoc solo prohibebatur q non esset temperans. Α'γλαΐς, splendida.

Cæterum non multo interiecto tempore, hæc quoque labes, tanq̃ in toto mundo & pulchro corpore, eluitur. & quod ex vitio suscipiebatur

dedecus,tegitur longe maiori gloria. Non sustinuit enim Dominus despicere animam adeo omni ex parte pulchram perpetuo inquinari vnius vitij turpitudine. sed placuit omnino diuinorum rationum dispensationi, martyrico etiam sanguine purpureum & regium ei colorem indere. Quonãmodo autem hoc sit effectum, & quodnam sit iactum fundamentum martyrij, parata est docere oratio. Adhuc quidem vigebat persecutio in Christianos: & profunda illa caligo simulachrorum totum simul occupabat orientem. Subit autem illius Dominam salutaris cogitatio: & cor eius penetrat vehemens quoddam & inuictum desiderium reliquiarum martyrum. Quoniam vero existimabat Bonifacio nullum esse fideliorẽ, aut ad in his seruiendum diligentiorem, ei sicut carnalem & turpem, ita etiam laudabilem & beatum ei amorem communicat. & eũ seorsum accipiens, Scis, inquit, frater, qualibus simus coinquinati peccatis. nec nobis curę esse aliquid, quod expectamus futurum vt sistamur ante Deum, & pro his grauia subeamus supplicia. Cæterum audiui à quodam viro pio, quod si quis eos qui propter Christum passi & affecti sunt martyrio in honore 1 habuerit & coluerit, magna quædam & præclara eum illinc ex eo manet remuneratio: & eadem qua illi fruetur beatitudine. Multi autem nũc quoque, vt aiunt, pro Christo pulchra adeunt certamina. Tu vero, etenim iã venit tempus vt meus ostendat Bonifacius qua sit in nos affectione, ad hæc mihi inserui. & omni studio eo vadens, propera ad me afferre aliquid è sacris 2 his reliquiis. vt cũ eas honorificè deposuerimus, & sacras ędes eis ędificauerimus, eos semper habeamus custodes & seruatores.

1 *Vides ex sanctorũ mart. honore magnã remunerationem & beatitudinẽ acquiri.*

2 *Nota sacras Martyrũ reliquias, nota honorificam earum depositionem, sed & ędificari eis sacras ædes. nota etiam sanctos esse custodes nostros & seruatores.*

Hæc cum ei dixisset, & se lubẽter id ministerium promptoque & alacri animo obiturum ostendisset, tradit ei multum auri. Neque enim licebat gratis accipere vllas Martyrum reliquias. sed 3 Christianorum magnus in eas amor, erat impiis causa lucri: & efficiebat vt non nisi magni eas emptas præberent. Ea de causa mittit multum auri: & vt etiam haberet quod distribueret pauperibus. Mittit autem cum eo equos quoque duodecim, & vnguentum, & sindonas, & quæcunque alia vsui erant ad honorandos sanctos. Sed est attendendum. huc enim venimus vbi est narratio iucundissima. Cùm iã Bonifacius esset iter ingressurus, statim quasi graphice victoriam suam & coronam præsignificans. Vidisti, inquit, ò Domina, quemadmodum contingit vt hoc quidem cepto frustreris: secunda vero, vt aiũt, nauigatio, meum ad te corpus afferatur. fuerit'ne hoc tibi mediocre tui instituti ac scopi solatium, & apud te habendum in honore? Et hæc quidem ille fortasse magis ludens apud Dominam quàm agẽs serio. Deus autẽ id quod erat futurum prædixit per illius linguam. Aglais vero, Non est ò Bonifaci, inquit, tempus ludendi, neque horum verborũ. à quibus abstinentem iubeo vt pie & honeste te geras. Nam iis es inseruiturus, quæ nos non solum tangere, sed etiam aspicere indignos, nimiæ est audaciæ & temeritatis. Cum his satis increpasset, & pudore affecisset, & pro ludo intempestiuo ad iustum & rationi consentaneum metum illius animam traduxisset, & dixisset, Deus qui serui formam propter nos accepit, & suum effudit sanguinẽ, ipse ad mea non aspiciat delicta: & mittat Angelum suum ante te: & dirigat gressus tuos. Deinde faustum ei precata reditum, eum emittit.

3 *Prisci temporis christiani maxime amabãt sanctorũ marty. reliquias, quas nostri temporis hæretici tãtopere detestantur.*

Bonifacio vero non mediocriter quidem pro fuerunt verba Dñæ: & vt

res diuinas & religiosas reuereretur effecerunt. Hinc factum est vt in itinere nec 4 carnes tangeret, nec vino vteretur. Subibat autem eius quoque mentem cogitatio veluti quidam bonus Pædagogus. Qualia sunt quæ feci: & qualiam sum impuris manibus portaturus? Propter hunc vero metum sensim negligebat pristinam suam in corpus affectionem: & vt sibi attenderet sibi persuadebat. Nam metus quidem est pater attētionis. Attentio autem est mater tranquillitatis & quietis. ea vero parit consciētiam. quæ facit vt anima tanquam in pura aliqua & non turbata aqua sua intueatur dedecora. & sic nascuntur principia & radices pœnitentiæ. Iam tunc autem pulchre conceperat Bonifacius. & iam aperte ostēdebat se inclinare ad vitam perfectam & accuratam. vt qui à crassis quidem & superuacaneis, vt diximus, abstineret alimentis: assiduis vero 5 precibus & ieiuniis vacaret in itinere. Postquam autem ascendisset in Asiam, & ad celebratā in Cilicia peruenisset Tarsum, quo in loco etiam decertabant Martyres, aliis quidem permisit vt ipsi & equi quiescerent, apud quendam illic hospitio excepti. Ipse vero ne viæ quidem excusso puluere, profectus est ad videndum desideratos martyres. & cum venisset in stadium, videt populi quidem magnam collectam multitudinem ad ea videnda quæ fiebant. sanctos autem variis affici tormentis. & vnum quidē omnibus crimen obijci, nempe pietatem ac veram religionem. nō eosdem vero subire cruciatus: sed tam multos vt nemo fere eodem damnaretur supplicio. etsi spiritu essent coniuncti, & ore nihilominus eadem loquerentur. Nam alius quidē pēdebat capite: subter vero ignis erat substratus: alius autem erat extensus quatuor lignis. Alius serra secabatur. Alius discerpentium manibus comminuebatur. & illius quidem oculi effodiebantur: huius autem manus amputabantur. & huic quidem per collum palus transactus, terræ erat affixus: illi vero manus penè circūagebantur: pedes autē contra improbe refringebātur. & vtriusque sic vinctis similiter ossa conterebantur. Alium, ò magnam impiorum insaniam, licebat videre mutilatum manibus & pedibus, & humi instar globi deuolutum. Sed etsi hæc paterentur viri generosi & fortes, tanquam non subirent aliquid violentum & molestum, sed perinde acsi eorum renouarētur corpora, & sustinerent quandam in melius mutationem, sicut erat re uera, lætabātur, eis diuina virtute ferente auxilium & confirmante ad certamen. non poterat enim aliter fieri vt humana hæc pateretur natura, idque cum gaudio, nisi superna eos manus tangeret.

4 *Ecce quomodo sanctus Martyr indicit sibi ciborum delectum, & carnis ac uini abstinentiam.*

5 *Assiduis precibus & ieiuniis uacabat in itinere.*

Hęc videns Bonifacius, & non solum videns, sed etiam sedulo & diligenter singula considerans: & partim quidem stupens Martyrum constantiam: partim autem pares coronas consequi desiderans, totus Deo afflatus descendit in theatrum. & cum se fecisset manifestum omnibus, Martyres qui erāt omnes viginti, sigillatim amplectitur. Deinde etiam omnibus audientibus magna voce, Magnus est, inquit, Deus Christianorum. Magnus est qui Athletas sua ope adiuuit. Hæc cū dixisset, rursus lætus adhærebat martyribus. cum magno desiderio prehensabat & amplectebatur pedes. Quibus autem deerant pedes, eas quę restabant partes corporis. beatos quidem eos pronuntians propter animi fortitudinem & propter ea quę passi fuerant. & quòd breue sit id quod est reliquum: & mox futura sit liberatio à laboribus & æterna lætitia. pro se autem ro-

gans vt esset eis socius certaminum, & particeps coronarum quas sunt habituri à Christo.

Cum autem fieri non posset vt hęc laterent, maxime cũ vocem altius sustulisset, Præses per multitudinem acrius defigens oculos, & videns Bonifacium, Quis hic est, inquit, qui nos vsque adeò negligit & magnos Deos? Ille ipse ergo dicat accedẽs propius. Postquam autem ille adfuit, rogatus, Sum quidem, inquit, Christianus. Dñi vero mei fretus virtute, ex conseruis fideles quidem diligo. te autem & tuos tanquam ingratos despicio. Præses vero. Hæc quidem mitte dicere in præsentia. Dic autem nomen tuum & studium. Bonifacius autem. Primum quidẽ mihi nomen & quo maxime vocari gaudeo, Christianus. Quòd si vis etiam scire nomen mihi impositum à parẽtibus, Bonifacius. Præses vero sancto adhuc loquente eum interpellans. Age ergo, inquit, ò Bonifaci, Priusq̃ tangam carnes tuas & ossa, pare & fac imperata: & accedens sacrifica Diis propitiis. hoc enim tibi multa bona conciliabit. Deorum amicitiam. à rebus grauibus & asperis liberationem. diuitiarumq́; & maximorum honorũ suppeditationem. Ad hæc Martyr. Ne tibi quidem, inquit, iustum est respondere. hoc tamen, inquit, dicam, quod sæpe dixi. Sum Christianus. hoc solum audi à nobis. Si hæc autem non feras, fac quod tibi libuerit.

Hæc cum dixisset, Præses iubet eum suspendi præcipitem. & fortiter quidem cædi. tormentum autem extendi donec ossa fiant manifesta. Et hæc quidem sicut ille iussit, quamprimum facta sunt à lictoribus. Dei autem Martyr, tanquam non dolens quòd carnes distraherentur, sed potius quod separaretur à sanctis, in illos quidẽ defigebat oculos simul, & ipsam desiderans visionem, & tanquam ad pulchrum exemplar, intuẽs ad illorum propter Christum certamina. Postquam ergo vidit eum Præses hoc tormento nihil remisisse de suo scopo, iubet eum paululum relaxari. & rursus interiecto aliquo interuallo aggrediens Martyrem. & hoc modo volens eum tentare. Sint tibi, inquit, ò Bonifaci hæ perpessiones, documenta eius quod est melius. & intolerabiles hos iam expertus dolores, tandem ò infelix tui misertus propter ea quæ te manent supplicia, accede sacrificaturus. Sanctus autem. Mihi iubens sacrificare ò stolide, existimas te ea aggredi quæ possint fieri. Ego ad Deos accedam, cum vel sola eorũ appellatio sit auribus intolerabilis? Ira rursus intoleranda inuasit Præsidem. & acutæ mox arundines ei transfixæ sunt per vngues. Scio vos vel ad solum auditum exhorruisse. est enim tormentum longe grauissimum. Sed Martyr fixis oculis cœlum intuẽs, perinde acsi totum sensum illic cum mente posuisset, ne minimum quidem curabat cruciatum. sed ferebat ipse facilius q̃ Præses imperabat.

Postquam ergo impio hoc tormentum fuit inane & irritum, alium rursum excogitat acerbum cruciatum ex immanitate & ex improbitate: & iubet Martyris ore aperto plumbum valde candens ei infundi. Postq̃ ergo hoc cognouit Athleta, manus simul & animum extollens ad Dñm. Domine, mi, inquit, Iesu Christe. qui me fecisti fortiorem iis qui iam præcessere cruciatibus, nunc quoque adsis mihi. qui es sola mea consolatio, me leuans dolore. & aperte ostende te mihi opem ferre ad parandam victoriam aduersus Satanam & hũc Præsidem. Pro te enim & tua gloria, vt scis, decreto. Hæc dixit, & sanctos simul rogauit vt ei opem ferrent

suis

suis precibus ad decertationem. Atque illi quidem ei precabantur victoriam & finem martyrij. extitit autem tunc quoque Christi virtutis opus plane admirabile. Nam cum tormentũ iam esset paratum: & Bonifacius tanquam quidam strenuus Athleta staret expectans aduersarium: Alij vero Martyres, vtpote non solum decertatores, sed eorum etiam quæ in hoc fiebant acres spectatores, & magis ꝙ ille animo anxij, ei quidem, vt diximus, simul precarentur victoriam: tunc quæ erat congregata populi multitudo, & alioqui ex iis quæ præcesserãt mota erat misericordia Martyrum: partim autem ægreferebat nimiam Præsidis crudelitatem, & propter vtraque hæc sanctorum in rebus asperis & grauibus non solum tolerantiam sed etiam lætitiam stupebat, & sic deducebatur ad fidem in Christum, vniuersa repente simul tollit confusum clamorem & mente & voce consentientem. Magnus est Deus Christianorum. magnus es Rex Christe. omnes in te credimus. Hæc & omnes clamabant, & simularam quidem quę illic est euertebant: Præsidem autem lapidibus appetebant. Ille vero timore affectus & suæ vitæ metuens vt qui veniret in periculum ne mox periret, fuga suæ saluti consulit, turpiter dimisso theatro.

Hæc alium quidem quanuis efferatum & immanem, ira tamen placabilem, persuasissent eadem sentire quæ alij, & effecissent vt ad Christum accederet. At non illum sceleratum & execrandum. Sed tantum abfuit vt ipse ex timore & ex hac admirabili populi consensione, aliquam acceperit vtilitatem. vt statuerit etiam rem agere maiori contentione, & ira eum incitante certamen instaurare. Mane ergo præsidẽs in tribunali, cum curasset in suum conspectum pro duci Martyrem, & illius exprobrabat pietatem, & ꝙ Dñs noster fuisset crucifixus, ridebat. Cùm hæc autẽ non ferens Martyr, pergeret grauioribus probris vicissim insectari Iudicem, pro veris & iustis verbis rursus luit supplicium: & statim lebes pice repletus & valde accensus suscepit Martyrem. Sed cum hoc quoq; fieret, non neglexit Deus ex alto facere consueta miracula. Nam cum Angelus è cœlo descendisset, illius quidem corpus, sicut etiam corpora trium puerorum, conseruauit illæsum Flamma autem repente in orbem circunfusa, cum apprehendisset quosdam ex iis qui adstabãt infidelibus, eadem fecit quæ olim Babylone. Tunc impius timens quidem Christi virtutem, sed ne sic quidem quidquam de impietate remittens, sed tanquam ipse quoq; mutari erubescens, aut amplius sanctum videre viuum, arguentem Deorum illius imbecillitatem, eum morte condemnat, sic dicẽs. Bonifacio qui non paruit quidem legibus Imperatorum, verbis autem nostris nequaꝗ̃ cessit: & Diis propitiis noluit sacrificare, sed crucifixum potius colere tanꝗ̃ Deum, iubeo caput ense amputari. Et ita eũ assumentes Satellites, è iudiciali educunt tribunali. Victoria autẽ insignis Christi Martyr, gaudebat quidem tanꝗ̃ non ad mortem sed ad vitam potius, sicut etiam re uera ita habebat, proficisceretur, cum petiisset ab iis qui ipsum abducebant vt ei parum temporis concederent, stans ad orientem precatus est.
„ Dñe mi, dicens, Domine Deus, cito me præueniant miserationes tuæ. &
„ & nunc adsis mihi adiutor. ne mihi malignus aliquid afferat impedimẽti
„ propter ea quæ in insipientia mihi præcesserunt peccata. sed suscipe animã
„ meam in pace: & inter eos qui pro te sanguinem effuderũt, & fidem vsq;
„ ad finem conseruarunt, me quoque annumera. Libera autem tuo quoque

" pretioso sanguine acquisitum gregem, tuum populum mi Christe peculiarem, ab omni impietate & errore gentilium. Quoniam es benedictus & manens in secula. Hæc est precatus, & preces statim ensis est consecutus, & amputatum fuit caput venerandum.

Facit autem hic quoq; Deus aliquod miraculum: & sanguinem cum lacte facit fluere ex vulnere. adeò vt ille quidem esset naturæ: hic vero piæ fidei: & sic miraculum quod magnum visum erat ad stuporẽ, maius fuit ad vtilitatem: quod quingentis & quinquaginta viris infidelibus persuasit vt Christum sequerentur: & errorem simulachrorum abominantes relinquerent. Hic fuit exitus vitæ Bonifacij. Ita quod illi timere venerat in mentem, accepit eum finem quem ipse prædixerat. Qui autem cum eo missi fuerant ad quærendas reliquias, hæc quidem ignorantes, totam vero ciuitatem obeuntes, qm̃ quærentes ipsum non inueniebant, putantes eum non pulchris vt solebat operam dare voluptatibus, Certe ille (dicebant apud se) modo vel omnino coit cũ mulieribus, aut in iis locis desidet, vt id magna ex parte facit. Hæc animo versantes, vt ipsi postremo explicarunt, occurrunt cuidam ciui qui erat frater Commentariensis. & eum interrogant, an vidisset aliquem hospitem illuc accedentem. Ille autem dicebat heri quendam hospitem in stadio martyricum decertasse certamen & ense fuisse consummatum. se vero non certo scire an is sit qui ab eis quæreretur. Sed dicite mihi, inquit, qualisnã est aspectu & quæ sunt eius formæ insignia? Cùm autem illi hominem verbis describerent, nẽpe ꝙ breue quidem esset ei corpus, flaui vero capilli, & alia quæ satis erant ad exprimendam formam Bonifacij, Hic est ille, inquit, quem vos quæritis. Illi autem in initio quidem non credebant, & eum putabant esse deceptum, dicentes. Non nosti Bonifacium, qualisnam sit ei vita & q̃ propẽsa ac pcliuis ad voluptates, & q̃ ex diametro vitę repugnet martyricæ.

Cum vero ille diceret nihil obstare quominus ipsi accederent ad stadium, & corpus ipsum aspicerẽt. Illi cedentes, accedunt quidem in locum viro illo eos ducente. Qui cum etiam eis corpus ostendisset, illi coniectis in corpus oculis quod iacebat sine capite, vel ex hoc solo agnoscebant Bonifacium. Deinde etiam cum inuenissent caput seorsum iacens, & eius corpori coniunxissent, illum ipsum esse credentes, obstupuerunt: & timore contractus fuit eorum animus. Timebant enim ne eis aliquid succenseret, ꝙ eius mentem accusassent, eum iudicantes ex eo solo quod præcesserat: & nescientes quali vitæ principio qualem & quam iucundum finẽ imposuisset. Sed mox metum ademit Martyr, se placide & benigne in eos gerens. Nam postq; caput fuit coniunctum corpori (Tu es omniũ Dñs ò Christe Rex, qui glorificas eos qui te glorificãt) sensim quidem aperit oculos: eos autem intuetur amice & placide, loquentis speciem præ se ferens, & ostendens se eis bene velle, & probrorum quæ in eum ingesserant minime meminisse. Illi vero acerbe flentes & calidas lachrymas effundentes. Ne 6 memineris, dicebant, serue Iesu, nostrarum iniquitatum: neque probrorum quibus te diuinum & sacrosanctum caput stulte sumus insectati. Cum sic sibi sanctum placassent, & eius reliquias, corpus, inquam, & caput quingẽtis aureis emissent, & odoriferis 7 aromatibus & vnguentis vnxissent, & candidis linteis inuoluissent, & in honorifica capsa imposuissent, Romam reuersi sunt, sua nihil interesse arbitrantes ac-

6 vide quomodo sanctum marty. quasi viuentẽ & non mortuum alloquantur.

7 Ecce quomodo anti-

cipere alterius martyris reliquias, cum illum haberent qui iam erat sibi notus, & qui eos germane & sincere amplectitur, & dat eis fidele testimonium supernæ defensionis.

Interim autem dum isti domum proficiscebãtur, aduenit ad Aglaidem visio, nempe Angelus è cœlo dicens. Suscipe eum qui aliquando quidem fuit tuus famulus, nunc autem est frater noster & comminister. suscipe eũ qui prius quidem erat famulus, nunc autem est tuus Dñs, & eum pie honora. 8 Vt qui sit tuæ quidem seruator animę, custos autem vitæ. Illa autem surgens tremebunda, & ex ecclesiastico choro aliquos insignes assumens, & cum magno honore procedens obuiam corpori Martyris, id quidẽ suscipit, & valde honorifice deponit & magnifice, stadiis quinquaginta procul à Roma. sacram vero ei 9 ædem instruit, materia insignem & pulchritudine, & talem qualem omnino oportebat suscipere corpus talis animæ. vt non spiritus solus haberet æternum tabernaculum: sed illius quoque corpus frueretur domo cõueniente. in qua in hodiernum vsque diem fiunt multa admirabilia. & Dæmones quidem repente fugantur. morbi vero expelluntur nutibus qui non cadunt sub aspectum. Sunt autem nonnulli qui cum non sint sani animis, fide fiunt meliores.

Porro autem beata Aglais Martyre eius informante animam, cum omnes suas facultates distribuisset & diuisisset pauperibus, de cætero honeste vixit & è virtute, non solum temperantem & castam vitam amplectens, sed etiam 10 asperrimam eligens exercitationem aduersus pręcedentem nequitiam: vt etiam digna haberetur dono miraculorum: & Dæmones quos prius habebat ipsam supplantantes, expelleret ex hominibus. Monastica autem eius vita durauit quindecim annis. & cum pulchrum sic somnũ obdormiisset, adiecta est Martyri. Talis fuit Aglaidis finis & Bonifacij. Sic fuit quidem pulchra eorum mutatio, vt qui carnis quidem affectionibus humanitus seruierint: humanam vero superarunt naturã patiendo pro Christo, & aduersus vitia se viriliter & fortiter gerentes. Ad gloriam patris & filij & sancti spiritus, Quam decet honor & gloriatio nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

quitũs corpora sanctorum marty. condiebant. Vngunt. n. hi odoriferis aromatibus & unguentis, candidis inuoluunt linteis, & in honorifica capsa imponũt.

8 *Si honorare sanctorũ reliquias res esset Deo displicens, non haberet Aglais angelicam de cœlo uisionem simul & præceptum ut hoc faceret. Quid hic dicis heretice?*

9 *Aedem beata sancto ædificat, in qua fiunt multa admirabilia in testimonium sanctitatis Martyris.*

10 *Vide operis satisfactionem aduersus p̃cedentia delicta, sine qua modo adsit facultas, nõ potest esse uera pœnitentia.*

MARTYRIVM SACROSANCTI *Martyris Deiferi Ignatij Episcopi.*

Decemb. 20.

CVM Traianus sumpsisset sceptra Romanorũ imperij, erat Antiochenæ ecclesiæ Episcopus, & nomine & re Deifer Ignatius. Nam magno quidem Petro succedit Euodus. Euodo autem Ignatius, fitq; & morum eius & virtutis æmulator. Huic diuino Ignatio, cum esset adhuc plane puer, aiunt Christum adhuc versantem in mundo, ei intemeratas manus imposuisse: & ad populum intuentem, dixisse. Nisi Quis seipsum humiliauerit vt hic puellus, non intrabit in regnum cœlorũ. & qui vnum ex talibus pueris susceperit in nomine meo, me suscipit. qualisnã futurus esset ætate proficiens Ignatius hinc ostendens: & Apostolicam illius doctrinam aperte indicans.

Hic ergo diuinus Ignatius, simul cum Polycarpo qui smyrnensi pręerat ecclesiæ, fuit discipulus Ioannis Euangelistæ. & cum ad eum solum

ventitaſſet, & omnem virtutis ſpeciem & eam maxime quæ decet Sacerdotem, diligenter exercuiſſet, Sacerdos deinde eligitur communi ſententia omnium ſimul Apoſtolorum: & Antiochenus creatur Epiſcopus. Cum autem aſſumpſiſſet eccleſiam, & multo ſudore & labore in ea ſeminaſſet præconium pietatis, & zelum per omnia apoſtolicum & doctrinam oſtendiſſet. & extitiſſet perfectus miniſter Chriſti myſteriorum, fit quoque poſtea Martyr, beſtiis propter illum traditus, vt paulo altius repetens declarabit oratio.

Traiano enim Romanorum Imperatori, quam de Scythis habuerat elato victoria, & non ſuſtinenti ſuam hucuſque ſiſtere felicitatem, ſed volenti eam vlterius producere, & Romanorum imperio multos alios ſubiungere, aduerſus Chriſtianos ſeu aduerſus pietatem bellum ei viſum eſt optimum eſſe & expedire. Nã illo quidem modo putabat ſe ſoli prodeſſe reipublicæ: ſic autem etiam Deos ſuos colere. & eos inducere vt opem ferant aduerſus hoſtes. Grauem itaque ac difficilem perſecutionem infert aduerſus piam fidem: & proponit edicta per vniuerſam terram quæ eius parebat imperio, vt vel eſſent cum eo omnes impietatis participes, vel adhuc manentes Chriſtiani, afficerentur variis ſuppliciis & acerbis mortibus. Contigerat vt tũc Traianus verſaretur Antiochiæ, vt qui eſſet expeditionem ſuſcepturus contra Perſas: & bellum ibi pararet. Hic ergo ei de diuino ſignificatur Ignatio, q & religionem teneret Chriſtianam: & hominibus perſuaderet vt Chriſtum tanquam Deum honorarent. idque cum fuiſſet à Pilato cruce condemnatus & morte, vt docent eius acta: & fert legem de ſeruanda 1 virginitate, & de contemnendis diuitiis & delitiis, & aliis quę ſunt in vita iucunda. & quod eſt oĩum grauiſsimũ, q non oporteat putare eſſe Deos, & nullam Imperatorum ducere rationẽ.

1 Vides ſanctum virũ Apoſtolicum accuſari quod legem ferret de virginitate ſeruãdã, et contẽnendis diuitiis & delitiis? Ergo etiam tunc ſeruabatur virginitas, & voluntaria paupertas.

Hæc poſtquam audiuit Traianus, ſancto ſtatim accerſito, cum vna etiam edeſſet Senatus. Tu ne es, inquit, qui diceris Deifer, qui noſtra iuſſa ludificaris: & omnem euertis Antiochiam, & omnes ducis poſt Chriſtũ qui à te prędicatur, & nec ſolo quidem Deos dignaris nomine? Diuinus autem Ignatius, Ego ſum, inquit. Ille vero, Et quid ſibi vult, inquit, illud Deifer? Cui Martyr. Qui Chriſtũ, inquit, circunfert in anima. Imperator autem, Tu ergo, inquit, Chriſtum in teipſo circunfers? Certe, inquit. Scriptum eſt enim. Habitabo in eis & inambulabo. Quid vero nos, non videmur tibi Deorũ aſsidue meminiſſe, & eos ſemper in anima circunferre? eoſque inducere ad opem ferendam contra hoſtes: & per eos omnia facere quæ ſunt ex animi ſententia? Reſpondens aũt diuinus Ignatius. Hei mihi, inquit, ſimulachra gentiũ Deos nominas. Vnus enim Deus, inquit, verus, qui cœli & terrę & maris & omnium quę ſunt in ipſis eſt creator. Vnus Chriſtus Ieſus, Dei filius vnigenitus. cuius regni non eſt finis. Quem ſi tu agnoſceres ò Imperator, & purpura ipſa & diadema & thronus regius, firmiora eſſent & ſtabiliora.

θεοφόρος, Deum ferens.

Imperator vero. Hæc, inquit, mittamus. Tu autem ſi velis, inquit, ò Ignati, meæ potentiæ rem facere gratiſsimam, & de cętero referri in numerum meorum amicorum, hac mente mutata, Diis nobiſcum ſacrifica: & ſtatim, Sciant ipſi omnes, te magni Iouis conſtituam Pontificem, & patrem nominabo Senatus. Ad hæc diuinus Ignatius. Gratias quidem præbere ò Imperator, omnibus quidem eſt pulchrum: maxime autem

Impe-

Imperatoribus : quod poſsint ipſi amplius gratificari : ſed eas quæ ſunt omnino vtriſque vtiles & conducibiles:eas vero quæ poſſunt lædere & maxime animam, & vehementiorem ignis gehennam ei accendere, non is qui dat ſolum,ſed etiam qui petit, & ipſe miſerrimus. Admirabilis aũt ò Imperator, & munifica eſt tua promiſsio. Quid enim mea refert à te maximi Iouis conſtitui Pontificem, & vocari patrem Senatus,qui ſum Chriſti ſacerdos,& ei quotidie ſacrifico ſacrificium laudis,& iam totum meipſum properò immolare, & efficere complantatum eius mortis ſimilitudini? Imperator vero. Cuinam, inquit, feſtinas teipſum immolare, ei ne qui à Pontio Pilato in crucem fuit actus? Maxime,inquit,magnus Ignatius. ei qui pectatum crucifixit: & eius inuentorem deſtruxit Diabolum:& omnem eius potentiam per crucem aboleuit. Rurſus aũt Imperator. Videris,inquit,mihi ò Ignati, omnino recto carere iudicio & ſana mente. Non enim tam aperte fuiſſes deceptus ſcripturis Chriſtianorũ: ſed cognouiſſes omnino quãtum ſit bonum edictis parere Imperatoriis, & Diis ſacrificia offerre cum omnibus. Ad hæc ſanctus,vtens rurſus maiore dicendi libertate.Etiãſi beſtiis,inquit,conſumpſeris. etiamſi me cruce cõdemnaueris:etiamſi gladio & igni tradideris quę ſunt in tua poteſtate, nunquam ego patiar Dæmonibus offerre ſacrificium. neque enim metuo mortem: neque deſiderio præſentia, quæ eſt in poteſtate veſtra præbere fruenda,ſed ſola deſidero futura. & à me omne adhibere ſtudium vt tranſeam ad Chriſtum qui pro me eſt mortuus.

Propter quæ volens ſenatus Martyrem arguere ignorantiæ. Quid autem tu quoq;,dixerũt,confiteris Deum eſſe mortuum? Quõ vero qui ſubiit mortem eamq; execrandam, poterit prodeſſe aliis? Dij autem & ſunt immortales & dicuntur à nobis. Cùm ex hoc occaſionem diuinus accepiſſet Ignatius, ſimul & irridendi illorum Deos, & eis aperiendi ianuam myſterij ſuſceptæ carnis diſpenſationis, & ſic deducendi ad fidem Chriſti cognitionis, ſic verba habuit. Meus Dominus & Deus Ieſus Chriſtus, primum quidem propter nos homo factus eſt & propter noſtram ſalutem. crucemq; & mortem & ſepulturam ſua ſponte accepit. Cæterum rurſus tertio die reſurrexit, inimici deiecta & proſtrata potentia: & aſcendit in cœlos vnde venerat, nos ſimul à lapſu peccati faciens reſurgere:& rurſus,introducens in paradiſum,ex quo malè fueramus eiecti:& nos donauit bonis maioribus q̃ erant ea quæ præceſſerant. Quòd autem ex iis qui à vobis cẽſentur Dij,vllus tale quid fecerit,nullus omnino aſſeruerit. Nam cum iſti fuiſſent homines malefici & exitioſi, & multa feciſſent ad damnum & exitium noſtræ vitæ & ſtatus, paruam autem Deorum opinionem & ſpeciem,hominibus qui ſunt à rõne paulo alieniores, citra vllam rationem præbuiſſent, contractis poſtea velis deceptionis & ſcena ablata, deprehenſi ſunt id quod erant. vt qui turpiter è vita exceſſerint,& morti immortali traditi ſunt propter multorum interitum. Iupiter quidem certe qui eſt vobis primus & maximus Deorum, in Creta eſt ſepultus. Æſculapius vero fulmine eſt percuſſus. Sepulchrum Veneris oſtenditur in Papho. & Hercules fuit ab igne conſumptus. Nam cum talis ſint imo verò longe deteriores, ea eis obtigerunt quæ merentur.

Cùm hæc dicta fuiſſent ab Ignatio, Imperator ſimul cum Senatu, ti-

mens ne si esset eius sermo prolixior, res quidem gentilium labefactarent, & vel non crederentur, vel haberentur ludibrio. & vera quidem floreret regio: & tolleretur nubes erroris quæ ei offundit tenebras, eum quidem coniicit in vincula & in tutissima collocat custodia. Ipse aũt cum tota nocte apud se cogitasset quonammodo eum vlcisceretur pro meritis: & quonãmodo è præsenti eum vita subduceret, statuit eum feris tradere deuorandum: vt dilaniatus ab eis sanctus interiret. Visus est enim Imperatori hic mortis modus longe grauissimus. Cum hanc rem ergo Senatui mane communicasset, ipsi quoq; eius laudarunt sententiam. sed consuluerunt ne hæc bestiis obiectio fieret Antiochiæ: ne, aiebant, sic magis desideratum & gloriosum apud suos ciues reddamus Ignatium, martyrico fine è vita excedentem. Quãobrem dicebant oportere eum Romam abduci vinctum, & illic tradi bestiis. Sic enim & ꝓlixitate itineris grauius subibit supplicium. & simul Romanis quisnã sit ignorantibus, videbitur esse peremptus tanq̃ vnus ex maleficis: & nec minima quidem erit eius apud illos memoria. Cũ hoc ergo placuisset & in ipsum lata fuisset protinus sententia, Imperator eum rursus producit è custodia, hoc eius postremum faciens periculum. Et primum quidem multis bonorum promissis crebro sanctum deliniebat ac demulcebat: Deinde etiam rursus minis magis territans. Postquam aũt eum vidit nec cedere promissis, neq; minas formidare, desperans omnino fore vt mutaretur, ad effectum deduxit ea quæ decreta fuerant: & cum iussisset prioribus grauiora ei imponi vincula, tradit eum cohorti militari: & mittit Romam, iubens, cum aduenisset ciuibus dies festus quo totus cõgregatur populus, eum tradi bestiis ad cõem theatri delectationem, vt conuenienter ei quod dicit D. Paulus, ipse quoq; fieret spectaculum mundo Angelis & hominibus.

Martyr ergo cum vltimam illam accepisset sententiam: & Deo magno clamore, vt cõsentaneum erat, egisset gratias, cum magna voluptate & lætitia sibi imponit vincula. Et Imperator quidem egreditur contra Persas cum suo exercitu. Diuinus autem Ignatius cum ecclesiæ prius bene esset precatus, & gregem suum Deo commendasset cum lachrymis, vinctus sequebatur milites. Deinde cum Seleuciam non cunctans: non flens: non se aliquid graue omnino pati præ se ferẽs, sed alacribus venisset pedibus, à militibus in nauem immittitur: & cum eis appellit smyrnam. Hic salutat Polycarpum diuinum Apost. quem smyrnensi præfuisse ecclesiæ, cum Ignatij fuisset condiscipulus, superius diximus. Eum ergo salutat, glorians & magnifice sibi placens lætusq; de vinculis. Quid enim ei poterat esse maiori ornamento, q̃ aspici pati pro Domino qui eum sic dilexerat? Deinde cum etiam reliquis Epis & Presby. & Diaconis reddidisset eas quas par erat salutationes, qm̃ multi concurrebant ex ecclesiis Asię & ciuitatibus ad vidẽdum illud spectaculum, & vt pulchro fruerentur fluento quod fluebat ex illius lingua, ipse ea quæ par erat suadens, rogabat omnes vt pro ipso orarent. vt per feras cito resolueretur ad eum quem desiderabat, & appareret ante illius faciem. Cũm videret autem eos valde perturbatos & quodãmodo pendentes ab illius anima, & non ferendum damnum existimantes separationem eius & mortem, de iis qui sunt Romæ timens ne ipsi quoque similiter affecti non sustinerent eum videre tradi bestiis; sed manus eis afferrent quibus mandatum erat

vt eum traderent, & ei clauderent apertam ianuam martyrij, statuit ad eos mittere vt ij quoque pro eo orarent ne cursus suæ exercitationis ei impediretur: sed perferas, sicut dictum est, cito resolueretur ad dilectum Dominum. Operæpretium est autem illius quoque meminisse epistolæ quę sic habet ad verbum.

Ignatius qui & Deifer, Episcopus sanctæ Dei ecclesiæ quæ est Antiochiæ, ecclesiæ quæ misericordiam est consecuta in maiestate patris altissimi & Iesu Christi solius eius filij, dilectæ & illuminatæ, in voluntate eius qui voluit omnia, quæ sunt secundum charitatem Iesu Christi Dei nostri. quæ etiam præsidet in loco regionis Romanorum. quam saluto in nomine Iesu Christi secundum carnem & spiritum vnitam omni eius mandato: impletam gratia Dei ad lætandum in Christo Iesu Deo. Cũ Deum precatus, obtinuerim vt viderem spectabiles vestros vultus, vinctus in Christo Iesu spero me vos salutaturum. si Dei fuerit voluntas vt dignus habear qui sic sim vsque ad finem. Meã enim rite succedit votũ, si gratiam fuero consecutus, vt sortem meam accipiam sine impedimẽto. Timeo enim vestram charitatem, ne ea me afficiat iniuria. Vobis enim facile est facere quod vultis. Mihi autem difficile est Deum assequi si vos mihi peperceritis. Non enim volo vos hominibus placere sed Deo, sicut etiam placetis. Non enim ego vnquam habebo aliud tempus Deum assequendi, neque vos. Si silueritis à me, ego Dei efficiar. Sin vero carnem meam amaueritis, rursus ero currens. Potius autem mihi prębete vt Deo immoler. est enim ara parata. vt effecti chorus in charitate, canatis patri in Christo Iesu ꝙ Ep̃m Syriæ dignatus sit Dñs vt inueniretur in occidente, eum accersens ab oriente. Pulchrum est à mundo occidere ad Deũ, vt ad ipsum exoriamur. Nulli vnquam inuidistis. alios docuistis. Ego autem volo illa quoque esse firma ac stabilia quæ vobis mandata didicistis. Solum rogate vt dentur mihi vires à Domino. vt non solum dicar Christianus, sed etiam inueniar & dici possim. & tũc videbor esse fidelis qñ mundo non apparebo. Nihil enim quod apparet, est ęternum. Quæ.n. cernuntur, sunt ad tempus: quæ autem non videntur, ęterna.

Ego scribo ecclesiis, & mando omnibus, ꝙ ego lubens pro Christo morior, si vos non prohibueritis. Rogo vos ne sit intempestiua vestra in me beneuolentia. sinite me deuorari à feris, per quas licet Deum consequi. Sum Dei frumentum: & molor per dentes ferarum, vt Christi inueniar mundus panis. Feris potius blãdimini, vt fiant mihi sepulchrum, & nihil relinquant mei corporis. ne sopitus fiam grauis. Tunc ero verus Christi discipulus, qñ nec corpus quidem meum adhuc videbit mundus. Pro me Christo supplicate, vt per hæc instrumenta munda inueniar hostia. Non sicut Petrus & Paulus vobis præcipio. Illi Apostoli. ego condemnatus illi liberi: ego autem seruus vsque in hodiernum diem. sed si volueritis, ego libertus Iesu Christi: & exurgam in ipso liber. Nunc disco vinctus nihil mundanum cupere aut inane. à Syria vsque ad Romam ipsam pugnãs cum bestiis. à terra & mari noctu & diu vinctus decem leopardis. qui sunt cohors militaris. qui etiam si beneficio afficiantur, fiunt deteriores. In eorum vero iniuriis magis disco. Profuerint feræ mihi paratæ: & opto vt eæ mihi paratæ inueniantur. quibus etiam blandiar vt me protinus deuorent, non sicut quosdam timore affectæ non tetigerunt. Quòd

si eę etiam inuitæ noluerint, at ego transibo. ignoscite mihi: scio quid mea intersit. Nunc incipio esse Discipulus vt Iesum Christũ assequar. Ignis & crux, bestiarũ irruptiones. dissectiones diuisiones. ossium dispersiones. amputatio membrorum. trituræ totius corporis, & Diabolo tormenta super me veniant, dũmodo Iesum Christum assequar. Nihil mihi proderunt mundi iucũditates, neque regna huius seculi. Melius est mihi mori in Christo Iesu quam regnum obtinere vsque ad fines terræ. Quid enim prodest homini si totum mundum lucretur, & suæ animæ patiatur detrimentum? Illum quæro qui pro nobis est mortuus.

Ignoscite mihi fratres. ne sitis mihi impedimento quo minus viuam: neque me velitis mori. Sinite me puram lucem accipere. Cùm illuc enim venero, ero homo Dei. Permittite mihi vt sim imitator passionis Christi. Si quis ipsum in seipso habet, intelligat quod volo. & mei moueatur cõmiseratione, cũ sciat quæ me constringant. Princeps huius seculi me vult diripere & corrumpere meam in Deum sententiam. Nemo ergo ex iis qui adsunt ei opem ferat. Estote mei potius, hoc est Dei. Ne loquamini Christum Iesum: mundum vero desideratis. Ne habitet inter vos inuidia. Nec si ego quidem præsens vos rogem, parete mihi. iis autem parete potius quæ ego ad vos scribo. Ex iis enim quæ scribo ad vos, mori cupio. Meus amor est cruci affixus: & non est in me ignis amans mundanę materiæ. aqua autem potius viua & in me loquens, quæ intus mihi dicit, Veni ad patrem. Non delector nutrimento corruptionis: neque voluptatibus huius vitæ. Panem Dei volo, panem cœlestem, panem vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei, qui postea natus est ex semine Dauid & Abraam. & potum Dei volo, eius sanguinem, qui est charitas in quam non cadit interitus & vita perennis. Non amplius volo viuere sicut homines. hoc autem erit si vos volueritis. Velitis ergo, vt vos quoq; Deus velit. Breuibus litteris peto à vobis: mihi credite. Iesus vero Christus vobis aperiet qui est os non mendax, ꝙ vera dico petendo vt consequar. Non secundum carnem ad vos scribo, sed secundum Dei sententiam. Si passus fuero, mementote in oratione vestra ecclesiæ Syriæ, quæ pro me, Pastore Deo vtitur. Solus ipsam Iesus Christus visitabit eiusq; curam geret & vestra charitas. Salutat vos meus spiritus, & charitas ecclesiarũ quæ me susceperunt in nomine Iesu Christi, non tanq̃ transeuntẽ. Etenim quæ ad me non attinebant in via quæ est secundum carnem, me deduxerunt in ciuitatem. Scribo autem hæc ad vos è Smyrna per Ephesios qui digni sunt qui beati iudicentur. Est vero mecum cũ multis aliis Crocus quoque, nomen desiderabile eorum qui mecum conuenerunt è Syria ad gloriam Dei. Hæc ad vos scripsi nono Cal. Septemb. Valete perpetuo fratres in tolerantia Iesu Christi. Amen.

Sed est hæc quidem epistola. Ipse autem paulopòst è Smyrna deductus à militibus. & cũ appulisset Troadem & Neapolim, transiit pedes per Philippos & Macedoniam, eas quæ sunt in via inuisens ecclesias: & in eis docens: exhortans: disserens: fratres qui erant paulo simpliciores & imbecilliores cõfirmans. & efficiens vt omnes vigilarent & essent sobrij. Cũ vero transiisset Epirum & mare transmisisset Adriaticum & Tyrrhenum, appellit Puteolos. Hospitio autem exceptus simul cum militibus ab iis qui illic erant fidelibus, cũ eos quoq; valere iussisset in Dño,

venit

venit Romam & sistitur ante præfectum vrbis. Cũ is ergo Deiferum vidisset Ignatium & litteras accepisset imperatorias. dies autem aduenisset opportunus qñ erat dies festus & celebris Romanorum, ducit eum in medium theatrum, sicut iubebat improbum edictum Imperatoris. Cũ ergo vniuersa ciuitas sederet in theatro, cum ardenti spiritu & oculis iam spectaculum amantibus, vtpote ꝙ iam fama vbique annunciasset Syriæ Epm cum feris esse pugnaturum, conuersus ille ad populum cum quodam generoso & inflexibili animo, vt qui gloriaretur & sibi placeret propter eam quæ pro Christo suscipi cernebatur ignominiam, Viri, inquit, Romani, & præsentis huius certaminis spectatores. Non hęc mihi fiunt vt luam pœnas alicuius maleficij aut sceleratæ alicuius actionis, sed vt Deum assequar: cuius quidem teneor desiderio & quem cupio insatiabiliter. Sum enim eius frumentum, & molor per dentes bestiarum: vt fiam ei purus panis. Hæc dixit, & dimissi leones eum statim dilacerarunt & deuorarunt, a solis asperioribus illius ossibus abstinentes, ei re uera impletis votis, vt bestiæ essent eius sepulchrum, & nihil reliquum esset eius corporis. vtpote ꝙ Deus pluris faceret famuli preces & amorẽ ferre vsque ad finem, q̃ efficere vt non tangeretur a leonibus, vt suo nomini tribueret gloriam.

Postquam autem hæc euenerunt & finem acceperunt, qui Romæ erãt fideles, ad quos adhuc viuens diuinus scripserat Ignatius, postquam dimissum fuerat theatrum conuenientes, cum ossa id cupientibus manibus sustulissent & ea honorifice ac reuerenter composuissent, ea deposuerunt in loco insigni extra vrbem, vicesimo mensis Decẽb. Hæc postea deportata sunt in patriam Martyris Antiochiam: & quæ intercedunt ciuitates duplicem accepere 2 benedictionem, & prius qñ Martyr vinctus ducebatur Romam ex Antiochia. & nunc quando cum præclaris trophæis illinc referabatur, tanq̃ apes fauum illum circũuolantes. Atque dicitur quidem ꝙ post martyricam eius consummationem, lugentibus illius priuationem iis qui Romæ erant fideles, & nullam accipientibus doloris consolationem, & vacantibus sepulchralibus 3 hymnis & vigiliis, ipse in somnis apparens & eos quasi amplectens, qui. s. se ipsos prębuerunt dignos illius consuetudine, luctum eis effecit facilem & leniorem, & doloris sedauit vehementiam. Alij rursus dixerunt se vidisse eum sudore diffluentem, tanq̃ qui nuper respirasset a laboribus decertationis: & precantem salutem ciuitati & omnibus fidelibus.

2 *Ecce quomodo ex ossibus sancti Martyris ciuitates benedictionem accipiunt.*

3 *Nota uacantibus sepulchralibus hymnis & uigiliis.*

Hic quidem fuit exitus Deiferi Ignatij: hæc sunt certamina: hi sunt insani eius amores in Christum. Ei fert testimoniũ Irenæus Lugdunensis Episcopus vir magni faciendus, qui diuini Ignatij crebro meminit. Quin etiam Polycarpus qui Smyrnensi præerat ecclesiæ, qui cũ eo ventitabat ad Ioannem Euang. & Theologum: & cũ captiuus Romam duceretur Antiochia, eum sicut diximus salutauit, hæc alicubi scribens in suis epistolis. Rogo vos fratres vt obediatis, & omnem exercitatis tolerantiã, „ quam vidistis oculis, non solum in beatis Ignatio Ruffino & Zosimo, „ sed etiam in multis aliis ex vobis, & in ipso Paulo & iis qui cũ ipso cre- „ diderunt. ꝙ ij omnes non in vanum cucurrerunt, neque in vanum laborauerunt: sed in fide & iustitia quæ est in Christo Iesu. Quamobrem sunt etiam in loco qui eis debetur a Domino, cum quo passi sunt. Non enim

præsens seculum dilexerunt, sed Christum qui pro nobis mortuus est & resurrexit. Sic ergo [illegible]erat D. Ignatius in sacris illorum animis. & cum desiderasset bestiarum ventres sibi sepulchrum efficere, in piorum virorũ magis habitat animis.

Imperator autem Traianus cum de diuino hoc Ignatio postea didicisset, & q̃ fortiter peregisset hoc certamen martyrij, & q vt ipse tulerat sententiam, à bestiis fuisset deuoratus, & multa etiam audiuisset de Christianis qui erant in regione, q. s. nihil præter leges facerent, neque rem vllã agerent impiam: sed diluculo surgentes & Christum adorarent tanq̃ Dei
4 filium: & 4 omnem exercerent abstinentiam in cibo & in potu: & nihil
Christiani usque à principio omnem abstinentiam exercebant in cibo et potu. tangerent ex iis quæ lex prohibet. Cũ ille, inquam, hæc audiuisset, & ductus est pœnitentia eorum quæ facta fuerant, & dicitur tale decretum proposuisse, vt gens quidem Christianorũ exquireretur & omnibus esset cognita: inuenti autem non interficerentur: sed neque magistratus gererẽt, neque susciperent vllam reipublicæ administrationem. Sic non vita solũ Ignatij, sed iam mors etiam fuit multorum bonorum conciliatrix, gloriatio fidei quæ est in Christo: augmentum pietatis: adhortatio ad eos qui sunt ex Deo labores, & contemptio eius vitæ quæ est ad tempus: & cõtinentia ab iis quæ sunt noxia: & studium vitæ puritatis. Gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri gloria & sancto & viuifico spiritui nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTÆ *Martyris Iulianæ.*

Decemb. 21. ETIAM ciuitatem pulcherrima, Nicomedia, inquam, cum qui impie imperauit Maximianus lubenter in ea degeret, erat dedita cultui idolorum. Ex ea ergo vir quidam ducens originem, nomine Eleusius, qui erat vnus ex senatu, & amicus quidem Imperatori, amicus autem Dæmonibus, despondet puellam specie formosam, genere claram, moribus probam & laudabilem, temperantiam sibi maxime vendicantem, & scientem eam esse suũ ornamentum, & quod est omnium maximum & perfectissimũ, in Christum magnam pietatem possidentem, etsi ex parentibus ad hoc non bonã haberet occasionem. Nam ei quidem erat pater, æque & amicus gentilibus, & Christianis inimicus inexpugnabilis. Mater vero erat in cõfinio vtriusque, nempe & gentilium erroris simul & pietatis, & neutri tribuẽs plusq̃ alteri. Sed non sic honestissima Iuliana, hoc enim erat nomen puellæ. sed videns terram, cœlum, aërem, mare, ignem, quærebat eum qui ea est fabricatus: & per ipsa quisnam esset valde prudenter didicit, sapientem
,, Paulum habens magistrum. Inuisibilia n. eius, inquit, à creatura mundi
,, operibus intellecto conspiciuntur. Propterea ergo, dicebat, vnus est Deus verus: et eum oportet adorare. Alios aũt nunq̃ Deos dixerit Iuliana, neq; cultum & honorem eis tanq̃ Deis tribuerit. Hæc dicebat, & verbis con-
1 uenientia efficiebat opera. Atq; ab aliis quidem curis abstinebat: his vero
Nota sanctæ puellæ exercitia christiana. tribus suam vitam dispertiebat, orationi, 1 & tẽplis Dei, & lectioni sacrarum scripturarũ. & sic totum transegit tẽpus quod fuit inter sponsalia.

Cũ autem Eleusius vrgeret & properaret ad nuptias, hæc sapiens, & quæ acrem illum amatorem potens erat depellere, ad eum mittens, Noli, inquit, te parare ad nuptias, sciens fore vt me non sis aliter dicturus, nisi prius præfecti munus acceperis ab Imperatore. Hæc dicens, aperte osten debat se talem habere scopum, vt si ille quidem non pareret, aut forte etiã non posset, hæc non imbecilla ei esset occasio ad repellendas Eleusij nuptias. Sinautem eum ad hoc haberet morem gerentem & qui id assequi posset, secundo aliquid ei imperaret, cui si paruisset & id fecisset, & illam in seipsum erat lucraturus. Sin vero non paruisset & hæsitasset, & se primum, deinde eius quoq; perderet nuptias. Quòd autem talis esset eius scopus, mox ostendet oratio. Nam ille quidem, qm̃ captus erat summo eius amore, cũ omnem nouisset lapidem, & plurima pecunia emisset magistratum, mittit ad puellam, significans & se ei sponsum euasisse clariorẽ: & iam postulans nuptians. Illa vero, necessario enim aperit quod animo agitabat, Dicite, ait, iis qui missi fuerant ab Eleusio. Hæc quidem recte se habent. Tu autem nisi meum Deum adoraueris, et quem ego colo Dñm, tu quoq; tuum esse fueris confessus, quære aliam quæ tecum habitet. Hoc enim est vel solum Iulianæ fundamentum. & qui non eadem quæ ego opinatur, vadat ad aliam. Atq; illi quidem renunciarunt. ille verò fuit ira commotus. & cum patrem eius accersiuisset, omnia narrauit, & verbis quoque adiunxit minas.

Cũ autem hęc ille audiisset, qui erat ipse quoq; deditus gentilium falsę religioni, non minori q̃ ipse furore percitus, & rem resciuisset non solum pręter spem, sed etiam pręter opinionem, dolore quidem afficitur vt pater, irascitur vero propter nouam religionem. & statim cũ domum venisset, primum quidem nihil asperum nec acerbum dicit virgini, dubitans ne sic magis eam incitaret ad constantiam. sed iucunde potius & paterne, Dic mihi, inquit, filia carissima, & grata lux meorum oculorum, quanam de causa ęgre fers nuptias, & repellis Præfectum? Illa verò veluti in auribus quodam percussa stimulo. Desine, inquit, pater, iuro enim meam spẽ, Dominum meum Christum, si non prius fuerit meæ opinionis, neq; erit mearum nuptiarum particeps. Quid enim fuerit hoc aliud q̃ corpore omnino coniunctos, esse hostes animis? Non tolerabilis ira patrem inuadit, &, Desipis'ne, inquit, & amas tormenta? Tormenta dixi. Per maximos Deos Apollinem & Dianam, feris & canibus tuum corpus obiiciã deuorandum. Martyr verò, Quid cunctaris, inquit, veniant canes, veniat feræ, atque adeò multæ mortes, si fieri posit, pro vna. Lætabor. n. sæpe pro Christo moriens, & accipiens multas remunerationes. Rursus autem ille callidus generosam virginem varie inuadens. terrorem statim relinquit & asperitatem, & ad primam viam reuertitur, cũ & paternum desiderium & hinc religio ex ęquo eum distraherent, & vt se in omnem partem verteret efficerent. Et ideo persuasione & blanditiis eam rursus studebat inducere.

Cũ autem illa quidem minime cederet, ille verò pergeret esse molestus, martyr aliquid aliud loquitur quod plenum erat fiducia & loquendi libertate. Nunquid tu quoq; eris, dicens? tuis Diis similis, aures quidem habens, minime autem audiens? Non hæc tibi dicens paulo ante, iusiurandum quoq; intuli, nihil mihi rei fore cum Eleusio, si nõ prius ei persua-

sum fuerit vt Christum adoret? Postq̃ eam pater audiuit, sic dicentem, eam tradit in custodiam. Deinde cum eam noctu rursus accersiuisset, faciebat periculum num tempus aliquid detraxisset de eius constantia. Postquam vero rursus exclamauit generosa, Non sacrificabo idolis, non adorabo sculptilia. Christum solum adoro. Christum colo: vbi vidit apud eam nihil efficere blanditias & minas, accessit ad periclitandum ea quæ sunt grauia. & cum plagas inflixisset, non quas paterna dimensa est misericordia, sed quas tumenti animo largiebatur. Deinde eam tradit sponso, vt ea vteretur vt volet.

Cũ ergo contempto sponso contemnentem sponsam liceret iudicare, vt qui talem suscepisset magistratum, ipse quidem primo estuabat animo & stridebat dentibus. Postquam autem ea fuit introducta ad tribunal, & formæ pulchritudine omnium in se conuertit oculos, illius quoq; ira eius specie obtũditur: & iram mitigauit cupiditas. & tanq̃ qui meditatus esset dicere omniũ iucundissima & mollissima, Crede mihi, dicebat, ô mulierum suauissima. & cum meas elegeris nuptias, liberare ab acerbis tormentis. Quòd si etiam nolis Diis sacrificare, nos tibi nullam vim afferemus. tu solũ mihi annue nuptias. Ad hæc Martyr Christi, Neq; vlla nos, inquit, oratio, neque tormentum, non ipsa denique mors persuaserit tibi prius coniungi, q̃ tu factus fueris mei Christi partium, & consummatus fueris eius diuino baptismate. Sed hoc quoq; faceremus, ô charissima, inquit Præfectus, nisi graue ab Imperatore nobis immineret periculum. Si enim tale quid veniat ad notitiam Imperatoris, non solum honore, sed cum ipso vita quoq; priuabit. Deinde tu quidem, inquit illa virgo præclara, hunc mortalem, & qui est ad tempus, Regem, & qui est dominus tantum corporis, non etiam animę, times, ego autem immortalem & Dominum omnium Regum, & qui omni spiritui & animæ dominatur, nihilifaciam? & matrimonio coniungar cũ iis qui ipsum afficiunt iniuria? An non tibi esse videtur iniuria si quis è tuis seruis accedens, amicitiam inierit cum tuis hostibus, & cum eis inierit matrimonia? Ne ergo fallaris, neque vtaris ambagibus, arbitrans fore vt tu me persuadeas. Sed si velis quidem, ipse quoq; ad Deum meum accede Sin minus at tu me interfice. manda igni. cæde flagellis. trade bestiis. vtere quomodocũq; volueris. Tu enim es mihi abominandus. & tuum matrimonium est societas cum inferis & sepulchrum positum in oculis.

Hæc cum audiisset Præfectus, & igni ignem addidisset, ignis iræ, igni amoris, totus ignis apparebat, & furore agitabatur. Talis enim est amor si fuerit contemptui habitus. Et propterea graue tormentum intulit egregiæ illi virgini. Id vero erat eiusmodi, vt à quatuor loris extensa, aridis quidem neruis, viridibus autem viminibus ipsa diu à multis verberaretur. Vbi autem defessi quidem erant illi qui verberabant: ei vero punitio erat potius confirmatio eorum quæ dixerat, vt quæ nihil omnino ostenderet muliebre nec illiberale, iubens lictores cessare præfectus, Sed hæc, quidem, inquit, ô Iuliana, sunt initia & procemia tormentorum. Tu autem ex his de aliis quoq; capiens coniecturam, accede magnæ Dianæ sacrificatura. Sin minus, postq̃ passa fueris, scies omnino te de rebus tuis non bonum cepisse consilium. Illa vero ægreferens q̃ putaret se posse ei persuadere. Fac, inquit, ô tu plane stulte & amens. Nam me habebis magis paratam

pati

pati q̃ tu ſis paratus facere. Cum ſic dixiſſet, acerbioris orationis pœnas luit grauiſsimas, ſuſpẽſa quidem capillis capitis, magna autem diei parte pendens. adeò vt propter violentam extenſionem auulſa quidem ſit pellis à capite, vultus vero ſit valde perturbatus, & ſuper frontem tracta fuerint ſupercilia. Præfectus ergo etiam poſt ſupplicium verba rurſus adhibuit, ei ſpem præbente amore, & vt id quod valde vellet expectaret perſuadente.

Poſtquam autem ille multa dicens viſus eſt inaniter canere, & ad cor quidem nihil dicere, foris autem ſolum aures implere, moleſtia rurſus affectus eſt impius: & rurſus conſequenter præclaræ martyri adhibita ſunt tormenta. Iuſsit.n. laminas ferreas valde candentes imponi eius axillis & lateribus. Deinde lateribus quoque alligari, manus, & aliquod aliud ferrum tranſadigi per meda eius fœmora & ſic colligatam vel potius confixam, abduci in carcerem. Illa vero cum & tam acerbum pertuliſſet ſupplicium, & abducta eſſe in carcerem, humi iaces, Domine Deus meus omnipotens, clamabat. qui es inuictus in potentia, qui fortis in operibus, aufer à me has afflictiones, & ab iis qui me circundant libera doloribus. vt Danielem à leonibus. vt res pueros & Theclam ab igne & beſtiis. Pater meus & mater mea dereliquerunt me. Tu autem Domine ne receſſeris à me. ſed quomodo olim quoque fugientem Iſraelem per mare conſeruaſti: mari vero inimicos eorum obruiſti: ita nunc quoque me ſerua. Eum autem qui aduerſus me bellum gerit confringe Rex inuicte, & per eum, aduerſarium, & qui nos conatur ſupplantare, Satanam.

Cum preces adhuc eſſent in labris, ad eam accedit qui ſub aſpectum non cadit omnium hoſtis & inimicus, ſimulans ſe eſſe Angelum Dei. Grauia, dicens, ò Iuliana, & valde grauia & plane intolerabilia aduerſus te præfectus parauit ſupplicia. Tu autem ſolummodo cum te eduxerint è cuſtodia, accurre & ſtatim ſacrifica. Neque enim ſuſtinebis ſuppliciorũ nimiam acerbitatem. Illa autem, Et quiſnam tu es, rogauit. Malignus vero, Sum, inquit, Dei angelus. & q̃m is magnã tui ducit rationem, mittit me ad te, magnifaciens vt tu pareas, & non corpus tuũ multis tormentis intereat. Ignoſcet enim tibi ſi parueris, cum ſit benignus, propter multam carnis imbecillitatem. Perturbatione & terrore Martyr propter hæc fuit plena. Nam eius qui apparebat videbatur quidem forma Angeli. conſilium autẽ aperte inimici. Cùm ergo valde & miſerabiliter ingemuiſſet, & lachrymis impleſſet oculos. Dñe mi, inquit, omniũ quæ ſunt effector. quem ſolum quidem laudant virtutes cœleſtium, horret vero aëreorum multitudo Dæmonum. ne me deſpexeris quæ propter te ſum paſſa. nec mihi prætextu ſalutis, malignus amarum aliquod temperet poculum. ſed oſtende mihi quiſnam ſit qui hæc dicit, & qui ſe fingit tuum eſſe famulũ. Dixit, & ſtatim exaudiit is qui inuocabatur. & vox extitit cœlitus. Confide Iuliana ego enim ſum tecum. Eum autem apprehende. Do enim tibi aduerſus eum vires, & ex eo diſce quiſnam ſit.

Sic preces vox quidem eſt conſecuta. vocem vero miraculum. Statim enim ſoluta quidem ſunt vincula. cecidit autem ferrum à fœmoribus. Illa vero humo ſtatim exurgit, & fit ſui iuris. & cum ſic ſoluta eſſent illius vincula, vinctus videbatur is qui apparuerat. Quem cũ Martyr ſtrenue tanquam ſeruum comprehendiſſet qui grauia perpetrauerat, duxit ad

examinationem, dicens, Quisnam, es & vnde & à quo missus? Illum autem, validum enim, quod sub aspectum nō cadebat, vrgebat flagellū, coëgit verum dicere, cum esset omnino amicus mendacij. & omnia simul recenset, eum qui miserat, q. s. esset Satanas. se qui missus fuerat, nempe q esset primus ex eius Dæmonibus, causam, q per ipsam malignus magnum vulnus acceperat. Preterea q ipse esset ille ipse qui Euæ olim perniciosum dedit consilium, & ad fratris cædem Cain incitauit, & qui induxit parricidium. qui suggessit Nabuchodonosori vt excitaret statuam. Herodi puerorum occisionem. Iudæ proditionem & deinde laqueum. Ego, inquit, etiam lapidationem moui aduersus Stephanum. aduersus Petrum autem & Paulum. illius quidem capite demisso in terram crucifixionem. huius verò ense interemptionem. Postremo ego sum qui persuasi Hebreis vt essent cultores idolorum: Solomonem autem sapientem infatuaui & effeci nefariorum amorum ludibrium.

Hæc postquam audiuit Iuliana, aliud quoque fecit admirabile. Alia vincula & plagas imposuit Dæmoni. Omnino autem is etiã qui absque his, ineuitabilibus illum constrinxit vinculis, & effecit vt teneretur manibus, non est incredibile eum procurasse vt vinculis rursus ligaretur à sancta, & sentiret plagas. Atque ille quidem admirabiliter grauem dolorem sentiebat, & rogabat vt solueretur à vinculis, & relaxaretur à plagis. Qm̄ vero non soluebatur, deflebat calamitatē, Hei mihi, dicens, Quid de me fiet? Quo fugiam? Multos quidem decepi. multis autem intuli afflictiones. & multorum fui causa malorum. carcerum publicationum. plagarum. conflagrationum exiliorum, & postremo mortis acerbæ. Sed nullus eorum me omnino superauit. Hæc vero tanquam mācipio etiam vincula imposuit, & plagas incussit, & me detinet. Sed ò pater & princeps, noster, qūo non cognouisti id quod erat euenturum? Qūo misisti? Quomodo ignorasti hoc malum inexpugnabile, quod 2 virginitate nihil sit excelsius & martyris precibus nihil fortius?

2 *Vide verissimum dictum & si p os men daciis Dæmonis. Virginitate nil excelsius, & Martyris precibus nihil fortius.*

Cum vero is sic examinaretur, misit Præfectus qui Iulianam educeret è carcere, si modo ea viueret. Illa ergo ducebatur. malus autem Dæmon ab ea tractus sequebatur. Martyr vero stetit ante Præfectum, primam seruans pulchritudinem: & perinde acsi nihil mali sustinuisset, neque in obscuro carcere inclusa fuisset, sed perinde acsi fuisset in thalamo, & bene & laute curata fuisset & accepta. Dixit autem Præfectus, Dic mihi, inquit, Iuliana, Qñ & à quo has didicisti præstigias: & quanam arte ita contempsisti tormenta vt nullum serues eorum vestigium? Ars quidē, inquit, ò Præfecte nulla est. sed diuina quadam & ineffabili potentia, quę non solum te sed patrem quoque tuum Satanam pudore affecit, me vero ambobus effecit potētiorem, nempe & tuo furore & improba illius arte, sic hic quidem Christus vestras vires eneruauit, illic autem tibi & tuo patri & vestris asseclis ignem parauit terribilem, & tetrum tartarum, & tenebras & vermen. & quæ nec mente potest aliquis comprehendere, nec persequi oratione.

Cum ignem audiisset Præfectus, ignem contra ipsam parauit, qui est ad tempus. s. & extinguitur. Accedit itaque fornacem lignis & sarmentis, & qualibet materia quæ facile potest vri & igne consumi. Vbi autem vehementer arsit, præclara virginem in eum iniiciūt. Illa vero ad Deum

intuebatur, & lachrymas emittebat ex oculis. & hæ paruę guttæ fluuios imitatę ignem extinxerunt. Maximo itaque sunt obstupefacti miraculo, totus populus Nicomediensium, & viri numero circiter quingenti, vna voce & mente, exclamauerunt. Vnus est Deus, Vnus, inquam, Deus qui est Deus Martyris Iulianæ. ipsum nos quoque colimus, & gentilium cultui renunciamus. Veniat ensis, veniat ignis, veniat quæuis alia mors & cuiuscunq; generis. Atque eos quidem statim accepit ensis cũ sic iussisset præfectus, nullo relicto qui non fuerit in Christo consummatus. Eiusdem quoque exitus fuere sociæ centum & triginta mulieres. Neque enim viris visæ sunt inferiores, quod attinet ad pietatem.

Adhuc autem ira feruens Præfectus, iubet Iulianam rursus iniici in lebetem multo igne bullientem. Diuina vero gratia eum propemodum effecit Martyri lauacrum laborum; non autem qui membra liquefaceret & dissolueret: Iis vero qui circa ipsum ministrabant Chaldaicam aliam fornacem. Nam cũ repente erupisset lebes, & circuncirca tanq; ab aliqua machina esset effusus, admirabiliter & præter opinionem perdidit eos qui circunstabant, & cũ eos iuste puniisset, & stultis ostendisset experiẽtia, qualis in ipsos, & qualis apparuerit in Martyre. Cũ sic fuissent consumpti lictores, Præfectus non tulit quod acciderat. neque omnino tolerandam reputauit calamitatem. Quod autem eum præcipue male habebat, erat, ꝙ nec potuit quidem vnam superare puellam. Quod vero fuit indicium eius ægritudinis, vestem quidem suam lacerauit: multa autem verba in suos Deos emisit præ dolore. Cum ergo supplicia inferens nihil proficeret, ita magis videns martyri crescere constantiam, fert in eam sententiam vt ensẽ mortem subeat.

Procedit autem rursus quoque tentator, qui ab initio ad Martyrem accesserat Satanas, & longe plura passus quam faciens, & procul stans, adhuc enim timebat, & plagarum meminerat, eius morte gaudebat, & ad cædem incitabat lictores: Cũ autem virgo illa fortis eum toruis aspexisset oculis, ille Hei mihi clamans, me forte vult rursus apprehendere manibus, euanuit. Et ille quidem cum multi adessent testes, metum sic confessus, aufugit. Gloriosa vero victrix Iuliana, tanquam non ad mortẽ duceretur, sed potius ad solutionem mortis, ambulabat alacri vultu, lætis oculis, & animę internam exprimens voluptatem, cum iis qui cũ ea ambulabant multum disserens, & persuadens nullum esse neque ex bonis præsentibus pretiosius, neq; ex tristibus validius dilectione in Christum. Hæc dixit, & factis ipsis obsignauit quæ dixerat. Postquam enim fuit in eo loco vbi oportebat eam accipere consummationem, primum quidem se erexit ad orationem, deinde & collum inclinauit ad cædem, eandem seruans animi lætitiam, & nihil omnino triste ostendens. Ita victoria insigne ei caput amputatur.

Mulier autem quædam nomine Sophia, forte fortuna tunc transiens Nicomediam, & ad magnam vrbem proficiscẽs Romam, illas 3 sacras secum accipit reliquias: easq; domum portans, excitat Martyri templum dignum eius certaminibus. Paulopost execrandus quoque Eleusius meritas luit pœnas. Nam cum in mari nauigantem sæui quidam venti deprehendissent, & ingẽtem tempestatem excitassent, ipsam quidem nauem vna cum viris in mari submergunt. Cũ alij autem omnes essent submersi,

3 *Nota, illas sacras secũ accipit reliquias, & excitat Martyri templum dignũ eius certaminibus.*

ipſe vt maiorem acciperet calamitatem à mari quidem ſeruatur: in quendam vero locum deſertum abiicitur, & fit miſer cœna canibus.

Tale fuit Iulianæ martyrij ſtadium: & talis pro Chriſto finis eam eſt conſecutus. quæ Eleuſinio quidem deſponſa fuerat circa nonum annum ętatis: Chriſti autem fuit ſponſa, & per martyrium ei fuit coniuncta cum nata eſſet decem & octo annos. Rex vero erat tunc quidem impiorum Maximianus. noſter autem, id eſt fidelium, qui eſt ſemper Deus & Rex, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Cui gloria & potentia nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTÆ *Martyris Anaſtaſiæ*.

Decemb. 22. ANASTASIA mulierum pulcherrima, inclitę quidem Romæ erat nata: generis autem ſplendore, & corporis pulchritudine, & animæ nobilitate, & morũ honeſtate & moderatione, omnes vincebat, & labris omnium canebatur. Et erat quidem cuiuſdam viri prætextati filia: à quodam autẽ nomine Chryſogono fuit in rebus diuinis inſtituta. cui etiam fuit poſtea caput ornatum corona martyrij, ſicut etiam procedens declarabit oratio, cum impius Diocletianus Romana ſceptra tunc teneret.

Cum ergo apud Chryſogonum Anaſtaſia falſam gentilium opinionẽ verbis poculentis eluiſſet, eum qui vere eſt Deus, pro iis qui videntur, cognoſcit. Et nunc quidem non libere profitetur pietatem. À patre vero vel inuita in matrimonium data viro gentili nomine Publio, conante, vt dicitur, miſcere ea quæ miſceri nequeunt, illa partim quidem omnino ſibi vendicans virginitatem, partim autem abhorrens eius religionem, ne cũ eo quidem omnino cohabitare in animum induxit. ſed vt pura ad Chriſtum accederet, & nullum ex eius præceptis deſpiceret, diu noctuq; meditans, ad eum omnem direxit cogitationem. Veſtem quidem certe ſæpe mutans, & vili pro ſplendida ſe induens, & ſe habitu quodãmodo celans, vna eam ſequente ancilla omnes obibat carceres, & à cuſtodibus emens ingreſſum pecuniis, eos qui in eis pro Chriſto erãt incluſi & corpore propter tormenta malè erant affecti cum quanta potuit reuerentia & honore curabat. pedes lauans. manus abluens. comam ſordidam, quoad eius fieri poterat, expurgans, & quod pilorum erat ſuperfluum, prolixum autem erat propter longam in carcere incluſionem, officioſe tondens, ſanguinem diligenter abſtergebat. vulnera mundabat. deinde etiam alligans linteis, & ſanctis amplexibus ſuum in eos amorem indicans, & alimenta vnicuique præbens neceſſaria, ſic exibat.

Hæc cum fierent aſsidue, qm̃ virum latere non potuit, reſciſsit etiam Publius. & protinus multi ſunt adhibiti cuſtodes Anaſtaſiæ, qui non ſinebant eam domo egredi, neque vllum ad eam ingredi, ex iis qui, vt illi dicebant, mores videbantur corrumpere, & poterant ei perſuadere vt à Publij abſtineret conſuetudine. Illam autem & hoc quidem male habebat, ꝙ alios omnes qui antea ab ipſa curabantur, neque poſſet videre, nec ab ipſis videri. Quod vero pluſquam alia eam cruciabat, & medium

eius

eius cor tangebat, erat præceptor Chrysogonus. qui cum duobus annis integris multa & varia pro Christo tormenta sustinuisset, habitabat in carcere, ita iubente Diocletiano. Ad eum crebro, quã in sua erat potestate, ventitabat. Tunc autem prohibita, per quandam anum ei significat eä quæ euenerant: & per eam rogat vt pro ipsa precetur. Precationis vero hæc sit summa, vt ab impio quidem euadat publio, assequatur autem opportunitatem, vt quod habet in animo deducat ad effectum, & perseueret curare eos qui martyricis decorantur vulneribus, quo ad eius fieri poterit: quinetiã vt ipsa vitam finiat in pietatis scopo immutabili. Hæc cum significasset Chrysogono, postremo etiam de mariti profectione eũ reddit certiorem. Fuerat enim illo tẽpore Publius missus legatus ab Imperatore ad Persas. Quæ cum didicisset Chrysogonus, iubet eam gaudere & bona facere, & præsentia forti animo ferre, & in futurum voluntati quoque consentaneum expectare exitum.

His confirmatur Anastasia. & hæc ipsa duxit esse gaudij occasionem, & bonæ spei principium existimauit esse calamitatem, nempe & mariti crudelitatem & nimiam custodum sęuitiam. Qui erant similiter quidem omnes acerbi & immitigabiles. Codissius autem erat excellenti improbitate. qui & notus erat Publio, & cui proficiscens hoc maxime mandauerat, vt nec extra thalamum videre aërem, nec libere, si fieri posset, respirare fineret Anastasiam. Graue enim ducebat si reuertens à legatione viuã videret mulierem, quæ fœdus cum eo initum iam violauerat. Præterea vero sperabat sic quoque fore vt multarum pecuniarum & possessionum efficeretur Dñs. Atque ille quidem inuenit in via quem par erat exitum. Moritur enim periculo perditus. quę se sperabat facturum, ipse prius iuste passus: & effectus Anastasiæ conciliator viduitatis, quæ non luctum afferebat sed exultationem. Anastasia autem liberata à vinculo & à canibus qui eam custodiebant, sic enim eos conuenit appellare, ad solitum gregem ferebatur, & ad consueta pietatis pascua. & modestum rursus induens habitum, obibat carceres. & magna cura ac diligentia non solum vulnera ac saniem sanctis curabat: sed ad propositum quoque certamen eos præclare incitabat & præparabat. Qualem vero fructum hinc percipiat declarabit eius finis finem autem oratio.

Hoc tempore impius quidem Diocletianus degebat Aquileæ. Ei vero aliorum quidem cura erat posterior. hoc vero præcipue erat curæ vt nullus Christianus qui latebat eum effugeret. Ad eum ergo defertur ab omnibus qui Romę erant, ꝙ maxima multitudo Christianorum, coniecta in carceres & plurimis affecta suppliciis, nondum potuit dediscere pietatem. Quorum esse præceptorem & institutorem Chrysogonum, qui habebat omnes sibi parentes & pẽdentes ab eius lingua. Ille autem alios quidem omnes iussit dedi tormentis, & deinde etiam morti si non persuaderentur. Chrysogonum autem solum ad ipsum mitti, hoc apud se considerans, ꝙ si illum vicisset, omnes protinus erat superaturus. Atque ei quidem cum duceretur ad Imperatorem, comes fuit Anastasia, vndiq; conferens & cõparans ea quæ pertinebant ad augendã animi magnitudinẽ: & ostendẽs sexus imbecillitatem vinci à magnitudine animi & spiritus.

Postquam vero ante Imperatorem adstitit Chrysogonus, ille quidem statim verbis vsus est mitioribus. Persuadeare ò Chrysogone nostris cõ-

iungi partibus: & Diis quidem gratificari: tibi autem ea quæ sunt iucundissima præferre tristissimis, & quæ sunt conducibilia minime vtilibus. Scias enim fore vt tibi non solum torméta remittamus, & hanc pulcherrimam omnibus iucundissimam lucem largiamur: sed te etiam statim efficiam magnæ vrbis Romæ præfectum. Ille autem nec Imperatoriæ potestatis obstupefactus magnitudine, neq; donorum flexus ingenti oblatione, libere dixit. Ego vnum solum noui Deum: & eũ quidem iudico quauis luce suauiorem: quauis vero vita desiderabiliorem: omnibus autẽ pecuniis quæstuosiorem. Eum & anima colo, & labris confiteor: & omnibus videntibus adoro genibus. Deorum autem multitudinem & fabulas & Demones tantum abest vt colam, vt sim eiusdem cum Socrate sententiæ, oportere eos fugere pro viribus, vt qui sint hominum deceptio, & animarum aperta pernicies. Quæ vero à te mihi proponuntur munera & honores, nihil melius habere arbitror quàm somnia & vmbras: & ea nihili facio.

Non tulit dicendi libertatem Imperator: sed perinde ac in prima prostratus congressione, eũ abripuit impetus vt soli iræ gratificaretur: iubetq; vt cum in desertum locum duxissent Chrysogonũ, ei caput amputarent, inuitus eum maiori afficiens beneficio, q̃ qñ lubens dona offerebat, existimans fore vt eum in suam traduceret sententiam. Atque hoc quidem factum est prout ipse decreuit: & sacrum illud corpus proiicitur in littore maris. vbi etiam tres sorores & animis & corporibus & pietate in Deũ, suam habebãt habitationem cum quodã Zoilo viro pio & Presbytero. Sororibus autem erant nomina Agape & Chionia & Irene. Hic vero Zoilus, cum sibi reuelatas Martyris Chrysogoni reliquias sustulisset vnà cum capite, & in quadam capsa cum quanto oportuit honore deposuisset, abscondit in sua domuncula. Atque tricesimus quidem erat dies ex quo sitæ fuerãt reliquiæ: in somnis autem Presbytero Zoilo Martyr apparens Chrysogonus, hæc ei visus est dicere. Scias impium Imperatorem Diocletianum, cum de Christi ancillis, & sororibus, Irene Agape & Chionia fuerit factus certior, intra nouem dies illas quoque velle comprehẽdere. Tu autẽ effice vt Anastasia Dei ancilla eas curet pro viribus, & ad certamen suscipiendum eis addat animum, donec fuerint redimitæ corona martyrij: Ipse vero bonam spem concipias fore vt suauissimos fructus laborum accipias. Nam non multo pòst tempore, & à laboribus qui hic sunt liberaberis, & ad Christum adduceris cum iis qui pro Christo decertarunt.

Fuerũt hæc quoque cognita venerandæ in primis Anastasię, & diuino spiritu mota, venit statim ad domunculam quam nondum aspexerat, & accedens ad Præsbyterum Zoilum, quærebat sorores: & rogabat de iis quæ in somnis sibi visa fuerant. Cũ autem vidisset virgines & locum in quo sitæ erant Chrysogoni reliquiæ, cum illas quidem magna affectione & pietate 1 adorasset, cum eis autem vnam noctem transegisset, eisq; congratulata, ad martyrij fortiter subeunda certamina animum satis addidisset, profecta est Aquileam. Eas enim cum multis aliis sciebat cursum peracturas martyrij, prouidentia quoque simul ipsam cum bona & facili occasione transmittente ad certamen. Atque ipsa quidem proficiscebatur. & qui prædictus Zoilo fuerat vitæ finis contigit. Nam cum hoc Deo

1 *Vides sanctorũ Martyrum reliquias etiã à sanctis adorari, quanto magis adorari debent ab hominibus peccatoribus?*

ita visum esset, excessisset à vita præsenti. Qm̃ autem neque de Agape & Irene & Chionia oportebat temere dictum esse à Chrysogono: cum de iis resciuisset qui omnes impietate superauit Diocletianus. eas statim accersit: & sistit ante tribunal. & admirans earum habitum & spiritum, & præterea speciem, & quę in earum vultu vigebat gratiam. & alioqui cũ hoc sciret, q; morum grauitas, & dignitate prędítus ac generosus animus. nunq̃ vincitur ab asperitate. sed cedit potius verbis mollibus & placidis, & attrahitur officiis, ea via ipse quoque ingreditur.

Et primum quidem trium simul facit periculum, simul laudans & admonens. Cũ in vobis videam, dicens, & florem ætatis & speciem corporis, & generosos pręterea spiritus qui non minus resplendent q̃ externa gratia: quinetiam audiuerim vos esse bonas & bonis prognatas, & præterea doctrina quoque non mediocriter excultas, per Deos moueor non parua vestri misericordia, si de his omnibus & de vestra quoque vita venietis in periculum, & nõ prius aliquod bonum de vobis ipsis capietis consilium. Hac enim de causa vos quoque voluisti ante meum conspectũ & vos conuenire, vt cum & ex me & ex vobis ipsis ea quæ oportet potueritis intelligere, abstineatis quidem ab insipientibus cogitationibus, Diis autem offeratis sacrificium, & per hoc, quid non boni vobis ipsis comparetis, Deorum amicitiam, meam beneuolentiam. gloriæ abundantiã. sponsos dignos vestra pulchritudine. diuitias & voluptates, & quidquid in vita felix bonumq; est & videtur.

Adhæc autem ea quæ erat maior natu, vocabatur vero Agape, quæ studebat quoque videri prima dilectione in Deum, cum verecundia miscens dicendi libertatem. & labra honeste aperiens, Nulla, inquit, ratio tibi persuadeat o Imperator, q; nos vel metus perterruerit, aut persuasio inescauerit, aut intentatæ suppliciorum minæ, aut bona proposita, aut iuuentutis misericordia, aut commiseratio pulchritudinis, aut splendor generis, nobis omnino persuaserit vt aliquid molle & delicatum omnino cogitemus, nedum vt dicamus. Sed hęc quidem ipsa vel maxime persuadent mortem cõtemnere, q; tot bonis à Deo ornatæ, & tam multis commodis præstantes, omnium absurdissima videremur cogitare, si Deum qui ea dedit nos inconsiderate admodũ et ingrate negauerimus: & non ea quæ ab eo accepimus, in iis quæ pro ipso passuræ sumus, occasionem beneuolentiæ certæq; & stabilis fidei duxerimus.

Hanc loquendi libertatem supra modum admiratus Tyrannus, & ratus esse insaniam, & eam ita appellans, ex se plane faciens iudicium, Agapem quidem nõ tentauit amplius: secundo autem iussit sisti secundã, & verbis eam est adorta. Postquam vero huius quoque similiter & deinde tertiæ desperauit mutationem, postremo dicens, Hæc audacia vestra responsa nulla re alia q̃ inflictis tormentis curabuntur, illas quidẽ conicit in carcerem: ipse autem in supplicio considerando ac exquirendo versabatur animo, nouam aliquam & lõge grauissimam eis mortem inuenire contendens. Quæ vero vel ante certamina, animo & instituto erat eorum certationis socia, Anastasia, ea quæ consueuerat nõ cessabat adhuc facere, verbis quidem accendens ad certamen: re ipsa autem eorum curam gerẽs. & non horum solum, neque reliquorum omnium qui similiter decertabant, similiter curam gerebat; sed eos etiam qui alioqui erant inopes,

Christianam autem amplectebantur religionem, minime negligebat, illis quidem alimenta, his vero vestimenta, aliis autem vtraque præbens liberaliter. quorum & ab illis vnam petebat remunerationem. & ipsa quoque precabatur, vt ei aureum imponeret signaculum, martyrij coronam. Et quod ipsa quidem spe non sit falsa, statim declarabit oratio.

Diocletianus autem cum de Martyribus multa animo agitasset, & in dubio eius adhuc esset animus, & simul vt proficisceretur in Macedoniã à quibusdam publicis vrgeretur negotiis, cũ Dulcitio Præfecto earum mandasset examinationem, quod eas oporteret punire multa præcepit. Ille vero cũ malæ naturæ adiecisset malum Imperatoris mãdatum, & iram maxime exacuisset, paratus erat suum inexplebilem animum exatiare. Cũ autem iam parata essent tormenta, & pro tribunali starent virgines, qui mente erat plane cæcutiente, repente cœpit etiam esse cæcus oculis, vel potius cũ videretur aspicere. & non clausos haberet oculos, neminem videbat ex iis qui aderant. Quo factum est vt maxima ira incensus, tunc quidem vel inuitus eas abduceret à tribunali. timuit enim ne aliquid amplius pateretur si adessent. Postea vero cũ rursus essent coniectę in carcerem: & iam ad Deum hymnos dicere & cantica psalere aggressæ essent, in animo quidem habuit irrumpere, & ex improuiso accedẽs, illarum venari, vt putabat, pręstigias & incantationes. Diuina autem voluntate ille quoque ab hoc arcetur consilio. Cũ enim à recta declinasset & ad quandam propinquam delatus esset domunculam, quæ quidem custodibus erat loco culinæ, hic cũ in vasa culinaria & ollas incidisset & esset oĩno emotę mentis, & putaret se ipsas virgines habere in manibus, vultus quidem ei fuit repletus fulgine, vestis autẽ plena fauillis fumo & tetro odore.

Cũ autẽ quæ in animo habebat fecisset vt existimauit, illinc est egressus, omnibus ei subiectis extra fores eum expectantibus. Postquam vero illi eum viderunt, esse aliquod spectrum aut monstrum opinati, in fugam sunt conuersi. Ille autem se contemptum putans, vt qui nondum sensisset ea quæ sibi acciderant, nondum quidem domum, sed in regiam magna ira & studio contendit, magnum risum mouens iis qui videbant. Cũ autem venisset in medium aulæ regiæ & Satellitum, & totus conturbatus quæreret Imperatorem, vt qui de iis qui sibi subiecti erant esset aliquid dicturus, tanquam ab eis extrema affectus iniuria, illi morionem aliquem & scurram & mente captum, & quemuis potius ipsum quam Præfectum existimantes dulcitium, pugnis & calcibus eum extrudebant, & arcebant ab ingressu. Postquam vero quidam ex eis qui erant ei valde familiares, cũ sero tandem & vix virum agnouissent, & id quod acciderat coniecissent, & insanię miserti essent, eum domum abduxerunt, visum quidem est illic quoque vxori & liberis & omnibus qui domi erant dedecus. Sed lucem aspicere & veritatem agnoscere ne sic quidem ei venit in mentem. sed id quod factũ fuerat attribuẽs incantationi, vehemẽtius adhuc & insanius spirabat in virgines. Ei itaque parato tribunali, iubet adduci virgines.

Postquam autem adductæ sunt, iussit eas adstare nudas. Postquam vero virgineis illis corporibus manus admouere lictores, ò Dñe Opifex rerum admirabilium, tunicæ, tanquam secundæ carnes & pelles, circuncirca extensæ virginibus, inhęrebant coalescentes & cõiunctæ primis carnibus & ossibus. Cæpit eos qui videbant admiratio propter rem admirabilem

& quæ

& quæ erat præter opinionem: & stupor inuasit eos qui audiebant. Tyrannus autem aliam rursus accipit plagam. Nam cum iam ij etiam qui erant eiusdem sententiæ, reprehenderent eius crudelitatem, & damnarent vno ore eius voluntariam cęcitatē & insaniam, eis quoque est suffragata superna sententia. Protinus enim quadam diuina & cœlesti potestate, priuatur vidēdi facultate: & perinde ac somno oppressus profundissimo, & nihil intelligens eorum quæ fiebant, ita sedebat dormiens, tanquam in lecto & stertens. Eum itaque rursus domum ducunt propinqui, tāquam inanimum aliquod onus portantes. Deinde hæc etiā rescis cit Imperator. & eius quidem condemnat leuitatem. Sisinio autem cuidam Comiti permittit aduersus virgines examinationem.

Ille vero ingressus est eadem via qua Imperator, aliquando quidem tyrannice, aliquando verò blande cum eis agēs. Postquam autem omnia dicens & faciens, vidit quidem virginum inter se differre corpora, vnam autem esse mentem, & omnes vnum & idē dicere, nempe. Neque minans nos terrebis, neque blandiens persuadebis. Nobis enim pro Christo mori est vita. viuere autem non in Christo, mors. Postquam hæc cognouit, de iuniori quidem Irene ne sic quidem spem omnem abiecit: sed cum eam separasset à reliquis, ab Agape, inquam, & Chionia, eas postremo tentauit. Sed cum multis consumptis sermonibus, se plane nouit ea venari quæ capi non poterant & plane verberare aërem, eas cōdemnat vt igne mortem subirent. Et parata quidem erat fornax luculenta: virgines vero munitæ pulcherrimis 2 armis orationis, vna quidem voce ad canticum, vno autem prompto & alacri animo procedebant ad ignem. & sic simul canentes in ignem insiluerunt. Ignis vero non erat amplius ignis, sed ros tener & mollis. Deus autem diuidit miraculum: partim quidem illarum implens petitionem: partim vero suam ostendens potentiam. Nam illæ quidem sine dolore suas animas in manus Dei deposuerunt: ignis autem fuit extinctus: & corpora virginea adeò illæsa & intacta aperte sunt cognita, vt neque vlla pars vestis, neque vllus denique pilus, vllo modo ferret aliquod signum exustionis. Rursus vero harum generosarum virginum 3 reliquias cū vnguentis & aromatibus Martyrum amans condiisset Anastasia, in quadā capsa deposuit cū pietate magna & reuerentia, vt earum esset in martyrio socia, semper precans.

2 Pulcherrima arma oratio.

3 Generosarum virginum reliquias sancta unguētis & aromatibus cōdit, & in quadam capsa cum pietate & reuerētia deponit.

Sic duabus virginibus in Christo consummatis, Comes productam virginem iussit sacrificare simulachris, ne mors, dicens, quæ tuas præoccupauit sorores te comprehendat. Illa autem ei dicit. Deum meum, inquit, rogo vt eas sequar in omnibus. Tyrannus verò cū esset valde callidus, & sciret ꝙ esset graue & detestandum, & vel ipsa morte acerbius Christi seruis, intemperantia. Te, inquit, in publico statuam prostibulo, cuiuis volenti prostituens. vt anima & corpore polluta, vt eloquia docēt tuæ scripturę, malè pereas. Martyr autem cū statim in 4 cœlum sustulisset oculos, & è profundo lamentabiliter suspirasset Confido, inquit, in Deo Seruatore meo, ꝙ pedes meos euellet è laqueo, & animam meam liberabit ab omni immunditia. Fidelis est enim qui promisit ꝙ non sinet nos tentari supra quam possumus. Ego vero Deos tuos non colam: neqꝫ eis offeram vnquam sacrificium. Quod autem fit per vim & repugnāte voluntate, qū turpe fuerit, iis quidem qui sunt coacti, videtur potius esse

4 Ecce oratio cum eleuatione oculorum ad cœlum & suspirio.

supplicium q peccatum: reos autem constituit eos qui vim attulerunt. Metum itaque non fuerit hoc peccatum. quõ nec iis qui me præcesserunt Martyribus, pollutæ carnes & vinum libaminum per vim in os eorum iniectum, eis omnino obfuit. Si enim non persuadens, sed vim afferens, vis trahere ad cultum tuorum Deorum, cur non cito vtens potestate, vel inuitos Christianos cogis genu flectere Dæmonibus.

Hæc postquam audiit Præfectus, tradens eã militibus, iussit abducere in prostibulum. Deus autem non finit, suorum omnino curam gerens: sed protinus ad milites accedentes Angeli qui ipsi erãt induti habitu & veste militari, & tanq̃ secundi à Præfecto missi, & eam alio transferre iussi, auferunt quidem ab iis qui eam detinebant. Cũ vero eam abduxissent in cacumem montis mirum in modum alti, illic statuunt, metu quidem & perturbatione plenam quod ad priora attinet: deinde etiam Deo eloquẽtem verba gratiarum actionis. Postquam autem quod factum fuerat accepit Comes, statim ascendens equum, equitauit ad montem. Hic vero vide mihi res Dei mirabiles, quę mentem quidem vocant ad admirationem linguam autem ad laudem. Vbi enim accessit ad locum, mente immutatus, videbatur quidem videre procul virginem, & eam appropinquare. visam autem apprehendere, etsi maxime vellet, non poterat. adeò vt illud Esaiæ in eo quoque impleretur, dicentis. „ Palpabunt tanquam „ cæcus parietem: & tanq̃ oculos non habeant palpabunt. Talis ei murus firmus & validus ei obiectus fuerat ante virginem. Quamobrem tumulum in orbem circumiens mansit à matutino vsque ad occasum Solis, frustra laborans & circumerrans.

Interim autem dum hæc fiebant, quidam ex iis qui erant cum eo militibus arcum dirigens in Martyrem, & iaculum emittens, ipsam quidem ferit Deo concedente. Illa autem passis manibus cũ se ad preces composuisset, Gloria tibi Christe Deus, effatur, q non solum ab impio cultu, sed etiam à quibusuis aliis sordibus & inquinamentis me puram conseruaueris, & pro tuo nomine decertare volueris. Cũ sic dixisset, in Angelorum manus emisit animã. Eius autem corpus, cũ illinc remotus esset Comes, tollens Anastasia, 5 vnguentis conditum & in linteis honorifice compositum, simul deponit cum sororibus quę fuerant sociæ certaminis.

5 *Vide & hic in linteis componi honorificæ sanctæ virginis corporis vnguẽtis cõditum.*

Deinde ad Imperatorem Diocletianũ defertur etiam Martyr Theodote. quæ orta quidem erat ex Bithynnię ciuitate Nicæa Christiana autem erat religione, & in eius zelo feruens. inquilina vero erat ipsa quoq; cum Anastasia & tribus liberis in Macedonia. Cùm ergo ipsa quoq; stitisset ante Imperatorem, quidã nomine Leucadius, valde captus eius pulchritudine, erat enim Theodota quoq; facie venustissima, vehemẽter instabat apud Imperatorem vt misereretur eius pulchritudinis, & nõ sic immaturam perderet puellam pulcherrimam. Qm̃ autem ea petebatur ad nuptias, Imperator lubens dedit lubenti. existimabat enim fore vt ex eius coniugio ei fieret disiunctio à Christi religione. Cum ergo Theodotem accepisset Leucadius, quid non dicebat, quid non faciebat, studens ei persuadere vt castitatem quidem & pietatem in Christum abiuraret, impietati aũt assentiretur, & sic matrimonio cum eo coniungeretur.

Postquam vero hæc agens visus est in aquã scribere & canere inania, cum essent huiusmodi quæ ei dicebat Theodote. Si meas quidem opes

cupis & pecunias, & me ideo ftudes vxorem ducere, ecce tibi cedo omnibus, pro omnibus diuitiis folum Chriftum fortita. Sin autem etiam corpoream amas pulchritudinem, fcias te ea amare quæ oĩno fieri nequeunt. Prius enim meam formam ꝙ mentem mutaueris. etiãfi me igne & ferro & omnibus fimul confumpferis fupplicis. Vbi hæc ergo audiuit Leucadius, qm̃ paratus erat vnà cum egrediente exire Imperatore, domi quidẽ relinquit Theodotem: ipfe verò iter eft ingreffus. Theodotæ negotium non leuiter & in tranfitu tractandũ effe ducens: fed id referuans ad otium & tempus conueniens. Cùm ergo relaxata fuiffet Theodote, & fimilem in virtute & fide affumpfiffet Anaftafiam, vna animi alacritate, & confenfione. & quafi cõfpiratione, pariꝗ; zelo, peragebant folitum curfum pietatis, Chriftianis qui in carceribus publicis inclufi erant effectę omnia. medici vulnerum. fuppeditatores pecuniarum. præteritorum malorum folatium, & ad futurum validifsima confolatio. Et fic quidem virgines.

Cũ autem rurfus intellexiffet Diocletianus, ꝙ effent quidem angufti carceres propter multitudinem piorum qui in iis detinebãtur, effent vero inania quęuis excogitata tormenta, à confefsione nemine eorum recedẽte: eos quidem iubet diuerfis mortis illatis generibus de medio tolli ex hominibus: & ita locum dare carceribus: alios autem comprehendere qui eadem fentiebant. & primum quidem in vincula coniicere: deinde fi fibi non perfuaderent vt fuam abiurarent religionem, eos tormentis afficerẽt. Tanta erat impij contentio aduerfus Chriftianos, occulto tyranno, communi, inquam, hofte Chriftianorum, illum ad hoc incitante. Atque fanctis quidẽ multa & varia mortis genera funt difpertita. & alios quidẽ ignis: alios verò aqua: alios aũt enfis: alios verò aliquod aliud ex nouis illis præter hæc inuentis repente & in vna nocte omnes comprehendit.

Martyrum autem amans quæ ipfa quoque mox martyr erat futura Anaftafia, cum de his refciuiffet: mane enim aduenerat, eos more folito curatura: vbi intellexit vacuum effe carcerem, & aërem impleuit vociferatione: & vberes lachrymæ fluxere ex oculis: eamꝗ; opprimebant gemitus, & lacerabant eiulatus. Rogata vero cur fleret, illa nihil verita, neque volens effe nocturna Chrifti difcipula: fed timens potius ne pro eo nõ pateretur nec moreretur, vociferãs dixit. Quęro Dei mei feruos qui modo erant in cuftodia. Poftquam autem intellexerunt eam effe Chriftianam. eam protinus comprehenfam duxerunt ad Florum præfectum Illyrici, dicentes. Inuenimus hanc flentem in carcere. & cum intellexiffemus effe Chriftianam, & flere propter Chriftianos, eam ad tuum iudiciale tribunal adduximus. Cũ vero Pręfectus eam interrogaffet cum admiratione. Tu ergo es chriftiana? illa clara voce. Certe, inquit, fum chriftiana. Nam quod tibi videtur effe vnum ex nefariis, hoc eft mihi ornamentum & nomen præcipuum.

Poftquam autem ille & vitæ eius conditionem & patriam & genus accepit, q.f. in veteri vrbe Roma illuftri loco effet nata, Quid verò, inquit, te perfuafit vt Romam quidem relinqueres, huc autem venires? Martyr vero, Quidnam aliud, inquit, nifi folum vox mei Domini? Hanc. n. folã fequens, parentibus fimul & cognatis & opibus defpectis, & amico patriæ folo relicto, mei Chrifti crucem fuftuli promptisꝗ; & alacribus eam fum fecuta pedibus. Dicit autem Pręfectus. Vbi eft is quem tu dicis

Christus? Vbiq;,inquit Martyr.neque est vllus locus qui eo careat. Est in cœlo.est in mari.est in terra. Nihilo secius autem est etiam in omnibus qui eum inuocant & timent,intelligenter eos illuminans & cum eis versans. Ille vero, Vbinam sunt,inquit,isti,vt eos cognoscamus? Illa vero, Hucusq; quidem,inquit,sunt hic versati,& nobiscum egerunt in corpore.
6 Nunc autem terra relicta, nos procul vident 6 versantes in cœlestibus. Mors.n.suscepta propter Christum,hęc eis conciliauit. In quorum numerum cupio ego quoq; referri,& idem quod illi iter ingredi.

Ecce quomodo sanctorum Marty. animæ statim ut è corporibus emigrauerint,cœlum petunt.

Postquam autem intellexit Præfectus hęc dixisse Martyrem de Christianis qui interempti fuerant in carcere,Mihi videris,ait illi,multis opus habere suppliciis. Ecce enim iniecisti nobis suspitionem, te illis fuisse causam mortis,vt quæ eos contra nos moueres,& eis persuaderes repugnare edictis Imperatorum. Sed non poteras latere Deos quos nihil latet. qui cum tuæ menti magnam effudissent caliginem, te tua non præuidentem ad hæc impulerunt, & vt te nobis aperires persuaserunt. Qm̃ vero cum illustri genere nata esset Anastasia,non fas erat Præfecto eam punire antequam de ea cognosceret Imperator,omnia refert ad Imperatorem.Ille autem,intellexerat enim ꝙ cũ à Patre magnam accepisset hæreditatem, eam omnem distribuerat pauperibus,iussit eam tuto custodiri donec veniret in ciuitatem.Cum vero accessisset,in eius conspectum deducitur illa beata. Ille autem ante alia eam rogauit de facultatibus:eas enim magis amabat q̃; Deos. Vbi est, inquit, aurum quod tibi obuenit à patre? Illa vero respondit magno & excelso animo. Si adhuc mihi reliquum esset aurum, per quod Christi quidem seruis, meis autem conseruis, possem subuenire, non me iis qui quærebant tradidissent. Qm̃ autem in eos qui recte agebant,omnia,vt oportet,sunt à me consumpta:quod mihi solum est reliquũ, ipsum quoq; corpus studio Christo meo offerre. Imperator vero cum verba audiisset sapientia, specie quidem ipsam despiciens vt fœminam & iuuenem:re uera aũt timens ne maiori afficeretur dedecore, q̃uo verbis,ita etiã rebus ipsis magis victus,qñ eius per tormenta faceret periculum, ipse quidem dicens non par esse vt cum muliere insana loqueretur,destitit ab examinatione: Præfecto aũt eam mandat examinãdam.

Ille vero cum statim pellem induisset vulpinam,blandiis verbis eam conabatur inducere,dicens. Cur ò mulier,non vis Diis offerre sacrificium q̃uo pater tuus obtulit? sed iis relictis colis Christum, quem nescis & ex Iudæis natum,& ab iis ipsis tanq̃ maleficum de medio sublatum. Anastasia autem respondit. Ego Deos & Deas quas tu dicis colebam aliqñ. Nunc vero rectiori suscepta sententia,eos quidem ab ipsis impositis araneis,& auibus quæ eos afficiebant iniuria,& à musicis quæ in eis habitabant liberans,igni tradidi. & cum sic eos conuertissem in pecunias,satiaui multorũ ventres esuriẽtes:et aliis egentibus prębui vitę adminicula. Sicq; ea q̃ nulli erant vsui,effeci vt non essent otiosa sed valde vtilia. Pręfectus autem statim cũ magna acerbitate, At ego,inquit,non patiar vt hoc sacrilegum facinus ne auribus quidem accipiatur. Subridens vero Martyr. Ingenij tui achumen admiror ò Iudex, quod hanc rem voces sacrilegiũ. Si.n.vllus sensus aut vlla vis esset in his inanimis,quid obstaret,quo minus sibi,dum franguntur,& conuelluntur,& alia patiuntur, opem ferrent & eos qui insultant vlciscerentur. aut alienũ saltem & vestrum tunc implorarent.

plorarent auxilium? Nunc autem ne hoc ipsum quidem sciunt aperte se pati. Orationem vero interrūpens Præfectus, Diuinissimus, inquit, noster Imperator, iussit vt alia quidem iuberem valere, hoc aūt solum facerem, nempe vt vel persuaderem vt sacrificares, aut tu alioqui malè perires.

Postquam vero dixit Martyr, non esse perire mori propter Christum, sed vitam potius æternam firmiter apprehendere, cum Præfectus rursus mouisset multa verborum examina, multos autem metus atque adeò ipsam mortem ei redegisset in memoriam, vbi vidit eam omnia ex ęquo ridentem, oīa rursus refert ad Imperatorem. Propter quæ cum ille fuisset magis ad iram incitatus, & quidnam de ea oporteret fieri deliberaret, accedit aliquis ex iis qui cum eo versabantur & ei studebant gratificari, &, Iube, inquit, ò Imperator eam tradi Vlpiano Pōtifici capitolij. Ei enim vel maxime curæ erit vt qui sit Deorum Pontifex: & vel omnino persuadebit: vel acerbissime puniens tollet de medio: omnes autem eius facultates, si modo sint vllæ reliquiæ, dedicabit capitolio. Placuerunt hæc Imperatori: & prout fuerat monitus, accersito Vlpiano, eam ei tradit. Ille vero faciens diuersum ab asperitate Imperatoris, astu autem potius se eam esse superaturum & ei persuasurum confidens, eam honorifice abducit in domum suam.

Et primum quidem multis iisq; probabilibus verbis, per auditum quodāmodo, infundere venenum contendebat. Deinde etiam per aspectū adhibuit deceptionem, valde improbe & malitiose opponens contraria contrariis. hinc quidem mundos muliebres luculentos & sumptuosos: illinc autem omne genus tormenta. hinc lapides pretiosos & grato nitore resplendentes. illinc enses micantes horribiliter. Hinc quidem lectos argento incrustatos & stragulis elegantibus ornatos. Illinc autem collaria & vincula maleficorum, & grauia flagella. Cur vero hoc faciebat vir ille callidus & astutus: & cur cum benignis coniungebat acerba & molesta? Vt vel rebus lætis illiceret: vel terrorem afferret rebus terribilibus. Sed seipsam fefellit iniustitia, vt dicit diuinus Dauid. & hæc sunt pro nihilo reputata à Martyre. Dicit enim, liberalem præ se ferens spiritum, grauemq; & honestum habitum. In te hæc omnia, Diabole, & tibi sint soli. qm̄ cum eis traderis ad interitum. Sinautem efficies vt flagellorum quoque faciam periculum, & his vinculis & collaribus grauabis collū meum, tunc tanq̄ aliquod colli ornamentum, quod mihi impones, collare gestās, Christo apparebo gratior & venustior. Qm̄ ipse est Seruator meus & defensor meus, & in eo sperauit cor meum.

Martyris itaq; animi magnitudinem admiratus Vlpianus, & ratus fore vt eam molliret tempore quæ cedere nollebat, in animo habebat eius causam differre in tertium diem. Illa verò ei propter moram indignans, Iam, inquit, existima hos tres dies mihi præteriisse: & meis verbis animum adhibe. Ecce enim eadem tibi nunc dicam, quæ dictura sum post deliberationem. Deos tuos non colo. & tuæ & Imperatoris repugnò voluntati. Sacrifico autem sacrificium laudis seculorum Regi Christo, qui est meus & solus immortalis Deus, pro quo etiam profundo animam. & tua tormenta despicio, vt solum Christum lucrifaciam qui est vita æterna. Ille vero, Sciebam, inquit, fore vt similem Christo mortem tu quoque stulta eligeres. Illa autem cum audiisset, & ex eo quod dictum

erat lætitiam accepisset, Amen Amen fiat mihi, inquit, Christe mi spõse & Rex. Pontifex autem interrogauit protinus, quid sibi vult illud Amẽ. Martyr vero, Sed tu non es, inquit, dignus qui hoc discas. Nemo enim, inquit, qui sapit commiserit vnguentum vasi putri. Vlpianus autem fecit vt statuerat. & cum ei dedisset terminum trium dierum, tradit eam mulieribus gentilibus & quæ genere ad eam attinebant, mulierum sermone & dierum longitudine, fore vt nonnihil sententiam mutaret existimans. Ille vero cũ sibi persuasisset augere potius q̃ minuere suum in Christum desiderium, mulieres quidẽ illas, & illos sermones, existimabat esse inanes strepitus qui temere effundebantur in aures: 7 manus autem & mentem simul in altum attollens, ad opem ei ferendam in certamine, vocabat Christum quem diligebat. nec cibum nec potum sumere omnino tribus diebus sustinens.

7 *Inuocat sancta Christum, manus & mẽtem simul in altum attollens.*

Tertio autem die post venit rursus Vlpianus, ex eo q valde vellet minime desperans: sed coniiciens se prædam tenere propemodum. Vbi vero eam interrogasset, & resciuisset incrementum sumpsisse eius sñiam longitudine temporis, & non solum bonorum promissione sed etiam suppliciorum formidine mulierem esse superiorem, quinetiam naturali quoq; necessitati minime concedentem, quæ tanto tempore nec cibum nec potũ sumpsit: Postq̃ hæc audiuit Sacerdos falsorum Deorum, in aulam quidem prosilit, eam per se contendens trahere. cumq; vellet aliquid facere inhonestum & prophanis suis Diis dignum, feritur statim plaga immissa diuinitus. & oculorum luce orbatus obibat totam domum, non potens videre amplius. Quinetiam præter cæcitatem vehementissimus dolor eius inuadit oculos. Eo ergo dolore affectus clamabat sceleratus, & suorum Deorum misere inuocabat auxilium. Hæc autem non temere administrauit prouidentia, sed vt cũ ij qui erant extra sensissent, & vt par erat congregarentur ad opem ei ferendam, res euaderet manifesta, quanam ratione & quõ accidisset, et nõ liceret sacerdoti causam in aliud conferre, aut mentiri aduersus miraculum. Quod etiã factum est, & cũ multi adessent testes, deductus domum cæcus & graui dolore affectus, & deinde grauioribus dolorum stimulis vexatus, iubet vt in execrandum Deorum suorum templum deferretur & illic deponeretur, putans fore vt qui eos coleret ab eis curaretur. Egregiam vero & q̃ par erat sui cultus retulit mercedem. Doloribus enim adhuc vehementius eum inuadentibus, emittit etiam animam.

Ex eo Anastasia libertatem consecuta, illinc quidem egreditur, venit autem ad Theodotem, quam prius declarauimus habitare apud Comitem Leucadium: & sigillatim ei narrat omnia, tam quæ passa sit, q̃ quę per ipsam & cum ipsa Deus fecerit. Paucis post diebus Comes quoque Leucadius ex Bithynia reuersus, cum Theodote prioribus similes rursus habuit sermones, tentans eam inducere. Postquam autem multa loquens cognouit se loqui littori, & cum ventis conferre sermonem, Anastasiam quoq; rescíscit apud eum degere: & furore percitus propterea q Theodote illius admonitionibus inducitur vt eum magis contemnat, Anastasiam quidẽ statim vinctam tradit tribunali iudiciario. Quinetiam Theodotem vinctam transmittit ad Proconsulem Bithyniæ, de ea eum per literas q̃ citissime fieri potuit reddens certiorem.

Cùm autem in Bithyniam peruenisset Theodote, producta est ad tribunal Proconsulis, Age, inquit, ille, ò Theodote, iussis parens Imperatoriis, velis Diis offerre sacrificium. Sic enim simul & filiis viues, & particeps eris multorum bonorum. Nam etsi non tua, at filiorum quidem certe tuorum causa, ęquum fuerit vt id eligas quod est futurum tibi vtile. Dum hæc autem Martyri diceret Proconsul, respondens illius filiorum primogenitus cui nomen erat Euodus, At nos, inquit, ò Præses, hominum supplicia nequaq̃ pertimescimus, quæ corpori quidem incorruptionem, animæ autem potius immortalitatem solent conciliare. sed iis parũ abest quin dicam, ęque ac conuiuio delectamur. Deum vero potius timemus, qui potest animam & corpus punire in gehenna. Proconsul autem oculis in puerum coniectis, Cùm videam te, inquit, ętate admodum imperfectũ, miror q̃uo & à quo hæc sic didicisti, quæ vix multi & longo tempore & labore sunt consecuti. Quibus puer opportune r̃ndit. Seruator noster & Dominus Iesus Christus, ipse est qui dixit. Q̃n ducemini ad Reges & Præsides, nolite cogitare quid loquamini. Dabitur.n.vobis in illa hora quid loquamini. Nunc ergo sunt hæc non mea neque humanæ sapientiæ verba. sed omnino quidem mea est lingua, aperte autem Dei sunt verba. Iudex vero veluti de matre spem abiiciens & de primo eius filio, se trãsfert ad alios tentandos, eos videns ętate esse imperfectiores, putans fore vt eos ad suam traduceret sententiam. Postquam autem visi sunt rami nihil differre à generosa radice: sed ostenderunt pueri se illius quidem filios, huius vero esse fratres, se rursus transfert ad matrem & filium eius primogenitum, Conuertimini dicẽs ad vestra viscera. Parcite teneris infantibus immaturis. Nolite videre eos ante vestros oculos male pereuntes.

Cũ multa eiusmodi dixisset, & vidisset verba temere fundi in aërem, iubet filium ante oculos matris crudeliter cędi virgis. Quod videns generosa mater, non modo nihil indecorum aut gessit aut est locuta: sed etiã veluti gaudens plagis charissimi filij, adstitit alacris, annuẽs oculis, gestu incitans, verbis adhortans. Ne succumbas, dicens, ò fili. sta fortiter nate. has propter Christum plagas honores & coronę excipient. His Proconsul vel animo maxime incensus, maligni Dæmonis suggestione improbũ capit consilium. Viro.n.petulanti & ad amores incontinenti tradit hanc mulierem in primis venerandam. Sed nõ erat insolentis hominis futuram diuturnum gaudium. Nam postquam eam vel solum attigit Hyrtacus, ita enim vocabatur, totus vultus protinus est mutatus. & nec cõcessum quidem est intueri Martyrem sine timore. Itaq; magna voce clamauit ad Proconsulem, dicens se cũ primum manum iniecit in Theodotem, vidisse quẽdam iuuenem vultu formosum & habitu decorum simul adesse cum Theodote, qui ei incusso colapho, & nares cõtriuit, & vt per eas sanguis manaret effecit. Sed nõ videbat cęcus, & stultus Proconsul minime intelligebat: & neque, si nihil aliud, miraculi reueritus fuit euidentiam. neque destitit aduersus eam contendere. Sed cũ eam rursus sisti curasset, minatus est se ei esse illaturum quæ videbantur omnium grauissima. Nisi Deos, dicens, immortales colueris, interfecti cadent ante tuos oculos filij. Illa aũt, Vel hoc, inquit, olim maxime sitio. Sic.n.cũ meos filios viuens ad Xp̃m pręmisero, et tanq̃ in tuto portu cõstituero, deinde ego sequar eue stigio. adeò vt apte possim canere. Ecce ego et filij quos mihi dedisti deus.

His magis conturbatus Proconsul, iussit eam igni tradi simul cum filiis. Postquam autem fornax fuit accensa citius ꝙ iussum fuerat, illi tanq̃ fontem aquę cũ gaudio fornacem subiere. et Deum quidem bñdicebat mater. collętabãtur autem filij & sic ambo lęti & alacres animas suas in manibus Dei deposuerunt. Et illos quidem sic accepit beatus finis. Beata autem Christi martyr Anastasia custodiebatur apud Præfectum Illyrici, qui cum de ea diligenter quæsiisset, & eam illustri loco esse natam intellexisset, magnasq́ꝫ esse eius facultates, et ex iis esse ortam quorum magnę erant opes, à lucro superatus & captus amore pecunię, cũ eam seorsum ad se adduci curasset, Scio ò mulier, inquit, te esse valde diuitẽ. Christianam autem esse & tu dicis & ego iã sum expertus. Age ergo parens tuo spõso qui lege cauet vt oẽs despicias diuitias, cede mihi pecuniis & possessionibus & omnibns tuis faculatibus. Tu autem hæc faciens, vtrinq̃ lucraberis. vt quæ legem quidem sis impletura, & libera futura à nostri metu. Deinceps enim tibi licebit & secure sacrificare & libere colere Deũ qui à te adoratur.

Ad hæc veluti quæ animum erexisset, supernæ sapientiæ plena Anastasia: Sed, ò Iudex, inquit, alicubi dictum est in Euãgeliis à meo Christo, Vende omnia quæ habes & da pauperibus: & habebis sic thesaurum in cœlis. Tibi aũt qui es diues, quis est adeò miser & adeò demens, qui cum velit succurrere indigentibus, diuiti præbeat res pauperum, & res esurientium ei qui degit in delitiis? Quòd si te videro esurientem & sitientem & nudum & ægrotantem & coniectum in carcerem, tunc conuenienter ei quod dicit meus Christus, te & nutriam & potabo, & visitabo, & colligam, & suppeditabo quæ erunt necessaria. Sed enim secundum carnem & mundum tu quidem es valde diues. ea vero quorũ es pauper & valde inops, & quę oportet petere, cur non petis? Rogante aũt Præfecto, Quęnam ea sunt, & quanam ego laboro inopia? Maxima, inquit illa, in rebus maximis nempe in fide & cognitione & veritate.

Pręfectus vero, captans, vt videtur, gloriam acutioris ingenij, arripiẽs id quod dixerat. At tu qm̃, inquit, es fide diues, dic, inquit, verbo monti, Transmouere. & si transmouebitur, conuenienter iis quę tuus tibi ꝑmisit Magister, credemus. Illa autem, erat enim satis erudita, Et hæc quidem, inquit, audet nostra fides, & ea quæ sunt his lõge maiora. Fert vero mihi testimonium, Moses quidem, non in terra solum faciens miracula, sed etiã mare diuidens & rursus coniungens, Iosue aũt sistens solem qui est supra nos. & Elias ipsum totum cœlum claudens. ne dicam Christi mei discipulos, quorum vel vestes & vmbræ solæ mortuos suscitabant, & qui sunt apud vos Dij, Dæmones expellebant. & quæ quotidie vobis vidẽtibus fiunt per eos qui decertant pro nomine Christi. etiamsi nihil eorum quæ fiunt conferat vobis ad intelligentiam, sed sponte propter vestram cęcutitis malitiam. Sed non cum vobis visum fuerit est diuina virtus inuocanda à Christianis, assentiendo tentatoribus. Scriptum est enim vos infideles, partim quidem signa, partim aũt quærere sapientiam: nos vero prædicare Dominum Iesum Christum. eumq́ꝫ crucifixum. Hoc, inquit, me conturbat ꝙ fuerit crucifixus qũo Christus tuus, q̃ est, vt dicis, Deus, crucem subiit: & præterea fuit punctus in latere? quod quidem Iouem qui est Deorum nostrorum maximus & summus, passum esse nõ potes dicere.

dicere. Q̃uo ergo non eum potius adoras repulso crucifixo? Martyr aũt, Q̃m, inquit, crux & mors est Christo gloriatio & omnibus Christianis, cũ ille quidem immortalitatem & gloriam per hæc dederit: hi verò acce perint. Tui vero Iouis opera, Sed ego nihil de his. Tu ergo summum qui dem illum tuum Iouem, si vis, sicut re uera vis, imitare. me autem sine meum Deum imitari.

His dictis, ira valde fuit accensus Pręses. & iubet eam in carcere quidẽ includi obscurissimo. omnia vero instrumenta tormentorũ deduci in eius conspectum vt vel cũ vidisset, ei metu persuaderet vt aliquid de sua remitteret constantia: aut si retineret suam animi magnitudinem, varium & multiplicem ei afferret dolorem, recordatione eorum quæ molestia afficiunt. Porro aũt iubet etiam exiguum ei dari nutrimentum, idq; post occasum solis. Martyr vero cũ & sic habitaret & hæc videret, & nollet omnino esse cibi particeps, pro omnibus apud se versabat suum in Christum desiderium. Id autem erat illi & cibus sufficiens & solatium obscu ritatis. Ei vero videbatur etiam singulis noctibus socia certaminis Theo dote, & cor eius replens lętitia, viresq; & animum addens ad certamina. Quã etiam sæpe ventitantem, quæ nullum siuit bonum non examinatũ Anastasia, hoc quoq; interrogauit, quonã modo ad eam veniret post mortem. Illa autem dixit hoc quoq; 8 datum esse à Deo animabus Martyrum, vt postquam hinc excesserint veniant ad quos velint, & cum eis sermones conferant & eos consolentur. 8 *Aduerte quantam post emigrationẽ ex hoc seculo sanctorum Martyrũ animæ potestatem habeant à Deo.*

Cũ venisset vero dies tricesimus, existimans Præfectus fame & alia afflictione confectam esse martyrem, & aliquid de sua remisisse constantia, vbi eam accersiisset, & alacriorem liberiusq; q̃ prius loquentem vidisset, iratus fuit custodibus, vt qui ei dedissent aliquid quo se reficeret. Illorum itaq; benignitatem accusans tanq̃ crimen, eos remouet à custodia. eam vero committit aliis, quos sciebat lubenter omnia facturos ex eius animi sententia. Cũ eos ergo ei præfecisset, & aliis triginta diebus eã custodire iussisset, & signaculis custodiam obsignasset, abiit. Illa aũt etsi secum ita ageretur, non cessauit tñ facere ea quæ consueuerat: sed in vehementi 9 oratione & nocturna statione & assidua extensione manuum perseuerabat. Deinde cũ Præfectus illinc eam eduxisset, condemnat cum multis aliis reis, vt in profundum maris proiiceretur. Erat autem vnà cũ iis etiam quidam vir pius, nomine Eutychianus. qui ipse quoq; propter fidem in Christum nudatus facultatibus, condemnatus fuit vt iaceretur in mare. 9 *Vide Sanctæ Martyris pia in carcere exercitia.*

Postq̃; vero in medio mari fuerunt qui eos ducebant milites, ipsi quidem cimbam quandam ascendentes, in terram nauigarunt: nauem autem quæ ducebat Christi martyrem cũ Eutychiano & cęteris condemnatis, cũ vndiq; perforassent, eam cum in tanto versaretur periculo, relinquunt fluctibus. Sic nauem mare tegebat, & eis parata à Deo adiutrix missa beata 10 Theodote, & velo insidens cernebatur: & clauum dirigens securissime, eis nauigantibus cursum præbebat secundissimum. Ad terram autem nauem duxit sine periculo. Quinetiã ostendit Eutychianum fuisse connumeratum inter Christi martyres. Tunc itaq; qui erant in naue condemnati, obstupefacti miraculo, ad Eutychiam pedes procidebant & Martyris: & rogabant vt docerentur rationem fidei. Ea ergo quę petebãt 10 *O q̃uantam habent Sancti dei potestatẽ. Nota mirabile hoc sanctæ Martyris factum.*

consecuti, & in pietate vt oportet initiati, in Christi gregem sunt cooptati, qui erant omnes simul centum & viginti viri.

Hæc tertio post die significantur Præfecto. Qui cum statim magno studio totum hunc chorum nuper initiatum comprehendisset, & ad tribunal sistendos curasset, eos arbitratus adhuc primam seruare sentētiam, eis aurum obtulit & diuitias, & honores partim quidem iam præbebat, partim vero pollicebatur, si solum vidisset mutatos, & rursus gentilem seruantes religionem. Postq̃ autem spe valde fuit falsus, fortes & validos videns eorum animos, eis contrà ostendebat enses nudos & ignem & catapultas & sartagines. Si nolitis, dicens, at hæc vos inuitos persuadebūt sacrificare. Postq̃ autem illi ex ęquo neque vincebantur à malis, nec ab iis quæ bona videbantur conuertebantur, cū eos prius multis affecisset tormentis, deinde etiam iniqua morte eos condemnat. Generosam vero Christi martyrem iubet tribus palis alligatam, & igne vndiq; circundatam, sic finem subire martyrij. Quod quidem cum celeriter factum esset, ipsa quoq; in manibus Dei suum deponit spiritum XXII. mensis Decemb.

11 Apollonia autem quædam mulier genere insignis, precata Præfecti vxorem, accipit sacrum corpus Anastasiæ: & cū ipsum 11 præclare & vt oportebat honorasset, deponit in orto domus suæ. Postea vero templum quoq; excitat Martyri præclarum & magnificum, & postea anniuersarium ei festum celebrat. Post annos autem multos, ciuitatum felicissima, Constantinopolis, inquam, eius ad se exportatas suscipit reliquias. & eas deponit in magnifico templo et ea digno, thesaurum 12 bonorum. fontem miraculorum. corroborationem animæ & corporis. Ad gloriam patris, filij & spiritus sancti, vnius diuinitatis & regni. Cui conuenit omnis honor maiestas & magnificentia, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

11 Vide sacrum Martyris corpus splendide & honorifice deponi, uide templum ei præclarum & magnificū extrui, uide festum etiam anniuersarium ei celebrari.

12 Ecce quæ & quanta reliquiarum sanctæ Martyris præconia.

MARTYRIVM SANCTORVM
decem Martyrum, qui in Creta subiere martyrium.

Decemb. 23.

ALIVS quidem aliquid aliud persequatur oratione, illius quæ vulgo iactatur Cretæ. Alius quidem pulchritudinem. Alius verò magnitudinem. & alius quidem mœnia & portus. Alius autem aëris temperationem: & fructuum fertilitatem. Ego vero id quod alia vincit omnia, & quam solam eius opifice dignam dixerim feracitatem, eam dicam ante alia. Quisnam est autem hic fructus, & quodnam est tantum insulæ ornamentum? Quid aliud nisi diuinus chorus martyrum, & qui laudatur numerus, & quod omnium quidem est spectaculorum iucūdissimum, & acromatum omnium vtilissimum? Decem, inquam, illi pro Christo martyrij coronis redimiti qui ex ea quidem processerunt, fortissime autem pro Christo subiere martyrium. qui eam pro alimentis re uera pulchre sunt remunerati, cum eam tanto 1 honore affecerint, vt in ea per martyrium fuerint consummati. Quomodo vero paucis iam dicet oratio.

1 Vides quomodo ex sanctis Martyribus ciuitates honore afficiuntur?

Decius ille qui magno fuit furore percitus, & ad puniēdos Christianos omnium fuit violentissimus, is tunc sceptra tenens imperij Romanorum,

huius insulæ constituit Proconsulem, virum quendam qui eodem quoq; nomine appellabatur, nempe Decius, non minus autem q; in nomine cōueniebat in moribus. Qui cum fuisset in Creta, rem paruam existimauit, & quæ nullam haberet immanitatem & sæuitiam, omnes qui sunt in ea Christianos, postquam subiecisset innumerabilibus generibus tormentorum, deinde acerbe tollere de medio. Quærebantur ergo omnes & inueniebantur, & comprehensi ad ipsum ducebantur. Cum quibus hic quoq; sacer chorus, præstantissimorum virorum denarius, veluti ex optimis eximij selecti ciuitatibus. quorum alios quidem maxima omnium quæ illic erant prębuit ciuitas: alij autem orti erant ex aliis. communiter vero simul omnes festinabant ad vnam quæ est in cœlis ciuitatem.

Ii cū tunc stetissent ante Proconsulem, quos non tunc quidem sermones libere habuerunt, quibusnam autem factis non obscurarunt sermones? & quodnam quidem tormentorum iter non persuaserunt? quodnam autem supplicium non superarunt tolerantia, cæsi torti. per terram tracti. lapidibus appetiti. irrisi. consputati. & omne genus ferentes sublannationis? Sed erant hæc quidem illis futurorum gymnasia & veluti quędam pręexercitationes. Postquam autē oportebat eos magna currere Olympia, temporis, inquam, tormentorum: erat vero dies pręstitutus. x. Calen. Ian. & paratum quidem erat tribunal: & præsidebat Proconsul: ducebantur autem Athletæ: pleni vero erant ambo, hi quidem animi alacritate: ille verò furore & insania. Et ille quidem erat propensus ad puniendum vsque ad mortem. hi verò parati erant sustinere vsq; ad extremum spiritum, iracundo & cædem spirante vultu eos intuens, Quęnam est, inquit, tanta amentia? q neque ratio neque tempus vos id docuit quod est futurum conducibile? Deinde perinde acsi sola q; præ se ferebat ira eos perterre fecisset, & iam eis vt parerent persuasisset, Sacrificate, inquit. Sin minus, ego quidem nihil dicam amplius. Vos autem scietis paulopòst quisnam sit Decius cui vos non vultis nunc morem gerere.

Ad hæc Martyres, Nos quidem, inquit, ò Pręses, respōderunt, & verbis & factis & etiam tempore satis magnam dedimus experientiam, q neq; Diis sacrificabimus: neque ad hoc alicuius alterius cedemus sermonibus. Sed neque, interpellans dixit impius, vobis ò impij, erunt curæ vlla tormenta. Nequaquam, dixerūt sancti. propemodum enim hoc nomine tibi habemus gratias, quod nobis dederis vt his accipiamur epulis. Sed non sic, inquit præses, erit deinceps. Sed scietis quanta sit maximorum Deorū potentia, quos vos tam impudenter maledictis insectamini, neq; hos qui adsunt reuerentes, qui simul sunt multi & sapientes: qui inter Deos quidem primum Iouem, Deinde Iunonem & Rheam & reliquos colunt. Quæ enim primum sustinuistis, erāt veluti solum vmbræ suppliciorum. Nunc autem tam multis suppliciis cruciabimini, vt non vestra audacia ab eis solum comprimatur sed aliis quoque metum incutiat, qui æque ac vos sunt inobedientes, si modo vlli sint eiusmodi.

Ad hæc rursus viri fortissimi. De Ioue quidē ò Præses, & illius matre Rhea nihil nobis dixeris. Neque enim apud eos qui ignorāt verba facis. Scimus enim, vt qui à patribus nostris audiuerimus genus eius & fortunam & mores. Sepulchrum autem, si vis, etiam præsentes indicabimus. Nam ipse quoque in Creta ortus est. Fuit vero eorum qui in ea habita-

bant Tyrannus. Erat autem adeò intemperans & procliuis ad libidinem, vt non solum in fœminas sed etiam insaniret in masculos. præstigiis vero vtebatur & malis artibus, se callide mutans propter summam intemperantiam, & singulis horis se polluens nefariis concubitibus Quidam autem qui eisdem laborabant vitiis & imitati fuerant illius abominationẽ, Quid est enim tam facile q̃ mali imitatio? & eum Deum esse pronunciant, & ei templa excitant & sacrificant, vt quod eis placet, Deo quoq; videatur placere. & sic non solum Deo inuisum, sed etiam, proh dolor, diuinum existimetur, se libidinose & intemperanter gerere.

Diuino hæc loquente choro, Proconsul quidem disrumpebatur vt qui conuinceretur. multo autem magis furebat etiam populus: & impetu ferebantur ad comprehendendos martyres. & eos manibus propemodum discerpsissent, nisi Decius & voce & manu eos cohibuisset. & cum iussisset eos quiescere, acerbius illis mortis genus machinabatur. Et sanctos quidem statim arripuere tormẽta. alios quidem alia, sed acerbitate & magnitudine doloris similia. Nam alius quidem ex ipsis suspensus, ferreis lacerabatur vngulis. nerui vero diuellebantur. carnes autem illius in terram defluebant. Alij vero lapidibus & acutis sudibus sauciabãtur latera vsq; ad ossa. Alij quidem graui plumbo verberato dissoluebantur compages, ossaq; confringebantur & conterebantur. Alius item aliter. est enim vel solo auditu miserabilis acerbitas suppliciorum, Etenim quõ iis qui sunt paulo misericordiores hęc videre est intolerabile: ita etiam sigillatim persequi & audire est longe molestissimum. Sed Martyres hæc etiam patiẽtes, adeò facile, aut, vt verius dicam, iucũde ferebant, vt qui aderant coniicerent, eos non tam dolore propter ea quæ sustinebant, q̃ ęgreferre q̃ non essent plura tormenta.

Omnes itaque ad eos confluebant tanq; ad res nouas & admirabiles, tam fideles, q̃ quibus manca erat pietas. Sed illi quidem, vt admirarentur Athletarum constantiam, & suam confirmarent pietatem: hi autem vt irriderent eorum tolerantiam, & eorum plagis quodammodo lætarentur propter insignem crudelitatem. Quãobrem nõ modo nulla mouebantur misericordia, sed etiam Præsidem & lictores magis irritabant ad sæuitiã. Et hi quidem sic incitabant: ille verò iubebat: lictores autem exequebantur. Porrò autem Præco quoque clamabat. Parcite vobis ipsis. Parete principibus. Sacrificate Diis. Martyres autem etiam in tanta copia rerũ asperarum, erant omnibus simul superiores. turba. pręcone. tormentis. ipso Præside, & ante eos, omnium principe Satana, & vniuersis quæ eis subiiciuntur copiis. Omnes enim veluti signo date vnam simul vocem tollunt. Sumus Christiani. Christi hostie. Christi victimæ. etiamsi millies mori oporteat, lubenter moriemur.

Cũ autem Martyrum negotio omnia postponerentur, qui erat valde promptus Satanæ minister Decius, desperans fieri posse vt persuaderet adhuc & cogeret, fert in eos mortis sententiam. Ducebantur itaque sancti vt ense interficerentur ad locum qui parum quidem abest à ciuitate, ab incolis vero vocabatur Alonium. Ad eum festinantes Martyres, ostẽderunt nouum quid & quod videbatur insolitum. In toto enim cursu martyrij, inter se vnanimes & simul conspirantes, in hoc solum contendebant quisnam eorum primus ensem subiret, & primus coronã acciperet. Hanc

autem

autem litem componit Theodulus, qui erat vnus ex hoc diuino choro: dictitans ꝙ is futurus esset primus qui omnium vltimus excederet, cũ nihil turpe & indecorum ex spectaculo aliorum sustinuerit, sed sic re uera multa certamina subierit. Placuit omnibus quod dixerat. Et primum quidem ad Deum communem hymnum canũt. Benedictus es Domine, dicentes, qui non dedisti nos in captionem dentibus eorum. & quæ deinceps scribit Psalmographus. Deinde etiam ad locum accedentes fecerunt vnusquisque orationem. Parce Domine seruis tuis, dicẽtes, & suscipe sanguinem nostrum pro nobis. pro nostris. pro patria. vt ea liberetur à tenebris ignorationis: & puris oculis contempletur pietatem & te veram lucem ò Rex æterne.

Postquam sic precati essent vnusquisque sacra & victoria insignia eis sunt amputata capita, cũ se patriæ distribuissent, & sanguinem quidem infernæ, nempe eum qui interit, intereunti: spiritum autem dedissent supernæ: ei quæ semper manet, eum qui est permanens. Cũ vero post consummationem recessissent lictores, quidam ex eorum cognatis qui in eo loco remanserant, horum sacras venerabiliter componunt & deponunt reliquias. Et tunc quidem mortuos habuit quæ illos tulerat. Postea autẽ qñ vis veritatis, veluti quædam Zona aurea, comprehendit maximam partem orbis terrarum, Paulus mittitur in insulam, vt eas ad nouam Romam deduceret, ad reginam, inquã, vrbium. Paulus ille, cuius est magnum nomẽ sanctitatis, gloriosæ Romę Pontifex, & qui moribus magis ꝙ̃ throno erat insignis. cuius vel sola apellatio erat flagellum ad pellendos Dæmones. Is cũ accepisset aliquos delectos ab Imperatore, qui eius cepto opem ferrent, venit ad gentem Cretensem. & cũ amouisset terram reliquiis impositam, inuenit eas, ò Rex Christe, similes viuentibus & interitu superiores, perinde acsi inesset adhuc spiritus, & eis humor tãquam ros insideret matutinus. Cum eas ergo illinc sustulisset cum miraculo, eas tradit præclaræ & reginæ vrbium, & nunc sunt vbi sunt repositę reliquię martyrum infantium. communes 2 seruatores & Præsides ciuitatis, & vigilãtes custodes in omnibus rebus molestis. Quorum intercessionibus detur nobis consequi bona eis reposita. Gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri & sancto spiritui gloria & potentia nũc & semper & in secula seculorum. Amen.

2 *Ecce hic habes tria notatu digna. Sanctos esse communes seruatores & Præsides ciuitatis, Vigilãtes custodes in omnibus rebus molestis, Eorum intercessionibus dari nobis reposita bona cælestia.*

MARTYRIVM SANCTÆ *Martyris Eugeniæ.*

Decemb. 25.

COMMODO post Marcum suum Patrem, Romanũ tenente imperium, cum iam septem annos in eo transegisset quidam Philippus vir illustris Ægypto præficitur. qui simul cum vxore Claudia & filiis mittitur in Ægyptum. Ei erant duo quidã filĳ masculi, Auitas & Sergius. filia autẽ, nomine quidem Eugenia, animo vero generosa, sicut etiam corpore & forma insignis. De cuius vita propositum est dicere viris bonis & virtutis amatoribus. Atque Philippus quidem postꝗ̃ venit in magnam Alexandri ciuitatem, illic omnia administrabat, romanos & patrios sequẽs mores. Et infestus

quidem erat iis qui artem tractabāt magicam: infestus autem & Iudæis: illorum quidem multos de medio tollens: Iudæos vero ne sinens quidem nominari initius autem agebat cum Christianis, ipsos quidem etiam expellens è ciuitate: sed ante muros, cū ita iussisset Imperator, eos sinens degere & habitare. Aperte autem ostendebat se Christianos quidem reuereri propter perfectam vitæ philosophiam: & ideo eos etiam præferens cultoribus simulachrorum. Ipse vero cū rursus teneretur à superstitione & falsa religione quæ à patre ei fuerat tradita: amaret autem eruditionem & eloquentiam, Eugeniam quoque suam filiam in disciplinis educauit liberaliter. vtrunq; docens, nempe & Romanam & græcam orationem, & studens videre eam valde prouectam in philosophia. Illa autem cum docili ingenio addidisset etiam exercitationem, celeriter aduolauit ad doctrinam, animum quidem adhibens omnibus quę erant vtilia omnia: autem quibus animum adhibebat mente facile apprehendens: quæ vero didicisset ita tenens memoria, vt viderentur scripta esse in eius corde tanquam in tabulis æneis.

Cū sic doctrinę esset dedita: nihilo secius erat etiam suapte natura studiosa virtutis. & erat quidē digna cuius cerneretur species, & digna cuius audiretur oratio. ad imitandum autem erat omnibus vtilis & salutaris. & quod est omnibus admirabilius, cum nondum excesisset ætatis annum decimum sextum, in morum honestate & studio virtutis, superabat eos qui erant ætatis longe prouectioris. Cum autem latere non posset oīa peruadente fama, hanc quę erat virtute clarissima, in administratione reipublicę clarissimus despondit Aquilinus qui tunc erat Consul, & alioqui tenebat primum locum apud Romanos nobiles. Postq; vero rogauerūt parentes, nunquid ei cordi esset cōiugium & gratus sponsus, hic maxime Eugenia ostendit die signum generosi animi. Quiduis enim potius pati sustinens q̄ sibi charam expellere virginitatem, & amittere castitatem, parentes arte decipit. & viri quidem genus laudauit, mores autem reprehendit. & oportet, inquit, vt plurimum illos sponsos eligere qui generi ornamentum afferunt, non qui volunt ornari à genere. Cū autem multi etiā alij eam peterent à parentibus, clari opibus & genere, ne illi quidem omnino in omnibus defuit honesta excusatio. Sed specie quidem repellebat eum qui nunc volebat ducere vxorem: re uera vero omnino recusabat matrimonium. & hoc erat cuius solum studio tenebatur, nempe vt esset casta. Sic vas quod erat speciosum & mundum, paratum erat scilicet ad diuinum vnguentum suscipiendum. Propterea bona opera bona quoque fides mox est secuta: & pura accesit ad purum fontem pietatis. Rei autem hæc fuit occasio.

Venit ei in manus Pauli diuini Præconis diuinus liber epistolarum. & cū ad ea quæ dicebantur intelligenda mentem suam defixisset, & cognouisset vere vnum esse Deum qui fecit hoc vniuersum mente quidem statim illuminatur, vt quæ eam diu antè haberet purgatam, & parata esset ad diuinum spiritum suscipiendum Cùm autem in præsentia mente Christo credidisset, in aperto parentum suorum celans furorem. Postquā vero venit decretum Imperatoris, extra muros expellens Christianos, & & Præfectus hoc iā aggrediebatur, ipsa desiderans secure frui Christianis & eorum doctrina, fugit quidem, se vt rure recreet, & bona fruatur aëris

temperie, excedere è ciuitate, & vt parum relaxet animum à studiis doctrinæ. Postquam autem nihil suspicati parentes, eam facile dimiserunt, egreditur in vicos. Cũ venisset autem in quoddam prædium, & in eo incidisset in multos Monachos valde honestos & numerose canẽtes, audit sacrosanctam illam vocem, Omnes Dij gentium Dæmonia. Dñs autem cœlos fecit. Hoc cum illa audiisset, & tanq̃ ob patrium errorem pudore perfusa esset, miserabilem quidem & profundum è corde emittit gemitũ.

Conuersa vero ad Eunuchos qui eam sequebantur, quorum vnus quidem vocabatur Protas, alter autem Hiacinthus: audiuerant vero ij quoque philosophiam. Vos quidẽ scio, inquit, in disciplinis satis esse versatos, & Philosophorum percepisse dogmata quæ Socrates & Aristoteles & Plato & clara tradit Stoicorum secta & opinio Epicureorum: Similiter autem aliorum quoque Sophistarum & Poëtarum, & quicunque gloriantur se non esse ignaros eorum quæ sunt cognitionis. Sciatis ergo hæc omnia apertas esse fabulas, & nihil aliud q̃ probabilitatem quæ potest multos decipere. Atque Græcorum quidem qui se de sua valde iactant doctrina, alij nec omnino esse Deum, alij verò multos esse & maiores & minores putauerunt. Hi vero omnes vno verbo excludunt, cum dicunt, Omnes Dij gentium Dæmonia. Est enim impietatis hæc perfecta & absoluta deletio. Illud autẽ, Dominus autem cœlos fecit, hoc vnum aperte Deum inducit, & communem nostrum Dñm reddit nobis cognitum. His conuenientia tradit etiam Apostolus Paulus. Inducunt enim me quoque eius verba, quæ ipsa heri legi & nudius tertius, quæ declarant vnum esse Deum vniuersorum. Quibus nos quoq; credimus, vt quę sint valde clara & fide digna, & quæ fidem faciant ex ipsis operibus.

Vobis ergo si velitis, promptus est & expeditus modus salutis. Ego autem non me amplius in vos geram tanq̃ Dominam: sed conserua ero & soror. Communem enim Dñm & patrem habebimus Deum. Vt qui ergo simus vnius Pastoris, & tanquam fratres vnum spirãtes, communi sententia veniemus ad Christianos. Audio enim à quodam Heleno hic factum esse monasterium: & illum quidem propter virtutis magnitudinẽ ascendisse gradum episcopatus: quendam autem Theodorum fuisse eius loco institutum & præfectum administrationi monasterij: eumq; tam pręclare suo gregi præfuisse, & ad eam diuinam gratiam peruenisse, vt & Dæmoniacis & ægrotis, illis quidem vexantem spiritum, his verò morbum facile expellat: quinetiam cæcis oculis desideratum Solem præbeat vidẽdum: & iis qui ei subiecti sunt Monachis ita augeat exercitationem, vt nullam prætereant 1 partem diei ac noctis quæ non consummatur in perpetuis precibus & canticis. Horum monasterium nullis licet fœminis ingredi: neque fas est eum ab vlla aspici muliere. Sed vos mei capitis comam tondete, & hos crines auferte: & virili me veste induite, & noctu ad eos ducite: vobis quidem me prope currum sequentibus, reliquis autẽ famulis simul præcedentibus & sequentibus: vt qñ fuerimus in ipso loco, eius quod factum est nullum sensum omnino prębeamus. De cętero vobis curæ sit vt cũ portas ingressi fuerimus, salutẽ, vt par est, adipiscamur.

1 Vide rem miram, Nulla pterierat diei ac noctis pars, quæ in monasterio Heleni non consummaretur precibus & canticis.

Placuerunt Eunuchis quæ dicta sunt. & ea studuerunt ad effectum deducere. Porro autem felix quoq; signum consequuntur. Nondum enim peruenerant vt ingrederentur monasterium, & magnus inter Episcopos

Helenus, venit ex Heliopoli, & cum multitudine virorum hæc veluti signo dato canentium. Via iustorum directa est. via sanctorum parata est. Hoc & iis qui erant circa Eugeniam auxit fidem: & effecit vt illa mirandum in modum lætaretur. Tanq́ certe nacta occasionem, eos qui circa se erant magis accendit ad pietatem: & multa alia dicens quæ ad tempus pertinebant & locoq́ conueniebant: & q̄ non forte fortuna, sed diuina quadam prouidentia, hæc audiuisset & ea quæ prius canebantur diuini Dauidis: sed illa quidem esse quæ eam inducant ad pietatem: quæ autem nunc canuntur, quæ adhortentur ad viã virtutis. Hæc cũ dixisset, & iis qui psallebant se & suos admiscuisset, cum illis viam perfecit: quo quidem tempore & multa alia admirabilia audiuit turbas de Heleno narrantes, vt ostenderent quantus esset in miraculis, & q̃ cũ is sæpe opus habuisset igne, visus sit ardentes carbones ferre in vestibus, illis nihil ex igne læsis. præterea autem & quæcunque alia asidue faciebat miracula. cuiusmodi est hoc quoq́, dignum quod narretur, & mandetur memoriæ.

Aiunt quendam Magum qui vocabatur Zareas cum maleficæ artis summam attigisset fastigium, in illis locis esse versatum ad multorum exitium, magna & varia fraude vtẽtem. quem inter cætera dicunt ausum esse aliquid eiusmodi Deo maxime inuisum, nempe famam sparsisse inter eos qui illic habitabant, q̄ ipse quidem esset à Christo missus benefactor hominum & Doctor bonus, mendax autem Helenus, auctoritatem docendi sibi falso tribuens. Existimabat enim q̄ si Pastorem aduersus gregẽ ad bellum concitaret, eos deinceps tanq́ oues quæ non sunt custoditæ aggrediens, non contemnendam prædam præberet patri suo Diabolo. Hæc ille dicens, fidem faciebat sua improbitate. Scitis enim q̃ sit malitia efficax & q̃ facile multos attrahat. adeò vt ad Helenum turba accedens ei dixerit, vt vel ipsum doctrinæ assumeret socium, aut certe inter se disputarent: vt ipsi ei qui vinceret accederent. Lubens itaque Helenus adit periculum cum eo disputandi. Confidebat enim in Christo. Zaream autẽ assumere socium, hominem qui gloriabatur Dæmonum præstigiis, hoc existimabat vel solo esse auditu abominandũ. Postquam ergo dies affuit præfinitus, accessit ad disputationem. Et primum quidem eum acriter est adortus: & crebris Magum inuasit argumentis. Postquam autem vidit eum vti arrogantia & insolentia tanquam armis, & contendere sibi parare victoriam, non ex veritate, sed ex impudentia, permisit facto iudiciũ. & iubet magnum ignem accendi in media ciuitate: ambos autem flammam ingredi: & qui eorum maneret illæsus & igne fortior, eũ esse aperte qui à Christo est missus, & dignum esse qui doceat illius clerum.

Postquam vero verba ad rem sunt deducta, & flamma iam fuit in altum sublata, metus quidem statim inuasit Zaream: & iubebat primũ ingredi Helenum, hoc apud se, vt videtur, cogitans, q̄ vel non audens, dedecore Helenus afficietur. aut si ausus fuerit, emittet animam. & sic facile fuerit ei vincere, cum fortè amiserit aduersarium. & sic omnes poterit ad se trahere Postquam autem vir ille diuinus professus est se primum subiturum periculum: & cum precatus esset, rogum est ingressus: illum vero non latuit quisnam esset, & nec illius quidẽ pilum ausus est tangere, tunc aiunt Magum illum metu & terrore repletum, recessisse quidem, & aperte ostendisse se vitare periculum, aut Plutonis galeam subeuntem latuisse.

tuisse. à multitudine autem protrusum, fornacem vel inuitum intrasse. quæ eum æque facile iam comprehendebat & depascebat, atque quanuis aliam aptam ad vrendum materiam. & nisi magnus Helenus miseri calamitatis misertus, eum, cũ iã esset semiustus seruasset, ipsa magia & callidis suis inuentis omnino periisset: sic pulchre igne fraudem puniente cum veritate. Hæc illis dicentibus, beata illa præ gaudio varie afficiebatur. lætabatur. admirabatur. eos qui narrabant rogabat vt per ipsos adduceretur, & Episcopo commendaretur ipsa & fratres quos adducit: & sic in hoc monasterio communiter viuerent. Ita obnixe rogans, persuadet cuidam ex iis qui aderant qui vocabatur Eutropius, vt hæc omnia ei fierẽt, & preces deferret ad Episcopum. Qñ, inquit, diuertit & paululum requieuit, ille opportune & in otio præbet ei qui dicit audientiam.

Interim autem dum hæc inter se loquebantur, appropinquarunt monasterio. & ipsi intrarunt cum Episcopo. Vna vero cum eis ingressa est Eugenia, adolescenti planè similis & coma & vestitu. Cũ iam autem incitatus fuisset Eutropius ad significandum de ea Episcopo, quoddam somnium se obtulit Heleno, qui post diuinam mysterij celebrationem ad somnum declinauerat. Erat vero huiusmodi somnium. Sculptum quoddam mulieris simulachrum videbatur à viris ferri honorifice, & id ab eis tanquam Deum reputari. illum autem ęgreferentem q; homines deciperentur, dixisse ei Deæ quæ erat apud ipsos. Itane cũ sis à Deo creata & nobis cõserua, sustines ab ipsis adorari & Deo parem reputari? Illa vero cũ hoc audiisset, protinus cum adhuc portaretur, à viris quidem recessit: eum autem est secuta, tales voces emittens. At ego à te minime recedam, donec me adduxeris ad creatorem. Hæc Helenus quidem vidit in somnis. Excitatus autem apud se dubitabat quonam rediturum esset quod à se visum fuerat. Statim vero aduenit Eutropius, qui tanquam de viro loquẽs de Eugenia. Viri, ait Episcopo, tres, fratres animis, fratres corporibus, abiuratis modo rebus gentilium, in tuo grege versantur, ad Christum accedentes, & diuinum baptismum rogantes assequi: & deinde tonderi, & referri in numerum horum Monachorum. Cũ sint autem iuuenes & à se inuicem pendeant admirabiliter, hoc petunt præter cætera, vt à se inuicem nulla in re disiungantur, nõ in operatione. non in habitatione: neque in aliqua alia conuersatione: sed diuidi non possint qui sic sunt coniuncti in Christi nomine. Hæc mihi dixerunt, lachrymis vultum eorum rigãtibus: & vt omnia tibi declararem vehementer rogarunt.

Cũ ex his coniecisset somnium beatus Helenus, & vt oportebat, pro omnibus Deo egisset gratias, iubet eos tres simul ei sisti in conspectum. Postquam autem accessissent, statim dextra apprehendens Eugeniam, & eam alloquens hilarius, placido & læto vultu rogauit eorum nomina, genus, & patriam. Illa vero verecunde & cum eo qui virginem maxime decet rubore, Nobis quidem, inquit, ò diuinum caput, patria & genus est gloriosa Roma. Fratres autem sumus inuicem. Nomen vero primo quidem est Protas. secundo autẽ Hyacinthus. mihi vero Eugenius. Iucunde autem eam intuens beatus Helenus. Merito te Eugenium, inquit, vocas ò Eugenia: vt nomen tuo respondeat spiritui, cũ virilem habeas animam, & valde te masculam ostendas in omnibus. sed proposito adhuc vincas naturam, & in Christo confirmeris & inualescas. propter quem nunc cũ

sis mulier te virum esse simulas, propter eius amorem mutato & habitu & nomine. Hæc autem dico, non tibi sexum exprobrans fœmininum, nec te volens traducere: sed vt scias quantæ sis Deo curæ: & quemadmodum mihi hæc omnia de te nihil celans ostenderit, quisnam sis: & quemadmodum veneris: & quinam sint ij qui sunt tecum: & quænã tibi in hac vita gloria obtigerit & genus. Stude ergo ó Eugenia, non minus te animo generosam ostendere q̃ corpore. Nam hoc quoque non minus q̃ alia mihi Deus significauit, ꝙ te ei purum præpararis receptaculum, virginitatem quidem conseruans immaculatam, cor vero in quod non cadit reprehẽsio, & huius mundi quidem gloriam reputans ignominiam, diuitias autem paupertatẽ, voluptates verò molestias, & nihil magni ac præclari habere eam quæ est apud homines nobilitatem. illam vero solam amans, à qua excidimus propter primum, & hęredes facti sumus per secundum Adam. Et hæc quidem Eugeniæ Helenus.

Eugenia. i. generosa.

Protæ autem & Hyacintho, Vos vero, inquit, neque enim placuit Christo vt vos lateretis, qui fortuna quidem serui, mente autem estis liberi, & nulli domino subiectam conseruatis animæ dignitatem, virtutem extollentes & magni facientes, Quibus Christus quoque dicit. Non vos voco amplius seruos sed amicos. Beati propter libertatem, vel potius propter amicitiam & cum Christo coniunctionem. ꝙ cum illius iugum subire elegeritis in vno inter vos consensu & conspiratione, huius beatæ cæpto nullum attulistis impedimentum. sed nunc quoque cum ea estis prompto & alacri animo: & cũ illa è vita excedente etiam illic simul eritis, & easdem quas illa coronas & præmia consequemini. Hæc cũ nullo alio præsente dixisset Episcopus, Eugeniam quidem permittit manere in habitu virili. cũ hoc nulli esset cognitum, neque primum, neq; postquam eam allocutus est Episcopus. Quæ quidem simul cum Eunuchis nõ prius eum dimisit, q̃ illius manibus diuinum consecuti baptismum, & mutarunt habitum, 2 & cooptati sunt in numerum monachorum. Quæ autem deinceps sunt consecuta, & quemadmodum deinceps parentes propter eam sunt affecti, & quænam de ipsa quidem cogitarunt, & quãtum dolorem acceperunt cũ spe frustrati essent, nam hæc quoque sat scio scire sititis nequaquam par est prætermittere.

2 *Ecce quomodo etiam olim qui monachi fiebant, mutabant habitum, & tondebantur, si ea iungas quæ superius dixit Eutropius.*

Postquam enim intempesta nocte, nemine quod factũ fuerat sentiente, Eugenia quidem sine strepitu descendit de curru: Hyacinthus autem & Protas ab aliis similiter sunt separati: inane vero vehiculum secutum est eos qui præcedebant, qui præibant famuli partim quidem propter tẽpus, partim autem quod celatum sit id quod gerebatur, nihil eorum quę peracta fiebant sentientes, q̃m eos sequebatur animal, & maxime Deo huic rei prouidentia sua opem ferente, ita recta iuerunt Alexandriam. Postquam autem iam fuerunt prope ciuitatem, qui resciuerunt quidem è domo exierunt, cum maximo gaudio suscepturi Eugeniam, ante ambulonũ vidẽtes multitudinem & alium deinceps conuentum puerorum. Cùm vero iam propè essent & alacri animo ad vehiculum accurrissent, & cathedram quidem vidissent vacuam, nusq; autem Eugeniam, re inopinata & quam nunq; sperassent obstupefacti, ad lachrymas & luctum de cætero sunt conuersi: & communiter commune bonum deflebant, Quid factum est? Quid actum est? Quodnã malum inexpugnabile nobis accidit, dicentes.

Deinde nomine vocabant Eugeniam, vultum ferientes manibus, plangentes, & plane temulenti dolore. Sed hæc quidem foris faciebant amici & noti, & quibus nulla cum ea intercedebat cõiunctio sanguinis. Eorum autem qui intus erant, quis satis tragice descripserit calamitatem? Parentes enim propemodum venerũt ad laqueum: & propemodum se ense confixerunt, Quid non loquentes miserabile? Quid nõ facientes dignum lachrymis? Genas lacerabant. puluerem capiti infundebant. se humi turpiter prosternebant. acerbe exclamabant, parentes filiam, fratres germanam. serui dominam nullus inuulneratus. nullus liber ab animi perturbatione. tam vehemens inuaserat domum absq; igne incendium.

Sed postquam inutiles viderunt esse lachrymas, conuersi sunt ad quærendam charissimam. Interrogabant Mercatores, percontabantur Agricolas, prædiorum habitatores, & viarum custodes. sciscitabantur vates, ventriloquos, & omnia Dæmonum oracula, & ea placabant & colebãt sacrificiis. Cũ autem non inueniretur ea quæ quærebatur, parentibus vnũ excogitant, qui eius quod est graue videbantur quærere solatium. Fingũt quandam fabulam nihil dissimilem iis quæ canuntur apud Græcos. ꝙ cũ Dij capti essent amore Eugeniæ, eam in cœlum rapuerunt. Quod quidem patri, vt cuius aures talibus assueuissent, gratum erat & acceptum. & filiam insignibus afficiebat honoribus. Quamobrem auream ei erexit statuam. & tanquam nouæ Deæ cepit sacrificare. Mater autem & fratres Abitas & Sergius non ita se habebant: Sed iis quæ dicebantur dubitantes credere, valde lugebant. Atq; Eugenię quidem fuga & quemadmodũ nõ solum parentes, sed eos etiam qui ei bene volebant, affecerit, ita habet.

Eugenia autẽ in diuinis scripturis versabatur & meditabatur assidue: & parandæ virtutis magnam curam gerebat. Quo factum est vt cũ non plusquam duos annos transegisset in monasterio, omnes vinceret, mulier, inquam, viros. Quare res communis est virtus, & sexus nullum affert impedimentum ei qui se recte velit gerere. Eugenia 5 ergo primas partes gerebat in virtute. eius autem maxime erat propria modestia & moderatio. & ꝙ cũ prima esset in rebus honestis, nihilo secius esset etiam prima in eo quod essent eius moderati spiritus. Eugeniæ hæc quoque erant signa, quibus cognoscebatur ꝙ cum prima omnium veniret ad synaxes, rursus vltima omnium recederet. prętерea vero misereretur etiam cuiuslibet qui aliqua afficiebatur molestia: vere autẽ & sincere gauderet cum iis quibus erant res secundæ. quod quidem est factu difficilius propter malignitatem quæ oritur ex inuidia. quod haberet sermonem ad cuiusuis irascentis cor sedandum longe efficacissimum. adeò vt qui nõ secus ac feræ efferabatur, eius oui similem redderet mansuetudinem. Postremum hoc erat, & primum, & omnium re uera capacissimum, non ficta in omnes charitas, & quæ non amorẽ ad labra vsq; sistebat, sed etiã à media anima emanabat.

5 *Vide catalogum virtutum quæ sanctam Virginem exornabant.*

Non multum intercessit temporis, & ad eam accessit gratia curationũ cum maxima copia. Et ideo ad quoscunq; accedebat morbi visendi gratia, non solum eos verbis consolabatur, sed etiam liberabat à morbo qui eos cruciabat. Eam autem imitantur pro viribus Protas & Hyacinthus de quibus antea diximus. Cũ sic viueret Eugenia, Præfectus monasterij tertio pòst anno excedit è viuis. Ipsam vero vocabat ad Præfecturam fratrum commune suffragium. Eam enim pro viro habebãt: & virtutem

quidem videbant quæ inerat: ignorabant autem id quod apud eam latebat. Illam itaque metus inuadit & dubitatio. Neque enim æquum censebat vt quæ esset fœmina viris præesset: & communiter vocantem despicere fraternitatem, iudicabat esse peruicacis & obstinati animi. Visum est ergo ex Euangelio discere quid agendum, Deo permittente id quod erat incertum & obscurum. Postquam autem fuit explicatum, admirabiliter
" hæc vox Dñi resonabat. Si quis vult inter vos esse primus, sit omnium
" vltimus & omnium minister. Hoc dicto Præfecturam quidem subit vel inuita: se autem sic etiam dat totam ad ministrandum. Quid non faciens indignum, & quæ etiam qui sunt viles & abiecti facere dedignantur: aquam è puteo effodiens. domum verrens. manibus ligna frāgens. & alia omnia quæ sunt minima diligenter faciens. adeò vt etiam esse ianitorem lubenter sustineret, propterea quod præcepeto pareret lubentissime.

Cū sic ergo insigniter exercuisset moderationē, & in præfectura rursus resplenduisset, insistebat etiam in via quæ ducit ad Deum. ad interiora quidem, vt diuinus dicit Paulus, se extendens, eorum autem quæ retro erant obliuiscens propter prōptam et alacrem operationem. Atque quam multa quidem fecerit miracula, narrare, est alterius temporis, & operis quod proprium postulat otium. maxime cū propter satietatē oratio vitet prolixitatem. Quod vero & dictu est facile, & cui consequens est finis martyrij, & habet seriem consequentem iis quæ deinceps sequuntur, hoc iam dicetur. Erat Alexandriæ quædam mulier nomine Melanthia quæ facultates quidem habebat multorum talentorum; Dei autem timoris & virtutis erat inops. Ea cū aliquando à diuturno & graui morbo arrepta esset, erat enim horror quarto quoque die accedens, vbi fama ad eam persuasit esse virum quendam nomine quidem Eugenium, vita autem omnibus admirandum, qui facile soluit morbos difficiles, statim omnibus aliis omissis, maxima celeritate venit ad monasterium: & vehementer rogat vt liberetur à plaga quę eam premit. Misericordia itaque mouetur
4 Eugenia. & cū eam 4 sancto oleo sanctis vnxisset manibus, protinus efficit vt euomat materiam morbi efficientem. Sicque Melanthia pure consecuta sanitatem, valens quidem reuertitur. venit autem ad quendam ex suis agris, qui etiam erat prope monasterium. & non multo pòst tempore cū ex pulchro & puro argento tria vasa confecisset, ea mittit ad Eugeniā, monasterij ædi oratoriæ ea dona dedicans pro gratiarum actione. Cū autem munus oblatum non admitteret: Dicebat enim non esse Monachis vtilem, neque conuenientem argenti possessionem: sed eam esse vendendā & pauperibus distribuendam, aut iis qui alioqui opprimuntur pondere debitorum, ipsa cum venisset ad Eugeniam, & quid non dixisset aut fecisset ad persuadendum? persuadet vt accipiat argentum & reponat in templo dedicatum.

Vnctione sancti olei Eugenia Melanthiā à morbo curat.

Fuit autem pietas occasio impietatis. & verum est id quod olim dictū est, non esse vllam rem alteri tam propinquam quàm virtutem vitio. & sæpe aliquis iuxta eam vadens, imprudens ingreditur in contrarium. Quod etiam accidit Melanthiæ. Virtutis enim fortasse mediocrem curā gerens, imprudens, quoniam mentem non adhibuit, ad summam deducta fuit improbitatem. Iam enim effecta familiaris, cum ad eam iret assidue, & virum videret specie iuuenem & facie formosum, eam subit amor nequaquam

quidem

quidem illiberalis. & paulatim demulcebatur eius & deliniebatur animus. deinde etiam valde accendebatur, vt quæ existimaret Eugeniam ne posse quidem semper esse castam. sed neq; morbi propulsationem diuinę fuisse gratiæ, sed artis potius magicæ & inimici potentiæ. Hæc quæ cor eius occupauerant, & vehemens flamma amoris, & grauis incredulitas, persuadent vt audax facinus aggrediatur, & res tenebrarum libere eloquatur. Res enim grauis est amor & impudentissima. Neq; res est vlla adeò adita difficilis ad q̃ se non posse peruenire & eã consequi existimet.

Cũ itaq; degeret in agris, vt dictum est, vicinis monasterio, & perturbatione animi valde laboraret, simulat se corpore esse ęgrotam, & incredibili celeritate accersit Eugeniam, non fictum hunc morbum curaturam, sed veri & occulti miserabiliter futuram participem. Postquã autem ea quam desiderabat facies fuit intra fores, Melanthia non ferens animi motum intus ęstuantem, statim tanq̃ ex malo thesauro malos promit sermones. Et primum quidem ad nefarium incitabat coitum. Quòd si nolis, inquit, at ego te lege matrimonij palam accipiam in maritum. erisq; dñs multi auri, argenti, pretiosæ vestis. agrorum. iumentorum. mancipiorum. pro quibus me quoq; habebis ancillã pro libera & tibi in honore ęquali. & his omnibus ipse frueris. Non est enim mihi maritus, nec filij, nec cognati. Quorsum enim tam pulcher flos corporis, & venustissima species, se exercitatione perpetua tabefacit & laboribus? Hæc cũ acri & continenti spiritu persequeretur Melanthia, beata suspicabat quidem ad vnũquodq; eorum quæ dicebantur, & animi perturbatione plenam valde abhorrebat orationem. Tandem autem ad multas eius nugas caligans, cera, vt dicitur, aures obstruens, & nec amplius quidem audire sustinens, Cohibe linguam ò mulier, exclamauit, cohibe. & sint hęc procul à nobis. Expuis enim in nos ipsum virus Draconis veteris. Non prodemus castitatem. 5 non corrumpemus virginitatem. Non, ò Dei mater & virgo in quam ego confido, non fallam mea pacta conuenta. Vnum est nobis matrimonium, Christi desiderium. vnicæ sunt diuitiæ bona quæ sunt in cœlis. vnica possessio cognitio veritatis.

5 *Ecce quanta in Virgine constantia, quãta in matrẽ domini cõfidentia, ut seruet pacta conuenta castitatis.*

Hæc cũ inhonesta audiisset Melanthia, ira quæ dici non potest incēsa, est enim grauis amor & quæ non potest omnino cohiberi, profecta est Alexandriam, valde grauia parturiens aduersus Eugeniam. Deinde cum etiam difficilem ineam struxisset calumniam, venit ad Præfectum Philippum. nihil sciens ex iis quæ ei euenerant: neque ꝙ is esset pater Eugeniæ: neque ꝙ illa mutasset habitum muliebrem in virilem. Ad eum ergo accedens, ab intemperãtia transit ad calumniam: & eam incipit accusare admodum maligne & improbe, dicens. Quidam adolescens, facie quidem formosus, sed moribus valde sceleratus, Christianorum simulans pietatẽ, ad me est ingressus. & cum me aliquam putasset esse impudicam & inhonestam, primum quidem verbis fallacibus, deinde etiam manibus ad vim visus est vir audacissimus. & nisi altius exclamassem, & vt accurreret ancilla effecissem, ego tanq̃ captiua aliqua polluta essem. Ita impudens mulier illi puræ audebat suum ascribere flagitium. Hæc sic dicta, ad furorem valde concitarunt Præfectum: & vinctos ad se iussit adduci, nõ solam Eugeniam, sed etiam omnes simul qui cũ ea erant. Atque eos quidem, vt iussum fuerat, adductos, alium alibi diuersæ tenebant custodiæ.

Existimabat enim Præfectus nunquam talia conficturam fuisse Melanthiam, mulierem adeò nobilem, opibusq; & gloria insignem. Nesciēs diuitiarum & claritatis esse vehementiorem animi perturbationem, & quę potest persuadere illa quidem parua reputare, propter id autem quod ei videtur in præsentia, gratum eligere mendacium. Omnes itaq; iudices absentes sanctos propemodum condemnabant. Et ex iis, alij quidem ęquum censebant eos subiici dentibus ferarum. Alij verò in ligno suspēdi. Alij autem acerbioribus generibus suppliciorum, vnà cum calumnia punientes pietatem.

Postquam autem adfuit Domina, congregata quidē erat magna multitudo ex omnibus quę circūcirca erant vrbibus. aderat vero etiam Præfectus. & in medium producebatur Eugenia, quæ grauibus tenebatur catenis. theatri aūt clamores vndique erumpebant. & morte esse afficiendā Eugeniam communiter pronunciabant. Paratæ erant bestiæ. parata tormenta, rotæ, ignes, & alia genera suppliciorum. & per omnia acerbi tortores & ex ęquo ad supplicia inferenda sæuissimi & acerrimi. In suum itaque conspectum duci Eugeniam iussit Iudex. Quæ cū adstitisset, Hoc inquit, vobis, ò omnium hominum maxime impie, iubet vester Christus, vt nec clam quidem faciatis ea quæ sunt turpissima: sed tam impudēter & violenter aggrediamini ea quæ sunt nefaria? Quis enim tuus erat animus qn̄ tanq̄ Medicus ingrediens, & vt qui non solum esses medicus, sed qui etiam per te posses facere miracula, ea faciebas quæ corruptores & adulteri: & mulierem tam nobili loco natam, tam diuitem, & tam honestis & moderatis moribus, tanq̄ scenicam quampiam aut ex hostium regione captam, probro & dedecore afficere voluisti. Audacis itaq; tu cepti meritas lues pœnas: & malus male peribis.

Cū tam iracunde minatus esset ei Præfectus, Eugenia vultu in terram inclinato, ne in præsentia eius vultus patri euaderet manifestus. Meus, inquit, Deus non ea solum de quibus nunc à vobis accusor prohibet: sed ea etiam lege sancit quę sunt his multo excelsiora. qui me etiam nunc volēs perpetuo esse castam, prouidit vt viuerem cum his qui in pietate se exercent Monachis. quō in hodiernum vsque diem me conseruauit. vt & ipsi est perspicuum, & vobis erit paulopòst. Quòd autem mihi & tormenta & mortem minitaris, imprudens incussisti mihi timorem qui non opus habet oratione. Erubescerem enim si horum metu quęrerem me defendere, & non q̄ timeam ne res Christianorum apud vos malè audiant & irrideantur. Verūenimuero oportebat vos non tam faciles aures præbere accusatoribus, neque cū primum audiissetis tam cito condemnare: sed ambobus prius auditis, deinde ferre sententiam. & si manifestum quidem extiterit me talia fecisse, iustum luam supplicium. Sin autem hæc sunt falsa & aperta calumnia, vnam pro omnibus peto gratiam, vt hæc mulier nihil graue patiatur, nec si de nobis quidem his peiora dixerit. Sic enim nostra lex iubet & nos obtemperamus, vt nunquam mala pro malis, sed contrà bona potius reddamus. Huius rei solum mihi dato fides fiat iusiurando. neque opus habebimus vllis orationibus neque contradictionibus. sed res ipsa aperte ostendet, & facillime tui iudicabunt oculi.

Cū sic dixisset, seorsum dixit Melanthiæ, nam illa quoq; præsens aderat. Etiamsi fieri posit vt omnes lateat, at tuam non latebit omnino cō-

ſcientiam. Ne ergo teipſam videaris ignorare, & diuinos deſpicias oculos qui omnia vident & iuſte puniunt calumniam. Cum vero nihil cederet Melanthia, neque de impudentia aliquid remitteret, iubet ſtatim produci ancillam, quam dicebat Melanthia fuiſſe teſtem violentiæ. Iuſsit autem vocari, non vt quæ vera eſſet teſtificatura. Qũo enim ancilla reſtitiſſet Dominæ? ſed vt abundantius falſum conuinceretur: & cerneretur Melanthia non ſola ſed cum aliis inſtituiſſe calumniari. Cum producta eſſet ergo ancilla, & volens Dominę gratificari, non imperite mendacium mendacio contexeret. Me, dicens, ſceleratus iſte ſępe tentauit. Deinde conſueta intemperantia ei perſuaſit vt in ipſam quoque fureret Dominam. cui nolenti vim afferebat, donec illa quidem exclamauit: ego autem cum acceſsiſſem & alias euocaſſem conſeruas, à turpi conatu vix eum prohibuimus. Quas ſi velitis acceſſere, ſcietis quàm pulchre iis quæ à me dicuntur concinant. Tunc Pręfectus quidem acerbiſsime conturbatus, probris appetebat Eugeniam. & iam aperte oſtendebat ſe eſſe proruptũrum ad tormenta, vtpote ꝙ nihil reſtaret ad eam conuincendam. Illa vero, (ſed eſt attendendum, eſt enim auditu iucunda narratio,) Tempus eſt, dicens, libere dicendi veritatem: ne de ipſa dictum mendaciũ nimium iactaretur, & Chriſtiani male audirent apud Gentiles, quid facit? Cogitur propter nimiã accuſatricis impudentiam, etiam aliquid facere præter honeſtum & decorum. & ſuperne acceptam diſrumpit tunicam. & cũ quaſdam partes vere ſacri nudaſſet corporis, oſtendit omnibus ſe eſſe ſexu & re uera fœminam. & dicit Præfecto. Domine mi, Tu quidem es meus ſecundum carnem pater Philippus. Claudia autem mihi mater. & fratres hi qui tecum ſedent Abitas & Sergius. Ego vero ſum tua filia Eugenia. quæ cũ vniuerſum mundum & quæ ſunt in mundo facile exuiſſem, pro omnibus ſolum indui Chriſtum. Ecce etiam quos vides Eunuchos, ij ſunt Protas & Hyacinthus, qui mihi & doctrinæ & vitæ quæ eſt ex Chriſto fuere ſocij.

Nondum orationi finem impoſuerat, & pater & ſimiliter etiam fratres, cũ partim quidem ex iis quæ dicebat, partim autem, atque adeo mul to magis, ex ſignis quæ erant in vultu deprehendiſſent veritatem, agnouerant enim in eam coniectis curioſius oculis, hanc ipſam eſſe Eugeniam: eis cor quidem voluptate ineffabili, præ voluptate autem manantibus lachrymis replentur oculi. Deinde cũ eam ſuſtuliſſent in ſolium Præſidis, propemodum in ipſa ipſas effundebant animas. & ei ſuum amorem diſpertiebant, hinc pater: illinc fratres: & alia ex parte mater: aderat enim ipſa quoq; cum id didiciſſet: & partim amplexibus, partim verbis amantibus inter ſe contendebãt: quænam membra quidem non amplectentes? Quid autem non patientes aut non agentes ex lætitia ineffabili? aut quid eorum quæ voluptatem animi ſignificant, cauentes facere propter multitudinem. Magiſtratus enim maieſtatem & totam illam quæ ex dignitatis ſplendore oritur grauitatem ſuperabat natura & aperte repellebat. Clamabant itaque tanq̃ diuino furore afflati, ipſa eſt filia, ipſa eſt ſoror. oculorum voluptas. imago animæ: quam exiſtimauimus fuiſſe à Diis raptam: q̃ꝙ nos non videntes, ne videre quidem lucem omnino ſuſtinuimus. Hæc populus quoque. ſ. audiens & videns, Vnus Deus eſt verus Chriſtus, clamabant. Quicũq; autem ex Chriſtianis paulo diligẽtioribus

expectabant, vt post mortem, Martyrum corpora tollerent, & conuenientem eis pararent sepulturam, iĳ cum audiissent tam repentinam Præfecti & populi mutationem, cum turbis prosiliũt, Quis est magnus sicut Deus noster, alta voce clamantes. Qui reuelat profunda & occulta, & in astutia ipsorum apprehendit sapientes, Pater autem cum inuitam Eugeniam aurea veste induisset, volebat enim omnes esse suæ participes lætitiæ, in alta eam sede collocauit, & fecit vt videretur ab omnibus.

Dum hæc autem gerebantur, ipse quoq; qui est in cœlo Deus, aut potius dicam cum diuino Iob, Qui erat in cœlis testis Eugeniæ, Qui erat in cœlis eius conscius, repentinum ignem desuper iaculatus, Melanthiæ domum consumpsit omnino. Illam enim ęterno reseruauit. Hoc autem factum effecit vt multi conuerterentur ad veritatẽ. Protinus ergo à Christianis celebrabatur festum commune, & longa mutata est tristitia, cum Præfectus quidem simul cum filia inuenisset pietatem, & ad Christum accessisset, & sancto fuisset obsignatus baptismate: Christianis vero protinus sacræ redditæ essent ecclesiæ, & iĳ quos prius habebant honores & priuilegia. Non solum autem hæc fuerant consecuti: sed etiam eis licebat tuto habitare ciuitates: hoc. n. eis ꝓcurauit Philippus, cũ retulisset ad Imperatores Seuerum & pium Antoninum, esse inutile imperio Romanorum expelli Christianos, vt qui non in paucis sint cõi vtiles. Eisq; conuenientibus, rursus videre licebat Alexandriam veluti denuo conditam. Similis qui es & similis successus erat etiam in iis quæ sunt in Ægypto vrbibus: & florebant iterum res Christianorum, claræq; & excelsæ fiebant.

Sed quoniam cum virtus adeò recte se haberet, accidit vt contra irreperet vitium. & qui est eius auctor grauiter sauciaretur, res præsentes non patitur qui est bonis aduersarius: sed tacite se insinuans quibusdam Alexandrinis, qui erant diuitiis quidem & generis splendore insignes, simulachrorum autem cultus furori erant impense dediti, persuadet eis vt eant in regiam, & accedentes ad Imperatores dicunt, toto quidem præcedenti tempore se in magistratu pulchre gessisse Philippum, & valde pie affectum fuisse in Deos. Nunc autem, inquit, nescio quo metus, iam decem annis abhinc, & se & totam nostram ciuitatem in animo habuit euertere, honore maximorum Deorum traducto ad cultum vnius hominis, quem dicunt in Palæstina fuisse crucifixum à Iudæis. Ita mores quidem soluit patrios. honorauit vero nouas leges. impios autem nobis prætulit. & vt semel dicamus, nihil omnino emisit eorum quæ pertinent ad nos & Deos euertendos. Hæc cũ audiissent Imperatores, hæc scribunt ad Philippum. Qui nos quidem præcessit diuinissimus Augustus, cũ te sciret esse cultorem Deorum, & honoris eorum esse studiosissimum, ipse quoq; tibi maximum præbuit imperium: & tanq̃ Regem potius q̃ Præfectum, elegit Pręsidem Ægypti: nec te quãdiu vixit, ab hoc iussit remoueri magistratu: sed cum vitæ tempore tibi esse demensum. Nos autem tibi & hunc honorem conseruauimus, & non paucos alios adiecimus. Sed hæc quandiu fuisti Diis amicus. Quoniam vero nunc de te iactatum est in vulgus, ꝙ & in religione Deorum sis mutatus, nec nobis bene velis, iubemus, vt aut insistendo prioribus in honore permaneas, aut si Deorum cultum repudiaueris, cesses etiam gerere magistratum, quinetiam facultatum subeas ablationem.

Hæc

Hæc cum accepiſſet & legiſſet Philippus, morbum ſimulauit, donec venditis facultatibus, eas dupliciter diuiſerit: & partem quidem eccleſiis, partem autem pauperibus diſtribuerit, qui erant per totam Alexandriam & ipſam Ægyptum. Erat vero Philippus non ſolum lingua in dicendo facundus, adeò vt multi gentiles eius perſuaſione pietatem didicerint, ſed etiam vita maxime pius & Philoſophus, adeò vt vniuerſa Alexandria communi ſuffragio eum vocarit ad Epiſcopatum. Quòd autem in fide quoque fuerit acerrimus & conſtantiſsimus, ex fine oſtendetur. E' vita enim excedit, capite redimito corona martyrij. Magiſtratus, itaq; ſucceſſor ei mittitur Terentius. Qui cum primum veniſſet Alexandriam, oẽm mouebat rudentem, moliens Philippum tollere de medio. Sed q̃m non poterat eum aperte interficere, erat enim ciuitatis magnus amor in Philippum, clanculum admittit parricidium. & cum quibuſdam fictis Chriſtianis rem mandaſſet exequendam, ad cædem eſt impulſus, cũ hoc ei iuſſiſſent Imperatores. Ii autem cũ clam ingreſsi eſſent ad Philippum, intentum precibus & orationi ad Deum, eum tollunt de medio. Timore vero affectus Terentius ne populus factum ęgreferens, aduerſus ipſum moueretur, maxime cũ eſſet tantus eius amor in Philippum, iubet comprehendi eos qui ipſum occiderant & coniici in carcerem, re ficta ſtudens rei celare veritatem: & ſeminans ſuſpitionem q̇ non proceſsiſſet cædes ex eius ſententia. Deinde cũ non multum præteriiſſet temporis, Imperatoribus. ſ. ita decernentibus, eos ſoluit à vinculis. Sic deceſsit Philippus cũ tres dies vixiſſet poſt plagam acceptam. Intra ciuitatem verò ſepelitur in loco qui dr̃ Iſium. Vbi ipſe cũ adhuc viueret, ędem ſacram ędificauit.

Eugenia autem poſt agnitionem, cum aliis virginibus elegit caſtitatẽ & vitam ſecundum Chriſtum. Beata vero Claudia, quam Philippi quidem vxorem, Eugeniæ autem matrem antea oſtendimus, aliam quoque domum ędificauit ad excipiendos hoſpites, præter eam quę iam facta fuerat à marito. magnam vim pecuniæ in ea conſecrans ad ea ſuppeditanda quæ erant neceſſaria iis qui accipiebantur hoſpitio. Sed hæc quidem ſic: & huc uſq; Eugenia vitam ſuã ſic adminiſtrauit. Vult autem oratio eius quoq; præclariorem vitæ exitum oſtendere, vt qui inſignis fuerit corona martyrij. Aliquanto enim tempore poſt mortem Philippi, coniux eius Claudia cum aſſumpſiſſet filios, Abitam inquam & Sergium & præterea Eugeniam, in magnam Romam reuertitur. Patria autem eam benigne excipit: & Senatus Romanorum eius filios eligit ad inſignes magiſtratus. Abitam quidem procorſulem Carthaginis: Sergium aũt Aphricę vicarium. Eugeniæ vero ſufficiebat hæc ſola dignitas omnium maxima, nempe virtus, & Deo parentem viuere, & habere alias ex filiabus Senatorum, quarum erat idem zelus & idem inſtitutum. Inter quas erat vna reliquis longe præſtantior, re uera admirabilis Baſilla, quæ ducebat originem ex genere Imperatoris. quæ etiam reſplenduit ſimiliter atque Eugenia, ſicut ſtatim dicetur. Ipſa enim cum Chriſtum & quæ ſunt eius admirabilia auditione accepiſſet, qui etiam audiiſſet de Eugenia, maximi quidẽ faciebat ad eã ventitare, & eſſe diuinorum eius verborũ particeps.

Cũ ab eo autem arceretur: & propter Sponſum (Deſponſa enim fuerat Pompeio) & propter perſecutionem (iam enim magna perſecutio accendebatur Chriſtianis) inuenit quendam virum fidelem latorem ſuorum

verborum: & per eum non cessat mittere, multum rogans Eugeniam, vt de diuina fide omnia ei literis significet. Illa autem cum pulchre sciret quantum intersit inter scripturam & vocem, & quod non similiter quis persuaserit aut docuerit scribens atque de tantis rebus differens, quoniam multum interest inter verba animata & inanimam mortuamque institutionẽ, prudens simul consilium capit & iuuenile. Nam cum Protæ & Hyacintho persuasisset vt seruilem habitum induerent per eos munus mittit Basillę, studens vt ij ei essent omnia pro epistola, vel illi ipsi potius epistola animata. Cũ hos ergo admodum lubenter excepisset Basilla, adorabat tanquam aliquos Christi Apost. Cum de ea autẽ resciuisset Cornelius, magna stella inter Episcopos, noctu venit ad eam propter persecutionẽ, & eam diuino dignatur baptismate. Sic ergo Basilla & Eugenia, ineffabili quodã vinculo colligatæ propter Christum amicitię, fuerunt biga quædã coniuncta Domino. ipsis animis à se inuicem pendentes & intelligenter conuersantes: quinetiam multas alias ad idem iugum trahentes. ò quàm multas quidem illæ virgines: Quot autem viros Protas & Hyacinthus communi Domino obtulerunt.

Sed cũ sic mirãdum in modum cresceret fides Christianorum, maligni inuidia magis excitabatur aduersus pios. Nam cum Valerianus & Galienus Romanorũ tenerent imperiũ ipse multos Romanos tacite subens, mala semina iniecit eorum mentibus: grauisque accensa est seditio aduersus Christianos. Seditionis autem materia fuit Cornelius, & qui cum eo erãt, quod cum tota manu & mente res Christianorum dilatare instituissent, non solum Romam ipsum ferè totam, sed etiam vrbes & regiones quæ erant circuncirca, à cultu Deorum abduxerant, & qui ab ipsis nominabatur Christum, vt ab eis communis Dñs & Deus ascriberetur, effecerãt. Protinus ergo imperatorium promulgatur edictũ, & quoquouersus peruasit per totam Romanorum regionem, vt quicunque erant eximij ex Christianis & eorum dogmatis doctores, comprehensi morte afficerentur. Interimebantur ergo alij quidem alio modo. Cornelius autem latebat. maxime quidem quod in honore haberetur à Senatu: & ab iis qui erant in eo primi, tanquam à propugnaculis quibusdam defenderetur. Porrò vero ipse quoque seipsum conseruabat ad multorum salutem. Se inuicem autẽ exhortabantur ad certamen Basilla & Eugenia. quæ à loco disiungi non ferentes, quoniam animis erant inter se vnitæ, loco quoque coniunguntur, & se sermonibus vicissim impertiunt. Atque Eugenia quidẽ Basillæ & multa alia differit de proposito certamine. & quod aperte ei reuelauit Dñs, ipsam martyrij cursum mox peracturam. Similiter autem Basilla quoque ei respõdit, quod etiam de Eugenia Christus ei significauit, fore vt duplici corona ei caput exornetur. vna quidẽ pro periculis & laboribus quos subiit Alexandriæ & in reliqua Ægypto. Altera vero, pro martyrio & cæde quæ propter illum facta est. Hæc cũ inter se cõtulissent & pro se inuicem precatæ essent: quinetiam virginibus quæ erãt apud Eugeniam, masculos animos addidissent, & persuasissent vt mortem propter Christum negligerent, corpore quidem in præsentia disiunguntur, altera desiderio alterius, crebras ex oculis lachrymas emittentes. vtpote quod ferre non possent oculi eas separari à sui inuicem spectaculo.

Cùm autem finem accipere oportet ea quæ de ipsis prædicta fuerant,

à Domino, de Basilla quidem dixit Pompeio, vna ex iis quæ ipsam sequebantur ancillis, q̧ nisi omni studio & manu regia sibi desponsam Basillam, quæ iam erat nubilis, domum duxerit, non amplius in posterum eam habebit vxorem. Scias enim, inquit, eam factam esse Christianam sermonibus Eugeniæ: eamq; non solum matrimonio, sed etiam toti mũdo renunciare. Ea de causa eius quoque tutorem Helenũ differre nuptias, qui est ipse quoque Christianus & eiusdem instituti. Quinetiam quos, inquit, Eunuchos Eugenia tanquam seruos ad eam misit, ij vel omniũ maxime artem sectantur magicam. & sic eam incantarunt, vt fateatur se nunc eos habere Dominos, & eos colere tanquam Deos immortales. Cũ mala sic ancilla Pompeio renunciasset, & linguam Diabolo aperte tradidisset, & hæc locuta esset aduersus Christianos, ira valde fuit accensus Pompeius, & aduersus Helenum grauia spirans est profectus. Et primum quidem ei vim afferebat vt sibi puellam ostẽderet: Deinde etiam celebraret nuptias: nisi ipse aperte vellet esse hostis Imperatorũ. Hæc cũ diceret Pompeius, non latuit quidem Helenum vndenam profecta esset proditio: ingenuum autem & iustum ei dedit responsum. Ego sum cui obtigit, dicens, puellæ tutela, quæ donec quidem erat impubes, ea & à me alebatur, & viuebat vt volebam. Cũ vero iam ad plenam peruenerit ætatem, & iam tempus acceperit legitimum, ipsa non amplius meam sequetur voluntatem. sed suam sequens sententiam faciet id quod volet.

Postquam hoc responsum accepit Pompeius, ad Basillæ ædes protinus est profectus: & pulsato ostio, ianitori vt ei annuntiaret. Illa autem sensim eum repulit per puerum, dicens nihil esse commune Basillæ cum Pompeio: sed neque eius aduentum omnino culpa carere. Qũo enim qui ad virginem accesserit, & cum ea seorsum loqui quærit, quam propemodum ne oculis quidem suis licet masculis intueri? His verbis furore concitatur Pompeius: & primum quidem veniens in senatum eum rogat. Deinde cũ eos etiam assumpsisset, pedes Imperatoris prehendit non sine lachrymis: & suum tãquam commune deflebat infortunium. Pro vobis ipsis, dicens, ò diuinissimi Augusti, pro vobis ipsis exurgite & vestris Diis. & quem ex Ægypto nouum Deum nunc introduxit Eugenia, ex vrbe vestra expellite. Nam in multis quidem etiam aliis damnũ afferunt Christiani, irridentes Imperatores: leges despicientes: benignos & Seruatores Deos, tanquam inania quædam manu facta conspuentes. Nunc autem hoc quoque scelus impium est ab eis excogitatum. Soluunt etiam leges matrimonij: & prohibent coniugia. Eas enim quæ sunt despõsæ aut etiam despondendæ, à viris auellunt: vel potius eos quidem illis priuant: sibi vero vendicant & eas turpiter corrumpunt. Quidnam ergo, quid reliquum est quod fiat: aut quo se verterit quispiam, si nusquam est matrimonium? Nam id quidem quod fit præter legem, leges: quod est autem legitimum, Christiani prohibent, noui quidam, vt videtur, irrumpentes Cacodæmones, & hominum generationem tollentes de medio. Quod quidem 6 cũ processerit, erit omnino terra vacua hominibus. Qũo autẽ de cætero vobis se habebit exercitus, & qũo non peribit? Quibusnam quidem imperabunt Imperatores, & cum quibus superabunt inimicos? Qũo vero omnino constabit respublica & vita hominum?

Cũ sic valde miserabiliter dixisset Pompeius, simul etiam ei assensus

6 *Hæc eadem dicunt etiam nostri temporis hæretici, immoderate fauentes ma-*

trimoniis, & uirginitati detrahentes.

est & suffragatus Senatus: adeò ut misertus Imperator celerem tulerit sententiam, ut Basilla vel suo sponso matrimonij lege coniungeretur, aut gladio subiecta vitam finiret. Postquam autem audiuit etiã de Eugenia, de ea quoque protinus pronuntiat, ut vel persuasa sacrificet, vel tormẽtis tradita, morte violenta moriatur. communiter vero omnes quoque alios, puniri iubet non solum Christianos, sed eos etiam qui Christianos suscipiunt, & ut lateant procurant. Hanc sententiã postquam audiuit Basilla quæ vere regia erat lingua & animo, acriore quoque ipsa q̃ ille voce sic est locuta, & suam tulit sententiam. Regis Regum & Creatori desponsa, viri in quem cadit interitus non admitto coniunctionem, etiamsi hoc videatur Imperatori. Terribile enim est reuera, terribile, incidere in manus veri Regis & Dei viuentis. Simul autem & hoc vocabulum Dei lingua emisit, & caput statim fuit ei amputatum. Atque hunc quidem finem habuit Basilla. Comprehenduntur vero Protas quoque & Hyacinthus, & ad templum Iouis adducuntur ut cogerentur sacrificare illi abominationi. Cũ autem stetissent in conspectu eius qui videbatur Deus, precati sunt. & statim ante pedes eorum concidit simulachrum. & admirabiliter & præter opinionem comminuitur & in puluerem cinerẽq; redigitur. Postquam autem hoc cognouit Præfectus Nicetius, iubet eorum quoq; capita amputari: Eugeniam vero sisti iussu Imperatoris.

Postq̃ aũt adfuit, Undenã, inquit, artem magicam tam accurate perfecteq; didicistis, ut possitis Diis quoq; ipsis imperare maximis? Hoc cũ diceret, imprudens Protæ & Hyacintho euidens cõtexebat encomiũ. qm̃ sola oratione maximum eorum qui sunt apud eos Deorum repente confregissent, & in cinerem ac puluerẽ comminuissent. diuinitus vero inspirata Eugenia, cum multa r̃ndit prudentia. Hoc quidem, dicens, longè verissimum à te dictum est ò præfecte, nos vestris Diis imperare. Illud aũt est planè absurdum & ad arguendum facillimũ, q̃ ascribas oĩa arti magicę: non aũt alicui diuinę & inexpugnabili potẽtię eius q vere est solus apud nos Deus. Si.n. Magi quidem, ut vos dicitis, immũdos quosdam & materiales inuocant Dæmones: isti vero eos qui sunt apud vos Deos superant, vel potius primum ex cœlestibus, non oĩa rursus inuertetis, & quæ sunt superna inferna facietis, maioribus Diis inferiorem sortẽ attribuentes: & nec Deos quidem sed eos seruos facietis & seruos Dæmonum: Dęmones autem Deos & primos Deorum? Quod quidem etiam alio quoque modo verum est, cũ vos eos tãquam veros Deos constitueritis, & bonos esse putetis, dubitetis autem quanam de causa à malis vincantur Dęmonibus, nescientes ipsos esse quidem malos & maleficos Dæmones, unum vero esse Deum in omnibus: cuius nomen solum isti non ferentes, sicut cera, ut ait diuinus Dauid, à facie ignis, liquefiunt & pareunt.

Hæc audiens Nicetius, eius quidẽ magnum & excelsum admirabatur animum. Sed cũ esset totus deditus insaniæ simulachrorum, & nihil aliud spectaret q̃ ut eis placeret, iubet eam duci in templum Dianæ: sequi autẽ spiculatorem ei ensem intentantem: & partim quidem admonentem: partim autem minitãtem, q̃ nisi sacrificet, eo quẽ habet in manu transadiget, ostendendo ensem. Illa vero postquam venit in templum, stans ex aduerso imaginis specie orantis, precata est interitum simulachrorum. Deus æterne, dicens, qui me tua voluntate & nasci & educari & virginem in

hodiernum

hodiernum vsque diem cõseruari dignatus es: & vt efficerer sponsa vnigeniti,& vt in me adesset sanctissimus spiritus & in me regnaret,effecisti, ipse nunc quoque mihi adsis in hac tui confessione, efficiens admirabilia & quæ sint contra opinionem. vt qui te colunt quidem sint in gloria: ignominia autem & dedecore afficiantur qui hanc mutam & surdam adorant abominationem,& gloriantur in suis sculptilibus. Ea hæc orante Deus 7 quidem valde mouet terram,templum vero euertitur,cõteritur autem simulachrum: reliqua vero simul conturbantur. Stupent qui vident, peruadit etiam ad eos qui procul erant miraculum. Alius autem aliunde confluentes,quicunque erant quidem sanæ mentis, id quod factũ erat ducebant miraculũ,& putabant opus diuinæ potentiæ. quibuscunque vero præter id quod erant tecta priuati opinione, deerat etiam sapientia, hi multis contumeliis afficientes Eugeniam eam etiam vocabant Magã.

7 *Oratione impetrat à Deo Eugenia tẽpli Dianæ ruinã & interitum simulachri.*

Hæc audit etiam Imperator. & suorum Deorũ quodammodo vltor fieri properans,iubet lapidem quidem grauissimum suspendi à collo eius, ipsam autem iaci in fluuium Tiberim. Sed sic quidem qui concipiunt laborem & pariũt iniquitatem. Deo autem curæ erat vt eorum iussus esset irritus & inefficax. Vnde etiam lapis quidem ab eius collo est exolutus. Ipsa vero non secus ac magnus Petrus, citra vllam offensionem ingrediebatur supra vndas fluminis. Deinde cũ ea aqua visa esset potentior,eam igne punire constituit. & magnam illam Eugeniam accepit fornax, Sed qui eã custodiebat Dominus, hic quoque nunc aderat: statimque ostensum fuit ignem protinus amisisse naturam. & corpus eius conseruatum est illæsum. Quid postea? Tenebris punitur profundissimis. præter tenebras autem etiam fame. & ea domus accepit obscura nec cibi quicquam omnino sumentem. Nesciebant autem omnino esse cum ea Dñm lucis. à quo etiã matutinum,vt ait Propheta,lumen erupit: & diuino lumine tota domus illustrabatur. Non solum vero lumen dabatur: sed etiam quoddam diuinum superne suppeditabatur alimentum. panis qui quotidie parabatur admirabiliter, niue quidem candidior,voluptate autem plane diuinus. & quod est omnium maximum, ille ipse accedit Seruator. Ego sum, dicens, Eugenia, qui propter te crucem & mortem sustinuit. propter quem tu quoque hæc pati constituisti. Ergo & te maxima amiciam gloria, & multis implebo gratiis. Sit autem hoc quoque signum tui honoris. Ipse enim dies te transmittit ad vitam supernam qui me vidit infra aduentasse ad homines.

Cũ sic dixisset,ille quidem ab ea recessit. haud ita diu post autem effectum sortita sunt ea quæ dicta fuerant. Mittitur enim quidam impius, Monachi habitum præ se ferens,qui cum fuisset intra carcerem,ense facta cæde consummat Martyrem,eo ipso die quo celebrabatur festum 8 natalis Seruatoris nostri. Cum iusta autem fecissent tali filiæ & sorori eius mater & fratres, sacras eius reliquias deponunt quidem in loco qui non abest procul à Roma, vocatur autem via Romana. Sic quidẽ vixit honorifice Eugenia: & sic è vita generose excessit. conuenienter suo nomini. adeò vt nesciamus vtrum magis admiremur, in Christo ne vitam, an mortem pro Christo. Vnde etiam quantam sit pro vtrisque gloriam cõsecuta,euasit paulo pòst manifestum.

8 *Nota eo ipso die quo celebratur festum Natalis Seruatoris nostri.*

Ε'υγένεια. nobilitas.

Nam cum duobus animi motibus distraheretur mater: & partim qui-

dem lætaretur ꝙ pp Christum esset sacrificata: fleret autem ꝙ a filia tali disiungeretur, & non moderate ferret separationem, Martyr ei apparet in somnis, adeo quidem splendide vestita, vt nec in eam satis posset cõiicere oculos: talibus vero comitata virginibus & tam præclaris, vt nulla regina posset cum eis cõparari. Cũ sic ergo accessisset, visa est dicere matri. Quorsum o mater ita te afflictas, multis pro nobis liquefacta lachrymis? Non sunt res nostræ prosequendæ fletibus sed lætitia. Scias enim ꝙ
9 ego & pater Philippus, 9 viuimus in quadam ineffabili Martyrum lætitia, vna cum Christo versantes & conregnantes. Qui te etiam non multis post diebus ad hanc vitam euocabit. Meis autem fratribus conserua firmum ac stabile quod est in Christo signaculum: & assidue exhortare vt sint etiam mihi fratres animis: vt sic totum genus offeramus pulchrum donum Domino. Hæc mater audiuit ab Eugenia. Dicebatur autem etiam vidisse assistentes Angelos, quorum habitus erat signum gaudij simul & pudoris. ipsis veluti indicantibus ꝙ illi essent honore digni, & perpetui etiam gaudij participes. Quam detur nobis omnibus quoque consequi gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Quem decet omnis gloria honor & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Ecce quomodo sancti martyres carne exuti, uita uiuunt nobiliori, & cũ Christo uersantur & conregnant.

MARTYRIVM SANCTORVM
Martyrum & confessorum, Theodori & Theophanis inscriptorum.

Decemb. 26.

EX IIS qui pro Christo certare cõstituerunt, alij quidẽ pro pietate solummodo decertarunt aduersus gentiles. qui vendicabant & tuebantur errorem simulachrorũ. Alij autem pro fide orthodoxa, aduersus Christianos quidem sed non sane in rectam fidem affectos, non minores ꝗ ille sudores subeuntes. Quamobrem illis quoque sunt pares coronas consecuti. Quorum vnus est qui nunc est nobis propositus dicendi argumentum, mirabilis ille & magnus Theodorus, de quo sigillatim tractabit oratio.

Eum tulit Palæstina, quam Deus dans Abrahæ hæreditatem, pulchre vocauit terram promissionis. ciuitas autem Hierusalem, cui quidem omnino sufficiet ad laudem, etiamsi nihil aliud haberet laudabile, ꝙ illinc est
1 Christus 1 secundum carnem. qui etiam ex ea quoque processit magnus Prophetarum & Patriarcharum chorus. ipse quoque Apostolorum gratissimus à Deo electus numerus est illic ortus. Huius autem viri generosi parentes notos reddebat pietas: eisq́ opes erant & facultates, ex Christo vocari & nominari. Ex quibus cũ vir ille Sacrosanctus germinasset, quid opus est dicere quantas statim ab ineunte ætate diuitias habuerit intelligentiæ? Nam cum adhuc quidem esset puer, nõ erat eius ingenium quale est puerorũ, vt ad parua aspiceret, vt ludis delectaretur & rebus ludicris. Sed nusquam quidem lubentius versabatur Theodorus quam in templis venerandis. Nullum erat ei iucundius spectaculum, ꝗ ad pulcherrimos & honestissimos mores intuentem, seipsum componere. Nulla re magis

Ex natiuitate sanctorum ciuitates cõmendabiles redduntur.

gloriabatur & se magnifice circunspiciebat ꝙ q̀ videretur obedire parẽtibus. Et vt semel dicam, statim ab initio ostendit, sicut plantæ generosæ ex primo germine, qualisnam esset virtute euasurus.

Cũ autem iam à puerili ætate excederet, iubetur à parentibus vẽtitare ad Grammaticum. Vt vero non solum occuparetur in disciplinis: sed etiã formaretur ad virtutem, traditur diuini Sabæ monasterio, quendam assecutus magistrum Presbyterum, qui erat, inquam, vnus ex ecclesia, & simul quidem in doctrina & in virtute primas tunc partes obtinebat. Habebat autem fratrem quoque Teophanem, qui quod ad ætatem quidem attinet, erat minor tempore: in virtute vero secundas habere non sustinebat: & frater esse volebat non tam ex carnis similitudine, ꝙ ex eo q̀ nihil differret in virtute: sed optimos imitans pictores, ad illum tanquam ad archetypum exemplar intuebatur, & accurate imitabatur. Atque illic quidem versabantur vtriq; . sed diuinus Theodorus cũ esset acerrimi ingenij, & breui tempore vniuersam perfuasisset, eruditionem, captus sublimiorum amore disciplinarũ, egreditur quidem ex monasterio. Accedit aũt ad virum quendam, ætate quidem prouectũ, sed q conuenienter tempori virtutem exercuerat, et eruditionem cõparauerat. Cũ illo ergo versans, et virtutis fit imitator, & ad capiendam disciplinam non multo opus habet tpe: sed celeri & ardenti ingenio, acriq; & constanti studio, breui tpe oĩa in sua collocauit aĩa. Huius aũt rei testimonium ferunt libri quos ipse postea edidit pro pietate, etiãsi esset excelsior q̃ vt ex eis vllam laudem ambiret.

Sed aliquandiu quidem est versatus in litteris. Vincebat enim amor virtutis, volens eum totum ad se trahere & eum in ea totum esse occupatum, & non propter illorum studium eius perpetuam interrumpi cum eo consuetudinem. Se certe rursus tradit diuini Sabæ monasterio. Sicq; sub Deo viuebat, & opera faciebat quæ erant digna puris illius oculis. Hinc quis Theodoro quidem 2 moderatior? Quis autem ad continendam iram generosior? Quis minus propensus ad explẽdas cupiditates? Quis dicendi & tacendi tẽpus magis obseruabat, & melius coniiciebat tempus cuiusuis rei faciendæ? adeo vt nec silentium contemneret, neque dicendi libertatem omitteret propter animi mollitiam abiectumq; & demissum spiritum. Quis sic 3 carnem castigauit, & oculum frenauit, & cogitationum repressit impetus? Ex quo quid accidit? Nutu quidẽ Dei, suffragio, autem omnium qui erant in monasterio, ab eo qui tũc erat Antistes Sion, ordinatur Presbyter. Et sic habebat eum magni Sabæ monasterium, sedulo operantem mel virtutis.

2 Ecce chorum uirtutũ sancti uiri Theodori.

3 Vides quõ sancti carnis concupiscentiam robusto continentiæ rigore frenabant?

Quod autem ex rebus illius præclaris me propemodũ effugit, & quod nec si velim quidem facile est despicere iam dicam. In eum enim fit tale quid quale prius in Hieremiam. Cui dictum est. Antequam natus esses, te „ sanctificaui: & vnxi te prius q̃ formatus esses in Israël. Nam cũ magnus „ ille senex & Magister, in diuini Sabæ monasterio, vt prius indicauit oratio, hunc rerum diuinarum studiosum doceret Theodorum, & ad disciplinę exercitationem & virtutem incitaret, hic autem lac virtutis quotidie, vt ita dicam, exugeret & spiritaliter aleretur, magnus ille senex & homo Dei cũ s. diuinitus id resciuisset, prædicit apertissime Ne autem videretur Discipulo gratificans fingere reuelationẽ, est enim re uera suspecta laus amantium, ipsam quidem tunc occultat silentio. Postea vero vbi

pueri quoque fide dignam virtutem habuit iis quæ dicebantur suffragantem, enunciant omnibus cum præclara & insigni prædicatione, alta voce clamans q; hic egregius adolescens, præter alia quę propter Christum sustinebit, è vita etiam excedet martyrio. Quæ huius esse potuerit à pueritia virtutis argumentum illo euidentius? adeò vt sufficiat, etiamsi nihil aliud ab eo recte gestum esset, ad ostendēdum eum qui laudatur, nulli esse secundum eorum qui beati dicuntur.

Postquam autem cum aliis bonis accepit etiam donum Sacerdotii, quid opus est recensere quæcunque ad illius honorem recte ab eo gesta sunt. etiamsi ęque studeret latere ac nullus alius ex iis qui res gerunt improbas. Nam cui quidem ad fidem, cui verò ad spem, cui autem ad charitatem fuit ille secundus? Sed lenitate, sed moderatione, sed benignitate, sed zelo qualis fuit? qui etiam vsque ad vincula, & plagas, & mortem, pro Christi imagine adiit pericula? Verumenimuero satius est de imagine ex alto explicare qūo se habuerit. Generis nostri hostis & inimicus ab omni æuo, cum multa iam aduersus nos bella & sæpe suscitasset, alia rursus via ingreditur: & fortiter armatur aduersus pietatem. Qm̄ enim vidit Deum factum hominem, vt hominem Deum faceret, fit rursus serpens, & rursus Diabolus. & diuinas leges & diuina iura cōuellit sceleratus. & perperam rursus interptetratur voluntatem legislatoris. & cū sciret se non posse homines à Deo abducere, esca temperat insidias. & cū persuadere non posset vt Christum negarent, diuinam eius 4 imaginem omnino adorare prohibet. vt sic lateret ab illo susceptæ carnis abolens confessionem, & paulatim extinguens quod est propter illam nostrum in Seruatorem desiderium. Vbi autem ei insidiæ ex animi sentētia processere, inuenit enim animos aptos ad excipienda semina, ò magnam tuam ò Christe patientiam, peruenit etiam vsque ad ipsos Imperatores: & fit valentior inueniens vires ex potestate: & tanta adiuuatur potentia, vt propemodum nos quoque essemus sicut ab initio, vt sacra docent eloquia, quando Dominus nobis non imperabat.

4 *Aduerte haeretici diaboli esse inuētum, p̄hibere ne diuina domini Iesu imago adoretur, & ad quem finem hoc faciat.*

Nam cū eo tēpore leo qui genus ducebat ex Armenia, tyrannica manu sceptra inuasisset, & pio Imperatori Michaëli imperium quidem ademisset: vt habitum autem & vitam susciperet monasticam effecisset, ille quod erat inuoluntarium admisit, perinde acsi & cecidisset ex animi sententia. Ipse vero paululum adhuc intus inhabitātem habens impietatem, eam edit in lucem tanquam adulterinum aliquem & malum fœtum. & paulopòst aperte ostendit truces suos spiritus aduersus diuinas imagines: & earum tollit adorationem. Et primum quidem simul cum Orthodoxo Pontifice pietatem exterminat. Deinde etiam deiicit pulchritudinem sacrarum imaginum, veluti quosdam 5 oculos hebetans ecclesiæ. Et Orthodoxus quidem, vt dixi, Pontifex mittitur in exilium. mercenarius autem eius loco inducitur & non pastor, qui erat eiusdem cuius Tyrannus sententię & concors in impietate, ara cū sacro vt est in prouerbio. & olim mortuam in venerandas imagines hæresim contendebat excitare. Sed. n. qualia sunt Dei iudicia? Virga peccatorum statim in nos emittitur. vt vel sic intelligamus qualem per magnam amentiam Dn̄m prouocamus ad iram. Arabes enim qui habitant solitudinem, ad orientem exercitu in expeditionem ducto cōtra Romanos, multa quidem eorum regiones po-

5 *Nota imagines oculos esse Ecclesiæ.*

pulabantur

pulababantur,& ex vicis & agris prædas agebant. Faciebant autem etiã excursiones in monasteria quæ erant in palæstina. quorum primum & maximum, erat diuini Sabæ monasterium. in quo hic magnus, sicut prius diximus, se exercebat Theodorus.

Hæc videns diuinus ille Antistes & Pastor Hierosolymitanæ ecclesię, & sciens hæc esse pœnam peccati & iræ poculum, propterea ꝙ despicatui habetur & aboletur diuinarum ad oratio imaginũ, excitatur protinus ad zelum, & quærit modum quo poterit tantum extinguere incendium, & ostẽdere eos male facere qui sunt parati 6 noua introducere, & prõpti ad patrum transmouendos limites. Sic enim reuocabuntur captiui, & cõsequentur misericordiam sauciatæ animæ. Adhoc ergo admodum aptum sanctum inuenit Theodorum, vt qui & virtute esset celebratus, & in dicẽdo exercitatus, & zelum spiraret acrem & iuuenilem. Ille autem, Ecce me, dicit Pontifici. mitte me & proficiscar. & tuis adiutus precibus, pudore afficiam impietatem. Ipsum ergo mittit Patriarcha, cũ precibus eũ vndiq; muniisset, & spe in Christum totã corroborasset. Vt autem prætermittamus ea quæ intercesserunt, cũ venisset in regiam, fratrem habens Theophanem, qui eum sequebatur, & quæ erant fraterna sentiebat, & in zelo pro pietate cum eo conspirabat. primum quidem se intrepide sistit in conspectum eius qui in ecclesiam more prædonis inuaserat: vbinam enim ille se gessit more Sacerdotali? & libere arguit ꝙ eos peruertat quos pascit: & hæresim ei acerbe exprobrat. Deinde ipsi quoque Imperatori ex aduerso occurrit tanquam acutus quidam gladius: & non solum eum criminatur ꝙ suam perdat animam: sed etiam ꝙ Dei populum impie per fraudem euertat. Deinde etiã adhortatur vt relicta hac profana & impia opinione eius loco ediscat pietatem. Fortasse enim, inquit, tibi Deus placabitur. & non omnem iram Dñi tanq; fecem aliquam ipse ebibet. Quãobrem Imperator cũ & viri esset libertatem admiratus, & pręterea verborum opportunitatem, & morum moderationem, & quæ ex animo ad vultum emanabat, illius, vt poterat, animaduertisset alacritatem, eum est reueritus, & moderate tulit eius reprehensiones.

6 Vide hæretice male facere eos qui noua introducunt & prõpti sunt ad patrum transmouendum limites.

Deinde etiam eum accersiit, & familiariter eum est allocutus. rogans quisnam esset & vnde veniret: & quid sibi vellet illa mera & incauta dicendi libertas. Ille autem & significat patriam: & suum ex Palæstina aduentum renuntiat, & ꝙ statuebat nõ oportere vel apud Imperatorem se à dicẽdo reprimere, qñ videret Regem qui est in cœlis affectum iniuria. Deinde aperit dogmata. docet honorem diuinarum imaginum. Et cũ alia dixisset, & adiecisset hoc esse iudicium nostri in Christum desiderĳ, & cõfessionem ab eo susceptæ carnis. Deinde destruit propositas ab illo quæstiones, fide Christi, & virtute sermonis & spiritus. Postquam autem post multa quæ inter eos dicta sunt, Theodori oratio victoriã est adepta, primum miratur Imperator. Deinde etiam ei incipit blãdiri, toto animo contendens talem virum in suam redigere potestatem, per quem multos esset superaturus. Postquam vero vidit eum à se capi non posse: nam tale quid etiam apud eum adiecerat, dicens. Oblitus es eorum quæ Deo promisisti ò Imperator, quorum intercessor fuit magnus Pontifex, qñ tuo capiti imperatoriam imposuit coronam. Parce tuæ animę. & prius ornamentum restitue ecclesiæ. & noli pugnare cum Deo iusto iudice & forti,

etiamsi nõ quotidie iram inferat propter summam benignitatem. Hæc ille quidem sic apud eum libere est locutus.

Imperator autem soluto prætextu lenitatis, in iram & furorem erupit, & rogauit an esset aliquis eiusdem animi & sententię in pietate cuius erat Theodorus. Postquam vero intellexit de fratre eius Theophane, & q̃ non minus quam naturam, cõseruat in dogmatibus cognationem & fraternitatem, ambos diu flagris cæsos, condemnat vt relegentur ad ostium Ponti. iubens neminem eis impertire nec cibum nec potum nec vestimẽtum. vt mali, inquit, sic male atterantur. Sed Tyrannum quidem improbitas sic docebat facere. Nihil est n. mali quod non sit iniustus arrepturus. Cùm autem non diu distulisset iram Deus qui iuste iudicat, non multum temporis intercesit, & iste qui & nomen & rem habebat cum feris communem, vnà cum tyrannide finit vitam. De medio enim tollitur à Michaële cui cognomen erat Traulos, id est Balbus, male, vt aiunt, malo remedium afferens. Erat autem dies 7 natalis Christi. eiusq́ sanguis effunditur, non vt alicuius ex infantibus, qui pro nobis Deo nato offerebatur: sed potius vt Herodis, vt lueret pœnas multarum sanctarum animarum in quas ille exercuerat tyrannidem. Suscipit vero sanctus locus piaculum. & ò diuina Dei iudicia, ipsa, inquam, ara quam ipse fefellerat, promittens se nihil sacrorum dogmatum mutaturum, & cuius ille pulchrum sustulerat ornamentum imaginum.

7 *Dies Natalis Christi.*

Quod cũ factum esset, paululum ab exilio & ab aliis malis relaxati viri generosissimi, veniunt in regiam noui Imperatoris, qui prę se ferebat se ex humanitate permisse reditum. Nam re uera cũ impietate pręcedenti nihil cederet, ei cedebat in persecutione. Atque illi quidem cũ venissent in ciuitatem, & pietatem libere pręcicassent, multos ex reliqua multitudine, & ex ipsis etiam magistratibus in suam adducunt sentẽtiam. partim quidem per expositionem canonum quos germanus frater Theophanes cecinit versibus. partim autem, per orationum quoque oppositionem, quas magnus hic cõscripsit Theodorus. Verumenimuero cũ tantam virorum virtutem non ferret Iannes Magus Ægyptius & Iambre sodalis, tam aperte resplendere, eos includit in carcere. & postremo. cum eis in sermone congressus, cum non posset aduersus illos decertare: sed, vt dicitur, caprea pugnam iniret cum leonibus. eos vi rursus expellit è ciuitate, vt qui multum posset apud Imperatorem, tum q̃ esset eiusdem sententiæ, tum q̃ esset indutus habitu monastico, & quãdam præ se ferret pietatis speciem. per quam & Imperatorem & multos ex iis qui gerebant magistratus, decepit sceleratus: & indigne paulopost ascendit sedem patriarchalem. Et illi quidem sic expulsi ex ciuitate, externam regionem tanquam patriã videbant propter Christum versantes in loco qui vocatur Sosthenium.

Postquam autem decessit impius Imperator Michaël, magis impio filio Theophilo relinquit imperium: qui malum dogmata ita est amplexus, & iis qui pietatem accurate tenebant extitit tam grauis, vt omnes qui fuerunt antea malæ opinionis frigidos & molles redderet in impietate. Hinc rursus in pios persecutiones, & sacrarum rursus imaginũ euersiones: & rursus tormẽta: & iudicia: & carceres: & omne genus iniustitię commotum in pietatem. Hinc Theodorus cum fratre delatus, & q̃ pius esset accusatus. Qui pro pietate quidem, quod non sustinuit genus sup-

plicij: vel potius quam non suscepit coronam martyrij? Non tolerātiæ? Non dicendi libertatis? Non zeli quo pro Dño concitatus, quotidie decertabat? martyr inter martyres, & confessor effectus per ipsa pro Christo certamina. Res autem illius magis ostendit multorum dierum carcer quem sustinuit, & multiplicia supplicia. quæ filius à patre in hodiernum vsque diem accipientes effecerunt vt & ea superarint obliuionem, & scriptis mandata sint.

Ab his suppliciis, multi quidem ex iis qui fuerant comprehensi, victi sunt: etiamsi pœnitentia aduersus victoriam rebellauit. complures autem propter spem & Christi desiderium, generoso & forti animo contempserunt. Cum quibus hic quoq; vir diuinus, cum hoc ꝙ nihil cessit iis quæ promittebantur beneficiis, loris præterea cæsus, dici non potest quantam ostendit fortitudinem, sociis certaminis effectus exemplar non facile adimitandum. Ipse certe cū iam fuisset ei corpus laceratum flagellis, & solum sanguine aspersisset, vt qui rerum grauiū & asperarum nullum sensum sustinuisset, nudus stetit in medio tribunali, de plagis tanꝗ de aliquo ornamento glorians, & sic, vt ait D. Paulus, effectus theatrum Angelis & hominibus. Cum autem Præfectus ęgretulisset hanc diuturnam nuditatem, Ego, inquit Athleta, ideo sto nudus: vt si aliquem viderim Athletam defessum doloribus, illius defectum meo corpore alacri animo suppleam. O' viri fortitudinem. ò dicendi libertatem. ò ardorem in Dominum. Rursus ergo relegantur in insulam ꝙ̄ solent appellare Aphusiam. Sed quid mihi opus est enumerare ea quæ deinceps sunt consecuta, carceres: naufragia: famem: solis ardorem: frigus nocturnum: insidias, insurrectiones: quotidianas mortes: plagas rursus: verbera & colaphos. Satis sit dicere, ꝙ cum in iis ferendis voluptate affecti essent simul cum diuturno exilio, duobus post annis, soli ex aliis iussu Imperatoris veniunt Constantinopolim. Maiori enim, etsi plane inani, desiderio tenebatur Imperator, habendi Theodorum & Theophanem eadem quæ ille sentientes, quam imperandi omnibus qui nulla in re ab eo dissentiebant.

Verumenimuero operępretium est ea quæ deinceps sequuntur declarare per illa ipsa verba epistolæ, quæ hic D. Theodorus, communem simul cum fratre componens epistolam, mittit ad Ioannem qui tunc erat Antistes Cyzicenæ ecclesiæ, & ad reliquam orthodoxorum multitudinem. enumerās quæcūq; eos pati accidit ab illo Dei inimico Theophilo, dum decertarent pro diuinis imaginibus. & quemadmodum post multa tormenta eis crudeliter compuncti fuerūt oculi. Si autem in epistola sunt quædam simplicia & rudia, non ideo apud eos qui recte iudicant & sunt eruditi, dabunt ea testimonium ꝙ qui scripsit esset ineruditus. sed primum quidem, ꝙ ipse vteretur indifferenter dictione & nominibus, & non hoc magnum putaret neque dignum in quo elaboraret. Deinde autem, ꝙ etiā vellet ipsa plane verba, sicut dicta sunt, in interrogationibus & responsionibus, simpliciter & inornate adduci. Sic aūt habet ad verbū epistola.

Maximam facerem iniuriam, si silentio traderem ea quæ in nos facta sunt, cū multi desiderent audire & discere, & maxime possunt esse ad Dei gloriam & multorum vtilitatem, si dicantur & audiantur. neque parum conferunt ad confutandos impios, & ad refellendam eorum dogmatum imbecillitatem & telæ aranearū similem. Deinde hæc quoq; dicit paulo

post. Cũ ergo tunc venisset qui iussis seruiebat imperatoriis, & ascendisset in insulam Aphusiam, nos magna celeritate abreptos duxit in ciuitatem, causam cur traheremur affirmans se ignorare. nisi quod cum magna festinatione & celeritate dicebat se esse missum. Venimus itaq; in ciuitatẽ cum esset octauus dies Iulij. Cũ autem Imperatori apparuisset solus is qui nos duxerat, iussus est nos statim includere in Prætorio. Post sex vero dies, nempe quartodecimo eiusdem mensis, accersimur ad Imperatorem, nostro aduentu iam in omnium animis præcognito & expectato, quasi ad Imperatorem deducendi essemus vt pœnas lueremus. neq; licebat aliud videre aut audire nisi terrores & minas, aliis quidem crudeliter dicẽtibus, Cedite vos quãprimum & absque omni contradictione iussis Imperatoris: aliis verò nos acerbissima passuros, si non pareremus, protestãtibus: aliis verò dicentibus. Tenetur Dæmonum, & alia huiusmodi & his deteriora quæ nostris auribus accipiebamus. Et hæc quidem audiebamus, priusquã ad auream quod dicitur adduceremur triclinum. Adductis autem & ostium ingressis, nos Præfecto præcedẽte, visus est à nobis Imperator valde terribilis & iram spirans, multis hinc & illinc nos circũsistẽtibus. Erat hora circiter decima: & Pręfectus qui eo vsque venerat, discessit, solos nos relinquens in conspectu Imperatoris. Is autem nos cũ adorassemus, asperiore & acerbiore voce iussit accedere propius.

τρίκλινον dictũ à tribus lectis.

Cũ ad eum ergo vsque venissemus, interrogauit, dicens, In quanam regione nati estis? Cũ nos autem respondissemus, In Moabitide, ille rursus iisdem verbis, Et cur huc venistis, inquit, & priusquã responderemus, iussit nobis verberari oculos. Multas vero plagas & graues inflixerunt qui percutiebant, adeò vt nos impleremur vertigine & humi caderemus. etenim nisi eius qui percutiebat tunicam in pectore apprehendissem, ad scabellum Imperatoris statim essem deiectus. Tenens autem vestem, plagas accepi immotus, donec Imperator iussit eum cessare percutere. Cum cessassent autem qui percutiebant, rursus rogauit Imperator, Quanam de causa huc venistis? Hoc vero sibi volebat id quod dicebat, Quanam de causa nolentes eandem quàm nos amplecti fidem, vestra sponte ingressi estis eandem quàm nos habitationem? Cũ nos autem tacuissemus & oculos humi deiecissemus, ad Præfectum qui propè stabat, impudenti oratione & toruo aspectu conuersus, cum magna ira & voce aspera hæc locutus est. Tolle eos, & in eorum facie inscribe & insculpe hos iambos. & trade eos duobus Saracenis: & abducãt eos in terram suam. Propè vero adfuit qui eos habebat iambos, qui eos etiam fuerat meditatus, nomine Christodulus. cui etiam iussit eos legere. hoc etiam adiiciẽs. Etsi non sint pulchri, ne sit tibi curæ. Is autem dixit. In componendis versibus tam accurate sumus exercitati, vt satis sit ad eos irridendos. Et ideo quidam qui aderat, ad gratiam loquens, ei dixit. Ne digni quidem sunt isti ô Domine vt sint Iambi pulchriores. Satius est autem illos ipsos ita vt se habebant inserere narrationi.

Cunctis ad vrbem eam adire volentibus,
Stetere vbi verbi Dei casti pedes,
Terrarum orbis vt per id queat consistere,
Apparuerunt isti honorando in loco,
Erroris impij mala vasa & reproba.

Cùm

Cùm multa fecissent ibi perturpia
Grauiaq́ꝫ, ꝙ deesset eis recta fides,
Illinc abacti sunt sicut Apostatæ:
Confugientes autem ad vrbem imperij,
Stultitiam haud reliquerunt nefariam.
Quare notati & inscripti vt malefici,
Damnantur exigunturqꝫ improbi iterum.

His lectis iussit nos abduci in prætorium. & postq́ꝫ egressi essemus, & ad eam quæ dicitur Thermastram iam venissemus, accedens quidam iussit nos reuerti. & cum maxima celeritate sistit nos ante Imperatorem. Qui cũ nos vidisset, sic inquit, Verisimile est vos cum recesseritis esse dicturos, Imperatorem illusimus. Sed ego cum vos prius illusero, dimittã. Cũ sic dixisset, iussit nos exui. Cum ambo autem exuti essemus, verberabar ego, sic assidue clamante Imperatore & eos qui flagellabant adiurante. Sic te in me geris? da pulchre. Verberabatur itaque & tergum & pectus absque vlla clementia & misericordia. Ego vero cũ diu flagris cęderer, vociferabar. Nihil peccauimus in tuum imperium. Et rursus, Domine miserere. &, Sãcta 8 Dei para veni ad nostrum auxilium. Deinde etiam verberarunt fratrem similiter clamantem, & dicentem, Sancta Dei para, ipsa quoq́ꝫ fugisti in Ægyptum portans tuum filium. Respice ad me qui propter similem tibi fugam punior. Domine Domine qui liberas pauperem à manu eius qui sunt eo fortiores, ne diu differas tuum dare nobis auxilium. Et cum sic ambos concidisset quantum volebat, iussit nos exire. Alius aũt rursus egressus ad nos accurrit, iubens reuerti.

θέρμαστρα. forte hypocaustum aut thermæ.

8 *Ecce inuocant Theodorus & frater sanctissimam Dei genitricem.*

Quidã vero missus ab Imperatore, rogauit. Quanam de causa morte leonis lætati estis? & cur cum ad eum accessissetis, non amplexi estis eandem q́ꝫ ille fidem? Ad hæc nos. Neque morte leonis lætati sumus. Sed neque ad eum accessimus. neque 9 fidem propter vos, qui cum tẽpore mutamini, omnino abolere, aut etiam innouare sustinemus. Cũ is autem subiunxisset, Non venistis imperante Leone? Nequaq́ꝫ diximus. sed eo imperante qui te præcessit. Ille verò, Recte, recte, inquit. erat vero is exactor vectigalium cursus. Tunc venimus in pretorium cum iam essent tenebræ. Cùm autem quatuor dies præteriissent, coram Præfecto prę sidẽte sistimur. Is vero cum nos multis minis tormentorum terruisset, & dixisset se prius nos esse castigaturum: & deinde etiam oculos inscripturum, & Saracenis traditurum, iussit vt id faceremus quod esset gratum Imperatori. Erat autem cũ eo etiam Christodulus & eius pater. Nobis vero fortiter recusantibus, & dicentibus nos esse paratos subire vel mille mortes: & nunquam non esse polluendos vel solo assensu, communione eorũ qui contempserunt & despicatui habuerunt Christianorum fidem & confessionem: etiamsi oculos effoderint, etiamsi corpus igni tradiderint. Cùm hæc diceremus, pater Christoduli loquens aduersariis, quasi nobis gratificans. Nunquam, dixit Præfecto, isti adorarunt imaginem. neque scio quid fecerint ꝙ huc venerunt. Cui ego aspere. Recede hinc, inquam, nescis quid dicas, neque de quibus affirmes.

9 *Vides sanctos nolle fidẽ suã omnino abolere, aut etiam innouare pp aliquem?*

Præfectus autem rursus vtens blanditiis, Semel, inquit, semel solum communicate: nec aliud exigimus. & ego ibo vobiscum in ecclesiam. & deinde ite quo vobis placuerit. Ego vero ei dixi subridẽs. Simile quid di-

ctis ô Domine Præfecte, vt si quis alium rogans, dicat. Nihil aliud peto nisi semel tuum caput amputare. & tunc postea vade quo velis. Scias ergo hoc quoq; nobis esse pudori, quod audeat nos aliquis adhortari ad cõmunionem. ad quam nescio quõ suades vt accedamus, & non potius vt qui procul est remotus persuadeatur. Est enim ei facilius facere vt terra
10 & cœlum sint sursum & deorsum, quàm nos traducere à 10 pietate. Tunc iussit inscribi nostros vultus. vt cum adhuc in nobis inflammatæ essent plagæ quas ex flagellis acceperamus, & graues afferrent dolores, extendentes super scamna, vultus nostros insculpebant. Cũ autem longo tempore vultus pungerent, occidente sole tenebræ factæ sunt. Quod quidem effecit vt vel inuiti cessarent inscribere. Egressuri vero, diximus Præfecto & iis qui aderãt. Sciatis Cherubim quæ has viderunt litteras esse cessura: & flammeam rhomphæam versis tergis concessuram nobis ingressum in paradisum, vt quæ sit reueritura nostros vultus pro communi Dño tam ignominiose insculptos. Hoc enim à vobis solis factum est à seculo: & est hoc nouum inuentum. & reddidistis omnes benignos & clemẽtes qui aduersus diuinum nostrum dogma insaneirũt. In facie autem Christi omnino agnoscemini. & vobis exhibebuntur legendæ hæ litteræ. *Ipse.n.* dixit. Quęcunq; fecistis vni horum minimorum, mihi fecistis.

Semper sancti uiri cõicare cum hæreticis abhorruerunt.

Hæc verba postquam audiit Imperator per Præfectum, visus est dicere, attonitus, vt arbitror, à verborum operatione. Si scirem hoc esse verum, eas toti meo populo inscriberem. Atque nos quidem hęc, cum multa sint alia, breuius declarauimus, eorum quæ gesta sunt habentes multos testes, quos scio plura his & apertius narraturos ea quæ tunc facta & dicta sunt, vt qui ea melius quam nos obseruauerint. Neque enim in angulo, neque in occulto hæc facta sunt: sed in theatro & in medio orbis terrarum. Et sic quidem epistola.

Post tam inhumanum autem & tam nouum supplicium, quod propter diuinarum imaginum adorationem isti beati subierant, eorum vultu adhuc stillante sanguine, traduntur in custodiam. Deinde Iannę improbis suggestionibus, qui cum tunc esset eiusdem sententiæ cuius iniquus Imperator, tenebat ecclesiam, damnantur exilio. Eos autem suscipit Apamea Bithyniæ, cũ iussum esset ab Imperatore vt ne sepulturam quidem eorum corpora consequerentur: partim quidem eos afficiente contumelia, partim vero cõiter inuidente orthodoxis possesionem tam bonam & tã desiderabilem. Illic ergo dedit hæc generosa biga fraternitatis, & fidem
11 11 docens orthodoxam, & adhortans ad operationem virtutis. Valde autem persuadebant, vt qui non ex verbis sed ex factis potius facerent adhortationem. Fidei enim orthodoxæ erant eis argumenta immobilia, quod pro ea compuncti essent, & flagris grauiter cæsi essent. Virtutis vero, vita & continentia, quæ propemodum contendebat cum natura immaterialium.

Nota hæc uerba, & fidẽ docens orthodoxam & adhortãs ad operationẽ uirtutis. Et unde hoc? nisi quia fides sine operibus mortua est?

Postquam autem vocabat tempus resolutionis, & ad eum quem optabant discessus, Theodorus quidem, & senio & morbo, & præterea afflictione quam in custodia passus erat, oppressus, in ipsa custodia in manus Dei Creatoris, suam deponit animam, cum nulli quidem reprehensioni affinem in actione vitam, & in pietate rationem conseruasset integram & inoffensam: reliquisset vero sui martyrij memoriam quæ non potest

7

dari obliuioni. vt qui ipso die vitæ finem acceperit, quo Stephanus primus martyrum, pari zelo suscepit consummationem. Theophanes autem, cum venerandum illud & fraternum tabernaculum, cum aliis viris piis, quos verisimile erat illo tempore concurrisse, vt ab ea quæ illinc procedebat sanctificatione & gratia non exciderent, multis honorasset encomiis & canticis, deponit in arca lignea, & apud se conseruat. partim quidem procurans ne corrumperetur. partim autem glorians memoria certaminum: iussum irridens impij, qui nec volebat quidem ea assequi sepulturam, quæ cœlestibus digna sunt tabernaculis. Deinde etiam in canones eius refert certamina, partim quidem, pro lamentatione, vt quæ non erat licita, adducens hymnodiam: partim vero, eorum quæ conuenerant consolans desiderium. Dicitur enim quidem senem, cum illo tempore ferretur multo zelo pietatis, Imperatoris quidem minas contempsisse, & nec ipsi quidem vitæ suæ parsisse, vt fide 12 procidens ad huius beati reliquias, ex eo fieret gratiæ particeps. Cum ergo ad locum venisset in tempore excessus seu ad Deum resolutionis, & fuisset vnus ex canentibus, affirmabat postea se audiuisse quandam iucundissimam & admirabilem vocem superne Psallentium. An quis autem cum recte cogitauerit Angelicam, an aliquam aliam quæ fiat nutu Dei, Deo fuerit manifestum, & iis quos par est hæc perspicere. Atque sic quidem Theodori reliquias arca conseruabat, quæ assidue copiosis ornabantur 13 miraculis.

12 Ecce quomodo senex bonus fide procidit ante sancti uiri reliquias.

Cum Deus autem rursus respexisset in benignitate & miserationibus, & veluti caligo dissoluta esset impietas: & vires rursus assumeret rectum dogma, cum iam è viuis excessisset Deo inuisus Theophilus, reuertuntur quidem ab exilio, qui propter Christum è patria & ex ecclesiis eiecti fuerant. Reuersus est vero magnus quoque Theophanes, cum esset martyr, & gloriaretur susceptis pro Christo stigmatibus, mercedem confessionis, aliam quidem à Deo magnam, & quæ auferri minime potest, expectans: in præsentia autem Niceę Bithynię sedem à piis accipiens. Longum postea fuit tempus, & thesaurus erat ignotus, corpus, inquam, beati Theodori quod multa certamina subierat. Vbi enim relictum fuerat à fratre, illic adhuc iacebat. Sed vir quidam pius & religiosus, q ipse quoq; volebat esse particeps confessionis cum Athletis, transfert 14 hoc beatum corpus Chalcedonem ex Apamea, quod quidem perpetuis hymnis prosequebantur, & manibus, vt fas est, portabant Sacerdotes & Monachi. Quo in loco cum sacrum ędificasset monasterium, illic deponit thesaurum. & nunc omnibus accidentibus præbet firmitatem animæ & corporis, & à morbis liberationem.

13 Cum sanctus ob diuinarum adorationẽ imaginum occubuerit, & eius reliquiæ copiosis assidue ornẽtur miraculis, cõstat eum proprietate interiisse; nam Deus non põt esse testis falsitatis.

14 Vide quam celebris sit beati corporis trãslatio. prosequebãtur enim illud hymnis perpetuis, & manibus portabant sacerdotes & monachi. Ad hæc monasteriũ ędificatur ubi deponitur, & ingẽtia miracula ibidẽ fiunt.

Ad gloriam Domini nostri Iesu Christi. Cum principij experte eius patre & sanctissimo & bono & viuifico spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

BASILII SELEVCIÆ,

De ſanctis infantibus qui fuerunt interfecti ab Herodæ.

Decemb. 29.

RVRSVS ſenex ego deducor ad ſtadium orationum. Rurſus perinde ac mater quæ laborauit in multis nutriendis filiis, imbecillum & egenum vber meę humilitatis cogor exprimere ad tantum populum. Et quis eſt qui me cogit? Hic magnus fluuius Euphrates. & ideo pareo. Poteſt enim ex ſua inundatione, dicendi in me aliquam deriuare copiam: & tantam quantam poteſt capere animę meæ capacitas. Sunt enim ò fratres, pleni quidem melle faui ſcripturarum. & dulci rore abunde ſcatent aluei. adeò vt liceat ſtudioſis eos abſq; vllo labore exprimentibus, virtutum ebrietatem *in* ſuis locare animis, quæ eſt mater temperantiæ. ebrietatem, quæ vigilantem ſeruat obtutum animæ. ebrietatem, quæ lucem veritatis reponit in animis qui ſemper complentur. ebrietatem, quę non facit amentes: nec eos qui *bibunt* imbecillos reddit ex ſatietate. ſed mēbra potius corroborat, & *armis iuſtitiæ* armat aduerſus peccatum. ebrietatem, qua fuit repletus chorus Apoſt. quando rore ſpiritus qui è cœlis fluxerat, in ſua lingua accepto, congregatarum gentium aribus diſtribuit oris operationem. Vniuſcuiuſq; vocem ad omnium gentium ſenſus accommodante & adaptante gratia. adeò vt fluētum ſermonis quod profundebatur ex labris, fieret familiare omnium auribus, à ſpiritu ſono transformato in id quod erat cognatum vocis vniuſcuiuſq; eorum qui audiebant.

Me autem infantium adhuc voces circunſonant: & me eos adhuc videre arbitror voce quidem clamantes nihil ſignificante cū ſtupore, & ad enſium ſplendorem conniuentes, & cum timore ſe ad matris vlnas tanq; tutas inclinantes: Deinde in ipſos ſinus ſubeuntes. Videor vero *ipſas quoque* videre matres, aliam alio, per vrbem currētes cum illis miſerabilibus & dulcibus oneribus. & locum fugæ quærentes. & illam quidem quæ nec honeſtum ſumpſerat tegumentum in vigore malorum. hanc autem quæ quod habebat in curſu alieno proiecerat. aliam vero temere & confuſe comas filio iniicientem, & tali tegumento ſperantem ſe poſſe infantē ſuffurari. aliam quæ comprehendebatur ab iis qui vehementer perſequebātur, & deinde à curſu deſiſtebat, & timore diriguerat, & flētibus oculis ad gladij fulgorem aſpiciebat, & aſpectum diuidebat nunc ad ſtricti enſis impetum, nunc ad filium qui erat feriendus, & ſe feſtinanter opponebat ferri violento motui. & rurſus aliam quæ ne moueri quidem poterat & nec parum quidem reſpirare, cū ſtupor vinxiſſet eius pedes. ſed ante ſuum filium timore perierat, & cum exili eiulatu expectabat percuſſurum: & iam remiſsis trementibus manibus infantem vehementer portabat. quæ quidem ignorabat ex vlnis lapſum infantem, caſu morte ei allata, præueniſſe mortem gladij.

O' Herodis inſaniam. Quibuſnam ex cōſilij egeſtate actibus repleuit orbem terræ? Quis erat ille longe infelicißimus, qn̄ tam acerbam tulit ſententiam in eos qui eum nulla affecerant iniuria? Omnino certe ſpeciem

induerat

induerat regiam: & fastus ac pompæ scenam sibi fixerat: & sedebat in aureo throno, gemmarum collucente splendoribus: & pectora ira dilatãs, inuidia cogebatur in arctũ: & capulo ensis innitebatur dextera: & viros sapientia insignes adhibebat in consilium. quorum linguas mouebat Diabolus, illius vrgens interitum. & alia quidem furiose accipiens: alia autem statuens audire & iudicare, & improbis grauiter annuens consiliis, meditatus est messem immaturarum segetum. Postquam autem sęuo decreto illud inhumanum confirmauit consilium, & totum iam in armis iussit esse exercitum, eumq́ ferro muniit, eiq́ centuriones & tribunos diuisit, & Duces elegit qui præclare poterant intelligere quid oporteret facere in tempore, & optime sciebãt vti armis, huiusmodi verbis eos est allocutus, nullo pudore affectus eorum quæ dicebat.

In multos quidem ò milites belligerantes vos fortissime gessistis. & mœnia trophæorum meis circũdedistis finibus. Nunc autem si vnquam maxime, oportet vos magno studio incumbere ad victoriam. Ne sitis pigri & ignaui. Magnum est enim certamen, & ingens periculum Domi mihi nascitur malum. Latenter aguntur cuniculi ad subruendã mei regni potentiã. Nullus me apertus inuadit inimicus. Puer qui adhuc ignoratur mihi sceptra eripit. Scitis Bethleem. In ea intellexi natum esse filium, qui à Deo regni accepit suffragium. Nondum circumagitur tempus duorum annorum ex quo natus est. & nullus quidem qui appareat me terret apparatus: sed timeo Prophetarum voces quæ de eo extiterunt. Etenim Magi, meministis autem qñ nuper ad nos venerunt, ex quadam stella quę eis apparuerat, renuntiarunt se intellexisse ortum pueri. & requisiisse Bethleem vt viderent puerum: & Regem natum eo quo par erat honore afficerẽt. Ego vero volebam ex eis scire quisnam is esset, vt mihi esset facile & expeditum dissoluere tyrannidem. Sed cũ illi nescio quanam de causa fefellerunt quæ mihi promiserant, & in suam redierunt regionem, timeo, conturbor. existimo adesse periculum. De cætero vos intueor liberate me ab hoc metu. Properate cũ armis. omnes hos fines retibus cædis circunsidete. à senibus abstineat ensis. iis qui iam pubescunt nullum afferte periculum. aduersus paruos tantum infantes armemini. Omnem primam ætatem demetite miserabiliter. Nullius lachrymæ matris misereamini. meum inimicum scrutemini in sinu vniuscuiusque. In eos qui ad matrum vbera confugerunt ferrum trudite. & cædis sanguis misceatur cum lacte. Etiam matres ipsas cum infantibus adactas transfigite, vi ictus ferri à mollibus corporibus ad illas delapsi. Nullus huius cædis erit vobis accusator. Solum festinate. instar leonum in ciuitatem irruite. Nulla vos cædis capiat satietas, donec à vobis existimatur aliquis puer restare. Si nulli vitam concesseritis, ille quoque inter omnes videbitur cecidisse. Et ille quidem non bene nec tuto fruetur honore Magorum. mihi autem lætã dabitis vitam & à cura liberam.

Hæc cũ illi audiissent, & à suis animis omnem amputassent misericordiam, & scelere statuissent alter alterum vincere, cursu ferebantur in ciuitatem, manus armatas extendentes: & in greges vrbis Bethleem irruẽtes, teneros agnos dilacerabant. & sanguinis fontes omni ex parte emanantes, abunde inquinabant terræ superficiem. & nihil videbatur pereuntibus sufficere ad salutem. Non domus quæ celare posset eam quæ subierat. non

templum afferens Parricidis aliquam Dei reuerentiam. Non ſpeluncæ clandeſtinus ingreſſus. ſed infantes tanq̃ hoſtes omni ex parte inueſtigabantur. neque latuit vllus eorum gladium, cũ vnuſquiſq;, tanq̃ qui eſſet ipſe Chriſtus, in vniuſcuiuſq; quæreretur ſanguine. Quæ autem erant audaces matres, opponentes manus aciei gladiorum, à ſeipſis quidem feriebantur pro pueris: ſed nihil eis proderat: neque aliud efficiebant q̃ vt eſſet eis temporis longius periculum. Aliæ vero violenter apprehendentes pueros qui contra trahebantur, quæ membra manibus conſtrinxerant, ea ſolum habentes poſtea conſpectæ ſunt. ferro matri diuidente infantem & iis qui trahebant. & ille quidem, verbi cauſa, manum, hæc verò crus, illa autem aliquam aliam partem, tanquam totum tenẽs filium, excurrebat. Multæ autem dum curſu fugerent, in ea quæ iam iacebant corpora incidentes, & ſolo teneros ſuos fœtus allidentes, enſe nihil opus habebant ad eorum interitum. Iam verò aliqua ſtans ante eum qui erat percuſſurus & pro ſuo filio multum obſecrans, flens ſic vociferabatur.

Concede mihi ò miles, eorum quæ à te fiunt ignorationẽ. & me occide ante filium. & ne matris offendas oculos tam acerbo ſpectaculo. Eſt tibi omnino vtique mater. eſt etiam vxor quæ habet filium. Scis quemadmodum propter mala filiorum parentum dilacerãtur viſcera. Illi autem flectebatur quidem animus, & per genas fluebant lachrymæ. Herodis vero ſeruiens rabiei, verbis adhuc fluentibus, in vlnis matris infantem occidebat. & ſupplicationem interrumpebat cædis lamentatio. Hiſq; hæc agentibus magis fuit irritata inſania. In ipſas domos irruebant, & omnia ſcrutabantur furentibus & cædem ſpirantibus oculis. & in excelſos thalamos excurrebãt. Deinde cum ſub lecto aut ſub aliquo alio eiuſmodi infantem inueniſſent latentem quem ſolus fletus indicauerat, ex ædibus tanquam lapidem in vicos deuoluebant. iræ Regis mortem largientes tam impiam. Confuſa vero exiſtebat vociferatio, & inualeſcebat varius ſonus luctus: maioribus quidem pueris fratres ſuos deflentibus: parentibus deplorantibus eos quos genuerant: matribus autem propter calamitates ſonoros eiulatus edentibus: ſenibus vero ſe nihil vnquam tale vidiſſe clamantibus, ne in hoſtium quidem incurſionibus: conquerentibus omnibus de acerba luce illius diei.

Cũ finem accepiſſet pręclara hęc expeditio, & dimiſſus eſſet exercitus tanquam parta inſigni victoria, rurſus excitata eſt matrum lamentatio: & cũ flendi deinceps eis facta eſſet poteſtas, vnaquæq; ſui filij membra, alia alibi colligebat cum lachrymis. & violenter diſciſſa in vnum coniungens, & quod reſtabat inquirens, & quod inuentum erat ſæpe amplectens, & totum corpus in ſinu imponens, valde clamabat. Hei mihi fili mi. hei mihi, qui nõ ad talem ſpem nobis ſatus & productus fueras: Qũo cum tanq̃ ramus germinaſſes, & magna ornatus eſſes pulchritudine, & bonæ ſpei nobis pulchra præbuiſſes ſemina, repente à meis abſceſsiſti manibus? Exurge parumper. excute ſomnũ quem tibi Regis attulit inuidia. me voce imperti iucundiſsima. apprehende miſeras mamillas eius quæ te peperit. trahe vbera quæ olim diligebas. fac vt tu pendeas à collo matris. taces. quieſcis. Heu me miſeram. qũo rurſus contexam membra quæ enſis diſſecuit immaniter? Quiſnam autem vterus mihi fiet adminiſter vt ſis rurſus corporatus? Quibuſnam vero manibus neceſſariam tibi

terram congeram? Quo autem à tua me forma separabo? Talibus fletibus completa fuerat ciuitas, singulis singulas ad fletum incitantibus. & suam propter mortuos filios lamentationem, aspectus viuentium indies incitabat. Coronatus autẽ erat Rex tanquam propter erecta trophęa. & se existimabat adeptum esse victoriam qualem nunquam antea & cũ se tanto cędis contaminasset crimine, & sui imperij tot plantas excidisset, magnos spiritus conceperat, & de securitate maximam acceperat fiduciã. nesciens homo plane stolidus quo reciderat illa callida eius machinatio. Quẽ enim quæsiit non potuit laqueis includere. quos vero si fuisset adhuc sanæ mentis, noluisset sic afficere, male perdidit, ipse sibi afferens exitium.

Christus autem Dñs vniuersorum, tam sæuo nefariorum scelerum artifici, morbum immisit acutissimum, cum innocẽtium infantium animas reposuisset in sinum patris Abrahæ, ipse libere proficiscitur in Ægyptum, expurgare volens arcem impietatis: & qui erat abditus in adytis idolorũ errorem suis radiis aperire, & reddere manifestum iis qui iam olim decipiebantur, & Diabolo luctum afferre grauissimum. Nam cũ paucos Iudæorum infantes se existimasset perdidisse propter Christum, se illos quidem non aduertit collocasse in pratis vt pulcherrimis ita longe tutissimis, & nihil eos lęsisse. se autem iam vidit sua nudãtum tyrannide, & priuatũ antiquissima potestatis suæ hæreditate: Esaiæ impleta prędictione, quam ipse Christus in labris eius posuerat, longo ad tempore talem suum aduentum aperte significans, & per illius linguam clamans. Ecce Dñs sedet super nubem leuem. & veniet in Ægyptum. & soluentur manufacta Ægypti à facie eius. Eum decet gloria in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI

& Archimandritæ Marcelli, Monasterij Acoemetorum, idest, non dormientium.

MIHI sæpe venit in mentem cogitare quanam de causa Poëtæ innumerabiles, alij quidem bella & inimicitias, & quæ ex eis oriuntur calamitates, composuerunt alij autem omnino fabulosa & aliena, quę neque ipsis prodesse possunt, quod attinet ad animæ salutem, neque iis qui ea legunt, quibus ipsi composuerunt vllam præbẽt vtilitatem. Quid enim iuuat scire, quam multę quidem naues è Græcia nauigarunt in Ægyptum: quot autem duces & milites duxerit vnaquæq; earum: & q̄ aliis quidem maior erat Aiax, Achilles vero erat eo fortior: & q̄ Nireus erat omnium forma pulcherrimus. Ad equos autem vsque, hoc superuacaneum & inane deducere, & Eumeli quidem equas dicere cęteris esse meliores, Achillis autem equos ipsis prę-stãtiores, & eos immortales dicere & vocales, quã superuacaneam efficit narrationem, & q̄ parum fide dignum simul & riduculum efficit scriptorem? Sed illi quidem hęc scribere, & his etiam deteriora, nempe Deorum amores, & quas inter se agitarunt seditiones, pugnasq; & lites, minime dubitarunt, Hæc autem quidnam conferunt ad morum honestatem ac moderationem & animæ vtilitatem. & non potius detrimentum affe- Eodem die.

runt, & vitiorum malas impreſsiones inſculpunt in animis eorum qui verſantur in iis legendis? Mihi enim nihil perſuadet inanis labor eorum qui hæc volunt abſurda mitigare & ea reducunt ad alimenta & partes animæ. Aut enim cum non fuerint fruſtra & falſo dicuntur, aut etiamſi fuerint, par eſt ea potius ridere & odio habere quàm laudare.

Exiſtimo aūt boni viri vitam qui legi Dei vixit cōuenienter, dignam eſſe quæ elaboretur & literis mandetur, ex qua ipſe qui componit, tam ſibi quàm aliis poteſt magnam conciliare vtilitatem qualis eſt vita Marcelli admirabilis. qui ortus quidem eſt ex ciuitate Apamea, ea eſt autē ciuitas orientalis, quæ bonis abundat plurimis. Nobili vero loco natus, per ſe reddidit nobiliorem ſeriem ſui generis. Nam cū iam in ipſo flore iuuētutis amiſiſſet parentes, & ætatem ageret iucundiſsimam, nō ſicut iuuenis declinauit ad voluptates: neque delectabatur iuuenum cōſuetudine, æqualis æquali volens placere, vt dicitur. ſed in iuuenili corpore, imitabatur caniciei prudentiam & vitæ inſtitutionem. Quanquam ei aderant diuitiæ: quæ ſunt materia ad explendas voluptates igni adoleſcentiæ. Sed nihil horum illum coëgit negligere temperantiam quæ erat ei chara à pueritia. Sed & orbitas & ætas & diuitiæ, hæc omnia ſimul, à profunda vincebantur prudentia. Propter externam vero eruditionem, in magnam venit Antiochiam. Ventitat autem ad quendam in dicendi facultate pulchre exercitatū. Ingenij vero celeritas à vehementi eius ſtudio adiuta, ei breui largitur magna dona ſapientiæ.

1 Vides quo fine ſancti uiri externis diſciplinis operam impendunt, nō ergo earum ſtudiū eſt Chriſtianis inutile, aut à ſcholis explodēdum, ut garriant nōnulli.

Poſtquam autem externæ 1 ſapientiæ viſus eſt ſibi habere quod ſufficeret. Neque enim ea erat eius principale ſtudium, niſi ad hoc vt externis illis imbutus, deinde initiaretur in iis quæ ſola ſunt ſacra myſteria, nempe vera & quæ ad Deum deducit ſapientia, vitæ, inquam, inſtitutione quæ verſatur in exercitatione & vera philoſophia. Opus autem ei quoque erat aliquo ad eam duce. Cū vero eum nō præberet, vt ei placebat, Antiochia, cogitauit ire Epheſum, cū audiiſſet in ea eſſe magnam virorum copiam qui ad ſummam virtutem peruenerant. Statim ergo contemptui quidem eſt habita pulchra Antiochia: deſpectum autem fuit iucundum ſolum patriæ: neglectæ vero verborum contentiones, & inane otium, & tota externa illa ſcena. Diuiſæ autem ſunt pauperibus opes illæ ingentes & magnificæ. & eum excepit Epheſus nudū aliis omnibus. Cū ſic aduentaſſet, inuenit ſibi cōueniens hoſpitium. Nam vir quidam cum vxore eum accepit hoſpitio. qui non magis communis menſæ & ſalis ei erant ſocij, quā morum & virtutis & in omni re moderationis.

Huic autem pulchræ bigæ erat etiam ſeruus, qui virtutis ratione erat Dominis multo venerabilior. cui tanta inerat animi ingenuitas & nobilitas, vt huius Dominorum virtutis ille, vt aiunt, eſſe auctor: & viſus ſit ſeruus tam multa Dominis bona conciliaſſe. Cuius & alia quidem multa laudantur, & hoc inter cætera, quod in monaſteriis quæ erant in ciuitate, portis clauibus recte clauſis, is intempeſta 2 nocte, nemine ei aperiente, aſtabat in medio Monachorum canentium. Idque cū non ſemel ſed ſæpe fieret, euaſit manifeſtum, & de hac re ſermo totam impleuit ciuitatem. Huic autem ingenuo, vel vero potius Dei ſeruo, nomen erat Promotus. Hic ergo Promotus, Marcello quoque non pauca ad virtutem dedit incitamēta. In hoc enim ab eo ponebatur opera, vt quæ honeſta ſunt vndique colli-

2 Ecce in nocte monachos canentes, quia ſicut ſunt horæ, orationis diurnæ, ſunt etiam nocturnæ.

colligeret, & tanq̃ ex multis floribus sibi virtutis coronam contexeret. Cum aliis autem bonis quæ habebat Marcellus, hoc quoque ei inerat, ꝙ scribebat pulcherrime. Scribebat ergo & laborabat manibus: et mercedis quæ illinc ei suppeditabatur, partem aliquam consumebat ad vsus corporis: reliquum vero præbebat egentibus. Vnà autem cum misericordia se recte quoque gerebat in iustitia. Nam si maior ei soluta esset merces q̃ pro scripturæ opera, ille non sustinebat. sed si quid erat amplius, reddebat ei qui dederat. Ec sic interdiu quidem perseuerabat laborare in scribendo, & sicut aiunt diuina eloquia, opus manuum suarum dirigens. totam autẽ ferè 3 noctem consumebat in oratione, & per eam cum Deo iucunde loquebatur & ei vniebatur. Si vero parum quid somno quoque tribueret ꝓpter necessitatẽ corporis, ne hoc quidẽ erat remissum, sed laboriosum & castigatũ. Sic ei vniuersum tẽpus erat laboribus plenũ & certaminibus.

3 *Nota totam fere noctem consumebat in orationibus.*

Cũ autem audiisset Alexandrum virum quendam virtute incomparabilem, plenum quidem sapientia, plenum & pastorali sollicitudine & diligentia curaq; animarum, ad multorũ tunc salutem degere Byzantij, non duxit esse sibi manendum in præsentibus, sed desiderans meliorem vitę institutionem, ad eum venit quam celerrime. Et tũc quidem diuinus Alexander in templo magni Martyris Menæ exercebatur. postea autem in ipso quoque ostio ponti venerandum statuit monasterium. In quo nouam quidem sed longe omnium pulcherrimam legem imposuit, vt hymnorum 4 ad Deum nunquam interrumperetur perpetuitas: sed per vices mutatis ministris, hæc nunquam silens & nunquam conquiescens tribueretur Deo glorificatio. Diuino ergo Alexandro Marcellum cũ illuc accessisset, bonus commẽdat Iacobus: qui prius quidem Marcello fuerat familiaris. cũ ventitasset autem ad Alexandrum, erat ei primus inter Discipulos. Is vero gaudebat quidem se esse Alexandri discipulum. male autem eum habebat ꝙ non ad ipsum quoq; ventitaret Marcellus.

4 *Pulchrum profecto institutum orãdi. Ex quo habes quãtum antiqui monachi studium adhiberẽt hymnis pro gratiis deo agendis.*

Postquam ergo eum vidit venientem, eum lubenter adducit ad Magistrum. &, Hic est, inquit, ò pater, qui nos non persequentes fugiebat, sed potius latebat persequens. Sic diuinus Marcellus fuit Alexandro commendatus, & illius manibus sacrum induitur 5 habitum, tempore quidem Iacobo secundus: moribus autem longè prior. Quamobrem tale quid fertur etiam dixisse Præceptor, nempe ꝙ etiamsi Andreas prior secutus sit Magistrum, Ioannes tamen eum quoque est assecutus, per hæc alterum quidem vocans Iacobum per alterum autem, Marcellum admirabilem cũ ambos quidem sciret esse fratres propter virtutem, & eodẽ tenore simul currere: Marcellum autem assimilaret Ioanni, vt qui esset ipse quoque 6 virgo, & cum doctrina magnam haberet cõiunctionem. Atque inter alios quidem, primas partes obtinuit Iacobus: ipsum vero rursus superauit Marcellus. Erant autem ambo par æque bonum. & quodammodo in vno & eodem corpore fraternitatis, locum tenẽtes oculorum. Qm̃ vero eos sic mente purgatos non oportebat non etiam futurum intueri sicut præsens, non latuit Marcellum mors Prçceptoris. sed cũ hoc quidem cognouisset, non minus autem illud quoque præsciuisset ꝙ futurum erat vt in eum caderet suffragium, & cũ ipse pasceretur, accerseretur ad pascendos alios: hoc vtiq; veritus ne seni iuuenis imperaret: & simul cum esset amicus modestiæ & lætaretur subiectione, nullo conscio

5 *Aduerte quod nouũs monachus nouum induebat habitum, sicut & modo.*

6 *Virgo Ioannes, virgo Marcellus, nõn ergo res est impossibilis uirginitas, ut quidã nunc mentiuntur.*

recedit è monasterio, apis, vt aiunt, ad flores. In orbem itaque obibat sanctos, & in colligendis ex vnoquoq; bonis, augebat sibi ceram virtutum.

Interim vero dum is viros obibat virtutis studiosos, è vita migrat sacrosanctus Alexander. Cũ is autem excessisset, Marcellus protinus erat in ore omnium. & qm̃ non aderat, duplicem afferebat molestiam: & q illo tempore abesset: & q moriente Alexandro non erat Marcellus cui post illum credebatur præfectura. Electus ergo fuit Ioannes vt præesset, vir & canis capillis & prudentia. cui etiam celebratus ille Iacobus propter ætatem lubens cessit. Cũ hæc autem sic processissent, Marcellum nequaq; latere potuere. Sed postq; finem acceperunt, & ipse est reuersus, & Ioanni fuit coniunctus effectus ei manus dextera, & optime simul ferens onus administrationis: cũ ille quidem propter præfecturam nihil esset factus insolentior: hic vero esset purus ab omni inuidia, & ei vero amore colligatus. Sic ergo ambos habebat Alexandri monasterium.

Post aliquod autem tempus à Philotheo persuasus Ioannes, recedit quidem ab hoc loco. Venit autem ad quendam locum ex æquo liberum à turba ciuium, & à difficultate solitudinis. Locus vero est Bythinorum quidem regionis: situs est autem in faucibus maris cui ex aduerso situm cernitur quod vocatur Sosthenium. Hoc siue propterea q sit remotum à strepitu, siue propter aliquid aliud, tũc quidem nominabatur Irenæum. cũ Ioannes autem rem ipsam nomen loco dedisset, propter 7 perpetua quę ad Deum fiunt cantica, in hodiernum vsque diem nominatur monasterium ἀκοιμήτων, hoc est non dormientium. Nam cũ eandem formam q; alexander imitatus esset Ioannes, eorum qui per vices canebant nullo somno interruptam faciebat glorificationem. Cũ huc autem ille sacrum transtulisset monasterium locum enim iam dono acceperat ab illo qui prius dictus est Philotheus, dici non potest quantis officiis & honoribus sibi promerebatur & in suam redigebat potestatem Marcellum. sciens se quidem esse ætate prouectum: illum vero, & exercitatione, & doctrina, & ingenij acumine, & aliis omnibus bonis longe excellere. Quamobrem communium omnium cura Marcelli fidei erat credita. Nam hunc quoq; Ioannis futurum successorem diuina nouerat prouidentia, & volebat eũ pulchre erudire in iis quæ pertinent ad regendum. Hoc vero & aliis quidem indiciis significabatur. hac re autem vel maxime euasit manifestũ. q ambo eodem die, Ioannes quidem ascendit ad 8 gradum presbyterij: Marcellus autem ad gradum Diaconatus.

7 Et in hoc monasteriũ nouum perpetua cantica introducũtur sicut in superiori.

8 Si omnes fideles ex æquo essent sacerdotes, ut negantur hæretici, cur eodem die vnus presbyter, alter Diaconus ordinatur?

Non hæc vero solum futurum significabant: sed etiam vir quidem qui ipse quoque præerat gregi participi rationis, qui non longe aberat à monasterio Ioannis, cui nomen erat Macedonius, vita autem purissima, & diuina quædam & prophetica anima: is qm̃ non latebat Marcellum, sed & ille videbat videntem, & cum esset Propheta, non ignorabat eum qui erat similis: & assidue ad eum veniebat. Is prædixit futurum vt non solum gregi præesset, sed simul omnia. quòd scilicet futurus esset clarus propter virtutem: & quòd vniuersam ferè terram et mare impletura esset eius gloria: quòd multi græci & barbari ab illius lingua pendentes, patriam quidem abiuraturi essent impietatem, Deo autem essent consecrandi: q Deus valde in ipso & per ipsum esset glorificandus, & multi filij Dei per illum essent futuri, & digni essent cẽsendi paterna hæreditate. Hęc

ille quidem dicebat. an autem effectum sint consecuta ostendet id quod est postea consecutum.

Marcellus vero hæc audiens, quinetiam ea quæ audiit faciens, nihil vnquam de se magnum aut mente cōcepit aut est locutus. sed hoc potius ꝙ cū alios excelleret & esset primus, se ipsum existimaret & nominaret omnium vltimum. Id autem ex illo quoq; significatur. Is cū aliquādo delectaretur sermone senis huius admirabilis, diu quasi quibusdam fruebatur delitiis. & ab illius lingua pendens, non aderat monasterio. Apud monachis cum abesset inciderat iucundißima de eo narratio. & de eo habebantur sermones quidam apud Ioannem. Atque ex Monachis quidē ij qui erant probiores, & alia huius viri admirabantur: quinetiam hoc quoque addebant, ꝙ à præfectura se remouisset, & sede tam facile reliquisset. rem quæ solet fieri à valde paucis. Improbi autem & qui ignorabant Marcelli animi magnitudinem, hoc ipsum ꝙ fugisset gloriam, dicebant in se habere quandam materiam & occasionem gloriæ cupiditatis. Neque enim cum liceret Marcello imperare, maluit ipse parere aliis. sed ꝙ non ignoraret futurum vt Ioannes ei in honore pręferretur, & eum esset qui erat in hac præfectura successurus, maluit se fuga subducere, quā videri illi secundum. nec facile sustinere potuit eum esse prælatum.

Hæc etsi essent confutatu facilia, accuratius tamen docebit experiētia. Ioannes enim volens declarare ad q̃ꝫ profundam venisset Marcellus humilitatem, & persuadere Monachis ne facile condemnarent, Rebus, inquit, ipsis ò filij, committendum est iudicium. cumq; nihil aliud dixisset, in animo versabat redeunti Marcello vilißimum ordinem ministerij, nempe asinorum curam, ei credere. Postquam ergo ille rediit, & hoc quod videbatur maxime ignominiosum in cōspectu omnium iusßit Pręfectus, Marcellus hic manifestum dedit argumentum suæ modestiæ & demisßi spiritus. Non solum enim iussum lubēs accepit. sed fecit etiam aliquid elegantius. Adeo enim lubenter dixit se subire hoc onus ministerij, vt id etiā poneret in loco beneficij, & rogaret vt datis scriptis sibi caueretur vt nec si vellet quidem posset ab eo recedere. Et non sic dixit quidem. non autem fecit. Neque fecit quidem sed paruo tempore. sed in factis ipsis visus est longe acrior. Tandiu autem perseuerauit in hoc ministerio, donec omnes multis precibus supplices ab eo contenderunt, vt eis quidem ignosceret, ab hoc vero seruitio discederet. Absurdum.n. esse talem virum tam vilia subire ministeria, qui gregi rationis compoti dignus erat pręesse.

Non multum temporis intercesßit, & Ioannes ipse qui monasterio pręerat, migrauit ad Dn̄m, statimq; D. Marcellus fratrum suscipit præfecturam. & charismatum radij quales & quanti in eo essent omnibus euasere manifesti. Sed quidnam eius quispiam primum fuerit admiratus, insignem ne eius in pauperes misericordiam, an quæ propter eam facta sunt miracula? qui sic quidem 9 communia, nihil enim habebat proprium, consumebat, vt videretur paulopòst & ipse & Monachi redigēdi ad egestatem. Tam abunde autem asßidue suppeditabat, vt non minus q̃ꝫ quod fecit Dn̄s, conspiceretur etiam in seruo fieri. Qūo enim tunc non plures q̃ꝫ quinque panes, & duo pisses, aluerunt multitudinem hominum ad satietatem: ita nunc quoque paucis quotidie alebatur multitudo egentium: & ea rursus eis minime deficiebant. Sed hæc quidem ita se habebāt.

9 *Nota, ita cōsumebat cōmunia, nihil enim habebat ꝓprij, &c.*

Quemadmodum autem ex rebus difficillimis, & quarum nullus sperabatur exitus, à superis ei data sit solutio, & quæ ei dicta sunt finem acceperint, par est paucis dicere.

Auctus quidem erat ei grex quotidianis accessionibus: & multitudine quotidie dilatatus, efficiebat pecoribus arctam habitationem. Opus ergo erat Pastori maiori quidem atrio: maiori autem domo orationis: maiori & alimento & reliquo sumptu iis qui collecti fuerant. Ille autem tunc quidem vel maxime omnia exhauserat in egentes. Erat vero ei opus pluribus sumptibus, & maxime ad tantam virorum multitudinem. Fuerunt autem hæc Deo curæ: & rem, vt solet, traducit ad abundantiā. Erat enim quidam Pharetrius, optimus ex optimis, & longe ditissimus. Is cū acrem quendam concepisset amorem eius quæ est ex Deo philosophiæ, secum acceptis illis suis ingentibus diuitiis & filiis adhuc teneris, venit ad Marcellum: & omnia simul, nempe & pecunias, & filios, & seipsum, Deo cōsecrat. seipsum quidem & filios sacra 10 veste induens monastica: opes autem conuertēs ad vsum monasterij. Et primum quidem sacram domū orationis, eis & latiorem, & excelsiorem, & ita vt nunc se habet, construxit. vt & multitudo colligeretur, & in nullas redacta angustias, opus Dei perageret. Deinde reliqua omnia fratrum domos, andrones, tam qui peregrinos, q̄ꝫ qui ægrotos excipiebant, & ad summam, domos, alias quidem quæ laborabant & ruinam minabātur, renouauit: alias autem magnifice excitauit: & aliorum omnium quæ huiusmodi vitæ communi opus erant præbuit abundantiam.

10 *Nota, seipsum & filios sacra ueste induēs monastica, opes autem conuertēs ad usum monasterij.*

Hæc quidem ita se habebant. magno autem Marcello grex indies crescebat & augumentum accipiebat. Omnes enim attrahebat illius Siren, nempe suauis oratio coniuncta cum vita purissima. Porrò autem cum etiam credidisset salem diuinum esse factum eum qui ei parebat gregem, eos mittebat vt alios quoque diuino sale implerent & voluptate. Et q̄uo ex magna Edem quatuor dicunt manare fluuios: ita etiam ex Marcelli tabernaculo cœpit per vniuersum ferè orbem terræ profundi purum & iucundissimum & salutare fluentum, illa, inquam, accuratissima vitæ quæ ab eo agebatur imitatio. Præterea autem supernarum potestatum ministerij quod nullo somno interrumpitur zelus, cū hinc cepisset initiū, venit ad primam & vrbium reginam. Deinde ad alia quoque loca trāsiit imitatio. Et siue quis templa extruebat aut monasteria, siue aliquid aliud sacrum faciebat, à Marcello etiam accipiebat curatores & duces. Sic monasteriorum & templorum quę erant vbiq; per suos discipulos cōmunis extructor fuit & communis curator. Persuasum enim habebant qui hæc ab illo quærebant, non solum se fore illius doctrinæ participes, sed etiam quandam gratiam & sanctificationem ab illo etiam ad eos esse venturā; q̄uo qui sunt sacrarum aquarum participes. Ei vero cū hæc ageret, dolore & voluptate distrahebatur animus. Nam vt pater amans filiorum, cū ei auferrentur filij, dolore afficiebatur. Vt qui autem seruator multorum, & per illos multis esset vtilis, lætus eos emittebat: tum etiam q͂ illius quidem secundum Deum filij, aliorum patres: eorum autem oues fuerunt pastores aliorum.

Neque tamen temere ac leuiter emittebat discipulos, sed cum eos prius multis confirmasset sermonibus, & Deum testem in eos inuocasset, q͂ neque

neque mores dissoluerent, neque habitum II mutarent, nec de accurata ac perfecta viuendi ratione aliquid remitterent. sed & illi mores qui erant ab initio tanquam legem perpetuo conseruarent: & maxime concinnæ & per omnia optime compositæ viuen[di] formæ aliis causæ essent. Illi autẽ quæ ab illo acceperant munera & mandata tam pulchre conseruarunt, vt quod ipse illis, hoc ipsi essent aliis: & per omnem ferè terram & mare hæc bona sementis ab eis distribueretur. Sed de illius quidem viuendi ratione, & præterea de eius insigni gloria propter virtutem, & ꝙ omnium maxime eam fugiens, longe magis suæ famæ celebritate impleuit omnem terram, & præterea de eius solertia, de humanitate, de eorum qui vbique erant cura & sollicitudine, De his, inquam, omnibus, veluti quædam solũ indicia & vestigia significauit oratio. Vult autem pauca quoque ex eius miraculis in medium adducere: & non iniucundam cum vtilitate narrationem largiri piis auribus.

Vides antiquos etiã monachos certum habitum habuisse, quẽ mutare non licebat.

Quidam tres Epi qui fuerant apud hostes captiui, & modo liberati erant calamitate, accedunt ad Marcellum. & rogant vt eis daret quod ad reficiendum erat necessarium. Ille autem cũ & eorum curam gessisset & eam quam sperabant dedisset eis consolationem, ipsiq; qm̃ multum temporis prætererat, vnusquisque domus suæ & ecclesiæ meminerant, eis abunde suppeditat viaticum. Viaticum vero erat aurum. & iubet eũ qui impensis præerat, erat autem ei nomen Iulianus, auro donatos Epos emittere. Is vero ex decem quos tunc habebat stateribus, solum tot affert quot erant viri numero. Magnus autem ille, nihil enim eum ex iis quæ erant latebat, iubet vt citra vllam parcitatem det omnia. Sed ille ne sic quidem se pure gessit. Sed cum dedisset nouem, vnum detinebat, volens vtique fungi officio boni Oeconomi. vt iis qui vt solebãt veniebant pauperibus, aliquid haberet quod daret. Quid ergo accidit: & quõ vtrũque docetur Iulianus, neque de futuro esse sollicitum, nec existimare magnũ Marcellum aliquid latere eorum quæ fiunt. Venit ad Marcellum homo quidem motus à superis: & donat eum nonaginta talentis Ille aũt eum qui susceperat dispensationem arguens, vt par erat, vt qui non recte esset vsus dispensatione, Ecce, inquit, ò parce, quis sit exitus tuæ parsimoniæ. effecisti enim vt totis decem talentis nobis minor esset ꝙ̃ erat futura donatio. Cũ enim essemus accepturi decuplum eorum quæ dedimus, propterea ꝙ vnum dare noluisti, iis quæ præterea accepturi eramus decem priuati sumus. Sed hoc quidem fortasse fuerit euidens argumentum non solum ꝙ præuideret, sed etiam quod non oporteat esse sollicitũ de futuro, & ꝙ magna esset eius in egenos benignitas.

Qm̃ autem de prophetico eis dono parum quid significauimus, tempus est vt bibamus etiam de fonte curationum. Quidam ex Monachis nomine quidẽ Elpidius, morbo autem erat implicatus qui omnem spem superabat nam totum quidem os eius graue vlcus depascebat: tota vero ea pars quæ linguę subest, habebat ingentem qui excreuerat carnis tumorem. quod quidem ei reddebat mutum & inane instrumentum. & hoc accedebat intolerabilibus illius doloribus, ꝙ nec ipsos quidem dolores posset enunciare. Ambo autem hæc, vlcus, inquam, & tumor, cum probrum etiam & dedecus accepissent, efficiebãt vt mors esset ei optanda. Hic ergo cũ accedente aliquando sancto toto pectore ingenuisset & vix esset lo-

cutus, tantum dixit. Hei mihi, me nunc despicit magister. Ille autem tantum aberat vt despiceret, vt statim commotus sit ad preces, 12 & clementiæ lachrymas ex oculis emiserit. Deinde cum tumorem & vlcus tetigisset, hoc quidem sanat, illum vero facit euanescere. & os ei purum reddit & mundum, & aptum vt alioqui loqueretur absq; vllo impedimẽto, & ei esset vtile instrumentum ad agendas gratias.

12 *Marcellus precibus & tactu morbos pellebat, quod uidebis etiã in sequentibus.*

Quidam alius Monachus nomine Stephanus, qui secundum naturam quidem admittebat alimentum, vt id autem per naturalem exitum procederet, hoc minime habebat, extremis cruciabatur doloribus. Cũ ars autem medendi ea in re diu esset versata, dolores quidem augebat vulnerum acerbitate. quæ vero sunt apud eos elateria & purgationes, probabat esse inania, studiumq; & operam frustra in eis consumi. Cum ergo videretur malum inexpugnabile, & non multum abesset quin is disrumperetur, id renunciant Marcello. Ille autem precatus quidem est sicut consueuerat. cum vero venisset ad laborantẽ, partim quidem ventrem manu tangens, partim autem dorsum, tanq̃ propellens, & ad inferiores partes agens materiam, illi quidem concessit progressum qui est secundum naturam: viro autem vt ea liberaretur & vitam ageret sine molestia.

Porro autem is quoq; qui paulo ante dictus est Iulianus, qui conuictus fuit non recte dispensare, sicut prius donum perspicacitatis, ita etiam Marcelli curationum donum fuit expertus. Nam is quoq; morbo laborabat, qui & medicina & omni precatione erat, vt ille putabat, superior, & citra vllam dubitationem mortem minitabatur. Accersitum autem rogat adesse Marcellum, non vt acciperet curationem: nam hoc ne sperabat quidem: sed vt ei decidenti preces concederet viatici. Ille vero cũ accessisset, primum quidem eius medetur animæ. Ne, inquit, o fili, tam humiliter & abiecte & tam humano more de Deo sentias neque rebus nostris metiaris res illius: Nam nostrum quidem aliquis, hoc quidem fortasse potest, illud vero minime. Deus autem omnibus & magnis & paruis ex æquo est potentior. Quõ ergo nos quidem paulo ante pusillum & sordidum animum, Deus vero suam ostendit munificentiam: ita etiam in morbo existima, illum præclare, vt Deum decet, omnia & magna virtute facere: qui etiam nobis data venia incredulitatis, largietur salutem. Cũ sic dixisset, animæ curationem corporis quoq; sanitas est consecuta, adeo vt postea cum nõ tam temere vixisset sed vt eum decet qui est Dei amicus, fuerit Sacerdos dignus Marcelli doctrina & sacerdotio. Sed quale est hoc quod sequitur: q̃ est incredulis quidem valde terribile, apud fideles autem in magna habetur admiratione.

Vir quidam qui laborabat morbo sectæ Samaritanorum, laborabat corporis morbo immedicabili. In eius enim corpore erat enatũ vulnus. Vnguenta autem, & medicamenta, & quæcũq; ab arte adhibebantur, conuincebantur nihil posse. Ad extremam itaq; spem aspexit Marcellũ: & cũ ad eum venisset, statim cum eo egit precibus. Ille autem & quisnam esset rogauit, & vnde, & quænam ei esset religio. Omnino vero hæc non fecisset, nisi ad eius aspexisset animam. Cũ ille autem dixisset se quidem esse Samaritanum, polliceretur vero q; si morbo liberaretur, & protinus suam mutaret opinionem, & ad Christianorum lubens accederet sententiam, precatur senex, & preces consequitur sanitas. Cũ ergo statim

edidisset confessionem & viam rectam esset ingressus, nondum quatuor diebus præteritis statim ad priorem reuertitur falsam religionem, Canis, aiunt, ad vomitum. Quō autem fidei rectitudine curatio corporis, ita vitiosa fide morbus est accensus. Hæc vero nequaquam latebant Marcellum. Sed cum rursus ad ipsum rediisset Samaritanus, ei quidem exprobrat mutationem, rursus autem ignoscens, morbo medetur. Cū vero iam bis & ter & sępius corporis quidem morbus cessasset, reuersus autem esset morbus animæ, & illum rursus reuocasset, Christus est, inquit, qui te curat, non ego. Tua vero de opinione pacta conuenta, non mecum sed cū illo fieri existima. quem nemo latere potest neque decipere. Omni ergo deposita fraude & impostura, puram illi confitere religionem. & certo scias fore vt pure carnis sequatur curatio. Cū autem ille infelix & amēs dixisset, se quidquid accidisset, nunquam posse patriam 13 relinquere religionem, ipse quidem abiit nihil locutus. Ille vero infelix cum parum processisset à monasterio, & violentius morbus eum esset aggressus, duplici, proh dolor, morte moritur, nempe carnis & animæ. Hæc cum magnus ille audiuisset, & lachrimas emisit, rem esse luctu dignam arbitratus: & hoc solum dixit, Non tentabis Dn̄m Deum tuum. tanq̄ propter illum dans præceptum omnibus.

13 *Raro uideas apostatas ex corde ad rectam fidem redire.*

Nobis autem conuertenda est hæc oratio ad aliam fidelis hominis curationem, quę vt fuit celerrima, ita etiam iucundissima. Quidam nomine Cyrus, prius quidem corpore robustus & ad pugillatum valde bonus, postea autem inter Monachos quoq; admirabilis: hic ergo cū paulo ante subiisset monachatum, tanq̄ alius Iob malo vlcere percutitur à maligno. Totum enim eius dorsum graui ferit vulnere. Id autem desuper à collo incipiens, & carnem totam depascens deperdidit, & quæ sub ea erant ossa pure nudauit. Acres vero, & qui verbis exprimi nequeunt, dolores hoīem penetrantes, neq; rectum stare, nec accumbere, sed neq; sedere sinebāt sine cruciatu. Hic ergo omnibus & medicis & artibus pręteritis, ad Marcellum solum, & per illum ad Deum confugit. & ab eo petit curationem. Ille autem cum manus 14 & mentem statim in altum sustulisset, & vt solitus erat orasset, deinde manu vlcus tractans, ò vir optime, inquit, Te quidem, inquit, ab his non oportet superari. Neque enim eum qui pugnat cum iis qui non sunt aspectabiles, oportet gerere curam carnis. Sed confide. Nam si tibi altissimum posueris refugium, fugiet hęc plaga à tuo tabernaculo. Dictum fuerat. & omnia simul protinus videbantur, ossa, carnes, pellis, illa quidem tecta, hæ verò repletæ, pellis autem extensa: doloresq; cessauerant. adeò vt in eo propemodum impletum fuerit factum prædictum Ezechielis. Aspexi, & ecce super ea nerui & carnes nascebātur: & pellis super ea ascendebat.

14 *Orat sanctus manibus & mente in altum sublatis, deinde ulcus manu tangit, & morbum incurabilem curat.*

Quòd aūt non solum præsens hic vir diuinus, sed etiam absens similiter faciebat miracula, declarabit id quod sequitur. Cuidam viro, Eugenio quidem nomine, Diacono autem sacra auctoritate, vxor parturiebat. Cū vero adesset tempus partus, vehemens eam inuasit febris. Atque erāt quidem acres dolores, febris autem violenta. otiosis itaque esse obstetricibus licebat & medicis. & vna spes deinceps erat Marcellus. Et sanctus quidem orabat: Eugenius autem eius pedes prensabat, qui ei omnia simul dicit, partum, inflammationem, super nouaculę, vt aiunt, aciem stare mu-

15 lierem. Quid deinde? Cũ panem 15 benedixisset magnus ille Marcellus, ei donat. & iubet eũ poni supra pectus mulieris. Ille vero fecit quod ei imperatum fuerat. & protinus infans egreditur ex vtero, & febris è corpore. Illa autem tanq̃ ex fossa aliqua aut ex inferis esset reuersa, Vbi est, inquit, qui mihi adfuit Monachus, & me curauit? Vbi est, inquit, qui meam animam extraxit ab inferis? Cũ autem interrogaretur quisnam & quali forma is esset, statim omnia retulit, figuram. capillos. vestem. formam. & omnia descripsit oratione. adeò vt vel ij qui non erant admodũ sapientes, intelligerent illum ipsum esse Marcellum admirabilem. Atque illa quidem ex Marcello vel absente tãtum fructum est consecuta, vt per ipsum & vixerit & pepererit.

Oratione & pane benedicto quẽ supra pectus mulieris poni mandauit, Sanctus uir mulierem à difficultate partus & ardore febris liberat.

Quid vero Eudoxius, qui ipse quoq; non paruus, & non parua est consecutus, nec eiusmodi vt sint leuiter consideranda? Sed fuit ille quidem vir qui se exercebat: sed erat ei totum corpus relaxatum, & solutæ erant omnes eius compages: precibus autem & lachrymis magni Marcelli, & astricta fuit membrorum solutio: & quod est lõge maius, qui paulo antè iacebat in lecto, missus est vt seruiret aliis. Quòd vero Angeli quoque simul erant cum Marcello, & maxime cũ ad preces accederet, declarabunt quæ mox sequuntur. Quidam Sergius, qui ipse quoq; præerat gregi capaci rationis, & ad flumen habitabat Euphratem, illuc quoq; fama veniente de Marcello, efficitur ardens amator illius virtutis. Cũ autem fama illius magis cresceret, ad eius quoque conspectum venire desiderat. Itaq; postquam venit, & rem ipsam experientia inuenit esse fama maiorem, precatus est ipse quoq; cum Marcello stante ad orationem. Cũ ergo

16 ille 16 inclinaret caput & genu flecteret, ille quidem iacebat, hic vero videt illud admirabile, duos quosdam veste candidos, forma vero coruscantes, Angelos. s. vtrinque stantes, & eum humo tollere & subleuare. Atq; statim quidem vultus eius luce tanq̃ fulgure est illustratus: admiratione autem perculsus fuit eius animus: voxq; est ei ablata, & manabat sudore, & propemodum deductus est ad mortem. adeò vt qui aderant, nihil ex iis quę ille videbat videntes, mirarentur & dubitarent, & virum interrogarent cum stupore. Cũ autem audiuissent, non minus quidem admirati sunt Marcellum propter suam in Deum fiduciam: Deum vero, propter ineffabilem charitatem in homines.

Ecce oratio cum capitis inclinatione et genuflexione.

Ex his & similibus tantus fuit omnium amor in Marcellum cum admiratione, vt instar rei alicuius diuinæ per eius nomen iusiurandum conciperent, non solum alij, sed etiam primi ex iis qui se exercebant: & vel illum solum videre magnum esse ducerent & de quo esset acriter contendendum. Cum ab Elissæo aliquando, qui monasterio quod erat in Dessa præerat, & virtutis magnam ducebat rationem, ex Marcelli discipulis fuisset quidam hospitio acceptus, erat autem ei nomen Petrus, hic ergo postquam deductus fuit ad sermonem, & multum versatus est in laudando magistro suo apud Elissæum. Superuacaneum est, inquit Elissæus, ò frater, de Marcello apud nos producere orationem. Nam ego horum tibi ero testis idoneus etiam apud alios: qui de eo multum Deum precatus, & eius virtutis noui altitudinem & animi motiones, quinetiã ipsam formam eius corporis. Cũ hæc audiisset Petrus & miratus fuisset, reuersus est: & sancto omnia narrauit. rem quidem faciẽs importunam & molestam

lestam ei qui à gloria captanda adeò erat alienus. narrauit tamen. Narrationi autem intererat etiam quidam Pontifex, sed inops & egenus rerum necessariarum. Atq; magnus quidem Marcellus, qui laudes non minus egreferabat q̃ probra, sistit quidem cursum eius orationis. Petit autem, cum sciret eum habere, vt det ei mutuo duos aureos, vt pauca elargiatur pauperi. Ille vero cũ esset valde parcus, eos dare recusauit. At non longo ab hinc tempore, inquit magnus, nec ipsum tibi corpus remanebit: sed id quidem sepulchrum: aurum autem accipiet commune monasterij. Nondum duo dies pręterierant, & illa quidem vitam finiit: pecunias vero accepit cõe. Atq; multa quidem fortasse coniecerint homines, in multis autem etiam aberrauerint, si hoc tentent quærere, cuinam quidem ęqualis, quonam autem inferior & quonam superior fuerit sanctus. Deus vero ne hoc quidem reliquit obscurum. Quomodo autem, iis qui volunt iam significabit oratio.

Est quædam ciuitas quæ nomen accepit à Pompeio, incolitur autem ad Pontum Euxeinum. In ea vir quidam præfuit monasterio, nomine quidem Gaudiolus, plenus autem diuino spiritu et repletus gratiis. Cum eo propter aliquod negotium congressus Thalassius, erat vero hic quoq; vnus ex magni Marcelli discipulis: hic ergo cum aliquando vidisset Gaudiolum, iuste quidem, irascentem tamen in aliquos sui gregis, & cũ prius resiliissent, reuertentes ipsos non admittentem, petiit vt admitterentur. & exemplum dedit quod erat propinquum, Marcelli mansuetudinem. Is autem ei statim dixit. O' vir præclare. Non est idem Gaudiolus quod Marcellus. sed quantum intersit hinc scies. Nam cũ Mosem posueris, ei etiam oppone Marcellum. Deus.n.mihi ostendit euidentissime, q̃ quæcunque legislatori, ea etiam inspirauit Marcello.

Nos vero alia quoq; adiiciamus: nõ vt virum ex his recte videamus, sed ne pulcherrimis priuemur narrationibus. Quidam discipuli ab eo aliquando missi ad Euxeinum, retro nauigare statuerunt. Cum autem vbi à terra soluissent, nocte tota fretum secassent, defessi priusquam mare trãsmisissent, appellunt in quendam locum valde asperum & in quo nauibus nullus erat portus nec fida statio. cumq; ventus spirasset vehementius, fieri non poterat vt salui essent. Atque illos quidem somnus opprimit: ille autem apparet vni eorum dormienti. Paret is visioni. parent etiam reliqui. soluunt nauem. à loco illo recedunt. in ostium ponti nauigant. & cũ in tuto essent, caligo occupat aërem: & procella pontum furore agitat. & ita insurgunt fluctus, & mare conturbatur, & naues obruuntur, vt aër quidem fletibus, mare autem esset impletum naufragiis. Alij alias mittebantur ad orientem: & Marcelli adiuti precibus tunc quidem nauigarũt, cum vero visum eis esset reuerti, in terram appulerunt. & alios quidem sanos accepit ciuitas Ancyra. Paulum autem vnũ ex his grauis morbus inuasit. Comitibus autem illum quidem ęgrotantem relinquere erat impium. vt eum vero secum ducerent fieri non poterat. vt illi autem rursus cum eo manerent erat valde difficile. Ille valde suspirans & eiulans, Vbi sunt, inquit, ò pater Marcelle, tuæ preces? Nam tu quidem me Deo commendasti: ego autem iam pereo. Neque hoc quidem mihi graue, etsi sit graue, sed q̃ extra tuum gregem & procul à meis fratribus. Hæc ille quidem dixit Ancyræ cum lachrymis. Ille vero cũ esset in monasterio, au-

diuit: & statim Paulus quidem conualuit. Magnus autem Marcellus accersito Cæsario, iussit horam signari, Vnus, dicens, ex fratribus qui est procul à nobis, & est graui morbo oppressus, asserit se nihil accepisse vtilitatis ex mea ad Dominum commendatione. Sed propè est Dñs omnibus qui eum inuocant in veritate, & eorum qui ipsum timent faciet voluntatem: & eorum preces exaudiet: & eis dabit salutem. Hæc is quidē descripsit: ille vero conualuit & reuersus est. Ostensa est autem scriptura, & eadem hora inuentum est Paulum conualuisse Ancyræ, & Cæsarium scripsisse in monasterio.

Deus aliquando terram vexabat fame, eaq; fame, qua nescio an vlla vnquam fuerit deterior. Monasterij autem horrei præfectus Malchus, qui frumentum suppeditabat pistoribus, postquam vniuersum ferè consumptum fuerat, sufficiebat enim ne ad totos quidem decem dies, & necesse erat fame perire Monachos, accedit ad præclarum Marcellum, & ei renunciat frumentum esse consumptum. A' quo audiuit vt faceret quæ consueuerat, & hoc ei nulli esset curæ. Ille arbitratus eam sperare alicūde soluendam esse inopiam, absque vlla sollicitudine suppeditauit sicut consueuerat. Quinque deinceps dies præterierunt: & cū nihil euenisset eorū quæ sperabat, rursus dicit, & ei causam reuocat in memoriā. Audit vero eadem. Postquam autem ad alios quoq; duos consumpsit, & non multū abesse videretur quin esset vniuersum consumptum, ille quidem rursus accedit conturbatus. Marcellus vero statim accedens ad horreum, parturiens id statim implet, & incipit parere: & quod est admirabile & oēm superat rationem, quandiu dictus quidem Malchus metiebatur, frumentum videbatur diminui, & minari futurā mox egestatem. Cū autem postridie ingrederetur, eadem magnitudo erat & idem cumulus: & apparebat perinde ac si ne parum quid ablatum esset pridie. Quòd vero hæc non essent deceptio oculorum, fidem facit tempus. Tandiu enim frumēti fuit hoc mirabile augmentum & acceptio, quandiu mansit grauis illa & infinita fames. Sed his quidem ostenditur sanctum & nutriisset viuos, & conseruasse eos qui erant in periculo. Quemadmodum autem se gesserit sanctus in excitandis mortuis & fugandis Dæmonibus, statim dicetur.

Ægrotabat quidam & in lecto decumbebat, nomine Paulus, habitu Monachus. Is cū extremum iam duceret spiritum, mittit ad sanctum & rogat vt veniat. Postquam autem via confecta qui missus fuerat venit ad monasterium, & fuit coram magno Marcello, qm̄ ille tunc de rebus disserebat grauibus, & de sacris tractabat dogmatibus, contendens cum Antistite Chalcedonis, & qui missus fuerat est reuersus, & qui ęgrotabat erat mortuus. Cū ergo iam peracta essent quæ fiunt mortuo, & paratus esset ad efferendum. (hoc autem non alia de causa prouisum fuerat à superis, q̄ vt maiorem casum, & maius miraculum, & Marcelli virtutem maiorem ostenderet) vbi factus fuit disserendi finis, venit ad ęgrotum. & cum illum vidisset mortuum & iam paratum ad efferendum, motus quidem est animo, & ex eius genis fluebant lachrymæ. neque remisit tamen suam ad Deum fiduciam. sed cum 17 manus simul & oculos & animam ad eum sustulisset, est aliquandiu precatus. Deinde non septies quidem inspirat, sicut olim zelator Elias: sed solum manum imponit mortuo, Qui autem aderant alias eum velle putantes & non vt mortuum

17 *Marcellus manus, oculos & animā ad Deum tollens, orat,*

tentare, dicunt, est mortuus. Simulatque vero illi hoc dixerũt, surrexit mortuus: vidensque ostensus est & loquens: & eorum quæ illic erant meminit spectaculorum. Sic ille, qui, si audendum sit dicere, vel Sole clarior apparuerat, nolebat, quod ad se attinebat, multis apertum fieri miraculum. sed & ei qui surrexerat, & iis qui aspexerant, sicut meus Iesus, præcipit silentium, tantum afferens studium fugiendæ gloriæ quæ est ab hominibus, quantam ipse erat à Deo consecuturus. Quocirca nec permisit vt lateret id quod factum fuerat, is qui gloria semper circundat eos qui ipsum glorificare voluerunt. Nam qui ea suis oculis aspexerant, eius iussa parum curantes, cum nec vellent celare, nec aliis tantum bonum inuidere, ea quæ viderant ad multorum aures transmittunt. nec hoc ipsum quidem celantes, quod cum rem tam magnam fecisset, eos iusserat silere.

deinde manũ tãgit mortuum, & statim eum suscitat.

Oportet autem eius quoque virtutem ostendere aduersus Dæmones. Attulerunt ad eum aliquando quatuor simul Dæmoniacos, quos sæuissimi & pessimi inuaserant Dæmones. Et ille quidem 18 precari: illi autem statim ceperunt insanire. Atque primum quidem in eum loquebãtur blaspemia: & homines vehementer conturbabant. Deinde cum preces magis vigerent & inualescerent, illi etsi non viderentur plagas accipiẽtes, dolores in publicum proferunt & clamare incipiunt. Iube nos exire, quoniam in nos accepisti potestatem, insediose quidem illi hoc & maligne, etenim ostendent hæc quæ deinceps sequuntur. Cum itaque intellexisset insidias magnus Marcellus, neque conuersus est ad id quod dictum fuerat, neque eos increpauit, sed ad cœlum solum intuens, perseuerabat in oratione: & nihil aliud quam, Serua tuum figmentum ò Christe, diu rogans dicebat. Et illi quidem rursus rogabant vt iuberet. ille autem non obtemperabat, sed in eos diuinam virtutem inuocabat, sicque expulsi sunt, & viri simul liberati sunt à plaga. Cũ autem causam rogarent qui tunc aderant, cur Dæmonibus se cessuros confitentibus ab initio nihil præcepit, ille respondit, Quoniam dicentes me in eos accepisse potestatem, non aliud agebant quam quod vanæ gloriæ laqueis me conabantur implicare. Et illorum quidem quatuor virorum res ita se habuerunt.

18 Vehementibus precibus quatuor Dæmoniacos liberat.

Paulo post autem Lazarus quoque quidam qui corripiebatur furore Dæmoniaco, & linguam diu ore exertam & pendentem habebat sicut canes, & spumam deinde expuebat, eandem quoque consecutus fuit curationem. Nam cum primum eum sanctus 19 benignis vidit oculis, & precatus est ei suæ plagæ curationem, statim conspectus est sanus, & liberatus est à Dæmone qui eam occupabat. Et quid opus est illius cuncta dicere? Facilius enim est stellas numerare aut maris fluctus metiri, aut aliquid aliud aggredi quod fieri non potest, quam illius res omnes inuenire. Verumenimuero pauca quædam de illius etiam moribus adducẽda sunt in medium. vt sciamus quod à quo hæc gerebantur, illa quoque ei omnino debebantur. & simul quæ in longum producitur oratio, varietate vitabit satietatem.

19 Et hic solo aspectu & oratione aliũ Dæmoniacum sanat.

Hic magnus Marcellus cum aliis bonis quæ habebat, sanctorum quoque 20 reliquiarum tenebatur magno & vehementi amore, eas existimans esse dona cœlestia & re uera plurimi faciẽda. & qui aliquid tale ad eum deferebat, appellabatur Seruator & benefactor: & videbatur esse missus ex ipsis cœlis. Deus itaque qui in hoc prompto & alacri animi

20 Nota tu hæretice qui sanctorum reliquias odio persequeris, quã-

to amore & deuotione beatus hic uir ad eas teneretur, & quo studio se præpararet ad illas suscipiendas.

21 *Vides quod qui sanctorum reliquias honorant, suum in commune dominum amorem ostendunt, & alia bona p̄feserunt?*

studio ei opē ferebat, multos ex multis locis adducebat q̄ hunc eius amorem consolarentur, & dona q̄ erant maxime optanda offerebant ei tanq̄ amico. partim quidem ex Persis: partim aūt ex Illyrico: partim ex iis quę erant vbiq; regionibus. Ille vero quēadmodum, & cū quanta sua delectatione, & cū quanto honore & reuerentia ea excipiebat: simul quidem hinc ostendens suum 21 amorem in cōem Dn̄m: eorumq; mortem laudans & beatam p̄dicans, et similem si fieri potuisset, cupiens consummationē. Quale aūt esset eius desideriū sciens Deus, & volens ei gratificari, ei sępe prius ostendit & prius significauit, hoc aut illo die venturū aliquem qui ei sit allaturus ea q̄ desiderat. Ille vero & ipse se præparabat, & curabat vt esset totus eius grex paratus, & ita vehementi ardentiq; motu cordis, & supinis, vt aiūt, manibus p̄tiosas suscipiebat reliquias. Verūenimuero ne hoc quidem ęquum est p̄termittere. Ad eum venit aliq̄n quispiam: & quasdam ei sacras tradidit reliquias. dicens eas esse Marty. Vrsicini. Ille autem magnifice quidem eas excepit, & consuetum eis festum celebrauit. Cū vero staret ad preces nocturnas, talis eum subiit cogitatio, ne qui hoc donum ei attulerat de eo esset mentitus, & non essent reliquiæ Martyris Vrsicini. Simulatq; hęc cogitauit, quidam ex iis qui vnà cum eo fungebantur officio, tanq̄ à Deo afflatus accurrēs, Ne temere, inquit, ò pater dubites. Magni enim Vrsicini hæ sunt verę reliquię. Ita diuina prouidit gratia vt curaretur quod is animo dubitabat. ne dubitatione eius ardor frigesceret. Atq; hæc erat quidem eius diligentia in parandis reliquiis.

Diuitias aūt & pecunias ita despiciebat, vt & q̄ pręcessit, & q̄ nunc sequitur apertius declaratura est oratio. Nā cum Marcellus ab initio oēs reliquisset facultates, atq; adeò ab ipsa etiam domo discessisset, & qui erat ei frater secundum carnem accepisset illius hæreditatem & paternorum oīum bonorum effectus esset Dn̄s, & tota sua vita eis esset vsus, is cum esset moriturus, relinquit Marcellum hæredē omnium suarum diuitiarū. Ille aūt ea quæ sibi relicta fuerant non solū sua esse duxit: sed nec iis vtendum sibi censuit ad cōe monasterij. Hinc cū Monachi peterent vt agrum emeret, ille eis dixit se nullū nosse agrum vberiorem & fertiliorem q̄ spē in Xp̄m. De bonis ergo paternis qd statuit, & de iis q̄ ad illum p̄tinebant quonāmodo prouidet? Ea consumit offerēs aliis monasteriis q̄ laborabāt inopia, tam virorum q̄ mulierū. Et hęc quidem illis adimunt egestatem.

Quæ vero fecit in magna Dei ira, in qua totam ciuitatem, Constantinopolim, inquam, conseruauit, quis sustinuerit quidem silentio prætermittere? Quis est autem adeò tardus & hebes qui nō cupiat audire? Magno illo leone imperij sceptra administrante, in hac ciuitate oritur incendium, & incendiuum eorum de quibus vlla fit mentio maximum & sæuissimum. Cum autem iam incepisset calamitas, de ea auditione accipit magnus Marcellus. & cū statim cœlū suspexisset & multum lachrymasset, diuidit supplicium. imo verò maximam eius partem alleuat. Nam partē quidem ignis eius extinguunt lachrymæ. altera verò pars relicta est Byzantinis ad disciplinam. existimatum enim fuerat fore vt totam depasceret ciuitatem. Ille vero cum partem quidem repressisset, partem autem præsciuisset, Hei mihi, dicit tristi voce. Dolebat enim q̄ non totū cessare fecisset, sicut magnam nostrorum peccatorum multitudinē: & q̄ visum esset Deo, serpere ignem à mari vsq; ad mare: & tanquam telum, medium

quidem

quidem dissecare: ab iis autē quæ sunt ex transuerso abstinere. quod etiam factum est. & ignis cum accepisset initium ab eo quod dicitur Neocoriū, instar cinguli totam cinxit ciuitatem. cessauit vero ad mare quod est ex aduerso. veluti ostendens q̄ is quidem totam persuasisset ciuitatem, ad hoc autem redactus esset per Marcellum.

Cū duorum adhuc aut trium meminerimus, reliqua linguis aliorum, prout potuerint dicēda relinquemus. Et primum, q̄ ingentes essent ei spiritus, qui in potentes quidem deprimi non poterant: in eos vero qui erant modesti ac moderati facile inclinabantur. Iis autem quibus fiebat iniuria erat adiutor inuictus. De Ardaburij & Asparis quæ erat illo tempore potentia nihil est dicendum: neque de crudelitate æquali potentiæ atque adeo maiori. Hic ergo qui erat adeò potens & crudelis Ardaburius, irascebatur cuidam ex iis qui erant in eius potestate, nomine Ioanni. Ille verò omnibus aliis atque adeo ipso Imperatore prætermissis, vt qui non essent satis potentes, vnum nouit refugium Marcelli tabernaculum. & id subit & sub eo latet tanquam sub aliquo tuto propugnaculo. Ille autem cū resciuisset, petebat ad ipsum mittens, hominem sibi tradi. Cū vero non obtemperaret, cepit minari. Cū Marcellus autem minas non curaret, ei vim attulit. missisq; militibus qui & viribus valebant & erāt multi numero, iussit quærere eum qui confugerat: & si non pareret, vti armis. Atque ille quidem cum sic iussisset, eos dimisit. Illi autem profecti, & verbis vt iussi fuerant vsi, qm̄ non parebat, monasterium circunsidebant. Hæc facta sunt vespere. Magnus vero Marcellus rogauit eos an vellent manere, & se eis dixit alimenta daturum. Cū autem mansissent, suppeditauit alimenta. Et res quidem ita transiit vsque ad vesperam.

Cū nox autem aduentasset, qui foris quidem erant, enses iam quatiebant terribiliter. Monachi autem hæc videntes & audientes, sanctum circunsistentes, pro ensibus eum verbis feriebant. Quid ergo, dicentes, tibi omnes propter vnum peribimus? idq; morte violēta & acerba? & tuis filiis erit tibi præferendus externus? & tibi à fundamentis cum templo peribit monasteriū? Non dimittes: non cito præbebis eum qui quæritur, qui malis huc peruenit pedibus? Cū sic per totam noctem eū & hostes & inimici etiam acriter inuaderent, tēpusq; frustra contereretur & supplex non traderetur, mane autem statuissent milites vti gladiis, & iam essent aggressuri, tunc Christi Athleta suam cōtra obiecit potentiam. Eis vero præter opinionem apparet aduersaria, non phalanx quidem, sed diuina quædam & cœlestis potentiam in orbem ab igne circunscripta, & arma inexpugnabilia, nempe crucis Christi 22 imaginem in medio referens, longe magis refulgentem q̄ ignis qui erat circuncirca. Hæc ergo terribilis potentia, quæ apparuerat ex ipso fastigio monasterij, emittebat grauia tela aduersus milites. quæ quidem erāt ignis fulgura intolerabilia. Quibus cum non solum resistere, sed ne ea quidem contra intueri possent, gladios in terram proiecerunt: & ipsi ceciderunt: & voces ad Deum placandum accommodatas, prout vnusquisq; poterat, emittebant. Quas cū ij qui erant intus sensissent, canere ceperunt, & fuerunt ipsi quoque testes miraculi quod euenerat præter opinionem. Hoc effecit vt crudelissimus Ardaburius suorum morum obliuisceretur: & causa fuit vt præter sententiam benignus videretur, ira sua in Ioannem remissa.

22 Crucis Christi imago arma inexpugnabilia.

Cũ in Ardaburij inciderim mentionem, illius quoque meminero,quẽadmodum vir ille diuinus futurum quoque eius vitę exitum prædixerit. Cũ se post orationem somno aliquando dedisset,ei apparet visio. Illa autem erat huiusmodi. Pugnabãt inter se Leo et Draco. Sed Draco quidem cũ esset ingẽti magnitudine,cauda leonem verberabat & torquebat. Leo vero dolebat quidem: & ad se cauda defendendum excitabatur. & Draconem obiẽs inaniter depugnabat & eum nihil lędebat,quousq; ipse quidem defessus plagis, humi totus iacebat afflictus & imbecillus. Deinde cum se rursus paululum recreasset,& veluti à quodam somno surrexisset, magno & vehementi impetu in Draconem insiliit eumq; pronum in vẽtrem prostrauit. Hoc cum diuinus vidisset Marcellus,et accuratissime coniecisset, prędixit haud ita diu pòst Asparem & Ardaburium esse cum toto genere interituros ab Imperatore. Sed hæc quidem postea. Quę autẽ interim facta sunt,sunt huiusmodi.

Cũ multa accidissent inter eum & Imperatorem,quæ inter se inuicem inimicitias alebant & suspitiones,ex vtrisq; quidem natum est odium.cũ autem vtrinq; magnum à se inuicem immineret periculum, neutri vero eorum facilis esset victoria, conuertuntur ad communia ineunda fædera. nempe vt Asparis quidem filius,frater autẽ Ardaburij, cũ duxisset vxorem filiam Imperatoris, Cæsar crearetur. Hoc autẽ qui accepit,est alius, vt dixerit quispiam,sub imperator. est enim ei & aurata purpura, & alia insignia imperij, nisi solum q; aurea corona non habet omnia signa imperij. Is itaq; accepta hac dignitate, cũ viuente quidem Imperatore erat omnia facturus communiter: eo autem mortuo ipse primus & solus accepturus imperium: & tanq; debita sibi sceptra sumpturus. Ea res vero non parum conturbabat ecclesiam,si rursus sit imperium Arrianus inuasurus. Aspar enim,& eius filij, & tota domus, Arrij insaniam mirandum in modum amplectebantur. Cum itaq; essent pleni tumultu,communiter conuenerunt, & ducibus Geladio & Marcello venerunt in Hippodromum, vt ab inhonesto & indigno hoc cepto arcerent Imperatorem. qui ipse quidem ad hoc quoque erat prompto & alacri animo, sed cedebat tempori Asparis & Ardaburij. Cum ergo sic paratus esset Christi exercitus, eis quoque Deus ostendit Ducem. Et tantum interesse inter Marcellum & alios Sacerdotes & Pontifices,quãtum inter exercitus Ducem & Imperatorem, atque adeò, si velis, inter militem & Ducem, hoc fuit euidens signum. Nam inter ambulandum, videbant ij qui digni erant ea videre, iuuenem quidem statura maximum, forma vero pulcherrimum, & zona cinctum aurea,aspectu quidem tam candidum vt niuem videretur superare: tam lucidum autem vt luce coruscaret. Læna vero ei erat & tunica, eaq; niue candidiora. Eum ergo videbant à sinistris simul cum magno Marcello ambulantem veluti quendam Satellitem, simul terribilem,& manum veluti supponẽtem,sustinuisse senem, & cum maxima reuerentia non destitisse ei inseruire.

Cũ autem ingressi essent in eũ locum in quo solebat sedere Imperator, erat quidem sic quoque Marcellus omnia iis qui erãt ecclesiæ. quinetiam ipse quoque libere loquebatur ad Imperatorem: & illis addebat animũ, & quodammodo eos adhortabatur ad certamen pro Christo suscipiendũ. Atque illi quidem cũ omnia effecissent propter quæ venerantes quę qui-

dem erant vt Asparis filius aut rectam disceret opinionem,aut nec dignitatem Cæsaris acciperet, hæc enim eis pollicitus est Imperator, lætantes exierunt. Ille autem rursus adolescens, & altissimus & splendidissimus, visus quidem est adhuc adesse & versari cum Marcello. Cum vero eum deduxisset vsque ad portas, de cætero euanuit ex oculis. De quo nullus dubitauit ex iis qui aderant, sed euidens fuit omnibus, eum fuisse Dei ministrum, virili habitu indutũ, qui missus fuerat vt esset custos & satelles Marcelli. Sed ab eo quidem fuit habitus in tãto honore. Haud ita multo pòst acceperunt finem ea quæ is prædixit. Ardaburius enim simul cum patre & fratre & aliis non paucis ex iis qui erant eiusdem sententiæ, cum ebibisset vltimam fecem iræ Domini, raptus est ab hominibus. Leoni Draco, Imperatori iuste traditus impius.

Vnum adhuc restat cõuenienter meæ promissioni, quod vbi adiecero, finem imponam orationi. Lucianus quidam Constantis filius, viri qui multum poterat consilio, despectis humanis omnibus Monasterium ingressus, breui tempore per Marcellum, multos eorum qui consenuerant in exercitatione longè à tergo reliquit. quem dicunt à nullo vnquam esse visum, nec irascentem, neque multa loquentem. sed neque vlli præbentem iræ occasionem. Is quando bonus pater Marcellus excedebat adstans & plusquam alij lachrymans, rogabat hãc sibi dari gratiam. ea autem erat, ne eum despiceret hic solum, neque sineret eum esse ipsi longo tempore superstitem. neque enim se posse amplius recte viuere: sicut neque nauem tuto nauigare quæ amisit gubernatorem Et ille quidem hæc. Marcellus vero cum vidit eum magna affectum tristitia. Esto, inquit, bono animo. Nam cum ego excessero, tu quoque consequeris, & insistes vestigiis eius quem desideras. Cùm sic dixisset, paulo post finem accepit quod dictum fuerat. Nam cum ille decessum ægreferet, & totos deinceps quinque dies & noctes ad fossam magni Marcelli mansisset, post illum mori vitam, sine eo autem esse superstitem, mortem acerbam existimans, ad eum in somnis venit magnus Marcellus, conuersum ad sepulchrum. &, Cur, inquit, te affligas & quereris de tarditate, & non credis? Ego Deum pro te 23 precatus, effeci id quod tibi expedit. & statim ad me venies. Fuit ita: & tertio pòst die è vita excedit Lucianus, cum solos octo dies fuisset magno Marcello superstes.

23 *Ecce quomodo sancti post mortem pro nobis orant, & beneficia exhibent.*

Quàm multa Marcelli quæ sunt huiusmodi, alia quidem maiora, alia autem non omnino inferiora, quot linguæ suffecerint ad narrandum, & quot libri ad ea quæ scriberentur suscipienda? Qui cum exercitationem vltra sexaginta annos produxerit, miracula asidue faciebat. Quo nõ fuit quidem ille in certaminibus fortior? Quo nõ autẽ ad certamina vtilior? & quo non fuit in eos qui labebantur mitior, & in pręstando officio diligentior? Quis sic defendit eos qui afficiebantur iniuria, iis autem qui iniuriam faciebãt omnino non permittens, sed resistens & eorum voluntati minimè assentiens? Sic in tota vita, totam quidẽ 24 noctem, diei vero plurimum, dabat canticis & precibus & aliis Dei ministeriis. reliquum autem his tribus dispertiebat. Et primi quidem ad eum accedebant qui vexabantur cogitationibus. quibus dabat vnicuiq; medicamentum cõueniens. ei partim quidem diuina scriptura ea suppeditante partim autem prudentia ex experientia. Post illos accedebant qui erant affecti iniuria,

24 *Vide sancti uigilias, cantica & preces, atque alia pietatis exercitia.*

Cum vero pro eis litteras scripsisset ad præsides, iudices, ad illos ipsos qui faciebant iniuriam, & si opus erat etiam ad ipsum Imperatorem, nam illi quoque erat reuerendus, & obtemperabat ad id quod magnus volebat Marcellus, conuertebat, deinde ad ægrotantes. & omnes obiens, eis exhibebat quæ eis erant necessaria ad alimentum, & ad curandum corpus. Sic nihil omnino aberat Marcello, quod aderat iis qui olim laudabātur. Sed erat ei Prophetarum quidem gratia omnia præuidendi. Patriarcharum autem, fides quæ efficiebat vt fidenti esse animo in omnibus. Mosis quidem mansuetudo. Iosue autem zelus, & iusta ira aduersus eos qui faciunt iniuriam. Discipulorum vero, Petri quidem ardor. Ioannis autem lingua theologica, & quod cum virginitate est verborū tonitru, & Pauli vehemens in dogmate studium & per terram & mare prædicationis disseminatio. Omnium vero simul, fons miraculorum, & q̄ ea semper fluerent non secus ac perennes fluuij.

Huius vel solum dicere decessum q̄ fuerit optandum? Quàm multorum reconciliauit inimicitias? Quàm multorū composuit cōtrouersias? Quàm multa bona vno die fecit in extremo spiritu? Qn̄ certe ei carnis dissoluebantur vincula, & ei quem desiderabat erat appropinquaturus, & primę pulchritudinis primas suscepturus illuminationes, aderant autē multi ex iis qui se in pietate exercebant, & multi Monachi, & multi ex iis qui erant consecrati, non pauci vero ex iis qui mundanis opibus & gloria erant insignes. Cum quibus postquam multum est philosophatus & locutus de anima & corpore & de ea quæ est illic vita, & vnūquenque est adhortatus prout conueniebat vniuscuiusq; ætati & dignitati, & deinde est etiam precatus, & postremo dixit se velle parum dormitare, & eos iussit secedere, sacram illam sic emisit animam. cuius 25 mundū corpus & venerandum, sanctis manibus compositum, sacrum illud templum suscipit, quod ipse excitauit à fundamentis, & vere sacrum constituit monasterium. Ad gloriam patris, filij, & spiritus sancti, Nunc & in secula seculorum. Amen.

25 *Mundum corpus dixit & uenerādum, nō uile cadauer, aut ossa emortua, uel q̄d simile, ut dicunt hæretici.*

MARTYRIVM SANCTÆ
Martyris Anysiæ, quæ est Thessalonicæ.

Decemb. 30.

TEMPORE Tyrāni Maximiani, puella quędam nomine Anysia, nobili loco nata Thessalonicæ, alebatur apud diuites & fideles parentes, erudita in timore Dn̄i, magis virtutibus q̄ ętate proficiens. Et primum quidem parentes eā magis dogmatibus pietatis nutriuere q̄ lacte. Postquam autem ætatem transiit puellarem, videreturq; puellæ grauitas & decus maius q̄ sperassent, eam solidioribus disciplinis erudiebant. Illa vero cū vt quæ bono esset ingenio prædita facile apprehenderet, fructus dignos disciplinis actione proferebat. cumq; vere cælestes & angelicos planè haberet spiritus, insignis pulchritudo micabat ex oculis. Magna autem ex parte domi latebat. De iuuentute vero sæpissime conquerebatur, dicens, ò insidiosam ætatem quæ lædit aut læditur. pulchra res est senectus. Hei mihi, longitudo temporis me mœstitia afficit quæ tandiu separat à cœlestibus. Et

vt semel

vt ſemel dicam, nũquam intermittebat Chriſtum vocare ad ſuum auxilium. & 1 genua flectens, ſolum aſpergebat lachrymis.

1 Et genua flectens ſolum aſpergebat lachrymis.

Interea autem cum parentes deceſsiſſent, accepta hæreditate cogitabat quõ vteretur iis quas habebat diuitiis. Erant vero congeſti maximi auri & argenti theſauri: amplæ poſſeſsiones: multi pecorum greges. ſeruorum & ancillarum multitudo innumerabilis. veſtis ſumptuoſa & magnifica & ex auro contexta & ſerica. mundus aureus exornatus omni genere gemmarum, magnitudine reſplendens & pulchritudine. Hæc videns ſanctiſsima Anyſia dicebat. Quõ ſaluæ eſſe poterimus in tantis terrenis copiis? Quõ caput Draconis exuemus? Age aduerſus ipſum vtar eius inuentione. Ille quotannis ſe exuens renouatur. exuamus ergo nos quoque varias diuitias. Eæ enim diuitiæ magis puniunt eos qui illis male vtũtur. eos qui ipſas accumulauerunt multant rabie immedicabili. parcos autem & illiberales ſuis laqueis & retibus implicant. Agrorũ poſſeſsio ſuggerit indignationem & infidam vectigalium exactionem. proferens trutinas falſas & falſa pondera. Veſtes docent ſe perperam & nequiter gerere reſoluiq́; & diffundi delitiis. Torques & monilia efficiunt vt ceruix ſuperbe erigatur, & vt quæ laudibus trahitur, videri deſideret. Age ergo iis pie vtamur, beato Matthæo parentes. Dominatum in eas obtineamus ſecundum naturam priuſq; eæ dominentur nobis præter naturam efficiar vere domina eas ſancte adminiſtrans. ſimul & declinans ea quæ ex eis oriuntur vitia, & cuſtodiam excogitans tutiſsimam, in viduarum orphanorum & mendicorum ventrem tanquam theſaurum eas recondens. Idoneus fideiuſſor, Dñs vniuerſorum, nõ ad duplum vſque ſolummodo augebit ſortem, ſed ad centuplum vſque cum vita æterna mihi fœnus adiiciet. Pie conſumamus: tuto.n.recipiemus. Venundatis oĩbus crucem acquiramus. Chriſtum expediti ſequamur. ipſam terram ſtatim cũ terra relinquamus. cœlos cũ Angelis habitemus. Fugiamus periculoſam vitam & probris plenam. & deſideremus certamẽ quod ſuperat rationem. Cum iis quæ patiuntur interitum, permutemus ea in quæ cadit interitus. Maxime venerandæ ſunt 2 nuptiæ quæ corruptionem nequaquã conciliant. permaneamus integræ. ei qui formauit purum figmentum conſeruemus à reprehenſione alienum Chriſti cuſtodiamus ſignaculũ. Agnoſcat Dñs ſigilla virginitatis. clauſum inueniat ortum cum acceſſerit. Præbeamus fontis fluenta minime perturbata Nunc cũ ſunt nundine negotiemur. Perſecutio & afflictio mihi gloriam concilient. Præſides & ſupplicia, in paradiſi delitias: Cuſtodia & flagella, in Chriſti nuptialem thalamum introducant. Non ſolum ſunt virorum coronę ſed etiam mulierũ.

περιθρέμματα

2 Vides maxime eſſe uenerandas eas nuptias quæ corruptionem nequaquam cõciliant?

Et hæc dicens orabat cum lachrymis. Dñe Ieſu Chriſte lux vera: fons immortalitatis: radix incorruptionis. qui myſterium 3 virginitatis in vtero concepiſti. qui matris nomen nulla labe inquinatum cuſtodiiſti, bone Dñe, præſta ne virginum chorum deſeram: ne excludar thalamo. ſed me refer in numerum virginum prudentum. & dignare me Dñe vt lampadem ferens, victis quæ inquinari nequeunt certaminibus glorificer. Hæc cũ dixiſſet ſanctiſsima Anyſia, ſtatim omnia venundedit, non tanti quanti erat vnunquodq;, nec vt ſolet fieri in contractibus, exquiſite examinans. ſed hoc ſolum dicebat emptori. Eſt mendicorum & egenorum. da iuſtum pretium. vt ſimul quoque aliquam tibi afferas mercedem,

3 Ecce quantopere uirginitatem laudat, oratq; Dominum Ieſum ut ipſa eam ſeruet quoniã ſine eius gratia obtineri non poteſt.

emens,& effectus iustus Dñs. Hæc autem dicebat, non ꝙ vellet multiplicatum accipere pretium: sed in hoc quoque habens zelum pietatis, & ei qui emebat mercedem concilians. Non enim tantam curam gerebat venditionis, quãtum curabat vt recte & ex virtute nil posſideret. Cumq́ omnia in aurum redegiſſet, illa ea per ſe 4 dabat, non ſolum prębens, ſed alia etiam officia adhibens. in omnem cuſtodiam ingrediẽs, & quemlibet qui in vinculis erat damnatus conſolans. eius qui tortus fuerat, vibices infuſionibus curans & vnctionibus. quemlibet ægrotantem & in lecto decumbentem inuiſens & eius curam gerens. compita & vicos obiens, & iis qui in eis iacebant manu præbens, dicebat. Ne delitiæ ſint mihi diuitię, quæ ne aquæ quidem gutta dignæ habentur in tempore iudicij. Non ſationis laborem, ſed meſsis diuitias viſione apprehendebat. Et cũ ad obolũ vſque omnia diſtribuiſſet, & nihil ſibi reliquiſſet, ſe in quadam continebat domuncula quæ ſuperius habebat tabulatum, operans manibus, & quo opus habebat ſibi alimentum ſuppeditans, conuenienter ſententiæ beati Pauli Apoſt. qui dicebat. Otioſus autem non manducet. Chriſtiano vero germanum, & quod impediri non poteſt nutrimentum, ſit labor ſuarum A manuum.

4 Vide ueram paupertatem euangelicam, ultro uẽdere omnia, & dare pauperibus, nudumq; ſequi Dominum Ieſum Chriſtum.

A Ecce ſanctæ uirginis exercitia: Opus manuum, Oratio & preces, Ieiunium, Lectiones, Pſalmodia, Vigiliæ, Humicubitatio, Aſperitas ueſtitus.

Hęc cũ dixiſſet, precibus deinceps vacabat & orationi. ieiunium quaſi carnis quodãmodo expers producens. Deinde validiſsimæ ſe aſſuefaciens exercitationi, diem quidem conſumebat in lectionibus, noctem autem in pſalmis & precibus. pro lecto, ſolo. pro veſte ſtragula, ſtorea & ſacco vtens. breuiſsimo ſomno contenta à phantaſia libero & inſomniis. Dicebat enim. Malum eſt mihi dormire cum meus inimicus vigilat. Plures vero fundebat lachrymas ꝙ erat potus quem bibebat. & gemitus ac ſuſpiria erant plura quam verba. Vincta autem erat tãto Domini deſiderio, vt exiſtimaret ipſa dum genu flecteret & in nudam terrã figeret oculos, ſe pedes tenere Seruatoris. & genibus labra admouens, illius genua oſculari: & capillos pandens, ſe puluerem qui inerat excutere. Horum vero cogitatio ei fontes mouebat lachrymarum. Tanto autem ſtudio contendebat ad Chriſtum vt vellet reſolui & eſſe cum Domino. Qm̃ autem nolebat ſeipſam occidere, & rurſus properabat ad cœleſtia, quid facit? Ieiunio 5 corpus paulatim conſumebat, multũ de vita ſuffurans abſtinẽtia.

5 Nota ieiunio corpus cõſumebat, multum de uita ſuffurãs abſtinentia.

Manu autem pectus pulſans orabat, dicens. Dñe Deus omnipotens, pater vnigeniti tui filij Ieſu Chriſti Dñi & Dei & Seruatoris noſtri, qui ſedes in throno gloriæ. cui aſsiſtunt mille millia Archangelorum miniſtrantium: & decies mille millia ſeruientium tuo nutui. throni. dominationes. principatus. poteſtates. quem laudant Cherubim & glorificant Seraphim, ter ſanctum hymnum ſine fine dicentes. qui ſpiritus qui non obedierunt in tartari profundum condemnaſti. qui draconem qui defecit alligaſti catenis. qui proprio ſuo reti eũ implicaſti. qui eius ſedem in terrã deieciſti. qui à cœleſtibus myſteriis eum exterminaſti. qui à beata vita eum alienaſti. qui inſolentem eius exultationem depreſsiſti & abieciſti. qui de eius pompa per ignominiam crucis triumphaſti. qui ex impolluto tuo ſinu, Deum verbum qui eſt ante ſecula & ſeruatorem animarum noſtrarum, ex ſpiritu ſancto & Maria virgine natũ ad nos miſiſti. qui id quod errabat per ipſum conuertiſti: & quod erat imbecillum confirmaſti & quod contritum curaſti, te inuoco ego humilis & peccatrix ancilla tua ex

toto corde meo. qui nouiſti quæ erant in corde vniuſcuiuſq;. qui ignem qui iactus erat in mundum ab vnigenito tuo filio & in corde meo accendiſti. qui fidei quæ in me eſt ſcintillam in lampadem eius quæ eſt erga te dilectionis mutaſti, adſis mihi indignæ, & ſerua me, quoniam te deſidero & te quæro, & te ſequor totis meis viribus, Dñe ſuſcipe precationẽ meam quã offero tibi corde contrito & ſpiritu humili. propter quã ô Dñe Ieſu Chriſte fuiſti in crucem actus. propter quem colaphis cæſus. propter quam acetum & fel bibiſti, & tertio die ſurrexiſti, & in cœlos aſcendiſti, & ſediſti à dextris patris, ne me dedecore affeceris. ne me à tuarum ancillarum numero reieceris. ſed dignare me fieri perfectam Chriſtianam & cõſummari in ſignaculo ſanctæ crucis tuæ. imperti me tua paſsione, voluntatem tuã in me operans. vt digna reddar quæ appaream ante tuum tribunal. Tu me tuam conſerua. confige à timore tuo carnes meas. à iudiciis enim tuis timui. Auerte oculos meos ne videant vanitatẽ. ſed potius eos aperi rogo te, & conſiderabo mirabilia de lege tua. In te proiecta ſum ab vtero matris meæ. Tu es Deus meus. pater meus, & mater mea dereliquerunt me. Tu ſuſcepiſti me Dñe. Dirige greſſus meos, ne dedecore afficiar ancilla tua. ſed fac mecum ſignum in bonum: & imple deſideriũ meum. Quoniam ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus. Adiuua me, & non inueniatur macula in ancilla tua. Tibi enim meipſam offero per aram confeſsionis & humilitatis meæ, tanquam in holocauſtis arietum & taurorum, nempe eorum qui prius decertarunt propter nomẽ tuum: & in denis millibus agnorum pinguium qui ſecuti ſunt agnum tuum immaculatum. Per quem tibi, & cum quo tibi, cum ſpiritu ſancto, gloria & honor & potentia in ſecula ſeculorum. Amen.

Poſtquam autẽ precata eſſet, ſurrexit, & totum 6 corpus ſuum cruce ſignauit. Hæc videns maculoſus Draco, non tulit puellæ angelicam & cœleſtem vitam, videns eam iam ſpiritu in cœlis habitantẽ, & ad paſsionem martyriĩ toto animo accenſam. ſed in eam ſtridebat dentibus. & eius cellam mouere aſsidue cogitabat, & vt eam euerteret furebat. ſed videns eam ſigno crucis vndiq; munitam, plagis quæ ſub obtutum non cadebãt pulſatus, refugiebat. eiq; torporis & deſidiæ morbum immittebat. Illa autem intenſa & perpetua oratione, perinde ac ſepta palæſtræ, eius ſtatim infringebat inſidias. Rurſus vero dicebat veritatis inimicus: Heu quid mihi accidit infelici? Qui Angelos è ſuperis detraxi, & Gigantes ſubieci, nunc illudor à pueris & puellis. Morte enim tanquam vita lætantes, & per ipſam coronati currentes ad cœlos, de cætero mihi fecerunt mundum inhabitabilem. Me conſolabatur ſanguis Martyrum qui interimebantur. ſed fides eorum decertationis, & eorum quæ geruntur prædicatio, tranſmutauit integras ciuitates & gentes. Templa diruuntur: conticeſcunt oracula: abolita ſunt myſteria. torpeſcunt myſtæ qui prius exultabant. ad meum, vt videtur, exitium crucem fixerunt. Iam mihi præſagit animus futurum vt regia mea plane diſſoluatur. Nam qui ſunt in tormentis hilares, & in ſepulchris terribiles, 7 vrunt, flagellant, & me vndiq; perſequuntur. & quod à me fuerat excogitatum, euaſit acceſsio maioris ſupplicii. Inueni tñ quid agam. Protinus ergo tale quid in eam excogitat, exiſtimans ſe ſua inuidia ac malignitate eius quæ extollebatur gloriam obſcuraturum. Vt cũ eſſent viles & abiectæ perſonæ quæ eam interimerent, vilem quoque & abiectam videretur efficere eius decertationem. &

6 *Et totum corpus ſuũ cruce ſignauit. Et vide miram uirtutem huius ſignaculi.*

7 *Miſeri hæretici ſanctorum Martyrum merita & opera mirabilia negant, quæ etiã mendacißimus Dæmon fateri compellitur.*

ꝑ nec scriptis mandata essent & careret forma iudiciorum. obliterarentur etiam trophæa encomiorum. Non intelligens malignus apud Deũ magis opus esse bono proposito, quam verbis. atque adeò in eam incitat eos qui tunc rerum potiebantur.

Maximianus itaq; cũ magnam occidisset multitudinem, per se quidẽ interficiendo satiatus, & non secus atque immanes feræ quæ homines deuorant, præ carnium multitudine nauseans & caligans, speciem parcentis præ se tulit. dicens indignos esse Christianos qui occidantur ante oculos Imperatoris. Cur enim prębeam occasionem vt scriptis mandentur eorũ supplicia, & eorum instruã scriptores qui ea ad perpetuam transmittunt memoriam, & eos qui eodem morbo laborant ad eandem fidem deducã? Cur non instar pecudum eos trado iis qui debent occidere, simul & sceleratos Diisq; inimicos exterminans, & efficiens vt mortis eorum memoria mandetur silentio? Hæc cũ dixisset, proponit edicta quæ iubebãt vt liceret volenti sine periculo occidere quemlibet Christianum. Occidebantur itaque innumerabiles: & propheticum implebatur elogium quod
„ dicit. Propter te morte afficimur toto die. reputati sumus tanquam oues
„ occisionis. Tunc autem cogitatio venit in mentem Anysiæ vt iret ad Dominicũ. Id autem erat Angelus qui eã vocabat ad passionẽ martyrij.

Cumq; ingrederetur portam Casandrioticam, excitatus est tumultus in populo. Deinde cũ eam vidisset quidam ex Satellitibus Imperator, & esset ab eius sauciatus pulchritudine, vel ab ipso potius Diabolo incitatus, ei factus obuiam, Sta, inquit. & dic quo vadis. Illa autem videns eius insolentiam & immoderationem, & mente agitans tentationem, digito fecit in fronte signũ 8 crucis. Ille vero planè fera, & quauis fera sæuior, non reueritus est generosum & decorum silentium. sed se contumelia affectum & despectum arbitratus, cũ eam apprehendisset, cum voce aspera eam agrestius interrogabat quænam esset & quo proficisceretur. Agna autem Christi volens non solitum deuitare cõspectum, voluit eum breui responso superare. Sum Christi ancilla & vado ad Dominicum. Ille autem insolens impulsus ab eo qui in ipso habitabat Dæmone, dixit. Sed non sinam te illuc proficisci. sed te adducam ad Diis libandum. Solem enim hodie colimus. & simul hoc dicens, velum traxit, volens eius vultũ detegere. Illa autẽ generose & fortiter resistens, & in eius faciem inspirans, dixit, Increpabit te Christus Iesus Diabole. Ille vero illa sufflatione & nomine Christi motus ad iram quæ cohiberi non poterat, stricto quem ferebat gladio, eius latus eo transadegit. Quæ statim cum tremore & palpitatione membrorum in terram cadens, eam sancto sanguine reddidit purpuream. Quotquot autem astabant, eam circũdantes, primum quidẽ eam deplorabant miserti eius ætatis, & tale quid posse sibi accidere cogitantes. Deinde apud se murmurabant, Imperatorem & impium eius decretum vituperantes. Venerandas 9 aũt & sanctas sanctę reliquias, qui harum rerum studio tenebantur viri pij Christiani, & qui in sanctos zelo erant incitati, cũ sustulissent, & iusta eis vt par erat fecissent, deposuerunt circiter duobus stadiis à porta Casandriotica, à sinistra viæ publicæ domum 10 in oratoriam ei ædificantes.

Hæc aũt sustinuit sancta imperante Maximiano: in nos vero regnante in infinita secula Christo Iesu Dño nostro. Cũ quo patri cum sancto spiritu honor & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

8 *Digito fecit in frõte signum crucis.*

9 *Nota venerandas & sanctas sanctæ reliquias.*

10 *Vides quod etiam antiquitus in nomine sanctorum tẽpla & oratoriæ domus ædificabantur?*

A. EPISCOPVS VERONENSIS SYNCERO LECTORI.

DVO sunt tibi antequàm ultra progrediaris benigne lector diligenter attendenda, quæ si ignorares, scrupum aliquem tibi in lectione huius libri inijcere possent. Primum, quòd si in Græcos codices incideris, plures sanctorum uitas reperies, quàm à nobis nunc edantur, Nos itaque aliquas dedita opera de loco amouimus, quod ab alijs uiris sanctis editæ, & olim latinæ factæ in primis quatuor Tomis ante per nos in lucem emissis, iam positæ reperiebantur, puta, Vita beati Antonij per magnum Athanasium, uita magni Basilij, & eiusdem Athanasij per Gregorium Nazianzenum, uita Theodori martyris per Gregorium Nyssæ Pontificem scripta, & id genus aliquot. Ne ergo tedio in lectione earundem animum tuum afficeremus, à superuacaneo labore abstinuimus. Quod tamen in beati Ioannis Eleemosynarij uita non obseruauimus, quia & à prima aliquantisper diuersa erat, & interpretatio longe facilior & lectu suauior.

Secundum illud est, quod dies celebritatis sanctorum sæpe in utraque ecclesia non conueniunt. Id tibi uno uel altero exemplo notum faciemus, & ex his reliqua coniectabis. Sacer dies Philippi Apost. apud nos Calendis Maij, apud Græcos die 14. mensis Nouembris celebratur. Chrysostomi diem natalitium latini 27. Ianuarij, Nouembris 13. Græci solennem ducunt. Vnde ergo hæc festa celebrandi diuersitas? Profecto quia siue alio à dormitionis die apud nos uel illos, sancti illius corpus depositum aut translatum est, uel in eius honorem ecclesia consecrata, aut aliquod grande miraculum à sancto illo editum, ut in posterum dies ille insignis apud unam uel alteram nationem fuerit habitus. Hæc in legendo passim tibi occurrent, & nostræ huius sententiæ fidem facient. Nam & latina ecclesia multos dies in sanctorum honorem colit diuersos à die migrationis eorum, cuiusmodi est festum protomartyris Stephani, Euangelistæ Ioannis, sanctorumq; Apostolorum Simonis & Iudæ, & aliorum qui nunc memoria non occurrunt. Quod si tibi eueniet in aliqua terrarum parte degere, in qua aliter quam in tua patria sanctorum celebritatem agi uideas non ob id offenderis, sed iuxta D. Ambrosij regulam id seruare tu quoque satage quod ibi seruatur cum quibus uiuis. Exempli gratia, cum sum Veronæ Bartholomeum Apostolum die 24. Augusti celebro, cum Romæ die 25. eiusdem mensis. Ita de festo beati Georgij martyris dicendum uidetur. Vale, & pro nobis clementissimum Deum deprecare, ut peccatis nostris parcere pro sua misericordia dignetur.

DE CIRCVNCISIONE DOMINI *nostri Iesu Christi quæ facta est octauo die. & breuis laus magni Basilij.*

VMBRAM quidem futurorum bonorum, non ipsam
Ianua. 1. autem rerum imaginem, legem habere scripturæ, magnus pronunciauit Paulus. Qũo.n. Pictores ad exemplar & ad formam animatam aspectum intendentes, primum quidem atramento, eius quod depingitur speciem in tabula adumbrant: deinde diuersos colores artificiose contemperantes, & adumbrate figurę adiicieсientes, primarium exemplar referunt per imitationem quæ fit ad imaginem: ita etiam lex spiritus, tanquã ad viua exemplaria & ad res in quas non cadit interitus, intuens ad bona quæ sunt reposita in cœlis, ipsorum quidem vmbras & figuras, per Mosem & vetus testamentum, prius obscure & exiliter descripsit. Per Christum autem & nouæ pietatis & veritatis dogmata, veluti floridiores & splendidiores colores adiiciens, cœlestium, & quæ sub aspectum nõ cadunt, bonorum imaginem, subiicit eorum qui vident oculis. Qũo autem cũ imago perfecta est coloribus, & suam accepit pulchritudinem, quæ prius delineata fuerat vmbra deletur & euanescit: ita etiã cũ quę nunc absconsa sunt in cœlis postea reuelantur, ipsa quoque imago rerum cessabit & abolebitur. Siue enim, inquit, Prophetiæ abolebuntur: siue cognitiones cessabunt. Ex parte enim cognoscimus & ex parte prophetamus. Quando autem venerit id quod est perfectum, tunc quod ex parte, abolebitur.

Postquam ergo vetera quidem præterierunt, noua autem facta sunt omnia, & vmbræ quidem & figuræ sunt abolitæ: euidentes autem rerum imagines per gratiam spiritus & Apostolicam exortæ sunt sapientiam, legis deinceps figuras & vmbras negligamus, ipsius autem rerum expressioris formæ curam geramus: & quod dicit diuinus Apostolus, eorũ quidem quæ retro sunt obliuiscentes, ad ea autem quæ ante sunt nos extendentes, ex instituto persequamur brauium supernæ Dei vocationis. vt non simus amplius paruuli fluctibus agitati, & omni vento doctrinæ seu spiritu circumacti. neque tanquam infantes loquamur aut sentiamus, aut cogitemus qũo Iudæi qui infantilia sapiunt aut desipiunt. sed in virum perfectum ad mensuram ætatis plenitudinis Christi perueniamus, peragendo & contemplando eius legem spiritaliter. Ad hoc enim vnigenitus Deus Verbum carne fuit indutus. Ad hoc Deus Dñs inter nos apparuit se pro infante gerẽs, vt infantilem & imperfectam nostram cogitationem ad sensum perfectum et qui virum decet transmutaret. Quãobrem legales quoque expiationes, & obseruationes, & alias adumbratas traditiones, & actauo quoque die circũcisionem subiit is qui est supra omnem essentiam. Quo factum est vt cũ in his debitum pro nobis exoluerit, ab omni legali seruitute & quæ paruulis conuenit nos liberauerit consuetudine. Erat enim necessarium & ineuitabile mandatum circuncisionis. non solũ quatenus est lege antiquior, & ab Abrahamo accepit initium, & ab ipso Mose & lege, & iis qui deinceps sunt secuti Prophetis, confirmata est &

deducta ad posteras generationes. sed etiam q ea necessario à Deo data signum melioris circuncisionis & spiritalis, in omnes suum iugum imposuit. donec eius legislator, cum æque ac nos pro sua benignitate fuisset carnis particeps, & se ad aliorum demittendo simitudinem fuisset circuncisus, & deinde meliorem ostendisset circuncisionem, nempe eam quæ est in baptismate, eam de cętero, vt quæ esset imperfecta & inutilis, aboleuit, & vt cessaret effecit.

Circunciditur ergo Iesus ex ea lege quã tulerat, die octauo. non vt doceret circuncidi, sed vt faceret cessare circuncisionem. vel potius vt veteris quidem & inutilis euelleret anticipationem: noui autem & salutaris aperiret potentiam. vt aboleret quidem eam quæ est secundum carnem, produceret autem eam quæ est secundum spiritum. & illius quidem argueret imbecillitatem, huius autem ostenderet fortitudinem. Circũciditur Christus. Non enim venit ad dissoluendam legem tanquam alienam: sed tanquam propriam & à se compositam, eam re ipsa adimpleturus. Tanquã suum dogma & Dei mandatum venit ad impleturus literam, & spiritũ prædicaturus. Et quõ quispiam pictor optimus, cum in se, sicut dictum est, veritatis vmbram prius figurasset, & ita imaginis expressisset pulchritudinem, per ipsam recta erigit & deducit ad archetypi exẽplaris perfectionem, idq; apertissime atque diuinissime. Etenim quæ est secundum carnem circuncisio, nõ describit solum & adumbrat peccatorum depositionem: & eam quæ est in baptismate Christi circuncisionem: sed etiam tanquam in vmbra describit ipsam vniuersi resurrectionem & alterationem: per quam omnis carnalis hominum sensus & cogitatio circunciditur & execatur: & in aliam vitam transformatur. Huius veluti quædam obscura & adumbrata præfiguratio erat ea quæ est secundum carnem circuncisio. Quocirca ea quoque octauo die fuit primum constituta. vtpote q octauus dies, octauum, vt arbitror, seculum tacite significet.

Cũ ergo rerum imago, vt dictum est, & quæ est in spiritu circuncisio, nondum locum haberet, necessaria forte est existimata secundum carnem circuncisio. Cũ autem ea quæ est in spiritu per Christum manifesta fieret, per ipsum oportebat omnino quoque aboleri eam quæ erat in carne circuncisionem. Etenim si hæc circuncisionis quæ in carne fiebat & animaliũ sacrificiorum ratio aut lex fuisset perfecta, vt quæ posset perficere eos qui illa rite peragebant. ea nullo tempore aut modo potuisset dissolui. Verbũ enim Domini, inquit, manet in æternum. Qm̃ autem data erat ad pædagogicam institutionem eorum qui erant habitu imperfecti & infantes vsque ad tempus correctionis, cũ id quod est perfectum suo tempore refulsisset, oportebat omnino, id quod est imperfectum & minus, aboleri & supprimi, Oportebat, oriente, Sole, lunam & stellas obscurari & minui, & aperta vera circuncisione & cultu, vmbrosas veritatis imagines & figuras cedere.

Propterea ergo Deus verbum cũ prius esset caro factus, hodie octauo die in corpusculo circunciditur. Vt cum litteræ debitum pro nobis exoluisset, legem spiritus quæ manet in æternum induceret: & id quod est minus, eo quod est præstantius, occultaret & tegeret. Propterea Sacerdotiũ quoque quod est secundum ordinem Melchisedech, prælatum est Sacerdotio quod est secundum ordinem Aaron. vt vmbræ quidem cessarent,

libere autem ageret veritas. & vt legalium quidem traditionum imperfectio & infantia euanesceret: Euangelicorum autem dogmatum exoretur perfectio & magnificentia. Ideo cum Petrum quoque & Paulum diuinissimorum mystarum summos, & omnes sacros Apostolos & Discipulos, lege litteræ prius instituisset, & exercuisset in ea quæ est secundũ carnem circuncisione, traduxit ad eam quæ est in spiritu & baptismo circũcisionem. vt cũ etiam spiritum seruitutis per ipsos aboleuisset, spiritum gratiæ & filiorum adoptionis per diuinum baptismum in nobis excitaret in Christo Iesu. Ideo omnes quoq; diuinissimos Sacerdotes, tam alios q̃ magnum quoque Basilium eo tempore magnum in ecclesia excitauit Sacerdotem, qui non corpore peruasit cœlos, sed cõtemplatione & spiritu est primus sacrorum Antistes, & qui erat in principio Deus imitans Iesum Christum. & in velum ingreditur intimum, & illinc legem spiritus & dogmatum magnificentiam magno ore detonat. & legem litteræ eiusq; quæ est in carne circuncisionis angelica abolens & cessare faciens grandi loquentia.

Hic est Basilius qui est magni & præclari nominis, qui est fax catholicæ ecclesiæ. qui Sol insignis veritatis. qui illustrat omnem terram radiis suæ Theologiæ. qui in actione est inimitabilis: & in cõtemplatione talis, vt ad eum nequeat vllus peruenire. qui vita perfectus, & sermone sapientissimus. qui virtutis est omnibus numeris absolutus: & in diuina & humana doctrina est plane consummatus & cui nihil deest. qui omni mundana sapientia & scientia prius exercitatus, eas deinde subiecit vestigiis Discipulorum Iesu. qui omnem librum veterem & propheticum summe & sacrosancte meditando perlegit: & per ipsos ad perfectissimam Iesu Christi fidem recta deductus fuit & confirmatus. qui Euangelio quidem duce aut introductore vsus est ad propheticam veram cognitionem, diuina autem Prophetarum dictione ad sacri Euangelij accuratam notitiam: & per vtrũq; sublatus est ad purissimam diuinitatis agnitionẽ. Hic est sublimis & excelsa ecclesiæ Dei columna. luminare Theologiæ. ornamentum Hierarchiæ. patris homo verissimus. vnigeniti nũcius acerrimus. sancti spiritus Oeconomus & scriba fidelissimus. sapiẽtiæ partus. plenitudo intelligentie. penarium cognitionis. ludus docende pietatis. sacri & diuini consilij eruditor. & Christi potentiæ & virtutis turris infracta & immobilis. Hic est, qui Dei timorem, & præceptum Dñi, & virtutem, oẽs homines docet magnus Basilius. Dei verbi tuba vel maxime regia, q̃ suæ vocis magnitudine omnes fines orbis terræ comprehendit.

Hic est qui eam quæ est in spiritu & diuino baptismo præclare prædicauit circuncisionem, & si vllus alius ex Theologis, cessare fecit eam quæ est in carne circuncisionem. Quocirca eius ad Deum è terra & corpore solutio & transitus, non casu nec temere, vt inconsiderate existimauerit quispiam, inter diuinum Christi natalem & baptismum, concurrit hodie cum Iesu circuncisione. sed quõ in laudando & extollendo Christi ortum & baptismum, eam quæ fit in spiritu circuncisionem extulit beatissimus, in sacra eius cõmemoratione, ipse quoq; dignus est habitus qui vna extolleretur per resolutionem ad Christum. & statutũ est vt annuis eo 1 die honoraretur commemorationibus et celebritatibus. Quãobrem sanctissimam eius memoriam hodie vniuersa sanctorum ecclesia, in omni

1 *Dies resolutionis beati Basilij annuis celebritatibus honoratur.*

parte

parte vniuersi orbis terræ peragens & glorificans gratissimis Deo laudationibus, eum qui in sanctis suis glorificatur, simul laudat & glorificat Christum. Vt quæ ab omni hęresi per ipsum fuerit liberata, totius autem pietatis dogmatibus confirmata. & vt quæ à quolibet quidem qui aliena sentit doctrina fuerit liberata: soli autem Dominicæ fidei & doctrinæ se adiunxerit.

Etenim per huius instar tonitrui sonantem Theologi linguam, attonitus quidem fuit & sublatus Arrius. Eunomius autem dissolutus, & tanq̃ ardentibus fulminibus eius contradictionibus, in cinerem fuit redactus & consumptus. Sabellius autem interiit & est deletus. & Macedonius quidem qui aduersus sanctum spiritum insaniit, Basilij spiritu eiectus fuit & periit. Apollinaris autem amentissimus & insipientibus diuinis eius dictis conuincitur, & ad perpetuam transmittitur ignominiam. & vt semel dicam, quæuis enata zizania, & quæuis Deo inuisarum hæresum differentia, quas & longum ante ipsum tempus adtexuit, & quas post eius ad Deum excessum tempus est editurum, omnes diuini Basilij theologiæ igni mandatæ, exuruntur & consumuntur. non minus quam holocausta & ara Eliæ & ligna, igne qui per orationem fuit è cœlo demissus, Hic excelsus Basilius, non solum Cæsariensium ecclesiæ, cuius etiam fuit creatus Eps̃, neque suo solum tempori & suæ ętati: sed etiam omnibus vniuersi orbis terræ regionibus & ciuitatibus, & toti huic seculo & omnibus hominibus fuit vtilis & maxime salutaris Magister.

Atq; quisnam quidem fuerit eius ab initio ortus & educatio, & quod studium in sacris disciplinis, qũo autem à greca disciplina transierit beatissimus ad Christianam philosophiam, & vita optima & oratione pulcherrima omnes ferè superauerit, tam qui ante ipsum fuerũt Philosophos, q̃; qui post ipsum, & dehinc quo modo ad sedem euectus Archiepiscopalem, & tanq̃ tota lucens lucerna positus supra candelabrum sanctæ ecclesiæ, sacris quæ actione exequebatur verbis vniuersum orbem terræ illustrauerit: & quemadmodum cum Hæresiarchis & veritatis aduersariis fortiter pugnans, tanq̃ lupos Arabicos à sacro suo grege expulerit: & cũ impiis quidem decertans Imperatoribus, cum iniquis autem manus conferens Præsidibus, præclarissima victoriæ trophæa aduersus omnes erexerit, & cum in bonis pascuis & pinguibus, & sacrorum miraculorum ostentionibus, verborumq; & legum cœlestium ac diuinarum expositionibus, Christi oues tanq̃ bonus pastor ipse pulchre pauisset, & tanq; sanctus Pontifex, simplex, impollutus, à peccatoribus separatus, & ipsis cœlis, si mihi quid est audacter dicendum, effectus altior, ipse in Euangelio esset multorum salutem operatus, postea ab hoc humili solutus tabernaculo, & in loco tabernaculi admirabilis vsque ad domũ Dei, 2 in voce exultationis & confessionis soni festum celebrantium peruasisset, cũ primogenitis cœlestis Sion filiis vnà accubuerit & cum eis quiescat. Cũ de his oĩbus à sacris, vt arbitror, Theologis sit satis philosophatum, eaq; satis laudata fuerint, superuacaneum existimaui de his loqui prolixius.

2 *Animam Basilij collocat in cœlo.*

Nos autem glorificemus diuini patris memoriam. Hodie hymnis & diuinitus inspiratis laudationibus Præceptoris virtutes celebremus pro dignitate. Quicũq; ab eo didicimus honorare virtutem, eum tanq̃ verũ patrem honoremus sicut debemus. vt qui in Christo Iesu nati sumus per

Euangelium, & ab eius doctrina internum nostri cordis hominem, tanq̃ Dei filij, habeamus formatum. Q̃uo autem honorabimus? Circuncidamur, non carnem quidem nostri præputij, vt vetus ille Israel: sed internum cordis hominem. Circuncidamur oẽs occultas animi perturbationes & mentis, eas auferentes aut morte afficientes, & vnà cum Christo prompto & alacri animo morte affecti, & simul cum eo crucifixi & consepulti in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circuncisione Iesu Christi in baptismo. q̃uo magnus quoq; doctor nobis præcipit, et in aliis diuinissimis suis admonitionibus, & in exhortatoriis ad baptismum orationibus. Sinamus ergo eam quæ est secundum carnem circuncisionem. Resurgamus ad baptismum. Prætercurramus vmbram. accurramus ad veritatem. Mosem despiciamus. ad Ioannem exeamus. Modo. n. clare sonat, Vox clamantis in deserto, & ad se conuocat orbem terræ. Modo vox præcurrit verbum, & pronubus sponsum. & nuncius Regis præmittitur, & præit ad dirigendas vias eius, & ad populum Domino præparandũ, accedit ad Iordanem. Nunc Iesus postquam ex lege fuerat carne circuncisus octauo die, venit ad Ioannem triginta annos natus vt aqua baptizaretur. vt cum litteræ infantilem fecisset cessare circuncisionem, lege statueret eam quæ est in spiritu perfectionem. Nunc magnus ille præco & præcursor, magna voce turbis præcipit in deserto vt agant pœnitentiam. q̃m appropinquauit regnum cœlorum. Vbi enim Rex, illic est omnino cum eo regnum. Q̃m ergo Rex cœlorum ad aquam baptismatis appropinquauit, necessario simul quoq; cum eo aderat regnum cœlorum. Nũc autem is quoq; qui nomen aut cognomen habet regni cœlorum, post magnum illum Baptistam, hodierno die qui est dies suæ resolutionis, dum & commemoratur & tacet & loquitur. omnes populos ad baptismum adhortatur. Paremus ergo vias Dñi Dei nostri. dirigamus semitas eius. Christo omnium Regi qui apparet in Iordane corda digna reddamus per opera pniæ. & cum eo consepulti ꝑ baptismum, & in vitæ constituti nouitate, vna cũ eo conglorificemur & conregnemus, In secula. Amen.

Basilius dictus ἀπὸ τῆς βασιλείας. i. à regno.

VITA SANCTI PATRIS
nostri Siluestri Papæ Romani.

Ianua. 2.

VENERANDI quidem & qui Deum viderunt Apostoli, omnem orbem terræ obeuntes, in hominum animis salutarem seminarunt prædicationem: & multos traduxerunt ab errore ad Dei cognitionem. sed nõdum libere & fidenter se gerebat pietas, donec insignis Imperator, & vel ipsis æquiparandus Apostolis, Constantinus ille magnus, Dei prouidentia ex agresti olea insereretur in satiuam. Qui autem ab infidelitate eam traduxit ad fidem, is iure iudicetur esse causa, vt se libere gerat pietas, & omnes ferè se submiserint diuinæ prædicationi. Is est autem diuinus Siluester, cui vel hoc solum suffecerit ad eius laudes celebrandas. Ei autem est vniuersa vita est laudabilis & Deo grata, & quæ iis qui virum volunt laudare, præbet amplam encomij materiam. Et iis quidem qui sunt amãtes virtutis, laus illius lætitiam afferet & vtilitatem. Nam iuuabuntur quidem qui ab il-

lius vita incitati fuerint ad imitationem bonorum illius operum. Conuenienter autem ei quod dicit sapientissimus Solomon, etiā lætabuntur. Cum n. laudatur iustus, inquit ille, lętabuntur multi populi. Sunt ergo diuini huius patris res narrandæ & laudandæ pro viribus.

Atque quinam quidem fuerint magni illius viri parentes, & à quibus sit in lucem editus, veteri libro de eo tractante in quem incidimus, non fuit declaratum, qui prisce admodū & simpliciter est compositus. Quocirca ea quoq; sunt à nobis prætermissa. Cū autem esset adhuc iuuenis, secutus est quendam Curionem presbyterum, vitum & fide rectum, & in rebus diuinis eruditum, & vita pium. à quo etiam fuit confirmatus & stabilitus in diuinissimis nostræ fidei decretis, cōpositiq; sunt eius mores & formatus animus ad institutum virtutis. Cū iam autem superasset adolescentiam, erat præ cæteris deditus virtuti hospitalitatis. & quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hospitio lubenter excipiebat: eis mensam hilariter apponens, & aqua illorum pedes abluens, & ad quiescendum eos in stragulis collocans. Quo factum est vt Timotheus quidam vir diuinus, qui ex Antiochia Romæ peregrinabatur & sanctum prædicabat Euangelium, forte ab hoc diuino patre hospitio acciperetur, & eum hospes perfectius imbueret & institueret in verbo rectæ fidei. Non enim timuit vt reliqui fideles, præconem salutaris dogmatis excipere. sed lętus hospitio excepit eum qui erat ęqualis Apost. & si cognitum fuisset eum hoc facere, pro ea re pati, lucrum existimans.

Cū autem Timotheus anno vno & paulo amplius Romæ diuinam prædicasset prædicationem, & multos ab errore conuertisset ad pietatem, deinde propterea fuisset comprehensus & valde punitus, & longo tempore traditus in custodiam, & in illa maceratus, & tandem truncatus capite, beatus Siluester ne post decessum quidem destitit à sua in martyrem affectione: sed multum posuit studij vt eius corpus tolleret. Tyrannorum itaq; crudelitatem non extimescens, nec eorum qui obseruabant ne Martyrum corpora mandarentur sepulturæ, vllam ducēs rationem, profunda nocte vadens vbi situm erat corpus Martyris, in scientibus omnibus id rapuit & domum tulit. Et tunc quidem tota nocte, cum aliis sanctis, cecinit hymnos 1 qui canuntur in sepultura. Post hæc autem, fideli quadā muliere impensas suppeditante, sanctiss. Romę Eps Meltiades, Timotheo ędificauit martyrium, 2 in quo deposuit illud corpus Martyris.

1 Vide christianā traditionem ut in sepultura fidelium hymni & psalmi decantentur.

2 Ecce quomodo etiam tunc in honorē martyrū Basilicæ & oratoria ædificabantur, quæ Martyria dicebantur.

Vrbis autem Præfectus cum sanctissimum apprehendisset Siluestrū, ab eo exigebat Timothei facultates, vt qui eum apud se hospitio exciperet. & nisi eas, ei dicebat, dederis, & accedens Diis sacrificaueris, tuum corpus consumam omni genere suppliciorum, & postremo te subiiciam morti miserabili. Sanctus autem mentis oculis Præfecti mortem præuidens, Euangelicum ei dedit responsum. Hac nocte, dicens, animam à te repetunt. quæ autem minatus eos non licebit ad effectum deducere. His vrbis Præfectus cōturbatus, iubet sanctum ferreis vinciri vinculis, & tuto in interiori seruari custodia. Et ille quidem fuerat inclusus. Præfectus aūt vrbis prādens, cum ei piscis fuisset appositus, comedebat. os autem gutturi illius infixum, cum nec arte medicinæ posset euelli nec præstigiis incantatorum, cum magno dolore velocem ei mortem attulit. Media enim nocte cum non posset amplius ferre dolorem, expirauit. Hoc iis quidem

qui simulachra adorabant timorem attulit: vt Christiani autem bono & confidenti animo essent effecit: sanctum autem soluit à vinculis. & sic liberatus fuit à custodia. Qui autem Præfecto ministrabant, cũ ex eo quod illi acciderat sibi timuissent, sancto procidebãt supplices, & prouoluti ad illius pedes, rogabant vt diuina ira ab eis auerteretur. Eius autem virtute sic omnes adducente in admirationem, ille non solum erat venerandus fidelibus, sed etiam ipsis infidelibus.

Iam autem tricesimum annum agens ętatis, à sacrosancto Miltiade, quem prius diximus tunc fuisse Epm Rom. ecclesię, ordinatur Diaconus, & refertur in cleri catalogum. & erat tanq̃ quædam fax lucens in tenebris, & multos deducens ad viam pietatis. Oportet autem lumen imponi candelabro, vt sic eius splendore plures illuminarẽtur. atque adeò fuit positum sic diuina prouidente à superis administratione. Nam cum Meltiades è vita excessisset, omnium suffragiis sanctiss. Siluester fuit electus Romanorum Eps Is autem dicebat illud munus esse maius q̃ vt id posset sustinere, & se excusabat propter iuuenilem ętatem. Qui autem ferebãt suffragia, qm̃ ille non currebat ad magistratum, imo verò eum modis omnibus repellebat, eum magis ei suis mandabant suffragiis. & tãdem vicit instans populi constantia: & in Episcopatus sede fuit collocatus qui eo erat dignus. & vere erat ciuitas supra montem posita. & lucerna in alto collocata, & lucens omnibus quibus non fuerat extincta mentis videndi facultas, nec tenebris impietatis erant animæ oculi omnino occæcati.

Cùm autem sic fuisset dignatus Archiepiscopatu, & præfectus esset pascendis ouibus Domini, sicut 3 Petrus summus Apost. cuius etiam sedis vel potius zeli & ardoris fuit successor, eas ad salutaria adducebat pascua, Dei, inquam, & Seruatoris nostri mandata: & ad aquas poculentas, nempe dogmatum rectitudinem, & quæ non participant falsam eorum qui malè sentiunt qualitatem. Deinde etiam curam gessit boni in ecclesia ordinis: & cum inuenisset clericos mundanis ac secularibus vacantes administrationibus, intentosq́ mercaturis emptionibusq́ & vẽditionibus, ille primus legem tulit vt qui sacrati erant ab iis abstinerent, vacarent autem precibus. eis dictitãs id quod dictum fuerat à vase electionis, Nemo militans implicatur negotiis quæ ad victum pertinent, vt Duci placeat exercitus. & quod dixit Dauid, Vacate & cognoscite. Huius etiam diuini patris fuit inuentum, vt primus dies hebdomadis nominaretur Dominicus. Cũ enim Iudæi eum primum vocarent, & secundum & tertiũ eos qui sequebantur, & deinceps reliquos: sextum autem & septimum, si spectes eam quæ à primo fit enumerationem, illum quidem nominarent parasceuen, eo q̃ in eo ab eis parabantur quæ erant ad septimũ necessaria. qm̃ in illo vetitum erat Iudæis operari, septimo autem propter quietem ab operibus sabbati nomen imposuissent: qm̃ in eo cessauit Deus a creatione eorum quæ videntur: Romani autem vocarent, primum quidem, diem Solis: eos autem qui deinceps consequuntur, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis Veneris & Saturni, ipse beatus Siluester, dierum nomina quæ à gentilibus erant imposita abrogauit propter illorum impietatem. quæ apud Hebræos autem erant eorum nomina, vt quæ à Mose scripta erant qui Deum vidit, admisit, solius primi mutare nomine & eo vocato Dominico, propterea q̃ in eo à mortuis surrexisset Dominus. Ab eo quoque

3 *Vide hic & nota, quòd Romanus pontifex p̃ficitur ouibus domini pascẽdis sicut & Petrus. Cuius sedis sicut successor est, ita & zeli & ardoris esse debet.*

Hoc inuentum B. Siluester ab Aposto. accepit, nam D. Ioannes in Apoc. ca. 1. asserit se fuisse ĩ spiritu Dñica die. Vnde & Rom. Pontifex suo decreto statuit per omnem Eccl. primam sabbati vocari diẽ dñicum.

est

est constitutum ne ieiunaretur sabbatis. Nam cum occidentales ieiunarēt sabbatis, hoc minime placuit Orientalibus, dicentibus eos qui sic faciunt sequi morem Iudaicum. Hic autem magnus pater, eum decreuisset vt in vno sabbato ieiunarent fideles in quo Dominus adhuc situs erat in sepulchro, ieiunium abrogauit in reliquis. Hinc in eum sunt exortæ apud Romanos calumniæ, vt qui patrios eorum ritus tolleret.

Cum aūt congrederetur cum gentilibus & argueret eos non recte sentire de Deo, cum fabulis crederent, & eos qui non essent Deos putarent, illi signum ab eo petierunt in nomine eius qui ab eo prædicabatur. Signū autem tale fuit. Draco maximus habitabat in profunda spelunca, iuxta montem qui ab eis nominatus fuerat Tarpeius, in quo etiam collocatum Capitolium. Ei autem Draconi quoto quoq; mense alimenta ab eis large suppeditabantur. quæ quidam prestigiatores cum virginibus incantatricibus assumentes, in illam speluncam per multos gradus descendebant. & in ea execranda peragentes mysteria, in quibus nulla insignis deerat abominatio, illic cibis relictis reuertebantur. Certis autem temporibus Draco repente ascendens, foras quidem non egrediebatur, sed iacens in ingressu cauernę, venenato anhelitu corrumpebat aërem ex quo mors afferebatur vicinis, magis autem imminebat interitus infantibus. Huic ergo beluæ, aiebant, si Dei tui inuocatione assensum prohibueris, & si non omnino at eo certe tempore, te esse veri Dei prædicatorem reputabimus. & ad eum accedemus: & ipsum esse Deum nos quoque confitebimur. Apostolicus autem vir ille eis respondit. A Deo quidem qui à me prædicatur nihil est omnino quod non possit fieri. Quocirca facillime hanc nostram implebit precationem. Ex vobis autem plurimi ne sic quidem abstinebunt ab impietate. Sed rursus retinebūt et amplectentur impietatē.

Cum itaque conuocasset quotquot erant Romæ fideles, et omnibus triduanum pręcepisset 4 ieiunium, & vt rogarent Dominum, vt admirabilem faceret suam mīam cum seruis suis, & eis daret materiam & occasionem salutis, Ipse autem ante alios precationi vacabat & ieiunio. Iam autem peracto quod præstitutum fuerat ieiunio, 5 Petrus summus Apostolorum, huic sanctissimo patri apparet in somnis, iubens vt ex Sacerdotibus & Diaconis ab eo assumerentur ij quos vocabat nominatim, & tum illis veniret ad ingressum speluncæ, & illic Deo incruentum offerret cultum: Deinde sic subiror per eos qui sunt in ipsa gradus. Dicensq; vt alloqueretur Dracone qui dicebatur, & portas habebat in ore, pręcepit vt clauem ferret manibus, & nomine Domini Iesu Christi inuocato ad se portas traheret, & in adaptatos annulos clauem iniiceret: & cum clausisset, diceret. Hæc dicit Apostolus Petrus. Hæ portæ non aperientur vsque ad vespere carentem & horribilem diem iudicij. Atque hæc quidem sic noctu mandata fuerant sancto Siluestro ab Apostolo. Is autem, vt iussus fuerat, & cultum peregit & descendit. & portis clauem intulit. Videntes autem Gentiles eum descedētem in speluncam, expectabant fore vt ipse & qui cum eo erant statim vocarentur à Dracone, aut mortifero interirent anhelitu Postquam autem Siluester & qui cum eo erant ascenderunt illæsi, eos qui spectabant cepit admiratio. & fatebantur vim quādam diuinam sequi Epm. Cum itaq; ab eo tempore satis transiisset temporis, & cessasset qui à Dracone afferebatur interitus, & illæsa

4 *Ieiunium & oratio semper ualuerūt ad impetrandum à Deo ingentia beneficia.*

5 *Si D. Petrus in somnis apparet B. Silueſtro, si docet eum quid agere debeat, si in eius noīe uerba fari pcipit, concludé necessario, qd sancti non sunt mortui, ut nonnulli garriunt, quod sciunt q circa nos aguntur, qd magnam habent potestatem post mortem.*

mansisset ciuitas, multi ex infidelibus & ipsi qui nuper seruiebant Draconi, accurrerunt ad sanctus, & fatebantur esse magnum Deũ quem ipse prædicabat & rogabant vt diuinum baptismum assequerentur. Quẽ quidem sunt assecuti & ab impietate traducti ad pietatem. Sic quidem fuit vir ille sanctus multis causa salutis.

Cum autem adhuc uigeret error gentilium, & qui imperabant errori seruiebant, & hominibus quidem dominabãtur, subiecti vero erant Dæmonibus, decretum vbiq; proponerent, vt colerentur simulachra, & eis ab omnibus offerrentur sacrificia, & magnus inter Imperatores & inclitus Constantinus, modo imperio potitus, & errori adhuc seruiens, ipse quoq; æque atque ij qui eum præcesserãt, plane in errore versaretur gentilium, & decreta proposuisset vt punirentur Christiani, nisi persuaderentur libamina offerre simulachris: Tunc ergo hic quoq; magnus Pr̃, cum iudicasset non oportere seipsum obiicere persecutoribus, non quod ne posset ipse ferre supplicia pro pietate, sed parcens parsecutoribus, Roma quidem excedit, in montem autem abiens ibi se abscondit, illic solus cũ Deo versans. Qui autem vnicuique salutem procurat Dominus, volens sedare tempestatem & calamitatem iis qui in ipsum credunt, & efficere vt libere & confidenter se gereret pietas, malo vlcere ferit Imperatorem à pedibus ad caput vsque, & male ei affectũ erat vniuersum corpus. Ei enim sacer morbus incubuit, & floruit lepra per vniuersam carnem. Aduersus quam neque valuit ars Medicorum, nec præstigiæ & imagicæ artes incantatorum. Eius enim curationis & sanitatis spem omnem abiecerant, & Medici indigenæ, & qui ducti fuerant à Perside. Cũ autem ab eis sic deplorata esset eius curatio, Sacerdotes Iouis ad eum accedunt ex capitolio, dicentes fore vt non aliter curaretur, nisi facta esset piscina plena sanguine infantium, eoq; adhuc bulliente & exhalante in ipso lauaretur. hoc autem si factum esset, fore vt cito curaretur, & è piscina mundus & sanus exiret.

Hæc cum execrandi illi & scelerati Sacerdotes suggesissent Imperatori, per vniuersam missi sunt regionem, qui infantes colligerent & ferrent in capitolium. His ablatis, iam dies quoq; cedis erat præstitutus, & in Capitolium ascensus Imperatori. Et illo quidem die abiit Imperator ad locum definitum: & qui erant mactaturi infantes, parati erant ad occisionem. Eorum autem matres cum Imperatori occurrissent, lugentes & eiulantes comas vellebant, & facies pulsabant, & genas lacerabant vnguibus, vestesq; discerpebant, & vbera ostendebant quibus lactabant infantes, molestisq; & miserabilibus vocibus implebant aërem. erantq; iis qui videbant argumentum mœroris & tristitiæ. Quidni enim essent, cum essent matres, quibus nihil est magis misericos? Imperator autem cum fletum audiisset & eiulatum, rogauit eos qui aderant quænam esset eorum causa. Postquam autem audiuit lugentes esse matres infantium qui erant interimendi, quorum sanguine erat lauandus & vsurus purgatione morborum quibus detinebatur, tanq̃ ab ebrietate ad se reuersus & mente quieta & tranquilla effectus, Actionis quidem, inquit, impietas est euidens & manifesta: incertum est autem an sit euenturum vt polliciti sunt qui hoc impium facinus suggesserunt. Quòd si etiam esset manifestũ, satius esse duco vt ipse patiar morbis vexatus, q̃ tot infantium qui nihil

mali fecerunt, volens cædem faciam, & matrum eorum animis doloris flammam accendam quæ nunquam poterit marcescere. Hæc cum dixisset, reuersus est in regiam: & infantes reddi iussit matribus. statuit autem vt vnicuiq; eorum præberentur pecuniæ: vt eorũ dolori ex æquo respondentem afferret lætitiam, gaudentibus quod non solum filios recepissent, sed præter eos etiam accepissent pecuniam.

Atque Imperator quidem sic euasit scelus. Deus autem ei duplicem procurauit salutem. & summos ad eum 6 mittit discipulos qui ei suggererent quæ sunt salutaria. Noctu enim dormienti Imperatori visi sunt ei adstare duo viri. Rogati autem quinam essent, responderunt se esse Petrum & Paulum Apost. Iesu Christi: missos autem esse ab illo, vt ei viã salutis ostenderent, corporisq; & animæ salutis consequendæ rationem docerent, & vitam darent quæ non potest dissolui, propterea quod ipse vitã quæ est ad tempus dederit infantibus. Si hæc ergo vis consequi, accerse Episcopum Siluestrum, qui in monte propter tui metum delitescit. & si illius monitis parueris, ille tibi ostendet piscinam, quæ & carnis purgabit vitia & animæ sordes eluet. Hæc cum ei dixissent, recesserunt ab oculis Imperatoris, & simul etiam eum dimisit somnus. Eo autem de somnio cum animo cogitante & visum admirante accesit medicus qui de more ei medicabatur vlcera. Ille autem eũ dimisit, dicens se non amplius agere auxilio artificioso. Diuinitus enim ad me venit auxilium in somnis, & me diuinum somnium adiuit. Hæc cum dixisset, mittit quamprimum qui beatum Siluestrum in monte quærerent, & eum ad ipsum adducerent cum omni reuerentia.

6 *Si noctu duos discipulos misit Deus ad Cõstãtinum, signum est quod sancti nõ possunt dici emortui. Vere enim uiuunt spiritus & animæ eorũ in conspectu altissimi, licet corpora iaceant in sepulchris.*

Postquam autem inuentus esset ab iis qui missi fuerant & iam esset adductus, eum & lubenter vidit, & ei iuit obuiam, & eum est complexus. Deinde adiuro te, inquit, per crucifixum quem tu colis, vt dicas mihi an aliqui apud vos Dij colantur, nomine Petrus & Paulus. Ille autem cõtra respondit. Vnus à nobis Deus cognoscitur ô Imperator, qui creauit cœlum & terram & omnia quæ sunt in eis. Quos autem ipse nominasti, non Dij, sed Dei sunt ministri, qui vbiq; Christi nomen annunciarunt, & postremo pro illo sunt mortui, vt quos ambos interemerit Nero propter salutarem prædicationem. Propter hæc lætitia affectus Imperator, Rogo te, inquit, Episcope Siluester, horum Christi discipulorum ostende mihi effigies, si habeas, vt sciã an ij re uera sint illi qui noctu mihi apparuerunt. Ille autem statim iussit Diacono vt summorum Apostolorum afferret imagines 7 & eas ostenderet Imperatori. Cũ in eas autẽ allatas oculos iniecisset Imperator, hos esse exclamauit & non alios, qui ad eum in somnis accesserunt. & visum narrauit Pontifici, rogauit vt ei ostenderet piscinam; quam qui ei visi sunt, sunt polliciti esse purgaturam & animã & corpus. Magnus autem ille pater, Non aliter tibi, inquit, ô Imperator, licebit illa frui piscina, nisi eum qui tibi ab iis qui visi sunt est prædicatus, verum esse Deum ex animo credideris. Ille autem, Nisi, inquit, verum Deum credidissem esse Christum, nequaquam tuam accersiuissem sanctitatem. Ei autem dicit sanctus. Oportet ergo te prius 8 ieiunare ô Imperator, & Deum placare lachrymis, quæcunque peccasti confitentem. Depone ergo purpuram & diadema septem diebus. & tuæ regiæ penetrale ingressus, clausis ianuis, in 9 sacco & cinere humi iacens in luctu

7 *Vides hæretice usũ imaginum in Eccl. licitum esse & antiquum?*

8 *Ecce quomodo baptizandi per aliquot dies ieiuniis, lachrymis & pœnitentia præparabantur.*

9 *Nota quod saccus,*

cinis & humicubatio, sunt insignia pœnitentium.

age pœnitentiam. & iube claudi templa idolorum, & cessare eorum sacrificia. qui sunt in exilio, & ad metallo damnati, & in carceres coniecti, libera Christianos. Largire relaxationem iis qui sunt in vinculis & omnibus aliis afflictionibus. Sis benignus in eos qui te rogāt, & iustas imple petitiones. iis quas habes facultatibus impertire pauperes. Hæc ille quidem dixit. Ipse autem affirmauit se omnia impleturum.

Cū autem imposuisset sanctus manum capiti Imperatoris, & preces deinde dixisset, & eum fecisset 10 Catechumenum, recessit. & cū accersisset quidquid erat sacri ordinis, & ex populo eos qui Christum confitebantur, præcepit omnibus ieiunium & preces. Cum ij autem vnanimes eius iussui paruissent, fusæ sunt communes & intensæ preces ad Dñm, vt ecclesiis cesset persecutio, & pax eis concilietur, & tādem finis imponatur Dæmonum libaminibus, & iis qui per ipsos errāt illucescat lux salutaris. Cū iam autem aduenisset dies septimus, diuinus Siluester venit ad magnum Constantinum, & cum eum 11 catechesi instituisset, & in sanctæ trinitatis mysterio eum initiasset, & diuinæ Oeconomiæ vniuersum docuisset mysteriū. Tempus est inquit, ô Imperator, vt tibi paretur piscina. Cum ea autem iam esset parata. Hęc est, inquit, piscina quam dixerunt ij qui à te visi sunt, & aqua quæ est in ipsa, sanctificata inuocatione trinitatis, purgat animas. tibi autem ea erit & carnis curatio ac pugnatio, & morbum tuum fugabit, vt tibi sacrosancti prædixerunt Apostoli. Ingredere ergo diuinum lauacrum, primum quidem purgandus à peccatis & delictis tuis. Deinde etiam à morbo qui in tuo corpore pullulauit, teq; vexat & probro & dedecore afficit.

10 Vides inter ritus qui ex consuetudine Eccl. in baptismo adhiberi solent, censeri catechismum?

11 Ecce quomodo catechismus semper sacrum baptisma præcedit.

Hæc cum audiuisset Imperator, & lætus vltimam exuisset tunicam, & probrum carnis subiecisset oculis, & vnctus fuisset 12 sancto chrismate, ingressus est piscinam. Cū autem Siluester eius caput tetigisset, & eum in aquam immersisset, & sanctam simulq; venerandam inuocasset trinitatem, lux repente totam domum circunfulsit. & lucis splendor plusquam Sol enituit. Exiit itaque Imperator ex diuino lauacro, habens carnem puram & sanam, neque plaga nec vlla apparente cicatrice. Aqua autem piscinæ erat plena iis quæ ex vlceribus exciderant membranis ac pelliculis, non secus ac squāmis piscium. Ille autem cū se vidisset tam repente sanatum, nesciebat quemadmodum satis ostenderet gaudij sui magnitudinem. Cui autem vestem 13 cādidam induisset luminosam, dixit iis qui aderant se sensisse manum desuper extensam quæ eum tetigit immersum in piscina. Et statim edidit decretū, ne quis auderet blasphemare Christum, aut molestiam exhibere Christiano. eius autem qui conuictus fuisset tale quid fecisse, publicari dimidium bonorum. Iussit autem templum quoque in regia ædificari Christo Seruatori, cū ipse suis manibus eius figuram descripsisset. Decreuit autem, vt qui vellent, secure possent religionem eligere Christianam, & ad Christi fidē accedere & baptizari, impensis quæ fiebant ad illuminationē, & veste, suppeditata ex thesauris Imperatoris. Exhinc magna quædam multitudo accedit ad fidem & diuinum baptismū. & non ex diametro erat quidem gregi Christi quotidie accessio, idolorum autem cultoribus diminutio. sed pietatem lōge magis superabat prædicatio, ipso diuino Constantino, quotidianis sermonibus incitāte plurimos ad persuasionem prædicationis, & quod in ipsum factū fuerat

12 Sancto etiam chrismate inungebātur, qui ad sacri baptismatis lauacrum ueniebant.

Ex hoc loco confutata habes omnium illorū mendacia qui dicunt Constantinū nō fuisse à beato Siluestro baptizatum.

13 Mos fuit antiquus ut baptizati ueste cādida induerentur.

fuerat miraculum deducente ad fidem Seruatoris nostri Iesu Christi.

Cũ multi autem vere Deum esse Christum alta voce clamassent, & eos qui non sic sentirent, exclamarent oportere exterminari ex ciuitate, Imperator silentium populo pręcipiens, dixit Dñm velle sua voluntate ipsum confiteri eos qui ad eum accedunt, & sua sponte sacrificare, non autem vi eis & metu intẽtato. Quocirca ipse quoque dixit, Neminem volo inuitum cogi ad suscipiendam prædicationem. illos autem admitti, qui pura ac sincera mente credunt Dño, & admittunt prædicationem. Hoc dictum ab Imperatore mouit omnibus lætitiam, vt quod conseruaret libertatem & liberum arbitrium. Et sic quidem se habebat populus. Imperator autem proposuit decretum, vt omnes qui erant in carceribus, in metalli fodinis, in vinculis, propter cultum Christi, soluerentur quidem à vinculis, reducerentur ab exilio, educerentur ex carceribus, liberarentur à metalli operibus, & puram reciperent libertatem & relaxationem, Licebat ergo videre Christi ecclesiam exultantem, & Dño cõfitentem qui eius tempestatem sedauerat, & Tyrannorum mare quod in ipsum rugiebat sopierat. Per hæc malignus & ab initio hominũ inimicus accepit certum vulnus. Non erat autẽ illius malitię vulnus ferre tacite. sed rursus machinatur aduersus Orthodoxum. & quõ serpentem prius misit in expeditionem aduersus primam matrem: & per illam primum parẽtem est suffuratus: ita nunc quoque mittit in expeditionem serpentes & fœtus viperarum, Iudæos, inquam, aduersus inclitam matrem Imperatoris. Nam cum in Bythinia tunc versaretur vnde orta erat, quidam Iudæi ad eam accesserunt, dicentes ab Imperatore quidem effectam esse rem bonam, ꝙ sint abolita simulachra: sed non sinere vt esset bonum sincerum & impermistum, sed ei etiam ex errore aliquid mali & auersandi admiscere, nempe credere Iesum esse Dei filium & verum Deũ, qui fuit homo Iudæus, & tanquam maleficus ac veneficus fuit de medio sublatus. Non enim oportere Imperatorem illi ascribere sanitatem, sed æterno & soli Deo omnipotenti, qui eius pietatem remuneratur, ꝙ primus diruisset simulachra. Oportet ergo ò Imperatrix, aiebant, te Imperatorem tuum filium ab errore auertere. ne quid ei mali contingat propter errorem superstitionis, cœlesti Rege ei irato.

Hæc illi quidem dixerunt: Ea vero hæc significauit literis Imperatori suo filio. qui cũ has matris accepisset literas, ad eam scripsit, oportere eos qui hæc dicunt, Iudæos, congredi cum Episcopis Christianorum, & eis resistere in disputatione ipsis audientibus: & eum qui visus fuerit dicere meliora & veriora, victoriam esse cõsecuturum, & se esse secuturos illius opinionem. Hæc inclita Helena significauit Iudæis: & hortata est vt quidam ex eis cũ ipsa Romam proficiscerentur. Illi autem, cũ viros elegissent qui totius veteris legis scripturas summe didicerant, & voces nouerant Prophetarum, & versati erant etiam in doctrina gentilium, eos mittunt cum Helena Imperatrice vt in disserendo Christianis resisterent. Qui autem missi erant, ad satis magnam redibant multitudinem. cum quibus erat etiam quidam ex Iudæis Presbyteris, qui vocabatur Zambre, qui erat in arte magica summe exercitatus, & per eam multa ostendebat prodigiosa. cui plusquam aliis fidebat Iudæorum sodalitas. Etsi.n. victi essent in disputando, existimabant se Zambre præstigiis certam

habituros victoriam. Cũ ĳ autem Romam venissent, eorum aduentum sancto significat Siluestro Imperator, & rogat vt de fide cũ eis contendat. Ille autem lubens certamen suscipit. Dies itaque præfinitus fuit disputationi. & diuinus Siluester alios quoque accersit Episcopos vt disputationem secum aggrediantur. Cũ adesset autem dies præstitutus, venit & ipse Siluester in regiam, & quidam Episcopi & multitudo Iudæorũ. certaminis autem auditores & diiudicatores, & ipse pius præsidebat Constantinus & præclarus senatus. Eius autem mater Imperatrix sedebat intra velum.

Diuisi autem quidam ex Iudæis, dicebant oportere aliquos ex Episcopis, secretos ab aliis, cum eis decertare. Quibus Siluester. Non sunt, inquit, nobis vires in multitudine, sed in Deo qui omnia corroborat. quem inuocantes ad hoc certamen, dicimus. Exurge Deus & iudica causam tuam. Iudæi autem, Nostra, dixerunt, sunt hæc verba & nostræ scripturę. Te autem oportet tuis vti & non nostris ô Episcope. Siluester autem. Vobis quidem, inquit, ab initio locuta est scriptura veteris testamenti & præconia Prophetarum. Nihilominus autem ea quoque ad nos pertinẽt qm̃ horum plurima de Christo sunt prædicta. & alioqui necesse est ex his vobiscum disserere. Nam vestri quidem libri nobis euasere proprĳ, sed non nostri quoque vobis, & sicubi ex illis à nobis aliquid adductum fuerit, id à vobis circunscribitur. Quocirca vestris libris vtemur ad demonstrationem. quorum hoc nobis vendicamus, quod est magis admirabile, & clariorem efficit victoriam, quod sumptis armis aduersariorum, iis eos qui resistunt percutientes, bello euademus superiores, & pure potiamur victoria. Ad hæc dixit Imperator, aduersus id quod dixit Episcopus nõ posse contradici. Si enim ô Iudæi, vestras adducunt scripturas ĳ qui Christum colunt ad suam probandam opinionem, eis citra controuersiam tribuetur omnino victoria. Hæc cum dixisset Imperator & senatus ei esset suffragatus, Iudæi ceperunt loqui dicentes.

„ Cũ omnipotens Deus dixerit in Deuteronomio, Videte ꝙ ego sum & non est Deus præter me, qũo ipsi Iesum qui est homo, Deum existimatis & nominatis, & tres Deos inducitis. nempe & eum qui à nobis colitur, & Iesum, eum decernentes esse Dei filium, & præter hos spiritũ? Num enim sic opinantes, non aperte aduersamini ei qui docuit non esse alios Deos, qui est Deus productor vniuersorũ. Adhæc à Deo inspiratus contradixit Siluester. Si citra vllam animi perturbationem mentem vestris adhiberetis scripturis, nihil nos noui diceretis opinaris si Dei filium & sanctum spiritum statuamus. Hæc enim non nobis à nobis ipsis dicta sunt, sed inuenta sunt à diuinis Prophetis. Et ante alios quidẽ dicit Dauid Propheta & Rex, patrum vestrorum in Seruatorẽ nostrum prænuncians
„ insaniam. Quare fremuerunt gentes & populi meditati sunt inania ad-
„ uersus Dñm & aduersus Christum eius? Ecce ergo Dñm & Christum eius dicens, non vnam personam inducit sed duas. Quod autem Dei
„ filius sit Christus, significat idem Propheta dicendo. Dominus dixit ad
„ me. Filius meus es tu. ego hodie genui te. Alius est ergo qui genuit. & alius qui est genitus.

His Iudæi opposuerunt. Qm̃ ergo, vt dicis, genuit Deus, eum qui est impatibilis, statuis patibilem, & ei tribui affectionem. Qũo autem filius

est Deus qui in tempore est genitus,& vt esset, habuit in tempore? Illud enim Hodie,est temporis, & non sinit Deum existimari æternum? Non patibilem generationem,ò Iudæi, in Deo dicimus, dixit à Deo afflatus Siluester: sed diuinam & impatibilem & Deo conuenientem: & q̃uo dixerit quispiam Verbum nasci ex mente. Neque introducimus temporalẽ ex Deo filij eius generationem,sed temporis expertem & ęternam. Nam temporum quoque effectorem cum aliis nouimus esse filium. Effector autem temporum nõ est sub tempore. Illud autem, Hodie genui te, dictũ est à Dauide,non supernam & quæ est ante secula, & ei conuenit, diuinitatis significat generationem,sed eam quæ est inferius, quæ est in tempore & in carne. quam suscepit propter nostram salutem. Nam nouit quidem hic Propheta Christum & Deum ante secula. Quamobrem dicit etiam. Sedes tua Deus in secula. Prædicit autem eius quoque in extremis temporibus generationem, propter mysterium susceptæ carnis dispensationis. Quamobrem subiungit, Filius meus es tu. ego hodie genui te. Per hoc siquidem, Filius meus es tu, temporis expertem & quæ est ante secula significans generationem. Per hoc autem,Ego hodie genui te,inferiorem & eam quæ est sub tempore. Hoc autem Ego hodie genui te, introductum est à Propheta, ostendente patrem, eam quoque quæ inferius facta est generationem, tanquam propriam sibi attribuere, vt quæ illius voluntate facta sit.

Quod autẽ vestra scriptura spiritus quoque meminit, idem Propheta Dauid testatur dicens. Verbo Dñi cœli firmati sunt. & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hic ergo trium facit mentionem, Patris, inquam, & filij quem vocat verbum, propter supernam generationem, eam ostendẽs esse impatibilem & sancti spiritus. Porrò autem alibi quoque meminit spiritus, Spiritum tuum sanctum, dicens, ne auferas à me. Et rursus, Quo ibo à spiritu tuo. qui est. s. & implet vniuersa. Et rursus. Emittes, spiritum ,,
tuum & creabuntur. An non hæc dicta sunt à diuino Dauide. Nõ Moses ,,
etiam qui Deum vidit, in libro genesis Deum introducit dicentem, Fa- ,,
ciamus hominem ad imaginem & similitudinem? Cũ quo ergo disserens ,,
est Deus introductus, si non dixerimus esse aliam cũ qua loquebatur personam. Nõ hoc autem omnino dixerit quispiam dictum esse ad virtutes cœlestes. Illud enim, Ad imaginem nostram, non concedit tale quid cogitari. Non est enim eadem imago & similitudo Dei & Angelorum. q̃m non est eadem natura. Necessario ergo sequitur alium esse eum cum quo disserebat, vt qui sit eiusdem cũ illo naturę & similitudinis, vel, vt magis proprie dicam, identitatis. Quisnam autem is existimari posit nisi filius, qui est eiusdem essentiæ gloriæ & potentiæ, & vt semel dicam, imago patris immutabilis? Quidnam ergo noui sumus opinati, qui decernimus esse patrem filium & spiritum? Et si gentilibus hæc esse incredibilia videantur & inania, non est nouum. q̃m illi nostris libris non sunt imbuti. Vobis autem q̃uo hæc esse putentur inania, qui diuinorum Prophetarũ voces meditamini: quorũ nullus est qui de Seruatore nõ prænunciauerit?

Cum autem diuinus pater pergeret adhuc dicere, orationẽ interrumpẽs Imperator, dicit Iudæis. Dicta quæ nobis proposuit scriptura & Episcopus ò Iudæi, ita'ne vt dixit se habent in vestra quoque scriptura? Illi autem, Ita se habent, dixerunt, ò Imperator. Ergo quod, inquit, attinet ad

trinitatem, mihi videmini vinci, & dare Siluestro calculum victoriæ. Non, si nos quoque ad hæc obiecerimus ò optime Imperator, quę contradicere potuerimus, esse iudicabitur Siluester superior. Plurima autem habemus quæ contradicamus, & ea statim dixissemus, nisi nobis videretur superflua oratio & inanis conatus. Non enim nunc agitur sit ne vnus Deus an tres, sed ꝙ Nazarenus nō sit Deus. Nam & si concessum fuerit oportere tres opinari Deos, non tamen propterea sequitur vt Iesus qui natus est homo & ortus est ex hominibus, & cōuersatus cum hominibus peccatoribus, & publicanis, & cum illis conuiuia iniit, & tandem fuit condemnatus propter maleficia, & ligno crucis affixus, & sic mortuus, Deus existimetur & nominetur. De hoc ergo nunc aduersus illos decertatur qui nouum hunc Deum introducunt. & si de eo aliqua possint dicere aut aliqua habeant testimonia, ea dicant. His sic dictis præclarus Siluester, Non tres, inquit, Deos nos esse dicimus ò Iudęi, vt vos putastis: sed vnum Deum qui in tribus personis aut hypostasibus colitur & adoratur. Cæterum de hac re differatur oratio, qm̄ nominata est à vobis superuacanea & inanis laboris. Consequens autem erat, ea quæ aduersus vestram ab initio propositam quæstionem à nobis sunt adducta ex libris vestris, ostendere non fuisse recte dicta, & sic procedere nobis disputationem. Sed quoniam de his modo dicere recusastis, de Domino nostro Iesu Christo, vt vobis videtur, verba faciamus.

Hinc autem est incipiendum. Deus qui produxit omnia, cum ad bona opera produxisset & formasset hominem, vbi eum vidit declinare ad omne vitium, non neglexit suarum manuum figmentum quod peribat. sed ei placuit vt suus filius qui manet ab illo inseparabilis, est enim vbiq; Deus, ad nostros quoque veniret fines, factus ex muliere, factus sub lege, vt eos qui erant sub lege redimeret. Quòd autem ex muliere pariendum esse Dn̄m responsum fuerat, prædixit diuinus Propheta Esaias, dicens, Ecce virgo cōcipiet in vtero & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emmanuel. Hoc autem nomen, vt vos quoque scitis significat Dei aduentum ad homines. In græcam enim vocem traductum ex hebræa, significat, Nobiscum Deus. Deum ergo ex virgine nasciturum, hic Propheta longo ante tempore prænunciauit. Sed dicunt Iudæi librum Esaię non habere virginem, sed adulescentulam, corruptam autem esse à nobis scripturam, vt q in nostris libris scripserimus virginem pro adolescentula. Quòd nomen quidem adolescentulæ, inquit diuinus Siluester, vestra scriptura soleat accipere pro virgine, multis in locis possumus ostendere ò aduersarij: interim autem hoc quoque aliunde ostendetur. Stultam enim Prophetæ orationem vel potius ipsius Dei dixerit quispiam, nisi intelligamus adolescentulam dictam esse virginem. Nam cū Esaias tanquam ex persona Dei dicat Achaz, Petis ne tibi signū in profundo aut in alto? Cū is autem dixisset se non petiturum nec Dn̄m Deum tentaturū, Propheta Deum inducit loquentem. Ipse dabo vobis signum. Iam vero ipsum signum quale erit, inquit. Ecce virgo in vtero concipiet. Si non ergo dicendum sit, adolescentulam à Propheta dictam esse virginem, quō signum esse reputabitur? Eam enim quæ est viro coniuncta, vt à vobis acceptum est nomen adolescentulæ, in vtero concepisse, non est signum, sed naturalis consequentiæ & eorum quæ fiunt assidue. Signum autem est

est eorum quæ fieri non solent. Quod si etiam dederimus in libro Prophetico scriptum esse adolescentulam, sic quoque adolescentula virgo esse intelligetur. vt signum sit id quod est promissum, & non ex iis quæ fiunt naturaliter, neque habent aliquid alienum & insuetum. Conuenienter ergo huic promissioni, virgo concepit in vtero. Nullus autem homo inuentus est qui natus non sit ex virili semine post primum parentem & eam quæ est ex illius latere constituta: neque absq; cum viro congressione auditum est vnq; peperisse mulierem. Cũ autem sancta virgo cõceperit ex sancto spiritu, & peperit absq; corruptione, fuit nobiscum Deus ex promissione.

Atqui non Emmanuel, sed Iesus est nominatus qui natus est ex Maria, Iudæi contra dixerunt. Restat ergo vt non qui est promissus à Propheta sit is qui à vobis colitur Iesus, sed alius. Hic fit vt neque fuerit cũ hominibus Deus. A' Deo autem motus Siluester intulit aduersus hanc obiectionem, dictum esse ꝙ populi. s. eum vocabunt. Videntes enim ea quæ ab ipso fiunt mirabilia, Deum vocabunt, & credent secum esse Deum. Mos est autem scripturæ, pro nominibus nonnunq; vti rerum euentibus. quõ etiam est illud, Vocabunt puerum, Cito spolia, velociter predare. Atqui nusquam inuentus est aliquis qui sic fuerit vocatus. Quod autem depredatio inimicorum, & distributio spoliorum facta sit per Christum, propterea dictum est à Propheta tanquam nomen, id quod per ipsum est euenturum. Quinetiam dicit de Hierusalem. Vocabitur ciuitas Iustitiæ. Atqui nusquam inuenta est in tota nostra scriptura ciuitas nominata iustitiæ: sed vocata est perpetuo Hierusalem. Q̃m autem mutanda erat in melius, propterea dicta est ciuitas iustitiæ à Prophetæ responso. Alia quoque inuenerit quispiam dicta hoc modo in scriptura. Tale quid etiam prædixit Esaias de eo qui erat nasciturus de virgine. Rerum enim euentũ dixit futuram ei vocationem, non à matre, neque ab eo qui putabatur pater, sed à multis. Quinetiam ipsum quoque nomen quo vocatus est, scilicet Dominus, rem ostendit euenturam. Iesus enim, sicut vos non ignoratis, populi salutem significat. Seruator autem fuit iis qui eum crediderunt esse Christum.

Non solum autem Esaias dixit Deum nobiscum futurum: sed Hieremias quoque eius ad nos aduentum prænunciauit. Hic est Deus noster. non reputabitur alius præter ipsum. Et post nonnulla. Post hæc in terra visus est & cum hominibus conuersatus est. Atqui dixerunt Iudæi. Non quõ dixit de futuro Esaias, ita etiam prædixit Hieremias: sed de eo quod iam factum fuerat, & in tempus præteritum non in futurum refertur. Quo fit vt non sit iudicandum eum loqui de Nazareno. Mihi videmini ò Iudæi, ait Siluester par Apostolis, vestra sponte cõniuere ad veritatem, & nolle lucem intueri. Non enim dixerim vos ignorare proprietates responsorum Propheticorum: & ꝙ sæpe mos sit Prophetis futura prædicere, perinde acsi iam facta essent, propterea ꝙ omnino futura sit Prophetia & non possit excidere. Quõ enim quæ iam facta sunt quin facta sint fieri non potest: ita etiam diuina responsa nõ possunt excidere. & propterea quæ futura sunt, nonnunquam tanquam facta, sunt à sacris introducta Prophetis. Et his plena est vestra scriptura. Atque si Deum quidem in terris visum ante. Hieremiam, & conuersatum cum hominibus nobis possetis ostendere, aliquam rationem haberet contradictio. Sed q̃m hoc

fieri non poteſt, oportet deinceps in futuro accipi dicta Prophetę, quo ſunt etiam alia eiuſmodi in veſtris libris, & pręcæteris in libro pſalmorum, in quo de Chiſto prædixit Dei parens Dauid, & tanquam iam facta prædicauit. Nunc quidem Diſcipuli ingratum animi crimen perpetua notans ignominia, dicendo. Qui comedit panes meos, magnificauit ſuper me ſupplantationem. Nunc autem populorum deplorans amentiam & gentium audaciam. Fuerint autem populi quidem veſtra ſynagoga. gentes autem exercitus Romanorum. Quare fremuerunt gentes, dicens, & populi meditati ſunt inania. & alia quæ ſequuntur. Modo autem crucis paſsionē, cum dixit, Foderunt manus meas & pedes meos. Et quæ facturi erant milites, dicendo. Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem. & dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Rurſus autem prædicens ſepulturam dum diceret prophetice Poſuerunt me in lacu inferiori. modo autē aſcenſum in cœlos prius contemplans & prius annuncians, & clamans, Aſcendit Deus in iubilo. Quinetiam antiquus veſter parens Iacob dum deficeret benedicēs ſuis filiis, qm̄ Deo afflatus preſciuerat Dn̄m venturum ex Iuda, & multa quidem alia ei dixit Dn̄o conuenientia, & præter cætera eius quoque oſtendens ſepulturam & reſurrectionem, Procidens dormiit, inquit, vt leo, & tanquā catulus. Quis excitabit eum? Porrò autem Eſdras quoq; prædicens paſsionem, ſic inuentus eſt figuraſſe orationem, & conſcripſiſſe ea quæ erant futura tanquam quæ iam eueniſſent. Alligauiſtis me clamantes ſuper tribunal Iudicis. me humiliauiſtis. vt ſupra lignum penderem me tradidiſtis. An non, inquit, hæc omnia ò Iudęi ſunt voces Prophetarum? An à vobis dicentur eſſe falſa dicta Prophetarum.

Hæc quidem ſic ſcripta eſſe in libris Hebraicis, dixerunt Iudæi, nos quoque aſſentimur. Tu autem nobiſcum agis ſophiſtice & nos conaris decipere: & dubia vis probare p dubia: & per ignota ignota oſtendere: & eam adducis demonſtrationē quā Dialecticus nominauerit δι᾽ ἀλλήλων idest, mutuam, & ſe inuicem probantem. Nam cū pollicitus eſſes te oſtēſurum illud de Ieſu dictum eſſe à Propheta Hieremia, In terra viſus eſt & cum hominibus cōuerſatus eſt. etiamſi oratio relationem fecerit in futurum, dubia adduxiſti teſtimonia & quę certū ſit non dicta eſſe de Ieſu. Sed nos non decipies ò Epiſcope. Nam neque nos ſumus gręce ignari ſapientiæ, neque ſophiſticorum imperiti argumentorum. Non ſum ego Sophiſta, ait à Deo inſpiratus Silueſter, nec accurate græcam teneo eruditionem ſed ſermone imperitus, Dei autem confiſus ſapientia, verbo quod eſt Deus & homo, & viuifico ſpiritu, non autem ſophiſticorum verborum perſuaſione, ſubiȷ̇ vobiſcū diſſerendi certamen: & dixi vobis vera firmaq; ac ſtabilia. Qm̄ autem quæ dicta ſunt non reprimunt veſtram curioſitatem, aliunde quoque oſtendam in veſtra ſcriptura hanc eſſe conſuetudinē vt præteritū tempus accipiatur pro futuro. Sufficiunt autem ad demonſtrationem pſalmi graduum. In his enim eam quę ex Babylone tempore Cyri facta eſt liberationem captiuorū Hebręorum, & ſecundum in Hieruſalem aſcenſum, & templi reædificationem prius ſignificans diuinus pater Dauid. Nam vt Propheta & homo à Deo inſpiratus, multis ante ſeculis vidit mentis oculis ea quæ futura erant, & tanquā iam facta, prius ſcripſit ea quę euentura erant plurimo poſt tēpore. In primo autem pſal-

mo graduum statim dicit ex persona populi captiui. Ad Dñm cum tribularet clamaui & exaudiuit me. Et post aliquantum. Hei mihi ꝙ incolatus meus. & deinceps psalmi graduum euocant auditorem ad tempus præteritum. Et sic non in his solum sed etiam in pluribus aliis inuenta est oratio figurata à Dauide. Videntur'ne hæc vobis sufficere ad probandũ. an adhuc mihi opus erit aliis.

Si ita haberent, dixerunt Iudæi, vt tu dicis Episcope, sufficerent. Nunc autem & de psalmis falsum dicis & de eorum scriptore Dauide. Nõ enim loquuntur de reditu qui fuit ex Babylone post captiuitatem, sed de liberatione ex Ægypto, quæ fuit tempore Mosis. & merito in preteritum tẽpus sunt compositi. Facile quidem est, ait vir diuinus, ex iis qui dicti sunt psalmis ostendere vos vestra sponte esse malos. Non enim vos ignorare dixerim, ꝙ de reditu ex Babylone hos psalmos Dauid prophetice composuerit. sed in hoc non immorabor, sed ex alio euidentius ostendam id quod quæritur. Mihi autem roganti respondete. Qñ dominata est gens vestra Hierosolymis, nonne postq̃ egressa est Ægypto? Hoc verum dixisti, dixerunt Iudæi. Non Iebus primum nominata est & Salem? Ne hoc quidem est falsum. Non qui vestri habuit administrationẽ Propheta & Rex Dauid, cũ multis præliis fudisset eos qui ipsam habitabant, illam propriam ciuitatem esse duxit & nominauit. Assentimur. Non capta fuit ciuitas tempore Nabuchodonosor: & diruta quidem sunt mænia, illud autem ditissimum & celeberrimum templum Solomonis fuit euersum: & abductus fuit populus Babylonem captiuus. Hæc sic acciderunt. Propterea ergo factus est Dauidi centesimus tricesimus sextus psalmus qui dicit. Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus dum recordaremur tui Sion. Et paulo post. Si oblitus fuero tui Hierusalem, obliuioni detur dextera mea. & quæ deinceps consequuntur in psalmo. Ecce ergo hic quoq; Propheta ea quæ multis post seculis euentura fuerãt, non tanq̃ futura prædixit, sed ea tanq̃ quæ iam facta fuerãt narrauit. Nec poteritis dicere eum hæc prædixisse de reditu ex Ægypto. Nondum enim vestra facta fuerat ciuitas Hierusalem: nec hoc nomine appellata fuerat, vt vos confessi estis. De hoc reditu loquuntur etiam psalmi graduũ, etiamsi vos eos circunscripsistis. & hoc est manifestũ ex hoc tertio psalmo, qui factus est ex persona bello capti populi Hebræorum qui erat in Babylone, qui dicit. Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, In domum Dñi ibimus. Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem. Quinetiam in septuagesimo octauo psalmo, eam quæ tempore Antiochi accidit Hierusalem depopulationem prędicens Propheta Dauid, Deus, inquit, venerunt gentes in hæreditatem tuam, & in templo cernens mactatas hostias quas tũc sacrificabant, & introducta in ipsum simulachra, & eã quæ alioqui facta est sanctorum inquinationem, Polluerunt templum sanctum tuum, prædixit, & reliqua quæ sunt in psalmo prius enuntiauit, & tanq̃ iam facta defleuit quæ erant ventura: & iis qui erant facturi perinde ac iis qui iam fecerant male est precatus. Cũ ergo sic in multis figuretur oratio in diuina scriptura, non fuerit nouum, si quædam de Christo sic dicta sunt à Prophetis, & hoc modo figurata fuit ab eis oratio.

Hæc cum in rebus diuinis sapiens disseruisset Siluester, Iudæi, Nihil, aiebant, est horum falsum. sed tu quæ dicta sunt de aliis, Iesu improbe tri-

buis: & sic mentem simpliciorum surripis. Ergo, inquit sanctus, aliquem alium à virgine conceptum & natum datis, aut ante Seruatorem Christum, Deum in terra visum & cum hominibus cõuersatum demonstrare potestis, aut alias gentes fremuisse & populo esse inania meditatos aduersus Dñm & aduersus Christum eius. Cuinam autem alij accommodabitis illud, Foderunt manus meas & pedes meos: & illud, Diuiserunt sibi vestimẽta mea & super vestem meam miserunt sortem: & in escam datum ei esse fel, & potatum eũ esse aceto: & positum esse in lacu, & surrexisse in iubilo, vt Deum, qui vicit inimicum. Cãticum.n. est pro victoria iubilatio. Dicite ergo an hæc possitis alicui alij tribuere.

Hæc cum audiisset Imperator, mihi, inquit, videmini ò Iudæi esse victi. Illi autem, Ne sic, aiebant, feras contra nos sententiam ò optime Auguste. possumus enim adhuc multa alia opponere Epõ. Et iam dicat quanam de causa Iesus cùm esset Deus, vt ipse dicit, natus est ex Virgine, & carnem suscepit. An enim non poterat omnipotens aliter reuocare genus hominum & efficere vt ex casu surgeret? Qũo autem Deo quoq; à Diabolo fuit adhibita tentatio, dũmodo quidem exigeret vt esuriens faceret panes ex lapidibus: modo autem iuberet vt se ex alto deorsum deiiceret, vt id quod cerneretur probaret esse Dei filium: & rursus eum impelleret ad adorationem, & polliceretur se ei daturum regna terræ. Adhæc dicit beatiss. Siluester. Nihil est quidem ò Iudæi quod non possit à Deo fieri, & vt res est ita creditur. Oportebat autem Diabolum vinci ab eo qui ab ipso victus fuerat. Homo autem ab illo victus fuit. & homo qui non factus est ex naturæ consequentia, neque ex coitu & congressu viri, sed ex terra formatus incorrupta: incurrupta enim tunc erat terra, vt quæ nondum fuisset maledicta neque polluta sanguine fratris aut cædibus aliorũ animalium, neque mortuorum corporum vt postea vocata esset sepulchrum, aut profanis actionibus inquinata & sceleribus. Atque ex terra quidem talis caro formata fuerat Adamo primo parenti: ipsa autem diuina insufflatio facta est in animam. Eũ ergo hominem qui sic natus fuerat cum vicisset malignus, se insolenter iactabat vt qui diuino insultasset figmento. Oportet ergo, vt dictum est, à tali rursus homine vinci & cadere eum qui est princeps & auctor mali. Talis autem est Dñs Iesus, nõ natus naturæ legibus sed vt ille ex terra incorrupta, ita Dñs ex vtero incorrupto & ventre virgineo & sancto. Et qũo ille fuit viuificatus diuina insufflatione: ita hic etiam sanctissimo & viuifico spiritu constitit. perfectus homo in omnibus sine peccato. Qui ergo qũo Adam non naturaliter sed supra naturam factus fuerat homo, & alius vocatus Adam vicit eum qui primum Adam vi deceperat & vicerat. & per quæ maleuolus & hostis hominibus primum nostrum deuicit parentem, per ea nouum quoq; Adam inescare aggressus, non potuit. Per intemperantiam enim & glorię cupiditatem illum decepit. Si ex ligno prohibito comederis, eris tanq̃ Deus, cognoscens bonum & malum. & aduersus Christum quoq; per eadem conatus & gloriari, cũ videret eum tanq̃ Adamum propter id quod apparebat. & esurienti apposuit lapides petens vt eos mutaret in lapides: & pollicitus est se illi daturum regna terræ, si procidens eum adoraret. Illud enim erat gulę. hoc autem primi loci cupiditatis & dominãdi desiderij. Vndiq; autem depulsus fuit malignus. & cũ primum vicisset

Adam

Adam, secundum aggressus aperte victus est hostis. Propter hæc Deus est inter homines & mater virgo. & hostis tentator. Non diuina autem natura, sed humana fuit tentata. & in passione similiter passa est humanitas, impatibili remanente diuinitate.

Aliena dicis ô Epe, respondere Iudæis, & ab iis qui intelligunt omnino non admittenda. Quo enim vnquam admiserit intelligentia, duarum rerum vnitarum vnam quidem pati, alteram verò effugere perpessionem: & vnam quidem dolere, alteram verò non sentire dolorem: & hāc quidem mori, illam verò manere immortalem? Etenim nos quoq; constamus ex duabus naturis, nēpe ex anima & corpore ex quibus anima quidem est immortalis. corpus verò subiectum mortalitati. sed corpore patiente, animam quoq; simul pati cum eo cognoscimus & eo dolente, illam quoq; simul dolere. & quandiu carni vnita est anima: fieri non potest vt si ea crucietur, non aīa quoq; sit particeps cruciatus. Est aūt hoc euidens. Nam cum ex carne euolauit aīa, illa nihil sentit omnino molestiæ.

Non duarum naturarum in Christo commixtionem neque confusionem opinamur ô Iudæi, diuinus dixit Siluester: sed vnionem quidem, vtraque autem natura suas inconfusas seruante proprietates. Nam comedebat quidem & dormiebat vt homo. & fleuit propter Lazarum mortuum. Vt Deus autem, viuificauit mortuos. curauit paralyticos. p mare ingressus est pedibus. violentis vētorum flatibus assurgens mare depressit strauit & sedauit. Mari agitato fluctibus, Sile, dixit, cōpescere. & statim euasit placidum & tranquillum. & non transiliit increpationem. Ita etiā perpessiones & tentationes applicandæ sunt carni cui innatum erat vt pateretur & tentaretur. Non autem diuinitati. Nam cum perfectum hoīem suscepisset Dñs noster Iesus Christus, & anima quoq; & mens in ea est assumpta & carne patiente vnà quoq; dolere animam, humanæ naturę legibus nos quoq; dicimus. cum carne autem Domini pati id cui nō est innatum vt patiatur, dico autem diuinitatem, nunquam dixerimus. Sed quo, rursus dixerunt Iudæi, potuerit hoc vnquam fieri? Quo quod à te affertur potuerit concipere cogitatio. Si autem in rebus materialibus & iis quæ apud nos fiunt, hoc fieri ostenderimus, dixit à Deo inspiratus Siluester, non fuerit hoc à nobis admittendum etiam in diuinitate in quā non cadit interitus.

Post hæc dixit Imperator & Senatus. A' ratione alienum fuerit ô sancte Siluester, si ei quod dicis non assentiantur Iudæi. Si duo quędā vnita ad te adducta fuerint, quorum vno patiēte, alterum non fuerit simul particeps perpessionis. Tibi quidem ô optime Imperator, et illustri Senatui, rndit admirabilis Siluester, hæc sic videntur, & in alteram partem non propendet calculus. Dicant autem Iudæi quoq; an illis placeat id quod dicitur, & an huic quoq; sententiæ illi assentiantur. Dicite, ait, Imperator Iudęis, quid vobis videtur si id quod dixit confirmauerit Eps. Illi aūt, Fieri quidem non potest, dicebant, ô Imperator, vt tale exemplum naciscatur Siluester. Sin autem nactus fuerit & impleuerit id quod est pollicitus, si contra illius dicta nos nihil dicere potuerimus, nos quoq; libenter tuam sequemur sententiam. Sit mihi ergo exemplum ô Imperator, ait sanctus, purpura tuæ potentiæ. Non est ea fila serica, quæ natura quidem vilia, & ante purpuram non in magno pretio habita, purpurę autem san-

guine colorata & magni sunt pretij, & fiunt ornamentum Imperatoris? Qñ ergo ea nebantur à textoribus, & vel extendebantur ad stamen, vel ab eis parabantur ad subtegmen, & aliquando quidem secabantur, aliquando autem inter se colligabantur, vtrum erat id quod nebatur aut secabatur aut ligabatur, fila serica, an id quod ea colorauit, color, inquam, purpuræ? Augustus & Senatus, Serica fila, dixerunt, ò Epe, nebantur & secabantur. Sint ergo, dixit sanctus, imago, fila quidem serica, carnis Dñi. Purpura autem, diuinę & impatibilis naturę. & q̃uo fila quę prius parui erant pretij, colorans purpura flore suo, longe facit pretiosiora: ita etiam diuinitas carni vnita, quam suscepit Dñs, eam fecit longe pretiosiorem sed illa patiente, non passa est diuinitas. q̃uo neque purpura, dũ fila secabantur serica, aut quæ ex eis contexta fuerant, fuit concisa. His applauserunt Imperator & Senatus, Et optimum est, dixerũt, exemplum, & ratio quę seruat promissum, & aperte ostendit solam passam esse Iesu carnem, non autem diuinitatem.

Imperator autem orationem conuertens ad Iudæos, Quid vos adhęc dicitis, inquit. Magnæ quidem est audaciæ, dixerunt, ò Imperator, tuę repugnare sententiæ. Vbi autem de Deo agitur & contenditur, ne tua quidem potentia erit nobis impedimento quominus contradicamus. Nobis enim non solum videtur hæc fila serica neri & scindi, sed etiam simul neri & scindi purpura: & ita Siluestro nõ succedere quod dixerat, & non pręstitisse quod erat pollicitus. Cũ autem contradiceret Imperator & Senatus, à Deo inspiratus Siluester. Peruicax, ò Imperator, inquit, est hoc genus & semper duræ ceruicis. Ne ergo tua laboret potentia. sed his quoq; adhuc alia adiiciantur exempla adiuuante forte sancto & intelligente spiritu qui hominem docet scientiam, eorum obstruentur ora & persuadebuntur. & ad Iudęos cõuersus, Solis, inquit, radius qui arbori applicatur & eam illustrat, non est, inquit, ei vnitus, quãdiu eam illustrat? Omnino affirmarunt Iudęi. Si ergo securis aliqua arborem exciderit dum illuminatur, num etiam simul excisum solarem radium putabitis? Si aũt splendor quoq; solis cum luto congreditur, erit'ne eius fœtoris aut etiam sordium vllo modo particeps, & non potius diu cum eo versans & lutum exiccabit, & exhauriet humiditatem, & salubre reddet id quod est putrefactum. Q̃uo ergo is qui ligna secat, non vnà secat solarem radium secans arborem: ita nec passa est diuinitas patiẽte Seruatore in humanitate: neq; fuit particeps carnis proprietatum ei vnita. sicut nec sol appropinquãs rebus sordidis & putrefactis, impletur immunditia q̃ ex illis contrahitur.

Cum hæc sic dicta essent ab illo egregio rerum diuinarum interprete, Imperator quidem, & vniuersum appllausit auditorium, & eum laudauit, illius verba admirans & eorum parentem. Iudæi autem steterunt silentes & se inuicem fixis oculis intuentes. Sanctus autem dixit Imperatori. Hæc exempla dixi, ò Imperator, non vt quæ rei naturam attingant: Quæ enim oratio rebus potuerit exequari? sed quæ conuenienter nostræ imbecillitati, exilem quandam & obscuram præbent imaginem eius quę comprehendi non potest susceptæ carnis Oeconomiæ. Reliquis autem Iudæis tacentibus, Zambres solis suis fretus præstigiis, & prodigiosum aliquid per eas auens ostendere, & per id venari spectatores. Si verbis, inquit ò Imperator, & copiosus Siluester & aptus ad persuadendum in

disputationibus, propterea ne nos relicta patria religione eum sequemur, & homini credemus quem patres nostri cõi consensu condẽnarunt. Quod autem Deus est solus qui à nobis colitur & non alius, ego non verbis, vt Siluester, sed rebus ostenderim. Iube ergo huc magnum & agrestem taurum adduci & manifestum erit tuæ potentię & omnibus qui adsunt non esse Deum præter Deum nostrum. Cũ itaq; quæreretur agrestis taurus, dixit quidam ex iis qui assistebant Imperatori, apud se esse talem ferum & immansuetum taurum, quem neq; posset aliquis efficere vt iugũ subiret, neq; eum manu demulcere. Iussit itaq; Imperator taurũ adduci.

Cũ abirent autem qui iussi fuerant taurum adducere, venerandus Siluester rogauit Zambrem, Cur à te quæsitus fuit taurus? Cum is autem aduenerit quidnam à te fiet? Ille autem, Nomen, inquit, Dei qui à nobis colitur, audiri non sustinet natura. neq; si quis id audiuerit potest amplius viuere. Nostri enim maiores, ad sacrificia tauros maximos offerentes, in taurorum aures hoc nomen dicebant: & statim tauri magnum & flebilẽ edentes mugitum cadebant: & erant parati vt sacrificarentur. Siluester autem, Si hoc, inquit, nomen, vt dicis, cũ auditur eum qui audit interimit, qũo tu hoc didicisti? Zambres verò, Non licet, inquit, tibi nosse modũ, neq; huius rei arcano imbui mysterio, cum sis in nos malè affectus & hostili animo in Iudęos. Hęc cum dixisset Zambre pręstigiator, dicit ei Imperator. Si non vis Ep̃o aperire mysterium, at nobis interim oportet dissoluere dubium. Est enim re uera dubiũ quod dicitur nisi quis dixerit hoc disci, dum legitur. Zambres autem, Non pellis, inquit, non alia charta. nõ lignum. non lapis. non vllum aliud corpus potest hoc nomen scriptum continere. Nam protinus & qui scribit, & corpus in quo scribitur interit. Imperator vero, Dic ergo, inquit, qũo ipse hoc didicisti? Etenim fieri non potest vt hoc discatur, si neq; dicatur neq; scribatur. Zãbres autem. Ego, inquit, ò Imperator, septem dies vacaui ieiuniis. Deinde noua peluis argentea qua nemo adhuc vsus fuerat, impleta fuit aqua fontana. & cum aqua fuisset bñdicta, literæ fuerunt in ea insculptæ quodam digito, quæ vacantem mentem mystice nomen Dei docebant. Dixit autem ingeniosus Siluester. Sic quidẽ, vt dicis, ò Zambre, mystice dedicisti nomen quod non auditur? Quid autem qñ in aurem submurmuras hoc alicui, nõ ipse quoq; hoc nomẽ audis, sicut is cui hoc dicis? Qũo ergo non tu quoq; moreris? Non apud te de hac re verba feci Siluester, rñdit Pręstigiator. Iam enim prius tibi dixi me tibi nolle modũ & causam aperire. Sed quid verbis opus est, cum liceat rebus ipsis confirmare quod dicitur? Ex duobus vnum elige. Aut enim ipse Nazareni inuocato noïe, taurum statim mortuum ostende. & eum esse Deum nos quoq; admittemus. aut cum ego in aurem eius dixero nomen Dei nostri, si cadet statim taurus mortuus, oportet vt tu quoq; assentiaris non esse aliũ Deũ nisi eũ quem colimus. Laudarunt quæ dicta fuerant ij qui audiebant, & anxij fuerę Christiani. Diuus autem Siluester iubebat eos esse bono animo & minime perturbari: & promittebat fore vt viderentur ab omnibus Dei mirabilia. Tũc ergo Zambræ dixit Imperator. Oportet te prius implere tuam promissionem. Pollicitus enim es te taurũ posse verbo occidere. Ille verò dicit, Qm̃ iubes me hoc facere ò Auguste, vide vires Dei qui à nobis colitur q̃ sint inexpugnabiles. Hæc cum dixisset, appropinquauit tauro qui trahe-

batur à multis fortibus adolescentibus, validis funibus eius cornibus & collo alligatis. Quorum alij quidem hinc, alij verò illinc eum trahebant, in vtrãuis partem inclinaret. Si enim ad dexteram partem irruebat taurus, eum trahebant ad sinistram. Si eum autem impetus ferebat ad sinistram, eum retrahebant ij qui stabant ad dexteram. Cum ergo accessisset & in aurem eius valde insusurrasset, taurus magnum & horrendum edẽs mugitum, & cum tremore membris in orbem circũactus, cecidit protinus & videbatur mortuus. Propterea Iudęi quidem exilierunt & plauserũt manibus, & vicinus exclamauerunt. Vniuersum autem theatrum obstupu^erat & erat plenum tumultu. Sanctus autem cũ indixisset omnibus silentium & sedasset tumultum, dicit Iudæis. Non sunt verba vestrę scripturæ, Ego occidam & viuere faciam, vt in qua sit Deus omnipotens introductus hoc dicere. Illi autem hæc ita se habere assensi sunt. Si ergo, dixit Siluester, ex Deo à Zambre perfectum fuit vt moreretur, per eiusdem rursus inuocationẽ fiet vt ipse quoq; reminiscat. Est enim bñficus Deus non maleficus. Illud est enim ei natura. hoc verò pręter naturam. Et bene facere quidem est ei voluntarium. malefacere autem, violentum & inuoluntarium. Fit autem nonnunquam propter aliquorum vtilitatem. Si ergo quod est præter naturam, & quod à Deo non sua sponte suscipitur, tã facile perfectum est à Zambre, facilius efficietur id quod est ei secundum naturam. & de cætero quem nomine Dei, vt ipse dicit, occidit taurum, si rursus viuificauerit inuocatione omnipotentis, me quoque habebit eius verbis assentientem.

His sic dictis à Dei interprete, Zambres, Strophis verborum, inquit, fretus Siluester ò Imperator, per ea vult adumbrare id quod modo factum est miraculũ Dei nominis inuocatione. Sed non opus est nunc verbis nec eorum ornatu ac probabilitate. factis autem opus est. Et si qua est tibi virtus ò Epe & Iesu qui à te colitur, eam factis ostende. Et vis, inquit ille beatissimus, ostendam Christi virtutem, inuocatione eius bouem viuificans quem tu interfecisti? Verba sunt hæc ò Siluester, inquit Zãbres, & inanis iactatio Non potest enim fieri vt taurus viuificetur. Ei autem dicit manus Constantinus. Si ergo ꝗ tu dicis fieri non posse, possit Episcopus ad opus deducere, eius ne verbis assentieris, & Deum esse confiteberis eum qui ab ipso prædicabatur? Certe, inquit, ò Imperator, viro per salutem, si videro hũc taurum resurgere, ipse quoq; Christum fatebor Deum, & me submittam Siluestri dogmati. Hoc omnes quoq; affirmarunt Iudęi. Tunc ergo sanctus cum genu 14 flexisset, & solo caput demisisset, & oculos irrigasset fluxione calidarum lachrymarum, Deum ꝑ se orauit. Deinde surgens & manus in altum tollens, dixit cunctis audientibus. Domine Iesu Christe qui es Dei filius & Deus, cui facile est viuificare & morte afficere, percutere & sanare, tibi placeat vt hic bos q Dęmonis inuocatione morte fuit affectus, à sancto & viuifico & venerãdo tuo nomine viuificetur. Iam enim tempus est vt tua ostendantur miracula ad salutem multorum. propter quam ipse in terram descendisti, exaudi me seruum tuum in hac hora. vt sanctissimum tuum nomen sit in maiori adhuc admiratione.

14 *Vide quantum ualuerit sancti oratio cum genuflexione et lachrymis, atque manuum subleuatione.*

Et cum hæc dixisset, prope taurum accedẽs, voce sublata exclamauit. Si est verus Deus quẽ ego prædico Iesus Christus, qui natus est ex Maria

ta virgine, surge & sta supra pedes tuos, tua abiecta feritate. Protinus itaque motus taurus exiliit, & stetit à nullo detentus. & ad eum accedens mirificus ille pater, cum ab impositis eum soluisset vinculis, Abi, inquit, vnde venisti, ostendens deinceps omnem mansuetudinem, neminem lædens, neque contra vllum insurgens. Hæc tibi iubet Iesus Christus omnium Deus. Ille autem statim sensim abiit & quieto pede, qui prius erat immitis & immansuetus. Hæc eos qui videbāt obstupefecerunt, & vere magnus est qui à Siluestro prædicatur Deus clamabant. Iudæi autem ad sanctum accurrentes, illius pedes prehensarunt, & rogarunt vt oraret pro ipsis, & eis Deum placaret, & inclita Imperatrix Helena velis ablatis intra quæ sedebat, audiens ea quæ dicebantur, & spectans ea quæ fiebant, egressa est & procedit ad sancti pedes, Credo Christo, dicens, & rogans vt diuinum baptismum consequeretur. Vir autem ille Apostolicus, omnibus in Dominum nostrum Iesum Christum credentibus eum propitium futurum pollicitus, cum iis qui diuinum volebant assequi baptismum 15 ieiunium præcepisset & sanctificationem, dissoluit conuentum. Deinde cum eos catechesi imbuisset qui erant illuminandi, & in iis quæ de more fiunt prius eos initiasset, baptizat primum quidem Imperatricem, post eam autem, Romanorum quoq; multitudinem quæ non facile numerari poterat, & eos qui illic aderant Iudęos qui oēs crediderunt,

15 *Ecce quomodo ieiunio & catechismo de more sanctæ Eccl. baptizandos præparat.*

Hæc aūt cum pie administrasset, & fidem dilatasset, fiduciamq; & libertatem dedisset prædicationi, & deinde vnà cū Imperatrice profectus esset Hierusalem, & ad quærendam salutarem Christi crucem ei collaborasset, & propter inuentionem eius esse collætatus, & multos illic quoq; Iudæos ad Christi fidem adduxisset, & eos diuino baptismo initiasset in nomine sanctæ trinitatis, & euasisset plenus diebus spiritus, terram quidē terræ reddidit: spiritum autem deposuit in manibus Angelorum, abducendum ad Christum qui fuerat ab eo prædicatus, & multorum laborum quos propter illum susceperat accepturum remunerationes, quando veniet vnicuiq; redditurus secundum sua opera. Quem decet omnis honor & adoratio cū patre principij experte, & increato & honore ei ęquali spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

VITA BEATÆ APOLlinaris Virginis.

IMPERANTE in primis pio Imperatore Anthemo Imperatoris filio, q habuit duas filias, ex quibus vna habebat spiritum immundum, altera autem ab ineunte ætate vacabat ecclesiis, martyriis & orationibus. Erat vero eius nomen Apollinaris. Cū ea autem esset ætatis legitimæ, quærebant eius parentes eam marito coniungere ea vero nolebat. Ianua. 5.

Dicit verò quodam die suis parentibus. Cupio ire in monasterium, & audire sanctas scripturas, & videre 1 regulam monasticā. Ei autem dicunt parentes. Volumus te marito cōiungere. Ea vero dicit eis. Nolo cōiungi marito, sed spero fore, vt quō Deus sanctas suas virgines 2 custodiit impollutas, me quoque in suo timore custodiat impollutam. Nouum

1 *Ecce quomodo etiam antiquæ moniales regulas habebant.*

2 *Hoc tollit oēm diffi-*

autem & admirabile videbatur parẽtibus, quod cum esset id ætatis, talia diceret, Deum desiderans. Rursus eas rogabat, vt vnam adducerent Monacham, vt eam doceret psalterium, & legere.

cultatẽ seruandi uirginitatem, diuinæ scilicet gratiæ custodia, quæ tamen nunquã deest illam uolenti.

Imperator autem non parua affectus est molestia, quo eam vellet iũgere matrimonio. Cum ea autem persisteret, & arras nollet accipere, ei dicũt eius parentes, Quid vis filia? Ea vero dicit eis. Rogo vos, vt me ad Deum adducatis, vt meę virginitatis mercedem accipiatis. Illi autem cũ vidissent eius mẽtem esse adeo firmam & immobilẽ, & à Deo adeo fuisse amatam, dicunt ei. Speramus filia fore, vt fiat Dei voluntas. Paucis vero post diebus adduxerunt ad eam Monachas, quæ eam docuerunt psalterium & legere scripturas.

3 *Ecce peregrinationẽ ad loca sancta Hierusalem orandi & adorandi gratia.*

Quodam autem die cum vterq; considerent, ea dicit parentibus. Rogo vos vt me dimittatis in loca 3 sancta, vt orem & adorem sanctam resurrectionem & crucem venerabilem. Illi verò non habebant propositũ dimittendi eam, qm̃ eam magis amabant quam sororem eius, quæ vexabatur. Cum autem intreiecto aliquo spatio temporis ea eis esset molestia, iussit imperator, vt ad eam deferrentur pueri & ancillæ, & aurum & argentum. & ei dicunt. Accipe filia, & recede, imple votum tuum. Deus enim vult te suam esse seruam, eaq; in nauem imposita his pueris consequentibus, dixerunt ei, Filia, memento nostri in sanctis locis. Ea vero dicit, Quomodo mihi satisfecistis, vos quoque in die malo liberabit Dominus, & parentibus valere iussis, cœpit nauigare.

Cum autem paucis diebus peruenissent Ascalonem, paucos dies illic manserunt propter maris iactationem. Ipsa vero orans in oĩbus 4 ecclesiis & monasteriis, eis quoque exhibebat, quæ erant necessaria. Aliquot autem post diebus, cum inuenissemus comites, venimus in sanctam ciuitatem. Cumq; in quendam locum diuertissemus propter nostras sarcinas, puerosq; & ancillas qui vna erãt paululum requieuimus. Eis autem dixit beata Apollinaris. Agite adoremus beatam resurrectionem & 5 venerandam crucem. Porrò autem eis orantibus, ea orabat pro suis parentibus. Cæpitq; benefacere iis qui opus habebant. Ibant vero assidue ad monasteria virginum perennium, & ad eos qui vitam agebant monasticam, & suppeditabat eis, quæ erant necessaria.

4 *Vides quod Eccl. & monasteria facta sũt etiã causa orationis?*

5 *Adoremus beatam resurrectionẽ & uenerandam crucem.*

Quodam autem die dicit vni ex iis qui cum ea versabãtur. Volo vos si Deus velit liberare. Hoc autem audito affecti sunt molestia. Illa itaq; dixit eis. Ne sitis animo anxij. Si Deus enim quid compũgit meam humilitatem, præbebo ad vos alẽdos. Cumq; ij accepissent eius benedictionem, ei ingentes gratias agebant. Cũ vero recessissent, abiit cum iis qui ei remanserant ad Iordanem. & illic rursus præbuit iis qui opus habebant. Cumq; illinc profecti essent, rursus veniunt in sanctam ciuitatem.

Elapsis autem aliquot diebus, cũ suam complesset orationem, dicit eis qui vnà cum ea erant. Fratres mei, volo vos quoque liberare. Sed nunc eamus Alexandriam vsque, & sanctum Menam adoremus. Illi vero dixerunt, Vt iubes Domina. Cum descẽdisset autem Ascalonem, distribuit in via iis qui opus habebant, inuentoq; nauigio quod ibat Alexandriam, eo nauigarunt. Audiuit autem is qui erat præses eo tempore, & misit ad eã adorandam. Ea vero non passa est, sed noctu venit in prętorium, & adorauit præsidẽ & eius vxorem. Illi vero ad pedes eius procidunt, dicentes.

Quæ sumus Domina cur sic fecisti? Nos misimus qui venirent ad tuos pedes,& tu Dña nostra venisti ad nostros pedes. Ea vero dicit eis. Vultis mihi rẽ gratam facere? Dicunt ei. Certe Dña. Ea verò dicit eis. Dimittite me,qm̃ volo ire oratum ad sanctum Menam. Illi autem cum præclaris donis eam dimiserunt. Ea vero accipiens, omnia distribuit pauperibus.

Cum autem in ciuitate mãsisset paucos dies, ibat vbiq; in monasteria, & assidue eis suppeditabat. In eo autem loco in quo habebat domum, inuenit vnam vetulam cui præbuit modicam benedictionem & dixit ei. Accipe soror,& abi in ecclesiam,& eme mihi 6 vnum lebetonariũ mo- 6
nasticum,& similiter humerale,& cucullam, & accipe etiam cingulum. *Habes hic habitum*
Abiens vero vetula, ei hac in re inseruiit. Cũ ea autem attulisset, ei precata *monasticum.*
est dicens. Deus te adiuuet Mamma. Cumq; accepisset, occultauit propter pueros. Qñ autem voluit egredi ad sanctum Menam, iis omnibus manumissis, dedit eis id quod erat ad victum necessarium, & eos dimisit. Illi verò ei bene precati recesserunt.

Cũ autem secum accepisset Eunuchum vnum, & vnum senem, naui venit in Lemnã. Cumq; peruenissent ad ædes Philoxeni, didicit is q erat illic Paramonatius, venitq; cum magno apparatu, dicitq; ei procidens. Dña mea, vbi iubes me manere donec ascenderis,& tuam feceris orationem? Ipsa verò eum rogauit cum sacramento, vt nihil ad se afferretur. Dicit autem ei. Fac officium charitatis. Affer ad me quatuor animalia, vt ascendens adorem sanctum Menam. Ille autem die sequenti adduxit animalia, Ea verò dixit. Crede Domino, eis nõ insidebo, nisi eorum mercedem dedero. Cumq; dedisset plusquam dari cõsueuisset, vale dixit Oeconomo. Ipse autem recessit accepta ab ea benedictione.

Cùm ea autem ascendisset, fecit vt Agaso etiam alterum animal ascenderet. Cumq; peruenissent ad sanctum Menam eius venerabile 7 mo- 7
nimentum adorauere. Audiuit autem Oeconomus, & venit in clero ad *Vide quomodo san-*
eam adorandam. Illa verò ex eo affecta est molestia. Nolebat enim co- *ctorum & sepulchra*
gnosci. Oeconomus autem eam rogabat dicens. Dña iube in domo mea. *in ueneratione ha-*
Ea vero dicit ei. Ego volo vnũ diem manere in ecclesia, donec me Deus *beri antiquus mos*
dimiserit eo quo sum abitura, misitq; ad eam sancti benedictionem. Di- *fuit.*
stribuit autem iis qui opus habebant. Post tres verò dies dicit Oeconomo. Fungere officio charitatis. Præbe mihi vnam lecticam, vt abeam & adorẽ patres scetes. Is autem accersito vno lecticario dixit ei. In nomine Dei affer ad me lecticam. Ille vero dixit, Iussisti. Beata autem adducit ad se puerum qui ei remanserat, & benedictione ei data, eum quoque dimisit, dicens, ora pro me.

Cum sequenti autem die venisset lecticarius, mãsit donec fuit vespera. Cumq; vale dixisset Oeconomo & puero, ascendit in lecticam habens intus vestes monachicas,& fecit vt pone ascẽderet Eunuchus, ante autem lecticarius. Cæpitq; beata orare cum esset intus,& à Domino Deo petere auxilium. Circa mediam autem noctem peruenit ad paludem prope fontem qui vsque in hodiernum diẽ dicitur fons Apollinaris. Cumq; lecticæ pallas aperuisset, Dei prouidentia inuenit ambos dormientes. Cumq; se 8
vestibus exuisset mundanis, induit se monasticis, dicens: Qui dedisti prin- *Nota, assequerer hũc*
cipium vt hunc 8 sanctum assequerer habitum fac me dignam vt eum *sanctum habitum, ui*
ad finem perducam congruenter tuæ voluntati Domine. Cumq; se si- *delicet monasticum.*

9 gnasset, 9 deiecit se è lectica, & ingressa est paludem. Deus autem cum vidisset, eius in ipsum charitatem, effecit vt quandiu vixit, ad nutrimentum ei palma suffecerit.

Signare se signo crucis, antiquissimum est apud xp̃ianos.

Cũ autem lecticarius & Eunuchus excitati essent, & cognouissent eam non esse in lectica, valde sunt admirati. Inuenerunt enim vestes quas ferebat in lectica. Redeuntesq; venerunt ad sanctum & Oeconomo de ea retulerunt, eius quoque vestes ei ostendentes. Stupefactusq; in ciuitatem ingressus est cum lecticario & Eunucho, & exposuerunt Præsidi rem vniuersam. Præses vero perterritus scribit epistolam ad patrem eius Imperatorem, significans ei omnia cõsequenter, missis etiam eius vestibus. Accepta autem eius epistola & lecta fleuit amare. Cum vero vidisset etiam vestes filiæ, magis suis caligauit visceribus, & cœpit flere cũ matre eius, & toto senatu. Postea autem quieuerunt Deo agentes gratias. Dixit vero Imperator. Deus qui eam elegisti, cõfirma eam in tuo timore. Cum omnes ergo rursus fleuisset, quidam ex iis dixerunt Imperatori. Re uera Domine ea est filia pij Imperatoris, ea est filia tuæ potentiæ. Hunc magis apparuerunt tua bona opera. Cumq; ea dixissent & his plura, omnes pro ea orabant.

Cum beata autem multos annos mansisset in palude, & strenue decertasset aduersus diabolum, euasit eius corpus tanquam pellis testudinis. Exesum enim fuerat à culicibus. Ipsa autem consumpta fuerat ab abstinentia, 10 & à regula quam seipsam docuerat. Qñ vero Dñs Christus voluit eam facere dignam corona sanctorum patrum, fecit vt ea egrederetur è palude. Ignorabatur autem ab omnibus eam esse fœminam, sed putabatur Eunuchus. Apparuit vero ei in somnis qui dicebat. Si quis te interrogauerit quõ voceris, dic, Dorotheus. Cum esset autem mane, occurrit ei sanctus Macarius, & dicit ei: Benedic pater. Illi autem data sibi inuicẽ charitate, ambulabant in solitudine. Interrogauit vero Dorotheus dicẽs: Pater quis es? Ille autem dixit, Ego sum Macarius. Is verò dixit. Fungere officio charitatis. Sine me habitare cum fratribus. Præbuit autem ei quoque cellam protinus. Totum ergo 11 diem & noctem intense offerebat Deo supplicationes. Cæpit autem eam tentare diabolus nocturnis visionibus. Beata vero illa vehementer aduersus eum decertabat, ne declararet se esse mulierem. Se autem supra modum exercebat, neque ecclesiam relinquebat nec regulam, noctu diuq; Deum orans.

10 Ecce sanctæ virginis abstinẽtia & disciplina.

11 Vide continuas sanctæ orationes.

Quodam autem die Abbas Macarius venit in eius cellam, & dicit ei. Fungere officio charitatis bone frater, emitte nobis preces. Illa verò dicit. Pater ego à te volo benedici. Cumq; fecissent preces, sederũt. Eam autem rogauit Abbas Macarius, dicens: Dic mihi frater. Vndenã venis, & quod est tibi nomen? Illa vero dixit, Vocor Dorotheus, & cum audiissem de sanctis qui hic sunt patribus, volui vna cum eis habitare, si sim dignus. Dicit autem ei rursus senex. Quodnam opus facis? Ea verò dicit. Faciam si quid me iubes. Is autem ostendit ei, vt faceret catenam. Deus verò volens ostendere eius animi fortitudinem, non declarauit Abbati Macario eam esse fœminam, sed is tanquam virum Eunuchum eam esse putabat. Multas autem curationes Deus per eam peregit.

Processu autem temporis dæmon qui est bonis infestus, aggreditur eius sororem, quæ vexabatur à dæmone, erat autẽ cum Imperatoribus. Cæpitq;

pitq; eam dęmon lacerare & dicere Nisi me acceperitis, & tuleritis in solitudinem, ex ea non egrediar. Volebat vero dęmon eius sororem conuincere quod esset fœmina. Deus vero obstruxit dæmonem ne de ea diceret. Puellam autem valde vrgebat dæmon vt iret in solitudinem. Quidam vero ex proceribus consulunt Imperatori vt eã mittat. Tunc Imperator dimisit eam cum magno comitatu ad patres in solitudinem. Cumq; ij venissent in Scetem, nouit sanctus Macarius propter quamnam causam adsint in illo loco, eisq; progressus obuiam, excepit eos, & dixit, Quid huc acceditis ò filij? Illi verò dixerũt. Noster in primis pius Imperator Anthemus misit filiam suam, vt per Deum curetur & preces vestras. Cum eam autem accepisset à cubiculario, deduxit eam ad Abbatem Dorotheum, & dicit ei, Fungere officio charitatis, Quoniam est filia Imperatoris, & opus habet patrum precibus & vestris. Ora pro ea vt curetur. Hæc est enim merces tua.

Hęc autem cum audiisset, cæpit flere & dicere. Quisnam ego sum peccator, q̃ de me talem concepistis opinionẽ? flexisq; genibus dicebat, Concede mihi pater vt mea peccata defleam, nam multa sunt. Ego enim sum imbecillus planeq; rudis & ignarus ad hanc rem. Dicit ei Abbas Macarius. An non sunt etiam alij patres qui per Deum signa faciunt? Sed tñ hæc te mansit merces? Illa verò dicit. Fiat Dei voluntas. & mota pœnitentia, eam accepit in cellam, & nouit eam esse sororem, flensq; cõquieuit. Eam autem amplexa dixit. Bene venisti soror. Dei verò opere fuit os obstructum dæmoni ne argueret ancillam Dei q̃ esset fœmina. Cum autem Dæmon eam diu affligeret, per preces eum domuit.

Quodam autem die dæmon cæpit eam affligere. Illa vero exurgens manus 12 suas extendit in cœlum, & flens Deo supplicauit pro sua sorore. Tunc clamans dæmon dixit magna voce, ò vi pulsus à te egredior. Eaq; prostrata est egressus. Cum eam autem accepisset, fert satam in ecclesiam ad patrum pedes dicens. Ignoscite mihi quod inter vos peccarim. Illi autem data pace vocarunt homines Imperatoris, & eis tradiderunt sanam Imperatoris filiam. Qui adoratis omnibus patribus profecti sunt ad Imperatorem. Fuitq; magnum gaudium in ciuitate propter filiã Imperatoris. Deumq; glorificarunt videntes magnam puellæ modestiam. Beatus autem Dorotheus se magis humiliauit supra modum exercens. Fuitq; perfectus signifer.

12 Ecce oratio cum manuum in cœlum extensione & lachrymis, & eius exauditio.

Diabolus autem rursus subit filiam Imperatoris, & facit vt pręgnans appareat. Cæpitq; Imperator affici magno dolore, & eam interrogauit dicens. Ex quo es pregnans? Ea verò illic nihil aliud respõdit nisi hoc solum, Nescio vndenã hoc mihi acciderit. Imperator vero eam magis examinabat. Tunc ei satanas hanc suggerit cogitationem, q̃ monachus qui eam circunducebat ipse eam prægnantem reddiderit. Tunc magna ira repletus Imperator, misit ad perdendum eum locum. Cũ autem principes quam celerrime abiissent in Scitem, quærunt intelligere ea quę illic fiebãt, dicentes. Date nobis Monachum qui pręgnantem reddidit filiam Imperatoris. Dei vero sanctus Dorotheus hic verbis auditis in medium processit, dicens. Ego sum. Afflicti sunt autem sancti patres, & dixerunt. Nos quoque tecum ibimus. Ea verò dixit eis, Domini mei, solummodo orate pro me, speroq; in Deo, & in vestris precibus fore vt cito vos adorem, &

abeuntes in ecclesiam venerunt cum toto conuentu fratrum factisq; precibus simul egressi sunt deducentes Abbatem Dorotheum. Sciebat enim Abbas Macarius in illo nil esse mali.

Cumq; ij peruenissent ad Imperatorem, procidit ad eius pedes Abbas Dorotheus, dicēs. Rogo tuam pietatem vt cum silentio audiat de tua filia. Eamus seorsum, & ego vobis narrabo omnia. Nō est enim ei allatum vitium, nec habet quidquam mali. absit. Postquam autem iuerūt seorsum ipsa & parentes eius, dixit eis. Per Dñm promittite mihi quod si cognoueritis veritatem, dimittetis me in locum meū. Quod cum ei promisissent Imperator & eius vxor, dixit eis. Qui post Deum sanam fecit filiam vestram, est mea humilitas per patrum preces. Illi verò his auditis obstupefacti māsere muti & attoniti. Eis autem dixit, Ego vos de hac re faciam certiores, & aperto collo sui colobij, ostēdit suas mammas, & dixit. Pater ego sum tua filia Apollinaris. Quod cum audiissent eius parentes, obstupuerunt, & multę fusæ sunt in illo die lachrymæ. Adduxerunt autem suam sororem & dixerunt ei. Nosti ne hunc? Illa vero respōdens dixit. Re uera hic est ille Eunuchus qui post Deū me sanauit, & procidens ad eius pedes rogauit eum de suo vtero. Qui cum eam erexisset, & eius vtero manus imposuisset, eam sanam reddidit. Cum hoc autem vidissent admirati sunt & Deum glorificauerunt. Dixerunt itaq; Vere hęc est filia nostra Apollinaris. Fuit autem fletus cum gaudio in aula Imperatoris.

Cū autem paucos dies versata esset apud parentes, omnia eis narrauit. Quæ cum audiissent, Deum laudarunt. Rogarunt vero eam vt cum eis maneret, sed non tunc persuaserunt. Propterea autem quod ei promiserāt, eam cum multis lachrymis emiserunt. Rogauit autem parentes suos vt pro se orarent. Illi vero ei dicunt. Deus cui fuisti desponsa, ipse perficiet tecum misericordiam. Memento autem nostri filia in sanctis tuis precibus. Quam cum amplexi essent, ipsam dimiserunt. Voluerunt autem ei dare pecuniam ad vsus patrum, sed eas non accepit, dicens. Patres mei non habent opus pecuniis huius mundi, ne à bonis excidamus cœlestibus. Factisq; precibus dimiserunt suam filiam lętantem & exultantem. Cum ea autem venisset in Scetem, susceperūt eam fratres & patres, & Deum laudauerunt quod rediisset frater eorum sanus & diem festum ei fecerunt.

Paucis autem post diebus qñ cognouit se esse è mundo exituram, dicit Abbati Macario. Fac officium charitatis. Si cōtigerit me è vita excedere, ne me componāt monachi. Is verò dicit ei. Qño potest hoc fieri? Ea au-
13 tem consummata, venerunt sancti patres vt sanctum eius corpus 13 lauarent. Viderunt autem eam esse sexu fœminā, & exclamarunt dicentes. Gloria tibi Christe qui multos habes sanctos occultos. Admiratus est autem Abbas Macarius ꝙ hoc sibi non fuisset reuelatum. Vna vero nocte videt visionem quæ ei dicit. Ne angaris propterea. Opportet enim te coronari cum sanctis patribus qui sunt à sęculo. Tunc ei narrauit vitam &
14 nomen beatæ. Allatisq; sanctis 14 eius reliquiis, ea posuerunt ad orientem sanctę Ecclesiæ, in antro Abbatis Macarij cum gaudio & gloria vsq; in hodiernum diem per Deum & sanctos patres, & post sanctæ dormitionem peraguntur curationes gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia in secula. Am.

Antiqua semper fuit consuetudo lauandi corpora defunctorum statim post mortem.

Nota quod appellat sanctas reliquias, nō autem cadauer, aut ossa emortua, ut faciunt hæretici.

CERTAMEN SANCTI
Martyris Polyeucti.

SI EST vlla alia pulcherrima narratio, pulcherrima quoque est narratio admirabilis Martyris Polyeucti. Nam cum vtilitate magna quoq; est coniuncta iucũditas. Huius autem rei potest ea non falsam testem adducere experientiam. Dicatur ergo, & à nobis in medium proferatur piis Deiq; amantibus auditoribus, vobis quoque pro viribus quæ vestra sunt afferentibus, aures orationi attentas exhibentibus, promptumq; & alacrem animum præbentibus narrationi. Ianua. 9.

Tempore Imperatorum Decij & Valeriani, erat quidam Nearchus & Polyeuctus, studio quidem milites, amicitia autẽ ita inter se deuincti, vt longè magis quam si inter eos intercessissent sanguinis & cognationis necessitudo, summo sui inuicem desiderio & insigni concordia ac consensione cõiuncti essent eorum animi. & vterq; in alterius corpore se putaret viuere & spirare. Erat autem Nearchus quidem Christianus & fidelis, pietateq; ac vera religione perfectus. Egregius autem Polyeuctus gẽtilis quidem religione, & veritatis luce nondum illumnatus, alioqui se Christianum accurate conseruans, & omni virtute exornans. & erat quidem olea frugifera. hoc autem solum ei deerat, q nondum erat in domo Dei. Qm̃ autem Decius ille & Valerianus non recte vtebantur imperio, nec eum qui illud ei dederat agnoscere & colere volebant, imo verò manum impiam & cum Deo pugnantem in ipsum erexerant: & non solum eum negabant, sed omnes quoque subiectos scriptis edictis incitabant, & omnibus modis arcebãt à Dei cognitione: & Deos proh dolor falsos & vanos in veri Dei locũ constituebat, & illos colere & adorare cogebant qui minus habent sensus q̃ lapides & statuæ.

Qm̃ ergo hæc ita habebant, & proposita erant supplicia & præmia. iis quidem qui parebant, honores, dona, & pecuniȩ. iis autem qui non parebant, minæ pœnæ, & vltimum malum mors: amico timuit Nearchus, & putauit hoc esse tempus, quod effecturũ esset vt dissensio in religione, eorum quoque dissolueret amicitiam. Hæc cũ in animo haberet & apud se versaret, aperte ostẽdebat se cruciari animo, magnisq; agitari fluctibus, & occulte deflere amicum. Præstantissimus autem Polyeuctus cum videret sic se habere amicum, pũgiq; aculeis doloris, & qui verbis explicari nequeunt gemitibus, conari leuare magnam animi ægritudinẽ, & vestigia lachrymarum indicare oculis: amice ad eũ accedens interrogat, & causam quærit discere cur ita se habeat. Nam ipse quoq; nihilominus dolebat, cũ eum videret sic affectum qui erat eiusdem cum eo animi. Ille aũt volebat quidem dicere, & significabant se nihil posse celare amicũ. esse autem aliquam aũt causam, propter q̃ etiamsi velit dicere, necesse habeat tacere, & amici cõsolationem hac in re minime consequi. Cũ autem valde diuinus vrgeret Polyeuctus, & postularet vt ei secretũ aperiret, & ei exprobraret contẽptum amicitiæ, & mutatam affectionẽ, Nunquid, dicens, aliquid offendimus? Quanam in re tibi molesti fuimus? Quænam res tã dira & tam atrox facta est, vt Polyeuctum tuum à venia arceas?

Hæc cum diceret & animo angeretur, non ferens Nearchus, oculos suffusus lachrymis, & profundo suspirio internam cordis flammam significans, Cum, inquit, ò amicissime, nostræ consensionis & dilectionis apud me cogito separationem, necesse quoque habeo animum abrumpere. Hęc postquam ille audiit, corde grauissime perculsus, Quō hæc, inquit, Nearche, Quō? & cur hæc verba dicis præter spem? & vndenam hęc erit nobis separatio, quam statuimus ne mortē quidem posse nobis facere? Hoc est, inquit, ò amicissime, quod me propemodum suffocat, & ipsum comprimit spiritum & animam, qm̄ hæc quã dixi separatio, est nobis humana morte validior & grauior. Cum autem nondum quid sibi vellet oratio intelligeret Polyeuctus, statim surgēs, & amicum complexus, & ei ita vt eum tenebat ardentissime circunfusus, Sed dic, inquit, mihi ò Nearche, dic aperte, & explica quemadmodum hæc sit futura separatio. Non enim fero amplius hoc minime amicum silentium. Sin minus: videbis iam tuum Polyeuctum in terra iacētem mortuum & examinem. Atque videbatur quidem Nearchus velle dicere. sed victus ab animi perturbatione vinctã habebat linguam. & solum mœstus ac conturbatus amicum fixis aspiciebat oculis. & immoderatum significabat dolorem. Postquam autem vidit Polyeuctum mœrore confectum abiecisse animum, & humi procidere, & esse iam à dolore oīno superatum, cogitur in hanc vocem erūpere.

O' amicissime, inquit, Polyeucte, hoc edictum Imperatoris nobis separationem afferet & disiunctionem. Postquam autem hanc vocem sapientissimus audiit Polyeuctus, statim coniiciens quid sibi vellet quod dixerat Nearchus, Cogitauit enim q̃ amborū in religione dissensio iam examinanda, & acerbitatem subitura Iudicum, coget eos à se inuicem disiungi, conuertit eum ad diuiniorem quandam cogitationem. & reuoluēs animo quam viderat visionem, & eam iudicans tempori conuenientem, cæpit repleri gaudio & voluptate. & quemadmodum hæc fuerint visio cōmunicauit amico, Est aliquid, dicens, ò Nearche, quod prohibebit nobis hanc fieri separationem. Vidi enim ego Christum quem tu adoras ad me accedentē, hanc sordida qua sum indutus veste me exuisse, alia verò valde pretiosa (ò quis illius pulchritudinem dixerit) & splēdorem, induisse. cuius humerum fibula constringebat aurea. Deinde verò mihi quoque equum tradidisse alatum. Atque talis quidem fuit visio quam vidit diuinus Polyeuctus eius autem nequaquã fuit vanus exitus sed præclare expressit id quod erat futurum. mutata quidem illa vestis pulcherrima, mutationem in melius ex eo quod est deterius. nempe vt ex terrena militia in cœlestem & diuinum militum referretur numerum. per quem erat in chorū Martyrum cooptandus. Alatus autem ille equus quid aliud possit significare, quã illius celerem a terra in cœlos ascensum?

Hæc cū audiisset Nearchus, lętatus est, hilarisq; effectus ei dixit. Christum cognouisti? Christum ò Polyeucte, qui verè est Deus. Ille verò ei dicit. Qn̄ autem eum ignoraui? Num cum tu de eo diceres, tremor meum subibat animum, aut cum legeres, non eius admirabar sermones? Solum enim mihi nomen deerat. alioqui enim erã affectione Christianus. & studebam me Dn̄i Christi mancipare seruitio. multum valere iubens cultus inanes simulachrorum. Quid ergo facimus ò Nearche? Cur non aperte ostendimus nostram in Christum confessionem? Cum hæc autē lubenter

accepisset Nearchus,dixit,se veluti nudãs & aperiẽs. Mihi ò Polyeucte, non diuitiæ, non gloria, nec omnino dignitas militaris, nec aliquid aliud ex iis quæ sunt huius mundi,præfertur vitæ quæ est in Christo.eam enim solam desidero. alia autem sunt apud me parua & nullius pretij. Deinde rursus diuinus Polyeuctus eius animi veluti faciens periculũ,Quid verò, inquit,an non concupiscis hanc quæ adest tibi dignitatem? Nearchus autem existimans hæc ab eo dici ex animo & non eius tentandi gratia. Videris,inquit,mihi ò Polyeucte ignorare veram in Christo dignitatem,& eam quæ est apud illum gloriam, & quæ nunquam cessat beatitudinem. Sic quidem inter se conferebant sermones. & sibi inuicem suam aperiebant sententiam.

Egregius autem Polyeuctus iucunde & lepide volens aliquid amico dicere,Tu quidem suspicaberis, inquit, me ignorare eã quæ est in Christo gloriam,& quæ est apud illum beatitudinem. Ego autem ò Nearche,videor te præcessisse,& imperatoriam vt scis & cœlestem chlamydem accepisse per reuelationem. Sed tamen volo ex te sciscitari aliquod caput spiritale. Vereor enim ne si absque 1 sacramẽtis & mysteriis accesserim ad Seruatorem,ei videar minimè acceptus & indignus qui referar in numerum eius militum. Postq̃ hæc audiuit Nearchus,statim surgit,& euadit animo acrior & vehementior.& amicum incipit recreare,promptioriq; & alacriori animo eum reddere ad Christi fidem,dicẽs. Nulla ò amicissime sit tibi de hac re dubitatio. Scriptum est enim. Posse Deum vel ex his lapidibus suscitare filios Abrahæ. Quod quidem quid est aliud, quã hoc, posse etiam gentiles ex insperato salutem assequi & esse milites Christi? Nam omnibus,vt semel dicam,aperta est porta cœli.nulli omnino ex omnibus occlusus est salutis aditus. Quamobrem is quoque qui credit, magnam recipiet mercedem paruæ illius fidei. Propterea enim iis quoq; qui prima & tertia & nona hora accesserunt ad vineam, ęqualis merces decernitur.Quamobrem etiamsi ipse tardus accesseris,eadem quę primi præmia consequeris.Adhæc D. Polyeuctus tanq̃ eius subiisset animum recordatio,Per veritatem,inquit,Nearche amicissime,audiui aliqñ latenter te aliquid eiusmodi legentem ex diuina scriptura, q eos qui vnã horam essent operati,ęquali Christus honorasset portione iis qui sustinuissent totum ęstum diei. Nearchus autem,Multa quoq;,inquit,ò vir egregie,inuenies eiusmodi exempla.Ecce enim,inquit,latro qui fuit cum Christo crucifixus,cum innumerabilium reus esset criminum, pro modico & breui verbo magnas inuenit remunerationes. & quę multis emitur sudoribus in paradiso conuersatio ,admodum facile ab eo paratur. Nam vel parua fides potest magnos montes transferre.

1 *Vides quod ianua regni cœlorum non nisi spiritualium sacramentorum claue reseratur, propterea semper illa sancti uiri uenerati sunt.*

Hæc cum diuinus audiisset Polyeuctus, animo statim in altum extollitur. & vt corporeorum & terrenorum omnium planè oblitus,Paciscamur,dicit Nearcho, nos firmius & stabilius esse seruaturos ea quæ visa fuerint.Ego enim rebus humanis de cætero renunciaui Quodnam autem de Christo nos oporteat ferre testimonium , planum fecit, quæ id præsciuit diuina Domini clementia.Ecce enim ò Nearche,eam quæ est in cœlis pulchritudinem mihi visione apprehendit cogitatio. quam quidem assistere,& Christum video ante oculos.& splendore eius visionis mihi vultus illuminatur.Sed iam tempus est legere impium edictum Imperato-

rum, & recte scire quidnã velit nos facere. Sic dixit. cumq; id accepisset, perlegit: & mater legendum conspuit. & cum id in frusta minuta confregisset, ventis mandauit. Deinde sic conuersus, videt idola quæ portabantur, & à stultis adoranda deducebantur ad aras. Quæ cum iucundissime & vehementissime risisset, prius quidem simulat se prompto & alacri animo ad ea accedere. Deinde illorũ singula accipiens, & protinus humi allidens, simul contriuit omnia, & redegit in subtilem puluerem.

His ergo factis, cum eius Socer venisset Felix, fuerat enim iam constitutus persecutor ab Imperatoribus, & vidisset quæ fecerat Polyeuctus, admodum ęgreferens, Heu, dixit, Felix est priuatus liberis. & qui prius eram insignis & suspiciebar propter filios, repente me affligit filiorum orbitas. Nullus Deorum nec hominum potest misereri Polyeucti qui talia est ausus, & nostros Deos contriuit. Adhæc D. Polyeuctus, eo quod factum fuerat veluti magis gloriãs, tantum aberat vt reformidaret aliquid & extimesceret, Nunc quidem, inquit, ego eos contemnens, re ipsa ostendi q̃ sint imbecilli. Quòd si sunt tibi alij, ij quoq; in medium adducantur. Hinc enim scies quemadmodũm nos Christi seruos ea cõspuere oporteat. Felix autem cum humana & miserabili quadam affectione de sancto cogitans & loquens Se velis, inquit, ò Polyeucte aliquantisper viuere, donec tuam videas vxorem. Quænam autem adhuc, inquit Sanctus, vxoris mihi cura est & filiorum, qui ex rebus humanis nihil omnino curo, cũ in solis cœlestibus mens versetur & iis in quę non cadit interitus. Tua autem filia, si me quidem sequatur, beata erit propter suum animum & institutum. Sin minus: ipsa quoq; cum vestris Diis mala malè peribit.

Post hæc Felix profundebat lachrymas, vt qui spem omne abiecisset Qua de re dupliciter cæcutiens, nempe & ex ægritudine animi quæ eum angebat, & ex insania qua laborabat in simulachra, loquebatur verba digna tantis tenebris & tanta dementia. Hei mihi, dicens, te quoq; ò Polyeucte Christi artes fefellere magicæ? Martyr autem admodum prudẽter & fortiter, Non per sacra, inquit, Martyrum certamina, Non nego, inquit, me ab illo esse vocatum ad cognitionem veritatis. Ipse enim est, inquit, qui cũ suis manibus meam demulsisset animam, à tenebris ad lucem, & ab errore deduxit ad veritatem, & dignum censuit qui essem & nominarer eius miles. Cum autem hæc dicerentur, accedentes sanctorum persecutores cum Martyrem comprehendissent, sacrum os eius pulsabant, verè odio habentes confutationem quæ erat in foribus, & malis auribus non valentes ferre vim veritatis. Præclaro autem Polyeucto eę quidem plagæ nullo modo erant curæ. Videbat enim Christum qui pro eo erat passus, prope ipsum assistere. Quem cum suum posuisset refugium, nec pro malis habebat ea quæ ipsum inuadebant, nec scuticam quæ eius corpus cædebat.

Has ergo plagas, vt dictũ est, parum curabat Polyeuctus. luctabatur autem aduersus aliam diaboli maligni artem. Nam cum ille ad eum adduxisset socerum & vxorem lachrymantes & miserabiliter eiulantes, sic conabatur eius animam suis decipere præstigiis, & pro viribus dissoluere eius robur & constantiam. Is autem non ignorans maligni insidias, cum seipsum valde vtiliter conturbasset, animæq; fortitudinem & iram excitasset, & quæ ex lachrymis oritur effœminatæ mollitiei eam opposuisset,

grauiter admodum & fortiter, O' scelerate, inquit, & profanorum mystagoge simulachrorum, cur me insidiosis tuis & vxoris lachrymis studes abducere à confessione in Christum? Cur autem defles Polyeuctum, cum teipsum multo magis deflere & lugere oporteat, propterea ꝙ cum principibus qui sunt ad tempus seruieris, igni sis æterno tradendus. Et hæc quidem dixit socero Felici. Postq̃ autem vidit vxorem quoq; suam Paulinam miserabiliter lachrymantem, & dicentem Quid tibi accidit ò Polyeucte? Qũo autem fraude es inductus vt duodecim Deos nostros confringeres? eam suauiter irridens sanctus, Si solus, inquit, ego duodecim Deos tuos vici & cõtriui: ecce Deorum es omnino egena. Adesdum ergo, inquit, Paulina, & faciam vt verum Deum cognoscas. quem ipsa stude diligenter adorare, & hac breui vita æternam commutare. Cum hæc sic dicerentur, & multi infideles per ipsum ad fidem in Christum conuertentur: & omnes persecutores simul congregarentur, & partim quidem promissis, partim verò etiam minis sanctum studerent in contrariam traducere sententiam: qm̃ nulla via & rõne id effici poterat, nec eius rei vlla erat spes reliqua, fertur in eum sñia vt ense statim mortem subeat.

Cùm autem ei iã res fuisset aperta, erat videre Polyeuctum, nihil mœstum, nihil triste, nihil omnino quod esset effœminati & pusilli animi, aut dicentem, aut pati præ se ferentem. quod quidem accidisset alicui aliĳ qui ab hac iucunda luce & vita separaretur. Imo verò tanq̃ ex tenebris & afflictione ad gloriam transiret & delitias, magnam ostendebat lætitiam & animi alacritatem, vt qui iam frui inciperet ea quæ est illic beatitudine Nam iis quoq; qui aderant affirmabat se quendam accedentem videre adolescentem & cum eloquentem, & omnibus modis efficiẽtem vt obliuisceretur omnium terrenorum. Sed quis ò diuine Polyeucte, hoc vel tui solum laudandum assumens, te dignam possit laudem contexere? Nã cum iam esses consummandus, & per sacrum tuum sanguinem, diuinum baptismum & in Christo signaculum accepturus. O' generosam animã, ò mentem firmam & stabilem & à mendacio alienam. ne sic amicitiæ Nearchi es oblitus. sed eum aspiciens, Vale, inquit, Nearche. & pactorum conuentorum recordare. Hanc cum tu vir fortis vocem, tanq̃ vltimum aliquod donum, amico reliquisses, ad ensem processisti, & per eum illatã mortem prompto & alacri animo subiisti.

Cum sic autem fuisset consummatus Polyeuctus, pretiosum quidem eius corpus, qui ex fratribus erant studiosiores, deposuerunt in Melitene ciuitate Armeniæ, ęternam hæreditatem sic sibi acquirentes. Fuit autem dies quartus qui vidit finem Polyeucti & corporis depositionem. Inseruiit autem hic quoq; Nearchus, qui accepto sanguine Martyris, cum eũ in nitido imposuisset linteo, portauit in ciuitatem Canangotarum, donans eis arma salutis, & verè beatam hæreditatem. ἡμερῶν τετρὰς

Hæc gesta sunt tempore Decĳ & Valeriani in prima Orientis persecutione Nam fuit quidem primò martyr Hierosolymis sacratissimus Stephanus. Secundo autem Philoromus in Alexandria ciuitate Ægypti. & tertio D. Polyeuctus in Melitine Armeniæ IIII. Idus Ianuarĳ. Is sępe se magnam curam 2 gerere Christianorum, etiam post mortem, non leuiter & obscure sed apertè & euidenter ostendit. Quidni enim hoc faceret, qui talis erat, & genus illinc ducebat, & eiusdem fuerat sodalitatis, nobi-

2 *Ecce quomodo sancti post mortem nostri curam gerunt.*

lium inquam & illustrium ex fide in Christum. qui sequebantur quidem Marcum Imperatorem bellum gerentem aduersus Barbaros. aquæ autem penuria laborabat Romanorum exercitus. tristisq; erat Imperator, cum hostes quidem valde inualescerent, sitis autem inter cætera nostros vexaret. Ii autem Christi fortes milites qui tandem implebant legionem quam hic venerandus Martyr, cū se separassent, & procul ab exercitu remouissent manus quidem pias ad Deum tollunt, piam quæ ab eis honorabatur fidem acerrimè proferentes. Rogant autem Dei miserationes vt eos benignis oculis aspicerent, & hanc soluerent necessitatem quæ opprimebat multitudinem. Cum illi sic orassent, suis non sunt fraudati precibus. Nondum enim precationibus finem imposuerant, & densa nubes cœlum subiens, aërem quidem impleuit tonitru: fulgura autem elisa micabant: & multa erupit pluuia. adeò vt dum sic ferrentur fulmina & imbres, recreati quidem sint Christiani, plurimi autem barbari interierint, & ex eo sit legio nuncupata κεραυνοβόλος, idest, fulminum iaculatrix, huc usq; cognita ex hac magni miraculi effectione, ad gloriam Patris & filij & Spiritus sancti, vnius & consubstantialis diuinitatis. Cui conuenit oīs gloria, honor & adoratio, nunc & in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI *Marciani Presbyteri qui fuit Oeconomus magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ.*

Ianua. 10.

SVNT quidem multa quoq; alia quæ hanc regiā exornant ciuitatem, Imperatorum sedes & opes, & omne genus pulchritudo, situsq; & magnitudo, & mœnia quæ sunt hostili manu potentiam: Nihil autem ei affert ęquè magnum decus & ornamentum atque vita virorum bonorum & virtutis amantium. Ii enim maiorem quidem afferunt delectationem & maiorem etiā admirationem: quinetiam maiorem pariunt vtilitatem. Propterea maior est gloria ciuitatis, ornari potius viris piis & religiosis, q̄ murorum propugnaculis. Atque ea quidem multos viros tulit præclaros, qui eam decorant variis virtutis ornamētis. Ex quibus si quis primos accuratè elegerit, & iis vitam Marciani conferre, vel etiam præferre voluerit, is mihi non videatur à recto excidere iudicio. Quòd autem sit nō mala de eo nostra sed recta sñia, ipse, vt aiunt, ostendet: eritq; procedens fide digna orō.

Hic ergo Marcianus, floruit quidem tempore eius cui fuit idem nomē, nempe Marciani, qui tunc erat Dominus Romani Imperij. Patriam aūt suam veterem Romam ab alto repetens à parentibus. (illi enim ex ea profecti, in hanc Constantini ciuitatem quæ erat recentior migrarunt:) consequenter erat & illustri natus genere insigniq; opibus & dignitate, & quod nobilitatem referebat ad splendorem imperatorium. Tanta aūt gloria insignes nactus parentes, pietate autem & religione longe insigniores, ipse quoq; educatur liberaliter, & eruditionem pulchrè docetur, nostrā inquam & externam. Deinde sicut Moses quoq; ad Ægyptios, ita etiā Marcianus optime vētitat ad Byzantinos. & ad maiorem & perfectiorem

rem sapientiam, eam, inquam, quæ est ex spiritu, conuertitur. Qua quidē ex re & vitæ splendor & sermonis gratia illi accedens nomen ei peperit, & insignem fecit inter omnes laicos: Paulopost autem etiam cooptat in clerum ecclesiæ: & cū sacris esset dignus, deducit ad gradum Sacerdotū. Qui autem ei ad hoc vim attulit, fuit huius ciuitatis Patriarcha. Nam illum quoq; cepit Siren illius virtutis. & plenæ erant aures iis qui de illo spargebatur sermonibus & laudibus. Cùm ergo gradus qui inter Sacerdotium intercedunt nihil esset quod prohiberet, sed multo magis vt ad maiora procederet inuitaret, cum omnes breui tempore peruasisset, vocante tempore refertur etiam in numerum Sacerdotum. Deinde etiā fit Oeconomus maximæ ecclesiæ communi suffragio, non vim afferens sed inuitus, & non tam honoratus quàm eos honorans qui eum prætulerant. Sed hæc quidem postea.

Modo autem cū ei admodum iuueni creditum esset Sacerdotium, & eius parentes è vita iam excessissent, & vtriusque facultates quæ erant luculentæ accepisset, eum iuuentutem quidem moderatè, Sacerdotium autem honestè, opes vero piè regere & administrare fuit cognitum. vt qui egenos suæ hæreditatis assumeret cohæredes, & eis maiori parte cederet, vel vt hoc potius dicam, cum eis quæstuosam exerceret negotiationem, & in paruis suppeditandis maxima vicissim acquireret. Atque alias quidem voluptates magno quodam & excelso animo apparuit eum despicere, & eis minimè vti. ab vno autem solo victus fuit amore, à verbis, inquam, diuinæ scripturę. & ad illa oculos perpetuo conuertebat, & eis perpetuo assidebat. quo fiebat vt nihil esset in eis adeò occultum & inuētu difficile, quod non manifestum & notum euasisset laboriosę eius diligentiæ. Ventri autem & oculis fortiter imperabat, vt qui sciret florem & robur iuuentutis per ea facile impelli ad lapsum. Sunt autem casus q ex iis oriuntur multi & difficiles. Precibus 1 autem & vigiliis se dedebat plurimum. & valde pueros edocebat, quod ad virtutis rationem attinet, non solum eos qui erant relati in numerum Sacerdotum, sed, vt semel dicam, quotquot in canicie erant pij & religiosi & curam gerebant philosophię. Illo autem suo præclaro boni & honesti amore valde quoq; amabat sacras 2 ędes Christi Martyrum, & ex eis alias quidem quæ laborabant & ruinam minabantur reficiebat: alius autem quæ nondum factæ fuerāt excitabat. Quod autem ardentissime amabat, & sui desiderij finem existimabat, hoc erat, vt præclaræ & insigni inter Martyres Anastasiæ prę-clarum templum extrueret. Laborabat autem in loco inueniendo in quo opportunissimè sacram ei ędem extrueret.

1 Precibus & uigiliis sese debebat.

2 Vides qđ ædificare seu restaurare tēpla sanctis, est opus Deo gratum & acceptū, alioqui uir iustus huic negotio non institisset.

Cū de eo autem esset sollicitus, mulier quędam quæ genus ducebat ex Syrorum Antiochia, Nico nomine, cum paulo antè coniugem amisisset, insignem domum quæ ei hæreditate obuenerat, posita autem erat in medio Constantinopolis foro, volebat vendere. vt cū eius pretium accepisset, ad sua reuerteretur. Hæc cū resciuisset hic ardens amator Martyris, & locum vidisset conuenientem, & situm esse aptum suo proposito, pro lucro rem esse ducit. & ad mulierem veniens loquitur de pretio. & numeratis bis mille aureis, persuadet ei domum vendere. Cum sic fecisset, planū erat eum iam velle opus adgredi. Sed qui bonis omnibus aduersatur, ne hic quidem ostendit se suæ artis oblitum, neque omnino cessare aut cessa-

turum esse malefacere. sed se mulieri astute insinuans, & ei grauem immittens pœnitentiam, eius mentem valide oppugnabat. tanquam aliquas machinas ei pudorem admouens. quod s. à vulgo haberetur ludibrio, quæ sic pulcherrimas consumeret possessiones. erat enim domus antiqua & magnifica, & cui longo ante tempore, magni. s. Constantini, contigisset ędificari: locari autem mercedibus & annuis pensionibus satis magnum commodum afferebat. His mulier vt mulier labefactata, contractum soluere conabatur. Marcianus autem qui nulli volebat esse molestus, nec cogere vt aliquid faceret quod nollet, suo iure cessit, & possessionem dimisit mulieri, quęrens actionis sacrum esse fundamentum: & nihil volens offerre sanctę Martyri quod non prompto & alacri daretur animo, aut quod esset coactũ. Ex hoc ergo videbatur malignus victoria potitus. sed fuit illud principium quo factum est vt maximè vinceretur. Nam Deus qui scit omnia traducere ad id quod est cōducibile, is prouidet vt huius rei exitus sit longè melior & præclarior.

Hic enim Marcianus cũ hoc amore teneretur, & aliquando versaretur in legendis orationibus eius qui & sermone & moribus & theologia prę clarissimè refulsit, sapientis inquam Gregorij, & de huius martyris tẽplo cognouisset, vt ille dicit, quod positum quidem esset in iis quæ *Domini rostra* vocabantur, erat autem tunc veluti quædam sedes Orthodoxis aduersus Arrianos. Cũ ergo cognouisset quę ille de eo templo prædixerat, » suum gregem incitans & ei addens animum. Hanc Anastasiam, hanc inquam, quæ cognomen accepit ex resurrectione, videbitis sat scio ampliorem & maiorem. Cumque didicisset non sine Dei numine nec temere prædictum fuisse à magno illo viro: etsi non magis prædictum fuisset de templo quàm de populo. & vtpote quod iis qui per illum hæc prædixisset, posset quoque verba in opus dedicere, neque reputans impensarum multitudinẽ, neque quod maior esset conatus quàm qui eius viribus conueniret, ei quę omnia potest fidei rem credens, opus cæpit vrgere. & illud quidem minus & vetus templum relinquit in priori figura: vt sic omnibus ad spectandum propositus, apertius quàm lingua prędicaret Theologi prophetiam. alterum autem ei excitat maximum & pulcherrimum, in orbem quidam variis porticibus atriisque & vestibulis, quæ vel ante templum elegantem profecerunt speciem. comprehendens. id autem veluti quandam magnam stellam vel lunam à multis iisque pulchris stellis circundatã in medio erigens. Qualis n. id complexa sit pulchritudo, colũnarum splendores, & colores, & magnitudo, 3 lapidumque fulgor, & claritas materiæ. aurum tectũ supra illustrans. & vbique picturæ, quæ artis quidem perfectione mentes obstupefaciunt, oculos autem demulcent varietate materiæ. Iam verò domum venerandæ illuminationis, aut eam quæ est constituta ad reponenda sacra vasa & donaria, quõ quis dicens non minus dixerit quàm postulet operum dignitas? Ipsorum autem vasorum multitudinem, aut materiam, aut artem qui volet oratione persequi, sciet omnino se ea solum mirari posse non lingua exprimere. Adeò sunt omnia ęquè excellentia, vt etiam si nemo prędixerit, vel ex hoc possit esse manifestum videntibus, quod ea mente diuina processerunt, & manu diuina opem ferente è superis.

3 Disce ex hoc loco tẽpla magnifica & splendida, necnon uasorum sacrorum multitudinem & pretiositatẽ quibus Deo in Ecclesiis decenter seruitur, illi placere & grata esse.

Omnibus autem conuenientibus, noui quidem templi, vt par est, encęnia 4 celebrabatur & dies quoque quo ipsa Martyr certamen con-

4 Dies consecrationis

summauit, ipso, inquam, Decembre. vocabant autem encænia & fideles Imperatores, & sacrum Senatum, & vniuersam, vt semel dicam, ciuitatem. Oportebat autem qui latebat Marcianum eo die videri qualis esset moribus, qualis virtute, & quantum se vltra mandata extendebat. Nam cum tota concurreret ciuitas, & egentes vnà cum ea quodam pacto attraherentur, pauper quidam accedens ad hunc virum egregium, ij enim exquirunt ac discunt benignas & clementes animas, non secus atque ij qui laborant medicos. accedens ergo respexit ad eius dexteram. & petiit vt acciperet aliquod medicamentum famis. Ille autem, (tunc enim nihil gestabat in sinu, sed re uera habebat intra animæ sinum benignitatem multã & clementiam,) cum remotus fuisset ab omnibus, & locum aspexisset valde latentem, nullo autem alio nisi vna tegeretur tunica, quod quidem fuit ei tota vita familiare, vt duabus non vteretur tunicis. cũ sic se haberet vir diuinus. etsi facile erat excusando egestatem, repellere supplicationem. nam q nihil portabat, testes habebat omnia intuẽtes oculos. Ille, perinde acsi non daret fieri non posset vt non Deo afferret molestiam, cum se ea ipsa qua sola indutus erat veste exuisset, dat egenti prompto & alacri animo. & de cætero habebat solam vestem sacerdotalem, & penulam quæ corpus contegebat q̃ etiam vndiquaq; contrahens, cupiebat quãtum fieri poterat latere, & id quod factum fuerat omnium celare oculos.

Ecclesiæ etiam apud antiquos erat celebris. Et dies etiam consummationis martyrum.

Postquam autem fuerunt intra ędem sacram. ei autem diuinum celebrare sacrificium iussit primus Sacerdotum: ille quidem penubam similiter contrahebat & complicabat, cupiens, vt diximus, rem latere. Qui autem aderant, & vnà cum eis Pontifex, cũ oculos in eum defixissent, vidẽt quoddam nouum & arcanum miraculum, & propemodum iis solum credibile qui aspexerunt, vident eum intus indutum eximia quadam veste regia & auro nitenti intertexta. quæ tunc etiam magis apparebat in manibus quando eos qui accedebant diuino corpore impertiebat. Hæc videntes alij quidem apud se mirabantur. alij autem aliis quoq; enuntiabant, nonnulli quidem vt admirantes, nonnulli verò, vt est verisimile, etiã inuidentes Qui etiam ad ipsum Pontificem Gennadium accedentes tanq̃ existimantes eum nescire, quæ eum scire maximè volebant ei renunciant. Deinde ei etiam conabantur detrahere. & mouebant calumnias aduersus beatam illam animam. Et ille se ipsum quoq; dicebat vidisse, modum autem ignorare, & se re uera de eo dubitare.

Postquam autem a Marciano fuit impositus finis sacrificio, eum accersit Patriarcha, & eum seorsum conueniens de veste reprehendit, dicens eam magis Imperatoribus conuenire q̃ Sacerdotibus. Ille autem magis animi dubius q̃ is qui dubitabat, procidit ad pedes illius. & in eos multas fundens lachrymas, negabat omnino id quod dictum fuerat, & dicebat deceptos fuisse eius oculos. Tale quid enim vel solum cogitasse aperta est insania. Adhæc Patriarcha, stultum enim existimabat & à ratione apertè alienum propriis non credere oculis. manu propria statim tãgens, relaxat ipse penulam simul cum veste sacerdotali. & de cætero miraculum videbatur & dicebatur. Nam illa quidem aurea quæ paulo antè videbatur tunica, nusquam erat. nudus autem sanctus videbatur sicut erat, exceptis his indumentis sacerdotalibus. nudus, inquam, qui verè aureis virtutis tunicis, quæ sub aspectum non cadunt, tegebatur. Hoc Pontificem quidem

adducit in admirationem. in admirationem autem adducit etiam Imperatores. cum iam fama ad eos peruenisset, clarum autem erigit trophęum simul & aduersus malignum & sceleratum Arrij insaniam, quæ, proh dolor, vsque ad id tempus defendebatur ab liquibus. Fidelium enim multitudo, cum miraculo ei esset veluti additus animus, & in recta esset confirmata sententia, Arrij quidē dogmata respuebat tanq̄ nugas. ipsi autem perinde ac quædam animum fluenta, prompto & alacri animo ad templum confluebant. partim quidem contemplaturi eius pulchritudinem, partim autem rectos quoq; audituri sermones. Tanta autem & tam innumerabilis confluebat multitudo, vt vel solum accessisse prope ambitus, esset præmium multorum sudorum, & à multis existimaretur dignū de quo acriter contenderent.

Conueniebāt ergo, diem vnum festum frequenti deinceps tempore celebrantes Nam ab eo quoque frequentiam fiebant miracula. Ex quibus, ne in multis dicendis immorer, aliquod vnum accipiens narrabo quod satis est & ad ostendendam magni Marciani gratiam, & q̄ hoc sacrum templum Dei voluntate factum sit. Incendium quod non multa habuit similia, exitio dabat rostra Dñi. Nam cum ignis apprehendisset loca quæ sunt ad mare boreale, totam vrbem cingebat. & sic serpens ferociter, vsq; ad mare quod est in meridie, depascebat omnia quæ intercedebāt. Consequenter ergo hanc quoque sacram ędem ignis comprehendebat impetus. Vnusquisq; ergo propriis neglectis calamitatibus, ad templum acriter procedebant, igni qui non cernebatur eorum inflammatis animis. Homo autem Dei nihil perterritus. & ne si quidem eum in orbem circunsideret ignis nihili faciens, sed fidei in Deum credens omnia cedere, sacris acceptis Euangeliis, in summum tectum ascendit. & stans in medio flammæ, & se cōuertens ad preces, Christe Deus, dicebat, Deus Patrum nostrorum, qui Abrahæ sacrificium suscepisti. & quem ei ex promissione præter spē prębuisti filium, pręter spem à cęde liberasti. qui etiam in fornace babylonio, tres pueros captiuos eo effecisti potentiores. ipse nunc quoque Dñe hanc tuam domum conserua ne lœdatur ab igne. & ne concedas vt opus tuū; quod nos multo labore & tanto perfecimus desiderio, ignis destruat. ne adhuc pergat inimicus in nos insolenter gloriari. nec ora Arrianorum qui sunt nobis propinqui nos probris appetant. sed nunc quoque ostende aliquid dignum tua benignitate & maiestate, ad gloriam tui nominis. & ad nostram qui veritati credimus gloriationem & exultationem.

5 Oratione cum lachrymis fusa, sanctus uir à sacra ade ignem repulit.

Hæc cum ille diceret, vna cū verbis effluebant 5 lachrymę, & ostendebant eum intus extabescere. Deinde cum subiunxisset Amen, videbant omnes fere qui aderant primum quidem ignem sibilantem circa totam ædem, & in illam veluti facientem impetum. Deinde verò recedentem & veluti repressum à quadā inexpugnabili & fortissima virtute. Certe hæc quoque sacra ædes, qūo diuinorum puerorum aliq̄n corpora tota illæsa, tota intacta, in tanto, ô Christe Seruator, igne est conseruata. Nec hoc solum, vt iam ante diximus, sed plurima quoque alia admirabilia in hoc tēplo ostenduntur. multa quidem & tunc per Marcianum. multa autem post illius quoque mortem. partim quidem magna inter Martyres Anastasia: partim autem ipsa quoque communi omnium regina, intemerata, inquam, Dei para 6 operante. Quæ quidem euidentissime apparens iis qui

6 Ecce quomodo sancti in uirtute Dei miracula operantur.

qui in eo sunt paulo meliores, cum figura & forma consueta, non solum in somnis sed re uera, causa est vt fugentur Dęmones, morbi & ægritudines: veneficiisq; & aliis malis medicamentum verè est inexpugnabile. Sed hæc quidem dicere certamen est non facile. & enumerare perinde est ac mare metiri cyatho.

Quòd autem non solum viui vt recte viuerent, sed etiam iam mortui vt viuerent in hoc templo acceperunt, iã volens declarare oratio, inueniat eorum qui adsunt aures paratas ad accipiendum miraculũ. Mulier quędam ex superiori porticu dexteræ partis despiciens, & plusquàm tutum esset se in altum extollens, simul & cadit exalto: & sibi quidem mortem affert, affert autem, proh dolor, mortem quoque fœtui qui in ea habitabat. Quod quidem cum vidissent diuinus Marcianus & populus, id ferre non poterant. sed in medio festo erat lamentatio & lachrymarum occasio id quod acciderat. Verumenimuero is qui est natura bonus, nõ finit diu dominari illam affectionem. sed anteq̃ è templo exirent qui congregati fuerant: Oportebat enim simul & Dei clementiæ, & in eos qui ipsum amabant gloriæ opus conspici: Cum in altum 7 manus sustulisset Marcianus, & communiter oraret tum populo, & mulier surrexit præter opinionem. & intus motus est infans admirabiliter. Sed de miraculis quidem satis sit in præsentia.

7 *Oratio cum manuũ sublenatione, & illius exauditio.*

Oportet autem omnino alia quoque templa complecti oratione quæ ille pie ac religiosæ ædificauit. Irenes, inquam, quæ est inter Martyres admirabilis. quod est ad mare positum. & eius quod est illi continens, diuini scilicet Theodori. Hoc enim templum Martyris Irenes, erat quidem in principio, neque propter magnitudinem, nec pulchritudinem, nec vllum alium ornatum aut magnificentiam dignum quod spectaretur. Sed Deo omnino curæ fuit id excitare in eam quæ nunc cernitur magnitudinem & pulchritudinem. Quamobrem Gennadio quoq; Patriarchæ diuina quædam apparet visio Dicebat autem visio, Solue hoc templum. Tempore enim tui successoris sum id rursus excitaturus. Atque ille quidem simul iussum impleuit & vitam finiit. Marcianus autem ille admirabilis, cum ad eius aures peruenisset hæc visio, atque ei etiam fuisset tradita magnæ ecclesiæ dispensatio, existimans somnium id ad se deferre, varias apud se versabat cogitationes, quonãmodo fieri posset vt ei succederet hoc opus ex sententia. Inscientibus itaque ferè omnibus cum paucis aliquot illuc venit. Deinde etiam cum ipsos iussisset recedere, iam enim erat nox, solus & 8 genu & anima Deo inclinata, vbi nunc sacra ara est posita, Deus, orabat dicens, qui execranda templa simulachrorum tuo nutu & salutari voluntate euertisti: ab eorum autem deceptione opus tuarum manuum liberasti: ædes autem sacras & 9 tẽpla sancta excitari iussisti, in quibus tu quoque semper diuina multa signa peragis, ipse nunc quoque conuenienter tuo diuino promisso ad hunc locum respice. & eum sanctifica tua ineffabili gratia & virtute. per nos Domine excitans iam tibi præcognitam domum ad tuam gloriam. ad honestam exultationem. ad multarum animarum salutem quæ tuum nomen inuocant. Certe Deus & Rex omnium, cuius voluntati cedunt omnia. & cuius verè est opus cogitatio. Cũ sic orasset, eius oculis somnum immittit Deus, & statim ei ostendit in somnis, & templi situm, & magnitudinem, & aliam omnem ædificatio-

8 *Oratio cum genuflexione.*

9 *Si præcipuum sancti huius encomium in multorum tẽplorum ædificatione & restauratione situ est, si Deus ipse sancta tẽpla excitari iussit, si semper diuina signa*

in eis peragit, unde habent hæretici q'd ædificare & restaurare templa Dei & sanctorum eius, sit opus malum, & Deo inuisum?

nem Deinde etiam diuinam tanquam in somnis audit vocem. ô Marciane, Fieri possunt omnia credenti.

Cum itaq; surrexisset, metu & gaudio plenus, accedit ad Archiepiscopum: & exponit visionem. Illius autem gratum ascensum assecutus, ad opus aggreditur, & vt prout ei ostensum fuerat ædem faceret magnificã, cum proximum mare quod tunc templi fores propemodum alluebat, labore & magnis sumptibus effodisset, templi sic iacit fundamentum. adeò vt huic quoque templo cõueniat quod dictum est. Ipse super maria fundauit eam, omnium.s opifex. Iactis autem fundamentis, reliqua quoque pergit ædificare. Magnificas enim columnas per seriem vtrinq; statuens, deinde alias iis superne imponens, effecit inferiores & superiores porticus. Deinde cum totam ædem omni ex parte comprehendisset ὑπαίθροις, ita tectum imponit, maximis id complexus trabibus. Quid autem dixerit quispiam q; sint validi parietes, q; sit amœnum pauimentum, q; sint alia omnia ornata accurrata & elegantia? Nam vbicunq; quispiam oculum defixerit, existimans se immorari in eo quod est pulcherrimũ, deinde rursus aliud attenderit. cum pœnitebit morę quã in priore traxerit. & sic omnia peruadens inueniet, cum semper id quod præcessit videatur vinci ab eo quod adest. Cuiusmodi autem inuasit quoque Dæmon, hoc præclarum opus impedire aggrediens? Nam cum duæ magnæ columnæ quæ staturæ erant ante aram venerandam, iam essent erigendæ, altera ex iis manibus hominum diu parere noluit. vixq; contineri poterat, & à statu concinno diuertebat. & instrumenta continenter dirumpebantur. iisq; qui ad hoc ministrabant defatigata iam erat industria. Tandem cum fieri posse veluti desperassent, ad sanctum vno cõsensu accedunt: & id quod factum fuerat renuntiant. Is autem non statuit se dedere otio & socordiæ. Neque verò afferendi remedij spem abiecit, respiciens imbecillitatem cogitationũ & manuum humanarum. sed spei in Deum vniuersum permittens, venit

10 ad locum. Et cum primo manus 10 extendisset, & se totum cõtendisset ad precationem, & figuram crucis signasset, increpauit Dæmonẽ qui erat causa impedimenti. Inimice, dicens, & hostis omnis boni, cessa inuidere & ea impedire quæ fiũt ad Dei gloriam. Deinde ipse quoque cum aliis manibus iam senio affectis opus vnà attingens, magnum attulit momentũ, ex spiritu potius, vt ita dicam, q; ex corpore. & protinus moueri cœpit columnæ status, & cessit manibus. Apparet autem in hodiernum vsque diem in columna miraculum, per hoc quod à recto paululum declinauerit. Hãc autem dicimus columnam quæ posita est à sinistris aræ sacræ iis qui aspiciunt ad orientem.

Oratio item cum manuum extensione et crucis signo, atque illius mira exauditio.

Sed quõ pulcherrimi quoque ab eo constructi illuminatorij, quod quidem solemus vocare baptisterium, paucis explicari quis possit pulchritudinem, quod videntibus cum admiratione magnam profundit voluptatem? Comprehensum enim est à quinque porticibus, sicut probaticam quoque aiunt piscinam quæ est in Hierusalem. Sed hic quoque maiora q; illic videntur fieri miracula. Nam in illa quidem erat qui accedebat Angelus. & vno die vnus assequebatur curationem. Hic autem nõ est seruus qui ministrat. sed aduenit quidem Dñs. Curatio autem nõ vno fit die sed assidue. & nõ solum corporum sed etiam aperte animarum. Ostendit autem diuinus Marcianus hac quoq; figura baptisterij, se vniuersum fecisse

ad formam huius quæ sermone celebratur piscine. Cũ enim tectum tholis diuisisset, & aureis lapillis quæcunq; erant illius ornasset, & ægrotorum figuras descripsit ad vnguem & ipsum etiam Christum egrotos curantẽ. vt non solum eos qui laborant, sed medicum quoque videre liceat. Optimum autem fuerit, nõ ita valde indigendo præsenti oratione, ea quę dicta sunt ipsis oculis apprehendere. Nam quæ illic sunt maiora esse exstimo quàm vt ea posimus oratione cõsequi, & quæ posit solus visus comprehendere. Quamobrem ea quidem statuo prætermittere. Quæ autem sunt his germana, & simul propinquo tempore perfecta fuere, ea dicam vtiq; . & quod iam mihi fuit in memoria, diuini Isidori templum, adhuc magis litteris memoriæ mandabo.

Cum diuinorum oratoriorum ædificationis quodam vehementissimo teneretur amore bonus re uera Marcianus, nec magnum quoque neglexit Isidorum. sed vt eius sacras afferret reliquias, & magnificentissimam ei ædẽ extrueret, magno sibi duxit studio contendendum. Nec cessabat omnem locum considerare ac cõtemplari. Et ideo adhuc quidem differebatur ædificatio. cum autem eius collegisset reliquias, & in loculo deposuisset, eas statuit in præsentia seruare in hoc templo martyris. Vbi autem breui aliquo post tempore aggressus est eas transferre, accidit ibi aliquid admirabile & arcanum. Neque enim ipse, nec alia multa manus hominum potuit thecam 11 amplius mouere. Diuinam ergo aliquam rem esse arbitratus, & cum alioqui ei in somnis ipse significasset Martyr, se loco delectari, nec; velle hinc suas transferri reliquias, deinceps parens visioni, construxit hanc ædem quæ sita est prope templum Martyris Irenes. Quod hæc ędes autẽ sit grata Martyri, per multa hoc signa significat, euidenter apparẽs, & magna miracula assidue 12 efficiẽs & à Dæmonibus quidem liberans eos qui ab eis detinentur. naufragis autem fluctus sedans & ventorum sæuitiam increpans. eos qui molestia afficiuntur consolans. & tristitiæ causas eis adimens & alioqui ægrotantibus aut egentibus ea quæ sunt grauia cessare faciens, & quæ bona sunt præbens. Hæc cum magnus perfecisset Marcianus, & his veluti aliis muris aureis, ornatus gratia & securitatis, ciuitatem decorasset, dissoluit vitam in profunda senectute, priusquam maximo templo Irenes celebraret encænia. hoc veluti excedenti appositum quidpiam elocutus Hęc ambo in manus tuas cõmendo Domine, nempe animam quam ipse creasti, & templum quod ego tua voluntate construxi: Quę cum dixisset, decesit, decimo mensis Ianua.

11 Nota mira de sacris martyris reliquiis.

12 Vide quot miracula sanctus Dei efficiat.

Concurrit autem 13 vniuersa ciuitas deductura reliquias, ipseq; qui tunc erat Pontifex, & quicunq; erant sortis ecclesiasticæ. & multitudo Monachorũ. & cœtus honestarum mulierũ. & ex magistratibus. quotquot erant pij ac religiosi. Atque sacras quidem eius reliquias Ioannis Baptistæ monasterium, quod etiam dicitur Danielis, suscipit quod situm est prope diuinũ templum præclari Martyris Mocij. quod ipsum quoq; fuit opus illius manus, vel, vt verius dicam, propositi. Quo quidẽ in loco in hodiernum vsque diem præclare & piè eius memoria celebratur. Ædis autem magnæ Irenes quam ipse fuerat fabricatus, maxime pia Verina, ea autem erat vxor magni Leonis, curam suscipit. Quę quidem quę ei ad ornamentum deerant implet diligentissime: auroq; tectum ornat magnifice: Hęc autem declarat quę illic est inscriptio. Tẽpli vero encęnia quo-

13 Par est ut sancti & Deo dicati uiri magnificum & gloriosam sepulturam habeant.

14 tannis 14 peraguntur vicesimo Ianuarij. Quo tempore magnus quoq; est concursus multitudinis: & frequens in ore omnium decãtãtur Marcianus. tanq̃ illius filios, hæc duo templa vidente multitudine, & eius memoriam per ea renouante. adeò vt nonnulli inter se lepide dicant cum voluptate. Ecce hæc quoque est alia filia magni Marciani, pulchritudine & magnificentia soror magnæ Anastasiæ. Quod certe ille quidem ipse solũmodo de diuina dixit Anastasia, quemadmodum censuerit quispiam esse prætermittendum? Nam cum quidam ex eius familiaribus magnam miraretur impensam, Si desponsurus essem, inquit ille, meam filiam, non quæ ad eius decorem pertinerent & ornatum, statuerem mihi esse præbẽda quam possem magnificentissime? Nunc autem cum impensas statuerimus facere in templum sponsæ Christi, & sponsæ adeò pulchræ, & quæ pro ipso sanguinem non parsit fundere: non longe amplius & alacrius sumus sumptus facturi, nullumq́; ornamentum speciemq́; & elegantiam prætermissuri. Tam splendidus & magnificus erat Marcianus in iis quæ Deo grata erant operibus: neque vllis parcebat sumptibus.

Templi dedicationis anniuersaria etiam apud antiquos quotannis celebrãtur, sicut & modo fit.

Etenim non harum solum fuit conditor, sed multarum quoque aliarũ ædium non tantum se præstitit opificem, verum etiam refectorem atque reparatorem. Vt magni quoq; Martyris Theodori qui fuit in Tænaro: & Stratonici Martyris qui fuit Rhegij. Et quod est magis admirabile cũ in sacris ædibus eius esset manus tam liberalis, ea erat multo magis profusa in cura gerenda pauperum. Quod quidem nunc vult cursim persequi oratio. adeò vt non solum manifesta fieret illius in egenos benignitas, sed hæc ipsa quoque beneficentia qualibus donis dignaretur illius amatores. Noctu vir ille admirabilis obiens plateas & ciuitatis angi portus, huius quoque curam gerebat, Sicubi inuenisset 15 mortuum præ nimia paupertate abiectum, & cuius nemo curam gereret. & quem talem vidisset, tanq̃ magnum aliquod lucrum assecutus, eum lubenter videbat. cumq́; eum diligenter lauisset & induisset, & alia iusta pro more ei fecisset, deinde etiam mortuum tanq̃ viuum alloquebatur, Agedum, dicens, sis quoque nobiscum particeps eius quæ est in Christo charitatis. Quæ cũ sic diceret, habebat eum qui iacebat audientem. Surgebat enim, ô miraculum quod verbis non potest explicari, & bonum amplectebatur Marcianum, curã quæ eius gerebatur, non illum, sed Christum potius ostendens suscipere. Deinde sic mortuus rursus erat mortuus: & talis videbatur ab iis qui erant superstites. Hoc autem fuit alias quoque cognitum: sed ex hoc euasit manifestius.

15 *Discis ex his q̃ hic dicuntur, sepelire mortuos esse opus pium & Deo placere. Discis cõsuetudinem lauandi corpora defunctorum post mortẽ, illaq́; induendi esse antiquissimam.*

Media nocte qñ maxime putabat fore vt à nemine videretur, ventitabat ad quendam Argentarium sibi familiarem, vt aurum permutaret. & accipiens multum minutæ monetæ æneæ vt haberet quod posset distribuere pauperibus, statim reuertebatur. Argentarius autem accipiens noctẽ intempestiuam ad lucri occasionem, iniqua trutina põderabat aureos. Ille autem nihil contradicens, nec omnino accurate considerans, aperte ostendebat se omnia permittere conscientiæ eius qui ponderabat. Cum autem hoc sæpe fieret, & Marcianus simulans se non intelligere, nequaquam insimularet argentarium, eum magna subiit admiratio. & simul tempus considerans, nempe medium noctis, ad meliorem venit considerationem: cœpitq́; suspicari id quod erat veritati propius & Marciani vitæ conue-

nientius,

nientius. Vnum certe ex suis pueris iussit eum sequi egredientem, vt sciret quidnam ab eo illa minuta fieret pecunia. Neque enim ab argentario cognoscebatur Marcianus, vt qui aptè vultum celaret, qũ ad ipsum ingrediebatur vt illam minutam acciperet pecuniam. Atque puer quidem sequebatur. Postquam autem incidit vir diuinus in quendam pauperem mortuum in lecto iacentem, & acceptum ex quadam cauponis domuncula lauit, 16 & induit, & cum surrexisset est amplexus, & eo deinde 16 reclinato rursus abiit: puerum cũ hæc vidisset horror inuasit. & conuersus, *Mortuũ Marcianus lauit & induit.* q; citissimè fieri potuit, omnia declarat ei qui illum miserat. Illum autem subiit pœnitentia eorum quæ fecerat: & q; se iniquissimè in sanctum gesserat deflebat, & pœnas sumebat de sua conscientia. Certe cum is rursus venisset vt faceret similia, procidit ei ad pedes, & cõfessus est ea quę male fecerat: & quicquid per fraudem lucratus fuerat enumerauit. Ita bona tacẽs actio plura potest facere quam verborum multitudo. & quibus nihil prosunt reprehensiones & suasiones, iis opus laudabile procedens silentio, & latenter transmissum ad eorum conscientiã, meliores reddidit, & effecit vt bonum sua sponte discerent. Diuinus autem Marcianus cum dixisset se fuisse nulla affectum iniuria, ab eo quod dabatur & eo quia dabat se deinceps abstinuit. non tanquam improbum aliquem auersans. illi enim non solum ignouit: sed etiam professus est se eum habere amicissimum. sed toto pede fugiebat crambem ex vana gloria pro serpentem. & nõ volens sua alicui homini fieri manifesta: sed ea apud Deum solum reponens. Licet ergo ei qui velit, considerare, quidnam prius possit admirari, insigne ne miraculum, an beneficentiæ studium an in vniuersa machinatione eius animi libertatẽ. Verumenimuero de illius beneficentia oratio aliud quoque bonum mihi reuocat in memoriam.

Hęc virtus ei tantæ erat curæ, vt propter eam ne in meretricum quidẽ domos venire dedignaretur: neque eam rem esse turpem existimaret. sed ad illum ipsum quem diligebat Christum aspiciens tanquam ad exẽplar, qui cum Publicanis & peccatoribus propter eorum salutem sæpe habuit consuetudinem: & malis suaderet mulieribus quæ erant salutaria. quibus nonnunq; inopia erat causa sui interitus, dum vellẽt, proh dolor, suo corpore quæstum facere. In eas ergo magis erat profusus & dextera magis promptus Optimus Marcianus. & maxime si contigisset festum agi die sequenti. Tũc enim erat paratus plura eis præbere q; illæ erant accepturę ex abominanda nequitia. persuadebatq; eis & vti lauachro, & se in sequẽtem diem seruare impollutas. & ad ecclesiam deinde accedere, & recordãtes eorum quæ præcesserant, horribilis gehennæ metum sibi incutere, & Deum placare lachrymis. Quod quidem cum sæpe factum esset, nõnullas boni vincebat consuetudo. diuinusq; eis ingruens metus efficiebat vt non solum stupris sed omni etiam ornamento vale dicentes, ad monasteria & asceteria, id est loca in quibus se exercerent, prompto & alacri venirent animo. Multæ quoque ex iis statuerunt ire Hierosolyma, cum ab illo accepissent sumptus qui sufficerent ad viaticum. Quæ cum vitam maxime puram & priori ex diametro oppositam ostendissent, ne boni quidem spiritus donorum fuere expertes. sed aliæ quidem ex ipsis morbos soluerunt oratione. aliæ autem Dęmones quoq;, quos prius diligenter coluerant, facile eiecerunt ex hominibus. Hęc ille, non vt faceret aliquis ex iis qui ma-

gnis affluunt opibus, id quod redundat exinaniens, sed propter magnum quod egentibus afferebat auxilium, ne ipsis quidem parcens necessariis. Sed nonnunquam cum oīa etiam extulisset & erogasset quæ habebat in manibus, sibi solam spem bonam & ad Dei solum manus aspicere relinquebat. adeò vt cum aliis quæ habebat bonis, etiam quod ad nihil possidendum attinet, primas partes nulli cederet.

Huius autem quod dico signum est. Dicitur enim quod à festo sanctorum reuertens aliquñ: nam nec iis, nec Dñi quę fit in medio multorum laudationi deerat, diuini cultus & religionis gratia. Reuertēs ergo, qm̄ pluuiā erumpere contigerat, madefactus & domum ingressus, cum se inclusisset & vestem exuisset, paucis exiccabat carbonibus. Accidit autem vt Dei amantissimus Pontifex tunc eum accerseret. Qui autem missi fuerant cum domum inuenissent clausam, pulsabant ostium, & iubebant egredi. Illum vero pudor ne nudus videretur cogebat intus manere, qm̄ ne alia quidem ei vestis aderat, vt posset indutus progredi. Et ideo renuntiauit quidem se vēturum. sed tamen adhuc differebat. donec vnus ex iis qui aderant se gerens paulo curiosius, cum vni foramini oculum admouisset, & contemplatus esset id quod fiebat, & ipse repletus fuit admiratione, & effecit vt aliis vteretur huius rei testibus dum suis cernerent oculis. Postquam itaque id quod visum fuerat omnes obstupefecisset, reuersi sunt & Patriarchæ cū admiratione omnia aperuere. Illi autem non modo venit in mentem admirari, sed potius eos increpare, quod ex adeò paruis statuerint magnum iudicare Marcianum. cum liceret ex multis aliis & quæ nullus posset alius facile efficere. illum existimare admirandum & beatum.

Quanta autem fuerit ex æquo omnium in hunc magnum reuerentia, populi, inquam, & Senatus, & ipsius Imperatoris testatur quidem fama, testantur autem etiam qui tunc fuere potentissimi Aspar & Ardaburius. Qui etsi essent mala opinione prediti, & iis qui recte sentiebant inimicissimi, diuinum tamen Marcianum ne facile quidem intueri poterant, insignē eius virtutem reuerentes, & ideo illi magnum honorem tribuebant. & tēplum magnæ Anastasiæ quod ab illo fuerat conditum, pretiosis vasis ex

17 auro 17 & argento factis decorauerunt. Ille autem donum remunerans, decreuit vt diebus solemnibus patria eorum lingua, Gothi enim erāt, diuinitus inspiratæ scripturæ in eo templo legerentur. Sed Byzantinis quidem erat Marcianus adeò venerandus. Vocabat autem fama eas quoque quæ procul sitæ erant ciuitates. & vndique confluebant, alij quidem percepturi 18 peccatorum curationem. alij verò morborum. & nec deerant

18 quidem qui à Roma veteri veniebant. Inter quos aliquo quoque quod factum est dignum memoratu, non par esse arbitror fraudare vestras aures.

Quędam enim mulier laborans diuturno fluxu sanguinis, adeò grauiter, vt omnis medicina, quod ad eā attinebat, vanum existimaretur. studium & superuacaneum. Ea Roma relicta, eam enim vocabant diuina signa Marciani quę canebātur ab omnibus, peruenit Constantinopolim. Neque verò eam tantum iter confecisse pœnituit, vt quę tanta vexatione nihil dignum cōsecuta sit. sed simul & ad iustum accessit Marcianum & morbum significauit, curata est mulier. Talis enim fuit hic vir diuinus, vt nec tactu quidem sæpe, sed sola precatione & nudo aspectu liberaret eos qui accedebant & ei exhibebant negotium. Tātus quidem fuit Mar-

17 Ecce quomodo illo etiam tempore in sacris ædibus utebātur vasis aureis & argenteis.

18 vides quomodo sanctorum pcibus ciuitatum crimina diluuntur, & morbi curātur? Vides quòd ad illorum ueneran das memorias lōgæ peregrinationes assumuntur?

cianus miraculis. Talis autem iis quoque quæ recte & ex virtute gesta sunt, conuenienter diuinæ promissioni quæ dicit, Eos qui me glorificant glorificabo. Cuius intercessionibus 19 nobis concedatur illius esse bonorum participes. In Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potẽtia Nunc & in secula seculorum. Amen.

19 *Ergo sancti pro nobis intercedunt.*

VITA SANCTI PATRIS nostri Theodosij Cœnobiarchæ.

Ianua. 11.

INTER tempora quidem ver est iucundissimum. inter stellas aũt Sol est pulcherrimus. inter vitas autem optima quoq; est vita magni Theodosii. Theodosii inquã, q nomen non solum esse nomen ostendit, sed id ad rerũ perduxit veritatem, vt qui verè conspectus sit hominibus θεοῦδόχος, id est donum Dei, & vniuersæ vitæ quæ virtutis amore tenetur exemplar commune. Qua quidem de causa cum iustius fuerit nuncupare Cœnobiarcham, q̃ q cœnobio præfuerit. Nam hoc quidem est magis eius proprium: alterum verò multorum quoque aliorum. & hoc quidem ostẽdit imperij beatitudinem, sicut re uera fuit. Alterum autem finem habet incertum & nondum manifestum euentum. Is autem quisnam fuerit ab initio, & ex quibusnam ortus sit parentibus, & quemadmodum ad spiritalia aggressus sit certamina, prius oportet persequi. deinde verò dicere de eius monasterio quod ab omni lingua communiter decantatur. & de aliis rebus illius dicere pro viribus nec aures grauando immoderata oratione: neq; rursus nimia breuitate, in iis quæ sunt opportuna, dando damnum egregiis animis.

Beatum Theodosium tulit quidam vicus nomine Magariassus, situs in regione Cappadocum. qui tunc quidem erat multis ignotus & obscurus: nunc autem ferè omnibus propter ipsum cognitus. Oportebat enim eum esse potius causam 1 splendoris patriæ & parentibus, q̃ illa vitæ Theodosii decus afferre & gloriam. Erant autem ei parentes & vero Dei cultu religiosi, moribusq; pij & Deo grati. qui vel ex ipsis nominibus bonam vitam & mores ingenuos optime significabãt, Vocabatur enim Pater quidem Proæresius, Eulogia aũt, quę eum genuerat. Quæ quidem postea quoq; vitam amplexa monasticam, vt quę boni huius instituti occasionem inuenisset ex bona vita filij carissimi, eum patrem habuit spiritalem cuius ipsa fuerat mater secundum carnem. pro carnali generatione recte accipiens spiritalem regenerationẽ. Et si difficile est filio dignas gratias referre parentibus, qui vt si sunt auctores: cur non hic quoque est superior, qui fuit causa matri vt bene esset?

1 *Sanctorum ortũ ciuitates & uici illustrantur.*

Ex his ergo ille ortus, generosa & beata planta pie ac religiose nutritur & augetur simul in corporea & spiritali ætate, & qũo omnino oportebat eum qui ex talibus quidem esset natus, & talis quoque esset euasurus. Cũ autem eam iam attingeret ætatem quæ prouidet & discernit, statim ostẽdit ad quænam esset eius propensus animus. non amans pecunias, nõ corpora, quæ quidẽ sunt exultationes & germina non generosæ & non recte eductæ iuuentutis, tanq̃ equi qui freno minime assueuit, & terræ cui non obtigere manus & labores agricolæ. sed vitæ philosophicæ amorem par-

turiens: & loca sancta videre cupiens, in quibus omnium opifex & Deus, toti mundo salutares sustinuit passiones. has ipsas Christi vtiq; reueritus passiones, si illas ipse tam parui faceret, vt propter corporis laborem cedens otio ac socordiæ, ad sancta illa loca nõ veniret. præterea autem volens etiam accipere solitudinem adiutricem egregiam ad philosophiam, & amplecti vitam planè solitariam & quietam. Non enim cupiebat nomen quod eã quæ est in rebus mentitur veritatem. Quænam autem fuerit ei occasio huius peregrinationis vult iam persequi oratio.

Dexter erat ad diuinas legendas scripturas preclarus Theodosius, si vllus alius. lubenter enim audiebatur. non solum q̃ hac in re pulchre esset eruditus: sed etiam q̃ acre iniiceret omnibus desiderium, & ex motũ moderatione, & verecundia qua nihil aliud magis decet iuuenes. Propterea ergo ei mandatum fuerat vt sacros libros, legeret populo. Quos quidem concinne & numerose legens, cum aliquando quidem audiret Deum Abrahæ præcipientem vt exiret è terra & cognatione: Aliquã autem & patriæ, derelictionem, & domus, & parentum, & fratrum, quę fit propter ipsum, iis qui sic fecerunt esse causam vitæ æternæ. Hæc legens, & ea quæ sunt his similia, & in mentis sinus immittens, ita vt par erat accendebatur animo, & sequendi Christum magno tenebatur desiderio, per viam angustam & asperam. Cumq; has assidue versaret animo cogitationes, [illegible] fundit quæ vitæ pulcherrimæ fuere procœmium. Deduc me Domine, [illegible] cens in via tua. & ambulabo in veritate tua. Deinde diligenti studio [illegible] viam quę ducit Hierosolyma, illo quidem tempore quo Marcianus Imperator erat in vitæ occasu: Calchedonensis autem synodus (eam autem esse quartam & sanctam cognoscimus) congregabatur aduersus Nestorium & alios Hæreticos.

Cum autem iam venisset Antiochiam omni ex parte bonus Theodosius, non statuit oportere eam transire, nisi ad insignẽ Symeonem, Symeonem inquam stylitem, id est in columna stantẽ, prius veniret, & eius vultum contemplaretur: & sermones audiret: & ex his veluti viæ solatium caperet: orationisq; & benedictionis eius esset particeps, quæ simul & virtutis viam quam habebat in animo, & eam quæ cernebatur leuem facilemq; redderet. Cũ ad eum autem abiret, statim non contemnendum nec leue signũ accipit illius apud Deum fiduciæ & familiaritatis priusq̃ ad sacram accederet colũnam & vocem emitteret, ipse desuper illum audiens clamantem & ipsum nominatim vocantem. Vox autem ita habebat. Bene venisti homo Dei Theodosi. Illi autem obstupefactus, & ei genu inclinat, & se humi prosternit. gloriosiorem appellationem specie humiliore respondens. Deinde ad ipsum lætus ascendit cum ille iussisset, & amplectentem est complexus. hoc quoq; magni faciens membra attingere venerabilia. & illius complexum suscipiens tanq̃ diuinum aliquod signaculum, confirmantem ei gressus ad virtutem. Ille autem ei omnia diuinissime prædixit, & qualemnam sit huius viæ finem inuenturus, & cuinam sit gregi postea præfuturus. & q̃ multas pecudes ratione præditas abrepturus sit à lupo qui percipitur intelligentia. & alia quæ paulopost finem singula accepere. quæ etiam per vnumquodque tempus procedens dicet oratio.

His ergo adhuc magis animo confirmatus, cum preces admirabilis

Symeonis

Symeonis tanq̃ duces quasdam & custodes accepisset, alacrius q̃ prius iter persequebatur. & peruenit ad sanctam ciuitatem, cum Iuuenali tunc esset commissus Archiepiscopatus Hierosolymorum. Cũ autem totum illum diuinum locum obiisset, & sancta sanctè 2 adorasset, apud se in animo versabat qũo inciperet philosophari. & vtrum ex duobus vitæ institutis eligeret. id'ne quod est planè solitarium & quod non habet aliquam cum vllo consuetudinem, an quod agitur cum aliis piis & qui eũdem scopum persequuntur. Cæterum separatim silere & quietem agere non probauit in præsentia, id nequaquam tutum esse iudicans ei qui nondum esset expertus per se luctari cum spiritibus nequitiæ. Si enim ex iis qui in mundo militant, nemo, inquit, est tam inuicta audacia, & tam insigni stultitia, vt si sit planè rudis & in re militari omnino inexercitatus, à linea in medios statim hostes irruat: quomodo ego cui manus non sunt eruditæ ad prælium, nec digiti ad bellum. neque superna sum accinctus potentia. idq; cũ sit conflictus longè periculosior, aduersus principatus. aduersus potestates. aduersus mundi principes tenebrarum huius seculi. aduersus spiritalia nequitiæ, possem in acie consistere? Restat ergo vt cũ ego à sanctis Patribus didicerim, qui se in his prius rectè exercuerunt, & satis ab eis fuerim institutus ad decertandum contra hostes qui percipiuntur intelligentia, deinde in tempore percipiam fructus qui colliguntur ex quiete & silentio.

2 *Ecce peregrinationẽ ad Hierosolymam, & sanctorum locorũ adorationem contra hæreticos.*

Hæc cũ sapientissimè cogitasset, erat enim ei inter alia perfecta quoq; intelligentia, statim se conuertit ad eos quærẽdos qui bonum cum labore meditantur vt qui sciret q̃ patiendo tutius docetur & discitur. Longino itaq; beato Seni, qui erant excellentissimus patrum sui temporis, seipsum tradit: vndiq; cum eo & degit & habitat, illius moribus admodum delectatus. & ideo totus ei veluti inhærens, & vt dicam cũ diuino Dauide, anima post eum agglutinatus. Nam cum quo quis versari delectatur, talis etiam esse creditur. & id pulchrè dicitur ab antiquis. Admirabilis autem hic Longinus se in quadam domũcula turris diuini Dauid, hoc enim perhibet longi temporis traditio. incluserat, & illic dulce mel virtutis laboriose conficiebat. Apud quem cum omnes sensus pius Theodosius ita vt oportebat exercuisset, & in iis quæ sunt expetenda & fugienda discernendis summè elaborasset, in veterem sedem, eum enim locum ita vocant, est autem in via publica quæ tendit versus Bethleem, commigrat. inuitus quidem, sed cedens paternę voluntati, cui potius q̃ sibi ipsi morem gerebat. Quænam autem fuit causa migrationis? Mulier quædam admodũ pia & honesta, nomine Icelia, diues facultatibus, sed virtute ditior. Ea cũ aliquo quidem prius cohabitauit. Postea autem Christi fit ministra propter pietatem. Etenim templum quoq; quod illic est dicitur posuisse omnium Dominæ & Deiparæ. Cũ ea ergo tũc seni magnopere supplicasset, vt in templo quod ipsa condiderat collocaret Theodosium: ille quidem paret inuitus. persuadet autem multo magis nolenti Theodosio vt admittat translationem. Cui enim iucundum erat simul habitare, consequẽs est vt ei quoq; molesta fuerit separatio. maximè cum beatus Theodosius mallet parere q̃ imperare. sicut declarabit oratio.

Cũ itaq; persuasus & translatus esset, & diuinum illud templum habitasset, eius deinde fama ad omnes peruadente, solet enim virtus nõ mi-

nus eum qui poſsidet oſtendere, quàm eum qui illam fert lucerna, non ferens illic verſari diutius, tranſit in hunc ſacrum montem & hanc ſpeluncam, ex qua facit ille vnam ſolam eam quæ eſt ad Deum tranſitionem, illic relicto corpore. Tribus autem de cauſis pie fit eius in montem translatio. Primum quidem vt præfecturam tanquam magnum aliquod onus fugeret, quam illi erant impoſituri Patres, vel potius eius virtus eximia. Secundo vt loci quoque translationem ad excelſioris vitæ inſtitutum translationem efficeret. hominum ſolitudinem multiplices virtutis fructus producere arbitrans. Tertio autem quod non à ſe ſed à Deo motus fuerit, vt ei Chriſti phalanx ducenda committeretur. vbi tot militum, vel fortiſsimorum potius hominum millia, erat cōi Domino oblaturus. Sic ergo pia mente commotus accedit ad verticem montis: & in hac ſpelunca perpetuo habitat, quæ etiam hucuſque eius ſacris 3 diues eſt reliquiis.

3 *Quæ eius ſacris diues eſt reliquiis.*

Quædam autem fama ab alto à patribus tradita ad nos vſque peruenit, quæ dicit fideles illos Magos qui Bethleem venerunt ab Oriente, cum Deo qui ex ſuperna ſpecula in Occidentem huius mundi venerat, aurum thus & myrrham pie admodum obtuliſſent, Deinde ab Angelo reſponſum accepiſſent, ne eandem viam rurſus inirent, ſed per aliam potius redirent in ſuam regionem: Hos, inquam, dicit Magos in hac ſpelunca in reditu fuiſſe diuerſatos. cumque hic noctu dormiiſſent, mane ingreſſos eſſe viam quæ ducebat in patriam. Et tale quidem eſt id quod dicitur. Et fortaſſe eam nulla labefactat improbabilitas. Nam primum quidem cum ſtatuiſſent ingredi iter per Hieroſolyma, non eſt admodum facile vt ij alia ex Bethleem domum reuerterentur. Sicut etiam nunc videmus eos qui à Bethleem, vel ab ea quæ eſt circūcirca regione tranſeunt, per hanc proficiſci. Præterea autem multa ex iis quæ olim quidem facta ſunt, ſita autem non ſunt in diuina 4 ſcriptura, ſola ſcriptis non mandata traditio, efficit vt in hodiernum vſque diem pro certis habeantur. Qualia ſunt ea quæ dicuntur de loco cranij, quæ ſunt, inquam, tractata à magno Baſilio. Ille enim dicit in quadam ſua oratione (oportet enim ea tanquam condimentum aliquod addere orationi) non ſcriptam nobis exponens traditionē, Adam, inquit, primus noſter parens in hoc qui nunc dicitur cranij loco dicitur eſſe ſepultus. vbi meus quoque Chriſtus pro nobis crucem & mortem ſuſcepit, propter eam quæ verbis explicari non poteſt benignitatem. Et hæc quidem ſic.

4 *Habes hic traditiones ſine ſcripto quæ pro certis habentur in Eccleſia.*

Sapiens autem Theodoſius cum fuiſſet in hoc loco, & ſemper cuperet excelſiora, diuino Apoſtolo ſibi veluti exemplari propoſito, euaſit illius imitator. omnia quidem ſacra amans mandata ſimiliter: præcipuè autem captus amore diuinæ dilectionis. Eius enim ſuaui iaculo ſic erat illius ſauciata anima, & ita eius inſolubilibus aſtringebatur vinculis, vt excelſum illud & diuinum præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, reipſa ab eo impleretur. quod quidem non aliter fieri potuerit, niſi omnes naturales animæ facultates ad nihil aliud quod adſit contendant niſi ad ſolū Creatoris deſiderium. Has, inquam, intelligentes animæ operationes, vt qui muſicæ eſſet peritus pius Theodoſius, concinne & numeroſe mouens ad ea quæ oportet, & quā & quantum oportet, & vt par eſt vnamquāque coniungens, omnium harmoniarum numeroſiſsimam & iucundiſsimam efficit

ſuæ vitę temperaturam. vnum ſolum ſcopum ſibi proponens, vt ex Deo à ſe omnia fierent, & nihil ab eo diſſentiret aut diſcreparet.

Quis enim in iis quæ pro Deo ſuſcipiuntur periculis ęquè excelſi & fortis animi viſus eſt atque ille qui neque vincebatur à minis potentiorū, neque illiciebatur inducebatúrve blanditiis. qn̄ de Deo fortaſſe, ſed non ex Deo erat quod iubebatur. Sed de ea re quidem differatur oratio. Quis autem ſignificauit iudicare cordis cogitationes, & accuratè eas examinare, & maligni noſſe artes, quæ ſuffurantur per dexteras, ſicut ille? Quis ſic animam quidem comprimere, ſpiritum autem conterere, omnem aūt intelligentiam & altitudinem deprimere quæ extollitur aduerſus Dei cognitionem? & vt ſemel dicam, Qūo quis res illius imitatus fuerit, quæ ne dignè quidem laudare potuerit: ieiunij 5 conſtantiam. vigilandi perſeuerantiam. orandi aſsiduitatem, pulchrum pſalmodię ordinem. oculorū in lachrymas innatam profuſionem, vt prius ſpes eſſet ſiſti perennia fluuiorum fluenta, q̄ fontes illius lachrymarum. per totas noctes ſtationē. illa quæ occulte ſuſpendebantur, propter quæ, eo q̄ in ſomnum difflueret & reſolueretur, dolor incumbebat in inguinem. humilitatem ſpiritus. manſuetudinem. animum vt plurimum cogitabundum & attentum. acre ingenium, & quod admodū facile recta ad cœlos vſq; volebat. Hęc optare quidem poſſunt etiam alij: ſunt autem ad imitandum omnino difficilia.

5 *Ecce ſancti patris ſancta exercitia.*

Quis ventri ita imperauit, aut eam abſtinentiæ legibus magis habuit obedientem? Qui ea vtebatur non ſecus ac ancilla, cibum ſumente qn̄ ipſe iuberet. Sumente autem cibum non quantum ipſe vellet, ſed quantum ſufficeret ad continendum vinculū naturalis coniunctionis. Alimentū 6 autem erat fructus palmæ, aut paucæ ſiliquæ. aut legumen aliquod aqua madefactum aut etiam quæ ex agreſtibus herbis erant eſculentæ. Quòd ſi horum quoq; quæ dicta ſunt erat penuria propter ſummam ſolitudinis inopiam, oſſa dactylorum madefacta erant illi lautum & ſplendidum nutrimentum, propter neceſsitatem, & famis ſcitum ſolatium. Perpetuis autem triginta annis 7 panis nihil guſtauit penitus. Sed etſi ita parcè et ſtricte ſe gerebat in iis quæ pertinebant ad vſum corporis, non ita tn̄ ſe habebat in iis quę pertinebant ad animam. ſed illam contrà abunde & copioſe noctu diuq; alebat. vt qui in lege Domini quotidie meditaretur, & ſacris eloquiis aſsidue rigaretur. Quo factum eſt vt viſum ſit tanq̄ lignū quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum. & fructum dedit in tempore iucundiſsimum & copioſiſsimum. Atq; corporis quidem in iuuentute ad libidines incitationem ſic pulchre effecit conquieſcere. Hanc autem abſtinentiæ legem non ſtatuit ſimul abiicere cum flore iuuentutis. neque eam repulit tanquam adhuc inutilem &, minimè neceſſariam. ſed conſeruauit vſque ad profundiſsimam ſenectutem, augens & non remittens. & non ſecus ac quendam ſocium nauigationis qui vna nauigauit in hyeme & tempeſtate, multorumq; laborum & ęrumnarum fuit particeps, cū iam fuerit in portu erubeſcens amandare.

6 *Vide miram ſancti uiri abſtinētiam & uictus auſteritatem.*

7 *Panis per triginta annos nihil guſtauit. O miram & inauditam abſtinentiā.*

Amplectebatur itaq; labores ſicut alij voluptates. remiſsiones aūt & delitias repellebat vt hoſtes. cum longa conſuetudo ei talem impreſsiſſet habitum. His non ſecus ac ſtella iucundiſsima ſplendidiſsimè ac pulcherrimè micans radiis, iam etiam procul apparebat. Nam ciuitatem quoq; ſitam ſupra montē eſt celari difficile. Ergo nec latuit, etiamſi illud ipſum

perpetuò suderet. Cùm non lateret autem, consentaneum erat omnino vt boni & honesti studiosas animas ad se traheret, non secus ac magnes ferrum. aut potius vt bonas quasdam apes iucundum illud mel virtutis. Ad illum itaq; iam ventitabant quidam ex iis qui erant amatores virtutis. & mallebant cum eo incolere solitudinem, q̄ cum Imperatoribus præclaras ciuitates. Qui vim afferentes, vix quidem, sed tñ persuadent, ne sua solum consideraret, sed ea etiam quæ sunt proximorum: & eius quæ est ex Deo vita eum accipiunt veluti Pædotribam. Et tunc quidem sex vel septem numero erant chorus qui erat circa ipsum. Cùm autem sciret ille magnus, iis qui ex Deo viuere elegerint, nihil ęque conducere ad parandam virtutem & ad partam conseruãdam, ac mortis memoriam, quę etiam vera philosophia & dicitur & creditur, quid facit? Sepulchrũ iam construere his suis iubet Discipulis. simul quidem vt eis esset monimentũ finis sicut etiam vocatur: & sic eos magis excitaret ad decertandum, & diligẽtius stimularet ad virtutem: & simul etiam vt mortuos acciperet: Quinetiam ille ex futuris aliquid præuidens & præsagiens, iam enim hęc charismata & gradus attigerat in luce gratiæ lucem videns. Quid autem erat quod præsagiebat iam declarare aggreditur oratio.

Paratum enim erat sepulchrum. & adstabat quidem ipse desuper. Discipuli autem ipsum circũsistebant. Ille autem acuto mentis oculo intuens id quod erat euenturum, sic lepide dicit eos aspiciens. Sepulchrum quidem est paratum. Quisnam autem ex vobis est encęnia eius celebraturus? Et ille quidem sic, lepidæ & vrbanæ orationi miscens seria. Solebat enim ipse quoq; inter alia tempus nosse, austeritatemq; & tristitiam gratia moderata soluere. Quidam autem Basilius, dignitate quidem Sacerdos. propter rerum autem bonarum desiderium, expressos apertè seruans paternos characteres: & eum qui ipsum genuerat spiritaliter, non minus referentes similitudine virtutis, q̄ carnales patres, ĳ qui ex illis nati sunt. & alioqui sciens quęstionem non frustra dictam esse propositã à magistros primus arripiẽs sermonem, erat prompto & alacri animo ad mortem eligendam, tanq̄ rem non repudiandam sed valde vilem & conducibilem. Protinus ergo genibus flexis cũ se humi proiecisset, Benedic mihi, inquit, Pater. Ego autem, inquit, huius sepulchri primus celebrabo encęnia. Hic ergo petiit: ille verò dedit. Et ipsum quidem habuit sepulchrũ. Iubet autem pater omnia ipsi fieri quæ lex vult fieri mortuis, 8 tertianas inquam, & nouenas, & consequenter etiam quadragenas. Cum aũt iam finem acceperent quadragenæ, O' q̃uo explicauerit oratio id quod est valde quidem verum, sed est valde creditu difficile, propterea q̄ modum exuperat. Basilius neq; à febre arreptus, nec capitis dolore vexatus, nec vllum dolorem sentiens in vlla parte corporis, tanq̄ molli quodam & suaue somno sopitus, excessit ad Dñm, præmium virtutis, & q̄ prompto & alacri animo illinc transire voluerit. quod quidem aperte significauit eum eorum quæ hic sunt nequaquam affici voluptate: vt qui primus vt ante Deum sisteretur, & primus coronaretur tulerit. adeò vt ipse hac in re laudem Magistri superauerit, nisi forte nimis videatur curiosum id quod dictum est. siquidem magna res est Dei facies benigne & beneuole aspiciens.

8 *vides tertianas, nouenas & quadragenas q̃ ex usu Eccle. mortuis fiũt, esse antiquissimas, nõ autẽ recentiorum clericorum aut monachorũ inuentum?*

His sic perfectis miraculum consecutum est miraculum. Quadraginta enim

enim deinceps dies, in canticis vespertinis inter sacrum chorum discipulorum hic diuinus quoq; stans Basilius & vnà cantans videbatur & audiebatur à magno Theodosio. Et ex aliis quidem nullus alius neque vocem audiebat, neq; illius formam cernebat. Solus autem quidam Aëtius, vir qui ipse quoq; Magistri sequebatur vestigia. & volebat esse discipulus Theodosii. non ex eo solum q̃ res illius & sciret & narraret, sed cum etiam imitaretur, ipsum quidem videre non poterat, sed vocem audiebat. Rogauit autem Magistrum an ipse mortui quoque vocem audiret. Ille verò dixit se & videre & audire. & si vellet se ei esse ostensurum eo tempore quo apparuerit. Atq; nox quidem successit, & peragebatur conuentus. & homo Dei rursus planè videbat Basilium, cum iis qui stabant & canebant simul stãtem & canentem. eumq; digito ostendens Ætio, preces quoq; addidit, Aperi Domine, dicens, huius quoq; oculos. & vident hoc quoq; magnum tuorum operum mysterium. Cum is autem statim vidisset & agnouisset, atque etiam accurrisset, & præ desiderio eum complecti voluisset, Basilius non solum apprehendi non potuit, sed etiam euanuit, cum dixisset aliis audientibus. Salui estote ò patres & fratres, Salui estote, me aũt de cętero non videbitis amplius. Quãobrem id quod à xp̃o dictum fuit in Euangeliis. Qui credit in me, etiã si mortuus fuerit, viuet, ,, ostendit id quod factum fuit, esse verissimum & fide dignissimum.

Hoc fuit primum testimonium virtutis Theodosii. Secundum autem mea iam vult persequi oratio, quod priori nullo modo est inferius. Dies 9 erat festus & festorum omnium primus & præcipuus. ipsum, inquam, Pascha, mei Christi, vel mea potius resurrectio & reformatio. Sacræ aũt noctis aderat quidem vespera. iis autem qui ad eũ ventitabant nihil erat ex iis quæ sunt ad vescendum necessaria. non panis. non oleum. non aliqd aliud ex iis quæ sunt esculenta. Atq; chorus quidem Discipulorum ægre ferebat vt est verisimile, qui iam erant numero duodecim. ægreferebat autem non pro se tm̃. sed q̃ cum non adesset panis qui offerretur ad 10 sacrificium, erat eis futurum pascha absq; sacrificio & absq; corpore Xp̃i dies festus celebrandus. circunsistentes itaq; aduersus Magistrum murmurabant, cum causam rationi cõsentaneam veluti ex re cepissent. Ille vero cum tantum dixisset, Parari oportet sacram mensam. reliquorum autem, inquit, nihil vlli curæ sit. Nam qui olim tot Israëlis millia in solitudine, deinde etiam non paruam multitudinem aluit ad satietatem, hic ipse nostri quoq; curam gerens, nec est viribus imbecillior, nec ad prouidendum debilior. Hæc ille quidem dixit. sed quemadmodum ei verba effectum sunt quamprimum consecuta, nec spe fraudauerint Discipulos, iamiam dicet oratio. Q̃uo enim olim ouis in planta Sabec adfuit parata ad holocaustum: ita etiam hinc quoq; beato, Sole iam terram relinquente, accedit per malorum. per quos afferebatur sarcina variorum alimentorum conuenientium hominibus qui se exercent. & nec aberat quidem ipse sacræ mensæ qui videtur & intelligẽtia percipitur panis: sed erat vna cum aliis. Propter quod magis lętati sunt Theodosii quidem Discipuli, Christi autem cultores. Et hoc quidem donum, fuit donum illius precum, quod non ex cœlo descenderat vt prius manna: sed ex terra scaturierat nutibus cœlestibus: & aluit non solum sensiliter sed etiam spiritaliter, quod ad panẽ quidem attinet qui fuit oblatus sanctificationibus. Sic ergo cum simul

9 *Sanctum Pascha festorum præcipuum.*

10 *Necessario ex hoc loco colligis Missam esse sacrificium, nam statim de Christi corpore subdit, quod ex panis substantia in Missa conficitur.*

terreſtribus bonis & cœleſtibus ſe iucunde ſatiaſſent, q apud ipſum erant, vſque ad ſanctam Pentecoſtem, paulatim diſcebant qualis eſſet illorum Doctor. Et hoc quidem ita ſe habuit.

Quod autem conſequitur, illius dico eſſe fraternum, & ſimilis fidei & ſpei lœtum germaniſsimum. Vir quidam cuius erant magnæ opes bonis autem operibus laudem aſſequi ſtatuerat, ſuas facultates diſtribuebat in benedictionibus & pecuniæ materiam efficiebat animæ ſalutarem. Is, inquam, cum omnibus aliis & præcipue iis qui viuebant ex Chriſto, & ſe à mundo remouere, ad Deum autem propè accedere rectè cogitabant, dextera apparuiſſet iucundiſsima, vt diuina dicit ſcriptura. aut rurſus vt cùm ſcriptura magis dicam, Ortus eis non concluſus, & fons conſpectus eſſet non ſignatus, ſolis Theodoſii Diſcipulis, per obliuionem aut ignorationem non impertiit beneficentiam aut forte etiam Deo in his ſanctũ probante, aut glorificante. Atq; Diſcipuli quidem accedentes ei exhibebant moleſtiam, vt & ſe & illos manifeſtos redderet diuiſori. & magno ſtudio inſtabant, neque enim ſe habere quo deinceps alantur. qui paucas quidem habebant ſiliquas. & cũ eæ nõ nunquam deficerent, ea quæ reſtabant oſſa coquebant, vt iam dictum eſt, & eis vtebantur ad famis ſolatiũ. Sic ergo illi hominem qui ſemper latere ſtuduerat, manifeſtum fieri cogebant propter puſillum ſuum & abiectum animum. & eũ qui ad Deum oculos conuertere conſueuerat, vrgebant vt turpiter manus porrigeret hominibus, relicta manu quę eſt aperta, & implet omne animal benedictione. vt qui eam eſſe anguſtam vel parcam ac ſordidam iudicaſſet in pñtia. Atque illi quidẽ erant triſtes. Is verò eos ſenſim admouens, Quis, aiebat, ex iis qui in Deo confiſi ſunt omnino eſt derelictus? Aut quis qui ipſum ad finem vſque ſuſtinuit, non accepit conſolationem? Qui inebriat oẽm ſitientem animam. Hæc nobiſcum dicat diuinus Hieremias. Et omnem eſurientem implet animam. Qui præparat coruis cibũ & pullis coruorũ. Vt Iob quoq; & diuinum Dauid introducam ſimul loquentes. Cognoſcamus quantum intereſt inter humanum ſtudium & diuinam prouidentiam quę pertingit vſque ad extrema: & ſciemus quemadmodum iis etiã quæ propter Chriſtum lubenter reliquimus, diuina rurſus prouidentia abunde & copioſè fruimur.

Hæc dixit, & paulopoſt apparuit quidam ducens animal onuſtum. Ibat autem non ad magni Theodoſii monaſterium. ſed ſcopus quidem erat ei id tranſire: onus autem in aliquo alio loco deponere. Poſtquã vero fuit iam prope monaſterium, vel inuitum virum ſcitit iumentum. cumq; ei flagello multas plagas incuteret, illud erat immobile nõ ſecus ac ſi eſſet ſaxum. Cum homo ergo rectè exiſtimaſſet id non fieri ſine Dei numine, mox conuerſo ordine animali vtebatur tanq̃ duce. & laxato freno ei permittebat ire quo eũ ferret impetus. Cũ homo ſic feciſſet, animal confeſtim nuſquam quidem alio, ſed perinde ac ſi aliquis frenum cum à nemine videri poſſet traheret & dirigeret, recta vadit ad monaſterium. Quo cum vir eſſet ingreſſus, & inopiam quę eos vrgebat maxima didiciſſet, & Dei prouidentiæ arcanum eſſet admiratus, quemadmodum. ſ. effeciſſet vt inopiæ moleſtia eis eſſet occaſio coronarum, & vt ipſe eam ſolueret moleſtiam: & quod ea de cauſa non parebat animal, eum diuina vocante prouidentia ad alendas animas quæ Deo quidem miniſtrabant, miniſtrantis

autem corporis laborabant imbecillitate. Hæc cũ ille didicisset, duplum præbuit eius eleemosynæ quam primus diuisor dederat. De cætero ergo eius Discipuli cessantes ei exhibere molestiam & esse pusillo & abiecto animo, studebant potius eum imitari, beatumq́; eum ducebant propter firmam spem & fidem in Deum. Sed hæc quidem huc usque.

Qm̃ autem ei quotidie accedebant Discipuli: Fontes enim illius gratiarum vocabant bonas & virtutis studiosas animas. Ceruas rationis cõpotes dixerit aliquis aquas amantes spiritales. Aliiq́; plurimi accesserũt, & non pauci ex iis quorum magna erat auctoritas & opes. Et iam magnus quidem erat numerus Discipulorum, spelunca autem exigua & planè minor q̃ vt eos posset capere: ipsi autem accedens sollicitabant vt excitaret monasterium: & ampliorem eis faceret mandram omnium spiritalium. dicentes nihil oportere eum curare sumptus faciendos ad ędificationem. Nam & sumptu, aiebant, qui ad eam sufficit, manus, & manu nobis ea animus largior. Sic cum maiori gregi cogeretur præesse vere bonus Pastor, dici non potest quantis iactaretur curis, & q̃; variis distraheretur cogitationibus. Qñ enim ad bonum quietis & silentij respiciebat, & ad puram & tranquillam mentem, ab hac chara quiete tanq̃ à matre se auelli dolebat. Quando autem considerabat curam esse gerendam eorũ qui ventitabant, & non oportere sibi soli viuere. sed multo magis etiam proximis. & eius rei ipsum Dominum fuisse nobis ab initio exẽplar propositum. qui & sibi congregauit discipulos, & conspectus est pastor ouiũ rationis compotum, & pro eis emisit animam.

Hæc ergo quando per otium considerabat, & in contrariam partem trahebatur animus. neque sciebat cuinam purè adhæreret. Nam quietis quidem & silentij fructus non ignorabat. Rursus autem sciebat quinam essent fructus curæ quæ gereretur fratrum. & ideo vtrisque adhærebat, & neutrius erat penitus. & ab vtroque recedebat. & cum ambobus rursus conueniebat. Quid ergo facit? Deo permittit vniuersum, qui vel solus potest miscere quæ misceri non possunt. & illius auxilio credit posse fieri vt & conseruetur bonum quietis & silentij, & non priuetur mercede præfecturæ. Non enim in eo q; sit corpus solitarium, sed in eo q; sit cor bene cõpositum & tranquillum, vitam rectè geri monasticam, vt à diuino Dauid est definitum. Certe etiamsi ita se haberet, iudicium tñ Deo permittit: & ei supplicat, Si omnino ei gratus esset conatus, ei enim in mente versabatur quod olim diuinus Symeon de eo p̃dixerat. Si ergo omnino Deo placeret, vt hoc signo declararet, & locum apertè indicaret in quo erat monasterij iacturus fundamenta.

Cũ ergo in manus sumpsisset thuribulum & implesset carbonibus, & deinde absque igne imposuisset suffitum, peruasit solitudinem, labris preces decantans. Preces autem ita habebant. O' Deus qui per multa & magna miracula fecisti Israelem fidelem. qui famulo tuo Mosi multis & variis prodigiis persuasisti vt eos regendi onus subiret. & virgam quidem in serpentem, in alborem autem leprosam manum mutasti. & deinde ei rursus priorem restituisti colorem. Qui aquã quidem mutas in sanginem: ipsum autem rursus facile in aquam restituis. Qui Gedeoni signum victoriæ vellus exhibes & quæ ad vllus pertinent. Qui omnia fabricaris & continens. Qui Ezechię vmbræ graduum retro reuersione descripsisti

vitæ additamentum. Qui etiam Eliæ preces prius exaudiisti, ignemq; de cœlo demisisti. & propter eorum qui se impie gerebant ad te conuersionem, ligna & holocausta & aquam vnà cũ ipsis lapidibus combusisti, ipse etiam nunc es Dñe, ipse quoq; exaudi me seruum tuum. & ostende vbi tibi placeat vt templum quidem tuæ potentiæ, tuis autem seruis & meis discipulis habitaculum ędificem. ostendes autem omnino vbi iubebis accendi hos carbones. ad gloriam quidem tuã, multorum autem agnitionem, & veritatis confirmationem. Hæc & his similia decantans, obibat loca quæ nouerat aliis aptiora.

Cũ autem solitudinis multam terram peruasisset vsque ad locũ qui dicitur Cutilla & ripas lacus Asphaltidis, sic mortuis & minimè ignitis carbonibus: cum vidit eos minimè accendi, neque conatũ ei ex animi sententia succedere, constituit reuerti. Cũ hoc autem fecisset, & parum esset remotus à spelunca, ò quis tuam digne laudarit potentiam ò Rex immortalis, fumus repente ascendit ex carbonibus, fumus bene olens, cum ignis modo ineffabili percurrisset carbones, & eos latenter suscitasset. Cũ itaq; ignis melius q̃ lingua locum significasset, & iacta sunt fundamenta, & templum extructum est, & ædificatum est monasterium, vel, vt melius dicam, virtutum habitaculum, aut tabernaculum in terra quod est re uera terra superius & cœleste: quod quidem est & magnitudine maximum. vt quod paulatim creuerit iis quę factæ sunt accersionibus: & abũdat bonis omnibus, non iis solis quæ sunt ex spiritu & virtute, sed iis etiã quæ sunt ad vsum corporis. Nam eis quoq; erat illis opus cum essent homines. non lautis quidem & superuacaneis, sed quorũ est necessarius vsus & ineuitabilis. Qũo enim in præclara ciuitate & populo frequenti, ita etiam hic quoque licet videre omne genus artium officinas, quæ communi fraternitatis omnia præbent citra laborem, & ab externis quæ eos auellant curis liberant.

11 *Vide quid dicat de hoc monasterio. Comprimant ergo linguã maledici nostri tpis.*

Iam verò habitationum varietas & diuersitas quemnam oculũ quidem non mouet ad contemplandum, quamnam autem non linguam ad laudandum? Quam enim omnino animam, aut quod, corpus eorum qui diuersantur non curat? Hæc est Monachorum. illa eorum qui promiscue vitam agunt. alia egenorum alia eorum qui alias peregrinantur. Et vt in summa dicam, vnicuiq; eorum qui accedunt, & locus quo excipiantur, & modus quo curentur, alius alÿ est attributus. Vnũ est quod ex æquo omnibus exhibetur, nempe summo hospitÿ hilaritas & benignitas. Cæterum pauperum quidem magnam curam gerebat Theodosius. quorum ille egestatem vincens suppeditatione, eam rursus habebat voluntate inferiorem. qũo etiam voluntatem semper victam à liberalitate & munificentia spiritus. vt paulo pòst ostendetur. Hoc autem est ipsis rebus consentaneum & valde consequens. Si enim ipse cum esset homo, studebat hominum egentium superare cupiditates voluntatis magnitudine: quomodo non humana rursus voluntatis superanda erat ab opibus diuinis & benignitate?

Cum autem in omnes qui egestate premebãtur ita esset misericors, eius magis augebatur misericordia in eos in quibus rursus erat malũ grauius, & cum egestate erat pręterea morbus, aut membrorum mutilatio, eaq; sacra quod est grauissimum, excruciãs. Ea ratione erat etiam oculus quidem

dem cæcorum. pes verò claudorum. indumentum autem nudorum. eorũ qui tecto carebant tegumentum. ægrotorũ medicus, largitor, administer, famulus. omnibus omnia factus propter excellentem benignitatem. sanguinem abluens. vulnera mundans. labra admouens labris eorum quorũ erat caro mutila. & ita eos sapienter consolans, & persuadens vt moderate ferrent calamitatem, cum scirent eos qui sapiunt non modo ipsos auersari, sed eos potius beatos ducere & amplecti. Non autem se superbe et inhumane gerens, vt complures. quos cũ oporteret miserendo fratrum in eos benignitatem exercere & clementiam, Illi, ò inhumanitatem, adeo sunt elati & sublimis animi, aut vt verius dicam, nimis sui amantes, & tam pusilli & abiecti animi, vt non solum eos non admittant, sed eos etiã videre nõ inducant in animum. perinde acsi nolint meminisse neque omnino scire, ꝙ ipsis quoque sunt carnes subiectæ talibus affectionibus. Sed non sic hic beatus. sed fuit magno sicut diximus, & generoso animo. Et sunt huius quidem rei multi oculi testes. maxime autem ex iis qui hoc ministerium vna cum eo obibant. qui cum primo hãc insignem benignitatem & commiserationem similiter atque alij auersarentur, illius deinde egregiam reueriti moderationem, persuasi fuerunt recte sapere, & vt par est imbecillitatem humanam & humilitatem.

Quamobrem si quis eum dixerit communem portum, & communẽ medicinæ officinam. communem domum, commune penatium, recte dixerit & congruenter veritati. ægrotantium. æsurientium. algentium. peregrinantium. Eorum enim omnium ea quam par erat cura ab eo gerebatur. Qui autem contemneretur aut despiceretur propterea ꝙ esset vilis & humilis, si quæsiuisses, illic inuenisses neminem. sed propter hoc ipsum ꝙ esset, inquam, vilis & minimus, maiorem consequeretur curationem. qm̃ Christus quoque est inter minimos, & quæ sunt illorum aperte sibi tribuit. Quare eorũ qui expellerentur nulla illic habebatur oratio. Nullus despiciebatur: Nullusq́; indignus reputabatur commiseratione. Quod quidem Patrum quoque nonnullis non est admodum facile seruare in filios. Sed aliis quidem vestes quoque dabãtur, quibus iis erat opus. omnibus autem similiter dabantur alimenta. Atque meminerunt quidem qui ad hæc ministrabant, se vno die plusquam cẽtum mensas parasse. Et humanus quidem misericordiæ fons erat huiusmodi, & tam abunde scaturiens. Dei autem fons qualis? Num est manifestum ꝙ multis atque adeo infinitis partibus superabat? Nunc autem declarabit oratio quibusnam indiciis. & finem imponet ei quod est pollicita.

Castigabat aliqñ terram Deus, castigabat autem fame. erat autem nõ breuis aliqua fames. neque in hos quidem dominabatur, in alios verò nõ. sed ex æquo omnes inuaserat flagellum. Cum sic autem affligerentur homines vt eorum quæ scelerate fecerant pœnas darent, malorum enim studiorum hæc esse fructum dicit diuinus Micheas: & adesset dies festus palmarum, 12 quo pauperum & agrestium multitudo, festi accepta occasione in eo loco versabatur, iam hoc quidem pro more facientes, sed tunc magis à fame iussi. Qui itaq; ad parandum prandium inseruiebant, ad tantam caligantes multitudinẽ, conabantur quibusdam libris & trutinis alimentũ distribuere, vt hac accurata subtiliq́; ratione & parcitate posset pluribus alimentum sufficere. Põdus autem eis ad libram, vt dixerit qui-

12 *Dies festus Palmarum.*

ſpiam vtens lingua Romanorum, redibat. Accedens autem magnus ille Theodoſius, cum id quod fiebat viſu apprehendiſſet, & à magna multitudine vim afferri ianuis, & idem quod Iob didiciſſet ſentire: & diceret. Foris non diuerſabatur hoſpes, & patebat oſtiũ omni viatori, iubet portas aperiri, & permittere vt omnes volẽtes poſſent ingredi: & hominibus menſas cõſuetas apponere quas difficile erat vel numerare non ſolum eos cibo ſatiare. Quicunq; ergo ei erant inſeruituri, qñ ad ſolam tantummodo aſpiciebant multitudinem, non credebant, tantum abeſt vt aliquid facerent, propterea ꝙ modum iuſſus exuperabat. Poſtquam autem aſpexerunt ad virtutem & gratiam eius qui iubebat, ab humanis deſtiterunt, & altius aſpexerunt, & portas ſtatim aperuerunt & lubenter admiſerunt eos qui veniebant. & deinde etiam parandis menſis dabant operam: & hilariter ea etiam apponebant quæ habebãt. Quid ergo Deus admirabilium? Rurſus quoque ſuffecit ad paucis alendam magnam multitudinem: ſicut etiam prius quinque panibus quinque millia. Simul ergo & eorũ impleti ſunt ventres, & arcæ panariæ oſtendebantur plenæ panibus. & illi quidẽ exiſtimabant fore vt omnia deficerent. eæ verò erant plenæ, & plura tenebant quam præbuerant. & per orationem veluti ad replendos ventres pauperum plurimum fructum produxerãt. Sic pro eius propoſito Deus ipſum eſt remuneratus, & pro eis beneficentia in pauperes. non ſolum abunde deſuper pluens propter eius munificam voluntatem: ſed etiam efficiens vt vir ille in admiratione haberetur & celebraretur, propterea ꝙ ſit minime falſum promiſſum. Promiſit enim eos glorificare qui eum

13 ſciunt glorificare 13 per opera.

Vides quod Dei uerá glorificatio ſit per opera?

Poſt hoc autem aliud quoque dicatur quod eſt ſimilis munificẽtiæ & virtutis in faciẽdo miraculo. Rurſus erat dies feſtus, & feſtus virginis Dei matris. in quo, propterea ꝙ erat valde inſignis ac ſolemnis, tam magna conuenerant multitudo (oportebat enim & feſti cauſa eſſe multos celebraturos, & eius qui feſti celebritatem peragebat, dexteram, aut vt potius dicam propoſitum, habere etiam conuenienter multos qui alerentur) vt ne ſufficerent quidẽ ad faciendum accũbere eos qui accedebant illi quibus hoc commiſſum fuerat. tantum abeſt vt haberent quod ſatis eſſet ad eos alendos. niſi in vna menſa oporteret vnum panem apponere. Qui autem arcas panarias ante impleuerat Dñs, larga & copioſa dextera. quæ aperitur & nutrit quidquid ab ipſa eſt creatum, is tunc quoque menſas impleuit, vel vt potius dicam, ventres. adeò vt cum innumerabilis ille hominũ conuentus fuiſſet plenus ad ſatietatem, tot eſſent ſportæ reliquiarum, vt ipſi quoque qui accubuerant multa domum tulerint, & iis qui ſeruiebant, ex iis ſint opiparæ poſtea menſæ appoſitæ. Videntur autem hæc eſſe difficilia non ſolum ad imitandum ſed etiam ad laudandum, & ad recte explicandum oratione. Quis enim adhuc videns Ægyptios confluentes ad magni Theodoſii monaſterium, non exiſtimauerit vel puteos eſſe tantæ multitudini defecturos ad ſolum potum? Illi autem ita ad ſatietatem fruuntur appoſitis, vt iis etiam qui poſt ipſos veniebant ſufficerent quæ remanſerant ad ſecundum conuiuium. Quis ergo videns quæ in hodiernũ vſque diem fiunt in ſolitudine, nõ ſtatim eſt habiturus fide dignum teſtimonium, ꝙ qui per Moſem in ſolitudine mirabile prius pluit Hebræis

14 nutrimentum, hic ipſe nũc quoq; per Theodoſium (etenim in 14 Chri-

Nota duo, & ſanctos

ſto viuere creditur) hoc quoque magnum & diuinum efficit. & tot viris nutrimētum copioſe ſuppeditat? Propterea ergo multos quoque videris ad hunc locum feſtinantes,hūc ipſum reuera eſſe illum exiſtimantes. propter quem Seruator & quinque prius panes benedixit, & tot hominum millia aluit ad ſatietatem. Sed hęc quidem ita ſe habent. Nobis autem redeundum eſt ad ea quæ conſequuntur.

non recte dici emortuos, cum Christo uiuunt, & quod Deus per illos uirtutes operatur.

Qm̄ enim præcipuum indicium charitatis in proximum, eſt cura quæ geritur ægrotorum. quæ etiam maxime nouit purgare patibilem noſtræ animę facultatem. qm̄ non ſufficit ad perfectionem fratrem nutrire eſurientem, & potum dare ſitiēti, eumq́ qui eſt hoſpes & nudus in domum introducere & complecti. ſed oportet præterea eius etiam cum mutuo quodam ſenſu miſereri. vt non ſit ſolummodo bonum, ſed etiam bene fiat, ex animæ. ſ. affectione. vt non manu ſolum verum etiā anima oſtendat miſericordiam. Qualis autem ille eſſet in ea re, iam vult declarare oratio. Cū tres domos ædificaſſet: vnam quidem iis qui propter Chriſtum erant ſeiuncti, & toti mundo crucifixi, tribuit ad curā corporis in infirmitatibus. Deinde duas permiſit iis qui in mundo viuebant & verſabātur. & ex iis ipſis, vnam quidem iis qui erant inſigniores & honeſtiores: alteram vero iis qui erāt viliores & pauperiores, & qui opus habebāt alterius auxilio. Quinetiam ſuis Monachis, quorum propter ſenium & labores longæ exercitationis ſoluta erat vis membrorum (Oportebat enim ne hoc quidem effugere Theodoſi ſolicitudinem) iis cum in loco ſeparato aptum extruxiſſet gerocomium, id eis permiſit ad recreationem diuturnæ afflictionis. tanquam bonis viatoribus longa via & aſpera defeſſis accommodatum diuerſorium. Præterea autem aliud quoque ab eo cōſtructum eſt noſocomium nempe ad opera cōmiſerationis vere miſericordi & clementi animæ, quod etiam erat donum mulieris verè honeſtę moribusq́ piæ & religioſæ. quæ quidem eius admirans bonitatem, domumq́ & ſeipſam cum filiis ei largitur. mundo quidem renūcians, Deo autem totam ſeipſam permittens & volens vt ſui filij ſub illo viuerent.

Quinetiam quod maius eſt ſignum clementiæ & benignitatis: Quicunq́ in montibus & ſpeluncis degere quidem propter Chriſtum ſed non ex Chriſto elegerant, inconſiderato & non ſtabili calore ſecuti exercitationem. & humanæ quidem imbecillitatis, & Chriſti verborum q́ abſque illo nihil poſſumus facere, obliti: inani faſtu & vana perſuaſi arrogantia, & quæ recte geſſerant miſeri ſibi adſcribentes, ò meà mala, ò grandem inſolentiam vel potius amentiā. Quid enim boni fecerit humana natura, tuo ò Seruator, nudata auxilio? qui me doces per linguam Prophetę dicentem. Remiſi manus, & aruerūt. & facti ſunt tāquam fœnum ſiccum „
ſuper domos, tanq̄ gramen: Quid verò per hæc ſignificat? Quòd amiſſo „
flore virtutis, quem qui tuam habent manum opem ferentem, amplexi ſunt, deinde exiccati defectu tuæ pinguedinis, dedecus deformitatis miſerabiliter induerunt. Qui ergo ſic ſtulte ſenſerat, & ideo traditi erant Satanæ ad interitum carnis, vt ait Paulus, vt ſaluus fiat ſpiritus, aut alioqui „
mente erant læſi & male affecti, & pœnas dederant in eo quod peccauerant. vt diſcerēt cum in honore eſſent effecti rationis compotes, intelligere ac noſcere opificem & auxiliatorem. & nō eſſe ingrati in eum qui eis dederat gratiam: ij experti ſunt eum valde benignum & paterne in ipſos ſe

gerentem. Pro eis enim accendebatur tanquam pro filiis propriis. & alioqui beneuole in eos afficiebatur. cumque eis cōstituisset locum quietum & tranquillum, permisit vt in eo agerent. vt esset ei quodammodo alterum monasterium, & ob multitudinem eorum qui erant congregati, & ob ordinem ministerij, & ob statum eorum qui ministrabant, & obsumptum eorum quæ suppeditabantur. Magis ergo quam aliorum, homo Dei, sicut diximus, vincebatur ipsorum commiseratione. & in eis recreandis magnam adhibebat curam & diligentiam. & eos consolabatur verbis aptis ad persuadendam tolerantiam.

Nequaquam ò filij, dicens, nequaquam resoluamini & eneruemini hac temporali afflictione. Neque hoc vobis videatur optandum, à Deo omnino non corrigi. In laboribus enim, inquit, & in flagellis castigare Hierusalem. Sic dicit Deus per Hieremiam. Anima mea nunquam à te deficiat. Castigat enim, sed benigne. & castigat omnem filium quem recipit, possum dicere ex diuina scriptura. adeò vt disciplina eius & castigatio nō sit iræ sed dilectionis ad correctionem peccatorum. inducta propter benignitatem. Bonum est ergo ò fratres, & valde bonum cum hic spiritaliter castigati fuerimus, illic Dominicas plagas non experiri. & cum hic ad tēpus afflicti fuerimus, quæ finem non habent tormenta effugere. Hic enim nihil pati longe est grauius quam pati, & excedere è vita absque tentationibus, vt cuius non fuerit purgata materia peccatorum multis afflictionibus. quod est apertum indicium terribilium afflictionum. & nothorū potius quam germanorum filiorum signum euidens. Quanque ne illud quidem omnino conturbabit animum eorum qui sapiunt. si figmenti diuini Dæmon euadit Dñs. Nam datur quidem eis potestas ab eo qui creauit tanquam quibusdam punitoribus, hei mihi, ad castigationem filiorum qui declinarunt. Datur autem quantum ille nouit sufficere castigationem, non quantum ipsi volunt. Vix enim parcerēt hominibus, qui ne brutis quidem pepercerunt, vt sacra docent euangelia. Conspiciamur ergo per hāc disciplinam sensum accipere peccatorum, & non egere aliis plagis grauioribus, quod incorrecti maneamus post plagam. Efficiamur probati per afflictionē. Quod contra nostram voluntatem est illatum, fiat etiam proprium voluntatis, in eo quod moderate feramus ea quæ cōtigerunt. & gratias agamus ei qui intulit disciplinā legibus benignitatis. Ipse percussit. & ipse nos sanabit. Et hoc habeo à Propheta. Percutiet & alligabit, & non tardabit ad curationem. Hæc dicens admirabilius Theodosius omnibus quidem procurabat consolationem, & nonnullis etiā à morbo liberationem. alios admonens vt forti & magno animo ferrent ea quæ sunt grauia. & persuadens esse vtilius ea tolerare quam ab eis liberari. Hac ratione plurimum studij ponebat Theodosius, non vt eos qui male habebant liberaret ab eo quod erat eis molestum. sed vt potius eis persuaderet vt ea forti & magno animo ferrent.

Sed enim quō aliorum illius bonorum epulis auditores excipiemus? Quid enim perinde acsi desinit res præclare ab eo gestæ, excogitabimus quemadmodum possimus immorari in oratione? Quis enim cū eas quæ hic fiunt audierit hymnodias, non demulcetur quidē auribus, lætatur autem animo, corde autem vehementer exilit, promptoque & alacri animo labra mouet ad laudandum eum qui fecit: quod diuersis quidem linguis, vna

autem

autem mente & sententia 15 canantur pie & religiose? Quo enim in lyra, ea quæ fit vicissim pulsatione contemperatur vocum diuersitas numero admirabili: ita etiam hic quoque diuersis linguis, quidam varius & valde concinnus cantatur hymnus. Hic enim vir sapiens, sicut olim Beseloel diuini Architectator tabernaculi, sapientissime & pulcherrime dispēsat & administrat in hoc sancto monasterio: & quatuor ædes intra id ędificat. Ex quibus vnam quidem dimisit iis qui lingua græca vtuntur. in qua ipsa aliorum quoque Patrum choro hymnus canebatur, In secunda autem genus. Bessarum sua voce communi Dño fundebat preces. Tertiā autem sortita fuit gens Armeniorum. in qua quidem ipsi quoque lingua patria Deo hymnos emittebant. Vltimam autem & quartam seorsum ab aliis ij qui vexabantur à Dæmone, Qui cum erant alioqui furiosi & emotæ mentis, vt ante meminimus, cum ipsi ad se reuersi erant cōpositæ mentis, cum iis qui eis ministrabant in ea preces emittebant altissimo: Ita ab eis peragebatur hymnodiæ regula, quæ vt dictum est, 16 septies in die offerebatur Deo vniuersorum. Sed hęc quidem alio tempore. Nam qñ oportebat veneranda participare sacramenta, lex erat apud eos pulchre admodum constituta, vt vsque ad diuinitus inspirata Euangelia vnusquisque in sua ecclesia simul & lingua diuinam audiret vocem, postea autem omnes congregarentur in vna, exceptis Dæmoniacis. in magna scilicet Græcorum ecclesia. Quod quidem in hodiernum vsque diem faciunt: & illic sunt participes sanctificatorum.

15 *Etiam antiquis patribus hymnodia & cantus fuit in usu tā in die quā in nocte.*

16 *Ecce septem horæ canonicæ etiam à priscis monachis frequentatæ.*

Et quid opus est omnia recensere, illius, inquā, sacri Pastoris & gregis. & vtrum eorum magis admiretur virtutem an multitudinem? Nam quos tota quidem sua vita parturiit spiritaliter, paterne autem nutriit, & deinde etiam ad Deum emisit, cum pulchre suam vitam finiissent, fuerunt numero sexcenti & nonaginta tres. Quos autem Præfectus qui post illū successit monasterio, fuerunt plusq̃ quadringenti, spiritalis virtutis apertum seruantes characterem. filij patrem amantes. & filij qui insigniter amabantur à Patre. Causa autem amoris qui erat in vtrisq̃, erat non natura, quæ est res laude carens & mercede. sed bona voluntas & bonum animi institutum amās id quod bonum est & honestum, & ideo laudem omnino meretur, Et possem quidem dicere cum magna voluptate, quot pastores, quot Episcopos protulerit eius educatio, & quot ex eius ouibus fuerunt pastores aliorū, & pręfuerunt sacris monasteriis. non ipsi amantes imperium, sed potius iudicati digni qui imperarent, & digni quibus crederetur præfectura animarum. & quorum multi per se vixerunt propter quietis ac silentij desiderium & cupiditatem maiorum certaminum. quorum nonnullis producta fuit exercitatio vsq; ad octoginta annos. & eis annorum multitudo congregauit multitudinem diuitiarum spiritalium. per quæ omnia cognoscebatur & prædicabatur Theodosius, & ei aureū conseruabatur genus, quod honore, inquam, antecellit. Per quæ ei implebantur fructus & manipuli, & merces augebatur. De vnoquoq; ergo eorum lubenter meminisset oratio, nisi produceretur ad immoderationem. Oportet ergo paucis dicere, nullum fuisse relictum locum, qui non commodi & vtilitatis aliquid ex eo sit consecutus.

Postquam ergo huius viri diuini fama per vniuersum orbem terrę iam persuasisset, & virtutis studiosas ad se attraxisset animas, multi quidem

ex militibus bella multum valere iubentes, referebātur in numerum eius phalangis. multi autem ex iis quoque qui valebant dignitate & honores fuerant consecuti, hæc non secus atque somnia despicientes, aut potius vt alias Sirenes, quæ demulcent ad eorum qui eas attendunt exitium, dimittentes, toto pede ad ipsum contendebant. propter Christum ignominiam, veram esse gloriam & ipso etiam regno meliorem credentes. Multi autē ex iis quoque qui erant insignes eruditione, libros quibus adhærebant tanquam aliquibus vberibus aut fontibus; vel tanquam iucundissimas voluptates, vel tanquam pulcherrima spectacula despicantes, maluerunt attingere institutiones elementorum vitæ quę ex Christo agitur: relictisq; plausibus & laudibus ciuilibus, humanæ sapientiæ prætulerunt eam quę est propter Christum stultitiam. Quibus admodum apte vsus fuit hic bonus pastor. imbecillioribus quidem labores alleuans. augēs autem robustioribus. adeo vt neque imbecillitas opprimeretur immoderatione, neque vires insolescerent si non comprimerentur. erga omnes seipsum varians & mutans spiritali sapientia. Non virga castigans: sed sermone instituens, sermone sale condito, & qui peruadebat vsque ad profundū motuum mentis. vt qui vim haberet ex ipsa operum fiducia. Ea ratione & consolans erat multis terribilis. & increpans desiderabilis. & iucundus in omnibus. Quis ita fuit & cum multis cōuersans vtilissimus, & ad sensus colligendos, & ad efficiendum vt intro conuerterentur aptissimus: adeo vt is in maiori esset tranquillitate in mediis tumultibus q̄ ij qui sunt in solitudine: & idem simul esset & cum multitudine, & separatus. & illud quidem aliis, hoc vero sibi afferret vtilitatem. vel suā potius per vtrunq;. siquidem iuuare proximum, est aperte iuuare seipsum. Quod autem & permansit cum eo toto vitæ suæ tempore, & est veluti necessariū aliquid & semper consequens, erat diuinorum lectio eloquiorum. quam non tempus. non morbus. non senium. non aliquid aliud ex iis quæ accidunt interrupit. Quinetiam cū iam esset imbecillus & iam ad extremam venisset senectutem, nec de cætero posset amplius progredi, liber erat in manibus. & vincebantur labores a laboribus. a meditationis, inquam, laboribus labores senectutis & imbecillitatis. Ad quos cum dies nō sufficeret, illius lucem lucerna supplebat in noctibus.

Qm̄ autem cum esset homo oportebat eum esse multis defessum & exhaustum laboribus, nō poterat quidem noctu vna esse cum fratribus canentibus, & admonere quæ oportebat: ministro autem tanquam lingua vtens, qui ei fundebat aquam manibus, per eum significabat fratribus, & quisnam esset canticum incepturus, & quisnam facturus lectionem sedentibus: & quis chorum ducturus. Hæc autē faciebat his duabus de causis, & sibi quidē prouidens vt assidue vigilaret: & illis vt regulam spiritalis officij seruarent citra vllam reprehensionem. Sed noctu hæc quidem illi magno erant pręcepta ecclesiastica: interdiu autem ad eum accedentes qui erant ex spiritu ei geniti filij, eum seorsum interrogabāt propter cogitationem quæ eis afferebat molestiam. Aperte autem ea suadebat quæ pertinebant ad eorum vtilitatem. non sermone solum docens: sed etiam vita ea quæ dicebantur confirmans. Quo quidem tempore erat quod fiebat non procul a miraculo. Nam vir ille qui externam ne gustauerat quidem sapientiam, & in libris gentilium ne linguam quidem exercuerat, tanta ver-

borum copia faciebat admonitiones, vt nullus eorum qui in his libris cõsenuerant, & arte dicendi linguam satis acuerant, facile possent cũ eo contendere. Docebat itaq; non ex humana sapientia, sed ex gratia boni spiritus, qui ad eũ veluti dixerat. Ecce dedi verba mea in os tuum. sicut olim Hieremiæ sapienti. ex seipso quidem multa dicens eaq; elegantia, multa autem etiam ex dictis Apostolicis. Maxime autem crebro recordans salutarium 17 constitutionum, & sermonum qui instruunt ad exercitationem, magni, inquam, Basilij. cuius etiam vitam imitans, & eius orationis magno captus amore, studebat animam quidem illius moribus, linguam autem eius ornare eloquẽtia. Certe per ipsam quoque proferebat ea quæ sunt rerum illius pulcherrima, meditando assumens, & conseruans memoria, quæ possent prompti animi studium iniicere vel socordioribus. Bonum autem fuerit illorum ipsorum quoque meminisse verborum quæ memoria tenere curæ erat Theodosio.

17 *Vides quod etiam antiqui monachi regulas habuerunt & constitutiones?*

„ Rogo fratres per charitatem Domini nostri Iesu Christi qui dedit seipsum pro peccatis nostris, aggrediamur aliqñ curã gerere nostrarum animarum. dolore afficiamur ob vanitatem vitæ nostræ præteritæ. Decertemus pro futuris ad gloriam Dei & filij sui. Ne remaneamus in hac socordia & mollitiæ, præsens quidem semper otium admittentes, in crastinum autem diem & perendinum, principium operum differentes. Ne si comprehensi fuerimus ab eo qui nostras animas decipit, nequaq̃ instructi operibus excludamur quidem à thalamo gaudij: frustra autem & in cassum defleamus, despectui male habitum vitæ tempus lugentes, tunc qñ nihil iuuabit eos qui agent pœnitentiã. Nunc est tempus acceptabile, nunc est dies salutis. Hoc est tempus pœnitentiæ. illud remunerationis. Hoc est tempus operandi. illud verò dandæ mercedis. Hoc est tolerantię. illud cõsolationis. Nunc Deus est adiutor eorum qui conuertuntur à mala via. Tunc erit terribilis & qui decipi non poterit examinator rerum & verborum & cogitationum. Nunc fruimur patientia. tunc iustum cognoscemus iudicium, qñ resurrexerimus, alij quidem ad æternum supplicium. alij autem ad vitam æternam. & recipiet vnusquisq; congruenter suæ operationi. In quod tempus Christo obedire differimus, qui vocauit nos ad regnum suum cœleste? Non expergiscemur? Non nos reuocabimus à vita consueta, ad perfectionem Euangelij? Qũo oculis apprehẽdemus illum terribilem & insignem diem Domini. in quo eos quidem qui dexterę Domini per bonas appropinquant actiones, excipiet regnum Domini. eos verò qui ad sinistram sunt abiecti, propterea q̃ à bonis deserti sint operibus, abscondet gehenna ignis, & tenebræ æternæ, & stridor dentium. Nos autem dicimus quidem nos cupere regnum cœlorum. ea autem non curamus quibus id possimus assequi. sed pro præcepto Domini 18 nullum laborẽ suscipientes, in vanitate mentis existimamus nos esse ęquales honores consecuturos iis qui vsq; ad mortem resistunt contra peccatum.

18 *Vide hic damnatam nouorum hæreticorũ opinionem, qui propter regnum cœlorũ nullos labores, nullas tribulationes sustinere uolũt, quinimo mala omnia perpe-*

Deinde cum hucusq; pefecisset orationem, nonnunq; ea etiam quæ sua erant addebat. quæ & excitabant ad obedientiam, & parabãt ad tolerantiam, & vnibant ad concordiam. Addebat autem sua, non vt quispiam se iactans & glorians: sed qui seipsum ostenderet eadem sentire. & simul ea quidem quę iam dicta sunt à veteribus, propter breuitatem verò vel sententiæ magnitudinem vulgi captum excedunt, ipse suis additamentis red-

trantes, inani quãdã & mortua fide confisi, putant se æqualia cum sanctis præmia accepturos. ò Sathanicum commentum.

dens apertiora, manifestaq; & clara reddens omnibus. Atque sic quidem vtebatur sacer Theodosius ea quę ad docendum comparabatur oratione, eà verò qua traduntur dogmata quõ se habebat: & quis erat eius in iis sermo & zelus? An ne de hoc quidem est sciscitandũ, vtpote q̃ res omnes loquantur quauis voce apertius, & eius zelũ pro pietate prędicent. Illud autem est potius diligenter quærendum, quænam lingua sit erudita & facunda, vt posit rectè explicare illius linguæ trophæa. Nam iis quidem in aliis quidem omnibus erat mãsuetissimus, & promptissimus vt honeste potius vinceretur, q̃ non laudabiliter vinceret. Vbi autem erat in pietate & vera religione periculũ, erat illic stabili & forti sententia Theodosius. & nullius cedebat abiectioni. vt q cerneretur acri & inuicto animo, ignis comburens, aut securis scindens. aut rhomphęa pugnatoris, vt dicam quę diuinæ sunt scripturæ. Eius autem quod dico argumenta sunt multa quidem alia. mihi autem sufficiet vnum reducere in memoriam.

Tulit aliqñ nostrum quoque tempus Imperatorem, qui prius quidem fuerat quantum apparebat, paradisus voluptatis, postremo autem rebus fuit cognitus campus destructionis. & vnum. s. ex iis pastoribus qui sui gregis oues dispergunt & perdunt, & eas turbida potant subuersione. Et vt reliqua illius prętermittam, hoc quidem accipiet quod post nos sequetur tẽpus. Neque enim par est vt id mandetur obliuioni propter eos quorum est scelus insigne. qui, vt dicit Esaias, concipiunt laborem & pariunt iniquitatem. Hei mihi, impius, siue ab aliis adhoc motus, siue hunc sceleratum fœtum ex se produxerit. (Stultus enim, inquit, stulta loquetur. & cor eius vana cogitabit) Patrum qui Nicęę fuerunt sacra dogmata, tanq̃ montem Sion & turrim fortitudinis. s. aggreditur. illa quidem volens abrogari, valere autem sententiam Acephalorum, q̃ à ratione alienam, & vere ἀκέφαλον, hoc est carentem capite iure quis dixerit. Potentiæ autẽ admiscet improbitatem. vt hac quidem deciperet: illa verò effectum redderet quod contendebat. vt neque vis si esset immixta & persuasione minime contemperata, molesta videri posit & planè violẽta, vt quæ robur accepisset ex sola occasione. Neque rursus persuadere si impotens sit, sit imbecillum, & quod posit pauca & apud paucos efficere. Hinc alios quidem ex Episcopis adoriebatur minis & exiliis, alios autem honoribus & assentationibus. & nonnunquam etiam corrumpere pecunia, & suum malum aliorum quoque efficere & morbum communicare contẽdebat, mutabilis non minus quam Proteus, vt Græci dicunt, & non minus mente quam ille aspectu varius. Postremo autem hanc quoque magnam turrim aggreditur. Machinæ autem erant aurum, idq; non paucum vt posset contemni, sed quod redibat ad summã triginta librarum. eratq; donum non nudè & aperte donum. ne non acciperetur, vt quod suspitionem pareret auaritiæ. sed id quoque occultabat prætextus speciosus & valde probabilis. nempe pauperes, & quæ erant necessaria ad vsus fratrũ ægrotantium. His virum conabatur ingenuum redigere in seruitutem. Et si bonum existimans & gratum piorum animis id quod à te ò vir egregie innouatur, ego illi dixerim, cur non ab eo ipso sinis trahi amatores, & propria vinci pulchritudine eos qui sunt pulchri amatores: sed id pecuniis ornas & muneribus. q̃ solet fieri turpibus & deformibus, vt quæ sint aliena ornamenta & artificia.

Cum

Cum ergo cognouisset ille magnus id quod fiebat ab illa pusilla & abiecta anima, temere aduersus se comparari, erat vt vulgo dicitur, aquila in nubibus. vt qui nec posset capi nec vinci. sed re uera potius eum capit qui simulabat. Nam aurum quidem non repellit. ne forte videretur temere suspicari, & offensionis aliquam præberet occasionem. sed duplici damno afficit aduersarium. simul quidem priuãs pecuniis cum esset alioqui auarus: & simul etiam spem variam & inanem ostendens qua ducebatur, & quæ scopo nihil habebat consequens. Sed quem leonem existimabat se iã habere in pedicis, eũ cum in se concitasset vehementissime, pręclare ostendit, vt est in prouerbio, capream iniisse pugnam aduersus leonem. Nam cum iam tempus aduenisset, & ille ab eo petiisset confessionẽ, & adessent qui ea de causa missi fuerant, hic mihi considera eius animi virtutem & fortitudinem. Nam cum omnes simul congregasset ciues solitudinis: & dixisset esse tempus vt finem acciperet dictum illud Propheticum. quod iubet mitem fieri pugnatorem: & eos instruxisset ad suscipienda pro pietate certamina, se ostẽdit esse ducem, se militem, se virum strenuum & fortem & primũ in omnibus. & cum Imperatore per litteras est congressus. Et lubẽtissime quidem meminissem illarum ipsarum probationum, quibus Theodosius apertas nugas esse ostendit, ea quæ ex propositis videbantur esse validissima. Sed propter prolixitatem, & ea spectans de quibus agitur in præsentia, multis enim manibus opus esset & libris, solum meminero eius dicendi libertatis quę vsus est in fine. Sic.n. paucis ostendetur q̃ esset homo liber & qui nequaquam deiici deprimi'ue poterat. Sic autem habent ea quę scripta sunt.

"Cum hæc duo sint nobis proposita o Imperator, vel turpiter & illiberaliter viuere consentiendo Acephalis. vel honeste mori sequendo recta patrum dogmata, scito mortem à nobis esse pręferendam. Tantum enim abest vt hæc noua 19 sequamur dogmata. vt non solum in loco mansuri simus, præcedentes patrum leges sequentes: sed eos etiam qui præter hæc alia tueri sustinuerint, pie abdicabimus, & subiiciemus anathemati. sed nec vllum ex Acephalis ordinatum p vim suscipiemus. Absit vt hoc fiat o Rex Christe. & si tale quid contigerit, veritatis Deum præsidem testantes, vel potius illum ipsum qui nũc ab ipsis maledictis & blasphemiis appetitur, vsque ad sanguinem resistemus. & q̃uo pro patria, ita pro recta fide lubenter animas profundemus. etiãsi ipsa sancta loca igne perdenda visuri sumus. Quid enim opus est solo nomine, qñ ipsa sacra re uera afficiuntur contumelia? Nos ergo nequaquam admittemus aliquid sentire, tantum abest vt dicere quod discrepet à sanctis & Oecumenicis conciliis. Ex quibus primum quidem ornatur trecentis & octo Patribus. qui cum aduersus Arrium in sancto spiritu Niceæ conuenissent, anathemati miserum subiiciunt, & à corpore abscindunt ecclesiastico, alienantem à patris essentia eum qui est natura filius, & introducentem dogmata aliena à recta fide. Secundum autem impulsu diuino congregatũ aduersus Macedonium, qui ipse quoq; scelerate loquebatur aduersus bonum spiritum, eum abdicat. Tertium autem aduersus prophanam & execrandam linguam Nestorij, qui ipse quoq; absurda erat locutus aduersus Christi carnis susceptæ consilium, pulchre Ephesi conuenit. Post hæc quod fuit etiã Chalcedone sexcentorum & triginta diuinorum Patrum. qui cum etiam

19 *Ecce quomodo hæreticos omnes sancti uiri semper auersari sint, & uerbis, & scriptis, & factis eis restiterint.*

ea dixiſſent quæ conueniebant prioribus, & quæ illi dixerant adhuc accuratius expoſuiſſent, infelicem & execrandum Eutychē vnà cum Neſtorio abſcindunt à corpore eccleſiæ. & fidem confirmant Apoſtolicam, & quicunq; non ita ſentiebat decernunt eſſe alienum ab eccleſia. Aduerſus

20 hæc & ignis accendatur: & enſis acuatur: & mors quoq; nobis acerba afferatur, imo verò ſi fieri poſsit pro vna innumerabiles: nos verò nunquam prodemus veram religionem. neque ea quæ recte placuerunt Patribus, ea abrogãdo probro afficiemus. teſtes ſint eorum ſudores quos pro fide ſuſceperunt, & multæ dimicationes. ſed ea manebunt firma & immobilia, & apud nos, & apud eos quos fas eſt & Deum & nos ſequi. Pax aũt Dei quę ſuperat omnem mentem, ſit cuſtos & Dux tuę potẽtię.

Vides quomodo nulla in re uiri ſancti ab uniuerſali Eccle. ſeparantur quæ ſancta eſt & Apoſtolica, & apud quam quatuor principales ſynodi in ueneratione habentur.

Cum hanc Imperator accepiſſet epiſtolam, mittens & vim afferre & conari perſuadere, ſe potius ſubmittẽs aggreſſus eſt ſe de iis excuſare quorum accuſabatur. & ſic compoſuit epiſtolam. Huius innouationis ò homo Dei, nos non ſumus auctores. Teſtem confidenter inuocamus qui oĩa cernit Dei oculum. ſed ab illis oritur hic motus quos plus quã alij oportebat hæc honorare ſilentio. Nunc autem cupientes ſinguli primi videri & dicendi facultate & dignitate, ſeipſos feriunt, & nos ad ſe inuicem attrahunt. Quid nos ergo aliud oportet facere, quã dum ij mouentur, nos nõ ſimul moueri, ſed quietem amplecti. vt ſic perſuadere poſsimus eis qui hic mouere ſtatuerint, dimiſſa tali cõtentione vnà nobiſcum quieſcere. Omnino enim tuam non latet pietatem ꝙ quidam Monachi & Clerici qui rectam fidei ſibi vendicant ſententiam, hæc mouere ſcandala, ſeipſos, vt diximus, ſtudentes oſtendere primas obtinere partes in harum rerum cognitione: & ꝙ myſterium & fidem in ore ſuo circunferant. Quæ quidem cum non poſsint comprehendi ab hominibus, nihil aliud q̃ illos mendaces oſtendunt & Sycophantas. Ex quo etiam proficiſcitur magna Dei in nos indignatio, eo ꝙ exiſtimamus myſterium non eſſe myſterium, nec ex ſola fide conſiſtere, ſed ex abſurdis nugis: & condemnamus eos qui nos docuerunt Deum fide & myſterio colere. Vos ergo nũc quoque oportet ſi vnquam orare pro eccleſia, vt nos benignis oculis aſpiciat, & pacem ſuis conciliet eccleſiis, quæ tam malè ſunt diuiſæ propter ſtudia ipſorum Præſulum. Quæ autem à vobis miſſæ ſunt eulogię, nobis admodum lubenter oſtenſæ ſunt. noſtrum autem quale ſit inſtitutum annũciabunt pij Monachi qui à vobis miſsi ſunt. Et hoc quidẽ modo ſe habuit epiſtola.

Sed qui hæc quidem ſcripſerat Imperatorem, & tunc de furore paululum remiſerat, & bellum quod aduerſus rectam opinionem, vel ſuum potius caput gerebat repreſſerat, non multo interiecto ſpatio grauis ſubit pœnitentia & perinde ac ſi eum pœniteret ꝙ omnino parum eſſe pius ſtatuiſſet, & ſe facilitatis nimiæ condemnaret, ad priora eſt reuerſus. Difficile enim eſt, vt eſt in prouerbio, aſinum confricantẽ auertere. Rurſus ergo edicta aduerſus pietatem. rurſusq; hic egregius Martyr citra ſanguinem, ſiquidem conſideranda eſt voluntas & non rerum exitus. Nam cum oẽs eſſent planè conſilij inopes & dubij quid agerent; & alij quidem blaſphemiam defenderent: alij autem vererentur vel ſolummodo contradicere; fortaſſe autem etiam hac in re cõi Patri dicendi libertate cederent, & veluti ducis ſignum expectarent; tunc tunc euadit manifeſtum qualis etiam ſenectus qñ zelo confirmatur, ſe fortiter & iuueniliter gerit aduerſus ea

quæ præco bono & honesto suscipiuntur pericula. Contemptis enim illis scriptis & decretis, minisq́ꝫ innumerabilibus, turbaq́ꝫ quæ Imperatorem & Deum ex ęquo reuerebatur, militibusq́ꝫ qui eos obseruarent qui essent tale quid dicturi. Illis omnibus contemptis tanq̃ vanis strepitibus, & dicens non esse suum sed puerorum talia horrere tonitrua, Leonis suscipiẽs impetum, cùm Dei templum esset ingressus, & suggestum conscendisset in quo solent legere Sacerdotes, manu populo significans silentium, Si quis, inquit, quatuor 21 sanctas synodos non tanti esse existimat quãti quatuor Euangelia, sit anathema. Hæc cum dixisset, & tanq̃ Angelus populum adduxisset in admirationem, & vocem omnibus ademisset præ miraculi magnitudine, per silentium procedit per medium eorum tanq̃ dormientium, & existimantium se in somnis videre non autem verè id quod fiebat. Et fuit hoc quidem viri stratagema, ex quo dictas quoq́ꝫ sanctas synodos in sacris diptychis collocare statuerunt.

21 *Ecce quanta sit quatuor Cõciliorum generalium autoritas, quæ ẽt D. Gregorius ut quatuor Euangelia amplectitur.*

Cùm post hæc autem nihil esset cunctatus, & nec parum quidem substitisset, obiit ciuitates quæ erant circũcirca Discipulos & alios suos sectatores ex solitudine, veluti quidam Dux exercitus, eos qui sub se erant, inducens. primus canos. primus etiam ostendens promptum animi studiũ. Omnes abiens. factus omnia omnibus. certiores reddens eos qui dubitabant. adhuc confirmans eos qui erant stabiles. eos excitans qui erant socordiores. eorum qui erant prompto & alacri animi studio augens diligentiam. addens animũ iis qui extimescebant. adhortans eos qui decertabãt. terrens aduersarios, q̄ tam esset magno ac generoso animo vt ad eum non pateret aditus. medicinæ celeritate omnem morbum præueniens. docens omnes q̄ Dei verbum esset quidem idem simul Deus & homo, vna aũt hypostasis siue persona, vtrũque eorum habens natura, diuinitatem. s. & humanitatem. Ad ea autem quæ dicta sunt probanda adduxit illam sanctam synodum Oecumenicam, quæ ipsa quoq́ꝫ de Christo sic agit, & ea ratione effugit declinationes Hæreticorum quæ fiunt in vtrãque partem. Nam eo, inquit, q̄ vnam confiteatur personam, repellit impiam Nestorij hæresim. eo autem quòd non neget duas naturas, Eutychetis & Dioscori magis impiam exturbat hæresim. neque similiter vt Nestorius Christum vnum diuidens in duos filios & hypostases. neque similiter ac Eutyches & Dioscorus & etiam Seuerus, in vnam confundens naturam, vnius scilicet Christi diuinitatem & humanitatem. Nã plus q̃ꝫ par sit habet vnusquisque eorum. vnus quidem fugiens diuisionem, alter verò contractionem, ille quidem adhoc vt duos diceret filios: alij verò vt ne vnum quidem propriè filium faterentur, miserè exciderunt. Nam Nestorio quidem qm̃ vtiq́ꝫ timebat confusionem, venit in mentem vt diceret habitudine solum & dignitate seu auctoritate factam esse diuinitatis vnionem humanitati. adeò vt cum naturis duas quoque valde impie defenderet hypostases & duos introduceret filios. vnum quidem Deum genitum ex patre seorsum & separatim. alterum verò qui ex sancta virgine, per gratiam solum ei tribuens dignitatem adoptionis.

Eutyches autem, & Dioscorus, & etiam Seuerus qui se eis nuper adiunxit, & impietatis elegit esse particeps, vt qui vellent absurdissimam Nestorij tollere diuisionem, malum malo medicantur, & ipsi quoq́ꝫ rursus stulte audent introducere confusionem. vnam & eandem nominantes

naturam diuinitatis & humanitatis, & ad passionem, quantum ad eos attinebat, non verentes deducere impatibilem diuinitatem. Si enim ex eorum sententia vna est Christi natura: is autem est re uera Deus & homo: fuit ergo diuinitas mortis quoq; particeps. sed scelerata his ora obstruantur, & mali malè cum suis pereant dogmatibus. Eos autem increpet beatus quoq; Petrus, CHRISTO passo pro nobis carnem dicens, sed non etiam diuinitate. Nam etsi quod attinet ad essentiam, vnitas erat Christi diuinitas carni patienti, non fuit tñ ipsa socia passionis. Nam qũo esset? est enim diuinitas omnino impatibilis. Recte ergo & secure prædicatum est ab hac sancta synodo, duas naturas diuinitatis & humanitatis, inconfuse, immutabiliter, citra diuisionẽ, in vna honorari persona. eundem ante secula quidem genitum ex patre, quod attinet quidem ad diuinitatem. in extremis autem rursus tẽporibus natum ex sancta virgine recentiori lege humanitatis. patri & matri similem essentia. eundem sine patre & sine matre. vt qui illud quidem pulchre esse cognoscatur ex ea quę inferne fuit generatione. hoc verò ex ea quæ superne. Vnigenitum & primogenitum. Illud quidem quod attinet ad naturam diuinitatis. neque enim quod ad eam attinet est ei frater. hoc verò quod attinet ad essentiam humanitatis. Multi.n. post eum fuerunt à patre in filios adoptati per baptisma.

Hæc ergo & his similia docens ille lingua libera. & quam acuerat confidenter loquendi audacia: qm̃ Imperatorem ad iram magis prouocauerat, ab eo perpetuo damnatur exilio. ab eo inquam, qui iam ineuitabilem suam exterminationem, & quæ hinc erat futura venientem ignorabat migrationem. Et ideo ipse quidem à vita tunc præsente: hic autem vir diuinus liberatur statim ab exilio. & vehemens ille fluctus sedatur ecclesiis, nutu eius plane facit iudicium iis quibus fit iniuria, & diuiniore decreto. Et qui in eam quidem prædonum instar impetum fecerant, quod facturi erant ipsi passi sunt: & testa, vt est in prouerbio, conuersa damnati sunt exilio. Qui autem expulsi fuerant è suis sedibus, in eas gloriose sunt restituti. & gregi suo vnusquisq; redditus est mirabiliter. Sic ille conseruatus, non iis solum qui aderant & spectabant certamina, sed iis etiam qui omnino longè erant remoti, fuit admonitio & zelus ad virtutem. Nam cum de eo intellexissent & qui veteris Romæ sedem pulchre tenebat, is autem erat Agapius, & qui Antiochenam sedem regebat Ephraim, ipsi quoque litteris rectam fidem prædicabant. In quibus multa quoq; sunt ad laudem huius beati composita, quæ non minorem afferebant gloriam iis qui scripserant q̃ ei qui laudabatur. q; non ad gratiam sed planè ad veritatem fieret laudatio. Qm̃ autem difficile est recensere omnia eius certamina pro fide orthodoxa, oportet illud in summa dicere, q; ipsi quoq; cum Propheta inimicos Christi odisse mirabiliter inerat. maximè autem ostendebat se auersari Origenem. qui existimauit suum in hoc ponendum studiũ, vt diuinæ Apostolorum prædicationi nugas contexeret gentilium, & luderet in rebus minimè ludicris.

Sed tempus est transeundi ad ea quę deinceps sequuntur: & huius viri miraculis piorum àc religiosorum auribus gratificandi. Nã cum Imperator impius edicta in omnes partes misisset, vt omnes, per cognationem inquam & sodalitatem, in eundem locum conuenirent: congregatus quidẽ est hic quoq; sacer coetus, senum qui erant in solitudine insignis canicies,

circa

circa locum qui dicitur Hierateon cum communi patre & filiorum amāte. Est autem hoc locus cathedræ. quod fama est excitasse Constantinum magnum inter Imperatores. in quo mos est q perpetuo seruatur, vt crux veneranda quotannis exaltetur. Quædam autem mulier quæ morbo laborabat in mamilla. cancrum eum solent nominare medici: Ea autem cū iam longo tempore ab eo premeretur, & à nulla quidem abstinuerat medicina. ex ea autem nullum adiumentum ceperat: nisi ꝙ in Deo magis sperabat ꝙ humana desperaret remedia. Ea cum ingressa esset per Angelicam quæ dicitur portam, tristis stetit prope chorum qui erat circa ipsos. & ad vnum ex iis, is erat religiosissimus Isidorus aspiciēs, qui postremo præfuit sancto Sucelauræ monasterio, cum & figura & aspectu & lachrymarum fluxu significasset dolorem qui eam vehementer cruciabat, & deinde propius eam accessisset. (Neque enim sinebat dolor eam seruare illum pudorem qui decet mulieres) rogauit an cum sacra hac multitudine magnus quoq; esset. s. Theodosius, & qualis is esset aspectu. Viri. n. fama ad eam satis peruenerat. Is autem cum didicisset causam propter quam eum quærebat, & simul morbum vidisset, & quā vel solo aspectu esset molestus, auertens oculos ab acerbo spectaculo. Deinde etiam sciens, ꝙ illius fuerit, & eius qui est in eo spiritus, hæc potenti soluere medicamento gratię, qm̄ nec ipse erat ignarus illius in Christo virtutis, mulieri medicum ostendit digito. & signis eum accurate describit.

Illa verò sensim & sine vllo strepitu accedit, eum valde sitiens, & in animo habens illam quę laborabat pro fluuio sanguinis. Deinde cū propè esset, mamillam sensim aperuit, fecitq; vt 22 cucullam attingeret, & rursus sicut illa, suffuratur curationem: & à magnis doloribus citra laborem inuenit solutionem. Simul enim ac 23 pannum attigit, eius dolor recessit. perinde acsi tenebræ aliquæ solutæ essent aduentu luminis, aut fœnum ignis irruptione. Ille autem, nulllo enim modo poterat ignorare ꝙ ea tam pulchrè & ex fide fuerat suffurata protinus est conuersus, & cum vidisset mulierem, soluit timorem qui eam inuaserat in magnum gaudiū curationis, Esto, dicens, bono animo ò filia. Meus enim dixit Dominus. Fides tua te saluam fecit. Diuinus autem Isidorus confestim currens ad mulierem, cupiebat enim oculos quoq; suos pascere aspectu miraculi, cū ad eam peruenisset & curiosius aspexisset, videt mamillam planè sanam & omnis morbi adeò expertem, vt nec cicatrix nec vllum in eo esset impressum vestigium grauis quod paulo antè fuerat vlceris. Ita Deus aperit eam quæ latet virtutem. & eos qui illius solum oculis volunt manifesta fieri quę ab eis rectè geruntur, non sinit abscondi, nec relinquit in angulo; nec vt prædicentur eis solūmodo reseruat in futurum. sed eos quoq; qui hic sunt abditi producit in lucem. & prædicat. & eos qui sunt sæpe obscuri & inglorij claros facit & illustres, & sedere facit cum populo potentum. Verumenimuero hoc quidem est eiusmodi. Oportet autem alia quoque persequi.

22 *Vides quod etiam prisci monachi cucul la utebantur.*

23 *Mira res, pannus sancti ab ulcere tantūmodo tactus, morbū incurabilem sanat.*

Postquam enim Tyrannum quidem falx mortis abstulit, patribus autem certe successit id cuius studio tenebantur, & vnusquisq; ad suum redierat monasterium, modo quidem ibat Bethleem hic vir præclarus. modo cū orasset reuertebatur. Magnum autem laborem itineris recreans, diuertit ad Marcianum. Cùm autem venissent ad amplexus, & se inuicē

ſpiritali impertiiſſent oſculo, cum eo anima quoq; congrediente, primum quidem fuit eis appoſita menſa ſermonum, quibus præclare ſuos paſcebant animos, ſe oblectantes ſanctorum eloquiis, & ſenum narrationibus cum quibus intercedebat eis morum cognatio. Cũ autem tempus inuitaret vt meminiſſent etiam alimenti corporis, non aderat quidem frumentum vt panis apponeretur. lentem autem Diſcipulis iuſsit coquere Martianus. Et illa quidem fuit appoſita ſine pane: Cum autem cognouiſſet magnus Theodoſius tam apertam inopiam, qui egens erat fuit diues in inopia, ipſeq; magnopere ſtudebat vt lautiori conuiuio exciperẽtur hoſpites, Iuſsit ergo Diſcipulo vt e pera ꝓferret panes quos parauerat ad viaticũ. Et illi quidem producti ſunt & appoſiti. Ii verò propter charitatem quę lætificat, non minus lautum celebrarunt conuiuium ex iis quæ erant neceſſaria, q̃ ſi prolati eſſent cibi ſuperflui.

Vt ſolet autem fieri, ſermones quoq; admiſcentur conuiuio, & complures ex iis lepidi & iucũdi. Hilariter autem diuinus eum rogabat Marcianus, dicens. Noli ęgreferre tanta fame laborans hoſpitium, nec cõqueri ꝙ panem vobis non appoſuerimus, cum frumentum nobis admodum turpiter defecerit. Cùm hoc dixiſſet, admirabilis Theodoſius defixis oculis in barbã Marciani, vidit granum frumẽti quod neſcio vnde ceciderat, & illinc ſuſtulit hilari & cauta dextera, & dixit. Ecce frumentum. Quõ autem dicitis vos egere frumento? Et hoc quidem ab eo dictum vel etiã factum fuerat lepide & iucunde. Ille autem cum granum tanq̃ egregiam aliquam & præſtantem ſementem ſupinis manibus accepiſſet, id ponit in horreo frumenti, credens eam ſine labore multum fructus allaturam, & eſſe ſuperaturam Agricolarum induſtriam. Id autem ei accidit longè amplius & copioſius q̃ ſperabat. Nam cum ſequenti die eſſet horrei oſtium aperturus, ò arcana tua Domine miracula, videt quæ intus erant plena fructibus qui re uera prouenerant abſque agricultura, aut potius cum agricultura ſolius orationis. Cũ ergo nihil eſſet in hoc cunctatus Marcianus, ſtatim mittit vnum ex ſuis Diſcipulis ad magnum Theodoſium, ei ſignificans mirum & ineffabilem rei euentum. & ſimul ad admirabilis ſpectaculi ſocietatem eum vocans. Poſtquam ergo is quoq; venit, oſtium quidem erat parum apertum, frumentum autem à ſeipſo extrudebatur, cum non poſſet horreum capere multitudinem, & ſic ex eo permultum foras effundebatur. Hoc eſt prioribus quoq; ſimile, & miraculo de panibus nihil diſsimile quod olim meus effecit Chriſtus. Nam vna omnino eſt in vtriſque operatio. niſi ꝙ illic quidem ipſi erat præſens & adminiſtrans. hic aũt ſuo famulo vtens miniſtro miraculi, ſicut prius quoq; Apoſtolis. Poſt hoc autem oportet illius quoq; meminiſſe.

Mulier quædam cui inſignis patria erat Alexandria, ingentibus autem abundabat opibus, Dicatur id etiam quod erat in ea multo melius, & dignius quod committatur auribus, nempe ꝙ & diues erat bonis moribus, & curam gerebat vitæ piæ ac religioſæ. Ea cũ accepiſſet filium, (erat aũt hic ei vnigenitus. & ſolus in ſe rectè ſeruans ſemina generis) ventitabat ad monaſterium, & adducebat eum ad pedes magni Theodoſii. Puer vero etiam antequam abduceretur à matre, vbi procul vidit Theodoſium, ꝓtinus illum eſſe exclamauit, qui eum ſuper puteum ſuſtinens cõſeruauit. Rogata autem mulier quidnam ſibi vellent ea quæ dicebantur à puero,

dicebat eum quidem lusisse vnà cum æqualibus,cum autem ludo esset intentus, & non præuideret quæ erant in pedibus,deiectum fuisse in puteū, eumq; profundisimum.Et qui aderant quidem,immaturam & acerbam mortem pueri deflebant. Nemo enim erat qui non existimaret puerum fuisse statim ab aqua suffocatum. Quid enim ex ea re poterant aliud suspicari? Deinde etiam se humane gerentes,seipsos statim demittunt in puteum. non vt eum acciperent antequam moreretur. Qūo enim eius esse posset vel spes minima? sed vt antequam corrumperetur,eius corpus attraherent,matri donum calamitatis,& acerbum oculis spectaculum, & stimulum doloris. tanq̃ ex naufragio conseruatum , simul & fugiendum & desiderandum matris oculis. Postquā autem descenderunt,& eum inuenerunt sedentem super aquas , & nec tantillum quidem madefactum , sed qui sustinebatur veluti ab aliquo solido , ore aperto manebant. mirabantur.dubitabant.nesciebant quidnam cogitarent de eo quod cernebant. Sed cum eum ex aquis extraxissent,& non absque diuina prouidētia rem factam fuisse iudicassent, eum rogabant,is dixit quendam adstitisse Monachum, tali habitu, amictu & forma præditum. dicens omnia insignia quæ erant patris Theodosii longè simillima. Et huius, inquit, mihi manus causæ sunt ne in equis interierim,quæ me recte sustinebant,& efficiebant vt essem aquis superior.

Hæc mater & narrabat,& adiiciebat. Ego, inquit, cū ex illo tempore filium accepissem,vrbes obeo & vicos & montes & præcipitia,labores subiens,multos quidem,sed nō iniucundos. vt liceret mihi incidere in eius Seruatorem.Nunc autem cū eminus eum agnouisset filius,mihi quoque matri dedit vt agnoscerem. & eum apertè prædicat libera lingua,& quæ suspitionem omnem superat & mendacium. meq; gaudio repletam & admiratione,& veluti quodā diuino furore percitam non sinit quiescere. Hæc cū dixisset,ad opus quoq; accesit,vt quæ protinus ad genua patris aduolueretur, & illius poplites ambabus prensaret manibus & complecteretur labris simul & animo,calidas in eos lachrymas effundens:& Seruatorem, & vitæ auctorem,non solum filij sed suæ quoq; magnum vocans Theodosium.re uera enim ei fuisse futuram deinceps vitam non vitalem,aut vel ipsa morte longe amariorem,sitam intempestiue,inquit,& misere ei filius interiisset.

Potest autem oratio quoque aliquid aliud dicere simile pręcedenti.Nā quædam alia mulier,quæ in partu quotānis grauiter laborabat, & nec ex eo aliquam capiebat vtilitatem . Priusquam enim infans editus esset in lucem , è vita excesserat & labores luctus , & mors partum excipiebat. Hæc ergo quæ sic & multos pariebat filios , & erat orba filiis , cum iam longo tempore malo esset vexata,vix tandem inuenit mali medicamentum . & cum ad sanctum confugisset , eiq; affectionem suam dixisset & calamitatem,lachrymis potius q̃ verbis virum orat vehementer,vt malum ei sisteret ne amplius progrederetur. Sistetur autem, inquit,non aliter q; solo tuo nomine, si permiseris id quod nascetur sic vocari. Et hoc erit, inquit,mihi & solutio calamitatis & filio causa vitę. Hæc cum petiisset, & annuētem magnum nacta esset Theodosium, & quod deinde natum est Theodosium nominasset,vehementi quoq; fidè dignam inuenit mercedē. Non amplius enim partus labores ei peperere lachrymas,sed aperte

lætitiæ occasionem, cum eum qui inter viuos erat primo genitus Theodosium adhuc videret superstitem, & complentem chorum Monachorū eius qui illum genuerat secundum spiritum: & orationis fructum potius q̄ alui conspici ex operibus. q̄nquidem hæc quidem morientium, illa verò viuentis mater fuit. & ideo adductus est ad monasterium ab ea quæ genuit: & vicissim Deo est redditus. vt sicut præsentem, ita etiam manentē vitam consequeretur. Multa alia eiusmodi posset quispiā illius recensere.

Quædam itaq; alia mulier, profecta quidem ex ciuitate Bethleem, quę similiter in partu laborabat, æque autem infelix erat eius euentus, & in pariendo grauiter affligebatur, & in magnum vocabatur periculum, eadē quoque impetrat à magno Theodosio, eodem medicamento vsa ad curationem, & filio suo eodem quo ille vocato nomine. Quem non solum vidit grandem, & qui iam ad virilem ætatem peruenerat: sed manuum quoque artificio præstantem, & qui fuit ædificator optimus sui tēporis. Sūt admirabilia quę dicta sunt. sed quę restat sunt iis lōgè admirabiliora.

Cum bruchus aliqñ & locusta terras depopularentur, ineuitabilibus senectutis vinculis vinctus magnus Theodosius, & qui nec liberis quidem pedibus vti poterat, saluti multorum postponens omnia, ita vt erat affectus pedibus, & baculo more senum supplens quod sibi deerat, viam peragit. vt sic magis Deum quoque traheret ad misericordiam, vt qui aspecturus esset necessitatem eius profectionis Discipulis ergo manus sustinentibus, & omnibus modis eius ingressum adiuuantibus, peruenit ad locum eis innixus, vbi bruchorum & locustarum multitudo ingens, agros, non minus quàm hostes, populabatur & deuastabat. Cum ergo
24 sanctus illic staret, & manus 24 sustulisset Deo supplices, & deinde horum bruchorum & locustarum vnum in manus sumpsisset: & partim quidem cum vilissimis & breuissimis animalibus tanquā cum conseruis disseruisset, partim autem 25 iussisset vt labori pauperum & agricul-
25 turæ parcerent. hoc enim vobis, inquit, communis quoque præcipit Dñs. Cumq; cum eis ita placide locutus esset tanq̄ cum animatis, ea quę dicta fuerant consecutum est miraculum. Tantum enim examen deinceps mā sit in regione, & nec transiuit alio: & nec damnum dedit iis locis in quibus versabatur. sed veluti fœdere inito cum agris, de cætero circumuolabat, quidem & arrodebat spinas. amicitia autem & pax ei intercedebat cum fructibus, & ab eis omnino abstinebant.

Ecce oratio cum manuum ad Deum extensione.

Vides sanctos Dei eius uirtute etiam irrationalibus creaturis imperare?

Sed hæc quidem per se. alia autem rectè quoque gessit per alios. Nam cū alias flagellum simile terram premeret, & videbatur fore vt mox ei vico incumberet, ex quo & vicini omnes parabant commeatum & qui multis benigne communicabat ea quibus opus habebant: cū vas quod-
26 dam implesset oleo, & hoc inuocatione 26 diuina sanctificasset, id mittit in vicum & cum viris tradidisset fidelibus & piis, hoc solum sufficit vt esset tanti mali solutio. Tunc enim repente de medio sublatum est id quod lædebat: & vicus conseruatus est illæsus.

Etiam antiquis patribus creaturarum benedictiones fuerunt in usu, & bene dictæ in mysteriū miraculorum pfecerūt.

Vestimentis aliqñ fuit opus fratribus. & illi quidem ei exhibebant mœlestiam vt aliquid præberet ad emendum, qm̄ si velle & commiserari tolleretur, nihil erat. Sed tamen confidens veridicæ Domini promissioni, ea tunc apud eos est vsus, dicens. Nolite esse solliciti de crastino. Sequenti autem die effectū sunt consecuta ea quæ promissa fuerant. Protinus enim

quidam

quidam alicunde adueniens centum dedit aureos. qui quidē dati ad vsum vestimentorum seruierunt fratribus.

Iulianus quidam qui ab ineūte quidem ętate ventitauit ad magnum Theodosium, postea autem fuit ipse quoque cognitus Pastor optimus, ecclesięq; q̄ est in Bostra fuit ei creta administratio. Is ergo de ipso quoque hæc narrabat. q; cum fuissent in ciuitate Bostrenorum, semper enim magnus Theodosius eum habebat socium vitæ ex Christo agendæ. volebatq; cum eo philosophari & esse socius solitudinis. Cum ergo fuissent in dicta ciuitate, primū quidem mulier quædam insignis & vitio nobilis, cum sanctum dixisset planum & impostorem, in oculis eorū dedit pœnas, intemperantis linguæ acerrimum subiens supplicium, cū graui morte eius erupisset anima. Deinde autem, inquit, nos quidē ciuitate egressi proficiscebamur ad Apostolorum templum quod est propinquū. Monachi autem quidam ex monasterio propinquorum qui morbo seueri laborabant, cum nos vidissent accedentes, lignum quod conuocat ad ecclesiam pulsabant ante horam consuetā, & synaxim significabant fratribus. Magnus autem Theodosius intellectis insidiis, cum diuino zelo accēsus esset eius animus, verbis Domini opportune est vsus: & eos qui ipsi insultabāt iuste est vultus. lapidem non esse mansurum supra lapidem eo in loco ipse quoque minatus. Porro autem minas consecutus est effectus Breue tempus intercessit. & quædam Agarenorū multitudo, nocturna facta incursione, illud quidem igni mandant monasterium, & diripiunt etiam quæcunq; illic erant: & abducunt captiuos Monachos. & nunc proponitur locus acerbum oculis spectaculum, qui non magis meretur videri quam defleri. Sed hæc quidem narratio aperte est disciplinæ & castigationis. Alterā autē quæ est planè gratiæ particeps & vtilitatis, vult addere oratio.

Dux Romani exercitus, mos est autem eum vocare Comitem oriētis, nomine Cericus, in bello audax, in Deum autem pius. Is iam incursionem facturus contra Persas, existimauit oportere se primum currere Hierosolyma & illinc aduersus hostes assumere auxilium. Cum autem statuisset in transitu ire ad hominem Dei. eum enim valde trahebat illius fama, & virtutis illecebræ, dum abiret, & multa alia licuit ei audire ex sacra illa lingua, & hoc inter cetera, Ne, qūo dininus Dauid, in arcu speraret. nec poneret salutem in gladio sed nec in multorū hominum confideret millibus. vnum autem sciret adiutorem vim inexpugnabilem. cui est factu facile vt vnus mille persequatur, & decem millia profligentur à duobus. Hæc cū Comiti sanctus disseruisset, ita fuit ille captus ab eius admonitionibus, & ita flagrare cœpit eius desiderio & ardenti fide, vt ipsum 27 cilicium quo magnus ille interius induebatur, loco cuiusuis alterius rei arma peteret quibus se conseruaret. Quod quidem cū accepisset & induisset, & consueta aggressus esset certamina, paulo post victor rediit, cum & animi & manus præclara ostendisset facinora & digna quæ commemorentur.

ἰυγγες

27 *Multi sancti uiri intus cilicio usi sunt.*

Cum rebus ergo fortiter in bello gestis insignis & clarus esset reuersus. nequaq; ingratus fuit in benefactorem. neq; vt multi, qui postquam sunt consecuti obliuiscuntur beneficij. sed se similem conseruans in omnibus, rursus venit ad sanctum cum vehementi cordis exultatione. & gratias agens, & ei vniuersam ascribens victoriam. Dicebat enim. Illo ipso tempore pugnæ, mihi quidem cum pro thorace tuum induissem cilicium, ve-

niebat in mentem confidere, & in hostes irruere. Cum autem manus conseruissemus, magnæ exoriebantur tenebræ tanquam in densa caligine. & ab aliis quidē omnibus ea etiam quæ prope erant cerni non poterant. ego autem te solum mihi videbar videre me præcedentem & manu significantem, & admonentem vt has quidem prælij partes dimitterem, in has autem pugnarem. & te duce equum agere, donec conspectus terribilis & intolerabilis inimicis, vehementi terrore omnibus iniecto efficerem vt se coniicierent in pedes & turpem fugam lubenter eligerent. Et hæc quidem, ille, qui etiam dignus est habitus diuina hac apparitione.

Non ad illum autem solum, sed etiam ad alios magnus Theodosius, ad multos quidem inter nauigandum, ad multos autem in faciendo itinere, & ad alios quidem qui cum furenti mari & vi ventorum colluctabantur, ad alios autem qui in ora ferarum inciderant, & ad alios quidem in somnis ad alios autem videntibus reuera eorum oculis accedens liberauit 28 à periculis. Non hominibus autem solum adeò acris fuit adiutor. sed bonæ huius quoque animæ benignitatem vel in bruta animantia, parata est ostendere oratio. Viatori enim aliquando asinum deducenti sęuus leo occurrit. qui viatorem quidem neglexit, in asinum autem irruit. Atque viatorem quidem, vt accidit in iis malis quæ præter spem eueniunt, stupor inuasit & metus. temporis autem velocitas effecit vt vnum solum inueniret medicamentum ad ferendam opem, nempe nomen sancti Theodosii. Quod quidem cum dixisset, statim cessauit & ira feræ, & repressus est vehemens eius impetus.

28 *Ecce quomodo sancti etiam per seipsos in uirtute Dei miracula operantur.*

Iam verò qualis fuit in futurorum præscientia? Oportet enim paucis quæcunque sunt illius ostendere & veluti eorum gustum præbere. vt sit etiam manifestum oībus, quod quōo nullius ex iis quæ ex virtute geruntur, ita nec charismatum seu gratuitorum donorum fuit expers. Iussit aliquē vt præter solitam horam pulsaretur lignum. nondum enim erat hora secunda diei. & præcepit vt fratribus significaret synaxim. Illi autem conuenerunt quidem. neque enim poterant contradicere, vt qui optime didicissent obedientiam. Cum autem fuissent congregati, rogabant curam cōuenissent ante tempus. Ille verò, ò puram animam: ò oculos qui procul omnia aspicis, flebiliter lugens & miserabiliter, Orandū est, inquit, ò patres, orandum est. Video enim iram Domini quę iam mouetur aduersus orientem. Hæc ille quidem dixit. Illi autem tunc quidem neque videbant aliquid, neque vnà cum eo dolorē accipiebant. qm̄ non iisdem quibus ille intuebantur oculis. Sexto autem aut septimo die postquam prædixerat, auditum est Antiochiam fuisse magno terræ motu euersam, illo tempore quo iā prædixerat ille magnus. totque ornamenta, tantamque cecidisse speciem & pulchritudinem, & in vilem puluerem redactam iacere ciuitatē. quæ neque tanto casu dignas consecuta est lachrymas, neque luctum qui exæquaretur calamitati. Atque talis quidem fuit eius præsciētia. Res autem multas præclare ab eo gestas præcedens ostendit oratio.

Oportet autem hoc quoque addere, ad quantam humilitatis altitudinem peruenerit. Contendebant & depugnabant inter se aliqū duo ex fratribus. Is autem suadebat, vt componerent inimicitias, & odium commutarent amicitia quæ decet omnem Christianum: multo autem magis Monachos. Qm̄ autem dicens non persuadebat, videbat autem illorum

esse maiores inimicitias quàm vt suis verbis placari possent, fit supplex protinus. pastor, ouium, magister, Discipulorum pater, filiorum. & illorum bonum postulabat ipse tanquam proprium beneficium. eorumque morbū & vulnus medicus rogabat vt sanaret. Rogabat autem non leuiter nec contemptim. sed magnopere ac vehementer. sed magnam moderationem afferens & humilitatem. Se enim humi deiiciens iacebat, aperta figura humilitatis mollire se credens duritiem inimicitiarum. nec prius destitit rogare quàm eorum odium mollierit. & eos qui à se inuicem malè erant diuisi, amicitiæ vinculis colligarit.

Segregauit aliquem ex fratribus iuste se gerens, cum iusto s. coniuncta clemētia. videbat enim morbum egere tali medicamento. Ille verò bona malis commutans, simul & ordinem transiliit, & eandem rursus intulit pœnam. ei qui nihil habebat simile. perinde ac si quis iuberet sanos ea tolerare quæ tolerant ægroti. adeò vt sit manifestum fratrem quoque alio morbo laborare grauiori, nempe impudentia. Quid ergo magnus Theodosius moderatione & humilitate valde excelsus & cœlestis? Pœnam quidem suscipit tanquam quæ recte fuerit imposita, & vt quæ in ipso locū habeat. neque prius diuinis communicauit sacramentis, donec ipse qui ligauit induxit ipse quoque solutionem. Erat enim Mosis euidenter imitator, terribilis quidem & inexorabilis iis qui in Deum peccabāt. valde autem mitis & mansuetus iis qui ipsum offendebant. adeò vt nec veniret in contemptū propterea quod esset mitis & mansuetus. nec grauis ac molestus propter nimiam austeritatem & vt qui solum corporibus imperaret non animis. Voco enim quod ex metu quidem solum est imperium, imperium corporum. id autem quod desiderium quoque habet contemperatum, etiam animorum.

Non solum autem Mosis, sed etiam cuiusuis alterius in virtute excellētiam imitabatur. vtpote Abrahæ, quod Deo pareret in omnibus: & omnia propter illum contemneret. non solummodo pecuniam aut patriam: aut familiares & cognatos: sed ipsam quoque naturam & vitam. Iis enim qui genere attinebant, non Deum solum, sed eos etiam qui ex Deo viuebant putabat esse perferendos. & eos magis attrahebat ad cognationem propter virtutis rationem & studij & voluntatis quæ in idem confertur. Isaac in spiritales Patres vsque ad mortem obedientiam, & eius corporis gratum & acceptum sacrificium. Iacob perfectam sinceritatem & libertatem ab omni improbitate. Huius autem sunt fide digni testes qui cum eo consuetudinis & familiaritatis fecere periculum. Ioannis solitudinem & inediam. Petri, cum exacta fide vehementiam & ardorem. Pauli, pro eo quod est honestum, perpetuam actionem, afflictionem & diligentiam. & quod propemodum vniuersum orbem terræ, sicut ille, partim quidem pedibus, partim verò sermonibus, partim verò fama persuaserit. & vt semel dicam, quo quis pictor præstantissimus qui præstantissimos virtutis colores vndique collegit & rectè miscuit, is veluti quoddam exemplar suam vitam laudatu quàm imitatu faciliorem, proposuit virtutis studiosis.

Neque verò Iob admirabilis erat extra chorum eorum qui sumpti sunt ad imitandum. sed eius etiam tolerantiam, semper quidem, in fine autem apertius est imitatus. Nam cum iam esset è vita humana excessurus, & pro iis quos tulit laboribus mercedes & remunerationes quas sperauit ac-

cepturus, postremo eum inuadit morbus diuturnus, & propemodum ne iuueni quidem & florenti corpori tolerabilis, nedum tanta senectute confecto, & quam virtutis causa susceperat, afflictione. Ea de causa & toto animo iacebat in lecto cum inexpugnabilibus colluctans doloribus, & talibus dilatatus afflictionibus. Tunc enim attractam habens ilium pellem, & vt dicitur, vmbræ simulachrum effectus, adeo vt nihil ei præter ossa relinqueretur, nihil tamen molle, nihil illiberale, nihil indignũ aut fecit aut est locutus eo spiritu qui tali vitæ conuenit. Quinetiam cum quidam senex intensam ac vehemẽtem vim morbi aspexisset, & ei dixisset, Roga Deum. forte enim malum sic sistetur: non amico nec benigno, vt solebat, eum aspectu intuẽs. Ne tu mihi, inquit, o pater quidq; de eo dixeris. Nam cum me sæpe tales subiissent cogitationes, arbitratus has esse potius maligni insidias quam cõsilium, eas toto studio repuli. vt qui illud apud me reputauerim, q, præsentis quidem vitæ bonorum satis magnum fructum cœperimus. vt qui gloriam scilicet & nomen simus consecuti. Oportet ergo omnino affligi & mala perpeti, & aliquam habere partem quę digna sit ea quę est illic consolatione. ne nobis quoque merito illud dicatur quod diuiti dictũ est. Præcepisti bona tua in vita tua. His auditis se abscondit senex: & nec habebat quidem omnino quod sancto responderet.

Cæterum illius patientiæ & tolerantiæ multa quidem sunt alia quoq; signa: testes autem sunt ij quoque qui in tempore infirmitatis ei inseruiere, q, nihil ex animæ operationibus à morbo fuerit ei surreptũ, nec in amore diuinorum eloquiorum ipse omnino, seipso visus sit inferior aut frigidior. Est autem hoc quoque signum vehementis illius rerum diuinarum meditationis. Nam etsi illius oculus somnum sæpe gustauit, vtpote flexus ab ea quæ omnia vincit natura: at eius quidem certè labra faciebãt quod cõsueuerant, Quocirca etiam interim dum à somno surgeret, canticum ad Deum comprehendebant labris. adeo vt quod dicit diuinus Dauid in eo impleretur. Et noctu canticũ eius est apud me. Porrò autem multa quoque dicunt enim in morte diuinasse: multa autem etiam prædixisse de futuris per spiritum qui in ipso cohabitabat. Nam cum eum circunsistens totus cœtus fraternitatis, specie quidem illum, re uera autẽ seipsum vnusquisq; deflebat, vt qui talem patrem amitteret. qui eos in Christo genuit ex Pauli sententia, quiq; carnalium viscera longe vincebat sua in illos affectione: & cum quo vna maluissent deficere si fieri potuisset, quàm eum videre excedentem.

Is autem cum eos satis esset adhortatus vt in loco permanerent, & vt ingruentes tentationes ad finem vsque fortiter ferrent, & vt eis obedirent qui post ipsum præfuturi essent monasterio, & prædixisset omnia quæ erant euentura, dat eis illud signum q, finem essent acceptura ea quę dicta sunt. Si enim post meum, inquit, decessum videritis mihi gregem augeri, & quo magis tempus processerit, tanto se maiorem euadere & meliorem, tunc dico vos de aliis quoque bonam spem oportere concipere. Quod si non sint hæc hoc modo se habitura, clarum est fore vt nec reliqua finem sint acceptura. Quæ quidem an euenerint sicut ille prædixit, & finem acceperint ipsa ante alia testantur quæ videntur. magnitudo quidem ædificiorum monasterij, & multitudo eorum qui inhabitant, & eorum virtus eiusmodi vt cum eis nemo posit contendere. Viuam autem illius post

mortem

mortem quoque gloriam, & quāta ei fuerit apud Deum fiducia, quinam alij apertius ostenderint q̄ oculi quidem cœcorum, pedes verò claudorū, & manus eorum qui erant manci ante illius preces. ex quibus illæ quidē vt mouerentur; hi verò vt currerent, oculi autē vt viderent per eū accepe-rūt. & ante hæc ipse loculus reliquiarū qui vnguēti fons esse cognoscitur.

Sed hic quidem oratio quę nos portat tanq̄ fluentū aliquod, admonet me vt in eius morte amplius immorer, & tractem quemadmodum excesserit, & ea etiam quæ post ipsam sunt cōsecuta apertius eloquar. Postquam enim vidit magnus illam appropinquare, & sciuit futurū vt post tres dies ad communem patrem & cœlestem transmitteret. Cū tres solos Episcopos accersiisset perinde ac de re aliqua communi cum eis tractaturus. turbam enim & tumultus vitabat ille maxime. & simul etiam vt dierum numerum per ipsos ostenderet, q. s. plusquàm tres non viueret. Cum eos ergo accersiisset. salutat lætus tristes. lachrymantes non lachrymans. animo anxios ipse hilaris, sicut etiam erat consentaneum. Nam illi quidem priuabantur eo qui desiderabantur. Hic verò deducebatur ad eū quem magis desiderabat. & illi quidem se patre priuari ægreferebant. hic verò proficiscebatur ad Patris tabernacula. His quidem videbat finem eorum quæ ei afferrebant molestiam. Illi verò ducebant illius mortem esse rerum molestarum principium Deinde cum 29 manus sustulisset ad orandum, & labra sensim mouisset, ita vt iis qui adstabāt relinqueret cogitandum, q extremi ad Deum excessus verba loqueretur. & post orationem eas decore pectori imposuisset, generosam illam & verę Dæmonibus terribilem & inexpugnabilem animam commendat in manus Dei, cum oēs annos vixisset centum & quinque & paulo amplius. Deus autem eius mortem statim honorat diuino miraculo. Hoc autem fuit.

29 *Et hæc est oratio cum manuū eleuatione.*

Vir quidam nomine Stephanus, genere Alexandrinus, qui iam longo tempore vexabatur à maligno spiritu: & magnum quidem prius rogarat Theodosio vt eum curaret, & ideo vsque ad extremum eius spiritū permanserat, non autem impetrauerat, quodam diuiniori omnino consilio, vtpote q post vinculi solutionem, & beati Patris dimissionem, maligni quoque spiritus reseruaretur dimissio. Hic ergo cum fuisset prope lectum qui corpus ferebat iam mortuum, tunc enim erat sanæ & cōpositæ mentis, quod maiorem quoque ei dolorem afferebat, vt qui posset considerare in qualem incidisset infelix calamitatem, & q quam solam habebat spē liberationis, ea quoque sit priuatus, mansurus sit autem perpetuo hanc grauem sustinens tyrannidem, & ferens motum Dæmonis, secretos illos impetus, furorem, horribilem & quæ dici nequit agitationem, casusq; miserabiles qui ex eis oriuntur, & inenarrabilē apud homines ignominiam. Hæc cum in animo versaret, & rectè intelligeret, q nulla spes de cætero, & nulla ab eis relicta esset liberatio, graui dolore cor ei feriebatur. igne viscera incendebatur. grauissimo luctu anima tenebatur. quid non dicens. quid non faciens miserabile capillos acerbe vellens. pectus valde feriens. fronte misere solum pulsans. longum & acutum eiulans. pedes rigans lachrymis. eum qui iacebat, tanq̄ mortuum alloquens. Qui solus erat spes, solus Seruator recedit, reliquit nos deditos Dęmoni. Quodnā est adhuc refugium? Quęnā est adhuc expectatio? Nunc ensi melius est sua sponte incumbere. nunc ignē, nunc mare ingredi, & sic Dæmonis insultus effugere?

Hæc deflens infelix se in lectũ deiecerat,amplectebatur reliquias.mallebat vnà cum eo sepeliri q̃ lucem aspicere, tali Tyranno seruiens. Quid ergo Deus rerum admirabilium? Mouet quidem Dæmon interim dum flet,hominem. & cum eum humi deiecisset,& totum ipsum in oculis omnium dilacerasset,vt vel sic inuoluntarium significaret recessum,quamq; sit hominibus infestus & quanto in eos cieatur furore,eum relinquit. aut potius ipse exturbatur motus flagello diuiniore. Sic ergo ei & viuo & post mortem cessit terra,& cœlum & mare, & aër, & Dæmones. Terra quidem à feris. cœlum verò à siccitate. mare autem à periculis. aër vero à locusta & brucho. Dæmones autẽ à plagis homines liberantes. & nihil fuit quod non deinceps eius testaretur virtutem apud Deum fiduciam.

Cum autem fama repente in omnem locum peruasisset, q̃ & magnus Theodosius ad suum Dñm iam excessisset,& magnum de Dæmoniaco miraculum esset à nõ paucis auditione acceptum, Petrus ille magnus qui tũc Apostolicam sedem tenebat Hierosolymis,ille inquam Petrus, cuius magna quidem fuit fama, famam autem superabat virtus, accedit cum
30 multis 30 aliis Episcopis ad sepeliendas reliquias. Vndiq; autem concurrebat,& multitudo Monachorũ simul,& eorum qui simul promiscue versantur cum aliis. Omnes autem multum ponebãt studij,vt & partem aliquam attingerent, aut sanctorum illius capillorum, aut sacræ vestis, aut certè vt vel solum appropinquarent,& beatum illum vultum viderent. & de eo tãta certabatur contentione,vt ne diu quidem permitteretur sepelire reliquias. sed melius existimaretur prætermittere iusta quæ fiunt mortuis. Deinde verò tandem permittente multitudine honorifice simul
31 & splendide illud 31 venerandum & cœlis dignum corpus terræ mandatur & contegitur. non vt quod oporteret quidẽ abdi & latere,sed quod seruabatur potius piis tanquam opes & thesaurus. Ad gloriam Domini nostri Christi simul cum Patre & sancto Spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Par est ut uiri Deo dicati magnificã & gloriosam sepulturã habeant.

Ecce quibus encomiis sancti uiri corpus celebret. Quid hic dicent noui hæretici?

MARTYRIVM SANCTORVM
Christi Martyrum Hermyli & Stratonici.

Ianua. 13.

IMPIO Imperante Licinnio,& magnũ adhibente studium vt idola honorarentur sacris & sacrificiis,impendebat mors grauis omnibus Christianis: ciuitatesq; ꝓpter ipsos indagabantur: & regiones viciq; & agri curiose perquirebantur. & quicunq; Christianum vnum deferebat ad Imperatorẽ, videbatur is esse ei beneuolus & dignus maximis honoribus. Quocirca & ipse & q̃cunq; ei suberant,hac in re magna vtebantur diligentia. cum ille quidem vanis Diis, hi verò Imperatori gratificarentur impio & scelerato. Ad hunc ergo Licinnium aliq̃n in sublimi sedentem tribunali,accedit quidam ex ordine militari, diuinum deferens Martyrem. Est, dicens, vir quidam Hermylus nomine,qui ordinem obtinet Diaconi,qui diu quidem ab hinc obseruat & colit ritus Christianorũ: Deos autem & te subsannat & nihili facit ò Imperator. Hęc cum audiisset Licinnius,non distulit,nec protelauit,sed iis qui aderãt statim iussit,vt eum vbicunq; esset comprehen-

derent, & ad tribunal adducerent. Atque illi quidem cum in omni loco scrutati essent: & eum alicubi orantem, & sanctas manus tollentem comprehēdissent, ei significant iussum Imperatoris. Is verò statim alacer alacres est secutus. nihil ignauum nec molle aspectu præ se ferens. quibus ex rebus manifesta fit animę affectio. sed gaudens potius & magna repletus lætitia, quod esse propter Christum passurus.

Ille verò, Respōde, inquit, & aperte significa. ante Christianum fateris esse sicut audiuimus. Hic verò, Non solum hoc, inquit, cum præclara sententia & voce confiteor: sed etiam quod Deo qui sub visum non cadit sum cōsecratus: & ei assisto, vt qui illius factus sim Diaconus. Imperator autem volens se ostendere vrbanum vt valde ingeniosum. Ergo te, inquit, Diis diaconum, hoc est ministrum, exhibe. Martyr autem in risum vertēs eius promptum & versatile responsum. Videris, inquit, mihi esse surdus ò Imperator, aut etiā stultum agere. Dixi tibi me ministrare Deo qui non cadit sub aspectum. Non autē horum qui videntur, aut potius ne vident quidem, esse Diaconus quos ipse vt qui fallaris perinde ac Deos colis. cū sint lapides & ligna omnino inanima & surda opera manus humanæ. & quæ iis qui sapiunt sunt potius ridenda q̄ adoranda. Nō tulit Imperator dicendi libertatem: sed statim quibusdam instrumentis æneis ad sumendū supplicium cōfectis iubet genas quidem verberare Martyris: Præconem autem hæc proclamare. Ne sis linguæ nimiū profusus ò Hermyle. honora Imperatorem. Diis sacrifica, & liberare à supplicio. Is autem etiamsi sic verberaretur, perinde acsi nihil subiret molestum, contra Tyranno etiam exprobrabat imbecillitatem, vt qui dubij perplexique esset animi & plane victus: & ideo non secus ac ij qui sunt pusilli & abiecti animi ex ira inferret supplicium. Deinde etiam clariore voce vtens, Plagas, inquit, quæ nunquam desinunt, & diuinas manus experieris, quod eo qui te fecit relicto, surdis & mutis Diis attendis. & quod est grauius, aliorum veluti saluti inuidens, contendis ad eundem trahere interitum.

Postquam autem visum est Imperatori sufficere suppliciū: & ira aliquid remisit de nimia acerbitate, tradit Martyrē carceri. & tres dies iussit in eo manere. Fortasse, dicens, ducetur pœnitentia vanæ suæ pertinaciæ. Martyr itaque abiens carcerem, psallebat. Dn̄s mihi adiutor. Non timebo. "
quid faciat mihi homo. Dn̄s mihi adiutor. non timebo quid faciat mihi "
caro. Iam autem ingrediens custodiam, Qui pascis Israël, dicebat, attēde. "
Qui deducis tanquam ouem Ioseph. Qui sedes super Cherubim, manifestare, "
& veni ad nos seruandos. Sed sic quidem Martyr. & sic quæ erāt grauia "
& molesta propter Christum pati voluit. Christus autem quō se habuit? Num famulum contempsit. Num illo patiente neglexit ipse consolationem? Et quō fuerit hoc nostri Dei, benignitatisque & clementiæ quæ omnem superat cogitationem. Non ergo defecit opem ferens. sed etiam incitauit ad animi fortitudinem. & ad eum Angelum mittit consolatorem, dicentem, Hermyle. Esto bono animo, & noli timere. loquere & noli tacere. Decerta, & noli timere. Mox enim vinces Tyranni machinas. & desuper feres pręclaram coronam martyrij. Sic Deus armat potius aduersus Tyrannum qui non apparet. Sic accingit virtutem. & docet quidem manus ad bellum. dat arcum autem æneum. Ponit brachia & clypeum salutis.

Post tertium certe diē cum tribunal ascendisset Licinnius, protinus di-

uino adducto Hermylo. Num modo, inquit, statuisti Diis sacrificare, & ab imminentibus, terroribus, minisq;, & periculis liberari? An adhuc, inquit, ferris per præcipitium: & eadem rursus te cepit amētia? Ad hæc fortiter admodum Christi miles, & pro dignitate eius qui illum armauerat, Semel, inquit, dixi tibi ô Imperator. & oportet contentum prioribus, de iisdem non mouere amplius. Est enim mihi Deus in cœlis cui soli viuo, & cui mox meipsum hostiam offerre propero: & à quo spero maximū venturum auxilium. Videam ergo, inquit Imperator, an is qui cœlos habitat satis tibi afferet auxilij. Statimq; iussit: & viri sex raptim quod iussi fuerant exequētes: viri manibus robusti: immites & crudeles animo: cædem & furorem spirantes, cum humi Martyrem extendissent, virgis cædebāt crudelissime. Atque illi quidē sic faciebant, mortali Regi seruientes. Martyr autem perinde acsi nihil haberet commune cum carne quæ sic patiebatur, neque dolorum vllum sensum caperet, quiete perseuerabat in oratione, & Deo attendebat. Hæc autem erat oratio.

Dn̄e Deus meus, qui propter me sub Pontio Pilato flagella & plagas tolerasti, ipse me rursus propter te patientem confirma vt possim cursum præsentem perficere. vt cum socius fuero perpessionis, dignus quoque sim qui splendoris efficiar socius. Et talis quidem fuit eius oratio, vox autem protinus audita est desuper, dicens. Amen, Amen Hermyle. Post tres dies liberaberis à præsentibus molestiis. Præclaras autem & magnificas accipies præsentium laborū remunerationes. Et vox quidem Martyri magnam attulit audaciam & animi fortitudinem. lictoribus autem magnū incussit timorem. omnesq; repēte in terram procidentes tremebant & trepidabāt. adeò vt nec ipse Imperator, nec vlli alij fuerint immunes ab animi perturbatione, sed omnes ex æquo moti fuerint. etiamsi ille præ impietate cæcutiens & grauissime furens, noluerit intelligere vt bene ageret. nec vitium est auersatus, vt dicam cum diuino Dauide, nec vllam eius qui hæc faciebat miracula vel minimam acceperit notitiam. sed in carcerem rursus obscurum & tenebricosum lucisq; expertem tradidit Martyrem.

Sed mentem adhibere oportet orationi, & Dei sapientiæ arcanum intelligere. Hinc enim proficiscitur id quod est orationis iucundissimum, & est Athletæ coniuncturū commilitonem. Is enim cui in custodiam fuerat sanctus creditus, & qui curam gerebat carceris, erat ei valde amicus & familiaris. Quis hic est? Stratonicus ille sapiens. qui videbatur quidem eadem sentire quæ amicus, & esse in religione eiusdem sententiæ. Nondum autem audebat pietatem libere profiteri. Neque Ioseph. occultam superauerat disciplinā. se amici tamen misereri, & eius ęgreferre cruciatus, ostendit multorum oculis. Sed de Stratonico quidem in præsentia dicere differamus. ea enim persequitur oratio quæ ad diuinum pertinent Hermylū: nec patitur eorum abrumpi consequentiam. Martyri ergo Hermylo ingredienti carcerem hæc opportune canebantur & prudenter. Dominus
„ illuminatio mea & saluator meus, Quem timebo? Dn̄s protector vitæ
„ meæ. à quo trepidabo? Dum appropinquant super me nocentes, vt edāt
„ carnes meas. Qui tribulāt me & inimici mei, ipsi infirmati sunt & ceciderunt.
„ Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum. Si insurgat
„ aduersus me bellum, in hoc ego sperabo. Sic dixit. & statim lux mirabilis desuper in ipsum erumpit ad confirmandum id quod canebatur. & vox

rursus

rursus illinc est audita, iubens Athletam bono esse animo: & psalmum similiter confirmans, & sicut erat ei pollicitus post tertium diem finem esse venturum.

Sequenti autem die cum procedendum esse significasset Licinnius, & presedisset in tribunali, proclamari iussit per preconem vt duceretur Hermylus. Ille verò læto animo ductus est, lætis oculis, & cor habens plenū letitia. externus enim aspectus hoc aperte significauit. Subridēs autem & caput mouēs Licinnius, & veluti sanctum aperte ludificans. Age, inquit, ꝙ tibi conducibilis fuit illa obscura custodia? Quō hoc quod intercesit spatium tibi reuera attulit aliquam sententiæ mutationem: & persuasit iussis cedere Imperatoris: & Diis reddere ea quę debētur. an adhuc nobis opus erit tormentis aduersūs tātam tui cordis duritiem? Martyr autem, Mihi quidem, inquit, tetrum illud & tenebricosum domicilium magnam lucem conciliauit. & nunc mea versatur anima in tranquillitate & voluptate & inexplicabili illuminatione, quæ futuri mihi spem bonā porrigit. Ego autem valde miror, quemadmodum quæ in te habitant tenebræ nullam suscipiunt mutationem: sed semper profundæ & concretæ insident tuis animæ oculis, quæ nequaquam sinunt aspicere veritatem. Cum tam aperte impietatem Imperatori exprobrasset, Licinnius illi vehemēter & cum magna respōdens acerbitate. Nihil aliud inquit, vt videtur, didicisti, nisi solummodo appetere contumeliis. quod quidem est linguæ intemperantia, & animæ audacia, & vt semel dicam, amentia. Sed tamen respōde & dic aperte. Diis ne sacrificabis, & nobis cedes sic imperantibus, an te vti oportet vt mereris? Christi autem martyr Hermylus. Habes, inquit, responsa ò Imperator. & nihil ex iis à nobis amplius audiueris. fac deinceps quod velis. & exequere ea quę statueris.

His ira percitus Licinnius iubet eū porrectum supinum virgis figura triangulis in ventre verberari. Et erat quidem hoc graue tormentum, & corporibus humanis minime tolerandum. Anguli enim virgarum, non secus ac quidam enses, carnes vehementer tangebant. Sed Athletæ etiam cū verberaretur tam immisericorditer, vnum erat solatium, nempe Christū fixis oculis aspicere. Vnum benignum medicamētum preces quas ad illū fundebat, quibus plagas iucunde aspergebat, dicens. Dn̄e ad adiuuādum me festina. Ille verò cito ei adfuit, & faciens vt ferret dolores facilius, & annuncians eius consummationem. Imperator igitur vt qui esset irritatus eo ꝙ non pareret, & egregiam illam Athletæ pro pietate cōstantiam existimaret esse suæ contemptum potentiæ, manebat adhuc puniens, & vt eum esse persuasurū arbitrans. Quocirca iussit eius ventrem perfodi aquilarū vnguibus, donec suis, inquit, oculis sua videat intestina. Propter quæ dixit Martyr. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. „
Sicut ex adipe & pinguedine repleta est anima mea: & labiis exultationis laudabit os meum. Et hæc quidem sic. Quæ autem sunt deinceps „
consecuta quomodo?

In animo quidem habebat Tyrannus eum rursus dare in custodiam. vt eum rursus puniret acerbius. Egregius autem Stratonicus iam enim postulat oratio vt ad finem deducam promissum, cum videret Hermylum sic patiētem, nec ei posset omnino opem ferre, faciebat id quod poterat. amici miserebatur. & acerbum dolorem capiebat. vultusꝗ́ eius con-

ciderat. & ex eius oculis guttatim profluebant lachrymę. Quo factum est vt cũ sic se haberet non potuit latere: sed cum quidam ex commilitonibus eum tristem vidissent & mœrentem, & causam rei deprehendissent, ad Imperatorem accedentes, Stratonicus, inquiunt. ò Imperator. Stratonicus custos carceris, apertè ostendit se erroris et Christianismi societatem habere cum Hermylo. Videtur enim eius misereri, & eius causa in animo magnum dolorem concipere. Ille verò cum statim accersiuisset Stratonicum, rogauit an esset amicus Hermyli. Discipulus autem veritatis minime est mentitus. nec sustinuit ignauam & pusilli abiectiq; animi pietatem apud se occultare. Sed tempus esse arbitratus vt hæc Dei ociosa cognitio prodiret ad opus, & magnum sibi pararet fructum per confessionem, se esse amicum Hermyli & Christianum protinus est confessus: & eos qui colunt simulachra magnæ condemnat ignorationis. Timeo eñi, inquit, ego solum Deum qui fecit cœlum & terram.

Adhæc mouetur Imperator: & iubet eum grauissimum subire supplicium. Id autem erat vt ex illis virgis plagas nudo toto corpore acciperet. atque adeò eo vsque donec ipsa vox eum deficeret. Et sic quidem Licinnius. Martyr autem etsi esset tot malis implicatus, amicum fixis aspiciebat oculis: & eum vocabat: eoq; vtebatur ad Christum intercessore, dicens, Hermyle ora pro me Christum. vt cum erga ipsum firmam ac stabilem seruauero confessionem, possim facile superare Tyranni insidias. Interim autem ipsum quoq; ludificabatur Licinnium, cęcis Diis sacrificare prohibens: & veri Dei vindictæ ei terrorem incutiens. in cuius manus incidere, verè terribilem habet & ineuitabilem perfectumq; interitũ. Licinnius autem cũ vidisset sanctum Stratonicum satis saucium, parsit eum amplius punire, non ꝙ humana mens & clemens animus eum moueret ad misericordiam. sed vt ei locum daret pœnitentiæ, cũ eum prius tormento terruisset. Et ideo eum in præsentia tradidit in custodiam. Ille verò etsi esset in custodia, Iesum ducebat suam esse consolationem, & cũ
„ eo per preces colloquebatur. Domine, dicens, ne memineris nostrarum
„ antiquarum iniquitatum. Fer nobis opem Deus seruator noster propter gloriam nominis tui. & simul vox diuina est consecuta, dicens. Cursum consummauistis. fidem seruastis. De cætero vobis est reposita corona iustitiæ. ꝗ cras accipietis.

Cũ autem iam esset dies, adductum Hermylum rursus interrogauit Licinnius an Diis sacrificaret. Ille autem, Eadem quæ prius, inquit ò Imperator, do tibi nunc responsa. Quamobrem vre. puni. scinde. fac quidqd tuo insederit animo. Didici enim non timere ab iis qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Hæc cũ audiuisset Imperator, & desperasset fore omnino vt sanctum in aliam traduceret sententiam, eum suspendit in ligno. & iubet eum vehementer scindi. Sed etsi eius carnes tã acerbe scinderentur, non ignorabat vndenam esset salus iustorum. nempe ꝙ à Domino: & ꝙ est eorum defensor in tẽpore afflictionis. Et ideo esto mihi adiutor Dñe & redemptor, dicebat assidue. & perinde ac si videret aliquem desuper audire dicentem, Noli timere. sum enim tecum. & Deus tuus ego sum. Veritus ergo Licinnius, & exauditione veluti conturbatus, ex ligno deducit martyrem: & eum condemnat vt in Istro fluuio intereat, iubens vt in eum iaceretur. stultus fortasse arbitratus, ꝙ sic passus

Hermylus omnino interierit, & nec venerabilis quidem eius corporis futura esset inuentio. Ad ipsum autem adducto Stratonico visus est suggerere & admonere ea quæ essent vtilia. Crede, inquit, mihi ó miser. crede. & Diis velis sacrificare. ne tu eadē quoq; patiaris quæ amicus: & ambo subeatis eandem pœnam inobedientiæ. Rñdens autem Stratonicus, Re uera, inquit, miser fuerim, si tibi parens, cū ille sit mortuus propter Xp̄m, ipse velim viuere. Licinnius autem, Quid ergo vis mori cum Hermylo. Maxime quidem, inquit, diuinus Stratonicus. Etenim, inquit, si oportet amicos cōes habere calamitates, oportet omnino eos quoq; bonis frui cōmuniter. Quid autem nobis fuerit iucundius aut pretiosius q̄; pati propter Christum? Propter quæ cum desperasset Imperator fieri posse vt persuaderet Stratonico, similem quoque in eum fert sententiam, & eodem fine vtrūque condemnat. quos etiam reuera par finis excepit, cōmunisq; beatitudo & exultatio.

Ad mortem itaque ducebantur Martyres, dicentes, Gloria in excelsis Deo. & in terra pax. in hominibus bona voluntas. qui quidē in hymnus conueniens iis qui sunt bonum aliquod consecuturi. non eorum qui deducuntur ad mortem, aut ad aliquam aliam causam tristitiæ. Postquam autem iam peruenissent ad fluuium, in rete iniecti ab iis quibus hoc datū erat negotium, trāsmittuntur in profundum. Cū suscepisset autem fluuius corpora sanctorum, & quanto oportuit fluento esset sanctificatus, ea rursus tradit manibus fidelium. vt qui talem, vt arbitror, thesaurum apud se diutius abdere non sustinuisset, & tanti boni iactura afficere Christianos, cum prima eorum non apparuisset bonitas. Tertio ergo die postea, visa sunt corpora Martyrum: In quæ cum incidissent quidā viri pij, & quorum erat officium venari corpora sanctorum: & ea optantibus manibus pie ac religiose suscepissent: & sacros hymnos 1 cecinissent: & quæcūq; mos est Christianis peregissent: in quodā loco qui octodecim stadiis abest à ciuitate Singedone, ea simul deponunt. vt eis essent omnia cōia & amica. in Christum confessio. in carcere habitatio. in flumine demersio. supernę glorię consecutio. in vno loco corporum depositio. Gratia & benignitate Dñi nostri Iesu Christi. Cum quo patri simul cum sancto spiritu gloria. potentia. honor, & adoratio, nunc & in secula seculorum. Amen.

1 *Vide quomodo in sepultura fidelium sacri hymni canuntur, & alia multa secundum Christianā consuetudinē peraguntur.*

NILI MONACHI, DE INTERemptione sanctorum Patrum qui erant in Sina & Rhaiti regione.

Ianua. 14.

CVM post incursionem Barbarorum errarem ego, veni in Pharā. Quidam autem ex iis qui aderant, cum audiissent me laudare vitam 1 eremiticam, ipsi quoq; ex se multa adiiciebant encomia. dicentes eam esse plenam tranquillitate. liberam ab omni perturbatione. vt quæ animę statum quæ in iis quæ videntur philosophatur, silentio & quiete amplificet. & per hæc via progredientem ducit propè Dei cognitionem. quam quidem esse extremum expetendorum, & extremam beatitudinē, omnes qui fuerunt à seculo sapiētes, tanq̄ vna lingua & vno animo opi-

1 *Ecce quanta eremiticæ vitæ commendatio.*

nantur. Cũ lachrymantibus autem defixisq́ꝫ oculis eos attenderem, & miserabiliter admodum eiulassem, sedebam enim valde cõturbatus propter eas quæ mihi acciderant molestias, ipsoq́ꝫ vultu manifeste annunciabam meam calamitatem.

Postquam illi hæc viderunt, adhuc fortasse volentes producere seriem orationis, cũ à recta paululum declinassent, & simul in orbem circũsedissent, & deinde paululum siluissent, rursus loqui aggredientes, diligenter & cum quadam commiseratione me rogarunt causam cur sic essem perturbatus. Vbi autem ad eorum rogatum fleui adhuc lamentabilius. maiorẽ enim mihi commouit animi perturbationem interrogatio eorum quę acciderant, & rursus coget cogitationem res tanq̃ præsentes intueri: illi rursus statim, Nunquid, dixerunt, ò senex, eorum quæ à nobis dicta sunt aliquid fuit tibi causa doloris? an errorem nostrę deflens sententiæ, nos dicere falsum deprehendisti? Non paruam enim intrinsecus tristitiam ostendit & ipse aspectus, & lachrymæ oculorum. Sed sic illi quidem. Ego autem eis dixi.

O' patres & fratres, Quid vobis primum dicam? Ad quid autem respondebo, cũ iam nubes mœroris menti meæ offundat tenebras? Nam sum quidem ipse quoq́ꝫ vestræ, vt videtis, sententiæ. Solitudinis autem sciens quanta sit vtilitas, eam olim sum admiratus. & cũ propter eius desiderium statuissem omnia relinquere, domum. patriam. cognationẽ. amicos. consanguineos. facultates totum illi me dedisti. sed ea mihi eum perdidit qui erat omnium charissimus. & solum vt videre licet reliquit desertum ab omni consolatione. & propterea eam non sinit omnino laudare animi perturbatio, cũ desiderij veluti tyrannidem vicerit graue malum quod accidit. Sed ò stultitiam, progressus sum ad philosophãdum relicta filij lamentatione. & mihi inuenit otium cogitatio, quæ nunc quoq́ꝫ nihil aliud suscepit cogitandum præter cędem Theodosii. Mihi enim perpetuo eius remanet simulachrum, alias aliter visione apprehendens variis modis factam fuisse interemptionem. & flebilem vocem mihi audire videor: & eum ob ictum humi se temere volutãtem aspicio. illa mente apprehendens quæ par erat præsentem eum visu didicisse. Hei mihi miserande fili, etiamsi adhuc vixisses esses mortuus. O' acerbam seruitutem, etiãsi mortem effugisses. O' insepultam sepulturã, si barbaricus ensis te confecisset. Quid seruitutem lamentabor? Quid mortem deflebo? Nam si vis superstes (quod non sinit vt existimem probabilitas: Qñ enim non fuit manus barbarica prompta ad occidendum, inseruiens irę quæ semper sitit humanum sanguinem) Quis est tuus vitæ status? flagella omnino quotidiana. & iussa plane inhumana. minæq́ꝫ citra veniam, & violentia. His quoq́ꝫ accedunt opera grauissima quæ tuas vires excedunt. & custodia quæ caueri non potest. & libertas quæ omnino est à spe aliena. imo vero metus quoq́ꝫ mortis quotidianus qui propè habet ensem. eo enim scit barbarus metiri suam iram. vt qui non loris nec viminibus vti solent ad verbera. sed paruis & magnis delictis vnam pœnam imponat, mortẽ. quando etiam absque peccato, aut ebrietate debacchans, aut temerario cedens impetui & inconsideratæ appetitioni, facile aliorum ludere interitum didicit consuetudine.

Sin autem, es mortuus: vbinam accepisti occasionem corporis? vnde-

nam

nam processerunt fluenta tui sanguinis? Quõ palpitasti atro cruore conspersus, & miseris pedibus mortiferam saltãs saltationem? Quõ supplex fuisti ei qui te interimebat barbaro, eius sæuitiam volens emollire miserabilibus gestibus? Nam alter alterius vocẽ minimè intelligebatis. in qua quis apte & concinne componens precationem, iratam animam sæpe flectis ad misericordiam. Quisnam locus tuum cepit corpus? Quænam feræ tuum corpus dilaniarunt? Quænam aures repletę fuerunt tuis carnibus? Quodnam sydus oriens vidit tui ventris mysteria. & aspexit tua effusa viscera? Quidnam feros ferarum vicit dentes, vt quod vel fuerit reliquũ satietati, aut propter duritiem manserit non confectum? quod quidem aprico est soli expositum, & propter solitudinem sepulturam minimè est consecutum. Si quis hoc allatum mihi dedisset, aut me duxisset & iuxta id statuisset, haberem saltem aliquam paruã doloris consolationem, tanq̃ viuum & sentiens relictum membrum alloquens. seu os. seu caro. seu pilus esset id quod visum fuisset. Nam quorum in calamitatibus moderatę sunt res aduersæ, habent magnum vt in malis commodum. & se re uera secunda quadam explent voluptate, dum eos qui ad ipsos attinẽt in morbo diu curant, & videndi satietatem tempore accipiunt, eisq́; asistent dũ deficiunt & agunt animam, & extrema verba audiunt, eosq́; dum efferuntur sequũtur, & sepulchro vident extremum impositum signaculum. Quæ quidem omnia ei qui luget magnam afferunt consolationem. deductio inquam & sepultura, & amicorum commiseratio, leuantia animi ægritudinem.

Ego autem quonam horum consolabor dolorem, qui nec sciam quidẽ quõ sit mortuus. neque mortui habeam simulachrum visione expressum quale esset in fine? Quorum enim aspectus memoriæ non mandauit figuras, eorum sunt formæ instabiles & minimè terminatæ, & alias aliter expressæ, & simulachrorum varietatibus deceptam cruciãtes cogitationem. O' malorum incertitudinem. O' dubiam & inopem calamitatem. Nescio quid primum defleam. quid conquerar ignoro. mortuum lugebo an viuum? vinctum an omnino sublatum de medio? acerbam tolerantem seruitutem. an qui cędem subierit miserabilem? Captiuus enim est obnoxius & subiectus omni contumeliæ. pœnisq́; ac suppliciis vel inuitus submittitur, vtpote q́ sit in eius Domini potestate quam velit ferre sententiam. O' qui mihi in hodiernum vsque diem fuisti omnium quæ erant in vita socius. & solus captiuus seruitutis fecisti periculum. Fuisti socius longe peregrinationis. sensisti mecum ęrumnas in terra aliena. fuisti in solitudine particeps afflictionis. Isaac in iis quæ patri videbantur imitatus es obedientiam. Quõ ergo nunc solus subiisti extremam calamitatem? & solus exantlas mala captiuitatis? Cur ergo propter clemẽtiam ensis euasi periculum? Cur non me aliis quoq́; mortuis adiecit crudelis dextera? Sed mihi parsum est, vt mala fortasse maiora experirer: & q́ meæ breui inuideretur liberationi, vt modo longum de te luctum sentirẽ. Sed magna quidem animi ęgritudo hæc mihi præbet dicenda. qm̃ autem vos quoq́; video, mecum tangi misericordia, & non aliter esse affectos q̃ ipse qui est passus. eius autem quod dico signum est & intensa auditio, & continui luctus, omnia mea vobis sigillatim vt se habent narrabo. & maximè si vos ad me audiendum breue otium accommodaueritis, & nulla

res necessaria vos vocet ad propria. Nam ipsi quoque scitis grauem esse narrationem si distrahatur animus, atq; adeò tędium pbere et molestiam.

Hæc cũ ex illo audiuissent, & vultu & voce ostendentes se ęgreferre q rogassent. Quod aliud, dixerunt, est otium præstabilius, q̃ curare cor excruciatum, & exinanire dolorem animæ quæ molestia afficitur. Leuatur enim anima ęgritudine, cũ narratione eorum quæ sunt molesta veluti exinanitur animi ęgritudo: non secus ac nubes aliqua à qua distillant guttæ pluuiæ vtpote q caligo paulatim expurgatur, sicut rursus feritur silentio, perinde acsi pus aliquod humidum inflammaret & in vulnere saliret & palpitaret, & nesciret quonammodo posset egredi & exinaniri. Visi sunt itaq; dicere probabilia. Cũ illi certe sic dixissent, ego sic promissum exequi incipio, sic dicens.

Mihi misero, ò amici, fuere duo filij. & hic qui mihi modo fuit luctuũ occasio: & alter qui remansit apud matrem. Post hos susceptos dissolui cum mea vxore consuetudinem. siue ad successionem generis, siue ad curam gerẽdam senectutis arbitratus hos sufficere. Me autem traxit quoddam vehemens desiderium vt huc venirem. eramq; toto animo erectus ad quietem & silentium. neque aliud poteram animo cogitare aut aspicere præter hoc. Qñ enim cuiuslibet rei desiderium animum inuaserit, ab omnibus rebus per vim abstrahit, etiam à rebus bonis & in quas est studium conferendum: & fert ad id quod desideratur, propter nullum laborẽ aut defatigationem desistens ab appetitione. Cũ ergo iuberet mihi vt peregrinarer: nec liceret repugnare sic iubenti tyrannice, accepi filios, erant autem paruuli & plane infantes, & adduco ad matrem. & vnum quidem ei trado. alterum autem apud me detineo. & dixi quod constituerã & constanter asserui fore vt nequaquam ab hac traducerer sententia.

Illa autem prius quoq; erudita minime contradicere, & tunc meum videns vultum rogari minime ferentem, vim non ferens. sed nec omnino valens continere lachrymas, 2 permittit vt peregrinarer, potius cedens necessitati q̃ voluntate consentiens. Cũ enim videret firmum ac stabile iudicium, & apud se consideraret dolorem separationis, eo neglecto quod sibi esse posset molestum, id spectabat quod mihi futurum esset gratum. malens vinci in iis in quibus etiamsi vellet non poterat vincere. Scitis autem omnino quanta res sit disiunctio eorum qui fuerunt vniti coniunctione legitimi matrimonij, & qui facti sunt corpus vnum arcano eius qui coniunxit consilio. Non minus enim in his molesta est separatio quã si corpus secaret gladius. Ego autem virtutem sum admiratus cupiditatis qñ vidi eam vicisse & naturam & diuturnum habitum. Quanta enim esset coniectabam ex eo q vincula soluit insolubilia, quæ sola mors nouit soluere, quæ propterea q desit sensus efficiat vt careatur molestia. Sensus autem viuis vehementiorem atq; adeò intolerabilem immittit dolorem. vt qui & consuetudinem reuocat in memoriam & naturalem affectionem. cuius ego propter maioris boni desiderium nullam ducebam rationem. vt qui magis proposito festinarem ad secessum. Ea me fecit amatorem huius quietis & silentij, & deduxit ad eam quę desiderabatur solitudinem: effecitq; vt diu iucunde viuerem magna fruens tranquillitate, & secundo vento ad scopum tenderem. donec procella quæ nescio vnde & qũo spirauit, illam inuexit tempestatem. quæ sanctorum cor-

2 *Potius speciali spiritus sancti instinctu post matrimonium per carnalem copulã cõsummatum, potuit sanctus religionẽ ingredi uxore id cõcedente inuita, quam ex iure communi, secundum quod non sufficit ad hoc uoluntarium mixtum.*

porum vexauit cateruas innumerabiles. etiamsi non profundo obruit. Solum enim contriuit. neque tn̄ eos vllo damno affecit eorum quæ exportabantur. Nam cum totum onus mercium in se recepissent gubernatores, & proram ad cœlum erexissent, iis quæ solutæ erant tabulis relictis prædonibus ad Dei portum appulerunt.

Illi autem rursus excipientes, Et quonamodo, dixerunt, ó frater, fuerūt sancti interempti? & qūo qui Deo seruiebant citra reprehensionem, traditi sunt impiis & scelestis hominibus. & fuerunt dexteræ ludibrium barbaricæ: & cessauit virtus prouidentiæ in tali actu silens. neque insultum prohibere aggrediens, neque rursus impudentes ferire cæcitate. aut etiam iniquas exiccans dexteras q̄ aduersus impius extollebantur. qualia beatis viris sæpe facta esse narrant scripturæ. Babylonij enim, aiebant, qui aduersus Ezechiam aliquando iniustè bellum mouerunt, reuersi sunt re infecta: & nec potuerunt iniuriam facere iis quos populabantur, & præterea amiserunt multos ex suis copiis. vt qui omnes cum toto fuerint exercitu sopiti. exiguus autem viuorum numerus mane fuerint inuenti. erant enim interemptorum centum & octoginta quinque millia. Qūo autem fuerint interempti aut quis interemerit, non poterant omnino dicere. sed in vna nocte vnius Angeli opera fuit tanta cædes facta per silentium. & iacebant omnes, existimabātuŕq; potius dormire q̄ esse mortui. vt qui nec ictum haberent gladij, animæq; eis simul totæ ablatæ fuerant. vere mortui, & nullum habentes vestigium occisionis. & diu dubium fecerunt id quod acciderat. Proximum enim pungebat vnusquisq; à somno excitās. vocabat & mutus manebat. scrutabatur corpus, & non erat saucium. in naribus quærebat spiritum. & non inueniebatur in loco in quo quærebat. donec sol mane illucescens ostendit quid accidisset, colore eorum qui interempti fuerant ostendens signa mortis.

Et rursus qui Elissæum inuaserant Assyrij, & sanctum quærebant ad cædem, & qui Loth obsidebant Sodomitæ, ab Angelis in domo percussi sunt cęcitate, in irrisionem & ludibrium dati iis quos quærebant. qm̄ eos omnino volebant afficere iniuria. Nam hi quidem solutis membris contrectando quærebant ostium. Illi autem nesciebant quonam tenderent. forte prope habentes eum qui quærebatur: sed eis non permittebatur ad eum accedere. Atque vnum quidem inermem tanta hostium captiua sequebatur multitudo, quæ fossis & præcipitiis facile poterat deleri, si is qui ducebat voluisset. quę tunc demum fuit salua qn̄ visum recepit Prophetæ prouidentia, & potuit videre viam quæ eos ad sua ferebat. Neque verò hæc solum, sed etiam cū Propheta aliquando Regem impium argueret iniquitatis, qm̄ à ratione aliena ira motus armauerat dexteram ad illius cędem, sic nutu Dei mansit dextera omnino sublata & planè immobilis. perinde acsi esset statuæ potius q̄ hominis. non aliam ob causam nisi vt Prophetæ corpus maneret illęsum. Qūo ergo q nuper morte fuere affecti, mortui sunt citra auxilium: & eorum qui interemerunt animus rē facile confecit, cum nihil graue vlla ex parte occurrisset?

Ego autem rursus loqui aggrediens, sed quid vobis opus est, inquam, rationes mouere prouidentiæ? Quis est autem idoneus ad comprehendēdum arcana Dei iudicia? vt in tanta rerum difficultate ius ostendat Dn̄i dispensationis. Imbecilla enim est humana ratiocinatio ad ea perscrutan-

da: & decidit superata, propterea quod non pateat via comprehensioni. vt quæ non inueniat causam rationi consentaneam quam accommodet iis quæ fiunt. Multa enim sæpe eiusmodi facta sunt: & finem acceperũt malorum insidiæ, cum interim iustitia silentio præterierit vltionem eorum quę fuerunt perpetrata. q̃nquidem omnino tempus iudicij expectat taliũ rerum inquisitionem. Q̃uo enim Abelem cui Deus dedit testimoniũ pietatis; inuidia motus interemit Cain qui primus parẽtes affecit tristitia. cũ nunquam vidissent mortuum nec omnino mortis fecissent periculum? Q̃uo ergo is absque supplicio præterierit, qui Deum sic ad iram prouocauit ob primam cædem perpetratam, & in noua creatione minuit genus quod modo cœperat crescere. & neque eius vt fratris est misertus, qui ortus & educationis ei fuerat socius: & in tanta terræ amplitudine conuersaturus erat vnà cum parentibus, & eis ablaturus molestiam solitudinis? Q̃uo autem Nabuthẽ lapidibus obrui inique se gerens iussit Iezabel, quod ei nõ cessisset possessione vineæ? Q̃uo autem vna Doec romphæa ceciderunt sexcẽti & triginta sex Sacerdotes: aut rursus infinita iustorum multitudo de medio sublata fuit in Hierusalẽ, ferisque & volucribus exedenda est exposita? Quorum etiam Psalmographus contexens lamentationes. Posuerunt, inquit, morticina seruorum tuorum escas volucribus cœli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrę. Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem. & nõ erat qui sepeliret. Q̃uo autem Prophetarum quoque sunt mortui & Apostolorum chori violẽtis & iniquis manibus? secti. occisi. lapidibus obruti. qui non solum nihil morte dignũ fecerant, sed multi quoque ex iis beneficio affecerant eos qui interemerũt! Mitto enim dicere de ætate infantium qui mala non fuerant experti, quẽadmodum alij quidem iussu Pharaonis in fluuij aqua fuerunt suffocati. alij verò iussu Herodis gladio crudeliter perierunt qui prius quam quæ erant vitæ iucunda gustassent, mortalis doloris fecere periculum. ne omnino lateret educatus is Rex quem suspicabatur.

Et in his quidem omnibus quieuit Iudex, relinquens impune ferri & citra vllum impedimentum parricidarum insolentiam. Diẽ enim iudicij posuit terminum remunerandi ea quæ facta fuerint. Et ideo interea est patiens, vt qui legum transgresionem & vitæ actæ rationem in illud tempus reseruet. Sed hæc quidem nec sunt præsentis temporis, nec meæ dicẽdi facultatis, vt dixi antea, & magno tempore & cognitione indigent, vt ea diuinæ iustitiæ vt par est exæquentur. Quæ autem vrgent vt eloquar id quod mihi accidit, ea iam dicam. & fortasse leuius me habebo dolore parum remisso. Non fero enim memoriam illius quod re ipsa vidi. vt qui nescio q̃uo illius rei fecerim periculum, cuius ne recordationem quidem possum facile sustinere. propemodum autem ipsis quoque succẽseo oculis qui mihi causæ fuerũt figurarum, ad quas dum cogor aspicere, habeo dolorem perpetuo pungentem, & noctu quidem in somniis, interdiu autem vexantem cogitationibus. Neque enim me dormientem cura omnino remittit: neque sinit dormire absque sollicitudine. sed tunc quoque me quædã conturbant visio eorum quæ facta sunt. & ostendunt simulachra recenter occisum & palpitantem: & veluti propter casum recentem rursus dolorem renouant. Necesse est ergo, cum consequentia hoc postulet orationis, narrare prius vitam sanctorum qui erant in illis locis, & exponere vitam

barba-

barbarorum qui inuaserunt: vt cõcinne compactum vt par est fit corpus historiæ nullo prætermisso ex iis quæ debeant cognosci à studiosis.

Atque gens quidem quæ dicta est, habitat solitudinem quæ ab Arabia vsque ad Ægyptum rubro mari & Iordane hinc inde terminis distenditur, quæ non artem, non mercaturam, nõ agriculturam vnquam exercet: sed solum habet gladium quo sibi victum suppeditet. Aut enim feras venantes solitudinis, viuunt vescentes carnibus. aut prædas agentes de iis qui incidunt in eas vias quas insident, quæ sunt ad vsum necessaria sibi qũocunq; comparant. Qñ autem eis vtraq; defuerint, & rerum necessariarum laborarint inopia, tunc iumentis, sunt autẽ ea Cameli Dromades, pro cibo vtũtur, beluinam & sanguinoram vitam omnino eligentes. Per cognationes enim aut per contubernia ipsi vnum occidentes, & modico ignis calore carnium mollientes duritiem, vt solum cedant eorum dentibus, ita, vt semel dicam, aluntur instar canum. Deum non cognoscentes, nec qui intelligẽtia apprehenditur, nec qui fuerit fabricatus manibus. astrũ autem adorantes matutinum. & orienti ei sacrificantes ea quæ meliora indicant ex spoliis, qñ ex incursione quæ fit pro prædis agendis ad eos peruenerit aliquid aptum ad occisionem. Pueros autem offerre est eis magnũ studium, qui præstant & specie & vigore ætatis. In quibusdam autem congestis lapidibus eos mane sacrificãt. Quod quidem ò amici, me valde conturbat & angit, ne forte forma pueri habens aliquid quod sceleratos moueret & alliceret ad impium cultũ de more faciendum, ad id quod videbatur visa fuerit vtilis: & castæ corpus animæ ab impuris oblatum, fit hostia sæuis & qui cæde delectantur Dæmonibus. Quamobrem qui hęc offerunt sacrificia, nulla solent moueri misericordia puerorum qui occidũtur, & si omnia faciant, etiam si rogantes lamententur vel Sirenum vocibus. Quòd si qñ eis ad sarificium tale corpus defuerit, camelum colore album & minime vitiosum in genua inclinantes, ter circumeunt, iacentem cum tota populi multitudine in orbem obeuntes. Præit verò & circuitionem & canticũ quod ab eis in astrum factum est, aut ex Regibus quispiam, aut ex Sacerdotibus qui sunt senectute venerabiles. Qui post tertiam circutionem, cum nondum canticum finierit populus, & extremam hymni partem adhuc in lingua habeat, stricto ense valde percutit tendinẽ. & primus magno studio gustat sanguinem. & sic reliqui cum gladiis accurrẽtes, alĳ quidem aliquam paruam pellis partem excindunt cum pilis. alĳ autem quodlibet rapientes ex carnibus abscindũt. alĳ autem vsq; ad viscera procedunt & intestina, nullam hostiæ partem relinquentes nõ confectam, quę posit deinde videri à Sole apparente. neque enim abstinẽt ab ossibus & medullis. perseuerantia vincentes fortitudinem, & tandem diuturnitate superantes repugnãtiam. Atque hic quidem est barbarorum ritus vitæ & religionis. & sic viuentes in solitudine loca locis commutant, illic castrametantes vbi iumentis luxuriantia inuenerint pascua & aquam copiosam.

Qui autem vitam solitariam exercẽt & quietam, cum pauca quædam loca elegerint solitudinis, vbi possint necessitatẽ corporis vtrunq; recreare aquæ abundantia: alĳ quidem fixis tuguriis: alĳ verò absconsi in antris & speluncis, sic viuunt virtutem persequentes. Et pauci quidem norunt alimentum ex frumento, nempe quicunque sterilem solitudinem possunt

cogere studio & diligentia vt producat frumentum. qui paruo quodam ligone parum terræ eiusq; malæ operantur, & quantū cogit vsus ad viuēdum cum egestate. Multi autem vescuntur crudis oleribus 3 & baccis, mensam minime artificiosam & nullis condimentis instructam amplectentes, eorum qui obsonia condiunt & panem conficiunt curiositatē multum valere iubentes. ne si in curando corpore multum temporis ponerent, negligentes essent in eo in quo oportet perseuerare: sed pura mente Deum colerent, nec 4 carnium crapula granatam habentes cogitationem: neque ciborum varietate ventris voluptati blandientes. Ii enim nō solum renunciarunt omni qualitati iucundorum: sed etiam propter redundantem quandam abstinentiam, rursus quoque ad quantitatem suam extendunt contentionem. tantum sumentes ex rebus necessariis quantū sufficiat ad viuendum, & ne qui viuunt violenta morte interempti, priuētur mercede rerum bonarum & honestarum operationis. Propterea alij quidem cibum capiunt die dominico, totos 5 septē dies ieiuni permanentes. Alij verò tempus dimidiant, bis in hebdomada alimenti recordantes. Alij verò post vnam diem. Et hi quidem omnes per hoc studium abstinentiæ ostendunt se id diligere quod nullius indiget, & propemodum se contendere cum vita Angelorum. seruiunt tamen legibus naturæ, & flectuntur corporis necessitatibus, sed vix tandem quando senserint suas vires fatigari magnis virtutis laboribus.

3 *Nota crudis oleribus & baccis uescuntur.*

4 *Vide sanctorum abstinentiam à pane et à carnibus.*

5 *Ecce miram beatorū uirorum abstinētiā.*

In his nummus Cæsaris nec ad auditionem quidē vsque est cognitus. Nam neque venditionem sciunt nec emptionem. Vnusquisq; enim vnicuiq; gratis præbet id quod est ei opus, gratis vicissim accipiens id quod sibi deest. Olerum autem & baccarum fructus, & rarus panis est inter se inuicē liberalitas quæ ex eo quod adest ostendit signa charitatis, & animi munificentiam vel in his paruis donis abūde indicat. Sed nec inuidia quę bona opera maxime sequi est solita, illic vnquam locum habuit: nec eum qui bonis minus abundabat, eius qui magis resplendebat excellentia incitauit ad inuidiam. Sicut nec hunc aduersus illum extulit arrogātia ad gloriosam de se persuasionem, se ducens vt res rectè ab eo gestæ magnos ei facerent spiritus. Qui enim virtute præstabat, non propriis laboribus sed Dei virtuti adscribens vniuersum, poterat se moderate gerere. vt qui sibi persuaderet nō se esse rerum bonarum & honestarum per se opificem: sed esse instrumentum gratiæ quæ in ipso operatur. Et qui rursus in his erat inferior forte propter imbecillitatem corporis, vel lubens seipsum demittebat humilemq; reddebat, animi socordiæ non naturæ imbecillitati defectum attribuēs. Sic ergo alius alio & omnes omnibus sunt moderatiores. Non in magnifica de se persuasione & in ingentibus spiritibus, sed in copiis virtutis studentes excellere. Ideo enim fugientes terram quæ habitatur, incolunt solitudinem. Non hominibus sed Deo ea quę à se recte gerūtur volentes ostendere. à quo etiam eorum quæ recte gerunt sperant remunerationem. Hominibus enim manifestas reddere quæ ex Deo fiunt actiones, simul promptum perdit animi studium & mercedem. illud quidē emolliens arrogantia. hanc verò minuens laudibus quæ proficiscuntur ab hominibus. Qui enim ob ea quæ facit quærit humanam gloriam, accepta quam quærebat mercede, ab ea quæ est excidit. vt qui superatus sit ab humana gloria, & ideo vera priuatur.

Faciunt autem ſuas habitationes non ſibi inuicem propinquas,ſed ſatis procul diſtantes:vt qui viginti & eo amplius ſtadia abſint alius ab alio. Non propter odium.Quõo enim qui ſic inter ſe affecti ſunt vt dictum eſt ? ſed in magna quiete & ſilentio volentes mores inſtituere ac formare ad id quod Deo placet.& ſtudentes cum Deo indiuulſam habere conſuetudinē. Quod quidem vt in turba ac tumultu recte fiat aut eſt difficile, aut nec omnino quidem poteſt fieri . Diebus autem dominicis ad vnam veniunt eccleſiam & inter ſe conueniunt poſt vnam hebdomadam.ne rurſus perfecta ſeparatio diſrumpat vinculum concordiæ, paulatim inducens obliuionem ſuorum inter ſe officiorum . Solet enim quæ eſt nimis intenſa ſolitudo mores efficere ingratos & agreſtes,qui longa conſuetudine dediſcūt charitatis ſocietatem & communionem. Diuinis itaq; communicant ſacramentis : & ſe inuicem excipiunt conuiuio exercitationis eorum quæ conuenit eloquiorum . & ſe inuicem inſtruunt adhortationibus quæ ad mores pertinent.

His enim maxime opus habet vita ſtudioſa virtutis aduerſus certamina, aduerſariorum latentes artes publicans . ne iis capiatur aliquis qui ignorat erroris inſidias. Quibus enim non adſunt rerum materię & imagines, iis otioſum quidem eſt peccatum ad operationem . Quibus autem bellum in mente conſiſtit, hic mors eſt vt plurimum facilis & incerta iis qui cernunt quæ ſunt intrinſecus. vt quæ conſtet in aſſenſione voluntatis quæ caret teſtibus.& ideo imperitos,& qui adductam nunc primum adgrediuntur,pulchre inſtituētes qui ad certamen recte ſunt inſtituti,per abſtinentiam quidem fortiter conſulunt reſiſtere vitio gulæ.Nam qui ciborum ſe dedidit voluptati, facile proſternitur ab eo quod eſt ſub ventre vitio,eo q; à minore vincatur maiorem caſum pollicens. Et hæc quidem,vt diximus,ſuadent iis qui ſunt adhuc recētiores,ĳ qui iam ſunt prouecti,& longo tempore & exercitatione conſecuti ſunt ſatis magnam earum rerū experientiam . Sibi autem & inter ſe inuicem prohibent perfectiores vanam ſimul gloriam & ſuperbiam.iubentes eas cauere non ſecus ac petras quæ latent in mari prope portum.vt quæ poſt multum laborem nauigationis ferunt ad extremum & graue periculum , eos, qui in maximis vitiorum fluctibus,& tempeſtate immundarum cogitationum, nauem nequaquam fregerunt.Multi enim qui nequaq; fracti fuerant inſultibus tentationum, ſed totum curſum illæſi confecerant, cum ſæpe poſt victoriam confidiſſent habitui eorū quæ recte geſſerant,aut in eos qui ſe videbantur negligentius gerere ſe erexiſſent, ceciderūt caſu valde lachrymabili. Nam priuat quidem fortaſſe vana gloria iis mercedibus quæ dantur propter laborem,& facit operationem iis qui laborant inutilem Eſt autem cū damno arrogantia ac ſuperbia,& nouit magnum conciliare periculū,vt quę Deum inficietur eſſe honeſtarum rerum cooperatorem,& rerum recte geſtarum ſibi adicribat poteſtatem. Atq; de illis quidem ſic dicit Propheta. Qui congregat mercedes, congregat in dolium perforatum. vt quæ nondum iniciantur & iam effluant. quæ non diu maneant in dolio, ſed mox è dolio prętercurrāt. Talis enim eſt vana gloria. habet interitum qui cum lucro concurrit.vt quæ in ipſo opere deleat id quod ex eo redit. Dicit autem de aliis is qui ſcripſit prouerbia. Dominus, inquit, ſuperbis reſiſtit, infenſum hoſtē exhibens eum qui fuit contemptus iis qui contempſerunt.

Et ideo animo cogitantes ciues illius solitudinis, Mosem inquam & Eliam, magno studio contendunt exercere illorum à fastu & arrogantia alienationem. æquum esse arbitrantes, vt quorum incolunt regionem, eorũ quoque imitentur virtutem. Neque enim Mosem, extulit ad arrogãtiam magnitudo imperij. Neque Eliam tumefecit miraculum sacrificij. Mãserunt autem semper seruantes eundem statum in omni tempore, & non cũ rerum mutationibus suos vnà mutantes spiritus. Moses quidem Ægyptiorum fugiens insidias, dum pasceret oues Iethro, fuit spectator admirabilis illius visionis. vt qui tunc didicerit rubi fruticem esse edaci igne potentiorem: & in media flãma viride germen florere viderit. In hoc monte legislator, tunc quidem solius Iudaicæ, Nunc autem omnium gentiũ cõstituitur. cum per naturę cognationem in totum genus gratia peruascerit. Fulserunt enim super candelabrũ positæ vitæ degendæ leges. etiamsi fuerunt aliqñ absconsæ sub modio dictionis, antequã aperirẽtur. Porro autem inclytus quoque Elias huc venit fugiens Iezabel. & cũ in hac terra dormisset, experrectus inuenit panem subcinericium & vas aquæ. Hanc ille habitauit speluncam, ouilla veste corpus indutus, antiquo suorum maiorum indumẽto: & sic vidit Deum in aura tenui. & vocem audiuit decernentem ea quæ visa fuerant. Est autem hoc postremum & primum indicium virorum fortitudinis. Illam per totam vitam habitãt solitudinem, quam Israëlitæ cum solum transiissent murmurarũt. cum parato è cœlo diuino alerentur nutrimẽto. & de mensa cõquerentes illi quadraginta dies non tulerunt absentiam eius qui illis præerat. Neque verò statuerunt ita vt oportet liberum suum administrare arbitrium. sed statim defecerũt, ad impietatem libertate abutentes. Ii toto tempore philosophantur in solitudine, egentes rebus necessariis: & sunt sibi magistri pietatis. Sed quid opus est plura dicere?

Iis sic affectis & sic Deũ colentibus, repente inspirata veluti procella, eis alicunde phalanx ingruit barbarica. & summo mane cum paulo ante desiissent hymnos canere, pios inuaserunt impij. Ego autem tunc quoque illic aderam cum filio. à sancto enim monte descenderam, visitaturus sanctos qui erant in rubo. quod iamdiu ante facere consueueram. & statim instar canum rabidorum irruentes, inconditis vocibus & nihil significantibus aërem repleuerunt. & rapuerunt quæcunque hyeme sanctis parata erant ad cibum. Frigunt. n. illi ex fructibus quicũque sunt vtiles, & possunt omnino permanere: & eis cõsolantur naturæ necessitatem. Cum ergo nos ipsos eos fecissent afferre, educunt omnes ex ecclesia. & cum exuissent centonibus, nudos ad occidendum per seriem ordinant eos qui ætate præstabant. Deinde verò circunsistentes stringũt enses. & cum oculos ira replessent. & ardentem aspectum oblique quodãmodo circumagerent, & sancti loci Sacerdoti iussissent primum collum porrigere, inferunt, non ambo (Duo enim erãt circa eum) sed alius post alium, vtrinque enses in eius tergum infligẽtes, cum is neque prę dolore eiulasset, neque vultum auertisset, & nec vel paruum doloris ostendisset vestigium, sed se tantum 6 signasset, & oris susurro dixisset, Benedictus Dñs. Atque peruasit quidẽ vnus ictus à dorso vsque ad maxillam cum per aurem transiisset. Alter verò ab humero peruenit ad mamillam. Et sic vir diuinus sensim conuersus honeste ac decore cecidit, nihil nec interfectionis nec nuditatis qđ turpe esset ostẽdere.

6 *Sanctus vir moriturus prius se cruce signat, sic enim faciũt christiani omnes.*

dere. In eius autem corpore florebat quædam gratia, & nuditatis tegebat deformitatem. Hoc autem vespere & rebus & verbis propemodũ prædixerat vir ille admirabilis, eos qui in cœna aderant benignius quàm cõsuesset alloquens, & dicens. Quid enim scimus an rursus ante mortem nos simul congregatura sit mensa & conuiuium? Deinde post illum capiũt & interimunt eum qui vnà cum sene habitabat. qui ipse quoque erat & senex tempore & satis afflictus laboribus exercitationis. & rursus puerum qui eis ministrabat. Hic autem fuit modus interfectionis.

Iubebat vnus ex barbaris colligere aliquem ex iis qui erant effusi fructibus. Ille autem vt placebat ei qui iusserat, diligenter terræ assidens sinum relaxabat, manibus attrahens ea quæ erant apposita. vt ei qui iusserat videretur aptus ad ministerium, & ideo vita ei concederetur. Sed nihil profuit. neque sic barbaricam emolliit impudẽtiam. Alius enim qui pone stabat, ensem è vagina clam strinxit. Ille verò siue eũ trahi sensisset, siue etiam cædem habuisset alioqui suspectam, tanquam perterritus vultum parumper circumagit. Qui autem adstabat, eum terruit, & clamore barbarico, & contortis oculis. Et sic quidem cum is rectum ensem in iugulum defixisset, magnis viribus eum ab hepatis cremascere ad thoracem. Ille verò priusquam is euelleretur iacebat mortuus, vt qui vel timore periisset, aut propter certitudinem & opportunitatem vulneris non peruenisset ad mortis cognitionem: quæ à vasis corporis cito exemit animam, & eam repẽte liberauit à vinculis. à quibus vix recedit, vt quę sit colligata violẽtis nexibus Creatoris. Reliquos autem, nos nescio quænam re impulsi, nos abigunt, gestu manus fugere permittentes. In ea autem cruentos adhuc enses gestabant Et alij quidem currebant per conualles. festinantes ad montem peruenire. Eis enim ad illum non patebat aditus, propterea quod Deus super ipsum stetisset, & populo aliquando respondisset.

Ego autem ore aperto planè hæseram obstupefactus, vt quem retineret inopia consilij, & ab adolescẽtis vinctus essem visceribus. & nec omnino poterã recedere. nec volebam omnino conseruari. vt qui constrictus essem firmo naturæ vinculo. Donec puer annuens oculis, & vt recederem, hei mihi significans, vix persuasit vt abirem. Et pedes quidem anterius processerunt. & eos nescio quõ sequebatur corpus quod ferebatur. cor autem nolebat recedere, vultum ad puerum assidue conuertens: & iactum oculorum ad se minimè valens congregare, qui non ad iter ingrediẽdum erat attentus, sed ad tergum conuertebatur miserabiliter. Perrexi itaque ego quoque ad montem sequens eos qui præcedebant. & è specula contemplabar infelicem puerum qui abducebatur, qui ipse quoque non libere circunspiciebat, sed clandestina ad me conuersione furtim fallebat eos qui abducebant. Tale enim est naturę vinculum. Non soluitur separatione corporum. sed intenditur vehementius. cũ hoc quoque in brutis animantibus similiter fieri cernere liceat. Et vacca quidem quæ abducitur, miserabiliter mugit & frequenter, assidue conuersa ad vitulum qui est abstractus, & habitu oculorum indicans doloris magnitudinem. Quinetiam equus quoque priuatus eo qui vnà pascebatur: quoniam caret sermone, hinnitu dolorem significat, amicum frequenter reuocans.

Ego autem cum nescio quõ peruenissem ad montis cacumen, etsi non haberem mentem quæ vnà cum corpore ambularet, volẽs videre filium

veluti è specula, non poteram amplius aspicere, vt qui propter lõgum interuallũ absconsus esset à meis oculis. Restabat itaque mihi deinceps perplexus & anceps animus: & à me ad Deum verba fiebant, & filium deflente captiuum, & sanctos interemptos vehementer deplorante. ò beati, dicebam, & ter beati, vbi tandem nunc sunt labores vestræ abstinentiæ? Vbi sunt perpesiones tolerantiæ? Multorum'ne vtiq; certaminum coronam accepistis? Hæc'ne sunt vobis reposita præmia longę decertationis? Num iustitiæ est varius cursus? Num temere suscipitur pro virtute perpesio? Quòd vos interficiendos absq; auxilio reliquit prouidentia: nec iustitia restitit interimentibus. sed vires habuit manus iniqua aduersus sancta corpora. & gloriatur vitium se aduersus pietatẽ victoria esse potitum. omnino fremens & gestiens tanq; aduersus superatam veritatem. Quõ veterem flammam non nunc quoque accendit rubus? Quomodo non sceleratos exussit incendio? Quõ autem non eos dehiscens terra accepit, vt cum alias simul cum tabernaculis & cognationibus totã Core deuorauit synagogam? Quõ autem sinæi montis siluerunt prodigiosi terrores, tonitruũ sonitu, & tristitia caliginis, & innumerabilibus fulgurum coruscationibus impios non terrefacientes? Sed otiosa fuit vltrix potentia, nec eos qui iniuriam faciebant fulminibus & procellis recte puniens: neque eos valida manu liberãs quibus fiebat iniuria. vt cum ipsi postremo docti experientia vim animaduertissent miraculorum, cognoscerent robur admirabile virtutis inexpugnabilis. Sed in ipso rubo & in monte in quo fuit lata lex, ceciderunt pij absque vllo auxilio perinde ac hostiæ expertes rationis.

Vbinã tandem fuit potentia quę in mari submersit Ægyptios, & profundum eis effecit sepulchrum. Vbi autem quæ grandinis percussit lapidibus alienigenas qui bellũ gerebant aduersus Israëlitas, & sine sanguine & labore victoriam dedit suo populo? & quæ rursus aliqñ eis terrorem incussit cũ aggrederentur terram sanctam, & eos inter se conuertit ad pugnam, nescientes, vt qui versarentur in tenebris, se alterum alterum occidere, & non posse suos qui interficiebantur agnoscere? Vbinam tandem suum occultauit auxilium, non protegens eos quibus parabantur insidię, sed sęuorum quidem leonum iram aduersus eos qui ipsis obiecti fuerant, & ignis inexpugnabilem refrenauit potentiam. efficiens vt eos reuererentur, & ostendens eos esse pietate claros. horum autem quõ dubiam fecit virtutem, eos relinquens omni defectos auxilio, & efficiens vt omnino existimarentur indigni auxilio? Sed hæc quidem dicere nos fortasse persuasit animi ęgritudo & dolor, & ab eo quod erat decens nos exturbauit. Danda est autem venia dolori, qui persuadet ei cui ęgre est multa loqui præter animi sentẽtiam, victo fortasse à rerum aduersarum magnitudine. Nam iustos quoq; sępe diuinus reliquit auxilium, eos tradens Tyrannis variis tormentis cruciandos & impia morte afficiendos. vt eorum qui decertabant virtutis ostenderetur spectata probitas. & eorum fides tanq̃ fax resplenderet, de fiducia nihil remittens vsque ad mortem. sed totam esse vanam Tyrannorum insaniam patiendo arguens. Nam ij quoque qui nunc remanserunt sancti, à solitudine minimè volunt recedere. ei quæ promiscue & indifferenter in vrbibus agitur vitæ mortem præferentes. Quod ipsum quoque visum est iis qui sunt interempti, vt potius more-

rentur q; sustinerent vitium quod versatur in ea parte orbis quæ habitatur. Sciebant enim mortem animę esse morte corporis grauiorem. & eam quæ est in peccato aperte esse magis periculosam ea quæ affertur gladio. qm̃ hæc quidem habet paruum & qui est ad tempus tãtum dolorem. illa verò longum supplicium & quod nunquã desinit. Et ego quidẽ hęc dixi.

Barbari autem cũ multos alios interemissent & depopulati essent in solitudine, satis magnam viam confecerunt. & cũ die iam inclinato præbuisset nobis nox de cætero potestatem ambulandi sine metu, de monte descendentes conuersi sumus ad sepelienda corpora. Et alios quidem inuenimus diu antè mortuos. sanctum autem Theodulum adhuc spirantem & qui posset vtrũq; loqui. Ei itaq; assidentes, & quæ acciderant deflentes pernoctauimus. rogante nos sene ne hæc nobis viderentur aliena. Satanæ enim esse morem eos qui tentantur à Deo expetere. Quàm multos Iob filios interemit, alios quidem igne, alios verò ense, alios autem euersa domo perdens? Sed me vos, inquit, ea quæ fiunt conturbent. Scit enim Agonotheta quo iudicio tradat Athletas aduersario. vt qui præclara pręmia & brauia proposuerit iis qui plagas ęquo animo accipiunt, eaq; talia qualia ostendit magnus Iob, qui omnia accepit duplicia quæ iam visa fuerant periisse, vel potius longè maiora, & quæ citra vllã excedunt comparationem. Quæ enim oculus non vidit, & auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt, ea Deus parauit iis qui pro ipso decertarunt, & pietatis præmiis suam vitam gloriose coronarunt. Sic enim Deum decebat munificum superare labores remunerationibus, & coronis superare certamina, & illa præbere Athletis quæ neque sperabantur, neque expectabantur ab iis qui ea quæ dantur accipiunt vt & reddat 7 mercedem quę debetur, & gratiam efficiat remunerationem propter insignem honorem. Hęc dixit, & pręsentes salutauit osculo, quandiu loqui & linguam mouere ei virtus præbuit. Mortuum autem nos multis lachrymis prosecuti, terrę cum aliis mandauimus. & cum tenebrę adhuc incertum ad vos facerent aditum, huc venire potuimus.

7 *Nota quod uita aeterna quæ retribuitur fidelibus, est merces & gratia. Merces, quia non datur nisi legitime certãtibus. Gratia, quia nostra bona opera sunt dona Dei. & ex ea istis meremur uitã aeternam.*

Ex iiis autem qui fuerunt interempti, duo quidem vocabantur Paulus & Ioannes. Presbyter autem Theodulus. Mortui autem sunt consummati septimo die post Theophania. qui est quartusdecimus mensis Iañ. Omnino enim viris piis ac religiosis ipsa quoq; temporis & nominum cognitio digna est magno studio, qui memorię sanctorum volũt esse participes. Interempti vero sunt quoq; alĳ multis antè temporibus. quorũ ipsorum quoq; commemorationem, propter vię lõgitudinem, & eorum qui congregantur multitudinem, eodem die peragunt.

Nobis hęc adhuc loquentibus, nunciatur quidam saluus euasisse è castris. & paulopòst ad nos accedit, timoris vestigiis nondum ex oculis depositis: nec animi perturbationem adhuc valens reprimere: & magno adhuc cursu & animi angore anhelans & conturbatus. perinde acsi propè essent & futurum esset vt assequerentur ĳ qui persequebantur. Deinde rogatus qũo effugisset. Me, aiebat, & tuum filium in cœna loquentes denũciabant fore vt diluculo astro sacrificarent. aramq; excitarunt: & ligna apposuerunt, ignorantibus nobis cur hęc fierent. Mihi autem hęc dixit clanculum vnus ex concaptiuis, qui eorum vocem intelligebat. Ego aũt illi significaui consilium barbarorum. & q; nisi nobis fuga salutem pepe-

terimus,non nobis viuis mane ſol illuceſceret. Ille autem veritus ne comprehenderetur,remanſit,dicens. Quod Deo viſum fuerit,vbicũq; ſit non effugiet aliquis. etiamſi lateat in adytis. Ego autem in tenebris cum vidiſſem omnes ſomno grauatos, torpeſecerat enim eos nimia ebrietas,humi pronus primum ſerpens.ne ſi quis vigilaret,me recta corporis vmbra proderet:deince à caſtris parum remotus,curſu ad hunc ſcopum contendi, timoris pennis portatus velociter.quæ apud illos ſtatuta erat cædem vel me ratus fuga euaſurum. vel ſi etiam comprehenderer, conſtituta morte me nihil grauius paſſurum eſſe ratiocinatus. & alioqui certo malo proferens ſpem incertam. Quod enim ſi manerem non licebat omnino effugere periculum, veriſimile erat poſſe me euadere ſi pedum auxilio meam ſalutem crediciſſem. Accepi enim multos ſæpe à pedibus plus eſſe auxilij conſecutos,q̃; à plurimis defenſoribus. Ecce ergo me mea non feſellit opinio. ſed eis quibus poſt Deum credidi ſum ſeruatus. & adſum apud vos vt videtis nullo malo affectus.

Meis autem oculis adhuc inſidet metus crudelitatis barbarorum. & eorum facta ſcelerata me in ſtuporem adducunt. & impleor horrore propter ea quæ ab eis facta ſunt. Cum Dominum enim meum vnà cum Prętore munus obeuntem reipublicæ, & ad vos reuertentem offendiſſent in ſolitudine,ad ſe abduxerunt cum omnibus eorum facultatibus. & alium quidem qui reſtiterat cum famulis membratim diſcerpunt. meum autem vnà cum filio, erat autem is valde iuuenis, ſequentem abduxerunt. Sole autem iã appropinquante horizonti occaſus, figunt tabernacula vbi eos veſpera apprehenderat. & cũ ex noſtris ſpolijs magnum feciſſent conuiuium, eum & filium adhibent conuiuam. iubentes eum bono eſſe animo & nihil extimeſcere. Saluus enim, aiebant, & illęſus domum reuerteris cũ filio. cũ ſufficiant alij vt ſint duarum animarum pretium redemptionis. & videbantur paulo poſt impleturi promiſſum, permittendo vt ad ſua redirent. aquam autem portari, & ad viaticum panes afferri iubebant, ad hoc vt commentum videretur probabile. vt ſpes vitæ ex viatico apud eos fraudem haberet fide dignam, doluſq; barbaricus & ſcena, videretur eſſe vera cura quæ eorum gereretur. Duos autem ephebos iuuenes, procurantes. ſ. vt eis eſſet iter ſecurum, vnà emittunt qui eos deducerẽt. Quibus iuſſerunt clanculum, vt cũ eſſent aliquantulum remoti à caſtris, eos conciderent. Cùm eos ergo circũſtitiſſent qui eo modo quo dictum eſt deducebant, illico ij qui eſſe videbantur Seruatores, & ſi alij inuaſiſſent, eorũ, vt par erat, propugnatores, ij ipſi fiunt præter ſpem occiſores. & mactant quidem filium ante patrem. vt videndo mortem ſui filij, & ſuæ mortis faciendo periculum, ei dolorem conduplicarent. Protinus autem illum quoq; multis interimunt vulneribus, eorum infidelitatem & inſidias magna voce deflentem. Audiui enim alterum quidem flentem miſerabiliter. alterum verò valde clamantem, & ad vnũquemque ictum grauiter eiulantem, & veluti laboribus concedentem vt plagas dimetirentur. Atq; ipſe quidem bonis promiſsis ſic deceptus, miſerabilem paſſus eſt interitum. Oportebat enim ipſum ex aliorum malis ſua diuinare. q.ſ. mors quidem minimè vitari poſſet, eſſet autem potuit toleranter ferenda cum expectaretur. Malum enim quod venit præter expectationem, omnino perturbat cum aduenerit. Quod autem eſt expectatum, cũ ad id experiendum paratam

ratam inuenerit rationem, existimatur leuius vt quod iam sit meditatum, & effecerit vt eius aduentus nequaquam sit nouus & alienus.

Vespere enim in cœna in qua eum præ bibendo inuitabant poculis & benignis verbis, volentes ludere ludum sibi consuetũ & gratum, erat autem id quod ad delectationem agebatur hominis cædes, mittunt ad eum calicem vt bibat vni ex suis filiis, cum alterũ paulo ante mactassent. Ille autem vix quidem accepit inuitus, vt cuius appetitus esset metu mortuus ante corpus. Accepit tamen metuens. Bibens enim significabat se necessitate adductũ id facere. vt qui violentis ostenderet sonis id à se fieri præter animi sententiam. Non enim quiete fauces permeabat potus: sed in genis quodammodo restagnans ad mẽtum veluti ad valem aliquam asperam, cum maximo sonitu deuorationis vix peruasit thoracem. Cum sic ergo tandem per vim potum accepisset, mittunt qui eum interficeret. Erat autẽ is iuuenis. Nam eis quoque cædes committunt ab ineunte ætate prouocãtes eos ad crudelitatem. Ille autem ob ebrietatem bacchico furore percitus, ad tam inhumanum opus magno cõtendit studio. quam ex actione capiebat voluptatem risu indicans. & ad iacentem accedẽs, primum quidem eum ferit in colli vertebris. & cum propter osſium duritiem parum scidisset, protinus illinc quidem tollit ensem: per iacentis autem latus eum transadigit. Deinde cum rursus in prima vertebræ sectione certius & opportunius percussisset, reuertitur exiliens, manu ensem in aëre quatiens. Puer vero præ dolore diu quidẽ palpitauit & subsultauit, & eiulans volutatus est in sanguine. Tandem autem cum in spiram, cõuolutus caput inclinasset ad ventrem, & pedes ad eum contraxisset, vt qui vellet erigi illa conuersione, ad prunas appositas se deuoluit. Cum vero maiorem, vt est cõsentaneum, ex igne sensisset dolorem, rursus quidem pedibus & manibus necessario instar piscis subsiliebat, assidue erigens partem quæ torrebatur. Cum vero non posset amplius sibi ipsi opem ferre, vtpote quod vna cum sanguine excretæ essent vires, rogo liquefactus interiit, duobus simul affectus suppliciis, nempe ensis & ignis.

Die autem sequenti postquam hoc fecissent, ambulantes vt in solitudinẽ nõ recta via sed aberrante, locaque aspera & difficilia, modo hic modo illic obeuntes, altosque & arduos montes circũeuntes, & per non tritas & confragosas & propemodum inuias valles pedibus ingredientes, lõgo remotum spatio vident locum paulatim herbescentem. & cum ex viriditate coniectassent esse locum aptum ad diuersandum, aut etiam existimassent illic aliquos habitare Monachos, scopum suum eo conuertunt. tanquam à mari ad portum iter iumentis dirigentes. Cum autem venissent, vident locum qui nihil erat deterior quàm putarant, nec falsa visione eorum spem fefellerat. Nam & erat aqua in eo copiosa: & antequam gustaretur sua visum delectabat puritate. Ori autem allata, paruã arguebat esse visus delectationem si conferretur cum voluptate gustus. eratque fœnum aptum ad pascendum animalibus. Cum ergo Camelos exonerassent, illos quidem libere dimittunt ad pascendum. Ipsi autem statim currũt ad aquam, eam bibentes. se aspergentes. lauantes. & nescientes, vt semel dicam, quomodo vterentur illa liberali & profusa aquæ abundantia.

Dum autem ad eam choros ducerent, & fontem laudibus celebrarent, vident in latere, montis quoddam paruum domunculæ vestigium. om-

nesq; vno spiritu eo currunt. cursu alius alium superare contendentes. & cum appropinquassent, circunfusi sunt speluncæ. Ea autem erat in ostio paucis extructa lapidibus, ne si esset nimis magnus hiatus, feris facilem præberet ingressum. Deinde cum intro accurrissent pauci & singuli, non capiebat enim multos, virum educunt specie & habitu venerandũ. eumq; ducebant trahentes nihil omnino conturbatum, & qui neque expalluerit, neque illiberale aut triste aliquid ostenderit aut locutus sit. & cum eum supra quandam petram posuissent, lapidibus (non enim habebant enses) interficiunt scelerati, ridentes & sua voce pæana decantantes. Deinde rursus parum progressi, alterum comprehendunt adolescentem, pallidũ, macilentum, & qui aspectu aperta præ se ferebat vestigia abstinentiæ: & ipsum similiter lapidibus interficiunt, multas voces emittẽtem quibus agebat gratias, & fatentem se eis debere, q qui virtutem sequebatur è vita eduxissent. Dicebat enim se non parum timere finis incertitudinem, ne mẽtis fortis lapsus, aut quædam externa necessitas liberæ animi voluntatis mutaret constantiam; vt quæ vel esset persuasa aut coacta alia sentire q̃ quæ apud Deum sunt certa & extra controuersiam.

Non multum illinc processerant: & ecce apparet locus quidã herbidus & multis comatus arboribus. & rursus quam maxima potuerũt barbari celeritate ad ipsum cucurrerũt. Cum autem appropinquassent, in paruam quandam incidunt domunculã in qua exercebatur adolescens, cuius magnus & excelsus animus existimatus est vel ab ipsis barbaris dignus admiratione. Neque enim his ostendere latentia quædam monasteria, & ea ratione mortem effugere sustinuit. Hoc enim ei polliciti erant barbari. Sed neque in hoc vt exiret è domo, neq; vt oĩno tunicam exueret, obediit. indicare quidem eos qui poterant latere, dicens proditionem: omnino autẽ obedire quidquid p vim cogeretur pusilli et abiecti dicebat esse animi. Iis.n. qui exercentur dicit oportere adesse magnum & excelsum animum. & nõ fas esse cedere aut metui aut minis: etiamsi id videatur magnum habere periculum. Consuetudo enim fit via ad maiora. & timiditas quæ semel didicit dominari, iubet etiam magna bona contemnere: atque adeò ipsam etiam pietatem postremo prodere, quando metus malorum timiditate confectum animum inuenerit.

Si enim nunc, inquit, facile prodidero liberum mei animi arbitrium, timens ne breui moriar: Quõ si proponantur supplicia, & minæ intententur tormentorum, ad impietatem non facile transfugiam, cum doloris vacuitatem assueuerim vtili præponere? Quocirca cum vobis planè denegetur ea quæ speratis consequi, ne cunctemini ea quæ vultis facere. Neq; enim loca in quibus viri pij habitant, etsi sciam, indicabo. sed nec extra ostium vobis iubentibus egrediar: neq; vestem exuam. vt me quis adhuc sentientem & mei liberi arbitrij compotem cernat nudum, & contueatur corpus quod in hodiernum vsque diem meis non est conspectum oculis. Post mortem autem in me non sentientẽ faciat deinceps vnusquisq; quod velit. Eorum enim qui faciunt crudelitatis, sed non eius qui patitur animi est ea reprehensio. Intus enim moriar indutus vt constitui. neque faciam quidquam præter sententiam, meipsum prodens vt mancipium. & in hac cauea in qua decertaui potius interficiar. & erit mihi sepulchrum hæc domuncula: quæ prius virtutis sudores, & strenuitatis ac probitatis nunc ac-

cepit ſanguinem. Sic eum libere loquentem cum non tuliſſent ſcelerati,ſed aduerſus generoſum eius animum eſſent acerrime cōmoti, tot eum plagis interficiũt quot potuit eius corpus capere. Vnuſquiſq; enim volens ſuam iram in eum re ipſa oſtendere, non exiſtimabat priorum enſes ſufficere ad vindictam,niſi cum ipſe quoque ſuum gladium ſua manu tinxiſſet,ſic indignationem ſuam poſſet conſolari. Cum plures itaque mortuum q̃ viuum illum magni & excelſi animi virum eam ſauciaſſent,ita receſſerunt, animis ægreferentes, q non ad maius ſuppliciũ eis ſuffeciſſet corpuſculũ.

Poſt eum autem tres nobis occurrunt ingredientes per ſolitudinem,qui adhuc feruentem eorum iram paulum ſedarunt. vt qui eorum in illum furoris defectus suppleuerint. Qũo enim agreſtes feræ,aut canes venatici, ſi oſtenſa ſolum fuerit præda & euaſerit, ad maiorem prouocantur inſaniam,q eam non fuerint conſecuti. & quod rurſus inciderit maiori ſtudio perſequuntur, ſecunda cautione priori medentes ludibrio: Ita ad eos qui apparuerant currentes, cædem ſpirantes ſcelerati, cum enſes ſtrinxiſſent priusq̃ appropinquarent,cum tãta in ipſos proceſſerunt crudelitate,cum quanta ſi ipſum accepiſſent qui eos irritauerat. Cũ autem nondum enſes in vaginas miſiſſent,ſed nudos manu tenerent,calidoq; & exhalanti ſanguine inquinatos, in eo loco in quo ambulabant vident poſita duo monaſteria,nõ ex aduerſo quidem itineris,ſed ex obliquo ad alteram manũ. Erat autem quod inter ſe inuicem quidem intercedebat ſpatium, triginta ſtadia inter eum vero locum in quo eramus, quindecim. vnumquodq; tanq̃ à centro ad circuli lineas quæ ſunt in circũferentia, pari menſura diſtantia. Diuiſi itaque proceſſerunt dimidia pars ad vtrũque eorum. tota præda quam collegerant in regione relicta cum iumentis Et eos quidem qui erant ad auſtrum,qũo interfecerint,aut quoſnam,nequaquã cognoui. Ex iis autem qui erant ad clima boreale,poſtquã iam prope acceſsiſſent, illum qui ex multo curſu tela in pharetris ſonantia ſenſerat, & fugere cœperat,ipſi arcus intẽdentes multis iaculis transfixerunt. Deinde cũ ipſum qui pronus ceciderat comprehendiſſent, non ſinunt eum mori cũ iis ſoliis quæ prius acceperat vulneribus. cũ tot haberet plagas quæ ad id ſufficerent. ſed cũ adhuc ſpirantem & animam agentem ſupinum conuertiſſent, ſtatim diſſecant à pube ad thoracem. reſpirantia autem per diſſectionem viſcera,& lateribus circũfuſa, cõtis vtrinque conturbabant. donec ea quoque dilacerauerint priusq̃ recederent.

Poſthæc autem ergo quidem aufugi, vt prius dixi. Filio autem tuo quidnam factum ſit neſcio. Nam eum quidem viuum reliqui: ſed qui de vita nequaq̃ bonam ſpem conceperat propter mortem de qua ſuſurratũ fuerat. Cùm hæc ego audiuiſſem, & nocturnam haberem viſionem in auribus reſonantem. (In ſomnis enim legebam epiſtolam,quæ ab aliquo ex familiaribus nuper mihi data fuerat. Quę quidem priusq̃ explicaretur ita habebat in plicatura,Domino meo poſt Deum & patri beatus Theodulus) quonãmodo oportebat meam tunc affectam eſſe animam ô fratres,ſi modo adhuc habebam animam. Cor mihi deſiderabatur. viſcera diuellebantur. vires diſſoluebantur: ſudor,vt ſemel dicam,diſtillabat totis membris,cum audiuiſſem nuncium ſomnio conuenire. qui mihi non amplius faciebat dubiam aut ancipitem mortis ſuſpitionem: ſed potius confirmatam duobus teſtimoniis,ſomnio, inquam, & ſignificationibus eius

qui fuerat conseruatus. Quid deinde sequitur? Cùm ipsa vox iam mihi esset extincta, neque flebam, neque poteram lamentari. sed ad eum solum fixis aspiciebam oculis. donec quædam mulier ex iis qui illic erant, cuius etiam filius ab eis fuerat interfectus. (Is autem erat quem quæ præcessit oratio, significauit fuisse insignem propter magnum excelsumq; animū) me recreauit, & vt me à vehementi dolore colligerem effecit. Postquam enim illa intellexit interfectum esse filium, & aduersus eos qui interemerant strenue decertasse, actione ipsa quoq; in eum suam ostendit cognationem. vt quæ vera ac germana illius mater apparuerit: & cum se splendida veste protinus induisset & ad lętitiam totum mutasset habitum manus in cœlum extendit: & ad Deum Seruatorem tales voces emisit.

Tibi Domine commendaui filium. & est mihi saluus nunc et vsque in secula. Tibi credidi adolescentem: & mihi fuit custoditus vere saluus & inuulneratus. Non enim q sit mortuus, neque qūo vitam finierit reputo sed considero q omnis peccati effugit periculum. Non q corpus sit sauciatum, & mortem acerbam sustinuit: sed q puram animam & nulli reprehensioni affinem illuc tulit: & spiritum immaculatum tuis commendauit manibus. Ego cædes brauia numero. ego plagas tot esse coronas censeo. Atque vtinam tuum corpus plures plagas cœpisset ò fili. vt tibi ex eo plures accederent mercedes. Hinc q te conceperim reddidisti mercedem. Hinc me remuneratus es propter dolores quos ego sensi in partu. Hinc mihi dedisti honorem propter educationē. Quid ergo, Non me quoque es accepturus participem præmiorum? Communis enim fuit labor vtrisque. Tu decertasti. & ego sum quoq; tibi particeps certaminis. Tu certasti. & ego tuo gratulor certamini. Tu iræ restitisti barbaricæ. ego autem resisto naturæ tyrannidis. Tu mortem videlicet contempsisti: ego autem viscera despicio. Tu cædis dolorem tulisti tolerabiliter. ego cū mihi lanientur viscera, fero tormenta. Mea quæ sunt tuis æqualia, & non inferiora, tu vincis acerbitate doloris: ego autem supero longitudine temporis. Nam etsi tibi valde magnum dolorem mors attulerit, vna tñ hora mors præteriit. Ego vero longum traho dolorem, & eum moderate fero philosophans, & certo sciens te apud Deum vitam viuere in quam nullus cadit interitus. credo fore vt mea illic curetur senectus. qñ mihi quouis modo confractum fuerit hoc vas testaceum, & ad id quod illic est tuum profecta fuero. Beata ego in matribus quæ Deo talem exhibuerim Athletam. Rursus quoq; ego beata. vere confido enim fore vt deinceps glorier cū tu in Christum fueris resolutus, & vnà cum eo futurus sis perpetuo, & delitiarum quæ nunquam desinunt sis particeps.

Hæc ego audiens erubescebam q tam molliter & tam pusillo animo ferrem casum pueri: & mihi esset minor virtus animi quam fœminæ. & eorum qui aderant me mouebat verecundia. Deinde illam quidem admirabar. meipsum autem irridebam, vt qui egregię illius mulieris verba acciperem perinde ac mei sugillationes: & illius moderationem meam iudicarem insaniam. Nam cū existimassem me iure posse cum Deo conqueri propter ea quæ passus fueram: tunc recte cognoui me esse passum, q mulieris exemplo didicissem esse cuiusuis mali insultum tolerabilem. Visum est autem consilio eorum qui Pharā incolebant, postq; audiissent quæ renuntiata fuerant non præterire silentio id quod ausi fuerant. sed hoc significare

ficare Regi Barbarorum. Et ad eum quidem mittunt duos ex iis q apud ipsos vocantur Hemerodromi, accusantes q̄ inita infregissent fœdera. Sūt autem adolescentes ephebis paulo ętate maiores, barbę propemodum primam emittentes lanuginem, qui his rebus inseruiunt, & nihil ferunt pręter arcus telaq; & iacula & silices. hæc enim eis in via sunt ad vitam vtilia. illa quidem venationem. hi verò ignem prębentes ad coquendum. lignorum enim & stipularū est eis vtique magna in omni loco copia, cùm nullus quæ nascebantur secaret in solitudine.

Cum ij autem illam viam conficerent, nos egressi sumus ad efferenda corpora. et cum accessissemus, inuenimus eos qui quinque antè diebus interempti fuerant, nihil passos ex iis quę verisimile erat passurum esse mortuum qui vno antè die esset mortuus. non male olentes. non putrefactos. & nihil lęsos ab iis quibus innatum est vt perdant, à carniuoris, inquam, auibus, aut feris agrestibus. Tāto autem antè tempore eos fuisse interfectos dixit filius Megadonis. hoc enim erat nomen Senatori qui à Barbaris fuerat interemptus. Erat vero qui occisus erat in Bethrambe quidem Proclus. Hypatius autem qui in Geth. Isaac vero qui in monasterio Salaël. Macarius autem & Marcus, qui fuerunt occisi in ea quæ est extrinsecus solitudine. Beniamin vero in ea quæ est extra Elim. Eusebius autem in Thola. & Elias in Aze. Porrò autem ipsorum quoq; duorum alterum inuenimus qui multa vulnera habebat lętalia, sed adhuc viuebat & spirabat. Quem quidem cū portassemus, in cella deposuimus, conuersi ad sepulturam aliorum corporum. Cū autem ad ipsum rediissemus, viuum quidem non amplius offendimus. apud hydriam autem inuenimus iacentem iam mortuum. Nam cū omnino siti laborasset propter inflammationem vulnerum, postquā bibit cecidit pronus in genua. in hoc habitu eum mortuum relinquente anima. Cumq; ei vt cæteris iusta fecissemus, egressi sumus vt sciremus quidnam significaretur à principe Barbarorum.

Iam autem nobis Pharā ingredientibus, aderant qui missi fuerant. ab eo afferentes litteras quæ & pacem confirmabant, & ad se venire iubebant eos qui affecti fuerant iniuria: & maxime eo qui attinebant ad captiuos adhuc viuentes. Quòd si quis etiam vellēt sumere pœnas de iis q occisi fuerant, dicebat se esse paratum dare auctores ad suppliciū. Quinetiam se profitebatur omnia daturum spolia iis ex quibus prædæ actę fuerant. Nolebat enim soluere leges pacis, vt qui lubenter esset cum eis confœderatus, propterea q̄ ex eis vtiq; accepisset solatium. agnoscebat enim eis non paruum afferre emolumentum quod cum eis intercedebat commercium, vt qui in suæ ægestatis necessitatibus aperte adiuuarentur eorū abundantia. Cùm dona itaq; parassent, & legatos constituissent tanq̄ ad renouandam pacem quæ iam dissoluta fuerat, die sequenti & ipsos emittunt, & nos qui bona vtiq; spe eramus venturi. Octauo autem die ambulantes, duodecim enim diebus iter conficiebatur, aquę penuria laborauimus. magnaq; nos sitis vrgebat necessitas. morsq; deinceps sperabatur quæ semper assidet inopiæ. Dicebat autem vtiq; propè esse formam ij q locorum habebant experientiam. idq; multos solabatur laborātes futuri expectatione quæ malo præsenti medetur. Currebant itaque multi ante multitudinem, properantes inuenire illud quod quęrebatur, & desiderātes

eo secure frui cuius laborabāt inopia. alius alio conuersi, prout vnūquēq; ducebat spes assequendi. Deinde etiam oculis considerantes, firmo fixoq; obtutu procul intuebantur. oculorum lumine tanq̄ lucerna id quod latebat indagantes. Ibam autem ego quoq; paulatim sequens eos qui praecurrebāt. vt alij quidem fortasse dixerint, qui prae senectutis imbecillitate non possem eos assequi qui magis valebant viribus. vt ego autem dico, qui nollem nimium inordinato pede facere iniuriā honestati & grauitati morum. Adhuc enim volebam viribus, necessitate ad id quod vrgebat magis animi impetum impellente q̄ natura ei insitum fuerat.

Ex aduerso autem mei itineris erat fons positus. latebat autem in medio cuiusdam collis. Iis itaq; qui ex vtraque eius parte dispergebantur semper relictis, pergebam in medio eius quae hic aut illic futura erat inuentionis, coniectans me non procul absuturum. Cū vero me paululum inclinassem, qn̄ accessi ad dorsum collis, & primus vidi fontem, & barbaros multos ei circunfusos. & cū sic in immanes incidissem hostes, neq; conturbatus sum eo quod acciderat praeter expectationem: neque magno fui timore affectus. Sed cū essem medius inter timorem & gaudium, de eo quod euenerat me tali solabar consideratione. Aut enim dicebam me apud ipsos inuenturum filium, & prompto & alacri animo cum ipso seruiturum. seruitutis molestiam leuās voluptate aspectus. aut omnino esse interimendum: & sic esse liberandum à graui quę me premebat molestia. Sed ij quidem exilientes ad me permixtim accurrerunt. cumq; me comprehendissent qui tanq̄ mutus stabam vtpote cogitabundus, inhumane trahebant. Qui autem ad inquirendam aquam mecum missi fuerant, cū se vidissent ab ipsis nondum fuisse conspectos, sensim conuersi, clā statim redierunt, pronos non secus ac serpentes se per terram trahentes, & sic se fuga subripientes. Ego vero etsi ab eis vincirer, traherer, conuellerer, Quid enim non graue patiebar? eorum quidem neque vllam ducebam rōnem, neque vllum sensum accipiebam: sed tota mente versabar in inquirendo filio. illudq; oculis scrutabar in omnem partem circūspiciens, sicubi viderem eum qui desiderabatur.

Cū haec autem fierent, non multum tempus praeteriit, & ecce ex nostris copiis aderant viri bellicosi. Qui cū super tumulum sublimes apparuissent, magnam perturbationem attulerunt barbaris. Postq; enim clamore significarunt aduentum, nullus fuit qui in loco manserit. nudus aūt totus locus repente ostendebatur, qui paulo antè plenus erat corporibus. Saluti enim consulere festinans fugiebat vnusquisq;, secum nihil valens accipere. tantusq; timor eorum qui apparuerant ex tanta securitate eis irruit, vt nec ad persequentes quidem se omnino conuerterint, dubitantes ne comprehenderentur: putarent autem se habere qui retro semper sequerentur, & qui strictos haberent gladios, & verberarent aliquos, & multos de medio sustulissent, & suam perturbationem esse existimarent aduētum aduersariorum. donec longum fugae spatium eis concessit vt respirarent, praebens facultatem circūspiciendi & videndi eos qui persequebantur. Efficit enim metus vt quae sunt continentia putentur semper maiora, & plura visione apprehendantur q̄ rei habeat veritas, plus q̄ capere possint eorum vires res veluti augente timiditate. Atq; illi quidem sic soli fugiebant. illic relictis omnibus quae habebant impedimentis. Qui autem ac-

cesserant cum ex iis quæ inuenerant magnam accepissent vtilitatem, illic reliquum diei transegerũt. Deinde cũ sequenti die cœpissemus ambulare, & quatuor dierum iter confecissemus, in castra peruenimus. Cumq; significatum esset aduenisse legatos, ij vocati sunt vt conuenirent Amanem. hoc enim erat nomen Regi barbarorum. Ad quem cũ attulissent munera, benignum responsum nacti sunt, & acceperunt prope illum tabernaculũ. benigneq; & comiter ab eo sunt tractati. donec diligens & accurata perscrutatio oĩa manifesta. reddidit quæ ad illam iam factam pertinebant incursionem. Atq; illa quidem ab eis breui peracta sunt tempore.

Mihi aũt cor vehementer palpitabat. & ad nuncium suspenso animo erigebar: omnis autem sonus cuiuslibet rei mihi videbatur susurrare famã eius de quo eram sollicitus. erantq; aures paratæ vocũ sonis. & mens attendebat eos tanq̃ nuncios. spectans quisnam esset mihi renunciaturus aut vitam aut mortem filij. Qñ autem veniebant non admodum lęto vultu, mœstum significari nuncium eorum tristitia coniectans, Non opus est, aiebam, vt loquamini. Calamitatem enim visus nobis renunciat. & etiã ante linguam clamat animi motus, quod dicendum erat sermone gestu prius eloquens. Non fallar ergo orationibus. neque decipiar verbis compositis ad persuadendum. Non enim attendam sermones qui possunt omnino figurari ad probabilitatem cũ in ipso vultu videam animi perturbationem. Hoc est enim aperta illius imago, vt quod exprimat internam eius affectionem, non secus ac speculum. Neque enim potest ille vultus lętitiam ostendere qui concidit mœrore & plenus est tristitia. Aut ergo citra fictionem dicite verum mihi rogãti. aut scitote vos hoc vestris iam dixisse vultibus. sicut etiam dixi antea. Quid enim prodest verbis paululum consolari eum qui cruciatur: postea aũt maiori afficere molestia, quando quod angit verum deprehensum fuerit?

Cũ itaq; iureiurando frequenter affirmassent non esse mortuum Theodulum, venire autem venundatum cuidam in ciuitate Eluza, consulebãt vt irem in ciuitatem. Dicebant enim me illic inuenturum filium. Sed ne sic quidem dolorem vel modicè curarunt. Quid tum enim, cogitabam, si viuit: & maior quidem metus mortis est dissolutus: seruit autem venũdatus, & ne mecum viuat est prohibitus. Non facit enim omnino puram voluptatem necessitas, quæ impedit appetitionem liberi arbitrij & animi libertatem retinet aliena voluntate. Postea tamen profectus sum ad eã quæ mihi significata fuerat ciuitatem, cum duobus quos mihi dederant viæ ducibus. In via autem quidam nobis occurrit adolescens qui sequebatur animalia quæ onera portabant. Is autem me prius viderat in castris, & quæ ad me pertinebant omnia accurate didicerat. Is cum fuisset Eluze, & quæ de filio meo dicebantur audiisset, ꝙ. s. captiuus abductus esset à barbaris, ei de me significauit. acceptisq; litteris, veniens eas afferebat tanq̃ bonum nuncium. Cũ autem me vidisset eminus, cœpit accedere subridens. & ego quoq;, cũ virum agnouissem. vbi vero propè fuimus, ipse quidem me læto vultu alloquitur. & dexteram extendens, eam pone diuertit, & volam manus applicans humero, epistolam summis digitis extrahit ex pharetra., & eam mihi reddit, filium meum nuncians viuere. & hortans vt essem bono animo, & non perinde ac si esset seruus spem haberem bonis vacuam. Nam is qui emit, inquit, est sacerdos Christi sacra-

mentorum. & filius cœpit quidem ipse quoq; esse in ordine sacro, vt cui sint credita prima munera ędituorum. magnam autem mox futuri profectus spem ostendit. vt qui breui tempore magnam virtutis dederit periclitationem: & morum bonitate effecerit vt hoc omnes statuerent. Ego autem vt qui essem & inops & domo carens, eum benignis verbis sum prosecutus. & ei bona multa sum precatus. qm̄ nihil habebam quo hominis bonum honorarem ministeriū. vniuersum autem permisi Dei prouidentiæ. & pro inexpectata lętitia ei cū lachrymis agi gratias, qui mihi, vt erat verisimile, cæpisset soluere ingentem calamitatem, & veterem reddere prosperitatem.

8 Postquam aūt veni in ciuitatem, primum quidem 8 sanctum templum quæsiui tanq̄ causam bonorum. & ei eum quem par erat honorem tribui, solum rigans lachrymis, & implens Dei ędem vocibus lamentationum. & illinc deductus veni in domum in qua manebat filius, multis præcedentibus, & mei aduentus felicem nuncium significare studentibus. Nouerant enim omnes ex fama quæ præcesserat, me esse qui vulgo iactabar patrem pueri qui apud ipsos fuerat venundatus. nec vllus erat qui nō vultu signa gaudij præ se ferret. Vnusquisq; autem cū tanquam suum vidisset de quo omnis spes perierat, hilari vultu exilientes, se mei animi affectioni consentire ostendebant. Postquam autem ianuæ appropinquauimus. cū eum vocassent et me venire dixissent, ducunt salutaturum. Cum nos vero alter alterum ego & ille vidissemus, neque lętari neque admirari primum cœpimus, sed ambo potius lamentari, vultus lachrymis inquinantes, & similiter vestes quæ tegebat pectora. Et ille quidem accurrit non admodum cognoscens. eram enim & capillis & veste sordidatus: ita vt non possem facile cognosci. Iis tamen qui renunciauerant, vt videtur, potius credens quàm oculis, venit passis manibus, vt mihi vehementi animi impetu circunfundendus. Ego autem etsi multi essent circa eum, ipsum agnoui protinus, vt qui adhuc eandem haberet vultus figuram, quæ assidua eius meditatione aperte erat meæ impressa memoriæ. & cū non potuissem cōtinere gaudium, mihi repente dissolutum fuit robur corporis. & cum cecidissem, hianti ore humi iacebam, existimatus à nonnullis esse mortuus. Diuturno enim mœrore, nisi q; respirabam & videbam, à mortuo nihil omnino differebam. Cum me autem comprehendisset & esset complexus, qui defecerat animum vix mihi restituit, fecitq; vt cognoscerem quis essem, & vbi essem, & quemnam meis cernerem oculis. Eum ergo vicissim complexus, eisdem excepi nexibus, insatiabiliter diuturnum explens desiderium.

Vides christianū morem, ut ingrediētes urbem primum sese conferant ad tēplum Dei, honorem ei debitum exhibituri.

Deinde ad loquendum conuersus, ego me excusabā & persuadere volebam me fuisse auctorem omnium quæ senserat malorum: vt qui eum eduxissem, & patriam, & eū fecissem incolere regionem quæ continenter diripitur. & verè erat ita vt dicebam. Qn̄ enim vnq; eam quæ genuerat incolens, aliquid deprecandum sensisset, cum ex omni parte in pace ageret, & nullum haberet eiusmodi metum insidiarum? Valeant qui quæ sunt in fatis opinantur esse ineuitabilia, & ex fato iis qui patiuntur imponunt necessitatem. Post hęc rogabam vt mihi narraret quę ei acciderant eo tēpore quo fuit apud barbaros. Neque enim amplius molesta erat enūtiatio, cum præteriisset iam periclitatio. Nam quomodo post morbum sanitas,

tas, & curatio post vulnera, lætificat, & non afficit molestia: ita etiam rerum tristium narratio post liberationem, vel maximam habet voluptatem. quantum prius dolorem habuit experientia.

Ipse autem cum grauem è profundo genitum edidisset. Quid iuuat, inquit ò pater, eorum quę sunt molesta reminisci? Solet enim efficere recordatio vt eius qui passus est recrudescāt vulnera, etiamsi auditorum aures forte demulcet, alienis alioqui malis delectationem afferens. Sed qm̃ scio fore vt nequaquam cesses donec ea quæ desideras tibi scire licuerit. admirabilem enim euentum meæ salutis vis efficere argumẽtum glorificationis, qũo soles de rebus oĩbus Deo agere gratias, audi. magni animi virtute tuos implens spiritus, ne ad asperos & difficiles casus eorum quæ euenerunt ipse quoque miserabiliter fractus paternis visceribus, me quoque flectas ad luctum & lachrymas, & eiulatibus lamentationis confundas orationem. vtpote ꝙ luctus sępe vocem interrumpat, & non sinet quempiam ea quæ vult lingua narrare libera. Atque magnam quidem actus partẽ omnino vobis aperte narrauit post fugam filius Medagonis. Illa ergo rursus referre simul & superuacaneum fuerit & molestum. Quæ autem post fugam illius euenerunt, necesse est, qm̃ tu hoc mihi iubes, dicere.

Visum fuerat barbaris, vt dixit, omnino enim dixit ille, nos mactare. & quæ pertinent ad sacrificia iam vespere parata erant omnia. ara. ensis. libamẽ. phiala. & thus. Summo ergo mane certa erat mors, nisi Deus erat prohibiturus, sicut certe prohibuit. Postquam autem ille, cum me suam non celauisset fugam, aufugit, & propter longum viæ spatium, & ꝙ incerta esset persecutio, dubium esset an eum posset assequi. ꝙ non solum tẽpus, erat enim vespera vsque ad mane, esset sufficiens terminus ei qui fugeret. sed etiam itineris incertitudo faciebat vt ne scirem quonam modo possent eum persequi. Quis enim est tam egregius simul inuestigator & tā bona coniectura præditus, vt in tanta latitudine solitudinis, itineris inueniat vestigia? est enim tota aspera & lacunosa, & quæ nullum omnino ostendat vestigium quod acceperit. Cum hæc ita se haberent, ego pronus iacebam, vultum quidem humi defigens, propter angustias autem afflictionis mentem sursum erigẽs. & sic Deum vniuersorum sensim & apud me rogans. vtpote ꝙ nihil ex iis quę ad hanc vitam pertinent, ad nullam rem vtilem me posset deducere & attrahere, propter celerem necessitatem. sed efficeret vt essem potius sobrius & vigilans: & soli Deo mentem adhiberem, & à spe in eum penderem.

Quocirca dicebam, ò Dñe & Deus, qui solus es opifex vniuersæ quæ cernitur & quæ mente intelligitur creaturæ. habes in manu tua corda eorum quæ es fabricatus. & conuertis sæpe ad misericordiam ferociam impetus alieni à ratione, qñ volueris iusto & rationi cõsentaneo iudicio, eos qui tuæ potestatis sententia morti traduntur conseruare. qui sedas iras ferarum agrestium quæ prosiliunt ad humana corpora deuorãda. Qui vim ignis hebetasti, & solo nutu tuo pueros tuos illæsos conseruasti: & eorum pilos & colorem arcana tua & admirabili potẽtia flamma reddidisti potentiora, tu me quoque serua Rex Christe qui nulla spe nitor auxilij. qui mox inimicorum iudicio sum vita priuatus. ꝗ vt est verisimile iam sum mortuus. & ne permittas ò Domine vt meus sanguis sit libamen Dæmonibus. neque mearum carnium nidore lætificentur mali spiritus. Sta-

tuerunt me astro sacrificare matutino,quod cognomen accepit ex vitio libidinis. Sed ne permittas Dñe,vt corpus meum,quod in hodiernum vsq; diem castum est conseruatum, sit hostia Dæmonis qui cognomen accepit ab intemperantia. Muta autem cor ferinum ferarum vere immanium ad clementiam & mãsuetudinem, Qui mutasti iram in Ester inflammatam Assueri Regis Mediæ: & eius immitem animum cõuertisti ad misericordiam. Serua animã quæ tibi seruire proposuit. Redde me patri seni & tuo famulo, filium rudem malorum,& qui,quod ad propositum attinet,sum pius Dei cultor futurus. Non enim propter metum periculi hanc nunc incipio confessionẽ vt videatur promissum rependi pro salute. Certaminis enim necessitatem anticipaui libera mea cogitatione. Ostende fidem esse ad salutem pedibus perniciorem. & tuam spem esse quauis fuga tutiorẽ. Effugit mortem is qui mecum erat mane sacrificandus: & fuga sibi salutem peperit. Ego autem mansi expectans quod tibi videretur. & sum in manibus inimicorum tuo confidens auxilio. Ille suis pedibus.ego tuę credidi potentiæ Ne sit diuina expectatio ad salutem infirmior spe corporis. Conseruatus est ille qui tenebris vsus est ad fugam. & recte quidem sit conseruatus. Ad me iam peruenit lux diei. Tu deinceps me conserua tua sapientia,qui viuis lucem largiris ad tua exequenda præcepta.

Me sic orantem cum acerbis lachrymis mane insomnem occupauit. Cumq; respexissem,vidi iam luciferum prodeuntem ex Horizonte. Surgens autem ab eo loco in quo iacebam, sedi manus meas complicans genibus,& faciem super ea inclinans,sinum implebam lachrymis. & rursus corde clamabam ad eum qui me poterat eximere intensa vi spiritus. Mirifica, dicens, mecum Dñe tuam misericordiam. Qui solus habes vitæ & mortis potestatem. sicut mirificasti cum sanctis qui olim constitui fuerunt in necessitate,& liberati fuerunt ab omni afflictione. vt nos habeamus fiduciam te inuocandi,& confidendi fore vt liberemur ab iis in quibus sumus mali cum illos habeamus tui exemplar auxilij. Tu redemisti Isaac qui iacebat ad ipsam aram occisionis. & patrem qui tincturus erat ensem sanguine sono vocis retraxisti. Tu Ioseph eripuisti à fratrum dextera quę cædem moliebatur. & rursus cum ei paratæ fuissent insidiæ,ab iniustis liberasti vinculis & custodia. & post longum luctum patri reddidisti regnantem. Tu huius patrem Iacob redemisti à necessitatibus,cui frater similiter inuidebat.seruans in Mesopotamia. Vbi etiam custodiisti Mosem qui Ægyptiacam fugiebat tyrannidem. Tu cum duos pueros mortuos oratione prophetica è lecto fecisses surgere,prębuisti viduis matribus. Tu ipse ò Domine in quem non cadit mutatio, qui hæc diuina virtute fecisti admirabilia: Tu quoq; me nunc exaudi. & largire viuum Patri eum qui te altissimum suum duxit esse refugium. & solue luctum qui superat omnem consolationem. & da iis qui norunt nomen tuum vt admirẽtur vim tuæ potentiæ,ò Rex maxime celebrande.

Cum ego autem in his essem,surgunt repleti tumultu,vtpote q; sacrificij tempus præteriisset. iam enim Sol lucebat super terram. & cum non inuenissent alterum: neque scirent quidnam eo factum esset,me interrogarunt. Postquam autem respondi me ne scire cum essem apud eos,siluerũt. & neq; minati sunt. neq; ostenderunt vlla signa iracundiæ. Tunc quietus ac compositus fuit mihi spiritus. & Deo benedixi qui non despexerat mei

humilis orationem. Me autem deinceps subiit audacia & fiducia, cum Deus omnino hæc mihi concesſiſſet, cumq́ꝫ iuberent vt nefariis veſceret, contradixi. & vt luderem cum mulieribus, nõ parui imperantibus. donec venimus prope terram quæ habitatur. Tunc enim cum neſcio quid communiter conſultaſſent, introducũt in vicum qui dr̃ Subaita & iis qui illic erant ſignificant ſe me velle vendere. Cum autem nihil agerent, ſed re infecta ſæpe reuerſi eſſent, vtpote ꝙ nullus vellet dare pluſquam duos aureos, tandem vbi eduxiſſent, & vt mos illis erat nudum ante vicum ſtatuiſſent, enſem collo meo imponunt, ſi nullus me emat, dicentes ſe me ſtatim interfecturos. Ego autem iis qui ad emendum veniebant ſupplex erã, manus extendens, vt darent quantum petebant barbari, & ne viderentur parci cum pretium darent humani ſanguinis, dicens me eſſe prætium propediem redditurum. & ei qui emiſſet lubenter ſi vellet eſſe ſeruiturũ. confitẽs eum eſſe Dominum etiam poſt redditum pretium qui meam vitam emiſſet. Quidam itaque mei miſertus clamantis & lachrymantis, vix tãdem me emit. & ex eo hic vt vides emptus ſum. vt multa dicam breuiter. Video enim te perturbatũ & non longe abeſſe à lachrymis, & eſſe planctu confuſurum gaudium. Hæc quidem ſum paſſus Pater, & paſſus fui liberatus. Te autem deinceps Deum glorificare conuenit pro mea hac inopinata, & quæ præter ſpem & expectationem reddita eſt ſalute.

Sed tu quidem, dixi, ò fili, innumerabilia toleraſti pericula, & multas ſuſtinuiſti mortes expectatione, etiamſi Dei gratia eus effugeris periclitationem. Idem enim eſt mortem vere ſperare, & eã diſcere experiẽtia mutto dicere ꝙ etiam grauiorem. Non enim tantum affert dolorem diſſectio, quantum quæ eam præcedit expectatio, quæ ſenſum doloris longo quodã metu extendit, & facit vt vere maneat quæ ſperatur moleſtia. Ego autem in tempore illius afflictionis os meum ad Dñm aperui. & continentiæ & alterius malorum perpeſsionis profeſſus ſum auſteram ſeruitutem, ſi 9 te viuum ſolummodo reciperem. & audiui vocem dicentem. Stabiliet Dominus, ſtabiliet verbum quod egreſſum fuit ex ore tuo. Non oportet autem ò fili tranſgredi profeſsionem, nec eum fallere qui diuino reſponſo confirmauit promiſſum.

9 *Ecce uotum ſub conditione, ſi filium uiuum reciperet, & cum receperit, uult promiſsionẽ implere.*

Cum ſic bonum finem votum acceperit, ego quoque ò Pater, inquit, puer, tecum prompto & alacri animo laborem ſuſcipiam. & promiſsi ero ſocius, qñquidem fui gratiæ quoq; particeps, & beneficij maximum percepi fructum. Nam tu quidem luctum: ego autem mortis euaſi periculũ. cum etiam vniuerſum à Deo in tuam gratiam factũ ſit. Si enim Iepthæ, qui pro conſequenda in bello victoria votum fecit inſeruiit filia, ſui cæde & ſacrificio dans ſeipſam futuram hoſtiam propter cõſeruandam Patris exiſtimationem: Quiſnam ego fuerim, ſi non velox & pręcurrens ſim debiti paterni exolutor: idq́ꝫ cum ſim Deo redditurus debitum, qui ſcit exolutionem rurſus ſecunda rependere gratia: & quod redditur debitum, non accipit tanquam debitum: ſed hoc accipit fœnori, & ſe confitetur debere exolutionem in remunerationem grati animi debitoris: qui ſemper quidẽ profundit gratias, & ſe ſemper ſcribit eſſe debitorem iis qui fœnori accipiunt beneficia: & eorum omnino redditionem, reputat liberalitatem & munificentiam. vt & ſemper incipiat benefacere, & tanquam debitor referat gratias. Quamobrem cum me in exoluendo promptum ſocium ha-

beas pater, incipe reddere. Omnino autem Deus qui nostras nouit vires, conuenienter eis exiget debitum. nec maiores postulabit labores q̃ possit robur præstare, naturæ sciens imbecillitatem. Ego autẽ his quoque verbis sum precatus. Eos ò fili, detur exire ad opus, & in rebus cõspici. vt & promissum bonum finem accipiat: sitq́; votum efficax, & merces consequatur labores. Hoc est enim finis & terminis vniuersi operis q̃ fit ex Deo, vt obsignentur actiones remunerationibus, & certamini coronæ ferant testimonium. quandoquidem quæ digna datur merces, solet esse argumentum q̃ sit opus probatum. & sunt præmia certum testimonium decertationis. Sed hæc quidem sic habent.

Eorum autem qui illic erãt vere pius & religiosus Episcopus cum nos diu curasset, & à priori afflictione nos non parum recreasset, rogabat vt nos apud eum maneremus. benigneq́; pollicebatur se nostri curam habiturum in omnibus. Ne videretur autem vim afferre q̃ reputaret pretium datum pro filio, nec nimis iure Dñi exigere vt maneremus, permisit vt faceremus quidquid videretur ex nostra animi sententia. in hoc solo in nos exercens tyrannidem q̃ sacri ordinis iugum vel inuitis nobis imposuerit. Nos enim reputantes onus ministerij, ægreferentes deflebamus vt quod nostris esset viribus superius, & vix solis sanctis conueniret quod ad vitę gerendæ rationem attinet. Nam illis quoque visum est graue. & vocati confessi sunt dignitatem esse maiorem quã vt eis conueniret. & Deo contradicebant producentes suam indignitatem. & recusabant ordinationem causantes imbecillitatem. etsi oĩbus qui nunc sunt essent ad munus aptiores: & ex rerum honestarum exercitatione maiorem in colẽdo possent habere ad Dñm fiduciam. Ille autem dicebat munus conuenire laboribus, & certaminis perpesionibus dabat mercedem, vt putabat, dignitatem. Volentes autem discedere, & domum proficisci, lberali viatico prosecutus, vtpote q̃ longa esset via, & vt Dei gratia nos comitaretur precatus, quæ deinceps nobis pacem conciliaret, sic dimisit. cum nec de dominio se arroganter iactasset vt aliquis fortasse alius, eius quem emerat auctoritatem prædicans: sed etiam quod videbatur fuisse infortuniũ leuasset multa consolatione: & opinionem insolentiæ vitasset moderatione. Mihi autem hic desinat oratio, vbi rerum grauium cessauit periclitatio. quæ Dei gratia post multam afflictionem, lætioris vitæ præbuit principium. Qua detur nobis omnibus, frui & nunc et in futuro seculo virtute & bonitate sanctę & consubstantialis trinitatis. Amen.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI *& Confessoris, Athanasii Archiepiscopi Alexandrini.*

Ianua. 18. ALII quidem alia beatorum virorum monimenta, ad virtutis exemplar demonstrãdum, & ad eius amorem incitandum, persequatur, piorumq́; ea tradant auribus. Ex eo enim q̃ assidue fiat mencio eorũ qui ex virtute vitam instituunt, euenire solet naturaliter vt & virtutẽ persequantur & eius vehementi amore inflammentur. Ego autem omnium optimam ac præstantissimam & quam maxime existimo ex Deo esse actam, alloqui autem difficilem, & quam

quam nullus quidem perfectè possit imitatione consequi, si eam autẽ aliquantisper rectè sequamur, nobis non paruum lucrum afferet, magni, inquam, illius Athanasii vitam, perinde ac quãdam animatam & immortalem virtutis columnam, omnibus manifestam & cognitã conabor efficere. Talis enim viri vita, & qui tot propter Deũ calamitatibus est impetitus, totq; tamq; crebras ac varias sustinuit mutationes, nõ solũ potest si vel tãtummodo audiatur, honesti amantibus animis simul cum voluptate afferre admirationem: sed ad philosophiam quoque cum alia virtute docendam, spem, magni animi virtutem, & tolerantiam est accommodatissima. Atque omnia quidem quæ ab illo gesta sunt non est facile persequi. Non solum enim ea difficile est imitari propter magnitudinem, sed etiam oratione complecti propter multitudinem. Verumenimuero quæcunq; sunt ad audiẽdum vtiliora, ea vulgo quoq; sunt notiora cum aliis.

Athanasio ergo fuit quidem patria, Ægypti ciuitatum clarissima Alexandria. Parentes vero qui alios quidem virtute superabant, solo autem filio erant inferiores. adeò vt ex fructu arbor, & radix ex germine magis beata iudicaretur. Cuius generosum & liberale ingenium, morumq; probitas & constantia, ad Deumq; propensio & ad ea quæ sunt spiritalia inclinatio, statim ab ineunte ætate apparuit. Cũ ergo iam infantiæ superaret ætatem, quæ solet natura delectari lusionibus, & æqualium congressionibus, propter teneritudinem, venit hic quoque cum æqualibus ad quoddam littus maris. Ac videbatur quidem in littore ludere cum æqualibus. ludus autem fuit re uera res seria: & nõ solum figura futurorum, sed etiam occasio & primitiæ Athanasio eius quæ illi fuit cum Deo coniunctionis. Pueri enim per ludum imitantes ea quæ aguntur à Sacerdotibus, Athanasium quidem 1 manibus impositis ordinant Episcopum. Ipsi autem veluti in Presbyteros Diaconos allecti, ad eum adducebant alios pueros qui diuini baptismi signaculo nondum erant obsignati, vt ab ipso baptizarentur. Ille autem eis de more omnia peragens, & aqua marina pueros tingens, visus est velle etiam aliquam tangere adhortationem.

1 *Vides quod Epi cum impositiõe manuum etiam tunc ordinabantur?*

Qui itaque tunc Alexandrinæ præerat ecclesiæ, diuinus Alexander, cũ esset à negotiorum tractatione vacuus, & se ad moderatam aliquam dedisset remissionem, & ad maris iucũdissima oculos coniecisset spectacula, & tali ludo vtentem vidisset Athanasiũ, & in eo spectando diu esset immoratus, & apud se valde esset admiratus, statim adducit pueros, & quibuscunq; quidem ex iis puræ manus Athanasii, quæ diuinorum præceptorum erant ab infantia administræ, veluti quandã in Christo signaculi figuram imposuerant, eos prompta & alacri manu ipse quoque inungit, egregiarum illarum Athanasii manum impositionem vel ante ętatem reueritus, & non irritam censeri oportere arbitratus. Ipsos ergo inungit, & per baptisma perficit. eos enim nondum fuisse mysteriis initiatos prius diximus. Ipsum autem Athanasium suauem virtutis florem, & iucundã illius plantam iam maturis spiritus scatentem fructibus vel ante tempus, tradit parentibus vt eum interim curent instituendum literis. Cum autem ad ętatem peruenerit, ad eum rursus filium adducant, vel potius ad ecclesiam & Deum, Sicut etiam Anna duxit Samuelem. Sic ergo Athanasius cum esset in diuinis meditatus disciplinis, & se etiam in aliquibus exercuisset 2 liberalibus, esset autem iam puber ætate, rursus ad Pontificem

2 *Si magnus Athana-*

sius liberalibus se exercuit disciplinis, cur earum studium christianis esse inutile, & à scholis explodendum garriunt nonnulli?

adducitur à parentibus. Ille verò eum lubenter acceptum, sciebat enim quantum ecclesiæ bonum futurus esset Athanasius, Sacerdotali eum veste induit, & in clerum cooptat, in pugna Socium iis qui decertant, & virum fortem in instructa acie.

Atque erãt quidẽ in Athanasio multa & in moribus eximia, in doctrinaq; & dicendi facultate multa præclara. ex quibus nihil hominem reddit æquè insignem atque quæ pro rectis dogmatibus suscepit certamina, & quæ iuueniliter gessit aduersus impietatem. quæ quidẽ ordine omnia enumerare, perinde esset atque aquam maris metiri acetabulis. Sed nobis sunt omnino pauca ex iis quæ gessit assumenda. Quemadmodum enim fieri non potest vt omnia persequamur: ita rursus omnia prætermittere fuerit planè impium, & inuidorum potius q̃ eorum qui bonis lætantur proprium. Rabie quidem agitabatur insanissimus Arrius, & vniuersam labefactabat ecclesiam. Iam autem & ipsum orbem terrarum & omnia peruaserat improbitas. eiusq; ille nullum nec finem nec modum statuebat. Quinetiam exilio damnatus, & à Christi parte abdicatus cum esset draco semimortuus, per suos eadem sentientes caudam mouit discipulos. Per eos ergo cum magni quoque illius Constantini magnos ad se spiritus attraxisset, nihil enim dolum minus suspicatur q̃ animus ingenuus, Cum ergo Imperatorem iureiundo & literis, quæ multum illecebrarum habebãt & probabilitatis, per suos discipulos vel potius impietatis magistros & legislatores corrupisset, & suum dogma exposuisset, verbis quidẽ nudis, & quod ipsa quidem auditione similiter se habebat atque nostrum, re autem ipsa & quæ in profundo latebant sententiis multum differens, ea ratione procurat vt reuocetur ab exilio. Sic autem sceleratum illum qui Alexandrinam ciuitatem ad publicum & ecclesiæ redierat exitium, fortis Christi miles, rectorumq; dogmatum & pietatis defensor statim magnus inuasit Athanasius. Qui etiam crebro cõmouebat Pontificem, & ad bellum in eum gerẽdum incitabat, veluti generosissimus quidam Imperator auxiliatis. iam enim Archidiaconatus gradu & ordine dignus erat habitus. Quibus de causis perturbabatur quidẽ Ægyptus. perturbabatur autem quidquid erat in religione contentiosum diuersæq; & à vera discrepantis sententiæ. Scribebant autem ad Imperatorem, & imponebant eius simplicitati. Athanasio vero non licebat quiescere. sed & lingua & manu præclarè vtebatur. nec cessabat ipse cum Alexandro scribere ad Imperatorem, & litteris acrioribus insectari eius in peruersos facilitatem. q eum qui rectam Christianorum fidem infirmarat & nihili duxerat, & ab ipso Deo & Patribus omnibus fuerat abdicatus, figmentis rursus & fabulis deceptus admittat & patrum moueat terminos, qui, vt scriptum est, sunt immobiles.

Quo quidem tempore. Imperator non moderatè ferens se increpari, sed ab Eusebio accensus, dat acerba & aspera responsa. minatus se eos esse depositurum si non iis acquiescerent quę fuerant ab illis decreta. Hæc autem faciebat, non iræ seruiens, neque circa fidem aliquid innouans & amplectens Arrianismum: sed zelo potius vtens etsi non secundum scientiam, & specie procurãs ne diuelleretur & distraheretur ecclesia. Atque Alexander quidem cum simul cũ Athanasio tales ab Imperatore litteras accepisset, pauco tempore superstes, honesto fine vitam cõcludit. Athanasius autem

statim & morum & sedis fit successor, totiusq; populi suffragio ei mandatur sacerdotium, declaratus dignum talis vnguenti receptaculum, hoc non humanæ gratię munus, sed donum spiritus, & virtutis præmium cōsecutus. Impietatis autem præsides, occulti zizanię satores, ardentes ministri improbitatis, se quidem aliquandiu continuerunt, nihil omnino mouentes, nec perturbantes. sed eorum conquieuere impetus, & Athanasio apertè bellum indicere distulerunt. Deinde verò tanq; à maligno ad cor eorum loquente accepto signo, in id quod parturiebat animus erumpētes, aperta quæ prius latebat improbitate, vndiq; in eum grauissimas intenderunt insidias. Non solum sede, sed ipsa etiam ciuitate expellere eum qui cœlestibus tabernaculis verè erat dignus contendentes. Sed ille manebat ,,
immobilis vnà canens cum Dauid. Si consistant aduersus me castra, non ,,
timebit cor meum. ,,

Has autem primum cœpit moliri insidias, qui nomine tantum pietatis fuit particeps, mores enim eius nomini apertè repugnabant, impietatis, inquam, instrumentum Eusebius. Is enim cum suis in Imperatoris simplicitatem se insinuans & irrepens, tempus opportunum esse ratus, oīa mouebat & conturbabat, vt Athanasium de sede exturbaret. Sic enim fore putabat vt & alios superaret, & opinionem Arrij confirmaret. In eū ergo moliuntur & struunt insidias, magna, vt eis videbatur, verisimilitudine & probabilitate. Conducunt autem Meletij quoque hæresis sectatorem Isionem & in improbitatibus diuitem Eudæmonem, & in scelere victorem Callinicum. Crimina autem quæ intendebantur Athanasio, vnum quidem erat q coegisset Ægyptios lineam vestē pendere ecclesię Alexādrinæ. Alterum autem, q non bene vellet Imperatori, sed etiam pararet insidias literis Imperatoriis. Tertium verò auaritia, q & arcam quandā auro plenam misisset ad quendam ex suis amicis. His quartum accedebat quidam Ischyras, qui turpissima quidem & grauissima perpetrauerat, & nō solum dignus erat accusari, sed etiam nullo modo merebatur consequi misericordiam, versutus autem & vafer moribus, & qui crimina quorum accusabatur poterat refellere ac ipsa in eos qui accusabant cōferre. Is cum sibi affinxisset sacerdotium, & sibi Presbyteri nomē imposuisset, & mystagogus ex mysteriis nondū initiato, & eruditus in diuinis ex insipiente & inerudito repente apparuisset, ęquum censebat vt faceret quæcunq; facit Sacerdos, idq; cum ne in somnis quidem esset affectus honore Sacerdotij. Vndenam enim esset Sacerdos qui semper egisset vitam 3 Sacerdotio contrariam?

3 *Caute locum lege. Non enim non erat sacerdos quia egerat uitam sacerdotio cōtrariam, sed quia nō fuerat more Ecclesiæ ordinatus, cuius etiā signum erat, qđ pessime uixerat.*

Cum hæc autem de illo resciuisset Athanasius, vt qui esset accuratus talium hominum examinator, & lydius quidam apis, vt dicitur, Presbyterum Macarium. mittit ad Mareoten. illic enim versabatur Ischyras, ei permissa rei inquisitione. Postquam autem deprehensus Ischyras agnouit, nec habuit quid ageret, illinc, aufugiens venit Nicomediam. & accedit ad Eusebium, aduersus Athanasium impudenter vociferans, & ei in omnibus detrahens, eiq; acerbè maledicens. Est enim vitium eiusmodi, vt cū speciosus ei defuerit prætextus, ad falsum iurandū procedat, & apertè armetur aduersus veritatem. Illi autem eum honorant tanquam Sacerdotē, & perinde ac verum & germanum suscipiunt eum qui à Deo & sacris legibus defecerat. Natura enim delectamur similibus, prout vnusquisq; est

affectus vel ad virtutem vel ad vitium. Illi ergo propter suum ab Athanasio dissidium animis æstuantes, quãta putas lætitia exceperunt Ischyram: Illam animam arrogantia & cõfidentia plenam spe bonorum proposita acuerunt. & magno Episcopalis dignitatis honore eum ornaturos sunt polliciti, si modo in iustum posset aliquam struere accusationem, pro talibus factis eiusmodi præbentes remunerationes, & tot animarum præfecturam constituentes mercedem calumniæ. Is autem, erat enim non solum ad crimina struenda ac comparanda, sed etiam ad confundenda & in aduersariũ conuertenda callidissimus, vt iã antè diximus, in ipsum Athanasiũ vicissim crimen intendit, q̃ scilicet illius voluntate Presbyter Macarius ecclesiam instar prædonis inuadens, ipsum magno furore ab altari detraxerit, illam autem sacram mensam euerterit, & mysticum calicem contriuerit, & sacros libros igne exusserit. Atq; huiusmodi quidem actus ab Ischyra est adornatus.

Iam verò per alia quoque perfectè ab eis instructis insidiis, accedunt ad Imperatorem Constantinum hęc dicentes de Athanasio, & iram Imperatoris in eum accendentes. Hoc autem erat quod eum maximè irritabat. Id enim inuenit improbitas, sciens laudis cupiditatem esse natura insitam hominibus. Ne vestras quidem, inquit, admisit literas. neque Arrij sustinuit communionem. Quę cum audiisset Constantinus, primum quidem parum fuit cõturbatus. Deinde verò rem apud se considerauit, fuitq; adeò perplexus & animi dubius vt nesciret quo inclinaret & cui se adiungeret. cum Athanasii quidem virtus superaret omnem suspitionem: illorũ autem rursus calumnia verisimilis per multum haberet & probabilis. Cũ ergo sic se haberet, media via ingressus est, vt neque Athanasium condemnaret, neque rursus denegaret examinationem. Sed quoniam tunc Hierosolymis peragebantur Encænia & omnes fere simul conuenerant Episcopi, iubet vt cum Tyrũ venissent, de magno quoque Athanasio obiter inquirerent, nihilo secius autem Arrium quoque examinarent. vt si quidem, vt ipse dicit, manens intra terminos rectorum dogmatum veritatis, abdicatus fuerit per inuidiam, rursus admittatur in clerum & synodum, & coniungatur membrum reliquo corpori. Si autem nihil sit in summa aliud q̃ verborum persuasio quæ clanculum pro veritate obrepit, iudicetur sacris legibus, & meritas luat pœnas q̃ dogmata peruerterit.

Erat hic tricesimus annus imperij Constantini. Et aderant quidem ex diuersis ciuitatibus Episcopi. Adducebatur autem Presbyter quoq; Macarius vinctus manibus militum. Aderat vero ipse quoque Præses iudicaturus vnà cum Episcopis, atque etiam quidam magistratus. Aderant autem etiam calumniatores. Et apertum quidem fuit tribunal iudiciale, vocatus est autem Athanasius. Et primum quidem lineæ vestis, deinde etiam auaritiæ illata est aliena criminatio. Sed protinus quoque est consecuta criminis absolutio, apertum argumentum illorum inhumanitatis. Litteræ enim ab Imperatore illo tempore veniunt in iudicium. quæ non leuiter quidem tangebant accusarores, Athanasium autem liberabant crimine, comiterq; & benigne ad eum accersebant. Apis enim & Macarius, nõ is quem iam prius diximus, ille enim erat ab Eusebio relatus inter reos, sed alius qui erat eiusdem cum eo nominis. ambo Alexandrinæ ecclesiæ Presbyteri, cum Nicomediam non consulto sed casu venissent, & Imperatorem

peratorem cōuenissent, omnia vt rei se habebat veritas retulere. & falsum crimen Sancto obiectum & iniquas in eum structas insidias dissoluere. Quibus cum fidem habuisset Imperator, vel potius argumenta à veritate profecta esset reueritus, quoniam nihil probabile, neq; quod rei cohęreret consequentiæ, sed solummodo inuidiæ fœtus re uera esset calumnia, tales edidit litteras. Quæ cum in ipso ingressu accusationis lectæ essent in iudicio, Eusebianos protinus inuasit metus & angor animi, neque sciebant quidnam facerent.

Cæterum ne sic quidem destiterunt ab insania. neque satis duxerunt q͂ essent semel conuicti. sed etiam accusatione cōuersa in contrarium, vt quę stolidos potius reddidisset obnoxios criminibus in Imperatorem, illi etiā cōuersi sunt ad alias. & moueri cœpit quæstio de Macario. Et productus quidem est accusator Ischyras. testes autem Eusebiani. quos primū quidem Athanasius reiecit vt inimicos, & ipsis legibus & iis quas leges afferunt necessitatibus arcuit à ferendo in se testimonio. Deinde etiam æquum censebat vt ostenderetur num re uera esset Sacerdos accusator Ischyras. & tunc ipse quoque dicebat se redditurum rationem ei obiecti criminis. Hæc ille quidem dicebat. Iudices autem non patiebantur. sed admissus quidem fuit libellus aduersus Macarium. eiusq; causa agitabatur. iamq; peruenerat ad contentiones & ad probationes. Quæ cū essent minus validæ, dilata est auditio, vtpote q͂ opus esset vt res ipsa in loco ipso quæreretur. Cum autē quos reiecerat Athanasius, eos videret mitti ad examinationem, tunc non tacendum esse censuit nec ferendū, sed vociferatus est. Ius extinctum est. conculcata est veritas. perit illa accurata legum iudicumq; ratio. Quemadmodum enim, inquit, non fuerit absurdum vt reus quidē se defensurus tuto seruetur in vinculis, accusatori autem & inimicus ferenda permittatur de causa sententia. quinetiam ij producuntur criminū testes de quibus ipsi sunt iudicaturi. Hæc cum magnus apertè clamaret Athanasius, publiceq; & toti synodo hæc protestaretur, vbi nec iusti nec eorum quæ dicebat eos vidit vllam habere rationem, ipse quidem de recessu cogitat, & clam venit ad Imperatorem. Statim autem concilium, vel improbum, vt ita dicam, conciliabulum, eum absentem condemnat.

Postquam autem finem quoq; cœperunt quæ acta sunt Mareotæ, & omnia inimicis successerunt ex sententia, decernunt vt omnino deponatur Athanasius. Ii inquam deponendum decernunt qui si veritas iudicaret essent potius deponendi, eum in cuius animæ pulchritudine nulla erat macula, in eo deponendo criminationibus contumeliisq; & maledictis supra modum redundantes, & vehementi impetu in eū inuehentes. His sic peractis, ita vt se habebant recta cucurrerunt Hierosolyma, vbi etiam Arriū qui in Deum furebat admiserunt quicūq; lingua solum pietatem colere elegerunt, & in Nicena synodo ficte subscripserūt homousio. Qui autem rectæ erant fidei, cordeq; & labris sani erant, cū statuissent vt examinaretur Arrius in synodo Alexandrina, verbisq; & sententiis animum adhibuissent, eaq; diligenter perpendissent, deprehendunt dolum qui latebat sub 4 multis velamentis verborum & sententiarum, & eum esse conuincunt inimicum veritatis, & vulpem illaqueant. Deinde rursus veniūt littere ab Imperatore, quæ iubent vt Athanasius quidem ad ipsum veniat, & ipsi quoq; quamprimum adsint. Hæc magnū timorem incussere

4 *Vide proprium hæreticorum, sub uerborū & sententiarum uelaminibus auditores fallere.*

synodo, ne conuincerentur ab Imperatore, partim quidem gratia partim verò odio adducti iudicasse, vt qui apertè fuerant falsi defensores & proditores veræ fidei. Quibus de causis complures quidem ad sua redierunt. Eusebius autem, Theognis, & reliqui causas fingētes probabiles vt in eo loco manerent, non paruam attulerunt dilationem temporis: & interim Imperatori respondere litteris.

Dum hæc autem agerentur, rursus Nicomediæ in conspectum Imperatoris se sistens Athanasius, de auro obiectum crimen iustè & apertè diluit. Cum vero adhuc magis differrent Eusebiani, Imperator Athanasiū cum literis dimittit Alexandriam, & ei tradit Episcopatum, significans visas esse omnes accusationes infirmas & inualidas. Cū sic ergo Alexādriæ fuisset Athanasius, conspirarent autem & confirmarentur Arriani, magna quædam confusio & perturbatio populum inuaserat. vtpote quod multi ferre non possent, videre rursus ea iudicio ⁊ retractari, quæ iam probata fuerant à tot Epīs. Ægrè ergo ferens Athanasius quod non solam Alexandriam sed etiam totam ferè Ægyptum videret labefactari, significat omnia Imperatori, & ad vltionem Arrij adhortatur, volens eum de illo aliquod sumere supplicium. protinusque litteræ veniunt Alexandriā, vt accersitus duceretur Arrius, intemperantis animi & linguæ pœnas daturus. Cū ergo ab Alexandria ad Imperatorem deduceretur Arrius, fuit Cæsareę, & cum Eusebio Theognique & Mari ei fuit consuetudo.

⁊ *Nota hæretice, ea quæ in uno cōcilio statuta sunt, non debere in alio consilio siue etiā iudicio alio retractari.*

Hic mihi considera difficillimā irruptionem, & vndenam Athanasio sit exortus maximus fluctus tētationum. Cum eis quidem communicat sermones qui erat morum quoque socius. mensam quoque communicat, qui communem aduersus Deum pugnam cum eo susceperat. suaque ei narrat omnia, & inter se capiunt consilium, vt nec Deo, ò insaniam, parcant nec Athanasio. Aduersus eum ergo alias quoque rursus struunt *illi calūnias* qui ex maximi Esaiæ sententia, laborem concipiunt, & pariunt iniquitatem, qui spem posuerunt mendacium, & dixerunt mendacio, Tegemur: & omnem rudentem mouent, vt est in prouerbio, vt de sede sanctū detrahant, & belli in Christianos gerendi tutam sedem faciant Alexandriam. Iuerunt ergo ad Imperatorem, Arrius quidem se defensurus: Eusebius autem & eius asseclæ, patroni futuri mendacij. in Athanasium autem & veritatem apertè laturi testimonium. Postquam autem se Imperatori stitissent, & de iis quæ gesta fuerant à synodo ea quæ par est interrogati fuissent, statim, De aliis quidem ò Imperator, inquiunt, non adeò cruciamur: Sacra autem mensa & calix mysticus, quod illam quidem euerterit, hunc autem confregerit & in partes minutas diuiserit, & quod frumentum quod ex Alexandria ad vrbem pro more emittitur minatus sit se prohibiturum, hęc malè nos habent. hæc mordent. hæc cuius non tangant animum vel adamantinum? Horum sunt testes Adamantinus & Anubiō, Arbestionque & Petrus Episcopi à quibus de his omnibus conuictus, iustum quidem effugit supplicium. effugere tn̄ non potuit quominus abdicaretur. sed cōiter ab vniuersa synodo, vt nefariorum & impiorum eiusmodi facinorum perpetratur est abdicatus.

Hæc cum adhuc dicerētur, Imperator primum tacite & apud se perturbabatur. tandem autem cum penderet ab eorum auribus, in iram erumpit: & iustum condemnat vt in Galliam mitteretur in exilium, hic qui-

dem solum corruptus sententia & moribus, cum vtrasque aures præbuisset Eusebianis. Reuera enim bonos mores peruertunt & corrumpunt, vt ait ille sapiens, colloquia praua. licet reo semper alteram seruaret integrã. quod quidem ei fuit veluti quædam ruga & macula, cum se alioqui seruasset purum & ab omni labe alienum. Sunt autem qui dicunt, accuratius fortesse eius scopum perpendentes & cõsiderantes ꝙ non propter condemnationem aliquam hoc exilium statuit in Athanasium, sed potius ad vnionem & concordiam ecclesiarum, vt earum sedaret tempestatem, & sopiret tumultum. Qm̃ enim non leuis seditio totam quanta erat Alexandriam, & maximam partem Ægypti inuaserat, ille hoc moliens & procurans vt res componerentur, statuit in præsentia procul amandare Athanasium. Sic enim futurum est arbitratus vt curatet mentes aliorum Episcoporum, & omnes in vnum conciliaret, si virum apertè relegasset extra terminos ciuitatis.

Cæterum ille quidem in his vita excedit, tricesimo quidem anno imperij, ętatis autem sexagesimoquinto, filiis relictis successoribus imperij, eoq́; inter ipsos diuiso. Nam Constantino quidem maiori ex filiis maius quoq; relinquit imperium. testamentum autem cuidam commendat Presbytero, qui clam in animi penetralibus laborabat morbo Arrij, qui id quoque simul cum morbo celauit. Et cum à multis rogaretur factóne testamento decessisset Imperator, distulit id dicere, in rei tam arcanæ societatem adhibitis intimis Imperatoris Eunuchis. Cũ autem diutius aduentum prorogante Constantio, tertius ex filiis Constantinus primus venisset Antiochia, ei clam in manus tradit testamentum patris. hancq́; solam ab eo petit gratiam, vt ille quoq; accedat Arrianis: Regiq́; immortali dat hanc regni remunerationem, ꝙ non sit ipse Deus, ò amentiam, nec vniuersi Dominus. Hoc autem captum vnà cum eis aggressus est is qui prius dictus fuit Eusebius, & oẽs eius asseclæ tunc esse arripiendam arbitrantes occasionem. Vna autem videbatur ratio constituendi stabiliendiq́; Arrij, si hic quoq; Athanasii cõfirmaret exilium, tanq̃ iure optimo in eum constitutum. Ad quod eis manus vtilissima fuit ille quoque sceleratus Sacerdos. qui cum vnà cum aliis regiæ quoq; propositum corrupisset, ipsum quoq; reddidit partem nõ minimam illius improbæ Arrij sententiæ. Ab eo enim in reliquos quoq; Eunuchos peruasit morbus Arrij, qui sunt natura faciles, aptiq́; ad sumendum vitium & ad communicandum. Porrò autem vxor quoq; Imperatoris paulatim blasphemis corrupta colloquiis, ipsa quoq; simili repleta est exitio. Haud ita multo post ipse quoque Imperator fecit quod Serui nequam, qui, inquam, aduersus suum Dominum insurrexit, & improbè suum Regem incessit maledictis, & Arrij accessit sententiæ. adeò vt in eo impletum sit illud diuini Hieremiæ, Pastores quoq; in me fuere impij. Iubet ergo ea quæ ille sentit firma esse ac valere, & Ep̃os tãquam ex mandato malè sentire, & non persuasos, sed potius perterritos, amplecti impietatem.

Gubernatores autem ecclesiarum in tam magna tempestate & tantis fluctibus, erant Maximus quidem Hierosolymorum, Athanasius autem Alexandrię, qui etsi esset in exilio, clauum tamen non dimittebat, & Alexander ciuitatis Constantinopolitanæ. Eusebius vero calidum quid spirans & audacia plenum pro impietate, temporaq́; ac loca, non secus ac

prudentes Imperatores, ad veritatem inuadendam obseruans, tale quid excogitat. Introducit Arrium in Constantini ciuitatem cum valde magna auctoritate, vt inquisitio fieret in aliena regione, cum in exilio quidem esset Athanasius, nullus autem adesset qui posset recta tueri dogmata: sed & Imperator & Magistratus ei essent omnes accessuri propterea ꝙ nullus esset qui resisteret. Hæc quidem apud se cõsiderabat. aliter autem rursus sapiens hęc desuper ordinauit & transmutauit Oeconomus, dans quãdam paruam interruptionem vehementi impetui sceleris. & quo magis Arrio fluxit lingua aduersus pietatẽ, eo magis ei vnà quoque sua paulopost fluxerunt intestina. & inanis quidem extis, inanis autem visceribus in locis profanis proiectus est Arrius. Supplicium iustum oris intemperantis, & mali vasis pleni putredine digna exinanitio.

Cum ergo corpus & animam tam miserabiliter abrupisset, Eusebius & eius asseclæ totum bellum & pugnam vniuersam susceperunt, & omnia conturbare sunt agressi, in his tanq̃ manus habentes Eunuchos aulæ regiæ. Sunt autem hi improbi & versuti: rerumq́ semper gaudentes mutationibus & confusionibus. Et illi quidem suum olim susceptum vrgebant institutum, studebãtq́ vt Athanasius excluderetur simul à sedibus & sermonibus doctrinaq́ & omni loquendi libertate. Alia autem rursus sapiens prouidentia Constantini animum variauit & commouit, qui ex magni Constantini filiis primus erat ętate & imperio. Veteris enim Romæ tunc obtinebat imperium, aggreditur quidem eius soluere exilium, scribere autem ad Alexandrinos, atq́ ipsum etiam Athanasium vnà mittere cum litteris quæ sic habent. Victor Constantinus Alexandrinorum
„ ecclesiæ & populo. Neminem vestrum arbitror ignorare quæ magno
„ veritatis præconi adorandæq́ legis interpreti nuper accidere Athanasio
„ & quemadmodum cõiter aduersus ipsum excitatum est bellum ab ini-
„ micis veritatis: & quemadmodum iussus sit mecum degere in Galliis, vt
„ posset vtcunq́ suo capiti imminens declinare periculum. Non tamen est
„ omnino perpetuo damnatus exilio. Quinetiam interim est ei à me pul-
„ chrè consultum ac prouisum, vt nihil ei quod nollet accideret. etiãsi alio-
„ qui est tolerans & laborum patiens pro veritate, vt si vllus alius, & qui
„ diuino zelo incitus posit facile ferre quoduis onus quantum vis graue.
„ Porrò autem beatus quoq́ Constantinus pater meus, volebat eum sedi
„ suæ statim restituere. Qui cũ ad vitæ finem peruenisset, & quod statue-
„ rat antea implere non potuisset, mihi per successionem reliquit negotiũ,
„ extrema de hoc viro dans mandata. Vobis ergo iubemus vt nunc qui-
„ dem illum omni reuerentia, præclarisq́ ei obuiam procedentes honoribus
„ excipiatis. Postea autem eum rursus ad nos trãsmittatis. Qui postquam ad nostrum conspectum redierit, quantam à nobis curationem & reuerentiam sit consecuturus vos quoque scietis.

His literis fretus Athanasius venit Alexandriam. Et eum quidem suscipit lubentissimè populus Orthodoxorum. Quicunq́ autem erant partium Arrij, per sodalitates coeuntes & conspirantes, rursus bellum & turbas in eum suscitabant: & Eusebianis alias calumniandi ansas præbebant aduersus sanctum. tum ꝙ ei cum synodus non decreuisset reditum ab exilio, eo ex se sibi permisso occupasset ecclesiam. Deinde etiam cuiusdam mortuæ manus sanctum insimulabant, dicentes eum illius ope vti ad miracula

racula & præstigias, cum illi essent reuera scelerati planeq; perditi & corrupti præstigiatores. manum autem esse cuiusdam Arsenij vnius ex Alexandrinis, arte quadam amputatam ab Athanasio. Quibus cũ aures præbuisset Imperator, solent enim narrationes quæ habent eiusmodi nouitates & prodigia, probabiliter compositæ facile animos inducere, non primum perpetuo cõdemnat exilio Athanasium. hoc enim inimici omnino contendebant. sed vt re permissa legibus & iudicibus, ipse legitimum subiret supplicium, si conuinceretur talium peccatorum. Archelaum ergo quendam ex suis familiaribus, simul cũ Nonno Præside Phœniciæ emittit ad ea quærenda. Postquam autem hi Tyrum venerunt, ibi enim manebat Athanasius de præstigiis expectans iudicium, examinatio est paululum dilata, vt videbatur quidem, q expectabantur ab Alexandria accusatores qui scelus suis viderant oculis: re uera autem vt finis indicauit, q Deus desuper omnia intuebatur, hancq; sua clementia procurabat dilationem, vt ipse adesset Arsenius, cuius mortua manus, & iniqua amputatio, veluti tragico quodam actu iactabatur. Nam hic Arsenius fuit quidem vnus ex gradu lectorum. Cũ autem propter nefandum aliquod facinus esset non leue supplicium daturus, fugam comparat, & euadit fugitiuus ab Athanasio & ecclesia. Illi ergo in vitio eruditi, mala pars aduersarij, rati non modo in iudicium ausurum esse venire Arsenium, sed nec paulisper extra domum egressurum, propter nefarium & execrandum facinus, propterea & ei manum adscribebant, tamq; impium & abominandum scelus eum admisisse contendebant, & Arsenij nomen continenter proferebant.

Cum ergo iam fama in omnem partem peruasisset, fore vt propter Arsenium maleficij damnaretur Athanasius, Deinde verò etiam ad ipsum iam peruenisset Arsenium, ille misertus Athanasii & veritatis, nam illa quoq; ante generosum animum erat interitura, malo bono medetur, & latentem illam fugam manifesta dicendi libertate reparat & reficit. Suaq; omnia nihili ducens, breui Tyrum occupat: & solus ad solum accedit Athanasium, & cum eo seorsum loquitur. Is autem hoc solum consulit & suggerit Arsenio, ne se ostendat ante iudicium, ne forte aliquid mali ei faciant improbi, aut certè interim iudicium declinent. Atque sic quidem fecit Arsenius, & latuit securissime. Non quiescebat autem inuidia, nec vllam capiebat satietatem malorum Athanasii. Quinetiam ad alias processerunt insidias, & cum sederent Iudices in tribunali, intenderunt crimẽ adulterij viro impatibili. Fuit autem actus huiusmodi. Producunt mulierem quandam vultu impudentem, animo sceleratum & abominandã, in Sycophantiis præclarè exercitatam. Hæc ergo calumniatrix empta pecunia, dicebat se domi suæ excepisse Athanasium pietatis & virtutis gratia. Cum autem media nox aduentasset, se omnino contrarium ab eo & vidisse & passam esse eorum quæ existimauerat. Hæc cum referret accusatrix, aderat etiam audiens Athanasius. vnà autem cũ eo quoq; aderat Timotheus Presbyter, foris stantes ad portam. qui aduersus calumniam callidum quid & præclarum excogitat. Nam cum repente irruisset vnà cum Athanasio, eiusq; personam pulchrè egisset Timotheus, Mulier, inquit, Egon tibi noctu vim intuli, vt ipsa dicis, egóne? Illa verò valde impudenter ad Iudices, ita vt erat, statim conuersa. Hic, inquit, est qui mihi

vitium attulit, hic est qui insidiatus est meæ pudicitiæ. Hic & non alius qui est apud me diuersatus, & pro beneficio vi illata me est remuneratus. Illa ergo impudica sic suis verbis conuicta, vt quæ, vt fertur, domo testis esset producta, cũ nec ipsum quidem nosset qui ab ea accusabatur, quis esset, & figmentum palam fuisset apertum, Iudices nescientes quid deinceps agerent, quieto ac sereno vultu subrident, quod quidem solet fieri à perplexitate & hęsitatione, quæ quærit tegere vultus pudorem. Iidem enim erant omnia Athanasio, & iudices, & testes & accusatores.

Quocirca prętermittentes ferre sententiam & lege constitutum aduersus calumniatores, conuertuntur ad crimen maleficij, secundis stolidi studentes aliquod inuenire remedium prioris dedecoris. Quòd autem id esset falsum, fuit probatio euidentior. Producunt itaq; manum, scelus quod misericordes oculi ne intueri quidem solum pati poterant. Hanc illi immaniter & impudenter sancto viro conquassantes. Hæc, inquiunt, Athanasi te vel tacens accusat. Hæc te ineuitabiliter & acriter insequitur. Hãc non verbis, non arte, non aliqua alia ratione poteris effugere. Sciunt oẽs Arsenium, cuius tu ò iniuste & impie hanc manum execuisti. Dicas iam deinceps ad quid ea vsus sis, & quanam de causa eam execueris. Ille autem leni voce, & tali, vt quis dixerit, anima, & Christi omnia imitari contendente qui cum iniquè à Iudæis condemnaretur, non litigabat, nec clamabat. sed tanq̃ ouis ducebatur ad cędem, partim quidem omnino tacẽs, partim verò placidè rñdens. Quis est ergo, inquit, ex vobis qui nouit Arsenium? aut quis hanc eius esse dexteram scit perfectè. Cũ autem non pauci ad hæc è cathedra surrexissent, & Arsenium ipsum, & manum, & omnia apertè se nosse affirmarẽt, soluto protinus tabernaculo Athanasius, iubet Arsenium prodire in medium. Postquam vero hic viuus & sanus est introductus, ambas manus protendens accusatoribus & iudicibus beatus Athanasius, & eos acrius intuens. Non est hic, inquit, Arsenius. Non est hic, inquit, qui est apud vos, & manum, vt vos vultis, amisit? Non est hic qui est notus omnibus Alexandrinis. & simul cum eum attraxisset in medium iudicij, vt manifestus esset omniũ oculis, extendit primum dexteram. Deinde iubet sinistram quoq; in altum tollere. & magna voce exclamans, vt qui eos reuocaret qui procul essent à veritate. Hic quidem, inquit, ò viri, & Arsenius. Hæ sunt autem manus illius, quæ minimè norunt amputationem. eum autem qui est apud ipsos Arsenium, respiciens ad accusatores, ò egregij, inquit, Iudices, rogo vt ostendatis quisnam sit, & cuiusnam sit manus quæ est amputata, quæ vos quoq; criminatur vt qui eam amputaueritis. Tunc ne ipsa quidem cathedra potuit amplius tollerari à Iudicibus. sed ea quoq; relicta cũ lictoribus, admodum mœsti & tristes, pudoris signa vultu apertè prę se ferentes recesserunt.

Cũ autem populus eos sic vidisset perturbatos, & cũ pudore & animi angore iudicio excedentes, tanq̃ pro illis & cõi impietate zelo perciti, iam enim Arriana pernicie satis erat refertus, & alioqui gratificantes Epis & Imperatori aggressi sunt lœdere Athanasium, & eũ vndiq; circunsistũt, verbis impetentes, manus afferentes, nugatorem, maleficum & præstigiatorem maleq; perdendum, & multa alia peiora eum vocantes, quæ cum illo quidem nihil habebant omnino commune, aduersus eos autem qui dicebant fuissent vel longè q̃ par esset benigniora iis quæ merebantur au-

dire,ipsosq; Iudices maledictis insectantes, quod non pœnis potius & suppliciis quam legitimis probationibus calculum permisissent. & mortem ipsi rursus per se minãtes iusto Athanasio. Tanta tamen excitata seditione cũ ea confusio versaretur in populo, nihil omnino curæ fuit Gallioni qui tũc præerat ciuitati. Quamobrem malum quoq; processisset vlterius, nisi descendens Archelaus blandis verbis & ad persuadendum accommodatis mitigasset populum, et iam discerpendum Athanasium ex mediis populi manibus rapuisset, & ex ciuitate clanculum subduxisset. Erat autem hic Archelaus, Præses quidem iudicij, alioqui vero temperantissimus & moderatissimus, & magna dicendi facultate præditus. Quòd si etiam oporteret mortem contẽnere, promptissimus. Hic ergo cedens furenti populo, persuadet Athanasio vt clanculum excedat é ciuitate. Cũ is autem propter hæc ciuitatem reliquisset, iustissimi conuenientes Iudices, aduersus sanctum capiunt consilium, ferunt sententiam, reum esse pronunciant criminum quorum fuerat accusatus. acta conscribunt, & mittunt in omnem partem. ei interdicunt vniuersa regione, ciuitate, ecclesia. omnibus modis ostendunt filij tenebrarum se velle procul esse à tali lumine.

Porro autem Constantinum quoq; in ipsum incitant. adeò vt & pecunias & honores offerret iis qui vel viuum virum essent indicaturi, vel perempti caput allaturi. Is vero perinde ac si non a finibus Romani imperij, sed etiam extra ipsum orbem terrarum esset damnatus exilio, sex quidem annis in sicca quadã cisterna & aqua penitus vacua delituit. Cũ autem ne sic quidẽ posset perpetuò latere, sed futurum erat vt die sequenti caperetur, vbique enim accuratè quærebatur & inuestigabatur, diuina quadam prouidentia vesperi è cisterna egressus, trãsit alio. Deinde veritus ne illic rursus captus esset causa periculi iis qui eum exceperant, ab Oriẽte transit ad Occidentem. Ei autem tunc imperabat Constans frater Constantij, qui Constantino fratri nuper successerat. Is cũ sic administrasset imperium sicut dicitur, vitæ finem accipit iuxta Aquileam apud fluuiũ Alsum, cęsus ab exercitu. Cũ ergo in Europam venisset Athanasius, conueniens Iulium Romanum Episcopum, & ipsum etiam Imperatorem Constantem, eis exponit ea quæ ad ipsum pertinent. Cum autem audiuisset ad suum interitum & ad fidem orthodoxam euertendã Antiochiæ fuisse congregatam, quæ vtinam non fuisset congregata, synodum, & Georgium quendam, improbum aduersarij Agricolam, mox esse in illius sede loco suo collocandum, non potuit ferre, sed vbique scripsit ad clerum Ægypti, ad magistratus, & ad populum, rogans, minans, admonens, nullam non viam versans in literis, vt nullo modo suscipiant zizania Arrij, & immixta ab omni blasphemia conseruent semina fidei orthodoxæ.

Eusebiani autem qui ad se insinuandos & homines in suas partes pelliciendos miri erant artifices, postquam rei se defensuri magnam viderunt solitudinem, totam linguam apud Imperatorem exercentes in Athanasium, cum facilem illum & simplicem Constantium ad suas partes totũ attraxissent, & vt eorum sententiæ assentiretur effecissent, deponendum esse Athanasium etiam non præsentem decernunt. quendam autem Gregorium rabie Arriana refertum in Alexandrinam ecclesiam eius loco introducunt. Cũ vero pro eorum arbitratu hæc sic administrassent, magna iam libertate suum dogma inferunt. Gregorius autem cũ nondum ascen-

disset Alexandriam, acsi iam præesset ecclesiæ sedem sibi vendicans, & tanq̃ penes se habere expectans id quod nec in somnis quidem sperabat habere, literis manus propriæ ipse quoq; confirmabat quæ decreta fuerant. Eiusmodi enim est impudentia ac leuitas. Videntur semper habere in manibus ea quæ expectantur. Iam verò Eusebius qui erat strenuus impietatis propugnator, postq; ex sui animi sententia res præsentes administrauit, mittit legatos ad Iulium, vehementer in epistolis inuehens in Athanasium, mittensq; quas in eum struxit insidias & calumnias, eius simul iudicem & punitorem Iulium constituens. Is autem, non poterat enim facile illici figmentis & dolis, imo verò ad ea deprehendenda & intelligenda erat acutissimus, cũ Eusebij literas accepisset, & valde eas diligenter & attenter perlegisset, & apertas esse nugas animaduertisset, ipse contrariam statuens, literisq; Athanasium muniens, 6 emittit Alexãdriam, non paucis nec leuiter insectans eos qui deposuerant. Cũ is autem ad suã deduceretur ecclesiam, eos qui Antiochiæ congregati fuerant non paruus cepit tumultus & metus, ne si ab Athanasio præoccupata fuerit ecclesia, sibi deinceps intercludatur aditus Alexandriam. His de causis illum quidem conabantur intercipere vel potius interimere, Gregorium autem in sedem introducere. Quocirca eum quã celerrimè deduxerunt Alexandriã. Gregorio vero reditum procurabat etiam Dux exercitus Syrianus cum manu quæ ei subiecta erat pręcedens, sic iubẽte Imperatore vt Athanasio quidem mortem, illi autem procuret episcopatum. Q̃uo autem ex medio reti potuerit effugere Athanasius, ostendet oratio.

6 *Vides hic Romanum Pontificem iurisdictionem & curã habere super oẽs mũdi Ecclesias. nam Iulius Athanasium in Sede Alexandrina restituit, qui à cõcilio iniuste ab ea fuerat eiectus. Vides etiam Romanam Eccl. tutissimum esse refugium omnium, præsertim oppressorum Episcoporum.*

Cũ sol iam esset in occasu, festum quidem diem agebat & celebrabat ciuitas: venit autem tanq̃ ad prælium dux ille exercitus ordinata acie, & ecclesia in orbem circundata. Hæc ergo castra videns Athanasius, & curis plenus, non ne ipse caperetur, sed potius ne propter ipsum populus aliquid damni acciperet, iubet quidem Diacono preces significare. Preces autem excipiebat quoddam populi canticum. Deinde cũ vt par est esset magnus clamor & concentus, iussit magnus Athanasius omnes exire per eandem portam. Atque duci quidem exercitus & suis intercedebat amicitia cum multitudine, neque cuiquam ex iis manus attulerunt. sed omnes omnium oculi ad solum respiciebant Athanasium, vt si eum vidissent, de medio tollerent. Is autem cum pars populi factus esset & tanq̃ vnus ex multis, trãsiens per medium tumultum & multitudinem, & sic militum oculos latens abiit. Ille ergo Romam, cum sic effugisset, reuersus est. Gregorius vero iam tenens ecclesiam, etiam aduersus rectam fidem securè armabatur. Quę cũ ferre non posset Alexandrinus populus, & grauem excitauit seditionem, & quę Dionysii vocabatur ędem incendit. Huius aũt propter Christum confusionis fuit particeps magnus quoq; inter sanctos Paulus qui tunc Constantinopolitanæ præerat ecclesiæ, qui ipse quoq; est à sede depositus, & Romam 7 veniens fuit Athanasii pietatis & periculorum socius. Illic ergo Constantem & Iulium conuenientes, quæ ipsi passi essent, & quæ aduersus ipsos & veritatem Eusebiani fecissent, narrant omnia. Certè ipse quidem Imperator Constans de his protinus scribit ad fratrem. Cũ autem nihil proficeret, rogant Athanasius & Paulus vt alia fiat cõis synodus. Non aliam enim ob causam aiunt fuisse excogitatas eorum depositiones, nisi vt recta & sana fides simul tum eis depone-

7 *Romam pergunt hi duo sancti Epi iniuste è suis sedibus pulsi, tanquã ad portum omnium oppressorũ.*

poneretur. vtriusq; ergo Imperatoris sententia, cōmunis simul & Oecumenica rursus Sardicæ congregatur synodus. & occidentalium quidem, vt ipse quoq; scribit Athanasius, conuenerunt plus q̃ trecenti Epi: Orientales autem, vt ait Sabinus, soli septuaginta. inter quos annumeratus est etiam Ischyras Mareotæ Eps. Et qui ex Asia quidem confluxerant, ne in Occidentalium quidem conspectū venire sustinuerunt affirmantes se non aliter cum eis esse sermones collaturos, nisi prius Paulum & Athanasium conuentu expellerent.

Cū autem Occidentales ne auditione quidem accipere hūc sermonem sustinuissent, illi ita vt se habebant rursus reuersi sunt, & cum Philippos Thraciæ ciuitatem peruenissent, atque vtinam prius venissent ad inferos, illic deinceps priuatum faciunt conciliabulum. & homousium quidem q erant manifestæ impietatis, O tuam Rex Christe patientiam, aperte feriunt anathemate: in epistolis autem exponunt sententiam Heterousii, id est q̃ filius sit diuersæ à patre essentiæ. & chirographa impietatis ad suos in omnes partes transmittunt. Hæc cum resciuissent ij qui erant Sardicæ, primum quidem eos absentes vt qui se non stitissent iure condemnant. Deinde etiam Athanasii accusatores suis exturbant gradibus, & decretū fidei Nicenæ confirmantes, & ἀνόμολον, idest filij à patre essentiæ dissimilitudinem ferientes anathemate, lingua expresfiori prædicant homousion. & ipsi quoque ea mandantes monimentis literarum, totum ferè orbem terræ his occupant. Quæ quidem cū Cōstans Imperator resciuisset, & Constantio fratri significasset, rogabat vt Athanasius & Paulus suis restituerentur sedibus. Cum is autem hoc recusaret & differret, ille rursus vsus est literis acrioribus, scribens, nisi concederet, se eo vel inuito vtrunq; suæ restituturum ecclesiæ. Constantius ergo nō amplius differens & tergiuersans, sed fratris minas pertimescēs, suis protinus litteris accersiit Athanasium. Cum ei autem esset suspecta vocatio, neque enim eum confidere sinebant quæ præcesserant, ille eum secundis interpellat litteris, quæ multum habebant humanitatis & benignitatis. Cū vero ne propter eas quidem esset vacuus à suspitione, ne sic quidem eius aduentum neglexit Constantius. Sed rursus quoque ad eum scribit, in literis præterea adiiciēs submissionem & mansuetudinem. quinetiam de iis quæ prius fuerant excusationem, & q̃ volebat quidem tunc aliquem ex Sacerdotibus mittere vt ei obuiam procederet. sed nullus fuit qui eius significaret aduentum. Nūc autem dicit se misisse Diaconum Aletam cū epistola, qui & nostram tibi significabit affectionem, & fideiubebit vt confidas de reliquis.

Cū has epistolas accepisset Athanasius, siquis erat metus eum animo expellit & quidquid ei malam spem in futurum intentabat. Cum autem eas ostendisset ipsi Constanti & Iulio, ipsos & vniuersam regionem quę Romanis suberat gaudio implet & lætitia. & vnusquisq; proprium diē festum celebrauit de reditu Athanasii ad suam sedem. Statim autem Imperator Constans & ipse Iulius, ille quidem regiis Satellitibus, ille autem omnibus ferè qui erant in Ægypto & Alexādria Clericis & laicis, Athanasii reditum honorarunt. Cum autem venisset, eum admodum lubenter excepit Constantius, ciuitatiq; & Clero & populo Alexandrino eum lubentissimè restituit. illam tamen fugam ei comiter exprobrat, & q̃ clanculū iudicio aufugerit & latenter secesserit amicè insimulat. pro his tamen

omnibus ó Athanasii vnam à te peto gratiam,inquit,vt vnam ecclesiam Alexandriæ concedas sectatoribus Arrij. Is vero se prompto & alacri animo pollicitus est impleturum quod petierat,si ipse quoq; Orthodoxis aliam tribueret Constantinopoli, ad aliquod exiguum veræ fidei fermentum. Cum is autem postulato facile annuisset, non tolerandus dolor deinceps inuasit aduersarios, q Constantinopoli daretur Athanasio aditus & iis qui cum eo communicabant. Constantio autem magis prudentia quoque admirabili visus est Athanasius. Fertur vero aliquando admirãs Imperator dixisse cum stupore. Non abs re Arriani omnes mouere machinas aduersus virum talem.Sic ergo eius admiratus prudentiam,eumq; deducit humanissime.scribitq; ad populum Alexandrinum,Episcoposq; & Magistratus Ægypti:Quientiam ad Nestoriũ Augustalem, Ducesq; Thebaidis & Lybiæ, vt eum benignissime excipiant & honorificentissime. & non solum ei sua sedes,sed etiam omnibus qui cum eo communicarunt,vnicuiq; ordo proprius & munus restituatur.

His ille munitus epistolis,& veluti confisus,venit p Syriam,& Palæstinã.peruenit hierosolyma: & cum Maximo Ep̃o & cõfessore colloquitur. auditq; quot & quãta ille passus sit propter Christum. narratq; rursus ipse quæ & contra à se prius & nũc pro se facta sunt & decreta,& ab ipsa synodo confirmata & ab Imperatore.Quæ cum audiuisset Maximus,protinus nihil cunctatus accersit omnes Episcopos Orientis.& oẽs communiter Athanasio communionem reddiderunt & dignitatem. Cum sic ergo tertio & cum tanto honore & celebritate ad suam rediisset ciuitatẽ, & ab illis innumerabilibus veluti fluctibus & laboribus respirasset, deinceps quidem videri poterat eius vita esse quieta & trãquilla,tunc autem re uera maximum mare calamitatum in eum fluctuabat. Nam cum in Cõstantem Magnentius insurrexisset,& ei vitæ finem attulisset,graue rursus ab Arrianis bellum accendebatur: & rursus Athanasio parabantur insidiæ,& calumnię apud Imperatorem.magnumq; & vetus ei malum imminebat Constantius.Rursus ergo edicta.rursus minæ. exilia.terrores, & per totum mare & terram inquisitio. Rursus zizaniorum seminator Georgius occupans Alexãdriam.Ægyptum dilacerans Palęstinam depopulans tumultu implens totum Orientem.cuiusq; insania & impietas minime capi poterat.Rursus q erat summa improbitate Acacius. & Pamphilus Arrij impietatis patris amicus,Hierosolyma venientes & Maximum extrudentes,& eius loco Cyrillum constituentes qui quantũ impietate magnus erat Maximus, tantum erat pietati impietatis zelo aduersarius.Quidnam tragicè recẽsuerit quispiam omnia quæ à Georgio deinceps facta sunt eo tempore in ciuitate Alexandrina ? Cæterum ea quæ ipse beatus Athanasius persecutus est.suam fugam excusans eorum nobis quoque modo facienda est mentio. vel potius illi ipsi verè dulci eius linguæ est concedendum, ea submisse & moderate, cuiusmodi erant in omnibus eius mores,narranti.

8 Habes hic tria uccessiue. Sanctam Quadragesimam.

" Etenim rursus,inquit,aduentarunt quidam Alexandriam qui nos quęrebant occidere.fueruntq; quæ nunc sunt deteriora prioribus.Repẽte enim " milites circundederunt ecclesiam. & quæ solent hostes facere fuerunt pro " precibus. Deinde ingressus sancta 8 quadragesima qui à Macedonio & " Arrianis è Cappadocia missus fuerat Georgius, auxit mala quæ ab eis

didicerat. Nam post hebdomadem 9 Paschæ, coniectæ sunt virgines in carcerem. Episcopi vincti ducti sunt à militibus. Orphanorum & viduarum domus direptæ fuere. panesq́ue viatici facti sunt in ædibus. & noctu deferebantur Christiani. obsignatæq́ue sunt domus. & fratres Clericorum in periculum veniebant pro fratribus. Et sunt hęc quidem grauia sunt autem grauiora quæ facta sunt postea. Hebdomada enim post sanctam pētecostem 10 populus qui ieiunauerat egressus est ad orandum circa cœmeterium sancti Petri Episcopi & Martyris, propterea quod omnes auersarentur cōmunionem cum Georgio. Sed cum hoc resciuisset hic sceleratus, concitat Ducem exercitus Sebastianum, qui erat Manichæus, Is autem cum multitudine militum arma & nudos enses arcusq́ue & tela ferentium, in ipso dominico irruit in populum. & cum paucos inuenisset orantes, iāpridem enim complures propter horam tardiorē recesserant, fecit 11 res omnium grauissimas. Rogo enim accenso cum virgines ad ignem adduxisset, cogebat eas dicere se esse fidei Arrij. Postquam autē eas vidit vincere, & ignem nihili facere, eis nudatis sic earū vultus cōcidit verberibus, vt longo pòst tempore vix agnoscerētur à suis. Virosq́ue numero quadraginta detentos nouo modo conscidit. Nam cum statim virgas secuisset ex palmis, ipsis etiam stimulos habentibus terga illorum sic cecidit, vt nonnullis quidem caro sæpe sit execta propter stimulos sibi infixos: nonnulli autem non ferentes, sic plagis sunt mortui. Atque omnes quidem qui remansere, & præterea eas quæ dictæ sunt virgines, in exilium mittit circa magnam Oasim. Corpora autem mortuorum ne suis quidem fecit reddi in principio: sed ipsi vt voluerunt ea absconderunt insepulta. vt viderentur eis tantam celare crudelitatem. Hæc vero fecerunt animo aberrantes vt qui essent emotæ mentis. Nam cum propinqui mortuorum gauderent quidem propter confessionem, lugerent autem propter corpora, impietatis & crudelitatis eorum maior se effundebat probatio. Etenim protinus ex Ægypto & Lybia in exilium miserūt quidem Episcopos, Ammonium, Moin, Caium, Philonem, Hermen, Paulinum, Psenosirim, Linamonem, Agathonem, Agamphum, Marcum. alterum Ammonium, & Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum, & Presbyteros, Hieracem & Dioscorum. & eos tam acerbè exegerunt vt nōnulli quidem eorum in itinere, alij verò etiam in ipso exilio sint mortui. Perpetuo autem exilio cōdemnarunt plusquam triginta Episcopos. Studebant enim sicut Achab, si possent ex vniuersa terra auferre veritatem. Hæc magna ecclesiæ tuba, acer pręses veritatis, sua voce persequitur de malis quæ erant Alexandrię. Nostra autem oratio vult iis quæ dicta sunt reliqua adiicere.

9 Paschæ hebdomadam.

10 Sanctam Pentecostem.

11 Vide ex hoc loco quales sint Episcopi hæreticorum.

Cōstantius ergo fratre mortuo Imperator declaratus, & pure vniuersam potestatem assecutus, cum nullum haberet qui eius animo & volūtati resisteret, nō potuit amplius pati celare improbitatem. sed magna sua auctoritate eam produxit in medium. & cum totum Orientē grauissima impietate repleuisset, non statuit esse sibi quiescendum. sed nisi etiam simul corrumperet occidentem, paruum esse suum ducebat imperium. idq́ue suæ gloriæ detrahere. Ea ratione Episcopos quoque qui erant in Occidente ad dogmatum Arrij communionem magno studio euocabat. solamq́ue illorū securitatem statuebat esse depositionem Athanasii. Quamobrem congregauit synodum Mediolani quæ est ciuitas Italiæ. & multos, hei mihi, ex

fortibus & strenuis, alios quidem metu, alios blanditiis, alios vero donis, & alios fraude, & alios aliter inductos, ad suam traduxit vel potius deduxit voluntatem, per quam ille fodit fossam animis miserorum. Hūc insultum Eusebius & Dionysius Rhodanusq; & Paulinus & lucifer lubēter declinarunt. Athanasii enim depositionem arbitrati esse veluti depositionem rectæ fidei, simul & fraudem fugerunt quam potuerunt longissime, & iure cōdemnarunt eos qui decreuerant. Sed eos quidem Ariminum relegat Constantius Athanasius autem cum resciuisset quid strueret Imperator, & quemadmodum corruptum fuerat iudicium, & iam aduenire Præfectorum Satelllites vt eum comprehenderent, rursus quoque diuina visione admonitus, media nocte Episcopatu egressus, ad iuuenem quandā confugit virginem, quæ tunc agebat annum ætatis vicesimum. Erat autē virgo valde speciosa & amabilis, & cum qua non poterant viri habitare absq; suspitione. Ea vero rei inopinatæ nouitate stupefacta quęrebat causam. Ille vero respondens ei narrauit. Quoniam, inquit, qui sunt communionis Arrij me vbiq; curiose perscrutantur, timens ego ne ab eis comprehensus & interfectus, eis immortale supplicium concilium, de fuga cogito, & me soli Deo permitto. Hac nocte autem mihi apud te solam esse me salutem inuenturum reuelat.

Hæc postquam virgo audiit, ex animo statim omnem eiiciens suspitionē, gaudio repleta, totis domus vel cordis potius ostiis apertis, supinis, vt dicitur, manibus excipit Athanasiū. Quem quidē ex illo die sex annis, quandiu. s. vita fuit superstes Cōstantio, in domus abscondit penetralibus, commnnem quotidie salem apponens; librosq; aliunde tollens, & ei ad exercitationem præbens & meditationem, & sic pio & religioso conuiuio corpus eius & animam excipiens. hanc quidē, sermonibus quos credimus esse panem Angelorum. illud autē, mensa quotidiana, & quibuscunq; aliis manus illa liberalis hospitem potuit excipere. & propriis manibus pedes lauans, vel potius manus suas sanctorum pedum contactu sanctificans, magnoq; & vehementi studio quæcunq; erant ei vsui subministrans, & ita se comparans vt quæcunq; habebat illius essent potius q̄ sua.

Interea autem Alexandrina ciuitas & populus quoquouersus obibant quęrentes Athanasium, adeo diligenter vt vel ipsa aīa lubenter emissent viri inuentionem. sed carebat ciuitate, carebat ædibus. eratq; plane incognitus, cognitus autem soli Deo & virgini. Quamobrem illo tempore in ecclesia magna erat tristitia, & filiæ Sion licebat videre pulchritudinem repente efflorescentem & plane marcescentem. Nā præter admodum paucos, alij quidem & re & nomine veluti quandam artem persequebantur impietatem. Alij autem nomine tantum honorantes Christianismum, re uera autem primos longe scelere superantes, præterq̄ q; non aperte quos oportebat etiam cauere tanquam hostes: sed latenter sub specie Christianismi blasphemum impij dogma studebant confirmare. Talis autem impietatis pars erat non minima Constantius, quatenus habebat etiam imperij potestatem ei opem ferentem, omnesq; protinus cedētes eius vel soli nutui. Iussit ergo morbum peruadere & ad Episcopos qui erant in Italia, & ad omnes qui erant vbiq; terrarum: aut si nollent subscribere Heterousio, q; filius. s. esset alterius a patre essentiæ, ipsos quidem expelli ab ecclesiis, alios autem eorum loco in sedibus ipsorum cōstitui. Quo tempore celeber

lebet in sanctis & magnus 12 liberius, qui post Iulium magni Siluestri successorem sedem romanam est adeptus, condemnatur exilio. Felix autem quidam eius loco electus ab Hæreticis, protinus diuino iudicio luit pœnas. Nunc quidem visu priuatus miserabiliter, nunc autem pestilenti morbo diu corruptus, & malus malè perditus, diuina iustitia sic puniente sceleratos. 12 *Nota quam commendet liberium Papã.*

Georgius autem Alexandrinorum, vt ita dicam, erinnis rursus ciuitati faciebat ea quæ cõsueuerat. vt qui visus sit ipse seipso vehemẽtior, & maiori ira & impetu ferri aduersus rectam fidem. Intera autẽ Meletius quoque Episcopus Antiochenus, aperte defendens homousion, de sede deponitur, & damnatur exilio. quem consequebatur magna multitudo Orthodoxorum, qui aduersariorum communionem sustinere non poterant, Euzoius autem qui re uera vitæ erat improbę, constituitur in sede Antiochena. ei enim præfuerat Meletius. & Eudoxius qui erat pessimæ sententiæ, inuadit sedem Constantinopolitanam. Sic improbitas, sic inuidia, quę ecclesiam omni ex parte conturbarat & confuderat, ad reipublicæ quoque administrationem incipit procedere, & Iulianum creat Cæsarem, Galliis præfectum ab ipso Constantio. Cum ergo Constantinopolim venisset Constantius, & Eudoxium, vt prius iam diximus, ordinat, & tẽpli quod cognominatur Sophia, quod ipse tunc recenter fuerat fabricatus, celebrat encænia, decimo quidem anno sui imperij, tertio autẽ Iuliani consulatus, quintodecimo vero Februarij. Ille autem re uera pessimæ opinionis Eudoxius, cum sedem ascendisset dum iam peragerentur encænia, hanc primam vocem emisit, atque vtinam cum illa emisisset animam. ὁ πατὴρ ἀσεβὴς ὁ υἱὸς εὐσεβὴς, id est, Pater impius, filius pius. Cum autem tumultus & seditio, vt par est, propterea orta esset in ecclesia, ille rursus repetens, & veluti volens sedare tempestatem. Ne vos, inquit, conturbet id quod dictum. est Pater enim, inquit, est impius, nempe ἀσεβὴς ꝙ neminem colat. Filius autem est pius, nempe εὐσεβὴς eo ꝙ patrem rectè colat. Ex his exortus est risus inter eos qui aderant, adeò vt multi eius nugis cõdemnatis recesserint ab ecclesiia. Ergo Constantio quoque res erat male cessura, & iustas pœnas erat daturus suæ in Deum contumeliæ. Hinc impius Iulianus rerum omnium potiundi motus desiderio, cum in Gallia magnam manum sibi conciliasset, induit se purpura, & ab exercitu Augustus appellatur. Constantium autem Persicum quidem bellum adhuc detinebat. quæ de Iuliano autem sparsa erat famã non moderatè ferebat. alioqui vero etiam à Dei inimico Euzoio ad bellum aduersus eum gerẽdum incitatus, mouet exercitum aduersus consobrinum, & bellum ciuile suscitat. Cum autem inter Cappadoces & Cilices esset in loco qui dicitur Mopsi fontes, excedit vita vnà cum imperio, laborans apoplexia, cum quadraginta quinque vixisset annos ætatis, viginti quinque annos autem Patri fuisset superstes. Sed eum quidem diuina sic vita est iustitia. Quemadmodum autem sceleratum quoque vlta sit Georgium, & impium, vt scriptum est, similibus percusserit manibus, non est æquum prętermittere.

Ἀσεβὴς. non colẽs. Εὐσεβὴς. bene colens.

Erat quidam locus in vrbe Alexandrina, olim quidem Mithræ Deo gentilium, sacrificiisꝙ illius & mysteriis dedicatus, nunc autem fimo & stercore plenus. ciuitati & publico ad nullam rem vtilis. Eum ergo Constantius, vt qui esset omnino inanis & nulli vsui, attribuit ecclesiæ. Nunc

autem volens templum in eo construere, iubet efferri illum fimũ & quisquilias. Cum autem iam repurgaretur locus, inuenitur quoddam adytum in intimo sinu terræ, in quo cælata fuerant mysteria Gentilium. ea vero erant crania nuda carnibus, alia quidem virorum. alia verò puerorum, quos fama erat fuisse sacrificatos Mithræ, quando Græci vtebantur illis diuinationibus quæ fiebant per viscera, dissectionibus quæ & præstigiis quæ fiebant per animas. Cum quidam ergo Christiani in ea incidissent, ea apertè risum mouere populo. iisq́ triumphum agebant in oculis omnium. Quod quidem cum non tulissent Gẽtiles, sed pro Diis suis & sacris essent miserè zelo perciti, ad ipsos accurrerũt. alij quidem ense ferientes. alij vero vt ex Christianis multi sint interempti, alij autem etiã crucifixi, quoscũq; viuos tenere potuerunt, & alij alio genere mortis, & variis suppliciorum generibus sint affecti. Impium autem Georgium, ex ecclesia ita vt habebant eductum, & cuidam Camelo alligatum, vt Camelus eum valde laniaret & discerperet cum satis materiæ congessissent, & ignem in communi theatro accendissent, vnà cum Camelo exusserunt. Sic vno quidem modo, sed diuersis causis, illi quidem beato fine, hic verò miser, morte vitam commutarunt. Et eorum quidem casus ita habuit.

Iulianus autem cum vniuersi dominatũ sic fuisset assecutus velletq́ euertere quæ acta fuerant à Constantio, statuit eos reuocare qui erant in exilio. Quod quidem cum resciuisset Athanasius, timuissetq́ ne qui partes Arrij sequebantur Iulianum prius introducerẽt, adhuc enim ignorabatur eius animi impietas infidelitasq́ & amor prauitatis, nocte profunda discedens domo in quã confugerat, inuenitur in media ecclesia Alexandrina. Quid verò ea quæ deinceps sunt consecuta recensuerit quispiam, q̃ lubẽter eum aspexerint, quemadmodum vndiq; sunt congregati ad illud spectaculum. clerus. ciuitas. populus. alij quidem de reditu magnas agentes gratias. alij autem diuturnæ quę intercessit absentiæ insimulantes, eiq; & damnum & priuationem exprobrantes. Deinde tanquam satis argumẽti præbentes suæ in eum beneuolentiæ, & alioqui vel ex sola præclari illius Pastoris præsentia animis audacia & fiducia repletis, expellunt protinus Arrianos, ciuitatemq́ & se tradunt manibus Athanasii. Illi vero vel tam turpiter expulsi, & in locis desertis & obscuris delitescentes. ne sic quidem ab illa insania & rabie destiterunt. Sed & cum Georgius meritas pœnas dedisset vt iam diximus, eius loco sibi lucium cõstituunt, & totam curam studiumq́ hæresum rursus ad eum deferunt. talem assecuti præsidem qui impietate & inhumanitate illo nihil erat inferior.

Volo autem obiter meminisse malorum seu impiorum Iuliani facinorum, & simul ea quæ ad magnum Athanasium pertinent coniungere, & quemadmodũ nulla erat ei pars vitæ libera à certaminibus & laboribus qui propter Christum suscipiuntur. Nã cum nuper hic impius suscepisset imperium, & Dæmonibus qualis ille est, & Deorum nominibus potius q̃ Diis sacrificaret, diruebatur quidem vniuersa ecclesia Christianorum: omnis autem locus gẽtilium sacra suscipiebat: & eorum templa, alia quidem aperiebantur, alia verò rursus extruebantur. & vbiq; erat nidor, & fumus, & sacrificia, animaliumq́ dissectio & sanguis. Quinetiam in ipsa hei mihi Cõstantinopoli, erat fortunæ statua eiq; publicè fiebãt libamina & sacra, & quæcunq; alia, accepto simul studio & potestate ex imperio,

moliebatur aduersus pietatem, quãdo Maris Chalcedonis quæ est in Bithynia Episcopus, ad eum veniens, apertè eum cõuitiis est insectatus, impium, & defectorem, & à Dei religione alienum, & quæ sunt huiusmodi, appellans. Is autem, (erat enim iã Maris in ipsa senectute, & ideo passus erat orbitatẽ oculorum) probra iure in se illata non iustis vltus est maledictis, nugatorem ipsum & cæcum nominans, & qui nec ab ipso quidem Deo Galilæorum posit vllam consequi medicinã. Ille vero veluti Deo afflatus, acriore dicendi libertate respondens, Deo, inquit, ago gratias, qui vtiliter prouidit vt ego orbarer oculis, ne ego os tuum viderem impudẽs, qui tam inuerecunde lapsus sis in impietatem. Eandem sunt imitati dicẽdi libertatem Iouianus simul & Valentianus, qui Tyranno apertè cingula abiecerunt, dicentes, Nos quoque propter Christum parati sumus ipsa vita cedere.

Imperator ergo, & quicunque erant eiusdem cum eo sententiæ, & cum eo conspirabant in impietate, cum quotquot erant illo tempore sapientes, quosdamque Aruspices, præstigiatoresque & vates coegissent, quemadmodum Christianos superarent volebant eos suam dicere sententiam, Omnibus autem visum est procul esse amandandum Athanasium. Nam si auulsum, inquiebant, fuerit fundamentum, reliquæ quoque illorum fidei partes facile diruentur. Rursus ergo constituuntur iudicia, & Iudices condemnant, & exercitus emittitur, & populus conturbatur, & Alexandria circundatur, & ecclesia diripitur, & ab ea postulatur Athanasius. Cæterũ tunc quoque per eos medios procesit, nec erat vllus qui retineret. Quinetiam rursus illum vidẽtes ignorabant, propter quem, hei mihi, ecclesiam tanta manus circundedit. propter quem armis eius exitus vndique obsepserant. Postquam ergo ille sic superna manu munitus, non potuit capi manibus hostium, & perinde ac nullo prohibente ita liberè egressus est è ciuitate, Alexandrinam quidem ciuitatẽ rursus inuasit luctus & eiulatus propter viri absentiam. Is autem cum noctu venisset ad Nilum, & conscendisset quandam nauem onerariã, rursus magna contentione ferebatur Thebaidem. Eum vero à tergo vrgebat quidam Satrapa, iussus à Tyranno eum interimere vbicunque deprehendisset. Cum autem quidam ex iis qui nauigabant vnà cum Athanasio, procul nouisset persecutorem, & remiges hortaretur ad celeritatem, paululum subsistẽs Athanasius, & occultum quid, vt videtur, internis cernẽs oculis, iubet remiges proram obuertere, & rursus cursum dirigere Alexandriam. Ii autem cum vt par est fuissent conturbati, & vererentur ne inciderent in Satrapam, ille eis animũ addens, & dicens esse aliquid diuinum quod gerebatur, persuasit. Deinde conuersa antemna, nauem agentes in partes anteriores, nauigabant recta Alexandriam, persequentes, quod est maximè nouum, eos qui persequebãtur. Cum autem iam fuissent prope Satrapam, barbari quidẽ, veluti quadam eorum oculis offusa caligine, tanquam eorum qui videbantur neminem videntes preter nauigabant. Athanasius autem quemnam quærerent, non secus ac in Helyseo vsuuenit, percontatur. Cum vero respondissent Athanasium, Vos, inquit, nauigans parum præcedit, veluti fugiens quosdam qui eum persequuntur. Sic decepti qui erant mente cæci, persequebantur eum quem non sentiebant se habere in manibus. Is autem celerrimè delatus Alexandriam, & repente veniens in ciuitatem, eam replet maxima

lætitia is apparens conspectus qui tantopere desiderabatur. Deinde dans seipsum quieti. & silentio, quandiu fuit acerbum tempus imperij Iuliani delituit.

Post hæc autem. Iulianus quidem, omnium qui ipsum præcesserunt in impietate clarissimus, & qui omnes ipsos paruos reddidit in scelere, post bella innumerabilia quæ gessit aduersus pios, inuenit finem improborum studiorum, non planè quidem qualem merebatur, vt qui infernis reseruaretur suppliciis: sed neque semitam impiorum ostēdens omnino dirigi. Nā cum se quibusdam præstigiis, maleficiis, & magorum artibus permisisset, & deceptus sibi persuasisset fore vt Alexandri sibi pararet imperium, vt cuius mores semper magno gloriæ tenerentur amore, vel potius se ipsum esse persuasisset Macedonem in alio corpore, & aduersus Persas duxisset exercitum, primoq; spes ei luculenta fuisset ostentata, quando se magnum aliquid & præclarum gesturum existimabat, tunc etiam quod habebat turpiter perdidit imperium, & simul cum eo vitam. Fraude enim cuiusdā transfugæ cum naues quæ flumine frumentum cōuehebant, & multa quę erant exercitui ad vsum necessaria importabāt, fluuio amandasset, in terramq; aridam & aqua carentem ac torridā deuenisset, fameq; ac siti suos oppressisset, & maximam partem exercitus amisisset, & omnibus indignantibus probrisq; ac maledictis eum insectantibus ipse eques adesset, vt dolorem consolaretur, & exercitus laborem recrearet, Quale tuum est opus ò diuina iustitia, iaculum nescio vnde emissum, peruadens medium brachium, cadit in illius dexterum latus. Et ille quidem miser iacebat, siue à transfuga percussus, siue ab aliquo ex suis. Vtrunq; enim de eo dicitur. siue etiam diuina plaga ictus, quod quidem dicitur à pluribus, hunc tamē vitæ finem nactus post imperij annum vnum & menses octo.

Deinde Iouiniano totius exercitus suffragio committitur imperium. qui cum solos septem menses imperasset, & ad octauum venisset, in Galatia vita repente excedit, somno morte contemperato. Valētinianus autem post eum renunciatur. qui fratrem suum Valentem in societatem admittit imperij. & cum illi habenda tradidisset ea quæ sita sunt ad Solem Orientem, ipse triginta post diebus ad occidentem perrexit & in Gallias. Cum ergo Valens accepisset imperium, non fuit de thesauris sollicitus, non curauit pecuniam, neque quomodo rectè ordinaretur exercitus: sed quō Arrianorum quidem res amplificaret, Orthodoxorum autem res diminueret, & omnino dirueret, totum sui imperij studium conferebat. idq; solum sibi ducebat sufficere ad splendorem & gloriam. Ea de causa omnes

13 ferè 13 Pontifices, Sacerdotes, & Diaconos, & quicunq; vitam degebant monasticam, in mala extrema coniecit. Et Meletium quidem virtute incomparabilem, deposuit de sede Antiochena. Et hunc quoque magnū inter Athletas Athanasium quærebat capere. Et exilio quidem cōdemnatus est Meletius. vniuersus autem qui cum eo erat clerus, fuit ecclesia expulsus. Multi quoque alij Pontifices, & omnes, vt semel dicam, qui nolebant exitio Arrij communicare, exturbabantur. quidem ab ecclesiis, expellebantur autem à patriis à propinquisq; & à consanguineis.

Iste semper fuit hæreticorum mos, Episcopos, sacerdotes & clericos, simul etiam monasticæ uitæ professores acerrime persequi.

Postquam ergo venit hoc quoque magnum bellum Alexandriam, & Præsidum edicta studio Eudoxij omnē in partem mittebantur, & rursus in hunc magnum & verè virum fortem Athanasium exercebatur persecutio,

eutio, & iam futurum erat vt mox caperetur, clam quidem vrbe egreditur, patrium autem quoddam sepulchrum subiens, & quatuor menses in eo manens, sic beluinum impetum & furorem declinauit. Nam cum Tatianus tunc præesset Ægypto, Christiani omnes grauissima subibant supplicia. multiq; per ipsum, martyrij finem accipiebāt. Sed ille quidem statim meritas luit pœnas. Nā facultatibus & dignitate priuatus, & morbo oculos miserabiliter excæcatus, emendicans publicè vitam finiit, cum nec ei mortuo libassent Alexādrini, sed in eius etiam statuam & figuram admodum insultassent, & fuligine oculos illiuissent, qua sola erat ille re uera dignus. Sed hæc quidem cum iam fraus marcesceret & efflorescerent. Quæ autem Constantinopoli aduersus Orthodoxos fecerit Eudoxius, quęnam lingua & narrasse & meminisse sustinuerit? Cum ergo in primo cōsulatu Valentiniani & Valentis tot & alia mala facta sint, meritò homines supernis quoque plagis castigabantur. Nam & ingruens terræ motus, qualē nec prius tulit tempus, nec futurū speratur laturū, & multas alias euertit vrbes, & Creta suarum plusquam centum graui vidit casu dirutas. & mare suis relictis terminis, quædam quidem loca sic inundauit vt etiam multa ex iis quæ prius erant arabilia fecerit nauigabilia, rem admodum nouam. Alibi autem rursus tantum recessit, vt etiam in media nauigatione in medio solo inuenti sint nauigantes. Sed ne sic quidem castigabantur improbi communibus terræ flagellis & mutationibus elementorum. sed etiam in scelere erant feruentiores, grauiusq; & vehementius bellum excitabatur aduersus Christianos.

Quoniam autem propter desiderium Athanasii, populus Alexādrinus erat infenso animo in eos qui dominatum obtinebant, & iam apertè videbatur res spectare ad arma & seditionem, id cum resciuisset Valens, eorumq; rebellionē timuisset & audaciam, necesse habuit ei quoque rursus permittere ecclesias. Hoc autem fecit, non φ ei faueret, sed φ nullum haberet ex subiectis qui in iis quæ oportet pareret Imperatori. Quod quidem causa fuit vt à continuis illis bellis & persecutionibus tunc respiraret Athanasius. Inualescebat enim per totum Orientē malorum calamitas, & Christiani sui generis sanguine polluebantur. Cum autem contenderet Valens Antiochiam, è vita quidem migrat Eudoxius Arrianorum dogmatum æmulator, confirmator & præfectus, nonumdecimum agens annum à persecutione fidei Orthodoxæ. Eius autem loco constituunt qui improbæ quidem Arrij erant communionis Demophilum. Qui autem sanæ & Orthodoxæ, Euagrium, virum & vita & doctrina & moribus insignem. Atque eum quidem sacris initiarunt sacrę 4 manus Eustathij, 14
viri insignis, & qui olim quidem fuerat promptus ad sedem Antiochenā, *Ecce quomodo Epi*
postea autem fuerat exilio condemnatus, à Iouiano autem rursus fuerat *semper ordinauerūt*
reuocatus, & tunc Constantinopoli agebat inter Orthodoxos quem nec *Episcopos.*
latere potuit magna illa Valentis in Orthodoxos immanitas. Sed eum non exigua manus militum, breui tempore postquam ordinauit Euagriū, relegat rursus Bizyen. nec Euagrium sinens frui securitate, sed illum quoque alio abducens, vtrunq; propter parem in fide libertatem. Valens autem cum peruenisset Antiochiam, homousii sectatores impudenter obsidebat & expellebat, non solum ab ecclesiis & à synaxi & communione, sed etiam à gradibus & domibus, & tota ferè ciuitate, atque adeò ab ipso

criente. Ad hæc vero sęua quoque imminebant supplicia, & mors acerba eos excipiebat. Scit hæc fluuius Orontes, Antiochiæq; vici, fora, viæ & suburbia. ille quidem tinctus sanguine Sacerdotum. hæc vero referta cadaueribus.

In eam magna ergo & tam vehementi tempestate, hic præclarus, diuinaq; reipublicæ administratione & virtute magnus Athanasius, post longos illos propter Christum sudores, & pro recta fide certamina, gloriosasq; fugas & exilia & insignia trophæa, cum Petro sedis successori multa futura prędixisset, quadragesimo sexto anno Sacerdotij, octauo decimo mensis Ianuarij, Gratiani & Probi secundo consulatu vita excedit, vtpote q̃ iã satis functus esset laboribus & perpessionibus, & ideo Agonothea eum ad se è superis euocasset, vt ille rursus eum suis splendoribus, coronis, & ineffabilium bonorum remunerationibus pro 15 meritis remuneraretur. Quæ nobis quoque detur consequi. In Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

15 Vides uitam æternã dari sanctis pro meritis ? Sed hoc est ex parte diuinæ promissionis, & ex gratia Spiritus sancti bonorum operũ radice, liberum arbitrium nostrum per eadem bonã opera ad merendum eã iuuante.

Ianua. 20.

VITA ET RES GESTÆ SANCTI
Patris nostri, magni illius Euthymij.

QVIVSLIBET quidem rei exercitatio, ęgre absque exemplo & difficiliter rectè geri potest: multo magis autem virtutis operatio, quo est difficilior & laboriosior, & perpetuo labore & tolerantia indiget: idcirco multis quidem exemplis, multa autem eorum quæ ab aliis in vita gesta sunt historia opus est, iis qui hanc vitam asperam ingredi constituerunt. Quæ quidem & viam faciunt planiorem: nec sinunt eos defatigari, qui q̃q; ea sit aspera & ardua respiciunt. In eis enim inueniens quibusnam modis monitis & præceptis, & quanam deniq; ratione res eis recte successerit: Quinetiam quasnam ipsi rursus consecuti sint & consequentur remunerationes: etiamsi eius sit hębes & obtusas animas, etiãsi ignauas & supinas, volet tñ aliquando excitari, et ad parem accendi ęmulationem, & aggredi ad imitationem. Qualis quidem mihi videtur esse vita magni patris Euthymij, simul & iucundissima, & laboriosissima, & aptissima ad lætificandos & demulcendos eos qui eam legerint, & ad rerum similium studium excitandos. adeò vt si quis eum voluerit imitari, is & viuus & mortuus fuerit clarissimus. De eius itaq; rebus incipiendum est mihi ab alto dicere. & eę narrandæ sunt auribus quàm fieri potest maximè piis.

Cũ impius paulo antè Iulianus miserè cum imperio vitam quoque amisisset: & deinde paulopòst imperium delatum fuisset ad Valentem, bella difficilia propter acerbam Arrij cõionem circunsistebant omni ex parte ecclesias. & cum cessasset paganismus, arrianismus admodum inualescebat: & aperte laborabant ecclesiæ. Erat autem Melitenæ quæ est vrbs Armeniæ ad Euphratem quidem nomine Paulus, cui vitæ consors erat coniux nomine Dionysia, ambo clari & virtute & genere. Cũ esset vero sterilis & careret liberis, id ducebat non moderatum esse infortuniũ, neq; parua dignum sollicitudine. sed grauibus curis agitabatur: & do-

loribus lacerabatur: eiusq; cor & viscera propter liberorum egestatem igne quodãmodo accendebantur, vt quæ fructus ventris desideraret. quæ quidem res est pluribus mulieribus vel maxime optanda, vt quæ sit oculis iucundißima, & quæ potest eis afferre gloriam, & efficiere vt non sit humilis & abiectus eorum obtutus, neque fiducia & libertate priuentur in maritorum oculis. Cũ sic ergo se haberet, & tali premeretur calamitate, ad propinquum diuini Polyeucti Martyris templum veniens cum coniuge, eum enim accepit voti quoq; socium, quem necessario habuerat antea tristitiæ, in eo perseuerarunt multis diebus in oratione. Petebant autem vt sibi soluerentur vincula sterilitatis: & rogabant vt fructum ex se natum viderent. Noctu autem eis aliquando seorsum orantibus diuina quædam apparet visio, dicens, Estote, estote bono animo. Dat enim vobis Deus filium, qui á bono & tranquillo animo, nempe euthymia, nomen accipiet. & eo dignos mores est habiturus. In illius autem ortu animi quoq; tranquillitatem dat Deus suis ecclesiis. Atque illi quidem cũ tempus signassent visionis, propterea quód esset admirabile spectaculum, domum redierunt: & se 1 quod natum fuerit Deo esse dedicaturos profeßi sunt.

εὐθυμία. animi tranquillitas.

1 *Ecce quomodo parentes Euthymij nouerunt se dedicaturos Deo quicquid ex illis nasceretur.*

Paulopóst autem vteri quoq; tumor conceptum confirmabat: & Dionysiæ animus implebatur lætitia. Deinde cũ eis natus esset puer quarto consulatu Gratiani, eum quidem congruenter visioni nominant Euthymium. Visionem autem res quoq; est consecuta. & componi cœpit bellum aduersus Orthodoxos. & á difficili tempestate iam respirabant ecclesiæ. & vir illucescebat pietatis: & ad animi tranquillitatem res tristes eis conuertebantur. Nam cũ tempore Constantij ecclesias vexasset persecutio, & tempore Iuliani Tyranni, vt iam prius diximus, & Valentis qui fuit Imperator Orientis, non minus q̃ quadraginta annos Arriani ingentes efflassent spiritus aduersus pietatẽ, Euthymio iam nato, cui á tranquillitate nomen est impositum, compositæ & sedatæ fuerunt res oẽs tristes ecclesiarum. Valens enim, cũ nondum aduenisset quintus mensis post ortum Euthymij, exercitum ducens aduersus barbaros, qui secure vexabant & populabantur Thraciam, cęsis copiis ipse quoq; eas postea luit pœnas quas eius merebatur impietas. Ad quendam enim vicum fugientem qui erat circa Adrianopolim, incursiones facientes Barbari eum turpiter capiunt: & vnà cum vico incendunt, hic ignem qui est ad tempus accipientem, veluti proemium ignis qui est illic futurus.

Tertio autem post anno Paulus quidem Euthymij pater é vita excedit. Sola vero cum filio mater viduaq; relicta, accedit ad fratrem Eudoxium, filium adducens. quem quidẽ Otreius, qui Melitenensi præerat ecclesię, suum fecerat confessorem. & cũ ante eius genua posuisset puerum, vehementer orabat lachrymas emittens ex oculis, & eas esse credens validum medicamẽtum persuasionis. Rogabat autem vt & infantis & sui misereretur & ad Otreium puerum adduceret, & ei pro patre dedicaret. Atque mater quidem videt suam petitionem sibi succeßisse ex sententia. & puer fuit dedicatus Otreio, & per eum Deo sicut diu antè ab Anna Samuel. Cũ autem vidisset Otreius, non solum aspexit: sed etiam animi profundum simul subiit, quasdam etiam eius paulo secretiores motiones, quoad eius fieri potuit, acutißime coniectans. Cũ vero de matris sterili-

tate audiuisset, & de diuina apparitione, & quemadmodum opus precationis fuerat eius conceptio. & ꝙ antequam nasceretur, Parentes eū Deo didicauerant, fuit futuri verus propheta. & re uera, inquit, requiescet spiritus Dei super hunc puerum. Deinde cum eum baptizasset, & pilos, qui ex lege tondentur pueris tondisset, in gradum 2 lectorum eum cooptat. Atq; matrem quidem Dionysiam, vt quæ diuinis vacaret assidue, Diaconissam ordinat suæ ecclesiæ. cum autem puerum adoptasset, non solum ei fuit nutritor & Pędagogus, sed etiam pater & mater, quod attinet ad affectionem. non eo nomine magis puero q̃ sibi gratificans, & talis pueri curam gerere cupiens.

2 In ordine ecclesiastico multi sunt gradus, inter quos unus est lectorum.

Cū itaq; Euthymius sic ab ineunte ętate Deo fuisset dedicatus, & in ecclesiasticum catalogum cooptatus, statim cōsequenter Theodosius ille magnus potitur imperio. & sic vno & eodem tempore, Deus admirabiliter & præter opinionem, tam ciuilibus rebus q̃ ecclesiæ pacem conciliat. illis quidem præbens Theodosium, his verò largiens Euthymium, adeò vt in eis consequenter res quoq; conuenirent nominibus. Procedēte autem tempore cum iam excessisset ex infantia, litterarum magistris eum tradit Eps. Illi autem erant Acacius & Synodius, qui propter nobilitatē & prudentiam & moderationem clari erant in choro lectorum, & in diuinis scripturis recte exercitati: & neque 3 externam neglexerant eruditionem. qui post multa propter Christum suscepta certamina, Melitenensis ecclesię administrationi, seorsum & suo tempore ambo præficiuntur. quorum multarum rerum gestarum præclaris narrationibus in hodiernum vsque diem iucundissime recreatur ciuitas Melitenensis. vt quę & ecclesiæ præfecturæ & animarum curæ vere conueniant. Puer itaq; his traditus cū vberem doctrinæ sementem in animi sinus accepisset, breui fructus plurimum & supra ętatem produxit. Nam in diuinis quidem versabatur scripturis, studioseq; ac diligenter eis dabat operam. Quando autem alicuius ex viris antiquis & diuinis virtutis eos inueniebat facere mentionem, eum venabatur Euthymius studiosissime & diligentissime. ipsumq; eius viri statim tenebat desiderium. & ad illius similem accendebatur ęmulationem. Talis est bona anima & honesti studiosa, si vel virtutis modicam acceperit occasionem, nempe id quod nouacula ad cotem torris ad ignem. equus in campo, vt vulgo dicitur. adeò vt omni tēpore Euthymio opus adesset cuius magno studio tenebatur. nempe vt perlegeret libros diuinarum scripturarum: & vim eorum quæ eis insunt mandaret memoriæ.

3 Si hi quoque magni uiri externam non neglexerunt eruditionem, cur tātopere eam insectantur nostri temporis nouatores?

Porro autem fuit etiam ęmulator morum Acacij præceptoris. & eos imitabatur pro viribus. vt non solum eius doctrinæ sed etiam factorum se esse ostenderet discipulum: & quō sermocinanti aures, ita etiam facienti pulchrè ac studiose oculos accommodaret 4 cibo quidem vtens, nō vario & composito & superuacaneo, sed minimè curioso & necessario & simplici. lautas autem & magnificas delitias animæ apponebat in eloquiis spiritus. Et diuinum quidem ecclesiasticę regulæ officium, A attenta mente & cum cordis contritione præfinitis peragebat temporibus, non risui & susurris sicut multi animū adhibens, sed vt qui adstaret ante oculos cōis Domini & Regis omnium, & coram cum eo loqueretur. Eo autem tempore quod intercedebat, domi otium agens, non otioso alicui ser-

4 Vide quomodo uictus simplicitas & deliciosorum ciborū abstinentia sancto uiro cordi erat.

A Nota quod etiā hoc tempore recitabatur officium ecclesiasticum.

moni

moni & vanæ meditationi erat intentus: sed Dei legem diu noctuq; meditabatur. & fructum suo tempore afferebat, sicut arbores quæ sunt plantatæ iuxta aquas, vt habetur in psalmis. Erat itaq; tempus iræ & excādescentiæ. Ille autem mansuetudinem producebat & charitatem. Aderat rursus tempus gulæ & delitiarum. Illi autem fructus egregius erat continentia. Et inanis quidem gloriæ cogitationes, animi moderatione multarum autem rerum cupiditatem voluntaria paupertate vincebat. & sic vnaquaq; virtute contraria fundebat & profligabat vitia.

Cū sic autem fuisset educatus & institutus, & processisset per 5 omnem graduum consequentiam, ab eo qui tunc erat Eps̄ Melitenes, inuitus cum tradente virtute ordinatur. & eius fidei committitur cura monasteriorum quæ erant in ciuitate. Sed qm̄ quietis & silentij eum ab ineunte ętate magnum tenebat desiderium, veniebat asiduè ad diuini Martyris Polyeucti monasterium, & triginta trium sanctorū Martyrum. & longissimo tempore in eo versabatur. Porrò autem ab ipsa quoque ciuitate omnino secedebat & honoratos dies ieiuniorum in monte propinquo trā sigebat. qui tunc quidem erat solitudo, & mens assumptionis vocatus fuerat ab accolis. Nunc autem est monasterium non citra admirationem, qd̄ est ędificatum proxime ciuitatem. Cū hæc ita se haberent, & ita diu antè erat quietis amator Euthymius, quod eius intus compositum & tranquillum indicabat animum: ratus curam monasteriorum ei ad virtutem afferre impedimentum, fugę ita vt erat se mandat. & clam ex vrbe egressus ętatis suę anno vicesimonono, ad adoranda 6 sacra & veneranda loca prompto & alacri animo vadit Hierosolyma. Cū autem conuenisset patres qui erant in solitudine, & didicisset institutum vitæ vniuscuiusq;, euadit eius impetus acrior, & quodammodo pennis in altum tollitur. & similis vitæ degendæ vehemētiori punctus stimulo, illinc peruenit ad Pharam lauram, quę sex milliaribus distat Hierosolymis. Et cū extra lauram inuenisset quandam cellam quæ erat valde apposita ad quietem & silentium, illic de cętero versabatur, palmarum quidem ramos in ea texēs, sibi & egentibus suos labores cōes efficiens. vt non solum neminem grauaret, ad aliorum manus non respiciens: sed etiam Deum coleret, & cū ipse esset potius manus aliis, ab omni autem cura rerum terrestrium animum liberasset, se ita comparat vt omnino dependeat à spe futurorum bonorum.

Erat autem quidam ex eius vicinis nomine Theoctictus, qui eandem vitam quam ille exercebat, & idem sibi vendicabat institutū. Amor vero rerum similium, & laborum societas, ita eos colligauit vinculo charitatis & vsque adeò sunt inter se contemperati dilectione spiritus, vt vterque eorum esset positus in anima alterius & quæ alter eorum sentiret, ea etiā cordi essent alteri. Cū ergo esset tam fraternus inter eos consensus, in Catilæ solitudinem peruenerunt, octauo die post festum 7 luminum. separati quidem ab omni humana consuetudine: cum Deo autem solo versantes per precationem. & totum tempus quod intercedebat transigentes in solitudine, donec aduenisset dies festus 8 palmarum. Tunc enim vterque reuertebatur in cellam, magnas virtutis afferentes diuitias, quas erāt oblaturi Christo qui resurrexerat, auro longè pretiosiores quod ei qui natus erat Magi obtulerunt. Morum autem benignitate & simplicitate & insigni humilitate magnus excellebat Euthymius. & ideo in dies

5 *Nota per oēm graduum consequentiā, quoniam in ordine ecclesiastico multi sunt gradus.*

6 *Ecce peregrinationē ad loca sancta Hierosolymæ adorationis gratia.*

7 *Post festum luminū, idest Epiphaniarū, ita enim appellatur illa solennitas.*

8 *Dies festus Palmarum.*

ei crescebat ad Deum fiducia, & abundantiorem gratiam euocabat spiritus.

Cùm autem quinque annos transegisset in Pharam, illinc recedit cum Theoctisto consueto eis tempore secessus. & accedentes per solitudinem ad præcipitem quendam & profundum torrentem, offendunt magnam quandam speluncam ad boreale torrentis præcipitiũ, veluti tracti à quadam manu deducente. Ea ergo de causa lętati animis, & rati non hoc eis ostendi sine Dei numine, illic suam faciunt habitationem. quod quidem cũ esset prius ferarum refugium, sacrum templum postea factum est & sanctorum habitaculum. Atque diu quidem latuerunt in spelunca: nec vllus ad eos accedebat, nec aliquid eis impertiebat quod esset ad vsum necessarium. sed solis 9 quæ propè natæ erant herbis, vt licebat, alebãtur. Cũ autem celari illorum virtutem Deus non amplius sustinuisset, Quo enim, cũ nec orti clausi, nec fontis signati ad multos redeat vtilitas? sed vellet potius eos quoq; esse aliis causam salutis, & copiosum aliquod bonum & in cõe vtile, hoc in eos vtitur consilio & prouidentia. Quidam pastores Lazarij adducunt aliqñ oues ad torrentem. & cum obtutum in speluncam immisissent, vident eos imminentes capiti. Repentino aũt & non solito territi spectaculo, ij quidem se protinus in pedes conjicientes fugiebant. illi vero eis timorem dementes appositissime, voce q; potuerunt benignissima & lenissima, Ne timeatis ò fratres, dicebant, ne timeatis. Nam nos quoq; ipsi sumus homines, etiamsi propter peccata nostra præsentem locum habitare constituimus. Tunc autem Pastores ausi ad eos ascendere, & ingressi speluncam quam ipsi habitabant, cum nihil inuenissent eorum quæ sunt vtilia corpori, reuersi sunt valde admirãtes. & suis singula aperuerunt. Deinde verò non cessarunt de cætero incolæ Lazarij eis ministrare quæ sunt necessaria, Deo sic sapienter & benigne dispensante, vt ipsi quoque ea haberent quibus opus habebant ad vsum corporis, & iis qui ea impertiebãt darent id quod est longè melius, nempe salutem animæ.

9 *Mira res, solis tãtum herbis alebantur.*

Cũ autem de iis quoq; qũæsiissent Pharæ habitatores, & didicissent vbinam habitarent, assidue ad eos ventitabant. Et primum quidem duo ex fratribus ad eos accedentes, Marinus & Lucas, non sunt amplius reuersi. sed à verbis eorum & virtute capti tanq̃ ab aliquibus Sirenibus, se ipsis tradunt tanq̃ patribus & animarum curatoribus. Quos cũ supinis manibus magnus excepisset Euthymius, exercitationis monasticæ institutum eos tam pulchre docet, vt iidem quoq; tempore quod est consecutum, in locis quæ sunt circa vicum Metopa, clari extiterint, & monasteria construxerint: & magnum illum Theodosium, qui fuit princeps & auctor cœnobiorum quæ sunt in solitudine, ad monasticam perduxerint perfectionem. Cum talis fama Euthymij breui tempore in oẽm partem peruaderet, multi ad ipsum tanq̃ ab aliquo vnguenti odore moti quotidie confluebant. & rogabat vnusquisq; eorum vt cum ipso habitaret: & sub eo duce viueret, & animam componeret, & doceretur ea quæ sunt spiritalia. Sed ille volens habere purum & immixtum bonum quietis ac silentij, oẽm eorum qui adueniebant curam beato commisit Theoctisto. Ille autem qui ei nunquam recusabat parere, protinus quidem mandatũ accipit. Omnia vero administrabat ex sententia Euthymij.

Deinde autem in loco quoq; ad habitandum construendo occupabantur. & in animo habebant in spelunca constituere lauram ad figuram Pharæ. sed quæ loco inerat asperitas, & q; is esset propemodum inuitus non sinebat in eo aliquam constituere lauram. sed in ipso aditu præcipitij cœnobium ędificant fratribus. & sibi speluncam transmutant in ecclesiã. in qua in quiete & silentio magnus assidens Euthymius, erat curator animarum, & earum quas à vitiis accipiunt plagarum, & vulnerum à quibus sæpe malè afficiuntur, medicus peritissimus. Quotidie enim ad eum accedentibus fratribus, & ei cogitationes aperire non verentibus, dabat vnicuiq; conueniens malo medicamentum. Quæ quidem experientia & prudentia & egregia discernendi scientia apud se collegerat. adeò vt in eo propemodum impleretur illud diuini Hieremiæ. Probatorem te dedi po „ puli mei. & dum tu probas, cognosces viam eorum. „

Certe sæpe etiam admonebat paterne, & cõiter cum eis disserebat, dicens oportere quidem eos qui mundo renunciant & iis quæ ad mundum pertinent, vbiq; 10 curam gerere obedientiæ & humilitatis: & propriã non sequi voluntatem: & in votis semper habere mortem: & supplicium quidem perhorrescere: regnum autem cœlorum desiderare: & se omni tẽpore dedere laboribus, manuũq; artificio & operationi. & maxime quidem si is est iuuenis, & cuius appetitio & impetus moueatur ab ætate. Tunc enim oportet præter aliam eius custodiam, corpus quoq; exercere multa afflictione vt pareat rationi, & feruor flaccescat iuuentutis. & vt Pauli imitatores, & diuinarum eius legum simus adimpletores. non otij crimen solũmodo vitantes. siquidem ne alimento quidem eum dignum iudicat qui est adeò hebes & negligẽs. Otiosus enim inquit, ne comedat „ quidem. sed easdem quoq; quas ille manus habentes. Manus. n. inquit, hæ mihi suppeditarunt, & iis qui erant mecum. Est. n. absurdum homines quidem qui in mundo versantur, vxorem & filios & totam familiã alere labore suarum manuum. & annuum ab eis solui tributum. quinetiam suorum quoq; laborũ Deo dare primitias, & benefacere pro viribus. nos autem ne alios quidem impertiri fructu nostrarum manuum.

10 *Vide antiquorũ monachorum ꝓpositum & institutum, Et aduerte de operib⁹ manuum.*

Porro autem hæc quoq; ex illius præceptis digna sunt quæ mãdentur memoriæ. Suadebat. n. honestum amplecti silentium in templo Dñi, & in synaxi fratrum nihil omnino loqui cum sacra peraguntur mysteria. sed nec in cœnaculo ad cœnam collectis fratribus, linguã laxare. sed in vtrisq; manere in eodem silentio. Ei autem displicebat, q; nonnulli ex fratribus, & maxime iuuenes, reliquis maius & publicum ostenderent ieiunium, & cõem soluerent fratrum regulam, suam sequendo voluntatem & legem. Neq;. n. ille bonum tuba cani, neq; apertum esse ad publicum, sed q̃ maximè fieri poterat latere volebat. Et ideo dicebat eam esse optimam abstinentiam, quę præuenit satietatem, & indigentibus adhuc nobis reprimit alimentum. quod quidem est propemodum minus alimenti sumere q̃ sit opus. Clam autem resistere carnis affectionibus. esse vero armis Monachorum omni ex parte secure communitu. ea autem sunt 11 humilitas. moderatio. meditatio. discretio. & quæ est ex Deo obedientia, & re uera virtus quæ Deum imitatur. Atq; tali quidem à suauissima illa lingua fratres quotidie fruebantur doctrina. Nobis autem iam deinceps incipit pergere oratio ad res veteris Terebonis. quę oẽs quidem qui sunt seniores ex

11 *Ecce uirtutes quibus semper armati esse debẽt ueri monachi.*

Patribus mihi narrarunt. accuratius autem ille Terebon qui fuit nepos huius veteris Terebonis, & præfuit tribui apud Saracenos: & in eis maximum nomen reliquit ad claritatem. Oportet autem ab alto ordiri principium narrationis. vt sic facilius posśit à nobis perspici oratio.

Erat apud Persas quidam Græcus nomine Aspebetus, qui fuerat dux tribus Saracenorum. Cùm autem circa finem Regis Isdigerdi mota esset à Magis persecutio aduersus Christianos, illi ducentes hoc sibi esse magno studio contendendum, vt omnes venarentur Christianos, oēs quotquot erant tribuum apud se pręfectos, quinetiam ipsum quoq; Aspebetū, vt oēs vias diligenter custodirent cōstituunt. vt nullus Christianus posset clanculum confugere ad imperium Romanorū. His itaq; Aspebetus, videns tantam in Christianos incursionem & insaniam, & motus misericordia eorum calamitatis, non solum non prohibuit quominus fugerent: sed eis quoq; manum præbuit adiutricem. Qua de causa accusatus apud Regem Isdigerdem, & illius veritus crudelitatem, acceptis protinus suis facultatibus, cognationeq;, & puero Terebone, transfugit ad Romanos. Quos cū accepisset Anatolius, is enim tunc erat vnus ex Prǽfectis Oriētis, eum collocat in Arabia. & quæ illic Romanis suberat Saracenorum Præfecturam, tradit in manus Aspabeto. sic aperte ostendens sinceram & omnis doli expertem fuisse eius acceptionem. Cū is ergo sic ad Romanos accesśisset, eius quidem filius Terebon, cū esset adhuc impubes atq; adeo verè puer, percussus erat flagello dęmonis, vt qui dexteram partem corporis ex dimidio haberet siccam mortuęq; similem & quæ minime operari poterat. Hoc autem ei ita se habebat à capite vsque ad pedes. adeò vt cū pater magnam partem facultatum consumpsisset in medicos, Terebon ex arte illorum nullum accepit adiumentum.

Postquam vero migrarunt in Arabiam, videt puer in somnis aliquid, et ad visionem expergefactus, eam patri narrat. Ille autem cū statim puerum accepisset, & multos ex iis qui eius imperio parebant barbaris, venit ad speluncam huius Euthymij & Theoctisti. Nam vt eo veniret præcipiebat quæ ei apparuerat visio. Atq; fratres quidem cū tantam vidissent multitudinem, inuasit animi angor & metus. neq; sciebant quidnam se fieret. Sed beatus Theoctistus cū illum timorem eiecisset ex animo, audenti animo accedit ad barbaros. & rogat cuiusnam rei opus eos huc adduxisset. Illi autem, venimus, dixerunt, ad videndum Euthymium. Beatus vero Theoctistus. At ille, inquit, nunc quiescit & silet. & neque vsq; ad sabbatum veniet in alicuius conspectum, neque ad colloquium cum aliquo. Tunc Aspabetus manus accipiens ostendit ei filium, qui erat semiaridus, & cuius pars dextera erat veluti mortua. Deinde etiā filio annuit superciliis. Ille autem incipiens, rem omnem narrat ordine.

Cùm ego, inquit in perside hanc plagam accepissem, multis & medicinę & magicæ artibus contritus, nihil amplius ex iis fructus percepi, nisi q; eas solum damnaui, & in illis nequaquam posśim magnam habere fiduciam. Deinde postquam in hanc Arabum venimus regionē, hic quoq; rursus cum priori luctabar calamitate, & malis vexabar similibus. noctu autem apud me aliqñ cogitans, & considerās an vsquam ab hoc morbo aliquam inuenirem liberationem. qm̄ ab iis qui erant apud nos nullam videbam mali curationem. ipse sic mecum colloquebar. O' Terebon, vbi

nunc

nunc sunt quæ apud Græcos & Persas feruntur medicinæ artes & magicæ. & quæ sunt in his nugæ, & quæ earum vulgo iactatur vtilitas? Vbi sunt autem præstigiæ Astrologorum? & fabulæ nostrarum superstitionum, & inutiles inuocationes? Sunt omnia re uera fraudes & risus manifestus: quæ nihil, inquam, possunt efficere absq; vniuersorum opifice & Domino. Cum hæc ergo apud me dixissem & disseruissem, Deum rogaui vehementissime: & ab eo petij à morbo liberationem. & me ei vicissim esse relaturum vitæ mutationem, & me Christianum futurum sum pollicitus.

Interea autem dum hęc fierent, & Deo hoc modo essem supplex, paulatim in somnum deductus, mihi videbar videre quendam Monachum, cui barba propendebat hispida, quiq; iam senescebat, & canis erat conspersus, me rogantem quisnam esset morbus, & sciscitantem quidnã mali nobis incubuisset. Cum ego autem ei morbum ostendissem, ille, Impleplebis'ne, inquit, quęcunq; Deo es pollicitus. Deinde cum ego rursus promisissem me prompto & alacri animo omnia impleturum, Ego sum, inquit, Euthymius, qui ad Orientalem solitudinem habito in torrẽte qui est prope viam quę tendit versus Hiericho, decem millibus distans Hierosolymis. Si vis ergo inuenire mali solutionem, veni ad me. & te Deus per nos sanabit. Hæc cum in somnis vidissem & essem excitatus, Patri statim narraui. & ecce omnibus postpositis, vt iussit visio huc nunc venimus. teq; valde & enixe rogamus vt nobis ostendas eum, qui per visionem nobis fuit indicatus, verè diuinum & admirabilem medicum.

Hæc cum beatus audiisset Theoctistus, & visionem vt apertum Dei gratiæ indicium esset admiratus, Euthymio interrumpit quietem ac silẽtium: & ei omnia recenset ordine. pueri morbum. egestatem eius qui illum esset curaturus. eius promissa quæ fecit communi Domino. somnum. illũ. visionem quæ apparuit: & vt semel dicam, narrat singula. Ipse autem cũ sibi quoque persuasisset eam rem diuino quodam geri consilio, statim descendit ad barbaros. cumq; vehementer orasset pro puero, & ei 12 figuram crucis imposuisset, nõ aliquo opus habuit tempore. neque vt in oratione diutius perseueraret: sed eum valentem & omnino sanum statim efficit. Stupent barbari id quod factum fuerat. & citius q̃ eorum qui laborabat corpus, eorum quoque curantur animæ. vel potius animæ sanitatẽ communiter accipiunt. & fiunt statim fideles. Quocirca proni humi cadentes rogant illam sanctam animam vt Christi obsignentur signaculo, & partem Christianorum consequantur & nomen.

12 *Euthymius oratione facta, cum crucis figuram puero imposuisset, eum ab ariditate sanat.*

Non erat omnino viri pij & Deum amantis cunctari in rebus huiusmodi. Neque ergo fuit Euthymio in his rebus vlla cunctatio. Sed cum vidisset eos corde potius q̃; ore sacrum baptisma postulantes, iubet paruã piscinam fieri in quodam angulo speluncæ. quæ quidem consistit vsque in hodiernum diem Cumq; dixisset 13 præces quæ dici consueuerunt, & quæ lex in his postulat fecisset omnia, primum quidem baptizat Aspebetum, eum Petrum nominans. Deinceps autem Marin, fratrem vxoris Aspebeti, ambos claros genere, & insignes diuitiis, vel diuitias potius ornantes prudentia & virtute. vel potius ipsis diuitiis vtentes pro causa & instrumento exercendæ virtutis. Deinde autem Terebonem. & post ipsum reliquos. Quos cũ quadraginta dies apud se detinuisset, & monuisset,

13 *Vides sanctos uiros semper in baptizandos seruasse ritus qui ex consuetudine Ecclesiæ adhiberi solẽt.*

pietatemq́ ac religionem accurate docuiſſet, & omnibus modis ea firma ac ſtabilia reddidiſſet quæ pertinent ad ſalutem, eos dimittit in pace. ſed non amplius Agarenos, nec Iſmaëlitas: ſed à Sarra oriundos, & certos hæredes promiſsionis per diuinum baptiſmum. Maris autem qui fuit Terebonis auunculus, non amplius voluit retro aſpicere. Neque amplius omnino ſuſtinuit diſcedere à monaſterio. Sed cum ei omnes conſecraſſet facultates, & parui feciſſet quæcunq; ſunt in mundo, nec generoſo & excelſo animo dignum eſſe duxiſſet deſiderium quod in ea confertur, ſoli Deo adhæret. & per totam vitam ſub eo viuere ſtatuit, magno duce & præceptore vtens.

Cum autem miraculum eſſet diſperſum per multas partes ſolitudinis, multi qui morbis laborabant & ægritudinibus, ad diuinum Euthymium vndiquaq; confluebant. & ſic ſine mercede promptamq́ ac facilem colligentes curationem, læti reuertebantur. Quamobrem ſic breui per totam clarus euaſit ſolitudinem, vt nec eius quidem nomen tota caperet Palæſtina: ſed tranſiret etiam ad eas quæ erant circuncirca Præfecturas, & in eis valde celebraretur. Quod alij quidē fortaſſe fuiſſet voluptati. Euthymio autem valde veniebat in mentem ſuccenſere & ęgreferre. Non ſolum q̧ humanam auerſaretur gloriam, ſed etiā quo prioris meminiſſet quietis & ſilentij: & quemadmodum in eo eſſet indiuulſus & ab omni tumultu alienus. Et ideo ſtatuit ad Ruban ſecedere clanculum. Sed diuinus Theoctiſtus cum eius rei quam cogitabat ſenſum neſcio quomodo accepiſſet, & hoc fratribus ſignificaſſet, & omnes congregat, & preces adhibet communes & vehementes, vt miſereatur eorum orbitatis: & non ſic deſpiciat gregem quem ipſe conſtituit. qui poſt eius receſſum erat miſerè dilacerandus à communi hoſte omnium. Hæc dixit, & perſuaſit ne in præſentia diſcederet, nec eos relinqueret.

Sed cum poſtea eum vehementius inuaſiſſet amor quietis & ſilentij, nec ſciret quid ageret, quodam ſecum aſſumpto cui nomen quidem erat Domitianus, qui erat quidem genere Melitenus, virtutis autem amator non negligens, vnà cum eo ægreditur, cum id nemo ſenſiſſet. & in ſolitudinem Rubæ quæ vergit ad auſtrum venit iuxta mare mortuum. & deinde in altum quendam montem & remotum ab aliis montibus aſcendit, qui appellatur Marda. tranſmigrans in mōtes ſicut paſſer, vt ait diuinus Dauid. & arcus fugiens peccatorum. Quo quidem in monte cum inueniſſet puteum, & humi iacta ædificia, templumq́ excitaſſet & erexiſſet altare, quæ quidem adhuc ſtāt in hodiernum diem, in eo quidem verſatur aliquo tempore, ea quæ ſunt corpori neceſſaria ex iis quæ ſunt illic herbis comparans: 14 & tanquam menſa ſplendida eis vtens. Deinde cum eū quædam ſubiiſſet cogitatio ingrediendi in ſolitudinē Ziphon quę eſt prope vicum Ariſtobuliadem, ad videndum, inquā, illas ſpeluncas, quæ olim Dauid acceperunt cum eum perſequeretur Saul, ei paret. cumq́ veniſſet, & locus ei placuiſſet, illic conſtruxit monaſterium. Cauſam autem prætermittere quæ fuit conſtruendi eius monaſterij, damnum fuerit piis.

14 *Herbis veſcitur ſanctus pater.*

Cuiuſdam in vico Ariſtobuliade grauiter laborabat filius: & à malo vexabatur ſpiritu. Cum ſic autē laboraret & ab immani vexaretur Dęmone, Euthymij nomen clara voce clamabat. Clamabat vero per ſe non ſua ſponte, ſed is qui tyrannidem in eum exercebat, aperte cogebatur. Vi-

dentes ergo parentes, & qui ad eum genere attinebant, eum sic semper in lingua habere nomen Euthymij, & maxime quando ille execrandus eum inuaderet vehementius, quisnam esset hic Euthymius obeũtes interrogabant. & quemadmodum de eo aliquid scirent maxime erant solliciti. Cũ in illo autem inquirendo nõ multum laborassent, illius enim fama & nomine iam plenus erat orbis terrarum, audiunt esse inter Parabarichos & Aristobuliadem. Accipientes itaque puerum ad eum statim iuerunt. Vbi autem procul adhuc procedentibus ille adolescẽti euadit manifestus, cum veluti præsensisset is qui in eo habitabat spiritus, boni spiritus operationem qui inhabitabat in Euthymio, fugam spectauit. non secus atq; timidi & pusilli animi hostes, qui nec adhuc quidem ad eos accedentes armatos expectant milites, sed excedunt antequam manus conserant. Adolescẽtem itaque cum repente torsisset & discerpsisset, euanuit. Oportebat enim malum male facere, & furiosum & conturbatum suum discessum ostendere. Postquam autem ille recessisset, cernebatur homo modestus & sanę mẽtis, alterius non illius esse significans eam quæ præcesserat tempestatem: & graues fluctus.

Cum breui autem miraculum totam peruasisset solitudinem, ex ipsa Aristobuliade & iis qui circuncirca erant vicis ad eum frequentes concurrunt: & ei monasterium construunt. in quo etiam multi pij ac religiosi statuerunt permanere. Deo desuper eis suppeditante ea quæ erant ad corporis vsum necessaria. Non solum autem ex feræ quæ percipiuntur intelligentia, spiritus inquam maligni, ita erant ei subiecti: sed etiam cum his sensilibus, tam quę sunt carniuora quam quę venenata, in solitudinibus conuersans & cum eis habens consuetudinem, nullas vnquam ab vllas sensit insidias neque damnum vllum accepit. Neque verò his nõ esse credendum existimet aliquis qui sciuerit q̃ sit res inexpugnabilis virtus boni spiritus, & quæ potest omnia facile facere miracula. Ei quod dico fert testimonium mare quod virga scinditur. & Sol qui solo iussu sistitur, & ne vlterius progrediatur arcetur. ignis qui in rorem conuertitur, & quæcunq; alia præter opinionem facta sunt miracula.

Fit autem aliud quoque in ea Ziphon solitudine, dignum & mẽte eius qui fecit Euthymij, & perfecta pietate. Nam cum inuenisset quosdam qui Manetis laborabant insania, & sui morbi semper aliquam faciebant accessionem. q; nullus accederet qui esset ad morbum curandum idoneus: cum se dedisset visitationi eorum qui tam male laborabant, & se eis aptissimum præbuisset medicum. tanto eos aggressus est artificio, & vt à morbo discederent, idem est autẽ dicere hæresi, verissime effecit, vt illius quoque Patrem Manetem aperte abdicarent & claro subiicerent anathemati: 15 & fierent ipsi pars Apostolicæ & orthodoxę fidei. Postq̃ autẽ hic quoque rursus multos vidit confluentes, ipsa enim solitudo erat circũcirca septa vicis, & qui erat apud ipsum thesaurus, vocabat amatores harum spiritalium & cœlestium diuitiarum, rursus accipiens suum discipulum Domitianum, reuertitur ad fratres & beatum Theoctistum. quod quidem nõ minus eorum desiderabatur oculis, q̃; aqua ęstate iis qui magna siti laborant. Cum autem fuisset in quodam loco qui est ad tertiũ lapidem remotus à Cœnobio, & inuenisset eum recte se habere, siue loci spectetur natura & positura, siue temperies, vt qui iucundissimo & serenis-

15 *Ecce quomodo etiam antiquitus hæretici excõmunicabantur.*

ſsimo aere perſpiretur,& ſit omni ex parte quietus & trãquillus.cum Diſcipulo illic paruam ingreſſus eſt ſpeluncam. & in eo eſt verſatus.

Cũ diuinus autem Theoctiſtus illius didiciſſet aduentũ,nõ ſe amplius continere potuit. ſed ad eum proficiſcitur, à vehementi motus deſiderio. Cum vero lubenter & vidiſſet & viſus eſſet, & ſpiritaliter eum eſſet cõplexus,nolebat ab eo diſiũgi,amoris ineuitabilibus alligatus vinculis.& à non fallacibus Euthymij Sirenibus aſtrictus.Rogabat ergo vt ad Cœnobium & fratres deſcenderet, & communem cum eis vitam ageret,& communiter ſe exerceret. Ille autem cum quietis & ſilẽtij magno amore teneretur,in hoc quidẽ non annuit Theoctiſto. ſed pollicitus eſt ſe ſingulis Dominicis ad eum acceſſurum,& ſe quoq; ſynaxi ad futurum. Cum autem eius aduentus neſcio quomodo fuiſſet ſignificatus Aſpebeſto,qui fuit poſtea cognominatus Petrus,licebat ſtatim videre congregatam Agarenorum multitudinem. Nam cum ille multos eorum ex omni genere & omni ætate congregaſſet,vt qui ipſe primus bonum guſtaſſet,& ſtuderet vt illi quoque eſſent participes dulcedinis, accedit ad Euthymium. Ille autem q eos adduxiſſet valde lętatus,cũ & hilaribus eos vidiſſet oculis, & eis de more bene eſſet precatus,adducit ad fratres & monaſterium.Deinde cum eos illic baptizaſſet & inſtituiſſet, & ex illo tempore ſeptem dies cum eis eſſet verſatus,cum multis habitare non ſibi amplius ducebat tolerabile:ſed quietis & ſilentij,ſicut diximus,magno captus deſiderio,ad conſuetam rurſus redit ſolitudinem.

Cum ergo Petrus eum vidiſſet & domo carentem & inopem ſedentẽ in ſolitudine, pro maximis beneficiis mediocrem vtiq; referens gratiam, ædificatoribus magna mercede accerſitis,magnam ciſternam,& quę duo habebat oſtia,fodit in orto.quæ in hodiernum vſque diem foſſa remanet. & panis faciendi officinam apud ciſternã ædificat. & tres cellas cõſtruit Euthymio. Inter eas autem excitat etiam oratorium.adeò vt nullius eorum quę ad vſum pertinebant egeret Euthymius. Agarenorũ vero multitudo,quæ, vt prius dixi, fuit ab ipſo baptizata, ſuauiſsimum fluentum ſemper bibere deſiderans, quod quidem aperte erat lingua Euthymij, non amplius ne minimum quidem ab eo diſcedere ſuſtinebat. ſed vehementer contendebat vt apud ipſum maneret, & delicias & aquam vitæ, nempe eius perciperet orationes. Ille autem ſibi conſeruans indiuulſum bonum quietis & ſilentij, eas quidem non ſinit hic verſari. ſed cum eos alio duxiſſet, & eis templum & tabernacula circumſcripſiſſet (eſt autem locus inter duo monaſteria) iubet vt ea extruant prout ſe habet deſcriptionis figura & magnitudo,& in eis habitent. Quo quidem in loco cum ſibi & domos ædificaſſent,& in eis deinceps perſeueraſſent,aſsidue magnus vẽtitabat Euthymius,& quemadmodum ſe haberent ſemper viſebat. Sciebat enim quãtum ex eo lucrifaceret.nec prius deſtitit hoc facere, donec il-
16 lorum animas purgauit & exercuit, & effecit vt Presbytero 16 ſubeſſent & Diaconis. Quamobrem illic lubenter manſerunt non ij ſoli qui fuerunt priores baptizati: ſed etiam multi alij ex iis qui quotidie ad eum veniebant & baptizabantur.

Vides laicos debere ſubiectos eſſe presbyteris & Diaconis.

Cum ergo vſque adeò multiplicarentur filij Agar,& ad veram traducerentur nobilitatem,& in diuerſas excreſcerent copias,mittit diuinus Euthymius ad Iuuenalem Patriarcham Hieroſolymitanum, poſtulans vt eis

tis ordinaretur Episcopus. Ille verò mittit ad eum Petrum patrem Terebonis, vt qui esset idoneus præesse animabus, & deducere ad salutem. Petrus ergo sic quidem primus ordinatur Episcopus copiarum quæ erant in Palæstina. Saracenorum autem multitudo, non secus ac fluuiorũ fluenta, affluebat perpetuo. & qui nunc accedebant, adiiciebantur prioribus. & ij omnes signati baptismi signaculo, connumerabantur cum grege Christianorum. Sed de his quidem ea quæ dicta sunt sufficiunt. Nobis autem deinceps eo conferenda est oratio, vnde ad hæc dicenda digressi sumus.

Non habebat magnus Euthymius in animo. nec cœnobium, nec omnino lauram in illo loco construere. Propterea quando aliqui ad eum venerant, siue mundo renunciantes, siue aliqua afferentes quæ ad vsum corporis essent necessaria, ab eo rursus transmittebãtur ad beatum Theoctistum. Cum autem iam superne diuina sapienter statueret prouidentia vt hæc habitaretur solitudo. vt quę pulchre sciret id quod erat futurum. nẽpe ꝙ ea res esset futura multis causa salutis, ad eum accedunt quidã numero tres, fratres secundum carnem. qui germina quidem erant Cappadociæ, educati autem in Syria, & in virtute & doctrina se illic exercuerant, Cosmas, Chrysippus, & Gabrielius. Is autem faciens vt consueuerat, nec eos etiam admisit, & ætatem causans iuuenilem, & mutuum naturæ desiderium. quod etiam nouit vt plurimum labefactare constantiam exercitationis, & maximè ꝙ adhuc esset Gabrielius adolescẽs & imberbis. Eos ergo his de causis nolebat omnino admittere. Ea autem nocte venit ad eũ in somnis aliquis, mandans vt & fratres exciperet, Sunt enim, inquit, ab ipso Deo missi. & vt deinceps esset paratus accipere quemlibet accedentem & volentem. Manè ergo cum pulchram illam accepisset fraternitatẽ & cognationẽ vt ei iusserat visio, dicit Cosmæ. is enim erat primus ætate inter fratres. Sic ego quidem feci vt mihi à Deo iussum fuerat, & vos hic introduxi. Nunc autem par est vt tu iuniorem ex fratribus Gabrielium intra cellam contineas, & nequaquã ei exire permittas. Est enim res valde periculosa & insidiosa aliorum oculis muliebris aspectus, qui est adeò læuis & politus. Deinde nonnula quoque ei aperuit ex iis quæ erant euentura. Non arbitror, dicens, te longo tempore hic vitam acturum. sed tibi propediem committetur præfectura ecclesiæ quę est Scythopoli. Sed hęc quidem facta sunt propter eorum susceptionem.

Post eos autem seipsum permisit omnibus ingredi volentibus. & erat ad excipiendum deinceps paratissimus. Nam excipit quidem quendam Domnum ex Antiochena quidem ciuitate profectum, patruelem vero Ioannis qui illi præerat ecclesię. Suscipit autem tres quoque alios, fratres genere, patria Melitenos, consobrinos illius Synodij qui cum Acacio nutrierat Euthymium. Erãt autem eis nomina, Stephanus, Andreas, & Gaianus. Post eos vero Ioannem quoqꝫ ex Raitho Presbyterum. & Anatolium. & Talasium. Deinceps autem Cyrionem quoque quendam ex Tiberiade qui ipse quoque erat Presbyter templi quod Scythopoli martyri positum est Basilio. Cum eos ergo suscepisset, Petrum adhortatur Episcopum, vt eis paruas quasdam cellas construat, & eis templum scite adornet. & sic breui illic Lauram constituit, quæ ea quæ est in Pharam nihilo erat inferior. Deinde verò ipse quoque Iuuenalis Patriarcha, cum sanctum Passarionem qui tunc erat Chorepiscopus, & Hesychium acce-

pisset Presbyterum, accedit ad Lauram, & templũ quod est illic dedicat
17 cum 17 natus esset Euthymius duos & quinquaginta annos. Diaconos quoq; ordinat Domitianum & Domnum, cum iam in Presbyterorum sortem relati essent Ioannes & Cyrion. Propter hæc magnus gaudebat Euthymius, & animi trãquillitate plenam habebat animam. & maxime quod Passarionem cum Patriarcha, & diuinum Hesychium qui in reliquo eorum qui se exercebant choro erant insignes, in Laura degentes cerneret. Sed sanctus quidem Passarion cum nondum septimum mensem ab illo tempore transegisset, è viuis excedit in profunda senectute.

Vides quod ad Epm spectat templa dedicare, & presbyteros atque Diacones ordinare?

Cum hic autẽ magnus & admirabilis Euthymius, & qui cum eo erãt fratres, in illa laura premerentur magna rerum necessariarum inopia, Dei prouidentia non abiecit curam suorum. & manus quæ aperitur & implet omne animal benedictione, admirabili cura tunc quoq; aperta est. Accidit enim vt multitudo Armeniorum quę non erat pauciorum quàm quadringẽtorum numero, ad Iordanem à sancta ciuitate descendens, dextera de via declinaret, perinde ac aliquo eis iter præeunte. & ad Lauram illam accederet. hoc vt arbitror sapienter dispensante & administrante prouidentia, vt magna illius Patris virtus adhuc clarior euaderet. Quos cum magnus ille illuc vidisset diuertisse, vt se à labore itineris aliquantisper recrearent, vocat Domitianum, cui ab eo fuerat credita illius lauræ dispẽsatio. & iubet vt eis mensam apponat. Cum is autem proferret egestatem, & respõdisset se ne vnius quidem diei fratrum habere alimẽtum, ille eo fretus qui viduæ copiosum suppeditauit nutrimentum propter abundantiam bonæ eius voluntatis, iubet Domitianum ire ad arcam panariam. Scies enim, inquit, quid sibi quidem volũt humanæ cogitationes quid autem diuina posit gratia dispensare ac prouidere præter opinionem. Ille vero cũstatim cessisset & accessisset, ò inexplicabilia tua Christe miracula, inuenit diuina quadam & sapiente prouidentia domum pane adeò plenam, vt ne facile quidem esse parum aperire ostium, vt quod prohiberetur propter eã quæ intus erat multitudinem.

Cum ergo alios quoque fratres vocasset, & vnà cum eis ostium euertisset, videt ea quæ erant intus, nempe quandam quæ narrari non potest panũ multitudinem, & magnam quoque vini & olei copiam, & omnino conuenientem Euthymij egregiæ in dando beneficentiæ. Hæc cum vidisset Domitianus, & coniecisset id esse diuinæ gratiæ operationem, procidit ad pedes magni Euthymij, petens ab eos veniam, sordesq; & parcitatem vehementi rependens pœnitentia. Ille aũt cum Domitiano beneuolã & mentem & manum porrexisset, ò fili, inquit, Qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus quoque metet. Qui itaq; accedẽtibus commune tectum præbent & salem, imprudentes sibi potius comparant copiosam suppeditationem. vt qui non tantum dent quantum accipiunt. Quod quidem à vobis quoque est seruandum ò fratres, si Deo estis gratificaturi, & rerum necessariarum vobis benigne suppeditatam copiam consecuturi. Hinc constitit bonorum, vt dicitur, cumulus. cœpitq; prospera & felix esse laura, & eius amplificari multitudo. & deductus est fratrum numerus ad quinguaginta. & vnicuiq; eorum fuit ędificata cella. & quotidie sacra peragebantur mysteria.

Cum autem animo agitaret is cui credita fuerat dispensatio, tantæ fra-

trũ multitudini magno quoq; opus fore ministerio, Lauræ quoq; mulos parauit. Erat autem quidam in ea genere Asianus, nomine Auxentius, qui erat aptus ad seruiendum mulis. Is cum ab hoc Oeconomo rogaretur vt hoc subiret ministerium, differebat & non obediebat. Cum res vero esset necessaria & vtilis, Ioannem quoque secum accipiens & Cyrionẽ Presbyteros Oeconomus, rursus rogabat eum eis Auxẽtium. Cum autem sic quoq; minimè audiret, & iam aduenisset sabbatum, quo tempore licebat magnum conuenire Euthymium, Omnia de Auxentio ei refert Oeconomus. Et ille quidem fratrem statim accersiit: suadet autem vt obediat: & ne sit vsque adeò contumax & inobediens, & propriam sequens voluntatem, & quod est communiter fratribus vtile recusans ministerium. Cũ is autem nec adhortationem, neque talem eius aspectum esset reueritus, sed sic quoque aperte recusaret, & quem non prętextum afferret, vt solam voluntatem in sua esse potestate ostenderet: & nunc quidem causaretur se esse alienigenam nec peritum sermonis illius regionis: Nunc autem carnis insidias & varias maligni artes. ne si forte, inquit, me à vestris oculis remotum inuenerit, supplantet, & exerceat suę opus malitiæ: & præterea ne assuefactus curis & tumultibus, permaneam de cętero discrepans & alienus à quiete & animi tranquillitate. Cum hæc diceret, & animæ damnũ vt quod ad mouendum satis esset proferret, magnus rursus Euthymius, Sed Deum, inquit, rogabimus ò fili, vt propter tuam obediẽtiam à nullo ex iis quæ lœdunt capi possis. Eius enim vox est. Non veni ministrari sed ministrare. &, Non facio voluntatem meam, sed eis qui misit me Patris.

Cum ex his autem adhuc magis irritaretur Auxentius & nequaquam cederet, grauius in eum inuehens diuinus Euthymius, Nos quidem, ò fili, inquit, Quod tibi ipsi quoque esse cõducibile videbatur consuluimus. Tu autem in eadem manens inobedientia, mox scies quisnam sit fructus inobedientiæ. Eorum quę dicta sunt nondum finem fecerat, & agitationem motumq; corporis nescio vndenam passus Auxentius, miser in terram decidit, solis dignus lachrymis propter calamitatem. Qui vero aderant ex fratribus, fractis eorum animis ex eo q; is esset tam misere affectus, rogabant Euthymium, supplicabant, obsecrabant vt iacẽti opem ferret, & qui satis graues pœnas luerat inobedientiæ. Is autem vt erga adeo cõtumacem & inobedientem eis obediret præsto fuit. & cum suis accepisset manibus, adhuc tremebundum facit surgere Auxentium, & pendentem pœnas per omnia ferè membra corporis. Deinde cum etiam veluti quoddam medicamentum 18 crucis signum ei immisisset, soluit hominem ab ea affectione, & eum reddit sanum protinus. Cum itaque ad se rediisset Auxentius, & ei in montem venisset inobedientia, & affectionem quoque intellexisset quæ ei incubuerat, & non ignorasset id esse opus solius inobedientiæ, maiores luebat pœnas à conscientia. & eum vehemens quædam subiit pœnitentia, certe ad pedes quoque procidit Euthymij, partim quidẽ petens veniam eorum quæ fecerat, partim autem in futurum securitatem. Cum is vero ei statim ignouisset (Nam qui vix tandem ad iram conuersus fuerat animus, quemadmodum non erat prompte cursurus ad cõmiserationem, & ei in futurum cauturus per orationem) ille lubẽter prõptoq; & alacri animo suscipit mulorum ministerium. Ita disciplina Domini, vt dicam cum diuina scriptura, & aures aperit. & plane adiicit in-

18 Crucis signo sanat male affectum Auxentium.

telligentiam. & qui deliquerat priusquam deprimeretur humilisq; redderetur inobedientia, post humilitatem ex disciplina acceptam, cognitus fuit promptus ac paratus ad obedientiam.

Hæc mihi narrauit Cyriacus Anachoreta. ille inquam Cyriacus, qui ab ineunte 19 quidem ætate tonsus fuerat in cœnobio Euthymij. postquam autem cum eius successoribus satis longo tempore esset versatus, & ab eis omnem eius exercitationem & vniuersum eius vitæ institutum accurate didicisset, postea in Laura veteris Sucæ septuaginta ferè totis annis se exercuit. omni virtute & honestæ vitæ recte factis illustris. Illud autem ipse quoque mihi narrauit, q duo quidam ex fratribus, Maro & Clematius, asperam illam & difficilem in Laura agendo vitã defessi, inter se conuenerunt vt illinc clanculum effugerent, & se noctu furtim subriperent. Hæc illic quidem inter se loquebantur & apud se cogitabant. Sed qui secreta aperit, & iis qui sunt sibi dedicati dicit per Esiam, Non erit tibi amplius sol in lucem diei: neque ortus lunæ illuminabit tibi noctem. sed erit tibi Dñs lux æterna. ipse hoc quoque suo aperit famulo. Sic autem facit. Silenti enim ac quiescenti aliquando huic magno & admirabili Euthymio, visus est malignus, Maroni & Clematio, tanquam sancti oculis subiectis, frenum iniicere, & eos in laqueum trahere grauissimum. Es vero cum statim coniecisset insidias, accersit fratres Maronem & Clematium, eis suadens. admonens. rogans. docens. differens. prolixam orationem habens de tolerantia. & q vbiq; opus sit diligenti custodia & cautione. Deinde eis etiam Adæ & Iobi exemplum adducens. ex quibus alter quidem in paradiso præceptũ non seruauit alter verò omne genus virtutis ostendit in sterquilinio. Neque hæc prætermittens, q oportet Monachum non admitterre cogitationes quæ à maligno suggeruntur. siue ille tristitiam. siue odium. siue iniustitiam, siue in alium locum migrationem subiiciat. & nec ab initio ei omnino animum adhibere. sed ea tota manu repellere & reiicere. ne forte nos imprudentes per insidias supplantet, & in casum præcipitet lachrymabilem. Si quis autem hic forte non posit virtutẽ exercere, ne existimet si alio transiuerit; id cuius studio tenetur alibi posse facilius & rectius gerere. Non enim ex loci natura, sed ex libero 20 nostri animi instituto boni fit operatio. Contra autem hoc est & periculosum Monachis, & q eos potest reddere imbecillos & virtutũ carentes fructibus. Nam nec planta quidem potest fere fructus quę assidue transplantatur.

19 Vides quod etiam ante pubertatẽ pueri ad religionem tondebantur.

20 Ecce quomodò liberi arbitrij est homo, & ex animi instituto bonum operatur.

Ad maiorem vero fidem eorum quæ dixerat, eis quoque narrabat de quibusdam senibus Ægyptiis. Dicebat ergo fuisse quendam fratrem in Ægypto qui in quodam residebat cœnobio. Is cum ad irã assidue moueretur, efferabatur & cõturbabatur acerbitateq; & indignatione os eius implebatur. Cum eum autem quædam subiisset pœnitentia, q propter hanc iram & facilitatem ad perturbationem secum bellum gereret: & si quid boni iam antè acquisiisset, id quoque perderet, ei persuadet vt recederet à cœnobio, & solus per se quiete viueret, vtpote q solitudo ei multũ conduceret ad tranquillitatem & ad vacuitatem perturbationis. Existimabat enim q si nullus esset cui irasceretur, & in quem vti posset indignatione, omnino sensim extingueretur vehemens ille & qui citissime accenditur ignis iracundiæ: futurusq; esset deinceps mitis & mansuetus & tranquillitate omni plenus & quiete. Cum ille autem hæc apud se esset

ratio-

ratiocinatus, discessit deinceps à cœnobio, & solus vitam egit in quiete & silentio. & cum aliquando propter vsum aliquem aqua implesset poculum, & id humi aliquantisper voluisset deponere, arte quadam maligni id est euersum. Quod quidem cùm non semel, sed bis & ter deinceps factum esset, & iratus est frater. & cum ab iræ impetu victus esset, statim ita vt habebat humi deiecit poculum, & confregit. & sic ab inimico maiori & vehementiori habitus est ludibrio.

Ad hæc ridet quidem Clematius, vt cuius delectatus esset animus lepida narratione. Cum id autē diuinus animaduertisset Euthymius, Nunquid, ait, tu quoque frater, motus es à malo aliquo Dæmone, ꝙ tam inuerecunde rides & tam impudēter. cum oporteret potius deflere eum qui illius admittit suasionem si verum dicit qui tunc noster est iudex futurus, Beatos quidem appellans qui lugent, Qm̄ ipsi quoque, inquit, accipient consolationem. miseros autem eos qui rident, & sibi non adhibent animum? Et alioqui apertæ est inscitiæ, & ꝙ disciplinæ sit ignarus, argumentum, si Monachus loquatur supra modum, aut ad quodlibet moueatur, aut etiam in loquendo nimis profusa vtatur licentia. Patres enim vocant licentiam plane matrem omnium vitiorum. Cum ille sic quidem increpasset Clematium, ingressus est in interiorem cellam. eum verò e uestigio persecuta est vltio. pronusq; in terram cadens agitabatur tremore & horrore. Domitianus autem cum sic iacentem vidisset Clematium, & simul quidem Euthymij mansuetudinem & austeritatem esset admiratus, ꝙ.s. in eo optime essent contemperatæ: & simul etiam misericordia esset ductus eius quod fratri acciderat, congregat aliquos ex patribus qui pro eo essent intercessuri. & eos vnà cū Marone introducit ad Euthymium. Ille autem cū & suapte natura esset propensus ad misericordiam, & illorum intercessionem minimè despiceret, vnà cum eis accedit ad iacentem Clematium. eiusq; horrorem extinguit signo 21 crucis, & statim sistit tremorem. & præbet perfectam ab illa affectione liberationem, attende tibi ipsi dictitans, & noli contemnere patrum doctrinam & admonitionē. sed efficere totus oculus, sicut de Cherubim audiuimus, te ipsum omni ex parte circumspiciens, vt qui semper transeas in medio laqueorum. Hæc cum suasisset & suggessisset Clematio, & eius exemplo alios fecisset cautiores, eum dimittit in pace. Sed hoc quidem est eiusmodi. non minus est autem id quoque quod deinceps sequitur: si non sit multo etiam maius & lepidius.

21 *Signo crucis sanctus pater sistit tremorē clematij.*

Cum magna & Oecumenica synodus Ephesi tunc primum congregaretur, Synodius qui cum Acacio fuerat magister huius magni Euthymij, cum esset adhuc puer, postquam venisset in Palæstinam ad adoranda 22 loca venerabilia, accedit etiam ad Lauram quinquagesimo & & quarto anno ętatis magni Theodosii. partim quidem illum ipsum visurus Euthymium. partim autem suos quoq; consobrinos, Stephanum, Andream, & Gaianum salutaturus. Cū autem vidisset Euthymium, ei quidem narrauit de valde impia hæresi Nestorij, qui impie, ò iustitia & pudor Sacerdotum, paruo tempore præsedit Constantinopoli: & prophanis suis & corruptis dogmatibus totū ferè orbem terrę conturbauit. Exposuit vero ei quoque de Cyrillo Alexandrino, & Acacio Meliteno, quemadmodum acrem & vehementem zelum ostenderent pro fide or-

22 *Nota postquam uenisset in Palæstinam ad adoranda loca uenerabilia.*

thodoxa: & ꝙ Oecumenica synodus esset mox Ephesi congreganda aduersus illum impium. His ergo sic dictis à Synodio, animo lętatus est Euthymius cũ talia audiuisset de Acacio. ad quem ventitabat cum esset puer. & à quo fuit institutus in litteris. Deinde verò cum ei vale dixisset Synodius, discedit è Laura assumens Stephanum consobrinum. & abit in sanctam ciuitatem: & persuadet ei cui commissa fuerat ecclesiæ administratio, vt Stephanum quoq; cooptaret in numerum suorum 23 Diaconorum. Ille autem vnà cum eo ordinat etiam Cosmam Cappadocem. & vtrunq; refert in catalogum chori Diaconorum.

23 *Diaconi duo ordinantur à Patriarcha Hierosolymorum.*

Cùm autem iam vndiq; congregarentur Epi ad Synodum, & illuc quoq; mox conuenturi essent Epi Palęstinæ, iubet magnus Euthymius Petro Epo Saracenorum, vt accederet Cyrillo Alexandriæ & Acacio Melitenes Epis. & quæ eis viderentur se quoque illis assentiri. Ille vero peracta synodo reuersus ad Euthymium, ei omnia sigillatim exponit quę in ea euenerunt, & quonam processerint. Is autem cum & alia didicisset ex iis quæ facta fuerant ab Epis orientis, & ꝙ Ioannes qui præerat Antiochiæ, cum esset Orthodoxus, inductus esset vt eadem sentiret quæ Nestorius, fuit graui tristitia cor eius sauciatum. Eodem modo affectus fuit etiam Domnus illius consobrinus. Rogauit itaq; Euthymium vt ei permitteretur ire Antiochiam, vt auunculum suum qui supplantatus fuerat restitueret, & iam veluti iacentem erigeret. Ille autem cũ præuidisset non futurum illuc tutum aduentum, sed ei potius inutilem & minimè conducibilem. Nequaquam, inquit, ò fili. non oportet te à Laura recedere. Neq; enim ille tua opus habet præsentia. Sed etsi paululum à recta fide, declinauit, Deus tñ qui nouit cor illius recte se habere, ipse ipsum conuertet, & reducet ad id quod bene erit. Et tu 24 quoq; ò fili, siquidem in quo vocatus es loco in eo perpetuo manseris, proficies & gloriam adipisceris, veram inquam gloriam, & quæ ex Deo est, & quæ nunquam excidit. Sin autem his neglectis & tolerantiæ cõtemptis cogitationibus, à Laura tentabis discedere: obtinebis quidem administrationem quam tuus habet auunculus. Sed eam rursus tibi auferent mali homines & præstigiatores, cum ab illis prius seductus fueris ignoratione. Et hæc quidem qui est in sanctis Euthymius.

24 *Vides non debere monachum à religione deficere, & institutum suũ deserere?*

Domnus autem cum hæc mandata non multum curasset, proficiscitur Antiochiam. & nec vale quidem dixit sancto. & nec ei vllo modo suum significauit recessum. Cùm illic vero fuisset, omnia quæ ei prædicta fuerant, effectum sunt sortita. illeq; postea magna ductus pœnitentia ꝙ non obediisset, ad ipsum reuertitur, graui dolore visceribus cruciatus, & acerbe deplorans. Iuuenalis autem Stephanum quidem Melitenum ordinat Ismeniæ Epm. Cosmam vero Cappadocem refert in ordinem Presbyterorum, & ei cruces tradit custodiendas. Hęc autem de eo relata sunt Monacho Cyriaco à familiaribus eius & successoribus. Nobis autem Cyriacus omnia aperuit. ꝙ nemo eum vnquam viderit comedentem nisi sabbato aut die dominico. non cum aliquibus colloquentem, & nullo modo quępiam conuenientem. nisi forte vsus aliquis postularet vt eum conueniret. nunquam super latus cubantem. sed nunc quidem sedentem & parũ oculis conuenientem. Nunc autem funem qui ab aliquo angulo tecti cellę dependebat, ambabus tenentem manibus, & sic somnum aliquem mode-

state gustantem. illud forte magni Arsenij ei dicentem, Adesdum serue nequam. Affirmabant enim eum quoq; fuisse ęmulatorem Arsenij. Arsenij, inquam, qui in patris quibusdam moribus educauit & instituit Arcadiū & Honorium Imperatores. & ideo Patris appellatione à sanctis scilicet patribus est appellatus. postea autem in solitudine Ægypti fuit insignis virtutibus.

Hunc ergo diligenter admodum imitabatur Euthymius. & iis qui ex Ægypto veniebant Monachis, & de illius vitæ instituto aliquid referebant, animum lubenter adhibebat: & suæ animæ quibusdam veluti tabulis bona illius curabat inscribere. illiusq; quietem & humilitatem 25 & eius imitabatur silentium. præterea autem vestitus quoq; humilitatem, & ventris abstinentiam, vigilantemq; & attentum eius animum & sobrium. & illud quod ab eo dicebatur, Arseni cur egressus es? Compunctionem autem q̄uo? lachrymas. nocturnasq; vigilias. illumq; amorem solitudinis & cum nullo conuersationem. & præterea commiserationem. discernendi potestatem. in precatione alacritatem & constantiam. & eius in omnibus insignem fortitudinem? Num autem cum sic illius vitę imitaretur institutum, non etiam fuit dignus illius charismatibus? Aut fuit quidem, sed non paribus? Nequaquam. sed etiam illum re uera superauit in aliquibus. Verūenimuero aliis interim omissis, quemadmodum futura cognouit & prædixit veridice ostendemus.

25 *Considera hic catalogum uirtutum Arsenij & Euthymij.*

Eum videre valde desiderabat Anastasius cuius fidei credita erat custodia sacrorum vasorum sanctæ resurrectionis. eratq; Chorepiscopus. fuitq; simul discipulus & imitator sancti Passarionis. Cū ergo teneretur tanto eius vidēdi desiderio, Phido Ioppes Ep̄o, & Cosmæ cuius munus erat custodire cruces, illam pulchram cōicat cupiditatem. Cumq; eos assumpsisset, quinetiam alium quoq; Phidum Phidi Ep̄i nepotem. erat autem is adhuc ętate iuuenis, & in chorum lectorum cooptatus. qui etiam Cyriaco hæc tradidit & narrauit, cum eis proficiscitur ad magnum Euthymium. Postq̄ autem fuerunt iam prope lauram, ab aliis quidem cum nondum peruenissent ignorabantur. Euthymio vero arcano quodāmodo eos aperuit spiritus. Cū ergo statim vocasset lauræ Oeconomum Chrysippum. Sint, inquit, tibi parata quæ sunt ad accipiendos hospites necessaria. Ecce enim simul cum fratre tuo ad nos venit etiam Patriarcha. Cū autem ipsi iam aduenissent, diuiniore quadam contemplatione magnus correptus Euthymius colloquebatur & disserebat cum Anastasio tanq̄ cum Patriarcha Hierosolymorum. Atq; qui aderant quidem oēs admirabantur. Chrysippus vero ipse quoq; obstupefactus, & ad aurem se inclinans Euthymij. Sed non est apud nos, inquit, Patriarcha ò venerande pater. Hic autem est sacrorum vasorum custos Anastasius. Vides quisnā sit eius vestitus? ostendens eius vestes. eę autem erant splendidæ & sericeæ. quas quidem, inquit, non est fas Hierosolymorum Patriarcham induere. Cū aliquo autem tempore se repressisset senex, & veluti ad se rediisset. Sed mihi crede, fili, inquit. Hunc vidi candida veste indutum, & quali decet indui Patriarcham. & existimo me non esse deceptum. Sed qđ Deus præsciuit id ad finem quoq; deducet. Sunt enim eius charismata minime pœnitenda. Ille ergo hæc quidem dixit multis audientibus. & consecutus fuit rerum euentus.

Terebon ille qui erat genere Saracenus, cum vxore habitans sterili, nō gignebat liberos. quod quidem plane efficiebat vitā ei minime vitalem, eratq; causa doloris minime tolerabilis. Accedit itaq; aliqñ cum vxore ad admirabilem Euthymium. rogans. supplicans. quid non faciens ex iis quę possunt mouere ad misericordiam, vt is ex natura solueretur defectus & ei aperiretur matrix ad pariendum. Ille autem cum ter eis iniecisset

26 signum crucis, 26 & deinde lapideum illum ventrem tetigisset, Abite, inquit, lęti in Dño. Is enim vobis concedit vt cernamini patres trium filiorum. Illi vero in sermone tanq̃ in re ipsa collocantes fiduciam, recesserunt, pleni gaudio. Iam autem partus quoq; tempus aduenerat. & primum quidem parit Petrum quendam patrem Terebonis, qui Euthymij familiaribus hæc vere & aperte narrauit. Cū vero post hæc multum intercessisset temporis, veridicum Euthymij promissum alios quoq; duos fratres præbuit Tereboni.

Crucis signi trina iniectione, & tactu uentris, sterilitatem aufert mulieris, & conceptum præstat.

Frater erat in Laura Romanus genere, nomine Æmilianus. qui bonam vitam exercebat, modestiamq; ac moderationē vel maxime ex ipsa amplectebatur adolescentia. Ei noctu aliqñ, cum esset dies dominicus, inimicus ex carne bellum graue commouit. Cui cum desperasset se posse perpetuo resistere, cessit & succubuit cogitationibus. Cū ita se haberet, & ab ea perturbatione animi obsideretur, mane fit obuius sancto venienti ad synaxim. Ex eo autem quidam teter odor exibat qui grauem illā animi perturbationem illi magno significabat. Cū eum ergo diuinus esset odoratus Euthymius, & cognouisset insidias, increpat malū Dæmonem qui ei exhibebat molestiam. Et statim frater quidem humi iacebat, seipsum conuellens, lacerans, & agitans, & spumam ore expuens. Ad eum autem multi quoq; conuenerunt Monachi. Cū itaq; lumen magnus iussisset afferri Euthymius, propterea q̄ esset locus obscurus & tenebrosus, Videte fratrem ô patres, inquit eis, quemadmodum cū ab ineunte ętate in virtute viueret, & temperantiæ curam ageret, nunc vexetur propterea q̄ parum cesserit impudicis carnis cogitationibus. Efficiamini ergo vos illo meliores. & ex supplicio illius lucrifaciatis. Cæterum Deum, inquit, rogemus vt is à talibus liberetur insidiis. Et ille quidem statim pro fratre est precatus. Locus autem fuit statim totus tetro odore plenus veluti ardentis cuiusdam sulfuris. & tetrum illum odorem vox est consecuta. Ego sum, dicens, spiritus fornicationis. & deinde surrexit frater temperans & sanæ mentis vt q ex illo tpe sit ipse factus, sicut diuinus Apost. vas electionis.

Circa illud autem tempus cum terra laboraret siccitate propterea q̄ non plueret, adeò vt esset quidem cœlum super caput, prout dictum est, ęneum, terra autem subtus ferrea: & quæ erant in laura cisternæ essent intus aridæ & plenæ puluere: valde affictabantur fratres. & cum magno accedentes Theoctisto magnum rogabant Euthymium (sciebant enim quāta eius esset ad Deum fiducia) vt cœlum per preces aperiret, & illinc aquam ad eos deportaret, qui siccitate mirandum in modum laborabāt. Ille autem id non in animum inducebat, eam rem vocans Dei disciplinā

„ & inflammationem inuectam propter peccata. Vię enim tuę, inquit di-
„ uinus Hieremias, & tua studia hæc tibi fecerunt. & propterea forte ne me quidem exaudiet rogantem eius benignitatē. Ne ores enim, inquit rursus
„ idem Propheta, pro hoc populo, & ne roges pro eis. q̄m te non exaudiam.

Et

Et hæc quidem D. Euthymius, differens de eo Deum rogare, propter suã insignem modestiam. Cũ autem intenderetur flagellum, siccitasq; & pluuiæ inualesceret defectus: & deinde etiam vici qui erãt circũcirca grauiori premerentur necessitate: qm̃ erat dies octauus sanctorum Theophaniorũ, & iam aduenerat dies præfinitus quo is exibat in vastam solitudinem, innumerabilis quidem ad eum confluit multitudo, cruces 27 habens in manibus, & Kyrie eleeson. i. Dñe miserere, de more, non ore solum, sed labris quoq; cordis inuocans. Ille autem illorum flexus precibus ad eos egreditur. Mihi quidem, dicens, o filii, nulla est ad Deum certa fiducia & eum libere alloquendi audacia, vt qui sim peccator, & plus q̃ vllus alius eius opus habeam clementia, & maxime tali eius in nos iræ tempore, nimiæ fuerit meæ audaciæ Deo preces offerre, qui, vt ait diuinus Esaias, dat ,, panem afflictionis & aquam angustam. Qui aperiet, & non erit qui oc- ,, cludat. & claudet, & nõ erit qui aperiat. Peccata enim nostra inter ipsum ,, & nos separant. Inquinauimus eius imaginem. templum polluimus. seruimus libidinibus & variis voluptatibus. inuidiæ & auaritiæ hæremus. ei exosi euasimus dum alter alterum odimus. Verumenimuero qm̃ benignus & clemens est nobis Dñs, qui sola indiget occasione, & abũde protinus omnem effundit misericordiam, supplices ei procidamus, & eum vehementer oremus. & scio fore vt nobis ignoscat. & quod suum est faciat. & nobis decernat irrigationem. & nostri paternam curam gerat. Est enim propè Dñs omnibus inuocãtibus eum, inquit diuinus Dauid, in veritate, ,, Eo autem adhuc loquente, illi veluti vna lingua & voce respondentes, ,, Ipse, dixerunt, ora pro nobis o pater. Voluntatem enim eorum qui ipsum timent facere nouit omnino Dominus.

27 *Nota multitudo deferens cruces in manibus, & Kyrie eleison de more pronuncians. Ex quo habes Litaniarũ usum antiquũ esse in Eccl.*

Cum hæc & quæ sunt eiusmodi non posset diuinus despicere Euthymius: & populo quidem præcepisset vt intense orarent, ipse autem assumpsisset ex Monachis eos qui erant præsentes, ingreditur cum ipsis oratorium. cumq; seipsum humi 28 proiecisset, Deum orabat cũ lachrymis. Deus vero exaudiit orationem. statimq; audiebatur quidem sonus vehementis spiritus & aëre implebatur nubibus. & erumpebant tonitrua. vehemensq; magno impetu cadebat pluuia. & affluentibus aquis terra inebriabatur. Cũ ille ergo humo surrexisset, & se turbis ostendisset, Ecce, inquit, Dominus vestris precibus exauditis, visitauit terram sua visitatione: & eius sulcos inebriauit, & vt eam ditaret multiplicauit. Benedicet autem coronam anni huius supra alios. & implebuntur quidem campi pinguedine. pinguefient vero speciosa deserti. & valles multiplicabunt frumentum. & accingentur colles exultatione. Ille autem cũ hæc dixisset, dimittit multitudinem. mox vero secutus quoque est euentus prædictionis. & terra lętata est in suis visceribus germinans. Illa certe vehemens pluuia vsque adeò deorsum cecidit, vt eũ diu prohibuerit quominus secederet in solitudinem. Quid ergo? Hæc'ne sufficiunt ex bonis Euthymij: an piis damnum animis afferemus, si bonorum illius factorũ reliqua prætermiserimus? Sunt ergo illa quoq; narranda, quæ mihi Ioannes, silentiarius, inquam, & Eps. & Thalelęus presbyter. (ij autem adhuc in laura beati Sabæ se exercentes adsunt) tradiderunt

28 *Ecce oratio cum prostratione & lachrymis & eius exauditio.*

Dicebant enim q; & multis aliis & ipsi quoq; diuino patri Sabæ hic vir admirabilis fuit admirationi: q. s. cũ tanta esset eius moderatio & le-

nitas, pro rectis ecclesiæ dogmatibus tantum zelum attulerit, vt idem re uera esset mitis & pugnator. & vt semel dicam, aduersus omnes quidem qui non recte sentiunt magno erat & ardenti zelo. maximè autem Manichęos, & eos qui nugas tuentur Origenis. Qui cũ multi tunc essent in locis quæ sunt circa Cæsaream, & ad ipsum etiam venirent pietatis prætextu, erat tanq̃ leo aduersus vulpes, sermone inexpugnabilis, & qui sustineri non poterat. quæ ex diuinis scripturis sumebantur demonstrationibus, eos validè comprimens & suffocans. & vt ait Hieremias, vt ipsi ex gloriatione afficerentur pudore efficiens. quę apud eos fabulis iactatur præexistentiam & restitutionem omnibus viribus euertens & deprimẽs. Quinetiã aduersus eos q Arrij & Sabellij laborabant insania, ingẽtis erat spiritus, & eos, vt ait Propheta, perfecto persequebatur odio. Septuagesimo autem & quinto anno ętatis magni Euthymij congregata fuit Synodus Chalcedone. In quam oẽs ferè totius orbis terrarum vndiq; conuenerunt Pontifices. Eos enim ad conueniendum vocabant, quæ Ephesi scilicet innouata fuerant, à Dioscoro, inquam, Alexandrino, quem simul cum iis qui illius tuebantur dogmata, è sacris eiiciunt catalogis. & accuratum fidei decretum exposuerunt. Ei autem synodo insignis quoq; Euthymij discipuli intererant, Stephanus Iamneę, & Ioannes Eps Saracenorum. cũ Petrus quidem iam è vita excessisset: qui cum autem secutus est Auxolaus Dioscoro accessisset, & ideo magno, proh dolor, Euthymio inuisus vitam finiisset. Ii ergo, Stephanus s. & Ioannes cũ synodo interessent, q̃m fidei decretum iam erat mandatum litteris, id statim arripiẽtes, q̃ potuerunt celerrime accedunt ad Euthymium. Quanam de causa? Volentes scire an ipse quoq; consentiret iis quæ scripta fuerant. Non mediocriter enim eos terrebat id quod Auxolao acciderat. neque sciebant an assentirentur an differrent. prius q̃ scirent illius sententiam. Postquam aũt ille legisset, & quę scripta erãt recte se habere inuenisset, & concinere rectę regulæ veritatis, peruasit repente fama totam solitudinem, q magnus quoq; Euthymius sequatur synodum Chalcedonensem.

Hoc autem omnes propemodum Monachos ad eam attraxisset, nisi quidam Theodosius, habitu quidem Monachus, moribus vero præstigiator importunissimus, & mente corruptissimus, veniens in Palæstinã, cum de dicta synodo quædam improbe confinxisset, q euerteret quidem dogma rectę fidei, introduceret autem vel potius reuocaret dogmata Nestorij, cepit Eudoxiam quæ tunc versabatur in Palæstina: & per ipsam induxit omnes Monachos, & deinde etiam sedem Hierosolymitanam inuerecunde, o iustitia, & impudẽter inuadit. & cum ex potestate accepisset facultatem, bellum gerit aduersus diuinos canones & leges. hincq; factũ est vt homines probi & moderati à sedibus & sacris expellerentur: & nõnulli etiam ab eo interimerentur, & manus sceleratas Pontificũ sanguine proh dolor pollueret. malefici autem & præstigiatores & pestes, & carceribus potius digni q̃ sedibus, sacrorum interpretes crearentur & Sacerdotes, & apud hũc sceleratum & exitiosum hominem magnam assequerentur potentiam. Cum vero ipsi sic haberet omnes Monachos à se pendentes, & eos duceret quo vellet, ij soli qui erant magni sectatores Euthymij, 29 fugiebant eius communionem tanquam aliquod scelus & piaculum. Q̃m autem eum quoque tentabat impius Theodosius, & ad se ac-

29 *Sancti uiri semper hæreticos oẽs auersati sunt.*

cerſebat, illo ne ipſius quidem ſermonem audire ſuſtinente, rurſus ad eum mittit legationem. Elpidium & Gerōtium. quorum vnus quidem magni Paſſarionis, alter autem beatæ Melanes erat ſucceſſor, rogantes vt ſi ad ipſum nollet venire, conuenirent tamen vterq; in locum aliquem, & de iis quæ vterq; haberet inter ſe diſſererent. Ille verò ad hæc grauiter exclamans, Abſit, inquit, vt aut iniuſte fuſo ſanguini Sacerdotum, aut hæreſi communicem 30 cum Theodoſio. Illi autem, Sed neceſſe eſt, inquiunt, vt tu communices Neſtorio, quoniam & is duas tuetur naturas. quod quidem ne in hodiernum quidem diem ab aliquo accepimus. & eum ſecuta eſt Chalcedonenſis ſynodus.

30 Exemplo ſancti uiri habes non eſſe cum hereticis communicandum.

Magnus autem reſpondens Euthymius. Quæ ab ea quidem ſynodo ſunt ſtatuta, nondum, inquit ſigillatim cōſideraui omnia. ſed quod attinet ad decretum ab eis expoſitum, non poſſum ea quæ illi viſa ſunt reprehēdere. Statuit enim ipſa quoque ſequi ſententiam trecentorum 31 decem & octo ſanctorum patrum qui Niceæ conuenerunt. & ſuadet amplecti ſynodum centum & quinquaginta patrum qui congregati fuerunt Conſtantinopoli. & iubet eos ſequi qui Epheſi conuenerunt aduerſus impium Neſtorium. Cyrillum autem Alexandriæ Epiſcopum ſibi adiungit tanq; qui ſit eiuſdem ſententiæ: & rectæ ſententiæ fatetur eſſe magiſtrum. Deiparam ſanctam virginem libera lingua nominat. & vnigenitum Dei filium ex ea natum eſſe aſſerit. ſine tempore quidē & ſine corpore ex patre. in tempore autem & ſecundum carnem ex matre. Vnum Chriſtum qui à nobis inconfuſe, immutabiliter, citra diuiſionem in duabus naturis cognoſcitur. & propter eos qui audent quandam inducere diuiſionem in inexplicabili & arcana vnione quæ in hypoſtaſi ſeu perſona facta eſt in vtero. & eos qui per conuerſionem dicunt carnem factam eſſe Dei Verbum: & vnigeniti carnem aſſerunt eſſe eiuſdem eſſentiæ cum diuinitate. & alioqui propter eos qui non confitentur verbi factam eſſe carni vnionem in hypoſtaſi, ſed per confuſionem, & coaleſcentiam. & deinde etiam συνουσίωσιν, hoc eſt ſimul iunctam eſſentiam, impie & prodigioſe affirmant, qui quidem diuinitatis & carnis dicunt vnam fuiſſe naturam. adeo vt ſi ea ſpectentur quæ ab illis dicta ſunt præter rationem, non poſſit ſeruari id quod eſt Chriſti patibile, propter diuinitatis impatibilitatem. neq; id quod eſt impatibile, propter patibilitatem ipſius humanitatis. Conuenienter ergo inſtituto huius rectæ ſententiæ, illud In duabus naturis, decreto additum eſt à ſynodo. nō tanquam ſeorſum & per partes Chriſtum diuidens, ſed eundem in vtroq; confitens. & vtrunq; in eodem.

31 Vides quomodo ſancti uiri nulla in re à catholica eccl. ſeparantur, q̃ ibi eſt ubi quatuor principales ſynodi nominantur, & habentur in ueneratione.

Hæc perſequente Euthymio laudabat quidem Elpidius, & fatebatur recte habere quæ dicta fuerant, etiamſi non receſſerit a cōmunione Theodoſii. & ſtatim oſtendit mutationem. Gerontius autem manebat in eadē ſententia. & ſic reuerſi minime inter ſe conſentientes, Theodoſio reſponſa annunciant. Cum ille vero hæc audiſſet, qm̄ in Palæſtina iam omnia obtinebat, maius ſtudium adhibebat vt eum in ſuam naſſam traheret. magnoq; Euthymio aſſidue tendebat laqueos & eum ineſcabat. & quotidie aliquos ad eum mittebat qui bona. ſ. ſuaderent & vtilia, nempe vt diſcederet ab iis quæ recte & pie ſibi viſa fuerant: Theodoſio autem aſſentiretur, & amplecteretur illius communionem. Ille vero q; ij quotidie venirent ægreferens, quid facit? Cum qui ſub ipſo erant omnes fratres conuo-

casset, & eis præcepisset vt diligenter cauerent, vt nullo modo cederent nec assentirentur malæ Theodosii sententiæ: sed potius ora obstruerēt eorum qui sic sentiunt, & pro viribus deducerent ad veritatem: nunc quoq; recedit in vastam solitudinem. cum effecisset vt multi quoque alij imitarentur eius secessum. Erat autem illic quidem magnus Anachoreta, qui nuper quidem venerat è Lycia, vocabatur vero Gerasimus. qui cum oē vitæ institutū quod Monachos decet, in patria ostendisset, multos quoq; passus erat sudores aduersus spiritus nequitiæ. Is ergo cum pulchre exerceretur in ea quæ est ad Iordanem solitudine, & sæpe Dæmones percuteret, pulsatur ipse quoque vel potius supplantatur ab eorum improbitate, & abducitur ab Hęreticis. Cum autem ab omnibus ferè Anachoretis audiret de Euthymio iisq; quæ de eo sermone celebrabantur aures haberet oppletas, aliquando ad eum venit in Rubã. cumq; cum eo diu esset versatus, & illius linguæ bibisset fluentum suauissimum, veluti quendã morbum euomit hæresim, & ad sanam fidem reuertitur. quod deceptus esset magna ductus pœnitentia, & cor vanis corruptum sermonibus doloris stimulo castigans & puniens. Hunc autem ipsum alij quoque consecuti sunt Anachoretæ, Petrus cognomine Gurnitis. & Marcus. & Iulon. & Siluanus. & ipsi quoque Theodosii noxiam sectabãtur communionem.

Cum autem secundus pòst hęc annus intercessisset, ex hominibus quidem excedit Theodosius. à Ruban vero ad lauram redit magnus Euthymius. & aliquando quidem vno sabbatorum, ille quidem Deo ministrabat, & ei incruentum obtulit 32 sacrificium. Domitianus autem adstabat ad dexteram cum mystico illo ventilabro, cũ iam esset peragenda ter sancti glorificatio. Terebonq; Saracenus. & Chrysippi frater Gabrielius. alter quidem propè, alter verò stans intra aram, ò magnam Christe tuam in Euthymium gratiam, vident ignem veluti in quodam diffusum linteo desuper descēdentem. quinetiam ipsum magnum Euthymium, & cum eo Domitianum intus complexum, sic circa ipsos permansisse ab initio ter Sancti vsque ad completum sacrum ministerium. Terebonem autem ait metu correptum & exterritum ab ara recessisse: & nõ amplius audacter & temere esse ingressum adyta: sed in templi constitisse vestibulo cum magna in synaxi reuerentia. vt mihi postea narrauit Cyriacus Anachoreta. qui hæc audierat à Terebone & Gabrielio qui viderant. Non hoc autem solum, sed hæc quoq; mihi retulit de Gabrielio, q esset quidem natura Eunuchus. post viginti vero & quinque annos accedebat tũc primũ ad synaxim fratrum. Præterea hoc quoque mihi renunciatum est à Patribus, à Deo datum esse Euthymio, vt internos animi motus ex externo aspectu veluti per quoddam speculum intelligeret, & accurate cognosceret, & cum quibusnam decertaret cogitationibus: & quasnam quidem superaret, à quibusnam autem maligni instinctu superaretur.

32 *Nota Missam uocari sacrificium, incruentum uero respectu eius quod in ara Crucis oblatum est.*

Aiunt vero eum quoq; aliqñ dixisse quibusdam fratribus qui cum eo seorsum versabantur, q sæpe videret terribilem Angelorũ visionem vna secum Deo ministrantem & sacra contrectantem. & q in Dominici corporis sumptione, aliquos quidem ex iis qui accedebant videret ab ipsa illuminari. aliquos autem veluti obscurari & morte affici. quicunq; s erant indigni ea luce & splendore. Quamobrē non cessabat testificari fratribus, & illud Apostoli optime admonere, vt vnusquisq; attendat & seipsum

probet.

probet. & sic cum tremore sumat panem & calicem. cum bene sciat is qui accedit ꝙ iudicium sibi comedit & bibit, qui ea indigne sumit. Propterea enim statim quoque cum hoc primum offert Sacerdos 33 sacrificium, multitudinem veluti præmunit & iubet vt caueat, Sursum habeamus corda, eis acclamans. & cum ab illis promissum acceperit, sic audet deinceps offerre oblationem. Qua etiam perfecta, ille etiam rursus manus in cœlum tollens, & ostendens, esse dispensatum pro nostra salute mysteriũ, clara voce sic dicit. Sancta sanctis. perinde acsi dixerit quispiam. Quãdoquidem ego sum homo æque ac vos patibilis, ignorans quemadmodum vnusquisq; vixerit, propterea hoc antè aperte testificor, & hanc communem probationem vestræ suggero conscientiæ. Si 34 quis captus fuit ab odio & iniuriæ acceptę recordatione. Si quis ab inuidia aut ira aut superbia: Si quis à maledicto, aut à turpi sermone, aut ab improba cupiditate, aut ab aliquo alio vitio fuit comprehensus, ne prius accedat ꝙ̃ per pœnitentiam à scelere fuerit expiatus. Hæc enim sancta, inquit, non prophanis sed sanctis exhibentur. Quicunq; ergo vestræ confiditis conscientiæ, ad eũ accedite, & illuminemini. & vestri vultus nequaquam pudore afficiãtur. Sed nescio quomodo dulcedo doctrinę Euthymij me vel nolentem assumens, præcedentium abrupit conseqentiam, & vt induceretur perturbatio propemodum effecit. Necesse est ergo vt vos narrationem reuocetis rursus in memoriam.

33 Cum hoc primum offert sacerdos sacrificium. Sacrificiũ missam intelligit.

34 O' hæretice uide nũ ad dignam sumptionem sanctissimæ Eucharistiæ sufficiat sola fides, an opus sit etiam munda conscientia.

Capta ergo fuit, vt iam antè ostendimus, improbi Theodosii laqueis beata Eudocia, & à catholica communione seiuncta. & de cætero toto studio contendebat aduersus Orthodoxos. Induxit autem omnes quoq; Monachos qui habitabant in solitudine & in sancta ciuitate, & persuasit vt eadem quæ illa tuerentur & probarent. Postquam vero iustitia aggressa est Theodosium, & ille quidem procul abest, Iuuenalis autẽ suam sedem recipit: & ea dissoluuntur quæ ecclesiis afferebant molestiam, Valerij fratris & Olybrij generi sæpe mittũtur litteræ ad Imperatricem hac de causa, vt Eutychianistarum relicta communione sequatur ea quæ decreta fuerunt ab ecclesia catholica. Illa autem primum quidem cunctabatur & differebat mutationem: neque sciebat quemadmodum dimitteret ea quæ sibi visa fuerant. Postquam vero intellexisset suum generum fuisse in Thracia interemptum, filiamq; & filios esse in potestate hostium, & captiuos abduci Carthaginem: corde valde sauciata, & rerum charissimarum amissione ea esse repensa arbitrata, inuenit calamitatem magistram eius quod recte habet. Ipsa enim, inquit, tua disciplina me docebit. & ad rectam & veram fidem per illam deducta, statuit deinceps viris diuinis vacare, ab eis instructa, & vtens ducibus ad salutem. Et ideo Anastasium Chorepiscopum cum quibusdam aliis qui ei inseruiebant mittit Antiochiam ad Symeonem κιονίτην, idest in columna habitantem, qui erat multo altius sublatus virtute ꝙ̃ columna, & verè totius orbis miraculum. ei scopum cordis per litteras. significãs rogansq; vt ab illlo rursus acciperet quænam sua esset sententia. Quidnam autem respondit? Scias, inquit, ꝙ malignus videns opes tuarum virtutum, expetiuit te vt cribraret sicut triticum: & per pestiferum illum Theodosium piam ac religiosam tuam corrupit animam. Sed esto bono animo. Non enim defecit fides tua. Mihi autem succurrit hoc valde admirari, ꝙ cum sit tibi fons pro-

pinquus, ipsum quidem despicis, procul vero quæris eandem aquam haurire. Habes autem diuinum Euthymium, cuius sequens doctrinam, non aberrabis à salute.

His auditis non fuit negligens Eudocia, neque supina in boni inquisitione. Sed cum statim de viro inquisiisset, & intellexisset ei esse prohibitũ ad ciuitatem aliquam accedere, turrem in solitudine quæ vergit ad Oriẽtem in altissimo ædificat promontorio, quod non plusq̃ triginta stadia distat à laura. Et illa quidem in eam ascendit, vt nullo prohibente frueretur ad satietatem doctrina Euthymij. Statim autem mittit ad eum quærendum Cosmam crucis custodem, & qui à me superius dictus est Anastasiũ Chorepiscopum. Illi autem eum ardenti mandato æque vehemens ad parendum studium attulissent, in Lauram quidem protinus perueniunt. Cum verò accepissent eum non adesse, sed iam diu antè transiisse ad Ruban, ne sic quidem à cepto destiterunt. sed cum simul beatum accepissent Theoctistum, ad eum abeunt. & eum vehementer simul orant & obsecrant. & tandem persuadent vt ad turrim veniat. Vbi nunc est ædificatũ Scholarij monasterium. Cum eum autem vidisset Imperatrix Eudocia, non leuiter aspexit, sed vt qui æstate aquam sitit. & ad illius 35 pedes præ gaudio procidens, Nunc cognoui, inquit, q̃ Deus me visitauit. Ille autem cum eam solita impertiisset benedictione. Sed oportet, inquit, ô filia, te tibi deinceps attendere, & in futurum diligenter cauere. Nam qm̃ vel parum abducta fuisti vnà cum Theodosio, propterea tibi molesta euenerunt in rebus charissimis Sed vt per totam vitam abstineas ab hac à ratione aliena contentione, oportet te præter tres 36 sanctas & Oecumenicas synodos, nempe Nicenam quæ conuenit aduersus Arrium, & Constantinopolitanam quæ ipsa quoque congregata fuit aduersus Macedonium, & Ephesinam prius aduersus Nestorium, accipere etiam decretum quod fuit editum ab ea quæ nunc fuit congregata Calcedone. & cum te separaris à communione Dioscori, Iuuenali Hierosolymitano Archiepiscopo omnino communicare, & cum eo omnino consentire.

35 Vides sacerdotes esse Imperatoribus superiores, cum hic imperatrix prosternat se ad pedes pauperculi sacerdotis, & illic ei benedicat?

36 Ecce quomodo uerũ christianum oportet sanctas quatuor principales synodos recipere.

Cum hæc quidem dixisset, & precatus esset pro Imperatrice, & deinde ei vale dixisset, recedit. Illa autem statim re ipsa est executa, ea quæ mandata fuerant. sanctamq̃ ingressa ciuitatem, Iuuenali & catholicæ communicat ecclesiæ. magnamq̃ & frequentem inducit multitudinem Monachorum & Laicorum. vt quę sicut dissensionis, ita etiam communionis optimum fuit exemplum. Quorum fuit etiam vnus Archimandrita Elpidius. Nam Gerontius cum in malo maluisset consenescere, non sibi solum sed multis quoque aliis fuit causa interitus. Cui viam similem & similiter ducentem ad exitium duo quidem ingressi sunt Elpidij conuentus Marcianus & Romanus. & cõstruxit vterq̃ monasteria. Vnus quidem circa sanctam Bethleem. alter verò in vico Theocorum. Et beata quidem Eudocia accersit è laura fratres custodis crucis, nempe Chrysippũ & Gabrielium. & efficit vt ordinẽtur Presbyteri. Et Chrysippus quidem cum fuisset in Presbyteratu insignes, reliquit scripta digna quę mandentur memoriæ. Gabrielio aũt committit præfecturam monasterij Stephani Protomar. Bassa aũt pia et Dei amans cum Andreã fratrem Stephani Iamneæ Epi è laura accersiuisset, eum Pastorem efficit & Pręfectũ monasterij quod ab ea fuerat ædificatum. ędificatum aũt fuerat in noĩe Menæ mart.

Octogesimo vero & secundo anno ætatis Euthymij accedit beatus Sabas, cum adhuc esset iuuenis, & nec barbę quidem primam haberet lanuginem quæ genas contegeret. rogatq; vt sub eo maneret, & sub eo se in virtute exerceret. Ille autem primum quidem accipit. Domitiano vero tradit Discipulo. Deinde cum eum accessisset, Nō oportet ò fili, inquit, te cum sis adeò iuuenis & imberbis in Laura versari. Magis enim expedit vt qui tales sunt vitam degant in cœnobio. Cum hęc dixisset, per quendā ex fratribus eum transmittit ad beatum Theoctistum, dicēs, Accipe adolescentem. & diligēter sub te simul exerceatur & educetur. Nam vt mihi videtur, in exercitationis instituto & in rectis factis erit insignis. Atque ille quidem hæc de Saba prædixit. prædictionem autem congruens quoque consecutus est exitus. Non est enim nunc, non est, non vrbs, non regio. non solitudo, in qua illius diuini viri res non celebrentur, & simul ei qui dicit & iis qui audiunt voluptatem afferant. Quorum quidem non par est in transitu meminisse inter res gestas Euthymij. Sed si Deo placuerit, De iis opus integrum conscribemus quandoquidem nequepium est, neq; sanctum, gentilium quidem vitam apud externos columnis honorari & scriptis. Nos autem tam præclara facta virtutis digna iudicare silentio. & æterna damnare obliuione. Oportet autem etiam de magno tractare Gerasmio, & quales ipse dederit 37 regulas & formas iis qui sub ipso exercebantur: & veluti condimentum, adtexere narrationem, quæ magnam vtique habet vtilitatem.

37 *Nota quod etiam antiqui monachi habuerunt regulas & cōstitutiones viuēdi. Quare vide has mirabiles nunc patris Gerasimi.*

Hic ergo magnus Gerasmius, qui Iordanis solitudinis ciuis simul fuit & patronus, cum maximam illic Lauram quæ non pauciores q̄ septuaginta Anachoretas habebat construxisset: & præterea cœnobium in medio eius optime collocasset, curabat vt qui introducebātur quidem Monachi manerent in cœnobio, & vitam monasticam exercerēt. Qui autem crebris & longis se laboribus exercuerant, & ad perfectionis mensuras iā peruenerant, eos in iis quæ vocantur cellis collocans, sub hac iubebat viuere regula, vt quinque diem dies hebdomadæ vnusquisq; in sua cella sileret, nihil gustans quod esset esculentum nisi 38 panem & aquā & dactylos. Sabbato autem & dominica venientes in ecclesiam cum participarint sanctificata, cocto vterentur in cœnobio, & sumerent parum vini. In cella vero nulli permittebatur aut ignem accendere, aut coctum gustare. Nihil autem 39 possidere tantæ erat eis curæ quantæ nihil aliud. & humilitate maxime ornabantur. Vnusquisq; vero laborem suarum manuum qui per hebdomadem ab eis factus fuerat, sabbato ferens in cœnobium, circa crepusculum Dominicæ, hebdomadę sumptus rursus accipiens, panes inquam & dactylos & aquam in vase aliquo & palmas, rursus redibat in cellam. Erant autem adeo remoti ab omni sollicitudine, & à negotiis humanis ita disiuncti, vt nihil haberent pręter ea quibus induebantur, adeò vt 40 non esset secundus amictus. Stratum autē quid erant aliud quam storea? & quæ solent appellare centonium & embrymium. & vas fictile ad aquam. quod quidem simul sufficiebat ad potum & ad palmas irrigandas.

38 *Ecce miram abstinētiam. Panis, aqua & dactyli erant p̄ cibo & potu.*

39 *Ecce & paupertatē summam cum humilitate, & opere manuum.*

40 *Ecce denique parcitatem & tenuitatē vestitus.*

Hæc lex autem eis est optime tradita à Gerasmio, vt exeuntes cellas dimitterēt apertas, vt liceret ei qui vellet, ingredi, & quod vellet accipere. ex illis vilibus & ad vsum necessariis, nemine prohibente. quinetiam ipsi

quoque cernerentur viuentes Apostolice. & esset eorum quoque qui habitabant in solitudine eis consimiliter cor & anima vna.q̃nquidem nemo ex iis quę habebat iudicabat esse aliquid proprium. sed omnia eis ex ęquo esse communia. Porro autem hoc quoque dicitur de Anachoretis, ꝙ cum quidam ad eum accessissent, & peterent vt sibi liceret aquam calefacere, & coctum sumere, & ad lucernam legere, magnum respõdentem Gerasimum dixisse. Si sic vultis viuere: multo magis expedit vt vos viuatis in Cœnobio. Ego enim nequaquam permittam toto meæ vitę tempore hoc fieri apud Anachoretas. Adeò vt cum Hierachumtini audirẽt eorum qui erant apud Gerasimum esse adeo arctum & omnis solatij expers vitę institutum, esseq́ꝫ admodum asperum & violentum, hanc sibi legẽ tulerint, vt Sabbato & die Dominico ad eos abirent, & eis non modicam afferrent consolationem. Sed hoc quidem est laus Hierichũtinorum, & euidẽs argumentum animarum virtutis amantium.

Cum autem multi ex iis qui sub hoc magno Gerasimo erant decertatoribus, viderent multos mũdanos cum hoc proposito & scopo ad se venientes, tantum abest vt eis gratus & iucundus esset eorum aduentus, vt nec eos quidem in regione omnino videre aut tolerare possent. sed potius vt valde læsuros eos fugerent & declinarent. Illi enim pulchre sciebant, perfecte temperantiæ matrem esse abstinentiam. 41 vt quæ possit & turpes expellere cogitationes, & somni leuare grauitatem. Vt qui non solum verbis sed etiam factis hoc à patre optime didicissent. Hi enim illum dicebant tanti fecisse abstinentiã, vt quadraginta ieiunij dies ieiunus transigeret, contentus sola sacramentorum participatione. Cum sic vixisset Gerasmius, & iis qui sub eo erant fuisset exemplar virtutis & occasio salutis, communis aduenit finis, quinto mensis Martij, indictione tertiadecima, in consulatu Zenonis Augusti secundo. Nobis autem rursus redeũdum est vnde digressi sumus.

41 *Vide quã abstinẽtes fuerint Gerasmij Anachoretæ, & q̃ sit huius uirtutis utilitas. Et quale fuerit huius patris ieiuniũ quadragenarium.*

Cum iam tunc Leo pius & Christi amans Marciani succesisset imperio. Timotheus quidam cognomine Elurus, totam concutiebat & cõturbabat Alexandriam. Deinde autem cum ipsum quoque Patriarcham ciuitatis, ò iniquas & impias manus, in diuini baptismatis piscina interfecisset, sedem audacter & impudenter inuadit. Cum ergo in Ægypto oĩa essent plena turba & tumultu, duo quidam Anachoretæ, quibus nomen erat Martyrius & Elias. vnus quidem Cappadox. alter vero Arabs, profecti ex monte Netriæ, ad magnum illum veniunt Euthymium. & vnusquisq; eorum in cella separata apud ipsum longo tẽpore sunt versati. quos quidem hic vir diuinus amplectebatur lege amicitiæ. & assidue inuitabat ad collocutionem. & ad Cutilã & Ruban secessus & descensus eos quoq; similiter faciebat participes. Cum quibus & vnà cum Gerasimo & aliis deinceps Anachoretis sanctæ illæ manus vnaquaque dominica intemerata sumebant sacramenta. Præuidit autem magnus Euthymius perspicaci oculo animæ ea quæ erant euentura Martyrio & Eliæ. nempe fore vt Iacobi, qui clarus erat choro Discipulorum, vnusquisque eorum sedis sit successor futurus.

Post hæc vero Elias quidem cum descendisset in Hiericho, ędificat sibi cellam ante ciuitatem. quæ accessionibus ab eo factis paulatim dilatata, transmutata est in ea quæ nunc cernuntur monasteria. Martyrius autem spe-

ſpeluncam quandam ad Occidentē, quæ quindecim ſtadiis diſtat à Laura, ingreditur. & cum ſatis temporis in ea permanſiſſet, magnum quoddā & inſigne is illic quoque conſtruit monaſterium. Sequenti autem anno: Iuuenalis quidem Patriarcha quartodecimo anno eius patriarchatus ex hac vita excedit. Anaſtaſius vero communi omnium ſuffragio ad ſedem illius promouetur. de quo Euthymij fuerant prædictiones. & de eo veræ promiſsiones, Quarum is ſtatim recordatus, Phidum, qui in Lauram cū ipſo acceſſerat, & illas audiuerat prędictiones, ordinat Diaconum & rurſus ad magnum illum mittit Euthymiū vnà cum cuſtode crucis, & prophecię ſignificans euentum. & rogans vt ſibi permitteretur ad eum deſcendere. Is autem dat hæc reſponſa. Ego quidem ſemper deſidero veſtrā videre perfectionem, & ſic lucrum conſequi ſpiritale. Sed prior quidem veſter aduentus erat ab omni turba remotus, & ſeparatus ab omnibus negotiis. Nūc autem veſtri magiſtratus magnitudo dat vobis alium locum & ordinem Deo ita volente. Quamobrem longè meam ſuperat imbecillitatem veſtra. ſ. præſentia. Rogo ergo te ne amplius vexeris huc iter ſuſcipiendo. Sin minus: ego quidem te venientem prompto & alacri animi ſtudio accipiam. & deinde neceſſe erit vt nō poſsim alios amplius repellere. nec potero deinceps amplius hic verſari. vt qui ab eorum qui accedunt ſim opprimendus multitudine. Sed quæ ad magnum quidem ſpectant Patriarcham, ſic habent. Vult autem nunc oratio vt reuertamur ad Terebonem.

Hic ergo Terebon Præfectus Saracenorum cum aliqua de cauſa veniſſet Boſtras, & à quodam ſuo Collega per calumniam eſſet accuſatus, ab eo cui commiſſa fuerat regionis adminiſtratio, comprehenſus fuit & coniectus in carcerem, in quo habitare fuit longo quod interceſsit tempore cōdemnatus. Cum autem Sycophantiæ actum magnus cognouiſſet Euthymius, ſcribit ad Antipatrum qui tūc regebat eccleſiam Boſtrenorum. vnà cum litteris mittens Gaianum fratrem Stephani Epiſcopi Iamneæ. vt omnem adhiberent diligentiam vt Terebō liberaretur à vinculis. Ille verò cum accepiſſet litteras, & excepiſſe Gaianum, & liberaſſet quidem Terebonem ab omni accuſatione, & ſumptum quo erat ei opus ad iter cōficiendum ei ſuppeditaſſet, ad magnum mittit Euthymium. Gaianum autem veluti quaſdam ſcintillas virtutis Euthymij ſtatuit retinere. eumq́ Medaborum ordinat Epiſcopum.

Beata autem Eudocia cum q́ plurima 42 templa Deo ædificaſſet, Gerocomiaq́ & Ptochotrophia. & monaſteria quæ ne facile quidem poſſunt numerari, pie conſtruxiſſet, iuſsit in quodam ex iis templis quæ erant ab ea ędificata, quod eſt ſacrum Petro principi Apoſtolorum, ſitum autem eſtè regione lauræ Euthymij, non diſtans minus q́ viginti ſtadia, ciſternam valde profundam ſimul & latam fodere, gratia alicuius vſus neceſſarij: Cum autem aliq̄n veniſſet ad eam ſpectandam, videt lauram Euthymij poſitam in media ſolitudine. & quemadmodum cellę fratrum erant à ſe inuicem ſeiunctæ. & cum illud ſcripturę apud ſe cogitaſſet. Quā pulchri ſunt pedes Iacob. tarbernacula Iſraël, & ex eo anima eſſet valde compuncta, ad eum ſtatim mittit Gabrielium, rogans vt ſibi permitteretur ad eum accedere, & frui illius ſermone & doctrina. & ſimul etiam Laurę eiq́ dare redditus habebat in animo. Cauſa autem erat vt fratribus

42 *Cōmendatur Eudocia ex templorum, hoſpitalium & monaſteriorum cōſtructione. Ergo eſt opus Deo gratum & acceptum.*

daretur de cætero sufficiens necessariarum rerum suppeditatio. Ille vero eam sic prius compellat. Cum tuus decessus sit in foribus, cur sollicita es ò filia, & distraheris circa plurima? Illa sint tibi solum parata quæ pertinent ad excessum ex hac vita. Nostri autem ne memineris quantum ad redditus & pecunias. sed communis Domini memineris. apud quem rogamus vt tu nostri potius recorderis.

His illa auditis, his duabus affectionibus bifariam diuisum habuit animum, admiratione & animi ægritudine. illud quidem magni Euthymij tribuens præscientiæ. & quemadmodum quod ipsa de ipso animo agitabat, ille longo antè spatio intelligat. hoc autem, propterea quòd ipsa à sua spe excidisset. Volebat enim ei pecunias relinquere & redditus, vt diximus. Hinc vero venit ad sanctam ciuitatem. & cum Anastasium accersiuisset Patriarcham, & ei exposuisset quæ à diuino audiisset Euthymio, ea fecit quæ illi priori cogitationi respondebant & erant planè fraterna. Et primũ quidem 43 Stephani Protomartyris Christi templum quod nondum erat plene constructum dedicat quintodecimo mensis Ianuarij. Deinde cũ ei etiam multum tribuisset reditum, & eius curam dedisset Gabrielio, neque alias quoque neglexit ecclesias quæ ab ea ædificatæ fuerant. sed eas quoque valde diligenter obibat, & dedicans & sufficientem redditũ vnicuique attribuens. Cum quatuor autem menses iam præteriissent post dedicationem, ipsa quoque humana vita relicta excedit ad Dominum.

43 *Vide in nomine sanctorum etiã tunc ædificatas Eccl. Vide earũ dedicationes. Vide & redditũum asignationes. Cur ergo obloqueris, si eadem quoque nunc fiant?*

Longo autem post tempore cum esset Euthymius iam nonaginta annos natus, in grauem morbum incidit sanctus quoque Theoctistus, qui erat adeò morti vicinus, vt ipse quoque se mox esse decessurũ significarit, vt cuius iam esset senectus profundissima, & humanorum esset plenus dierum. Cum ergo ad eum visendum magnus venisset Euthymius, & aspexisset eum versari in magno periculo, statuit paucos aliquot dies cum eo manere, vt cum iam eius sancta ad Dñm excederet anima, ipse iusta corpori 44 faceret, & ea omnia quę mos est in eo impleret. Cum autem cognouisset Patriarcha apud Theoctistum asidere Euthymium, & id existimasset satis opportunam ad eum veniendi occasionem, cum beatus Thoctistus iam ad Deum excessisset, tertio die Septembris ad eum accedit. & communiter ab eis facta reliquiarum sepultura. deinde & quæ erga Euthymium vehemens iubebat desiderium fecit Patriarcha. & cũ sacras illas manus suauiter prehendisset & eis esset circunfusus, & vehementer est amplexus, & inter amplexus dixit verba testãtia desiderium. Iamdiu abhinc ego sanctas has manus desiderabam. & ecce mihi Deus impleuit desiderium. Sed rogo te venerande Pater & valde rogo, primum quidem vt Deum preceris vt tuæ in me perpetuo conseruentur prædictiones. Deinde vt ad me etiam asiduè scribas de iis quæ videntur, quæcunque lex præcipit filio.

44 *Nota de more Eccl. esse qđ defunctorum corporibus exequiæ celebrentur, & reliqui ritus circa eos impleantur.*

Hæc cum Euthymio benigne admodum colloquebatur: & quæcunque alia tempus postulabat, & post longum tempus cum eo congressio reuocabat in memoriam. Is verò cum solita illa sua moderatione, Hoc ego, respõdit, potius peto à tua beatitudine, vt in tuis ad Deum intercessionibus & supplicationibus nostri quoque recorderis. Ille verò respondens. Nequaquã, inquit, ò pater, hanc tibi concedam petitionem. Hoc enim, inquit, rogo vt à te primus accipiam. Pulchre enim iam sum expertus diuinorũ

charifmatum quæ in te eft operationem & virtutem. Ille autem placide admodum & leniter. Concede, inquit, venerande pater, & exorare vt pręsentis monasterij, mea & tua causa, & ipsorum etiam fratrum curam geras, eiq; vt par est prouideas. Ad hæc Patriarcha. Cũ, inquit, adhuc sanctus esset superstes Theoctistus, tu huic præfuisti solitudini, eamq; effecisti ciuitatem insignem multitudine & virtute eorum qui inhabitant, & reddidisti veluti quandam aliam Christo Hierusalem. & nunc rursus cũ ille è vita migrauit, sua tibi relinquit. Ille ergo cũ hæc dixisset & sancto vale fecisset, reuersus est ad suam habitationem. Magnus autem Euthymius, cũ Marin patruum Terebonis, ex virtute viuentem, & iam ętate prouectum, Monasterij præfectum constituisset, reuertitur ipse quoq; in suam lauram. Cum ipse autem in monasterij præfectura duos annos vixisset, & deinde è vita migrasset, descendens rursus magnus Euthymius, sacrum 45 quidem eius corpus in Theoctisti magna theca pie deponit. Cuidam autem Longino propter vitam laude digno, committit curam monasterij.

45 *Sacrum corpus sancti viri uocat, non ossa emortua.*

Statim autem post magni Theoctisti decessum, cũ Olympius Scythopolis Eps vitam reliquisset, Cosmas quidem custos crucis pro illo ordinatur Eps. Chrysippo autem custodis crucis committitur ministeriũ. & nec in eo excidit prædictio Euthymij. Sed beatus quidem Cosmas cũ totos triginta annos mansisset in eo munere, in secunda Palæstinæ prouincia magnis claruit pulchrisq; rebus ex virtute gestis. Chrysippus aũt qui erat illius quoq; frater, cum duodecim annos obiisset munus custodiendæ crucis, scriptis relictis & numero multis & propter ea q̃ tractant laude dignis, vita excedit. Horum vero frater Gabrielius, cum fuisset vt prius diximus Presbyter & Præfectus vigintiquatuor annos, ędificauit sibi breue quoddam monasterium in valle venerabilis templi ad Orientem, quod nominatum fuerat sanctæ assumptionis. In quod quidem ad imitationem beati Euthymij post diuinorũ Theophaniorum 46 octauum diem secedens, in eo morabatur vsque ad festum Palmarum. Cúm autem esset studiosus, habuit ingenium quoq; ei opem ferens. Quo factũ est vt linguam exerceret & ad Græcorum sermonem & Romanorum & etiam Syrorum. Moritur vero octogesimo ętatis anno in monasterio & fit illic viro sepulchrum qui signis maximis & insignis. Atq; quæ ad Euthymij quidem pertinent discipulos, ea sunt huiusmodi. & fuit talis vniuscuiusque decessus.

46 *Habes iterum diuina Theophania, & festum Palmarum.*

Ego autem ad ea quę consequuntur eius recte facta reuertor. Nam hęc quoq; mihi cum aliis Ioannes silentiarius & Eps & Thalelęus Presbyter narrauerunt. Dicebant enim q̃ versatibus aliquando ipsis in solitudine, in eos incidens beatus Saba colloquebatur. dicens quod cum adhuc esset in cœnobio, ascẽdisset post mortem Theoctisti simul cum Longino Præfecto ad magnum Euthymium. Cum autem aliquod dies morati essent circa Ruban cum Martyrio & Elia, & vnà cum eis adesset S. Gerasimus, Qm̃, inquit, prompto et alacri animo videt magnus Euthymius me & Domitianum, vtroq; assumpto transibat per interiorem solitudinem. Cibus autem nobis erant 47 radices melagriorum. Deinde peruenimus ad quandam terram admodum incultam, siccamq; & oĩno aquæ expertem. Ego autem qui planè eram rudis & imperitus conuersationũ

47 *Vide tibi austeritatem.*

quæ fiunt in solitudine, vehementissima siti oppressus deficiebam animo, & nec pedes quidem habebam qui possent itineri conficiendo sufficere. Conuersus vero, inquit, magnus Euthymius, cũ me sic iam deficientem & defessum aspexisset, mea causa est animo commotus. & cũ se paulu-
48 lum à nobis seiunxisset, & ad terram 48 prostrauisset, orabat dicens. Domine da aquam in terra sitienti, fratris sitim consolans. & post preces, surgens apprehendit ligonem quo herbarum excindentes radices, alimentum nobis comparabamus. & solum parum scindit. & statim aqua è terra scaturit. & bibere permittit. Cùm ergo bibisset, & sitim quæ eum premebat depulisset, Deo egit gratias qui præter opinionem per suos seruos talia facit miracula.

Oratione cum prostratione.

Cũ ergo apud Deum tantam haberet Euthymius fiduciam, & tãtam spiritus gratiam è superis attraxisset, ne cõis quidem mortis ei tempus est celatum. nec quæcũq; euentura erant in eius laura. Sicut diuini Patres de
49 iis mihi narrarunt. Dicunt. n. q̃ octauo quidem die post festum 49 luminum quo solebat ad interiorem proficisci solitudinẽ, conuenerunt quidem ij qui erant ipsum deducturi, & quicũq; eius peregrinationis omnino volebant esse socij. inter quos erat etiam Martyrius & Elias. Cùm autem nihil parati inuenissent, neq; quod esset secessui conueniens: quin etiã eum omnino offendissent imparatum, rogarunt an non esset cras profecturus. Ille vero, Tota, inquit, hebdomada ero vobiscum in laura. & sabbati media nocte à vobis separabor. Hoc autem dixit prius significans se tũc esse moriturum. Tertio itaq; die qui est postea cõsecutus, cum aduenisset
50 dies festus 50 diuini Antonij, præcipit vt vigilent in templo p totam noctem. & nocturnis illis hymnis ab eo peractis, cùm assumpsisset Presbyteros in eo quod Diaconicum appellatur. Nullus, inquit, ò fratres, vobiscum amplius peragam vigilias. Me enim iam vocat Deus à vita præsenti, Sed nunc quidem exite & accersite mihi Domitianum. mane autem patrum veluti quidam cœtus conueniat. Mane ergo magno studio oẽs ad eum conuenerunt. & cum se parum retinuisset, ita eos cœpit alloqui.

Post festum luminum.

Nota quod etiã anno Domini. 465. in quo obiit beatus Euthymius ut infra uidebis, celebrabatur festum Diui Antonij. Non ergo nouitium inuentum.

Patres mei & fratres dilecti in Domino, & filij. ego quidem iam postremam viam meorum patrum ingredior. Vos autem oportet vestrum in me amorem in custodiendis præceptis ostendere. ex quibus præcipue est charitas, quę est vinculum virtutum perfectionis. Quod enim sal pani, hoc est charitas virtutibus. Nec sine ea fieri potest vt se virtus recte gerat, quandoquidem vniuersa virtus per charitatem & humilitatem firma & stabilis cognoscitur. Nam humilitas quidem nouit eum qui ea vtitur ad summum recte factorum extollere. Charitas vero & firmiter cõtinet: nec sinit vt cadat ab illa altitudine. Est autẽ charitas maior humilitate. quod quidem manifestum est ex ipso exemplo Domini & Opificis. Nam propter suam in nos charitatem seipsum sua sponte humiliauit, & factus est sicut nos. Oportet ergo ei perpetuo cõfiteri & hymnos offerre. Nam hæc quidem omnes, vt semel dicam, homines honestũ est exercere. Nos autem
51 præ cæteris, & propter pacta conuenta cum eo inita. & q̃ ab omni perturbatione liberi & à negociis quæ ad victum comparandum pertinent, minimè diuulsam & distractam vitam nostram agamus. & soli nobis ipsis seorsum attẽdamus. Et 51 corpora & animas ò fratres, semper castas conseruare oportet. & consueta in synaxi glorificatio, & quæ nobis desuper

Vide quomodo etiã antiqui monachi seruabant perpetuum cælibatum.

desuper tradita est regula conseruanda est à vobis omni diligētia. Eorum qui affliguntur cura est gerenda pro viribus. Qui ex fratribus colluctatur cum improbis cogitationibus, is semper à vobis confirmetur, & perpetua fruatur admonitione & doctrina & præceptione, ne imprudens paulatim supplantetur, & casu graui à Diabolo posternatur. Porrò autē hoc quoque vobis vltimum adiicio mandatum. Nunquam iis qui adsunt occludatur ianua. sed sit semper aperta cuiuis viatori, & ad excipiendum veluti paratissima. Quinetiam ipsum tectum sit vobis commune hospitibus atque transeuntibus. & ea quæ habetis egentibus proponantur communia. Sic enim copiosam suppeditationem à superis consequemini.

Hæc cum eis mandasset, deinde etiam eos interrogauit quemnam eis vellent imperare & præesse. Illi autem vno veluti consensu responderūt omnes, Domitianum. Ille vero, At hoc, inquit, nequit fieri. Domitianus enim non hic longo tempore post me manebit. sed cum septimum solum diem transegerit, sequenti me consequetur. Hoc omnes qui aderant obstupefecit, cum tam aperte & tam libere dictum esset. Cum de Domitiano itaque spem perdidissent, petunt quendam Eliam Oeconomum inferioris monasterij, genere Hierichutinum. Ad eum ergo protinus conuersus magnus Euthymius. Ecce, inquit, omnes patres te sibi pastorem & præfectū eligunt. Tu autem vide vt tibi ipsi attendas & toti gregi. Oportet vero te hoc quoque scire ante alia, quod Deo visum sit haud ita diu abhinc hanc lauram fieri cœnobium. Deinceps autem & vbinam ædificari cœnobiū, & quemadmodum construi oportet, & de hospitum exceptione psalmodiaque & studio in regula adhibendo præcepit Eliæ. & de non negligendis fratribus, & maxime iis qui improbis grauantur cogitationibus. Deinde verò hoc postremo dixit omnibus. Si inuenerim aliquam ad Deū fiduciam, hanc primam petam à Deo gratiam, vt vobiscum & cum vestris posteris sit semper simul spiritu in seculum.

Hæc cum dixisset, dimisit quidem omnes præter Domitianum. & cū tres postea dies mansisset in Diaconico, Sabbato noctu dormit in pace. & ad eam quæ illic est transit beatitudinem, re uera senex & plenus dierum, vicesimo die mensis Ianuarij. in anno quidem à mundi creatione, conuenienter temporibus scriptis ab Hippolito, qui fuit antiquus & ipsis notus Apostolis, & ab Epiphanio Cyprio, & ab Herone philosopho & confessore, quinquies millesimo quingentesimo & sexagesimo, Dñi autem nostri Iesu Christi in carne aduentus quadringētesimo & sexagesimo quinto. Sciantur autem hęc quoque de Euthymio, quod habitu quidem erat minime fictus & mitissimus. aspectu autem teres & albus valdeque lętus & iucundus ad videndum. omnino canus. propter ætatem paulo breuior. densa barba & vsque ad zonam promissa. membris sanus & integer. vt cui non digitus, non vnguis non dens. non parua nec magna pars abesset corporis. Atque natus quidem fuit vt superius dictum est ex reuelatione. Tres autē annos natus Deo fuit consecratus in principio. s. magni Theodosii. Cū vero transiisset per omnes ecclesiasticos 52 ordines, venit Hierusalem circa viginti & nouem annos vitę proprię. Cum vero sexaginta & octo annos transegisset in solitudine, nonagesimo quidem & nono anno suæ ætatis, decimo autem sexto imperij Leonis, excedit è vita.

52 Cum transiisset per omnes eccl. ordines.

Cum autem fama celeriter per omnem sparsa esset regionem, Mona-

53 *Christiana traditio est defunctorum corpora cum clericis, monachis, laicis & hymnis tumulare.*

thorũm 53 & Laicorum congregata est multitudo quę non poterat facile numerari. Quinetiam Anastasius Patriarcha Hierosolymitanus cum simul assumpsisset examen Clericorum & militum, accessit. Cum eo autẽ aderat Chrysippus & Gabrielius: & Diaconus quoq; Pheidus Anachoretæ quoque qui erant in solitudinibus vndiq; conuenerunt. Quorum erat vnus quoque diuinus Gerasimus. Omnes autem in stuporem adducebat continuatio miraculorum. Cum 54 ergo conuenisset multitudo propè innumerabilis, prohibebatur sacrum illud corpus à sepultura, cum iam esset hora nona donec milites vt eis iussum fuerat à Patriarcha, repellunt multitudinem. & sic vix tandem datur aditus diuinis patribus, vt corpori illi quod tã strenue decertauerat, & multa passum fuerat, iusta peragerent, & cum iis quos decet hymnis in locupleti loculo deponerent. Atq; dolor quidem Euthymĳ priuationis multis erat causa lachrymarũ. Martyrium aũt & Eliam longè tangebat vehemẽtius. & ĳ valde lachrymabantur. Sed cũ illos quidem consolatus esset Patriarcha p Chrysippũ crucis custodem, & cum iis quibus opus erat vsus esset admonitionibus, hortatus est vt frequẽtius ad eum accederent. Cum aũt reliquisset Pheidum in laura Diaconum, ei ędificandi cõmittit negotium. & cum esset in sanctam reuersus ciuitatem, mittit opifices ad opus & materiã. vt beatæ illæ Euthymĳ reliquiæ in apto & conuenienti loco deponerentur.

54 *Ecce quomodo sanctus uir gloriosam et magnificam assequitur sepulturam.*

Domitianus vero qui magni erat vere magnus & germanus Discipulus. vt qui esset eius vitæ imitator accuratissimus. cum plusquam quinquaginta annos sancto inseruiisset, à loco non recessit. sed permansit deinceps ad sextum vsque diem ab illo tempore. vt qui statuisset non esse sibi viuendum de cætero, nec ferendum esse vt hanc lucem omnino aspiceret. Cum septimus autem iam dies aduenisset, ei lætus noctu apparet Euthymius. Veni huc, dicens, tibi paratam gloriam consecuturus. Ecce enim, inquit, Deus tibi concessit, vt nos quoque hic degamus communiter. Hæc Domitianus annunciat fratribus cum venisset ad synaxim. Sicq; ipse in gaudio & spe bonorum futurorum, è vita excedit.

55 *Sanctum illud beati viri corpus cum lampadibus & hymnis transfert &c.*

56 *Nota rem miram. Tabula sepulchro Euthymĳ imposita, omne gratiarum genus his confert, qui ad eum accedunt.*

57 *Vide quantã reuerentiam adhibuerit in translatione reliquiarum ppter coruscantem in eis gratiam spiritussancti.*

58 *Nunquam presbyteros nisi à Patriarchis uel Epis ordinatos inuenis.*

Diaconus autem Pheidus, multis collectis operis, & magno adhibito studio, speluncam quę in principio tenuit silentem diuinum Euthymium, pulcherrimam & maximam ędem efficit. cuius cum medium attribuisset thecæ magni illius patris, ex vtraq; parte elaborat thecas Presbyterorũ, Pręfectorum, & reliquorum sanctorum virorum. Postquam autem perfecta iam fuissent omnia, tabulam quæ erat sepulchro imponenda, & argenteum vrceum, & cancellos Patriarcha statim mittit Hierosolymis. Deinde ille ipse quoque descendit ad Lauram. cumq; 55 sanctum illud beati viri corpus cum lãpadibus & hymnis propriis credidisset manibus, transfert ad eam ędem quam ipse recẽter fuerat fabricatus. & in sacro suo deponit loculo, vt nũquam posset amplius aperiri, & nec vel vllę paruæ possent illinc eius auferri reliquiæ. Cũ tabulam autem imposuisset, vrceũ desuper quasi circa pectus defigit. Illa vero ab eo tempore in hodiernũ vsque diem omne genus 56 gratia dat iis qui ad eum accedũt fideliter. Atque cum sic quidem præclarè fecisset reliquiarum 57 translationem septimo die Maĳ, adsumpto secum Martyrio & Elia, rursus reuertitur in sanctam ciuitatem. & eos ordinat 58 Presbyteros. & refert in catalogũ cleri sanctæ resurrectionis. Et hæc quidem sic habent.

Restat autem nunc vt persequamur quanam de causa & quemadmodum Euthymij laura transmutata sit in cœnobium. Necesse vero est orationem paulo altius repetere. vt sic apertam & dilucidam faciamus narrationem. Cũ vnus iam prÿteriisset annus post mortem magni Euthymij, Leo ille magnus & Christi amans Imperator excedit è vita, relicto Leone suo nepote planè infante successore imperij. Ei autem, cũ parum in imperio vixisset, succedit pater Zeno. sed ille quidem cum ex insidiis Basiliscus quidam inuasisset imperium, fugit in Isauriam. Cũ vero Basiliscus occupasset imperium, facit conciliabulum aduersus diuinam synodum Chalcedonensem. quo quidem nitens pars eorum qui erant Schismatici in sancta ciuitate, cum sibi Gerontium quendam præfecisset Archimandritam, multa innouat aduersus ecclesiam, nec minora iis quæ prius ausus fuerat Theodosius. Quinto autem anno postea moritur quidem Anastasius Patriarcha, iam incipiente mense Iañ. Zeno vero reuersus ab exilio, vincit quidem Basiliscum qui adhuc tenebat imperium. rursus autem recuperat imperium quod amiserat. Et sedi quidem Hierosolymitanæ succedit Martyrius de quo mihi superius sæpe facta est mẽtio. qui ad ipsum Imperatorem Zenonem & Acacium Epm Constantinopolitanum scribit de Shismaticis & illorum blasphemia et vitanda hÿresi. & cũ Pheido Diacono dedisset litteras, mandat ei quoq; non pauca ore dicenda.

Ille autem cum Ioppem peruenisset & quoddam ascendisset nauigiũ qnod proficiscebatur in Corycium, vbi fuit in ipso mari parathenico, in magnam incidens procellam & tempestatem, media nocte patitur naufragium. Cũ vero iam demergeretur, nec se supra fluctus posset omnino tollere, sed propterea q in medio mari esset, & q nox esset obscura & incerta, periret, in quoddam lignum ex inopinato, vel potius q Deus id dedisset, incidit. & cum in quendam locum enatasset: & à tanta calamitate se paululum recreasset, venit ei in mentem admirabilis Euthymius. & statim illius 59 implorabat auxilium aduersus periculũ. & ambas ei manus tendebat. & illius nomen sÿpe inuocabat. Cum sic ergo laboraret, ei alicunde magnus apparet 60 Euthymius, per mare transiens, & secure in ipsis fluctibus inambulans. Quem cũ repente vidisset Pheidus, adductus est in admirationem. Eum autem ab animi angore & timore volẽs rursus statim liberare, ea qua prius quoq; solebat allocutione. Noli, inqt, timere. Ego sum Euthymius Dei seruus. Scias non esse bonum hoc iter in conspectu Dei. Neq; n. afferet vtilitatem aliquam B matri ecclesiarum. Et ideo oportet te reuerti ad eum qui te misit: & ei meo nomine iubere ne sit sollicitus de disiunctione schismaticorum. haud enim ita diu abhinc, sed illo Pontificatum obtinẽte, futuram vnionem. & omnes qui sunt Hierosolymis futuros vnum gregem, & sub vno Pastore. Te autem oportet venire ad meam lauram. & fratrum quidem cellas diruere ab ipsis fundamentis. cœnobium vero ÿdificare illic vbi meum ÿdificasti cœmeteriũ. Non. n. lauram sed cœnobium potius esse locum Deo placet.

Hæc ille quidem mandat Pheido: & suo eum pallio induit. Ille autem re ipsa & non in somnis protinus raptus, non dissimili forte modo ei quo Abacuch, ita facile & momento temporis statuitur in littore. & perinde ac si è somno surrexisset, ò diuinam prouidentiam, in sancta inuenitur ciuitate. Sic autem præter opinionem in domo cõseruatus, deponit quidem

59 *Vides non inferri domino Iesu Christo iniuriã, si ad eius sanctos quis prius confugiat? Nã si fuisset illata, non permisisset ea mirabilia fieri per sanctum, quæ hic sequuntur.*

60 *Quid dices hic qui sanctos nugaris esse emortuos, & nihil posse post mortẽ, cum hi maxime uiuant, quando Deo uiuunt.*

B. *Ne putes aliquid autoritatis Eccl. Romanæ diminui sup alias Eccl. oẽs, quia Hierosolymitana hic mater Eccl. appellatur. Quantum enim ad originem tantũmodo intelligitur, nõ quãtum ad autoritatem.*

illud diuinum Euthymij pallium. quod tantum pelagus transuolare pēnā citius effecit & tutius. consueto autem induitur vestimento. Illud vero, (sed est attendendum. miraculo enim cognatum & consimile sequitur miraculum) à quadam veluti manu obreptum, euanescit & tollitur de medio. Cum ad se ergo rediisset Pheidus, & quænam eū mala oppressissent considerasset, vndæ, fluctus, nox. desperatio & quæcūq; sunt mala tempestatis. deinde verò animo agitasset repentinam huius inexpugnabilis calamitatis solutionem, magumq; Euthymium. & quemadmodum cum iam esset defessus, & grauiter suffocaretur, ei apparet pedibus ingrediens in fluctibus. & veluti manum illam porrigens hilarem, vultumq; vnà & vocem. & ei mandans ea quæ dicta sunt. & tandem imponens palliū. & tantum mare veluti alatum per aërem transmittens. & domi suæ reddens insensiliter. Hæc cū apud se considerasset Pheidus, emisit illas voces cum magna admiratione. Nunc scio verum esse & germanum Dei seruū magnum Euthymium, ab eoq; missum me liberasse à calamitate.

Deinceps autem hæc quoq; matri narrauit. Illa verò eis aures lubenter accommodans: amabat enim non solum filium sed etiam Deum. & propterea tam eius qui seruat q̄ eius qui seruatur delectata narratione, & etiam lachrymas profundens ex oculis, consuluit filio omnia impleret. Deinde autem ad Patriarcham quoq; transiens, ei Pheidus renunciauit omnia. Ille verò admiratus narrationem quæ oēm rationem superat & opinionem. Re uera, inquit, Dei Propheta est magnus Euthymius. magnaq; est & quæ dici non potest apud illū fiducia. De iis enim quæ lauræ euentura essent, cum nos omnes essemus testes, prædixit, iam in Christo consummandus. Hæc cū dixisset, ipse quoq; Pheido permittit vt ędificet cœnobium: & concedit vt ad id proficiscatur. simul professus se quoque omnibus viribus opus vnà esse aggressurum. Cùm autem Pheidus magnam manum accepisset ministrorum & domus ædificatorum, 61 & vnum ex Mechanicis, descendit in lauram, & cum ędificasset cœnobiū, sępiq; & fossa esset complexus. vetus quidem templum attribuit fratribus ad cœnaculum. alterum autem templum superius ędificat. Intra cœnobium vero excitat turrim quæ esset aperte veluti propugnaculum totius solitudinis: & eam collocat in medio cœmeterio. Loci vero posituram, in qua hoc sacrum collocatum est cœnobium, & esse pulchram propter ęqualitatem, & Monachis esse aptam ad exercitationem pp aëris maxime temperationē, oratione describam & ostendam quantū potero.

61. Ecce ædificatur cœnobium cœlesti reuelatione. Opus est ergo Deo gratū talis ædificatio.

Est quidam collis admodum breuis inter duas valles quæ ex Oriente & Occidente simul paulatim coëunt, & ad austrum inter se commiscentur. Ad Borream autem patet pulcherrima campi planicies circiter tria stadia, q̄ fieri potest optime excogitata ad voluptatem & delectationē. Per eam autem mediam torrens perfluit qui ex alto descendit ex colle qui est ad Orientem. fitq; loco veluti quædam Zona. In ipsa vero collis in planiciem inclinatione, & eorumq; eleganti mixtione & coniunctione, & surgit turris veluti quidam vertex & arx quędam. & turrim deinceps consequitur porta quæ est versus planiciem. quæ cum voluptate transmittit eos qui exeunt, veluti à quadam specula despicientes pulchra illa planiciei spectacula. Sed quid loci naturam recenseat aliquis, quemadmodum est quidem mitis & fertilis: quali autem super caput est aëre contēperatus;

peratus: & neque maiore q̃ opus sit calore, neque frigore vtatur. sed cũ ex ambobus fugerit ea quæ molestiam afferunt, vniuscuiusq; præclare tenet medium. & est frigidioribus quidem calidior. calidioribus autem rursus sensim frigidior. & consequenter valde humidis siccior. & immoderate siccis humidior, cum ea quæ vnicuiq; congruit commoderatione.

Cùm ergo totum eiusmodi cœnobij ędificium simul & ornatus, non opus habuerit plus q̃ tribus annis propter multas manus vehemensq; & intensum ministerium, volebat quidem diuini Patres illud cum alio ornatu & artificio ecclesiæ reddere & dedicare: eos autem arcebat rursus aquæ penuria. Nam in illa quidem solitudine pluit sola hyeme. Cùm ea autem fuisset magna ex parte sicca & aquæ expers, eis aqua defecerat maxime circa vernam conuersionem. nisi forte in aliquibus concauis cisternarum consisterent aliquæ breues aquæ reliquiæ. Quod quidem eos valde reddebat animi dubios & perplexos, vt qui premerentur inexorabilibus naturæ necessitatibus. Significant certe Præfectus Elias & Diaconus Pheidus Longino Præfecto inferioris monasterij, & Paulo pręfecto monasterij Martyrij, vt suis iumentis aquam curent ad eos transferendã ex Pharis. Sequenti autem nocte eis paratis aditer. cum iam congregata essent iumenta, illa nocte apparet beato Eliæ magnus ille Euthymius. Quid hoc sibi vult, rogans, ꝙ hodie iumenta congregetis? Cũ is vero r̃ndisset, Vt aquam afferamus ex Pharis: propterea ꝙ ea nũc nobis omnino defecerit, increpauit illum, dicens. O' vos modicæ fidei, quanam de causa Deum non rogauistis? Num is qui ex prærupta petra inobedientem potauit populum: & aquam ex asini maxilla Sampsoni aliquando fecit scaturire, non poterit vobis quoq; ad vsum suppeditare, si solum cũ fide offeratis petitionem? Deinde eis etiam prohibuit iter ad Pharas vt minime necessarium. Aqua enim vobis implebuntur vel maximæ cisternæ, si ne tres quidem horas expectaueritis.

Cũ ad hanc visionem è somno excitatus fuisset beatus Elias, & statim eam Pheido & reliquis annunciasset, iumenta quidem à proposito soluit ministerio. cũ nox autem iam transiisset & sol quantam videt terrã suis illustraret radiis, nubes nescio vnde aërem qui erat super cœnobium repente complexa, protinus erupit in pluuiam Et omnia quidem circũcirca simile adhuc puniebat flagellum siccitatis. ij autem soli qui erant in cœnobio, præter opinionem aquam erant adepti perinde acsi aliquis pluuiã circũscripsisset, & rursus vlterius non sineret progredi. Postq; autem & cisternæ fuerunt aqua plenę, & non erat amplius opus imbribus q̨ è cœlo descendunt: dissipata est statim nubes. & vehemẽs imbrium procella rursus reducta fuit ad serenitatem. Cùm vero miraculum breui totam peruasisset solitudinem: & peruenisset iam etiam ad ipsum Archiepiscopum Martyrium descendens ille cum multis copiis ad cœnobium, præclaram quidem egit synaxim & vigiliam cum multis 62 lampadibus & suffitibus. Splendidam autem & magnificam facit dedicationem, deponẽs sub ara quasdam partes reliquiarum martyrum, Tarachi. Probi. & Andronici septimo mensis Maij. erat vero iam duodecimus annus post decessum Euthymij. Cũ aliquot autem tempus transiisset, Diaconus quoq; Pheidus suscipit Episcopatum ciuitatis Doron quæ vocatur.

62 *Nota, agit uigiliam cũ multis lãpadibus & suffitibus, & splẽdidam facit dedicationẽ ponens sub ara reliquias Martyrũ. Quæ omni etiã hodie seruantur in dedicationibus Eccle. Nõ sunt ergo hæc nouitia instituta, sed ab antiquis patribus accepta.*

Sed cum ego in hunc locum venerim, mihi venit in mẽtem vt de schis-

maticis illud addam quod mihi etiam dignum videtur de quo dicatur: vt quę in mari fuit diuini Euthymij propheta, euidentius hinc ostẽdatur. Nam cũ iam quidem Patriarcha Martyrius, fidem tribuens Pheidi visioni admirabili, & iis quæ in mari prædixit ille magnus, de his quidem schismaticis cessauit cogitare. Non multum autem temporis intercessit, & veluti ex diuiniore quadam visitatione Marcianus cuius paulo ante memini, omnes ipso conuocat in cœnobio quod ab ipso constructum fuerat in sancta Bethleem. & Quousque tandem, inquit, ô fratres & patres contendimus corpus ecclesiæ diuidere in partes? idq́ cum nec nobis quidem constet quæ sit Dei voluntas: sed rem sic credamus propriis cogitationibus. Est ergo nobis considerandum, ne forte existimãtibus recta via ingredi, in auia contingat incidere. Sunt enim incertæ hominum cogitationes, sacra aiunt eloquia. & si videtur sequentes illud Apostolicum, & veluti exemplo vtentes, iaciamus sortes in conspectu Eporum & Monachorum. & si sors quidem venerit ad Monachos, oportet omnino perseuerare in iis in quibus nunc manemus & quæ nobis placent. Sin autem ad Epos, cum ipsis communicare. Cùm hanc attulisset sententiam Marcianus, nullus erat ex iis qui aderant qui non laudaret. Iactam itaq; sortẽ Monachi quidem eam habuerunt. oẽs autem ei statim communicabant, tanq̃ ex Deo esse cognitam arbitrati. præter Gerontium solum & Romanum. & oẽs seipsos præbent ferentes vnioni ecclesiæ. eisq́ de cætero germanam ac sinceram faciunt communionem. Cùm eos autem Patriarcha pulchre non solum supinis, vt quis dixerit, manibus, sed etiam cordis sinibus excepisset, præclarum & celebre festum agit. Admodum enim pulchre ciuitati exortum est bonum pacis. & lętatæ sunt plateæ Hierusalẽ. & per omnia Deus glorificabatur. Gerontius autem & Romanus, alter quidem cùm quadraginta quinque annos præfuisset beatæ Melanæ monasteriis, alter vero in Thecoorum vt supra diximus regione monasteriũ construxisset, & deinde ex ipsis quoque turpiter fuissent expulsi propter eorum quæ ipsis visa fuerant impietatem, mali malè huc & illuc obeũtes recesserunt. Sed hæc quidem facta sunt temporibus Zenonis.

Sequentibus vero annis cum Anastasius post ipsum accepisset imperium, incursionem autem fecissent barbari, & magnam partẽ solitudinis vastassent & depopulati essent, euerterunt ipsa quoq; Agarenorum tabernacula, quæ eis nuper magnus fixerat Euthymius. Deinde qui ex his quidem erant insigniores, alia sibi excitant in Martyrij Monachi monasterio, & templa erigunt. Barbari autem cum rursus eos essent aggressi, alios quidem interimunt. alios vero captiuos abducunt. aliquos autem in alios vicos compellunt, nempe eos qui ex inopinato hoc periculo euasere superiores, cũ magna & grauissima fuisset hęc illic barbarorum incursio. Beatus autem Elias qui Euthymij recte præerat ouibus, cum triginta & octo totis annis administrasset præfecturam, multaq́ præclara & egregia in ea fecisset opera, & magnum sui amorem reliquisset fratribus qui in eis viget vsque in hodiernum diem, ipse quoq; feliciter excedit ad Dominum. Cũ quidam autem Symeon Apamensis post illum suscepisset administrationem, & in ea tres tantum annos vixisset, Stephanus Arabs genere ei succedit. qui cum mortuus esset ei frater Procopius, sexcentos aureos ex bonis paternis tribuit monasterio.

Sub eadem autem tempora Cęsarius quoque quidam Antiochenus, qui in ciuilibus magistratibus sępe bonam erat assecutus existimationem, cũ ad sanctam venisset ciuitatem, & satis longum esset illic tempus moratus, incidit in quandam corpoream valde grauem affectionem. Qm̃ vero deerat manus quæ eam curaret, & oẽm superabat tolerantiam & amicorum consolationem, cum non haberet quidnam deinceps faceret, confugit 63 ad sepulchrum admirabilis Euthymĳ. & quod ex illo fluebat oleũ, fit statim ad liberandum hominem remedium. cum solum morbus fuit inunctus. Is autem referens gratias pro beneficio, pecunias sancti monasterio alias quidem iam præbuit splendide ac magnifice. alias autem etiã quotannis prebiturum esse promisit. Domum vero reuertens cũ ad Tripolitanum Ep̃m accessisset, quõ solet animus in rebus huiusmodi lubẽter rerum meminisse grauium quę iam pręterierunt, narrauit ei singula quẽadmodum malum quidem eum inuasisset, & manus medicorum & præsentia familiarium, illæ quidem ad curationem, hæ vero ad consolationẽ nihil valebant. & quemadmodum oĩbus desperatis venerit ad sepulchrũ Euthymĳ. & quemadmodum illic solum vnctus oleo, protinus, & citius quam quis sperare atque adeo optare ausus fuerit, inuenit curationem. 63 *Ecce quomodo ægrotum confugientẽ ad sancti sepulchrũ unctio ex oleo quæ de ipso fluit, statim sanauit.*

Hæc ille quidem sigillatim narrabat Ep̃o. Quidam autem Leontius illius consobrinus cũ esset ętate valde iuuenis, contigisset vero eum interesse narrationi, animo protinus vt audiuit incitatus, & maius aliquid animo agitans quam pro ętate, cum quæcunque sunt mundana condemnasset, a quibus vt plurimum facile decipi & capi potest iuuentus, recta venit in magni Euthymĳ monasterium: & vitam suscipit monasticam. Quem vtique cũ virtute euasisset insignis, accersens Stephanus Ep̃s ei tradit curam monasterĳ. quod 64 conditũ fuit in honorẽ magni Martyris Leontĳ. 64 *Vides quomodo etiã antiquitus in honorẽ martyrum condebantur monasteria?*
Paulopost vero cũ sedis etiam reliquisset successorem, excedit e vita vicesimo secundo mensis Iañ. cum annos viginti & vnum integros præfuisset cœnobio. Porro autem Leontius quoque huius consobrinus. Nilum quendam cœnobĳ Presbyterum euntem Antiochiam, & ab eo hospitio exceptum, cum ex iis quæ aderant satis accepisset, Orestiadis ordinat Episcopum. Et hæc quidem ita se habent.

Reuertendum est autem ad magni Euthymĳ monasterium. & quæ deinceps cõsequuntur ea sunt addenda narrationi. Post Stephani Ep̃i consummationem, Thomas qui genus trahebat ex Apamea, cum id felix & florẽs accepisset, minuit & circuncidit. Quo autem tempore is administrationem tenebat monasterĳ, ad eum rursus venit Antiochenus Cæsarius. & ab illo humane & benigne acceptus cũ in eodem cum eo accubuisset conuiuio: Deinde vt solet inter eos agitati essent sermones, & audisset quod in Diaconico essent illius ligni partes, in quo Dominus illo suo admirabili consilio fuit crucifixus: petit ab eo vt liceat sancta illa lingua adorare, 65 & eorum exiguam aliquam partem accipere. Cũ ergo annuisset is qui præerat monasterio, eadem quidem hora ei aperit ambas fores Diaconi. reserat autem thecas rerum pretiosarum. aliquid ardentius faciẽs & amantius. & ingressus est Cæsarius cum iis qui erant circa ipsum. Cũ autem adorassent & complexi fuissent, aliquam quoque partem accipiũt illius salutaris & venerandi ligni. Deinde etiam ingressi interiorem cellam Diaconici, rursus conuertuntur ad se reficiendos. 65 *Lignũ sanctissimæ crucis in quo Dominus pro nobis passus est, semper adorari consueuit.*

Theodotus autem Galata quidã qui eis miniſtrabat, frequenter exiens per Diaconicum, & ad eos ingrediens, ſacris illis thecis apertis, ſexcentos illos ſurripit aureos de quibus antè diximus, qui poſiti erãt in tribus crumenis. Et Præfectus quidem, Cæſario & ſuis mentem adhibens, nõ ſenſit quod factum fuerat. Mane autem ſurgens Theodotus ſimulabat ſe iraſci, & præ ſe ferebat ſe valde indignari, ꝙ non liceret ei frui quiete & ſilẽtio. Quocirca recedit ex monaſterio. ſpecie quidem ꝙ deſideraret locum vacuum à tumultu. re uera autem ꝙ cuperet latere & aurum abſcondere. Cum ergo ad ſanctam ciuitatem iter eſſet ingreſſus, vbi fuit ex aduerſo monaſterij Monachi Martyrij, & ſenſim ſedens, & genibus crumenas imponens aureos quinquaginta numero ex vna horum ſumpſiſſet, ponit reliquos ſub magno quodam lapide. & cum locum ſignaſſet, & ſibi notũ quo ad eius fieri poſſet feciſſet, recta profectus eſt Hieroſolyma. illinc vero Ioppem. Cum equos autem conduxiſſet, & arram dediſſet, reuertitur ad lapidem ſub quo latebat aurum. & cum iam propè fuiſſet, ò oculum qui omnia intueris, ò iuſtiſsima iudicia, videt quendam magnitudine maximum & aſpectu terribilem ſerpentem qui è lapide prorepſerat, & erat veluti collocatus ad ſeruãdos aureos, conari arcere eum à re aliena. Ille ergo timore affectus, tunc quidem vacuis manibus reuertitur. Sequenti autem die rurſus redit, & rurſus inuenit terribilem illum auri cuſtodem adeò diligenter vigilantem ad auri cuſtodiam, vt ne liceret quidem omnino accedere ad lapidem. quinetiam cum aggredi perrexiſſet, diu ſerpens ita eſt eum perſecutus, vt ſatis habuerit illinc ſaluus recedere. Poſtridie autem venit rurſus ad locum. & protinus aduolans quædam virtus aërea, cum veluti quandam clauam incuſsiſſet Theodoto, & certam ei plagam inflixiſſet, illum quidem euertit & propè examinatum humi deiicit. Quidam autem Lazariotæ cum tranſeundo adueniſſent, & tam miſere iacentem inueniſſent, accipiunt & deferunt in Noſocomium quod eſt in ciuitate.

Cum illic autem diu iaceret, videt in ſomnis quendam ſenem eum acriter corripientem, & dicentẽ, Non aliter tibi licet ſurgere, niſi ſurreptas pecunias prius reddas Euthymij monaſterio. Cum itaq; exinde accerſiiſſet eum qui accipiendis præfectus erat ægrotis, & furtum confitetur: & dolum aperit: & cauſam quæ tunc latebat cur è monaſterio receſſerit propalat & profert in lucem veritatis: & quemadmodũ ſub quodam lapide aurum depoſuerit, & quemadmodum cum ſæpe acceſsiſſet & conaretur tollere, primum quidem Serpens & magnitudine & aſpectu terribilis qui è lapide prorepſerat, eum expulerit admirabiliter & præter opinionem. Deinde autem quædam virtus quæ alicunde aduolauit eum ſic affecerit. Hæc cum accepiſſent Pręfectus Thomas & Leontius, ſtatim aſcendunt ad ſanctam ciuitatem. & cum Theodotum in quodam vehiculo impoſuiſſent vt eis oſtenderet locum in quo aurum erat abditum: ipſum quidem inueniunt ſub lapide poſitum. formidabilis autem ille cuſtos, ò miraculum, nuſquam aderat. vt qui veluti veris Dominis theſauro ceſsiſſet. Atque illi quidem ſtatim tollunt aureos, parum curantes eos qui conſumpti fuerant à Theodoto. Ipſe autem nihil amplius mali ſentiebat & erat ſano corpore.

πανδοχέα

Atque Thomam quidem qui octo annos Euthymij præfuerat monaſterio, viceſimo quinto menſis Martij ſeptuageſimo anno poſt deceſſum

Euthymij,

Euthymij, benignus & clemens Dñs hinc euocat. Leontius autem post eum suscipit præfecturam monasterij. à quo ego qui hęc scriptis mandaui, referor in catalogum fratrum illius gregis. Quę ergo de hoc diuino & admirabili Euthymio Patres mihi narrarũt, vt dicam sicut diuinus Dauid, non abscondi à filiis eorum in generationem & generationem. Oportet autem omnino ea quæ meo tempore facta sunt nõ despicere, cum qui sunt affecti beneficio sint adhuc superstites, & intersint iis quæ geruntur, & sui intuitus vtantur testimonio: sed & in hodiernum vsque diem ea quæ sunt præter opinionem fiant miracula, quæ sunt eorum quæ præcesserunt probatio, & perfectum signaculum ꝙ de illis nihil sit omnino dubitandũ.

Decimo sexto itaqȝ anno, cum Monachorum suscepissem habitum, vehementiqȝ quietis ac silentij tenerer desiderio & habitãdę solitudinis, quęrebam honestam alioqui occasionem vt ea cõsequerer. Cum nullam autem aliam inuenirem, præ me tuli magno me teneri desiderio videndę dedicationis ecclesię Hierosolymitanæ. & petij vt illuc ire liceret. Dimissus autem à Præfecto, cum iam essem recessurus à Metropoli Scythopolitarum, mater hoc mihi dat mandatum, vt nihil ex iis quæ pertinent ad animam ex me facerem absqȝ admonitione & consilio Ioannis silẽtiarij. Ne forte, inquit, statim ab initio imprudens irretiaris errore Origenistarum. Cum ergo venissem in sanctam ciuitatem, & sacra quidem 66 loca adorassem, in quibus Dñs propter nos moras traxit salutares: & cum diuinæ quoque crucis lignum adorassem, deinde ad eum me cõfero. Is autem cum & mihi alia monita dedisset & consilia, tandem hoc quoque mihi præcipit. Si vis, inquit, saluus esse, vade ad magni Euthymij monasteriũ. & in eo habita. Hæc cum ego audiuissem, venio per solitudinem quam citissime ad Iordanem. & cum satis longum tempus cum iis qui illic erant patribus essem versatus, in illius magni monasterium delatus sum susceptus. Leontius autem erat, cui & suscipiendi cura, & monasterij præfectura fuerat credita.

66 Cum sacra loca ubi moras traxit Dominus, & lignũ diuinæ crucis adorassem.

Cum illic ergo versarer, video ea æstate quendam genere Cilicem, habitu monachum, Paulum nomine, ex Martyrij monasterio profectum, quem malus quidem possidebat spiritus; ab iis autem qui ad ipsum attinebant adducebatur ad 67 monimẽtum Euthymij. Cum positus ergo fuisset Monachus ad thecam reliquiarum, apparens paulopòst magnus Euthymius media nocte fugat Dęmonem. Fuit autem hoc certum curationis testimonium. Nam cum ipsa nocte ascẽdisset Paulus ad horam nocturnæ Psalmodiæ, 68 fit vnus ex iis qui canebant: & nobis omnibus præsentibus se fatetur fuisse à Deo curatum. Cum autem quod factum fuerat didicissent Monachi Martyrij monasterij, veniunt vt eum rursus reducerent in suum monasterium. Sed ille cum vellet ostendere se esse grato animo, & apud se scriptam conseruaret gratiam, mansit deinceps in cœnobio. omnemqȝ laborem & ministerium alacri animo vnà subiit cum fratribus.

67 Ad monumẽtum Euthymij Paulus à Dæmone obsessus liberatur.

68 Ecce quõ nocturna psalmodia fuit antiquis monachis ĩ vsu.

Cum nos autem aliquando colligeremus alimentum in solitudine: id vero erat ꝙ vulgo solet nominari Manuthia, in colligendo rogauimus Paulum qui ipse quoqȝ aderat, quidnam ei accidisset, & quanam de causa venisset in cœnobium: & quamnam curationem esset consecutus apud thecam reliquiarum. Ipse autem vt qui iã esset nobis familiaris, & apud *μανούθια*

nos nō posset quidq; fingere, omnia aperte recenset. Ego, inquit, cum mihi Diaconatus munus esset creditum in monasterio Martyrij, nescio quomodo laboraui auaritia & captus sum amore pecuniæ. Cum autē essem inops, & nescirem vnde vel mihi drachmam pararem, venit mihi in mētem ex sacris vasis aliqua surripere: & vnūquodq; eorum pretio vendere & sic aliquo modo mihi parare possessiones. Cum vero victus essem ab his improbis cogitationibus, & Dei timorem excussissem, surripio claues ex ara. & cum locum aperuissem in quo erant reposita vasa sacra, ex iis alia quidem mihi vsurpaui. alia autem aliis quoque contemptim distribui. Deinde cum illo Diaconatus munere functus essem, claues quidem reddo rursus ad aram referēs. Cum autem ad cœnam venissem cū quibusdam fratribus, & me vini potione exatiassem, in strato miser recūbo. Protinus vero omnis intemperantiæ cogitatio in meam diffunditur animam. perinde ac si omnes simul concurrissent. Ego autem cuius animus erat adhuc corruptus à temulentia, me lubenter tradidi his cogitationibus. quæ me assumptum sic affecerunt vt viderer sentire fœminam quæ vnà mecū esset, & vnà cum ea iacere. Protinus ergo ad me venit obscura quædam nubes & caliginosa. ea autem erat sceleratus Dæmon qui me inuaserat. à quo victus tanquam ab aliquo hoste captus mansi ab eo longo tempore cruciatus, & quid non graue patiens? Vbinam enim malefaciendi satietatem hostis ceperit, quando hoc facere fuerit in eius potestate? donec

69 fratres mei ducti misericordia me tollunt, & ad sancti 69 capsa adducunt. & statim perinde acsi resipuissem & ad me essem reuersus, cum calidis orabam lachrymis vt mei magnus misereretur Euthymius, & me ab hac scelerati Dæmonis liberaret contumelia. & vespere propter eam iacebam supplicans, & non intermittebam orare.

Ante sancti capsam orat cum lachrymis ut eius misereretur, & à Dæmonis liberaret contumelia. Ergo sancti quoq; liberant in uirtute Dei.

Iam autem circa mediam noctem videbar mihi versari in quodam loco diuino & admirabili cuius posituram, pulchritudinē, gratiam optauerit quidem videre quispiam, sed verbis nequaquam poterit exprimere. Videbatur autem mihi nigra quoque quædam cuculla & lana plena esse meo capiti imposita. ea autem lana, ò malorum depulsor Dei serue Euthymi, absit vt vllis aliis imponatur. Nam intrinsecus quidam pro lana ornata erat spinis. iisq; non tolerabilibus vtiq; aut mediocribus, sed stilo-

70 rum stimulis magnitudine longitudineq; similibus. Caput autem meum valde pungebat. & nec omnino quidem hiare sinebat aut respirare. Cum tali ergo malo premerer, lingue mihi videbar versare nomen Euthymij, & eum orare. Ille autem statim mihi apparet 70 multa luce circūcirca refulgens. pilis canus, grauis aspectu, lætus oculis. statura breuis. promissa barba nigra veste indutus. & virgam manu tenens. & quanam re, inquit, tibi opus est? Quid autem vis tibi faciam? Cū ego autem timidè & subtremebunde respōdissem. Miserere meæ calamitatis. & à graui me libera

Si uere sancti essent emortui nec apud Deum uiuerent, ut nugantur quidā, non in huiusmodi effigie apparuisset beatus Euthymius.

71 Dæmone. Ille vero austerius respōdens. Sed est ne tibi, inquit, persuasum ex iis quæ fiunt nihil Deum latere? Didicisti ex iis quæ passus es quantum malum sit res ecclesiæ aut Dei potius despicere, & inconsiderate ac temere profundere? Namquomodo 71 rerum ecclesiis consecratarum gratia aperte transit ad Deum: ipse autē rursus scit ex alto præbere remunerationes: ita qui eis malè vtuntur, non in alium, sed in illum ipsum sunt contumeliosi. & ei meritas luunt pœnas. Si enim olim Ananias cū vxore

Vides non licere abuti rebus ecclesiis dedicatis? Et quomodo Deus ex alto remuneret qui illas offerunt?

cum ex iis quæ ipsi obtulerant surripuissent, tantas dederunt pœnas, vt ipsi vnà cum furto morerentur: quamnam veniam cõsequetur qui ne alienæ quidem parcit oblationi? Verumenimuero, inquit, si pactum conuẽtum feceris te non amplius rebus sacris manus iniustas immissurum: nec te malas admittendo cogitationes suauiter oblectaturum, te, inquit, consolabitur Deus, & te curabit. Est enim benignus & clemens. & non vult mortem peccatoris, vt diuina docent eloquia, sed vt ipse conuertatur & viuat. Propterea enim tibi mala euenerunt præsentia, quod cum tibi rerum sacrarum creditum esset ministerium, non tamen teipsum Deo conseruasti fidelem, sed statim ad dolum respexisti & furtum metẽs, vt vere dicam, vbi non seminasti. & colligens vbi nõ dispersisti Hinc 72 proficiscitur quæ fit ab ipso derelictio. hinc insultus carnis & intemperantia. & hic grauis Dæmonum fluctus hinc in te inundauit.

72 *Ex hoc loco scire potes unde processerint tot mala quæ in Germania & Anglia cõtigerunt. Nẽpe quia direpta sunt bona Eccl. & uasa sacra in prophanos usus cõuersa.*

Hæc cum ego audiuissem, ei polliceor me in posterum cautionem esse adhibiturum. Et tunc, inquit, cum in sceleratum Dæmonem infremuisset, & manu meam cucullam apprehendisset, vix, inquit, & vi eam aufert capiti. ea autem statim mutauit formam. & mihi in sancti manu breuis quidam videbatur Æthiops habens oculos igni similes. Visa est autem ante eius quoque pedes defossa esse fossa profundissima. Et illum quidem deiecit in fossam. Ad me vero rursus cõuersus, illud dicit quod Christus Paralytico. Ecce sanus factus es, noli amplius peccare. sed attende tibi ipsi, ne quid contingat deterius. Ab ea autem liberatus affectione, ardentius Deo actis gratiis, ab illo tempore sum conseruatus vsque in hodiernum diem nullo malo affectus. Hæc cum mihi Paulus narrauerit, ego omnibus cõmunem adieci narrationem. Verumenimuero nunc mihi rursus incitatur oratio ad rebus aliis pascendas vestras aures. Non finit enim cessare miraculorum continuatio, semper magis prouocans orationem, & vehementi semper studio contendens progredi ad anteriora quę sunt præstãtiora atque iucundiora, veluti ipsa secum certans, & ea quæ præcesserunt iis quæ sequuntur volens vincere.

Duas enim cisternas quas fama est ab initio fodisse Amorrhæos, distãtes duobus stadiis à cœnobio, renouat quidem cum adhuc esset super terrã magnus Euthymius, vt iam antè declarauimus. & cum alterius ori imposuisset ostium, tribuit lauræ ad aquationem. Alteram autem, iis qui ab ipso baptizati fuerant, Agarenis, certo concedit tẽpore. Cum sic ergo haberẽt cisternæ: & vna quidem lauræ, altera verò attributa fuisset Agarenis, solitudinem illam quæ erat alioqui arida, & propemodum aquę expers, pluuiæ inuaserat penuria. Qui lauram itaque incolebant, aquæ vetiti inopiam, cisternæ quidem ostium clauibus & vectibus communiunt. Cum vero Præfecti qui Romano suberant imperio, Aretha & Asuades, cõtra se inuicem arma & bellum suscepissent, per solitudinem sępe dispersi barbari, & pecunias diripiebant, & domos euertebant, & quæcunque alia in his rebus violenta solent & tyrannica contingere, faciebant. Cum nos autem aliquando sederemus ante aditum cœnobij, accedunt quidam duo barbari. cum eis vero aderat quoque Christianus quidam Thalamas nomine, qui erat cognatus Agarenorum qui fuerant olim baptizati ab Euthymio. Adducebant autem vnum ex sua multitudine barbarum, qui ipse quoque à quodam sæuo possidebatur Dæmone. Cum ergo accessissent,

exposuit nobis causam Thalamas.tempe ꝙ cum aliquando barbari venissent ad Lauram vt potarent suos camelos, & cisternæ impositum inuenissent ostium,hic quem possidet Dæmon, paulo magis barbarice cōmotus, graui quidem lapide illud confringit. eum autem statim vicissim longe grauius ferit Dæmon. & deinceps iacebat tortus ac dilaceratus,& os habens spuma oppletum Ego vero,inquit,accedens,& ꝙ ita se haberet barbarus animo fractus, vnà cū his viris eum tollo. & ad sancti capsam affero.vt vnde accepit calamitatem, illinc inueniat mali quoque medicamētum Eiusdem enim est & castigare propter audaciam,& curare rursus propter clementiam.Cum ergo ad loculum positus esset is qui laborabat,
73 & nō multum deinceps tempus mansisset, 73 curationem inuenit maiorem q̄ṡ petierat. Non liberatus solum ab affectione, sed etiam diuiniore luce animū habens illuminatū: & non multis postea diebus baptizatus.

Vides ad sancti sepulchrum, obsessum à Dæmone sanari? Eiusmodi sunt plurima q̃ sequuntur.

Huius autē ipsius quoque Thalamæ sororis filia immundi Dæmonis dominatu tenebatur. Ea igitur à Lazario (illic enim habitabat Thalamas) portata ad capsam reliquiarum,nullum quidem aliud medicamentum applicatum nisi huius loculi sanctificatio, dies autem non plures q̄ꝫ tres ad perfectā sufficiunt liberationem ab eo qui opprimebat.Quid vero de filio dixeris Agareni Argobi (hoc enim erat nomen Patris.Quem cum pascentem greges in solitudine quidam execrandus inuasisset spiritus, non solum mente, sed aspectu & oculis quoque erat peruersis. Delatus autem ipse quoque ad capsam reliquiarum, breui omnino erigitur, & omnia suo loco restituta habens, patri redditur. Multa quis posset alia eiusmodi recensere atque adeò innumerabilia.Quandam enim mulierem,quæ in vico Betabudison cum marito habitabat, meridie domi aliquando sedentem grauis inuadit Dæmon. & totos quidem sex menses cum eo colluctabatur. & marito morte grauiorem vitam efficiebat. Cum itaꝗ is eum casum ferret intolerabiliter, & nullam posset molestiæ inuenire consolationem, constituit ad magnum confugere Euthymium.& cū sic furore percitam accepisset coniugem,cum ea venit ad monasterium. Qm̄ vero non licet introire mulieribus, assidebat in vestibulo faciens quæ poterat. ieiu-
74 nio 74 vtens & oratione.& singulis vesperis bibens ex capsæ sanctificatione cum oleo lucernę.Tertia autem consequenti nocte ei magnus apparens Euthymius,ei dicit,Ecce sana facta es. vade in domum tuam.statimꝗ & morbus est dissolutus. & cessauit insania. & domū mulier sana mente reuertitur. Ab illo autem tempore, vtpote memor beneficij quod à sancto acceperat, quotannis veniebat ad monasterium. ipsumꝗ limen & solum quod est ante ingressum,& puluerem ipsum complectens, osculabatur fratresꝗ inuitabat ad conuiuium,& q̄ꝫ humanissime poterat accipiebat.Et hoc quidē est eiusmodi,& ꝙ nulli piorum cedit magnitudine.

Ecce miram curationē. Vtitur ieiunio & oratione,bibit ex capsæ sanctificatione cum oleo lucernæ,& à dæmone liberatur.

Illud autem ipse quoque qui subiit calamitatem, & ad sancti sepulchrum cōsecutus fuit curationem,cum sit adhuc superstes in monasterio, & vnus ex iis qui in eo sunt Monachis, sua lingua & voce testificatur. Est enim quidam frater in monasterio, genere Galata,nomine Procopius. Hic ergo Procopius cum adhuc in ciuilibus versaretur tumultibus, occupatus fuit à malo Dæmone. & eum habuit diu simul habitantem, & ea quæ intus erant opplētem strepitu. sicut ipse mihi narrauit. Postquam autem mundo relicto accessit ad monasterium, & à conuentu fratrū fuit

acceptus,

acceptus, & 75 adorauit capſam reliquiarum, malus ſtatim Dæmon eſt conuictus tanquam lux à tenebris, & in apertũ productus. & eſſe Dęmoniacus cognitus eſt Procopius omnia illa patiens quæ ſunt propria iis qui ſic ſunt affecti. vt qui crebro diſrumperetur, & humi prouolueretur: & vinctam præterea haberet linguam, & nec ſineretur quidem loqui vt conſueuerat. quem ipſum quoque magnus curat Euthymius. & ab affectione ſimul & inſania liberat & à linguæ vinculis. ſicut in hodiernum vſque diem oſtenditur præſens in monaſterio. nõ ſolum ſanus & liber ab omni affectione: ſed omni temperantia & tolerantia inſignis. & in eo ſuaue Chriſti iugum trahens pro viribus.

75 *Et adorauit capſam reliquiarum.* Adorauit large p̃ ueneratus eſt. Nã latriæ cultu ſolum Deum adoramus. Et ſic ſemper accipe hunc loquendi modum.

His conſequens fuerit ea perſequi quæ illi Xenico euenerunt. Nobis enim aliquando ſedentibus in ingreſſu monaſterij, & ligonem quandam in manu habentibus & purgantibus, aduenit hic cum magno tumultu, tanquam procella quædam à malo actus Dæmone, & clara voce exclamans. Quid mihi & tibi Dei ſerue Euthymie? Quo me violẽter trahis? Non exeo. Deinde cum ante fores proiicit malus Dæmon. ceciditq; caſu iis qui videbant miſerabili. Cũ ergo cum Ianitore Babyla ſurrexiſſemus, & vix eum ſuſtuliſſemus, ad reliquiarum capſam eũ deducimus. Ille autem adhuc ſimiles quoque voces vſurpabat, ſic clamãs. Cur me per vim diuellitis & diſtrahitis? Cur me ad meum hoſtem ducitis? Cur me ad eum vehementer trahitis qui me ſemper 76 incendit? O' violentiam. Non ambulabo vobiſcum. ſed egrediar. & non manebo amplius. Poſtq̃ autem ad ipſum ſancti ſepulchrum cum Xenico multum defeſsi peruenimus, eum rurſus quoq; deiicit Dæmon. & cum totam illam noctem mutus omnino tranſegiſſet, mane ſurgit moderatus & ſanæ mentis. ne minimas quidem habens priorum reliquias. Cum itaq; cum eo iniiſſemus cõuiuium, inter cœnandum eum interrogauimus, quidnam heri ei accidiſſet, & quemadmodum huc veniſſet: & quidnam clamaret. Ille vero dicebat ſe omnia ignorare. & neque quemadmodum veniſſet, neque quid clamaret ſe omnino ſciuiſſe. Hęc autem cum ſint eiuſmodi, & quod ad miraculorum rationem attinet, nihil relinquunt quod ea ſuperet, iis ſolis cedunt quæ facta ſunt in vico Betagabæorum. ad quæ noſtra nunc conuertitur oratio.

76 *Vides quod etiã dæmones uirtutes ſanctorum fateri coguntur inuiti, & moderni hæretici eas negare præſumunt? ò inſaniam.*

Erat enim quidam Presbyter in monaſterio ex eo vico ortus, nomine Achthabius qui quadraginta quinque annos in eo peregerat, & Chriſti mandata ſe probe exequi oſtenderat. Erat autem ei quoque quidam frater genere in vico Tagabæorum: qui quidem ad duodecimum lapidem diſtat à Gaza. nihil fratris ſimilia aut cognata faciens, Romanus. ita enim vocabatur. ſed delicate viuens & otioſe. Cum vero ei quidam inuidiſſet facultates, ei per ſcelus parabat inſidias. & eas conabatur auferre. Cum autẽ à ſcopo aberraſſet, & vehementiori inuidiæ ſtimulo eſſet conſauciatus, venit Eleutheropolim & aduerſus eum quẽdam accipit præſtigiatorem, alterius damnum miſer magno comparans. Atque ille quidem vſus eſt iis quas ſciebat artibus. Romanus autem, vt qui nihil præuidiſſet eorũ quæ gerebantur, in agro degebat, nihil omnino cauens ea quæ in ipſum ſtruebantur maleficia. & laborans quodam veterno corporis (vtpote q̃ Deus eius magnam interrumperet ſocordiam: & eius animum ad ſtudium reduceret & diligentiam: & ideo permiſiſſet vt aliquantũ vinceretur à ma-

ligni insidiis, vt paulopost ostendent ea quæ subiungentur) domum refertur. Deinde cum malum vehementius incubuisset, ille quidem iacebat hydropicus, & planè erat desperatus ab arte medicorum. Qui autem ad eum attinebant, & amici circunsidebant, vltimas separationis lachrymas propter eum emittentes.

Cum hic ergo ita esset grauissime affectus, & ipsam iam mortem expectaret, cum vix & obscure admodum, vt vix cerni posset, oculos aperuisset, orat eos qui aderant vt paululum secederent. ipseq; solus relictus, & ad parietem conuersus, sicut ille magnus aliqñ Ezechias, in cõtritione cordis talia est precatus. Deus exercituum, qui dixisti, Qñ conuersus ingemueris, tunc eris saluus, ipse respice super me. & ab hac quę me comprimit necessitate & calamitate eripe. Interea autem cum ei in mentem venisset, 77 magnum vocabat Euthymium aduersus hanc affectionem. & eum Deo offerebat intercessorem. & per ipsum rogabat vt liberaretur. Deinde cum fuisset veluti in extasi, videt quendam vestitu Monachum, pilis canum, adstantem, & dicentem. Quid vis tibi faciam? Et ille quidē, metu, inquit, & gaudio diuisus, interrogauit. Quis tu es Dñe? Euthymius autem dixit. Quem ipse nuper vocasti. neque meum aspectum quidq̃ extimescas. sed videam quid patiaris, & quęnam pars corporis acceperit calamitatem. Cum is autem ostendisset ventrem, ipse coniunctos suos erigens digitos, & his vtens tanquam gladio, scindit id quod ventris *intumuerat*. & affectionem illā excernit & diffundit. & ex 78 *ventre educit* veluti quandam laminam ex stagno factam, quæ quosdam habebat characteres, eamq; in mensa subiicit eius oculis. Deinde cum manu coniunxisset scissuram & inunxisset, integramq; partem effecisset & sanam, deinceps ei totum actum refert. ex opibus exortam inuidiam. maleficiconductionem. Dæmonum inuocationem. Te autem ne sic quidem inquit, vicissent hostis machinationes, nisi ipse ansam prębuisses. Ecce enim, quātum est tempus ex quo nec ad ecclesiam venire curasti, nec ad intemerata accedere sacramenta: sed vixisti sine cura & sollicitudine. quod ad tuam quidem pertinebat animam? Qm̃ ergo tui Deus motus est misericordia, deinceps attende tibi ipsi. & ne tuæ salutis curam amplius negligas. Hęc vbi audiisset Romanus, & statim surrexit sanus, cum tumor qui erat in ventre iam esset perspiratus. & cõuocatis suis necessariis, eis & sancti aduentum, nouamq; illam & alienam per digitos dissectionem, & totam, vt semel dicam, renunciauit visionem. Deinde verò ad nos quoque transiit. & præfecto monasterij, & fratri Achtabio, & nobis omnibus hæc narrauit. Eo autem die quo factum est miraculum maximum in hodiernum vsque diem festum celebrat: & quotannis sancto agit gratias. Sed hoc quidem est huiusmodi.

77 *Nota sanctos inuocādos, & intercessores p nobis apud Deum adhiberi citra Redēptoris nostri iniuriā.*

78 *Ecce quantam habent potestatem sancti post mortem.*

Quod autem iam dicere aggreditur oratio, vereor ne videatur multis incredibile. eiusq; moribus & clementiæ non satis congruere. tantū ostendit ardorem & tam perfectum zelum in eos qui peierant. Est enim quidā vicus ad Solem Orientem, à Laura Phararum distans decem stadia. qui ipse quoque vocatur Pharan. qui quidem non cognomen vt arbitror accepit, sed ipse nomē potius Lauræ dedit. Vir autem quidam nomine Cyriacus ex eo ortus, pascebat gregem. & cum gregem pasceret per illas solitudines, à quodam qui erat ortus ex eodem vico qui ipse quoque erat

pauper, eius fidei creduntur oues aliæ decem numero, vt eas vnà cum suis pasceret. Cum autem aliquātum temporis intercessisset, redactus est pauper ad necessitatem adeò inexorabilem. vt cū nihil haberet aliud, ad gregem statim respiceret, & necesse haberet eum vendere. Cū vero mali esset animi, vt videtur, Cyriacus, & nec paruo quidem lucro præferret veritatem, octo solas reddebat, & tot se ab initio accepisse asserebat. Cum is autem duas alias vltra eas peteret, inficiabatur Cyriacus, & res eis tendebat ad contentionem. & ambo inter se magnam agitabant seditionem. Quidam vero arbitri inter eos accepti, ei qui vellet iurare detulere iusiurandū, vt ea ratione inter eos componeretur controuersia. Cum autem statuisset iurare Cyriacus, pauper ab eo exigebat iusiurandum per capsam reliquiarum magni. s. Euthymij. & iam fuerat eis quidam dies prçstitutus. & per illam ipsam iuraturus vel potius peieraturus, descendebat cum paupere ad monasterium. Cum vero ea via ingrederentur quę ab Hierusalem fert in Hiericho, & iam ab ipsis videretur monasterium, videns pauper Cyriacum totum periurio deditum, & veluti in summa lingua habētem iusiurandum: & timore affectus perinde acsi ipse esset iuraturus aut peieraturus, Age, inquit, frater, reuertamur. Nobis enim ad fidem faciendam sufficit vel sola ad iurandū propensio. nec oportet aliquid amplius adiicere. Hæc cum ille quidem dixisset, rogabat eum ne iuraret. Is autem non ferebat. sed nisi etiam periurium reipsa perficeret, putabat se rem absurdam facere.

Postquam ergo ingressus est monasterium, & graue illud perpetrauit aduersus capsam reliquiarum, & ad finem deduxit periurium: ille quidem vt qui esset re uera insipiens, dixit in corde suo, Non est Deus. vel potius ipse Dei oblitus, existimabat fore vt eum quoque lateret. Et domum quidem tunc est reuersus, veluti quadam accessione stulte lætus lucro quod fecerat ex periurio. Postridie autem ipse quidem in lecto iacebat vigilans circa mediam noctem. Ei vero videbatur, ostio domus sua sponte aperto, accedere quidam senex Monachus cum quinque iunioribus, manu quidē dextera virgam tenens, plurima autem luce totam domum illustrās. terribiliq; eum aspectu intuens austera voce dicere. Quidnam ergo ò stolide ausus es aduersus capsam Euthymij. eum autem, cum illi esset os obstructū, & nihil inuenire posset quo se excusaret, sed perinde ac surdus lingua esset impedita, iis qui circa se erant iussisse tradi puniendum. Deinde cum quatuor 79 eum distendissent, quinto virgam in manum tradidisse. & mandasse vt eum valide verberaret. vt non esset Dei cōtemptor nec periurus, neque fraudator alienorum. Postquam vero visus est habere satis plagarum, cum manum repressisset adolescentis, eum apprehēdit capillis. & ait. Num nosti ò impie esse Deum qui hæc in terra iudicat? Ecce autem hac nocte à te animam petunt. Quæ vero improbe abstulisti, cuius erunt? Propterea autem hoc tibi intulit supplicium, vt ex eo euadant alij meliores. & id quod ex periurio imminet periculum fugiant, vel potius ipsum omnino iuramentum, & si vera sint dicturi.

79 *Tria hic habes notatu digna.*
Sanctos non posse dici emortuos.
Sanctos maximā habere post mortem potestatem.
Ad sanctorum sepulchra non esse peierandum.

Hæc cum ille Cyriaco minatus esset & dixisset, statim recessit cum iis qui erant circa ipsum. Ipse autem & visione conturbatus, & alioqui cum ferre nō posset dolores allatos ex plagis, voce vsus est acutiore. et vocauit eos qui propè erant. & plagas ostendit. & periurium plane est confessus.

& apud eos suam defleuit calamitatem. Deinde eos rogauit vt ferretur ad sancti capsam. Forte, dicens, is qui has plagas inflixit intolerabiles, facilius curauerit. cum sit illius discipulus cui est innatum benefacere potius quam punire. Nam aduersus tales dolores medicorum manus vix suffecerint. Illi autem cum hæc audiuissent, & quæ graues etiam plagas accepisset spectassent, & ipsi quoque non leui essent metu affecti, eius tamen cedentes desiderio, eius exportandi sic rationem ineunt. Implent duos saccos palea. cumque eos cuidam asino ex transuerso recte imposuissent, eum deinde imponunt medium. & sic ad monasterium & ad capsam deferunt. Qui cum omia quæ ei euenerant nobis narrassent, & quas in tergo acceperat plagas ostendissent, tantum fratribus metum immittunt, vt nullus exhinc neque ipse sineret aliquem iurare per sancti capsam, neque quantum in eis esset, alij iusiurandum deferret. Illi autem cum tunc apud nos diem vnum transegissent, cum vidissent Cyriacum vel tenui & imbecilla spe vitæ esse priuatum, & ad mortem spectare, cum ventre eius diffluxisset, & os ne tantillum quidem posset vomitum reprimere, eum tollunt, & domum rursus referunt. Is vero cum illa vix nocte vixisset, mortuus est postridie.

Illo autem tempore externus quoque quidam peregrinus, in monasterio hospitio acceptus, cum precandi gratia in templum accessisset, & quæ in eo erant omnia esset contemplatus, media nocte sepulchrum sancti subiens, quæ supra id stabat χώνην argenteam, nō illotis solum, vt dicitur, sed etiam profanis re uera aufert manibus: noctuque clam à nemine conspectus egreditur. Ex iis autem omnibus qui erant in monasterio nullus dolum deprehendit. sed ignorabatur id quod factum fuerat. Mane vero qui ianuæ præerat Procopius, qui etiam à sancto consecutus fuerat magnam prius curationem, ab aditu parum progressus, inuenit externum illum, ô miraculum, quodammodo instar columnæ affixum. Animo itaque proplexus & nesciens quid ageret, aperit arcanum Ianitori. Ille autem introducit quidem eum in monasterium. efficit vero vt omnibus fratribus præsentibus fateatur miraculum. Narrabat autem aliquid nouum & propè non credendum. Dicebat enim se circa mediam quidem noctem argēteam illā χώνην surripuisse. statim vero egressum esse cum bestiis monasterij. & noctu quidem deinceps celeri pede iter esse ingressum non minus quam triginta stadia. nequaquam autem transiisse. fines monasterij. sed diluculo ante ipsum fuisse inuentum tanquam vinctum, & qui ne minimum quidē moueri poterat. Furem enim quodammodo vinxerat id quod furto surreptum fuerat. & faciebat manere eos qui furtum sustinuerant: nos omnes propter hæc obstupuimus, & hanc sancti magnam virtutem mirati sumus. Cum ergo sacram χώνην accepissemus, & viro, pauper enim erat, quod satis erat viatici dedissemus, dimisimus eum domum discedere.

χώνη

80 Hæc sunt magni Patris Euthymij pauca ex multis, quæ & ipsi vidimus & quæ auditione accepimus. vt nec vita quam egit in carne, nec quę post decessum facta sunt ab eo miracula, ignota sint posteris. quoniam vtraque inter se cōueniunt, & pulchre inter se cohęrent. Res 80 enim eiusmodi factæ post mortem non possunt esse alterius, nisi eius talem vitam ostendit super terram. Neque alius talem vitam egisset, nisi is qui post mortem talibus est clarus miraculis. Ego enim qui ipse quoque sum ab eo multas cōsecutus

Vides quomodo miracula quæ post sanctorum obitum fiūt, splendorem vitæ illorum aperte confitentur.

ſecutus gratias, & multis ab eo beneficiis affectus in corpore & anima, cum viderem eius capſam aſsidue multis ſcatere miraculis, & apud me ſemper mirabar, & cogitabam quõ ad Deum tantam aſſecutus ſit fiduciam. & incitabatur animus vehementi deſiderio accurate ſciẽdi quænam fuiſſet eius vita, & quænam in virtute fuiſſet exercitatio. & vndenam ei tanta fuiſſet cum Deo familiaritas & coniunctio. Cum autem incidiſſem in multos ex patribus qui erant in ſolitudine, qui partim quidem recte audierant res Euthymij, partim autem cum ipſo quoque beato Saba conuerſati fuerant: quæcunque vnuſquiſq; eorum de vtrouis eorum mihi narrauit, omnia quidem conſcripſi quàm accuratiſsime. confuſe tamen & inordinate.

Cum procedente autem tempore poſtea congregata fuiſſet Conſtantinopoli quinta ſancta ſynodus, & Origenis & Neſtorij dogmata fuiſſent ab ea percuſſa anathemate: & qui nouam lauram tenuerant Origeniaſtę illinc eſſent expulſi: & fideles & Orthodoxi patres rurſus in eam migraſſent, permittente mihi admirabili. Ioanne Silentiario, eo inquam qui erat Epiſcopus, diſcedo à cœnobio. & ipſe quoque verſor in hac laura. Cũ autem ad eam tranſiiſſem, ſecutus paternas literas quæ me hortabantur vt componerem hiſtoriam beatorum Euthymij & Sabæ, duos quidẽ annos deinceps continuos quieui in laura, & ceptum opus ſum perſecutus. Cum vero non poſſem orationis facere principiũ, vt qui nõ ſim in externa verſatus eruditione, non ceſſabam lachrymari, & vehementiſsime rogare & precari. Iam autem cogitabamus deſiſtere à cepto adeò difficili & quod noſtris erat viribus ſuperius.

Cum itaq; eſſem aliqñ animi dubius & perplexus, & ſederẽ in ſolita cathedra, habens chartã in manu & cogitabundus, circa ſecundam horam diei me ſomnus opprimit. & ſtatim magnus Euthymius & diuinus Saba mihi apparent veſtiti ita vt conſueuerant. et mihi videbar eos audire diſſerentes, venerando Saba primum incipiente ſermonem, & dicẽte magno Euthymio, Ecce Cyrillus quidẽ tuus manu quidem tenet chartam commentariorum: cũ autem magnum adhibuerit ſtudium & diligentiã, nondum potuit orationi ne principium quidem imponere. Cũ autem dixiſſet Euthymius, Et quõ hęc potuerit 81 facere, ſi non eum ſuperna adiuuerit gratia? diuinus Sabas, At tu ei da gratiam ſancte Pater, rñdens inquit. Et ſimul diuinus Euthymius annuenti ſimilis cum manum ſuam in ſinũ immiſiſſet, argenteam quãdam mellis pyxidem illinc ſumit. in qua cum ſcalpellum intinxiſſet, in os mihi ter immiſit. Illius autem ſpecies quidẽ erat ſimilis oleo. guſtus vero, ò quæ illic ſunt gratiæ, re uera explicari & verbis exprimi non poteſt. & id quidem cum melle conferre, eſſet plane eam rem afficere iniuria. Nam mihi etiam expergefacto propter voluptatem quæ narrari non põt, eius adhuc in ore remanebant reliquiæ. & ſic repletus diuina hac ſuauitate, præſens opus ſum aggreſſus, in alio quoq; opere conatus Sabæ res geſtas ſcribere. Eorum autem 82 interceſsionibus magna ad auditores redeat vtilitas. In gloriam patris & filij & ſancti Spiritus. Vnius & inſeparabilis trinitatis,

Quam decet gloria honor & adoratio,

nunc & in ſecula ſeculorum.

Amen.

81 *Ecce quomodo ſine auxilio diuinæ gratiæ ne ſcribere quidem ſanctorum hiſtorias poſſumus. Et quomodo ſancti ipſi in Dei uirtute illam præſtare poſſunt.*

82 *Nota pro interceſſoribus ſanctorum.*

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM *ſancti Apoſtoli Chriſti Timothei.*

Ianua. 22.

MAGNVM Timotheum tulit quidem Lycaonia, aluit autem & inſtituit quæ olim inter ciuitates fuit inclita Lyſtra. non tantum ſibi placens de vbertate & abundanti rerum neceſſariarũ, quantum de hac planta longè ſuauiſsima, & de iis quæ in eo efflorent virtutis ornamentis. etſi ne puras quidem & ſinceras generis habuerit radices: ſed ex ſpinis quoq; infidelitatis plurimum habuerit admixtum. Nam erat quidem ei auia Lois, mulier pia & quæ re uera curam gerebat virtutis. mater Eunica, quæ ex Iudæis quidem olim fuerat inſita in pietatem, & in integris virtutum ortis re uera floruerat. Pater autem gentilis, & in gentilium rebus maximè inſignis veluti quoddam in frumentum lolium, nempe honeſto & pręclaro Timothei genere, & roſis ſpina adnatus. & vitio tantum inſignis, quãtum fuit illius filius pietate clarus & virtute incomparabilis.

Cùm eſſet autem adhuc infans Timotheus, & à matre Eunica inſtitueretur, gentilium & Iudæorum errorem ſimul ex æquo declinauit. & tunc accedit ad Paulum præclaram eccleſiæ tubam, ſimul cum *Barnaba* Chriſti diſcipulo & Apoſtolo, ſicut diuinus Lucas dicit in *Actis*: cũ is veniſſet in Lycaoniam. quæ eſt finitima quidem Iconio & Derbæ. ex Pauli vero aduentu magnum erat conſecuta miraculum: & claudum ab ipſo ortu, O' diuinam viſitationem, ò admirabile ſpectaculum, ſanum effectum illius præſentia: & pedibus ſuis abſque moleſtia & ſecure vtentẽ. Qui quidem eos qui erant in ciuitate in tantum adduxit admirationem, vt eſſet eis id quod factum fuerat ſupra fidem, & ſuos Deos exiſtimarẽt forma hominibus aſsimilatos obire ciuitatem, & eorum eſſe opus claudi curationem. Poſtquã autem quiſnam eſſet cognouerunt: & ꝙ Dei viui eſſet potius Apoſtolus, & horum qui falſo dicũtur Deorum aduerſarius, ad hoc ipſum miſſus vt ab eorum errore liberarentur homines. & ꝙ prędicat Deum, qui nõ ſolum poteſt corrigere tales corporum mutilationes, ſed etiam ſuſcitare mortuos, multi ab errore deficientes acceſſerunt ad pietatem. Opus illius miraculi fuerunt etiam huius admirabilis Diſcipuli & Apoſtoli parentes, quæ magno ſtudio & liberalitate Paulum domi ſuæ acceperunt. & pietatis quidem lucem ab eo habuerunt: pium autem & Dei amantem Timotheum veluti viciſsim reddiderunt, qui erat adhuc iuuenis & tener, & aptus ad ſuſcipienda ſemina pietatis. quod quidem licet apertius diſcere ex libro Actuum Apoſt. ,, Nam cũ Paulus, inquit, obiret Lyſtram & Derben, erat illic diſcipulus quidã nomine Timotheus, ,, filius mulieris Iudęę fidelis. patris autem gentilis. Huic teſtimonium bo- ,, num reddebant qui in Lyſtris erant & Iconio fratres.

Cùm ſic ergo Paulo traditus fuiſſet Timotheus, patri ſpiritali filius magis proprius q̃ eius qui erat pater ſecundum carnem, & ex ciuitate vnà eſſet exceſſurus, ab eo circũciditur propter quoſdam Iudęos, quibus plena erat ciuitas & omnia circũcirca. qm̃ omnes ſciebant illum eſſe natum patre gentili. Atque ciuitates quidem obibat Paulus, ſeminans prædicationem, veritatemq; annuncians, & omnes ſpiritu regenerans. Eum

autem consequebatur sicut stella solem Timotheus. deductus quidē à parentibus: earum autem cor non obscure saucians propter separationem. Quidni enim, cum essent parentes talis filij, & qui scatebat tā suaui flore virtutis. Ipse vero ex eorum seiunctione nihil visus est affici. sed quodāmodo Pauli desiderio contegere suam in parentes affectionem. & ostendere id naturali necessitate longe esse valentius. Hinc in literarum disciplina ab illo instituitur. fitq; ei contubernalis, & omnino simul cum eo viuebat. Deinde eius quoque Diaconus constituitur, & ad Apostolatum confirmatur, periculorum atque laborum effectus socius. & nihil omnino impeditus ab ętatis teneritudine quominus resisteret laboribus. sed generosam inducens voluntatem quæ ætate plus poterat. adeò vt boni eius animi & piorum operum testem ipsum habuerit magistrum sic dicentē. Videte ne quis ipsum contemnat. Opus enim Dñi operatur sicut ego.

Cū autem ad tantam peruenisset virtutem, & tantum eius testem adhibuisset, non hic solum, sed etiam in multis aliis locis. Nam modo quidem, inquit, scribens ad Corinthios Paulus. Misi ad vos Timotheum ,, fratrem meum, qui est filius meus dilectus & fidelis in Domino. qui vobis in memoriam rediget vias meas in Christo. Et rursus. Si venerit Timotheus, videte vt sine metu sit apud vos. Modo autem ad Philippenses ,, quoque scribens, adsciscit socium inscriptionis. Paulus & Timotheus ser ,, ui Iesu Christi. Et deinceps consequenter in epistola. Spero autem in Do ,, mino me Timotheum cito ad vos missurum. vt & ego bono animo sim ,, cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam vnanimem qui ,, sincere pro vobis sit sollicitus. His vero congruentia scribit etiā ad Thes- ,, salonicenses. Paulus & Timotheus serui Iesu Christi. eum hic quoque ,, honorans societate inscriptionis. Misi ad vos Timotheum fratrem nostrū ,, & ministrum Dei, & cooperatorem in Euangelio Iesu Christi ad confir ,, mandos vos & exhortandos pro fide nostra, vt nemo moueatur in istis ,, afflictionibus. Et alibi. Probationem aūt eius cognoscitis, q̄ sicut filius ,, patri, mecum seruiit in Euangeliū. illos quoq; assumens veluti testes vir ,, tutis Timothei. Deinde vero etiam ad Colossenses, Paulus Aposto. Iesu ,, Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater. ,,

Porro autem cum à præceptore tantum ferret testimonium: & modo quidem filius in Domino fidelis & dilectus: modo autem etiam eius frater & Euangelij cooperator vocari dignus haberetur: & susq; deq; tot & tam magna consequeretur encomia: tamen ne sic quidē sibi ipsi confidere & non timere poterat: sed tam accurate viuebat, & tam diligenter se exercebat, & tam acriter se affligebat, vt eum etiam exhortaretur Præceptor, suadens Discipulo ne aquam amplius liberet: sed vino modico vteretur. Propter stomachum tuum, inquit, & frequentes tuas infirmitates. Sed quāuis sic laboraret eius corpus continua infirmitate, & haberet deiectā stomachi facultatem, generosus resplendebat animus. Non poterat enim corporis infirmitas deprimere tam generosum animum. sed celeri zeli pēna omnem in partē peruolabat. & modo quidem Ephesum, modo verò Corinthum illius linguæ Sirenes demulcebant. Macedoniam quoq; sępe & Italiam & vniuersam terram cū Præceptore complectebatur prędicatione. Quid autem dixeris, q̄ multos cupiditatibus à ratione maxime alienis & absurdis seruientes ab hoc graui liberauit ministerio? Recte no-

uit quod dico, is qui eius qui Corinthi est fornicatus non ignorauit delictum. Erat enim diuinus Timotheus non ad intelligendum solum acutissimus, sed ad dicendum etiam promptissimus, & ad facundia egregie vtendum dexterrimus. & in diuinis exponendis iucundissimus: & ad ecclesiam componendam & custodiendam vel maxime idoneus. Nam & copiosiorem consecutus est gratiam: & doctrinæ fontibus vsus est duplicibus. non Pauli solummodo admirabili lyra spiritus se oblectans. sed etiã versans cum Ioanne eximiè dilecto Discipulo. & ab eo præfectus administrationi sedis Ephesiorum, cum ab eo audiisset & didicisset quę ille rursus à bono spiritu.

Nam cum Nero qui malè ad imperium, male, ô iustitia & Dei tolerantia accesserat, fini martyrÿ Princeps Apostolorum, Petrum inquam & Paulum, subiecisset: & alÿ qui cum ipsis erant Discipuli se alio conuertissent accidit vt hic magnus Euangelista & Theologus Ephesi consisteret, à tempestate & naufragio eiectus. vt & referunt quæ ab Irenæo Lugdunensi scripta sunt, & fama tradit. Ex discipulis autem ÿ qui secuti sunt alios Euangelistas & Apostolos, ea quæ ab illis diuersa lingua composita fuerant (nondum enim vnius vocis sermone vsi fuerant) cum ad Ephesiorum ciuitatem detulissent, ei tradunt. Illum vero, vt etiam videtur Eusebio Pamphili hæc tractanti, aiunt ea quidem quæ scripta fuerant admisisse, de eorum veritate ferendo testimonium. animaduertisse autem in eis solam restare narrationem, de iis quæ in primis & in principio prædicationis à Christo facta fuerant. Et vera quidem est oratio. Inuenies enim, si diligenter consideraueris, tres Euangelistas ea solum conscripsisse quæ vno anno à Seruatore gesta sunt, postq̃ Ioannes Bapt. fuit cõiectus in carcerem. idq́ eos recte significare in principio suæ historiæ.

Nam post ieiunium Christi quadraginta dierum, & eam quæ in ipso fuit tentationem, Matthæus quidem significat tempus suæ scriptionis, dicens. » Cum autem audiisset ꝙ Ioannes erat traditus, à Iudæa recessit in Galilæam. Lucas quoque priusq̃ inciperet narrare facta Iesu. similiter ostendit, dicens. ꝙ adiiciens Herodes iis quæ fecerat, inclusi Ioannem in custodia. Propterea ergo dicunt Ioannem Apostolum rogatum, tempus ꝙ fuit silentio præteritum à prioribus Euangelistis, & quæ in eo facta fuerãt à Seruatore, ea autem sunt quæ facta sunt antequam Baptista in carcerẽ coniiceretur, in suo tradidisse Euangelio. & si prius non scripta vsus esset » prædicatione. & hoc ipsum significasse, partim quidem dicendo. Hoc principium fecit signorum Iesus. partim autem faciendo mẽtionem Baptistę inter actiones Iesu. vt qui tunc adhuc baptizaret in Ænon prope Salim. » Præterea vero hoc ostendit apertius, dicens. Nondum enim erat Ioannes » coniectus in carcerem. Ex his ergo aperte ostẽditur Theologum ea in suo Euangelio tradere quæ à Christo facta sunt Ioanne nondum coniecto in carcerem. reliquos autem tres Euangelistas meminisse eorum quæ facta sunt postq̃ Ioannes fuisset coniectus in vincula. Quæ qui attenderit, non amplius ei videbuntur discrepare Euangelia. ꝙ id quidem quod est secundum Ioannem, primas Christi contineat actiones: reliqua autem historiã quæ facta est in ipso fine Christi. Merito ergo carnis quidem Seruatoris nostri genealogiam, vt quæ à Matthæo & Luca prius scripta fuisset, Ioannes silentio præteriit. à Theologia autem incipit, vt quæ ei vtpote præstan-

præstantiori fuisset à bono spiritu conseruata. Et sic quidem Eusebius de Ioanne & aliis narrat Euangelistis.

Fieri ergo non poterat vt ipsius veritatis, Christi, inquam, verba exciderent, qui Discipulis suis dixit. In mundo afflictionem habebitis. Neq; ,, ergo exciderunt, sed vterque multas subiit molestias. Cū enim Domitianus per magnam vim sceleris tunc inuasisset imperium, condemnatur hic quoq; habitare vnā ex Cycladibus. Domitianus, inquam, cui post Neronem & eos qui intercedunt, mandatum fuit imperium. ei autem improbitate nihilo fuit inferior. sed semper ad ipsum respiciebat, aut etiam sceleribus & flagitiis superabat. & structis in alios calumniis tam lubenter aures accommodabat q̃ suis ipsius laudibus. siquidem tantum valuit assentatio, vt etiam Domitianum laude aliqua impertiret & celebraret. Illius ergo ad facile audiendas calumnias propensio, Ioannem condemnat vt relegetur in Pathmon. Sic enim nominata est insula, in quam fuit relegatus. Quem quidem in locum cum per ignominiam relegatus fuisset venerandus Ioannes, Timotheus eius loco suscepit Ep̄atum Ephesioꝝ. Quāquam nec ipsum quoq; in sede longo tp̄e viuere permisit inimicus.

Erat enim quidam dies festus apud Ephesios qui ab eis vocabatur Catagogium. In eo ergo & clauus tollentes: & simulachra in manibus tenentes: & sibi quasdam imponentes personas: & insigniores partes ciuitatis impudenter obeuntes: & iis quædam carmina decantantes: virosq; & mulieres more prædonum inuadentes, magnam cędem eorum faciebant. ea ratione putantes execrandi se suum honorare Dęmonem. vt eos viderentur homines honorare, quorum maximus cultus est mors eorum qui honorant. Diuinus ergo Timotheus hoc ęgreferens, & igne zeli visceribus inflammatus, & partim quidem consiliis vsus & admonitionibus, cū minime potuisset eis persuadere vt à tali desisterent insania, accedit ad eos in media compita cum iam festum ageretur, rursus admonens. increpans. docens. quid non faciens ex iis quę possent dimouere hominem à tali insania.

Illi autem eius dicendi libertatem ęgreferentes, quæcunque habebant in manibus, iis aduersus eum vsi sunt, eum ferientes & per terram trahentes cum quam maxima dici potest crudelitate & inhumanitate. & tandem humi iacentem, cum omnis virtus vitalis & operatio eum deficeret, quidam Christiani eum tollentes parum adhuc & ægre spirantem & iam morti vicinum, vltra ciuitatis portum deposuerunt. vbi cum Deo commendatum emisisset spiritum, corpus rursus pie & sancte in quodam loco condunt, qui apud eos Pion, idest pinguis, dicitur. Longo autem tēpore postea Constantiј in eum amores, qui filius fuit Constantini, magni, inquam, illius & primi Imperatoris Christianorum, illinc exportant reliquias, desideriј administro vtentes Artemio. qui cum egregię illius Timothei in dicendo libertatis fuisset imitator, ei quoq; postea fuit conformis mortis similitudine. & fuit martyriј ornamento propter Christum decoratus. Reponitur autem in sacra ara eius quod cognominatur templum Apostolorum (fuit vero id Constantiј manus opus & fidei) sub ipsa mensa mystica. suppeditator miraculorum. dispensator gratiarum. thesaurus qui non potest exinaniri. diuitiæ quæ non consumuntur. & cum Luca & Andrea connumeratur. Deo fortasse hoc benigne pro-

uidente, vt sicut eis omnia fuere cōia, mores, disciplina, prædicatio: commune quoq; esset sepulchrum. qm̄ eis quoq; est illic quies communis.

Templum autem Iustinianus, cū manu postea magnificentiori quoque arte adhibita, splendide ędificat & transformat. & ei pulchritudinem & magnitudinem quæ nunc est & cernitur exhibet. præterquam mysticā & diuinam mensam. Ab ea enim sola abstinuit. hoc pulchre & sancte faciens propter depositionem sacrarum 1 reliquiarum. Quocirca posita est in medio templo vsque in hodiernum diem. cū mensam ex purissimo argento cōstruxisset, & cum magna sui in Christum amoris significatione sanctorum Christi Apostolorum sancta corpora recondidisset.

1 *Sacras appellat reliquias, & infra, sancta Apostolorum corpora, propter inhabitantem eis spiritus sancti gratiam.*

Cū autem impius Domitianus sceleratissime quidem imperasset, miserrime autem vitam finiisset, Nerua suscipiens imperium, & statim post ipsum Traianus quoq;, cum se & q̄ fieri posset clementissimos & ęquissimos vellent ostendere, cū multis aliis Euangelistæ quoq; & Theologo dissoluunt exilium. Ille autem cum Ephesum, ò cum quanto dixerit quis gaudio & honore, rediisset: & diuinum iam Timotheum ad Iesum quē desiderabat excessisse didicisset: & finem martyrij cum cursum Euāgelij obsignasset, & esse ecclesiam Præsule defectam inuenisset, eam rursus suscipit. adeò vt idem & sedem Timotheo præbuerit, & ei successerit. Quæ quidem vtraq; sunt eius zeli in Deum, magniq; illius studij & ardoris in pietatem. Qui quidem longo postea tempore perpetuo curam gessit ecclesiæ, & veritatis annunciauit prædicationem. ad augmentum pietatis. ad salutem animarum. ad gloriam Domini nostri Iesu. Cum quo patri vna cum sancto spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI *Patris nostri Martyris Anastasii Persæ.*

Eodem die.

CVM magna ciuitas Hierosolymorum capta fuisset à Rege Persarum: & sacra illa loca quæ mei Christi videre conuersationem, & cruci affixionem & resurrectionem, Medorum lanceæ & igni, iis quos ipse nouit modis, essent tradita, & multa alia capta sunt cum ciuitate: & salutis quoq; nostræ tropheum mortis solutio, peccati internecio, lignum, inquam, viuificæ crucis, illinc translatum est in Persidem. quod quidem mihi videtur diuinioris esse gratiæ, & eius qui est crucifixus solius desponsationis, quæ sæpe nouit etiam per aduersarios ea contexere quæ sunt meliora & vtiliora. Postquam enim salutaris crux Domini hostilibus capta fuit manibus, & in persidem, vt diximus, in ea captiuitate captiua abducta est à barbaris, imitatur eum qui in ea fuit affixus Christum. vel potius ipsa Persicam euertit & spoliat falsam religionem. & quæ se dignæ erant captiuas abducit animas, vere laudabili & longe pulcherrima captiuitate. aut vt magis proprie dicam, à captiuitate reuocat: & eis rursus primam restituit libertatem. Simulac enim ingreditur Persidem, eam statim totam illustrans radiis suæ gratiæ, ferit quidem animas infidelium. nō secus ac sol qui laborantem oculum ingreditur. fideles aūt non secus ac fulgur quoddam apparens in tenebris reuocat. ex quibus fuit vnus is qui nobis nunc

est propositus Anastasius. & si nondum quidem cultu, sed iam moribus & instituto. qui processit quidem e vico q vocabatur Rasnuni, est vero regionis Razech quę sita est in Perside. Erat autem nomen eius moribus conueniens, & ex re ipsa magis cognitum. Is enim vocabatur Magundat. Erat enim illius Bau filius, qui erat in re magica præstantissimus & eruditissimus. Qui cum præesset cōi ludo litterario: & multos haberet adolescentes ad eum ventitantes captos amore præstigiarum: & cum in hoc solum omne suum studium poneret, nempe in rei magicæ exercitatione, in filio maxime arte vtitur. & rem magicam eum tam diligenter docet, vt in eius cognitione patri nihil esset reliquum quod non notum quoque esset filio.

Cum adolescentiæ autem ętatem iam attingeret, & Rex Chosroe nouum exercitum in Perside colligeret, ipse quoq; cum aliis refertur in numerum Tironum. Qm̄ vero veneranda crux Domini totam agitabat & perturbabat Persidem, infidelibus quidem horrorem & terrorem incutiens, fidelibus autem suauiter admodum & placide illucescēs: de eo quidem fama quędam per oēs peruadebat. fama, inquam, quę paulo crassius & indoctius prædicabat Christianorum Deum adesse Persis. Ad quam hic adolescens repente fuit accensus animo. Iam enim occulte eam tangebat ille ignis, quem Christus venit iacere super terram. qui quidem non sinebat quiescere pulchram illius adolescentiam, sed statim omnes obibat partes de eo sciscitans q̄ vehementissime poterat & diligentissime. Cùm audiret autem ab omnibus, eam esse crucem in qua Christus Dei filius, qui à Christianis adoratur fuit crucifixus, veluti ignem igni adiecit. & quæstioni coniunxit quæstionem. & ex responsione accepit occasionem alterius interrogationis. & multo magis sitiebat discere, quemadmodum ex cœlo quidem descenderit cū sit Deus. & quemadmodum etiam factus sit homo. & cur etiam sit ad crucem condemnatus. & à quibus. & an sit ad cœlum reuersus vnde descenderet. Cùm autem ei à piis annunciaretur carnis susceptæ diuini consilij mysterium, aures quidem pietatis semina lubenter suscipiebant. anima vero producebat sensim spicam fidei. & ei desiderium paulatim innascebatur: subibatq; ęmulatio eius perpessionū, quæ cū in eius anima aucta & amplificata essent, eum informant & instituunt ad optimum vitæ genus, clarumq; & insignem testem, Martyrem inquam, efficiunt. vt iam procedens declarabit oratio. Erat enim ei quidam frater genere & commilito. ambo autem relati in numerum exercitus Sain, veneruntq; vsque ad inclitam Chalcedonem. Cùm autem diuinus Heraclius irruptione facta in Persidem contra Sain retraxisset, rursus Persa reditum aggressus est, & in suam regionem vehementi studio est reuersus. Exercitum autem persicum relinquit Anastasius: & refertur in alium multo meliorem & diuiniorem. Relinquit vero suum fratrem & commilitonem, vt ei placeret qui exercitum collegerat, & eum solum posset semper sequi: & conferere manus cum solis eius hostibus.

Et primum quidem cum venisset Hierapolim, diuertit ad quendam Persam Christianum, arte argenti conflatorem. & cum artem conflandi argenti exercuisset, manus quidem habebat intentas operi, animus autem semper & cogitatio in Dei amore versabatur & alebatur. eumq; sibi adhuc magis accendebant. & ab ipso rursus inflammabantur vehementius. ἀργυροκόπος

Quamobrem eum rogabat ille beatus, vt diuinum baptismum conseque retur, & omnino à prioribus sordibus expurgaretur & ab illa labe præsti giarum. vt non solum voluntate & electione, sed anima quoque & corpore esset purgatus: & fieret Christi partis quam desiderabat, illius signatus signaculo. Cũ ille autem ex Persis timeret periculum, & ideo morãdo rem differret in futurum, interim quidem ad diuina templa aditione magnum suum solabatur desiderium. & cum argenti conflatore ad ipsa adeunte ipse quoque simul adibat. & cum orante simul orabat. & cũ sanctorum miracula & certamina videret descripta in parietibus, 1 de iis admodum diligenter rogabat. Cùm vero audiuisset qualis eis vita, mores, virtus, & qualia propter Christum certamina, & qualem apud ipsum rursus fiduciam eis liceret consequi, non poterat amplius continere id quod eius parturiebat animus. sed statuit proficisci Hierosolyma, & baptismũ illic consequi. Cũ ergo in sanctam peruenisset ciuitatem, & accessisset in domum cuiusdam qui ipse quoque argenti conflandi exercebat artem, ei aperit causam sui aduentus nempe quod vellet traduci ad pietatem & verũ Dei cultum, & ad Christum adduci per baptismum. Ille autem eum adducit ad Eliam sanctæ resurrectionis sanctissimum Presbyterum, qui cũ supinis, vt dicitur, manibus iuuenem accepisset, de eo refert ad *Modestũ* qui sedi præerat Apostolicæ. & sic diuinum baptismum assequitur. & venerandæ crucis vere pulcher fructus ostenditur: & Anastasius nomine transmutato appellatur, sumpta denominatione à reuocatione & ad meliora mutatione à priori infidelitate & præstigiis. Vna autem cum eo baptizatur quoque quidam alius, qui erat eiusdem etiam patriæ & religionis cuius Anastasius. qui fuit eius quoque socius in ferendo pro Christo martyrio: & easdem est Edessæ coronas consecutus.

1 Ecce quantum temporis est, quod in parietibus templorum describebantur miracula & certamina martyrum.

Cum aũt mansisset Anastasius octoginta dies apud Presbyterũ, quibus non licet egredi eos qui modo fuere illuminati rogauit eũ diuinus Elias quidnam de se deinceps velit. Ille aũt rogauit vt habitũ consequeretur monasticum. Cum vero adhoc quoque annuisset Presbyter, iam enim veluti ex quadam pellucida veste, & ex decoro habitu & statu ostendebatur nobilitas animæ, & quali virtute futurus esset Anastasius. & ideò ipse facile cessit eius precibus, venit cum eo post diuini mysterij celebrationẽ ad monasterium sancti Anastasii. vt eius quoque fieret mansionis particeps, cuius futurus erat virtutis socius, sicut etiam nominis. Atque monasterium quidem ad quartum lapidem erat remotum à sancta ciuitate. ei autem præerat Iustinus, vir & alioqui clarus, & boni spiritus variis donis ornatus. Quem cũ simul cum multis quoque aliis rogasset Presbyter, in monasteriũ admissus est Anastasius, anno decimo imperij Heraclij illius egregij & fideles. Tradit vero Iustinus Anastasium vni ex suis Discipulis, viro valde prudenti & virtutis amanti. Qui cum eum & græcas docuisset litteras & psalterium: eiusque institutionem animaduertisset iam recte se habere ad vitam monasticam, 2 tonsis statim eius capillis, & in eo factis omnibus quæ lex postulat, eum habitu induit monastico. & ex habitu hoc facit Anastasiũ, quod prius re erat & moribus. vel potius moribus conuenientem & cognatum tradit habitum. & in eum deinceps erat affectus vt in filium è suis genitũ visceribus. Adeò pulchra res est virtus, vt quæ cum aliis & virtutis studiosos in amore coniungere, & tantam

2 Qui monachus olim fiebat, tondebatur, & nouum sumebat habitũ, prout & hodie fit.

possit

possit ingenerare beneuolentiam, quantam nulla omnino alia cognatio.

Ex illo tempore apud monasterium vitam cum conuentu egit Anastasius. Porrò autem ei quoque fuerũt diuersa credita monasteria. nec erat solum in eis vtilissimus. sed etiam in actione virtutis diligentissimus. Nã cum & culinæ & orti ministerio suam daret operam, & recte se gereret in labore manuum, à fratrum synaxi nunquam aberat, & ante alios sacrorum mysteriorum celebrationi interat. In diuinarum autem scripturarum lectionæ, & maximè vitæ sanctorum Patrum, totus erat affixus. & aures, vt dicitur, arrigebat ad audiendum. eratque mente vigilans, & omnia memoria colligebat. vt etiam si quid diceretur quod ingenij eius captum superaret, non negligeret, neque lucrum per socordiam amitteret: sed potius accederet ad fratres qui eum doctrina superabant, & qui possent talia explanare, & lubenter cum eo inquirere, & sic meditando venari quidquid eum latebat. Cum autem apud se legeret victoria insignium Martyrum trophæa & certamina, libros aspergebat lachrymis, significas suum in patiendo consensum, seque cum eis molestia affici & zeli esse socium. & beatos quidem sanctos pronunciabat propter finem. mirabatur vero eorum tolerantiam. Deinde id quod erat ei ab initio congenitum desiderium martyrij, & zelum ardentiorem efficiebat, vt qui accenderetur sua cum prioribus cõuersatione. & orabat vt ipse quoque tales pro Christo subiret perpessiones. Quocirca nulli rei alteri sibi vacandum esse censebat, nisi soli eorum lectioni. Cum ergo septem annos in monasterio transegisset Anastasius, videre eius in virtute augmentũ non ferens pater inuidiæ, sed tantum & tam constantem ardentemque eius impetum & studium volens oĩ ratione retardare, ei paternam doctrinam reuocauit in memoriam & fœtida illa verba præstigiarũ. & eiusmodi insultibus eius animæ turrim conabatur labefactare. Is autem illius non ignorans insidias, aduersus eum supernum inuocat auxilium, turrem fortitudinis, vt dicã cum diuino Dauide, à facie inimici. Deinde etiam cum calidis lachrymis magistro significat maligni iniuriam & petulantiã. Ille vero cum ex eo quod esset passus posset etiam tuto docere. vbi pulcherrima ei dedisset monita, & deinde etiam fudisset preces in toto conuentu fratrum, & rogasset pro Discipulo, liberauit eum à graui illa impulsione.

Fit autem aliud quoque dignũ quod mandetur memoriæ & scriptioni. Noctu dormienti Anastasio in somnis ei tale quid apparet. Videbatur mõtem quendam excelsum ascendisse. ad eum autem accessisse quispiam porrigens vini poculum auro ornatũ & gemmis & dixisse. Accipe. bibe. cumque id accepisset, statim bibisse. Potus autem eius animæ latenter instillauit dulcedinem. adeò vt vel in somnis intelligeret Anastasius, somnũ significare desideratum à se finem martyrij. E somno itaque protinus excitatus, alacris & lætus venit ad ecclesiam. vt qui ea quæ sperabãtur haberet in manibus. Iam enim vocabat tempus congregationẽ pro dicẽdis hymnis nocturnis, & celebrãdo venerabili festo Christi resurrectionis. erat enim dies dominicus primus omnium & maximus. Cũ sic ergo venisset ad congregationem, & suum accepisset magistrum, & solus cum ipso esset ingressus in id quod dicitur Diaconicum, procidit ad eius pedes, profusis eos lachrymis irrigans, & eum rogans in contritione cordis, vt pro ipso communem omnium rogaret Dñm. vt qui esset propediem ad il-

Dies festus dominicæ resurrectionis, dierum omnium primus & maximus.

lum recessurus. Deinde etiam ea loquitur quę diei solent ab exeuntibus & iis qui peregre proficiscuntur Scio, dicēs, sancte pater quot pro me misero labores sustinuisti. & ꝙ sæpe & in multis molestia affeci tua in me paterna & amantia viscera. & ꝙ per te lucem mei viderunt oculi. lucem veram. lucem agnitionis. & à grauissimis liberatus sum tenebris. Quocirca ne cesses qui es fidelis seruus clementem ac benignum perpetuo pro me orare Dominum.

Ad hæc ille respondens, Quid hoc autem est, inquit. & vndenam hoc euaserit manifestum, ꝙ sis in præsentia postremum à nobis decessum suscepturus? Ille vero refert ei somnum cum quam maxima potest affectione, & affirmat se omnino haud ita multo post moriturum, siue hac communi & omnibus æquali morte, siue aliqua alia, & alio modo, moriturum autem omnino. Nesciebat enim quonammodo aperiret arcanū, ꝙ s. martyrij desiderium eius animo inhæsisset, ad quod ille referebat somnia. Verebatur enim ne forte ab eo corriperetur. & sic refrigesceret ardor eius animi. & à tātis opibus & thesauro excideret. Tūc ergo Anastasius, cum eum Pręceptor eius multis & piis monitis esset cōsolatus, 4 matutinas Psasmodia Deo reddit cum fratribus. Deinde etiam cum sacrum celebraretur mysterium, diuinis communicat sacramentis & cum vnà cū fratribus communis mensæ fuisset particeps, somnumq; parum vidisset & surrexisset, qm̄ nesciebat quemadmodum posset extinguere egregium illum amorem decertandi propter Christum: sed ab eo cor eius vehementer accenderetur, clam egreditur monasterio, nihil secum ferens præter ea quibus necessario opus habebat ad tegumentum corporis.

4 *Nota, reddit matutinas psalmodias. Nota Missam appellari sacrum mysterium, demum Eucharistiā nuncupari diuina sacramenta.*

Et primum quidem cum venisset Diospolim, & deinde etiam in montem qui dicitur Charizim, orationis 5 gratia & adorationis: & deinnde etiam ad cætera quæ illic sunt loca veneranda accessisset, & peruenisset vsq; ad Cæsareā Palæstinæ, in templo Deiparæ virginis duobus diebus moratur. & exinde eum rursus excipit templum omni ex parte laudandę Euphemiæ, veluti quodam viæ duce vtentem clanculum, qui plane eius dirigebat gressus ad martyrium. Nam cum accederet, vt diximus, ad tēplum illius semper laudandæ Euphemiæ, videt quosdam Persarum Magos occupatos in quibusdam præstigiis. zeloq; protinus conciatus eius animus, Sciebat enim q̄ꝫ ea res esset impia & scelerata, eo ꝙ ipse quoque in ea improba arte esset versatus, Quænam, inquit, tanta caligo vestris offusa est oculis, vt ne ea quidem aspiciatis quę ante vestros pedes sita sunt. quemadmodum vniuersum. s. est deceptio, quæ vestram leuitatem ludificatur & facilitatem, & eorum quos vos rursus ad eundem vobiscum corripitis interitum? Hanc illi admirati in dicendo libertatem & audaciam, rogarunt quisnam esset, & quid eum impulisset vt hæc eis diceret. Ille autem, Fui ego quoque, inquit, aliquando vobis similis, & eodem falsus errore: & eisdem dedi operam præstigiis. Hæc audacter dixit, cum nihil eum puderet suæ quam ab ineunte ætate acceperat impietatis & sordium vitæ prioris. sed potius gloriaretur ꝙ in fidem esset translatus, & sacro esset baptismo ablutus. Deinde prolixa cepit vti oratione, rem esse execrandam arguens, & q̄ꝫ esset insigniter absurda aperiens. & sic paulatim seipsum eis exemplum adducens: & similiter eos inuitans ad meliorem mutationem. Illi autem non solum ad hæc fuere surdis similes: sed eum

5 *vide peregrinationem ad loca sancta orationis & adorationis gratia.*

etiam vehementer rogarunt, ne tã impudenter quæ sunt apud Persas præclara contemneret, & in vulgus irridenda proponeret. Exinde ille vere egregius, & desiderabilis Anastasius festinabat ad delectabile & iucundum martyrij hospitium.

Cum non longè autem à se remotum eum quidam vidissent ex iis qui dicuntur à Persis Caballarij, sedentes apud Derbas sicut etiam consueuerunt (Hoc autem est prætorium eius qui apud ipsos dicitur Sellarius) Certe hic est Delator, dixerunt inter se sermone persico. Ille vero cũ verbum sensisset, & linguam non ignorasset, vt qui ipse quoque esset Persa, & in eadem voce qua illi eruditus, eos torue & acriter intuens. Non sum delator, inquit. Sunt hæc, inquit, nugæ & ineptiæ, sed potius seruus Iesu Christi. & vobis quidem melior. si quidem ego quoque fui aliquando sicut vos, & in Caballariorum numerum fui relatus. Hæc cũ illi audissent, & è cathedra statim exiliissent, eum detinuerũt. Deinde cum Sellario quoque fuisset annuntiatum, egreditur etiam ille ex Prætorio. & cum quisnã is esset interrogasset. & vndenam veniret. & quæ ad ipsum pertinebant diligenter examinasset, dat seruandum Anastasium in custodia tutissima. In qua iam tres dies inclusus, neque cibum, neque potum, neque aliquid aliud ab eis omnino accipere sustinuit. sed sic omnino ieiunus detentus est in custodia. vt qui futurorum pro Christo periculorum aleretur sola expectatione. Cum autem iam rediisset Marzabana ex peregrinatione: neq; enim tunc erat Cæsareæ: & de Anastasio significasset Sellarius, vinctus statim adducitur Martyr in Prætorium. Interim vero dum Marzabanas erat in aliquibus aliis curis occupatus, agnoscit aliquis ex piis Anastasium, qui eum in venerando templo Deiparæ aspexerat. Cum ergo sic eũ agnouisset in prętorio, & eum interrogasset quanam de causa illic adesset, eius scopum & institutum laudans, & eum eo nomine beatum pronuncians, eius promptum & alacrem animum magis confirmat in rebus grauibus & asperis. vt neque propter Christum timeret vincula. nec tormenta. nec mortem. sed Marzabanæ responderet strenue & iuueniliter. Certe etiam cum fuit ad Tyrannum introductus, nec genu quidem flexit, vt semper mos est Persis, adorationem reddere maioribus. sed generosum & qui in seruitutem redigi non poterat animum per externa significabat.

Cum ergo fixis oculis eum satis esset intuitus Marzabanas. partim quidem vt constanti aspectu ei terrorem incuteret, partim autem vt eum consideraret diligentius, rogauit eum quisnam esset & cuias. Ille vero, Verus sum Christianus, respondit. Quòd si velis etiam scire cuius sim, Sum quidem Persa genere, ex regione Razech. vico autem Rasnuni. qui ipse quoque fui aliquando Caballarius, & in rebus magicis exercitatus. cumq; sic essem minister tenebrarum, potui, vt vides, transire ad lucem è tenebris, & discere veritatem. Marzabanas autem cum nondum fecisset periculum q; esset generosus Athleta: sed putaret rem esse facilem & expeditam eum à sua traducere sententia, cœpit illius mentem non secus ac parui alicuius pueri paruis tentare promissionibus, ille vere parui & abiecti animi. Desiste, dicens, ab hoc errore, & rursus reuertere ad patriam religionem. Si enim sic feceris, dabo tibi equos & nummos, & multa alia bona. Martyr autem cœlum intuens. Absit, inquit, Rex Christe vt beatã

tuam fallam confeſsionem. Propter quę eum tanquam volens pudore afficere Marzabanas, Quid autem, Placet ne tibi, inquit, hoc habitu indui, quo nunc es indutus? Ille vero, Non minoris, reſpondit, eum facio quã tu hanc tuam dignitatem Quamobrem ille ira commotus, Certe, tu, inquit, vteris cohabitante Dæmone. neque aliud per te ipſum loqueris quã quod ipſe tibi ſuggeſſerit. Ad ea martyr. Qñ, eram, inquit, in errore, malè honorans impietatem, aut potius ab illa affectus ignominia, tunc grauis Dæmon mecum cohabitabat. Nunc habeo ipſum Chriſtum cohabitantem qui tuos expellit Dæmones. Cum autem adiecisſet Marzabanas. Quid ergo, Non times, inquit, ne hæc te ad Regem referantur: ille vero te acerbe cruci affigat? Quomodo, inquit, hominem timuerim qui eſt patibilis & in quem cadit interitus? Nam & ſi corpus ſuperauerit, capi tamen non poteſt anima. & ei non poſſunt omnino parari inſidiæ.

Hæc ergo non ferens Marzabanas, iubet ferrens collaribus collum & alterum ex pedibus ſubiectum, & ductum ad ergaſtulũ illic lapides cogi ferre grauiſsimos. Quod quidem cũ eius iuſſu factum eſſet, & ad ferendos lapides ſemper ſanctus manus afferret, manus ſanctas. manus quæ multum poterant apud Deũ, corporeis laboribus plura erant quæ extrinſecus ei afferebantur. Multi enim ex Perſis ad eum accedentes, & maxime ex iis qui orti erãt ex eodem vico ex quo Anaſtaſius, veluti proprium reputantes dedecus quæ in illum fiebant, exprobatiorem aduerſus proximũ, vt cum diuino Dauid dicam, ſumebant. Cur hoc feciſti, dicentes Cur antiquam nobilitatem generis affeciſti contumelia, effectus Chriſtianus, & tantam nobis inuſsiſti ignominiam, propterea in vincula coniectus, & maleficorum damnatus ſupplicio? quod quidem noſtri ferre non poſſunt oculi. Cum his autem grauibus linguæ verberibus, manuum quoq; beato verbera infligebant, vehementer verberantes, atque barbam vellentes, & eius veſtimenta lacerantes & lapides quos quatuor ſimul cõiuncti ferebant, eos ſoli Anaſtaſio ferendos imponebant. adeo vt ipſe rurſus loqui
" viſus ſit cum Dauide. Supra dorſum meũ fabricauerunt peccatores. Pro-
" longauerunt iniquitatem ſuam. idq; cum ne ferre quidem per ſe poſſet ferrũ quod erat collo & pedi eius impoſitum: ſed ſub eodem ferro alius quoque cum Martyre pedem haberet vinctum. Quæ quidem ei nectebant omnino multiplicem coronam martyrij. Habes ſi vis, alios quoque dolores, & occaſiones aliarum coronarum. hoc ipſum, inquã, q̃ in conſpectu eorum qui ipſum nouerant, hæc & multa alia probra ab eis pateretur quę iam prius dicta ſunt. à quibus adeò manſit nihil affectus, vt ea putaret potius encomia propter Chriſtum, quã cor eius ab eis morderetur aliquid.

Marzabanas ergo (redeundum eſt enim ad orationis conſequentiam) ratus fore vt Martyr aliquid remitteret de magna illa conſtantia propter eam quæ interceſſerat afflictionem, cum eum rurſus ad ſe produxiſſet. Si vere es, inquit, Mago Patre natus, hoc enim ipſe de teipſo ſignificaſti, & linguam illorum libris ſatis exercuiſti, nobis quoque loquere aliquid ex Magicis. vt nos quoque de tua ſcientia feramus teſtimonium. Ille autem & os & labra & mentem maculari & pollui exiſtimans, ſi horum alicuius meminiſſet. O' Seruator, inquit, qui es meus Dñs, & cõmunis omnium Opifex, ne mihi des omnino vt tale quid aut loquar aut audiam. Quæ cum peruerſus ille ægretuliſſet, & plane deſperans ex ſe nihil habe-

ret

ret quod faceret, Martyri rursus veluti quandam laruã Regem intentat. Et cur tu, inquit, in eisdẽ persistis? Ad priorem cõuertere religionem. Scias enim fore vt de te ad Regem referatur. Ille autem sciens nihil referre an ab ipso an à Rege puniretur, quandoquidem ambobus inhumanitas vna est & sæuitia, Fac, inquit, quod vis. Forte enim iam scripsisti, & respõsum accepisti. Is vero existimans se ipsum ita esse perterriturũ. Ego quidem, inquit, nihil de eo adhuc scripsi. sed iam, vt vides, scribere aggredior. Hoc Martyri nullam omnino attulit curam aut sollicitudinem. Qũo enim, cũ potius gauderet se pati propter Christum, & plagas quidem remunerationes, damnum autem putaret remissionem & eorum qui castigabant ipsum misericordiam? Quid autem oportebat eum talem Regem curare qui ad Christum solum aspiciebat, & eum verum esse Regem & Deum crediderat? Ille ergo sicut dixi, nihil ambigens, Qualescunq;, inquit, volueris, & quomodocunq; de me scribe litteras. Christianus enim ego. & rursus fateor, sum Christianus.

Quamobrem cum Dux spem abiecisset omnium quæ possent illum persuadere, ad vim rursus reuertitur: iubetq; humi extensum Martyrem tandiu verberari, donec profiteretur facere quod iuberetur. Ille autẽ quod iubebatur quidem æquo animo & lubenti suscepit, solummodo lictorum manibus, vt ab illis extenderetur teneri non sustinuit. Sinite me, dicẽs. Nõ opus habeo vllo qui me teneat. Nam hoc ipsum, Pati. s. propter Christũ, nequaq; est inuoluntarium. sed quod ego non minus q̃ aquam æstate sitio & quod magis q̃ vllas voluptates & delitias amplector. Cum ergo pronus humi cecidisset, & ipse ipsum sensim extendisset, tam crebris & tã continentibus verberabatur clauæ ictibus q̃ imber deorsum cadit. cum ab inimicis solam illam petiisset gratiam, vt exueret venerandum Monachorum amictum: & nudis verberaretur carnibus. Ne is, inquit, vna cum meis membris probro afficiatur. Sic ille non solam vitæ ex Deo institutionem, sed etiam eius signa omni honore afficiebat. Sed ille quidem diu tam crudeliter torquebatur, cum nec ab vllo omnino teneretur, nec premeretur, & non se transferre aut omnino mouere prohiberetur: sed ipse seipsum valide teneret & immobiliter. non vi manuum, sed animi. & naturæ necessitatem vincens 6 necessitate liberi arbitrij. & acres corporis dolores acri vincens Dei desiderio. & præsentes molestias consolans spe futurorum.

6 *Pie lege, necessitate liberi arbitrij, nam cum uoluntas nostra sit libera, nulla necessitate cogitur, sed necessitate arbitrij positum est, p firma & stabili patiendi uoluntate.*

Cum aduersus hæc stultus ille Dux nihil sapientius posset excogitare, quod tantæ fortitudini opponeret & tolerantiæ, ei rursus quoque Regem intentabat & rogabat vt persuaderetur Athleta. Nã de te, inquit, ipsi Regi significabo, perinde ac si vni puero vtre terrorem afferret, vt dicitur. Ille autem eadem quæ prius respondit: & quod eius animo placeret iussit facere. Quocirca ille quoque rursus rogabat similiter. Deinde, dicens, Non times, Regem? Quamobrem, inquit, Martyr. & quid eiusmodi sum ab eo passurus? An nõ, inquit, ipse quoque homo est, in quem idem interitus cadit & mors eadem? Quemnam ergo me oportet magis timere, eũ ne qui æque atque ego interit, an eum qui semper est, & qui cœlum & terrã, & quęcunq; sub aspectum cadunt & percipiuntur intelligentia, ad hoc vt essent produxit? Cum ergo vidisset Dux rursus inutilem fuisse suum conatum, cũ in constantia pro pietate nulli cederet Anastasius, rursus Athle-

tam transmittit in custodiam. Quõ autem solet quis quod vult facile expectare, post aliquot dies rursus sanctum educit è carcere, adhuc aliqua ei spe blandiente. & acceptis, inquit, magicis sacrifica : ne te stulte hac luce priues. Martyr autem, Quibus, inquit, me iubes Diis sacrificare. Ille vero, Igni, inquit, & Soli, & Lunæ. Ergo etiam montibus, inquit Martyr, & collibus, & pecoribus, & omni seruituti hominum. quibus imperare iussi sumus ab opifice. non autem eis potius parere, vt vos vultis. non tanquã propter nos factis vtentes : sed perinde acsi nos propter ea producti essemus, ita ea honorantes, & Deos turpiter nominantes. Cum his verbis Martyr ducem obstupefecisset, rursus abductus est in carcerem. hoc prætextu quasi deesset quod resp õderet, damnatus ad carcerem. Abductus est ergo & decore confessionis glorians, & vinculis propter Christum.

Cũ autem de eo resciuisset is cui in monasterio fuerat credita eius animæ cura: qualem, inquam, prodctus ad Præsidem sæpe ostendisset confessionem: & quemadmodum ipse cõstituisset omnia pati pro pietate, ipse quoque cum alio cœtu Monachorum repletus est lætitia: ipse etiam putabat se esse vnà cum Anastasio, & in membris illius decertare. & cum non posset opem ferre sua præsentia, opem ferebat precibus & atramento. Et partim quidem Deum vehementissime rogabat cum tota fraternitate, vt pulchre per martyrium ei perficeretur stadium. Partim autem duobus quoque missis fratribus, promptum & alacrem eius animũ magis auxit. Interea vero dum Martyr custodiebatur in carcere, diuinis verbis & sententiis se oblectabat assidue. & neq; nox eius ad Deum 7 hymnos, neq; grauium illorum vinculorum & reliquæ afflictionis labores eos interrũpebant. Quinetiam cũ quidam iuuenis qui captus fuerat propter aliquod maleficium, cum Martyre haberet collum & pedem colligatum, noctu surgens sanctus, vt Deo consuetas redderet glorificationes, & ei nollet afferre molestiam, sed vt dormiret & quiesceret curam gereret, collũ ad iacentem inclinabat, & pedem illius pedi admouebat, ne extensis catenis iniucundum & molestum ei somnum efficeret. Vna autem nocte aliquãdo eum psallentem quidam ex iis qui erant vincti in custodia exaudiit, Hebræus quidem religione, isq; valde insignis. mitis vero ac mansuetus, & valde bonis moribus. Qui cum beatum illum vidisset interdiu quidem vexari portandis lapidibus: noctis autem quietem rursus interrũpi stãdo & orando: & nihil omnino remittere de sua constantia: neque defessa mẽbra paululum recreare, cogitabat apud se quisnam hic esset: & quænam ei obtigisset adeò robusta natura, tamq; firma ac valida, laboribusq; minime cedens & inexpugnabilis.

7 *Vides nocturnam hymnodiam etiam antiquis monachis fuisse in vsu?*

Ille itaq; fixis oculis aspiciens Martyrem matutinos hymnos 8 decantantem, & tota mente ad Deum peregrinantem, & quę vel ante martyrium rapiebatur cum corpore, videt quosdam repente candidatos, & pallio, sacraq; illa omnino veste, & venerando indumento Pontificum amictos, veluti quandam ex se lucem emittere, lucem visu quidem iucundissimam, ad explicandum autem non facilem, vel potius ad videndum quidem maiorem q̃ vt ea humanus possit conspectus assequi, aut quam vlla quod viderit referre narratio. idq; obscura nocte cum luna non luceret, sanctum virum in orbem circundantes. Quos cum Angelos esse putasset, sicut erant re uera, paulopòst videt etiam Martyrem qui eundem

8 *Aspiciens martyrem matutinos hymnos decantantem.*

ſplendorem & ſimilem illis habebat amictum. Deinde etiam quidam adoleſcens ſpecie & pulchritudine eximius, ſuſpēſum dextera geſtans thuribulum, in magna quæ erat circa ipſum gloria Angelorum, ſtabat ante Martyrem ſuffumigans. Cum ille ergo hæc videret, & cor haberet perculſum nouitate ſpectaculi, erat quidem perplexus animo adeò vt eum etiam excitarit qui propè dormiebat, erat autem is Chriſtianus, cui fuerat commiſſa præfectura Scythopolis, & ſocium tanti fecerit ſpectaculi. manus autem nequaquam ſequebatur. ſed attenta quidē mente & fixis oculis attendebat iis quæ videbantur. erat vero corpore immobilis & mutus. ſiue repentina illa admiratione eum reddēte immobilem. ſiue Deo etiā aliquid aliud diſpenſante & prouidente ſapientius & occultius. Cum tñ is qui erat propinquus ſe vix tandem proxime admonuiſſet, non poterat enim vti pedibus & manibus, conturbatus ille ex eo cauſam rogat. Ille autem timore perculſus ei viſionem indicans: &, vides, dicens, vides, non prius verbum abſoluerat q̄ꝫ viſio euanuerit. Atque Præſidi quidem cum ad videndum ſpectaculū totos defixiſſet oculos, nihil licebat videre. vinctus autem ille omnia ſigillatim ei narrabat cum voluptate & admiratione. Et hæc quidem, ne piæ animæ tanto priuentur miraculo. Nobis autem rurſus quocꝫ via procedat oratio martyrij. ſuā ſeruans conſequentiā.

Poſtquam enim videns Marzabanas eſſe plane Martyrem immobilem, & non ſolum vnam mortem ſed etiam ſi fieri poſſet, plures, paratum eſſe pro pietate alacriter ſuſcipere, ad Regem Choſroëm de eo retuliſſet, & quemadmodum eſſet is tractandus ab illo didiciſſet, cum ipſum è carcere accerſiuiſſet, eum ſuo aſpectu non dignatus, ſignificat per eum qui dicitur Meizoteros, ideſt maior. Ecce, inquit, Rex tibi imperat, vt qm̄ fieri nō poteſt vt ſis omnino impius, verbo ſolum abiures Chriſtianiſmum. & ſtatim ſolueris è carcere & à vinculis. & de cætero ſiue velis eſſe Monachus, ſiue Caballarius, hoc ſitum erit in tuo arbitrio. Martyr autem rurſus reſpondens. Abſit, inquit, ò Chriſte Seruator, vt negem tuam pro trinitate confeſsionem, neque animo, nec labris. Poſtquam autem poſt multas alias Præſidis machinationes, ne ſic quidem pulchram illam remitteret conſtantiam & dicendi libertatem, hanc ei poſtremam adhibet periclitationem. Hęc cum per maiorem rurſus ſignificaſſet. Scio, inquit, ꝙ cū te multorum pudeat intuitus, & maxime eorum qui ſunt ex eadem regione & tribu, ea de cauſa in eorum oculis ne hoc quidem facis leue & expeditum, vt verbo ſolum tuam inficietis religionem. Quid enim, inquit, ea ex re detrimenti accipitur, cum cor non ſimul loquatur? Qm̄ vero de iuſſu Regis hic agitur, quem non licet cuiquā omnino repellere: ſi, quod eſt hoc multo leuius, hoc dixeris in meo conſpectu & quorūdam duorum Sellariorum, liber eſto à carcere & ſuppliciis. Quæ cum ille dixiſſet, fudit preces Anaſtaſius prioribus ſimiles, dicens. Neque tu me videris, neque vllus alius. Non ò Rex & Deus, ne ſpecie quidem tuum nomen, neque in ſomnis aut vllo alio modo negantem.

Cum ergo videret Præſes, ꝙ aduerſus tam fortē & tam excelſum animum nihil per ſe efficeret, reſq́ꝫ ea & ſuas vires ſuperaret & modum dignitatis, cum beatum in ſuum conſpectum adduxiſſet, Ecce iuſſus ſum, inquit, in ferreis vinculis te in Perſidem tranſmittere ad Regem. Martyr autem, Ego, inquit, ſi mihi à te permitteretur, etiam abſq́ꝫ vllis vinculis

illuc accederē. Quid enim in me opus est vinculis, qui lubēter patior propter Christum. ad quem. s. mittor? Cum eum ergo tūc quoque Iudex sic vidisset affectum, & neque minis cedenten, neque inescatum blanditiis, planeq; insuperabilem & inexpugnabilem, cum ei & duobus aliis ex piis iniecisset signaculum, tradit in carcerem publicum, vt qui post quintum diem iter essent inituri. Cum interim autem venisset 9 festū venerabile, viuifici, inquam, ligni exaltationis, & ipse admirabilis Anastasius, & duo ex fratribus qui ad eum accesserunt, & qui eandem quam ille notam Iudicis acceperant, & quidam alij viri pij qui erant in ciuitate, cum totam illam noctem 10 celebrassent precibus & psalmodiis, effecerunt, vt qui erant in carcere, omnium suorum malorum obliuiscerentur. perinde acsi versarentur in domo eorum qui festum celebrarent, non in carcere. Mane vero ad Marzabanam ingressus Comerciarius, vir pius, & qui sciebat misereri animarum affectarū molestia, & consolari in afflictionibus, roget Præsidem vt ex carcere soluatur Anastasius, vt ipse posit interesse festo Christianorum.

9 *Nota festum Exaltationis sanctæ crucis.*

10 *Cum totam illam noctem celebrassent p̄cibus & psalmodiis.*

Cum ille autem hoc concesisset, & venisset Martyr in ecclesiam, cōsolatio gaudium & lętitia circunsusa fuit piorum animis. Eos enim nuper inuaserat tristitia & mœror, propterea q̄ quæ dici nequeunt ei infligerentur molestiæ. Multi autem iam erant socordes in pietate, & veniebant in periculum. ne statim caperentur miserabiliter laqueis inimici. cum non esset qui redimeret, nec qui daret salutē, seu erigeret cadentes & victas eorum animas. Cum vero Sacer Anastasius tunc esset ingressus ecclesiam, tantus eos zelus subiit pro pietate, & vel ex solo eius aspectu sic est cor eorum inflammatum, vt non solum ipsi parati essent ad mortē pro Christo & pietate subeundam, sed eius etiam vincula deoscularentur: & desiderij lachrymas eis instillantes, ei animum adderent laudibus & adhortationibus, eiusq; magis accēderent & inflammarent amorem martyrij. Et hæc quidem aliqui qui iam erant labefactati tempore & contumeliis, & iam spectabant mutationem & eius quod est honestum proditionem. non solum viri, sed etiam mulieres. Naturæ enim non est hic differentia, propterea q̄ sit communis electio & institutum. Sic tunc fuit populo festum duplex. Vnum quidem diei præfiniti: alterū autem aduentus Martyris. Nam postquam sacrum quidem fuit celebratum 11 mysterium, Comerciario non dimittēte, sed Martyrē vehementer vrgente, & rogante vt ad illius domum veniret. putabat enim vel solū illius aduentum impertiri posse sanctificationē. partim quidem ille cedens, partim autem coactus, cum duobus monasterij fratribus illuc accedit. Vbi cum se inuicem in conuiuio accepisset & lætificassent, in custodiam lubenter reuertuntur.

11 *Sacrum celebratum mysterium, Missæ sacrificium nuncupat.*

Cum iam autem dies venisset præstitutus, egreditur è ciuitate Cæsareę cum duobus illis viris Christi amantissimis qui ipsi quoque aliqua de cā fuerant appetiti calumniis, lachrymis, adhortationibus, eiulatibus, gratiarum actionibus, lamentationibusq; & precibus multis eum prosequentibus, non solum ex Persis, qui cum Anastasio. s. communē habebant patriam & sanguinem: sed & iam ex nostratibus & alienigenis. Communē enim esse orbitatem illius ducebant separationem. sicut rursus etiam proprium vnusquisq; honorem. adiiciam autem gloriæ quoque coronā, eius pro pietate constantiam & confessionem. Quocirca vtraq; tunc conue-

niebant.

niebant: & ciuitati diuisi erant animi duobus animi motibus. Alter aūt ex fratribus vnà cum Martyre profectus est in Persidem, & est vnà peregrinatus.qm̄ ita iusserat Præfectus. partim quidem vt ei subministrarentur necessaria, & vt eius consolaretur animum q premebatur tanta malorum perpesione. partim aūt vt cum apud hūc virum pręclarum semper adesset, & eius videret omnia, posset illa postea aperte Præfecto narrare & fraternitati. Non quæ ab alio audiuisset, sed quæ ipse vidisset: & quorum haberet testes suos oculos. Atque qui viæ quidem erant continentes vici & ciuitates, per quas ille obiens transibat, ita eum venientem excipiebant, & discedentem prosequebantur ac deducebant, & vtrunq; cum tanta pietate & reuerentia, vt ipse suspectum habens nimium honorem, ne de ea quam illinc à Deo expectabat gloria aliquid detraheret, scripserit Hierapoli ad Præfectum monasterij, vt pro eo Deum rogaret, vt pro his conseruaretur non condemnatus in eo quod illic est iudicio. & scripserit etiam apud Tigrim fluuium, rogans similiter vt pro eo oraret, vt inflexibiliter & citra vllum lapsum ab eo martyrij cursus consummaretur.

Cum iam autem peruenisset in Persidem, datur in custodiam sitam in quodam prædio quod vocatur Betsalöe, quæ ad sextum lapidem distat à Discartha, in quo Rex versabatur Chosröe. Qui vero cū eo erat frater, in domo Cortacti qui erat illius Iesdin filius, fuit hospitio acceptus. Et carcer quidem martyrem habuit cum maleficis. Cum autem post aliquot dies de eo fuisset relatum ad Chosroen, ille misso vno ex magistratibus eum rogauit quisnam esset, & cuias, & quidnam eum mouisset vt patriā relinqueret religionem. Is verò per quendam respondet interpretem. Nā ne voce quidem persica volebat vti amplius. vt qui eam abiurasset linguam vnà cum religione. aut linguæ potius esset infensus propter falsam religionem. Respondet ergo, Qm̄, dicens, vester Deorum cultus est manifestum exitium & error Dæmonum. Quem quidem cum ipse aliquando sequerer, nuper luce commutaui tenebras, & die noctem, & Sole obscutā caliginem, illi Deo me dedicans qui est cœli & terræ & omnium quæ videntur & mente percipiuntur opifex. Cui magistratus. Miser, inquit, Nō is quem vos Christiani colitis, eū cruci Iudæi affixere? Qūo ergo Persicæ religioni Christianorum res prætulisti? Martyr autem. Quòd fuerit quidem, inquit, à Iudæis crucifixus, ipse quoque assentior. Sed sua sponte, & pro bonis ingratis & qui sumus beneficij accepti immemores. Eius enim benignitatis & clementiæ est hoc vel maxime admirabile, q̄ cum esset Deus, & Seruator omnium, & opifex huius vniuersi, non solū propter nos serui formam accepit cum de cœlo descendisset. sed etiam pro nobis crucem volens subiit & mortem, vt nostrum peccatum tolleret, q̄ ex maligni insidiis & fraudibus inflictum erat hominibus. Vos autem inimicum prætulistis, qui stulte illius fraudes in hodiernum vsque diem sequimini. & Soli sacrificatis, & igni, & Lunæ, nullam ne Christi quidem cædis, si non alterius, ducentes rationem.

Respōdens autem Magistratus. Quid tibi, inquit, cum his stultis verbis & superuacaneis? Ecce enim tibi à Rege insignes dignitates. & Zonę aureæ. & equi. & quæcunq; illustria & gloriosa, sunt parata. Agedū ergo patriam suscipe religionem. Ad hæc Martyr. Mihi, inquit ò Præses, quæ hic sunt iucunda, valdeq; expetenda & inuidiosa. nomen 12 .s. delitię & *Vides quod nomen* 12

deliciæ, diuitiæ & splendor tibi debent esse cōtemptui, ò qui uitam suscepisti monasticam.

diuitiæ. & splendor, iam sunt diu abhinc contemptui. vt qui vitam susceperim monasticam, & à sola spe quam hinc concepi pendeam. Huius rei etiam antequam loquar, hic venerandus Monachorū habitus & hic vilis pannus est certus nuncius. Qūo ergo ea in quæ omne studium omnemq; meam curam contuli & sollicitudinem, ea nunc habebo contemptui, Regis qui est ad tempus, & in quē cadit interitus, inductus promissionibus? Ad quæ cum non haberet magistratus quid diceret, reducit. ad eum qui miserat è custodia. ei lingua omnia significans. Qua de causa ille non leuiter indignatus, iubet cum suasione vim quoq; adhibere: & verbis etiā miscere supplicia. Sequenti autem die cū rursus magistratus venisset ad custodiam, ea quæ impetrata fuerant cœpit reipsa exequi. & iussit vt per vim protrusum illinc Athletam abducerent. ipse quoq; multas minas intentans, vehementiq; insultu & tumultu se fortem & strenuam illam animam perterrefacturum existimans. Ille vero nihil effœminatum, nihil quod sit pusilli & abiecti animi, & nihil quod sit indignum iis quæ pręcesserant prę se ferens, cum illa consueta & iucundissima morum simplicitate. Ne labores, inquit, neq; defatigeris dn̄e Præses. Mihi enim q sum mei Christi gratia confirmatus, non persuadebis vt à pietate deficiam. Fac ergo quæcunq; vis à nullo abstinens.

Hanc Anastasii cum prudentia constantiam nulla moderatio excepit aut humanitas. sed vinctus more persico virgis cedebatur crudeliter. Cū is autem verberaretur, hæc decantabat Magistratus. Cū maximis Regis donis & honoribus persuaderi non sustinueris, ad hæc sis deinceps paratus. Sic enim te quotidie verberans consumam plagis. Ille autem cum eum iuberet rursus quæ vellet facere, iubet Martyri relaxato à vinculis cum extensus esset supinus, lignis medias intercipi tibias. vtraq; autem eorum extrema premere viros aliquot robustos, qui & corporum magnitudine & ętatis vigore præstarent. Martyr autem cum sic eius tibiæ præmerentur vsq; ad ossa, magno & excelso animo & plane philosopho tolerabat. Quod quidem cū vidisset Magistratus, & cognouisset se ex eo magis augere eius patientiæ & tolerantiæ constantiam, rursus in tutissimam eum tradit custodiam. vt de eo rursus referret ad Regem. Cùm is autem cui erat cōmissa cura carceris Sellarius, esset religione Christianus, & ideo eorum misereretur qui pro pietate laborabant & eo quod est bonum & honestum, & eos qui vellet ex Christianis cōcederet ingressum, interdiu ingrediens sine vlla prohibitione frater monasterij, qui cum martyre soluerat ex Cęsarea, cōsolabatur illam asperam & tetram in carcere habitationem, & quos ex plagis senserat dolores, & quas ex vinculis & alia malorum perpessione acceperat molestias. Multi quoq; alij viri pij, cum quibus illius quoq; Iesdin filij ad eum ingrediētes, ad speciosos eius pedes, & bona aperte euangelizantes, procidebant. & vincula deosculabantur. & rogabant vt ab eo aliquas consequerentur preces & bn̄dictiones. Cū is autem hæc omnino minime admitteret. (Ille enim toto semp̄ animo & mente, humanæ gloriæ, huius, inquam, vanæ & infidæ & fallacis, & quæ nihil habet firmum ac stabile, resecabat occasiones) ipsi vinculis ceram immittentes, quæ ex illis exprimebatur effigiem, tanquam maximum aliquod remedium & salutare ad omnem morbum & dolorem soluendum efferebant.

Non multum temporis intercesit, & rursus veniens ille magistratus in custodiam, an iussis cederet regiis frustra interrogabat, aut potius quęrens occasionem gratificandi animo crudelissimo, qui pœnas cupiebat sumere. Cũ is autem non parum egre tulisset interrogationem, & magna contentione et motione capitis id quod sępe dixerat nunc quoq; rñdisset. Scito me Christo & pietati nihil esse prælaturum, iubet eum rursus quoque clauis verberari sicut prius. Cum vero viri statuam potius q̃ virũ visi essent verberare, quantum licuit coniicere ex eo q̃ esset eius animus planè inflexibilis, eo quidem relicto in custodia recedit magistratus. & aliquot interiectis diebus ad eum reuertitur, varias artes & rationes excogitans. & nunc quidem minis & promissis. nunc autem minis & suppliciis eum reuocans ad negandam pietatem. Cũ autem idem esset Anastasius, & nec his inclinaretur, nec illis deliniretur, prioribus vinculis & plagis est traditus. Deinde cũ fuisset relaxatus á vinculis, ex altera manu suspenditur, cum lapis grauissimi ponderis esse alligatus alteri ex pedibus. Cũ eum ergo sic pendentem & sic diuulsum duabus horis reliquisset magistratus, videretq; robur ac firmitatem minime dissolui Martyri, illum quidem remittit. ad Regem autem reuersus, immutabilem eius mentem significat & summam animi fortitudinem. Ipse quoq; ei consulit ne amplius periculũ faciat in Anastasio. nec permittat vt tanta altitudo & magnitudo imperĳ ab vnius viri constantia videatur superata.

Hinc cum omnem spẽ superandi Martyris Rex abiecisset, mittit post decimumquintum diem, & dictum magistratum, & quosdam alios ex subditis: vt non solum sanctum, sed multos quoq; alios Christianos cum eo interimerent. Illi autem cũ venissent in carcerem, expellunt Christianos captiuos non pauciores q̃ septuaginta vnà cum Martyre. cum quibus erant ĳ quoq; qui cum Anastasio Cęsareę damnati fuerant ad custodiam signaculiq; & viæ duo fuerant ei socĳ. quos cũ eduxissent ex prædio Betsaloes, in quo fuerat carcer ędificatus, & ad fluuiũ statuissent, eos sigillatim diuidentes, & eorum collo funem iniicientes, & miserabiliter ante oculos Martyris suffocantes, sancto in vnoquoq; submergendo dicebant. Cur vis, sicut vnus ex his, violenter tolli de medio, & non potius Regi parere. & priorem consequi felicitatem? Ille autem cum his mentẽ adhibuisset, & in cœlum oculos sustulisset, & Deo ingentes egisset grãs, q̃ iam pro ipso mortem videret esse subeundam: Deinde ad illos quoq; conuersus. Ego, inquit, pro Christi mei charitate, ardentiq; & vehementi in eum amore, expectabam omne membrum minutatim conscindi. expectans nouam aliquam & inauditam mortem. Qm̃ autem hæc est ea quã vos mihi minamini ago tibi gratias soli Deo meo & Seruatori Christe Rex, q̃ morte quæ vsque adeò vacat omni labore & molestia. quã quidem paulopòst ipsa quoq; attulisset natura, me voluisti emere honorem martyrĳ. Cũ hæc dixisset, & hæc vltima verba præclare esset locutus, ęquali morte sic quoq; est consummatus.

Carnifices autem cum sacrum illud caput amputassent, vt eũ esse interfectum ostenderent, ad Regem deferunt. Sellarium vero qui præerat custodiæ carceris, cũ esset Christianus, & sciret martyrum honorare corpora, vellet autem sancti tollere reliquias, & eas separare ab aliis: ne tantum lateret bonum permixtum cum cęteris corporibus, prohibuere car-

nifices. Cum filiis autem Iesdin annunciata fuisset viri consummatio ad quam euntem Martyrem illorum pueri consequebantur & illi seruiebãt, ij pecunia corrumpunt carnificum diligentiam. & vt corpus sibi liceret in loco separato deponere, non paucis emunt pecuniis. Deinde is quoque Monachus qui cum Martyre excesserat è Cæsarea, & cum decertante ad finem vsque manserat, cuius etiam sępe fecimus mentionem. cum & pueros filiorum Iesdin, & quosdam ex iis qui illic erant Monachis in noctẽ sequẽtem assumpsisset. & vt Martyris corpus pie & sancte componeret venisset. O' qũo ò Christe laudabo miraculorum tuorum magnitudinẽ, inuenit canes alia quidem corpora toto ore exedentes, ab hoc autem solo se abstinentes. vt quod non subiiceretur amplius legibus corporis. Iam enim erat pulchritudinis corona in manu Dei, diuinus dixit Esaias. & diadema regni in manu Dei eius. Cũ sustulisset ergo corpus Martyris, & mundis linteis quę dedere filij Iesdim pro vltimis corporis exequiis, mũdas illas & sanctas 13 inuoluisset reliquias, in Sergij Martyris monasterio quod ad vnum lapidem distabat à vico, deponit. decimoseptimo quidem anno imperij pij Heraclij. vicesimo autem secundo mensis Iañ. Is enim fuit dies qui vidit decessum Martyris.

13 *Cum mundas illas & sanctas reliquias inuoluisset &c.*

Sequenti autem die duos ex iis qui erant in custodia licuit audire hæc inter se narrantes. Dicebat enim vnus alteri. Vidisti quemadmodum canes qui heri venerunt, reliquis quidem corporibus se cupide impleuerunt, abstinuerunt autem à solo corpore illius Monachi & quemadmodum postquam se aliis exatiassent, prope illud sedentes, visi sunt potius esse custodes. horis deinceps duabus neque recedentes, neque corpus tangentes? Alter autem rursus excipiens orationem. Ego vero, inquit, cũ vespere ex specula in domum reuerteret, videbar mihi videre stellam quandam terrã tangentem, iucundum quendam & perspicuum splendorem emittentem. Spectaculi itaq; nouitate obstupefactus, q.s. non sicut aliæ, sed humilius & terræ vicinius resplenderet, vado vt videam quidnam sit illud quod apparuerat. cum autem fui prope illum locum, illam quidem stellam videre nõ poteram: sed solum corpus Monachi quod iacebat super terram. Hæc cum narrarent & mirarentur milites, quidam ex Christianis captiuis qui exercitati erant in lingua Persica, qua tunc illi inter se vtebantur, intellexerunt ea quæ dicebantur. Ex quibus duo quidam relaxati à custodia post interemptum Regem Cosroëm, vnà cum multis aliis venerunt in sanctam ciuitatem quibus quidem Martyr cũ vnà cum eis esset in carcere, de sua consummatione, & de eorũ liberatione, & de sęui persecutoris, & Tyranni potius q̃ Regis interfectione, verissime prædixerat, sic aperte dicens. Sciatis fratres mei me boni quidem Dei gratia cras esse consummãdum: vos autem paucis pòst diebus liberandos, qñ Rex iniquissimus & sceleratissimus fuerit interemptus. Cęterum vobis, cũ Deo omnino regente & ducente in sanctam fueritis reuersi ciuitatem, curæ erit ad Abbatis Anastasii vos conferre monasterium, & eos nostro nomine salutare: & omnia annunciare patri meo & fratribus. Has prædictiones cum illi non solum audiuissent, sed effectum etiam vidissent consecutas, vltima mandata Martyris non neglexere. sed venire ad monasterium pluris q̃ ipsum facientes reditũ, & ita vt erant fessi ex itinere cum suo viatico venientes in monasterium, exposuerunt omnia fraternitati.

Frater

Frater autem cuius sępe facta est mentio (ad eum enim ex consequentia nos rursus reducit oratio) cum corpus Martyris pie & cum eo quo Martyrem par est honore & reuerentia, deposuisset in magni Sergij monasterio, ipse quidem aliquãtum temporis est ibi moratus, quemadmodũ ad eum qui misit, & fratres, saluus & sine periculo perueniret considerãs. Decimo autem die postq̃ depositæ fuerunt reliquiæ, eo venit cum exercitu Rex alius, non qualis is qui prius dictus est, persecutor, & religioni infestus, & in scelere eximius, & planè profligatus: sed valde ęquus & mansuetus, pietateq́ & humanitate illi planè contrarius. Quos cum lubenter vidisset Monachus in externa regione tanq̃ quasdam lucernas in tęnebris, à cura de reditu & ęgritudinis onere mox respirãs, & veluti animi pondere leuatus, vt qui fraternitatem & monasterium se esse propediẽ visurum speraret, lingua eos græca alloquitur. ea ratione sui notitiam aperiens. Illi autem cum eum nouissent esse Christianum, quod quidem rarũ erat apud Persas, hoc enim & Monachorum significabat indumentum & sermo, rogarunt eum cur illic moraretur. Cũ is vero eis sigillatim de beato exposuisset Anastasio, illi partim quidem desiderio Martyris, partim autem Monachi moti misericordia, cum virum in sua accepissent tabernacula, tectiq́ & mensæ socium eum deinceps fecissent, & vt decet Christianos & Martyrum amantes in eũ affecti essent, eduxerunt ipsum per Armeniam. Qui cum post annum peruenisset ad monasterium, præfecto & fratribus iucundissimum lautumq́ & magnificũ exhibuit epulum, nempe de sancto Anastasio narrationem. vt qui etiam attulerit monasticum illius colobium, quo indutus erat in ipsa resolutione: nec attulerit solum, sed simul etiam mira quædam narrauerit.

Dicebat enim fuisse quendam fratre in monasterio in quo positæ erant reliquiæ, ętate iuuenem, qui à maligno spiritu detinebatur. Cum autem Præfectus à me sępe petiisset colobium, & hoc simul atque accepisset iuuenem 14 induisset, ò celerem visitationem, ò promptissimum auxilium statim exuit Dæmonem, vt qui sicut frigus calori, vel luci tenebræ, huic Martyris panno facile cessisset. In gloriam Dñi nostri Iesu Christi. Quem decet omnis honor & adoratio. Nũc & in secula seculorum. Am.

14 Frater iuuenis Martyris colobio induitur, & statim Dæmonem quo erat obsessus exuit.

CERTAMEN SANCTI PATRIS NOSTRI *Clementis Ancyrani Episcopi & Martyris.*

Ianua. 23.

POST ducentesimum & quinquagesimum annum Domini nostri Iesu Christi in cœlum assumptionis, anno duodecimo Valeriani Imperatoris, Consulibus ipso Valeriano & Luciano, ille vere magnus & admirabilis Clemens, Ancyræ Galatarum prouinciæ, tanq̃ egregius aliquis palmes, multis boni spiritus botris erat omni ex parte plenus. Ea enim cum ipsum tulisset, & multis etiam aliis ciuitatibus misisset pręclarum exemplar martyrij, ipsa quoq́ collegit pulchros fructus consummationis. Erat autem genere insignis, ex nobili quidem ex alto deductus sanguine. Erat enim ei pater & mater. hæc quidem ex ambobus parentibus claris & fidelibus. ille autem in religione à sophia fideli valde dissidens, & gẽtili deditus stultitiæ. Nã

cum eam haberet vitę sociam & habitationis, multa semper dicens & faciens, conabatur eam facere sociam religionis. Ea autem cum animi magnitudine maritum superaret, hoc maiori studio contendebat vt si qua ratione fieri posset, eum deduceret ad veram pietatem. Sed ille quidem dormiens in profundis erroris tenebris, erat sua sponte malus: & recusabat aspicere magnam lucem veritatis. Quocirca sic quoque miser duplici morte moritur, nēpe carnis & animæ. Solus autem vxori filius, hic Clemens admirabilis, ex ipso relinquitur, adhuc infans, & quem mater suis tenebat vlnis, & eius alebatur vbere.

Cū sic ergo esset mater marito vidua, labaretque adhuc spes eius de puero, ei tantam dabat operam et ei tam diligenter attendebat, vt ei esset oīa, & pater, & pedagogus, & mater. Nam primum quidem eum studiose alebat, & ea faciebat quæ par est matrem filio. Cū autem iam ad eam peruenisset ętatem in qua sunt pueri capaces disciplinarum, ei rectam pietatis rationem recte sapiens suggessit, vt quæ eum recte Clementem nominauerit. vel potius prophetice, & vt fini conueniebat. Sciebat enim eum futurum veluti quendam palmitem veræ Christi vineæ, & ei producturum esse fructum multarum animarum. etiam si multi Reges veluti quidam non boni Agricolæ eum sępe multis totonderint suppliciis. vt deinceps procedens declarabit oratio. Cū ita se haberet Clemens, & à matre beneuola tam pulchre aleretur atque educaretur, propinquum illa sentiens decessum, puerum benigne & amanter complexa, qui duodecimum nondum annum compleuerat, non magis eum suarum facultatum, quā thesauri qui est in cœlis, hæredem conabatur facere, hæc cum suauissimis ei mandans amplexibus.

Clemens ἀπὸ τοῦ κλήματος. quod significat palmitem.

Fili mi, fili carissime, fili, qui prius quā tuum videres patrem, vidisti orbitatem, Dei autem patris opibus es locupletatus, & orbitate vsus es ad felicitatem. ego quidem te produxi corpore. Christus autem regenerauit per spiritum. Cognosce tuum patrem. vide ne eius filij denominatio sit tibi falso imposita. Serui soli Christo. in Christum tuam colloca fiduciā. Is verè est immortalitas. is salus is qui de cœlo descendit propter nos: & nos quoque vnà secum in altum extulit. & filios suos effecit & Deos. Qui ergo huic paret Dño, superabit quæcūque sunt difficilia. non solum qui simulachra honorant Tyrannos & Reges deprimens & deiiciens: sed eos etiam qui ab ipsis honorantur Dæmones pudore afficiens, eorumque ducē & Præsidem Diabolum. Deinde inter loquendum oculos suffusa lachrymis, & diuina contemplatione impleta à gratia, ea etiam quæ erant euentura Clementi persequitur vel maxime prophetice. & rogo te, dicebat, fili charissime, rogo te, vt mihi des vnam gratiam pro omnibus. Qm̄. n. instat tempus difficile: & vehementer spirat impietatis persecutio: es aūt ipse quoque, vt noster dicit Dominus, ad Reges propter ipsum Præsidesque ducendus, hunc mihi honorem concede fili, vt pro ipso stes fortis & strenuus: & mihi firmam ac stabilem conserues confessionem. & confido in Christo meo, ò membrum meum, confido, quod citò in tuo quoque capite florebit corona martyrij.

Para ergo te ipsum: & ad magni animi virtutem tuam incita animā, ne te imparatum offendant certamina. Non enim aduersus hostes contemnendos, neque de rebus leuibus est decertatio. Sed sunt aduersarij qui-

dem ipse malignus illiusq; ministri & Satellites. agitur autem de vita ęterna & honore. aut rursus de dedecore quod nunquam terminatur & supplicio. Aut ergo te bona adhortentur, aut grauia deterreant. Turpe est ò fili, milites quidem pro conseruo & mortali Rege lubenter mortem oppetere: nos vero non hoc velle similiter subire pro Rege immortali. Quãquam ipsi quidem ab eo nihil accipiunt quod respondeat meritis tantæ beneuolentiæ. Quod enim donum tanti est momẽti quanti vita. aut quisnam post mortem est sensus eorum quæ donantur? Sed si mortuus fueris pro Christo cõi omnium Domino: pro vita quæ est ad tempus, habebis immortalem. pro delitiis & gloria & quæ semper fluunt diuitiis, ęterna fruẽris beatitudine. Quid verò, etsi nunc non moriamur, non paulopòst omnino moriemur: & omnibus cõe reddemus debitum? Et alioqui quę propter Christum mors suscipitur, ne mors quidem iure existimabitur. Semper enim meliore spe futurorum eius sensus adimitur.

Ante omnia autem ò fili, illa sunt consideranda, quemadmodum ipse effector vniuersæ creatæ naturæ, & nostri generis opifex, propter nos homo factus est. & cũ in terram venisset, conuersatus est cum hominibus. Cur non dico id quod est maximum, q; pro nobis quoq; ingratis famulis, Dominus morte est condemnatus. consputus, colaphis pulsatus, & postremo mortuus? Et hæc omnia ipse passus est propter nos & nostram salutem. vt peccati solueretur tyrannis. vt prior tolleretur condemnatio. vt cœli portæ nobis rursus aperirentur. Qũo ergo non erimus venia indigni ò fili, si ipse quidem pro nobis qui grauissima perpetrauimus, idq; cum sit Dominus, talia passus sit: nos autem ne pauca quidem propter illum sustineamus. Hæc ò fili considera, & nihil te separet à charitate Christi. non minæ Præsidum. non tormenta ac supplicia. non metus Regum qui sunt ad tempus. quorum ira cito decidit cum supercilio, & ignis extinguitur: & ensis rubigine obducitur. sed potius te consolentur bona quæ sunt parata Martyribus. & cœlum ipsum quod est tibi propositum præmium martyrĳ.

Hæc quotidie mater ei suggerebat, vt quæ eius qui vere est sapientia spiritum haberet per se loquentem. cum puer iam esset canus prudentia etiam ante ętatem, & profundiore opus haberet admonitione. In fine autem hæc quoq; adiecit. Hęc mihi tuę matri redde ò fili pro tui nutritione. hæc sit mihi merces meorum in te pariendo dolorum ò fili iucundissime. vt ego quoq; mater, ex Pauli sententia, salua fiam per liberorum procreationem. & in membris filĳ glorificer. Ecce enim ò fili, ego quidem iam recedo, senserat enim se morientem virtute gratiæ. & hæc lux sensibilis mihi mane nõ illucescet. Tu vero mea in Christo lux & vita. & te rogo mea viscera, ne ea spe fallar quam de te concepi. Vna mulier Hebræa aliquando septem produxit Martyres: & ipsa in illorum septem decertauit corporibus. Tu autem vel solus mihi sufficies ad gloriam. & beata ego inter matres, q; per te ero insignis. Ecce vado ante te ò fili. & deinceps quidem corpore separor hodie à tuis suauissimis oculis. animam autem meam postquam decessero, existima ò fili à tua semper pendere. cũ qua confidenter Christi adorabo tribunal, tuis gloriãs laboribus. de tuis propter ipsum notis ac stigmatibus me magnifice circũspiciens, & magnificorum illorum præmiorum & lætitiæ futura particeps.

Hæc mater dicebat filio. & simul omnia illius mēbra deosculabatur. Felix ego, rursus dicens, q membra Martyris deosculor, membra offerenda Christo sacrificium. Sic ergo eum amplectens, & q̄ suauissime dissrens, vere beata quiete requieuit, cum spiritum quidem Deo, corpus autē dulcissimas filij manibus commendasset. Ille autem, vt qui in beneuolā
1 matrem fuisset semper pius filius, illud quidem sepelit splendide 1 & magnifice. Ipse vero vitam suscipit 2 monasticam. hoc statim primum matris concedens mandatis, vt à mundo propter Christum discederet, qui postea propter illum à vita quoq; erat discessurus. Atq; Clementi quidem sic matre orbato, Deum enim habebat patrem, ille ei rursus aliam inducit matrem. quæ nec nomine nec moribus quidquā differebat à priore. ipsa quidem & genere insignis & diues. quæ ipsa quoq; similiter vocabatur Sophia: & noctu & interdiu semper versabatur in orationibus. Cū esset autem, si vlla alia, filiorum amantissima, carebat omnino filiis. Diuina vero prouidentia quæ res eorum ex alto administrabat, nec ferens teneram Clementis ętatem esse à matre desertā, & rursus volens explere Sophiæ desiderium, Clementem sapienter ad ipsam adducēs, vt adoptet efficit. Cùm re uera autem esset sapiens Sophia, in ea quæ est ex Deo sapientia ipsa eum instituebat. & perinde ac ipsa eum peperisset, in Clementem erat affecta, & summam curam eius gerebat. Neque verò Clemens minus q̄ par erat in matrem, amorem in eam ostendebat. sed puram quidem ac sinceram in eam reuerentiam seruabat & desiderium. Præceptoribus autem plurimum quoq; fructus mox reddidit. sicut bona quędam terra & pinguis, quæ nequaquam Agricolam propter paucitatem molestia afficit: sed per eorum quæ nascuntur multitudinem prouocat potius ad alia deiicienda semina. ea quidem quæ habebat cōia proponens iis qui egebant ex ęqualibus, suæ autem linguæ eos instituens sapientia, & eos ad agnitionem deducens veritatis.

1 Vides par esse ut sancti uiri & fæminæ splendidā ac magnificam habeant sepulturam?

2 Quid dicis tu qui monachismū garris esse nouitium institutum, cum Clemēs an. Do. CCLXII. uel circa id tempus monasticam uitam susceperit?

Cum itaq; aliquando fames inuasisset Galatiam, & omnibus similiter hominibus & pecoribus afferret exitium, ipse tollens infantes gentilium, quicunq; relicti fuerant orbati parentibus, & quicūq; rursus propter paupertatem in viam proiecti fuerant, & amictu quo corpus tegerent & alimento egebant necessario, alebat, vestiebat, instituebat, & quod his erat longe maius, ad Deum adducebat. ea quidem quę ad corpus pertinebant, ex fidelis Sophiæ pecuniis lætus suppeditans. quæ autem ad doctrinam pietatis, & morum ornamentum, & animæ vtilitatem, à domo ipse proferens ex sapientia spiritus. Quos quidem cum & apud ipsum viuerēt, & ab ipso recte componerentur, & cum eo tecti & salis & assidui essent sermonis participes, & illius doctrina indies irrigarentur, paulatim virtuti assuefecit. & procedēte tempore excitatus est eorum animus vt cum ipso admirabili Clemente decertarent. Quocirca non solum multos habebat filios, sed eos bonos & bene educatos, Sophia quæ prius carebat filiis, veluti quandam ciuitatem ex his cōstruens adolescentibus, Deo vndiq; circūdatam, qui est murus longe tutissimus. Clementi autem cum aliis virtutis laboribus, legumina 3 quoque solum erant alimentū. Ab animatis enim omnino abstinebat. illorum trium semper memor puerorum. quorū corpora cum acuisset ieiunium, effecit vt expugnari quidem non possent ab igne vitiorum, neque fundi flamma fornacis sensilis.

3 Ecce miram abstinentiam cū ciborum delectu.

Sed

Sed enim, Oportebat lucernam imponi cādelabro, & videri ciuitatem quæ est posita supra montem: & Clementem qui resplendebat tanta luce virtutis, nancisci Sacerdotiū. vt sic quoq; pluribus fieret via salutis. Propterea & Dei è superis suffragio, & communi sententia omnium qui erāt in Galatia, primum quidem sacer preco sacri atrij, deinde 4 etiam paulo pòst Diaconus creatur & Presbyter. Cum duo autem deinde anni præteriissent, ad Episcopalem quoq; sedem prouehitur. alius inter Sacerdotes hic quoque exortus Daniel, vt qui etiamsi esset iuuenis, omnē tamen Sacerdotis senectutem virtute superasset, & ostendisset senectutem non esse huiusmodi vt rerum bonarum omnino certos afficiat possessores. sed nōnunquam etiam recte institutam iuuentutem esse virtutis non contemnēdam custodem. Nam vicesimum 5 quidem annum iam attigerat: cum autem ei esset mādatus magistratus, maiorem curam gerebat Orphanorum, eos primum sacras docens scripturas, & deinde etiam diuino eos dignans baptismo: & ad eos quos par erat gradus, nō omnes sed dignos referens. Hinc factum est vt ex locis vicinis omnes confluerent, suos filios ad ipsum ex toto animo adducentes. Quos quidem tanq; germanos suos filios suscipiens, similiter educabat atque instituebat. Sed sunt hi quidem primi re uera fructus virtutis boni Clementis, & talia pręmia Sacerdotij.

4 *Habes hic aliquot ordines Eccl. ad quos successiue ascēditur.*

5 *Quod XX. annorū Clemens fuerit creatus Eps, admirādum est potius quā imitādum. Nā sacri canones hodie aliter disponunt.*

Deinceps autem ei finē incipiunt accipere matris prædictiones, & cōtexi diuina corona martyrij. est autē à nobis oratio ducenda paulo altius. Cum Diocletianus Romanum suscepisset imperium, & in eo primū annum ageret, noua quidem genera tormentorū excogitata fuerant aduersus Christianos. Nouorum autem mortis generum minæ fuerant intentatæ. & mittebantur literæ per omnem terram quæ parebat Romanis, quæ magistratibus & præsidibus vicariisq; & proconsulibus aduersus pios supplicia & cædes iniustas significabant: & iis qui in iis fuissent negligentes æquale minabantur periculum. iis autem qui diligenter fuissent executi, opes pollicebātur, dona, & esse inter primos amicos Imperatoris. & eum honore omnes esse superaturum, qui in his rebus fuerit studio superior. Qui ergo in vrbibus & regionibus erant impij Præsides, ex obsequio in Principem ducentes suæ fomitem insaniæ, in hoc consentiebant, & in hoc vno ferebantur impetu, & hoc vnū perpetuo contendebant, vt eos qui in pietate viuebant conscinderent: & ita omnes delerent & de medio tollerent, vt eorum qui timebant Dominum nullus euaderet. Itaq; ad Domitianum quoque qui Vicarij gerebat magistratum, & versabatur in partibus Galatiæ, referunt de hoc magno & admirabili Clemente. quod cum infantium magnam abstraxisset multitudinem, ad Christum qui dicitur adduceret: & magnorum Deorum cultum quantum posset prohiberet: persuaderet autem multis illi animum adhibere, & viuum solum eum Deum prædicare.

Hæc simul ac audiisset Domitianus, eū iubet adduci. Qui cum paulopòst ante eum constitisset, eum blandis & insidiosis verbis ad se attrahere conabatur. Quæ videntur, dicens, nequaq; conueniunt & congruunt iis quę de te allatę sunt accusationibus. Vultus enim & species liberalis, morumq; mansuetudo & moderatio, mihi omnino videntur prudentis & ingenui animi. Quę autem de te dicta sunt ab aliquibus, sunt puerilis potius inscitiæ pusilliq; animi & planè illiberalis. Res vero ipsa id indicabit. ex

te enim vera discemus facilius, si pauca quædam dederis verba tuæ prudentiæ. Martyr autem, Nostra, inquit, prudentia & intelligentia est Christus qui est vere sapientia. qui Dei est Patris filius & verbũ. cuius verbo producta sunt omnia. à quo ipsum quoque dicere & sapere nos habemus. Respondens autem vicarius. Me, inquit, per deos affecisti molestia. cũ has prẹter oẽm spem statim ab initio nugas dicere cœperis. Sed si mihi credas, has longas nugas multũ valere iubẽs, veni, & Diis sacrifica propitiis. eorum quidem qui eos contemnunt & inficiantur, supplicia. eorum autem rursus qui venerantur & colunt, honores reputans. Eorum vero quæ dicuntur nos tibi sumus exemplum. qui per ipsos ad hunc peruenimus magistratum: & beneficij gratias eis referimus, honorando eos qui ipsos colunt: & suppliciis afficiendo eos qui nolunt parere.

Cum adhæc ille risisset, vt est consentaneum: ꝙ donorum quibus afficeretur, & turpium meminisset honorum: & promptum eius animi studium videretur his dissoluere, Sed nos quidem, inquit, ô Præses, sentimus his contraria. & damnum quidem vestra dona: honorem autem ignominiam: & magistratum esse putamus seruitutem. contumelias vero rursus, supplicia, & minas, voluptatem & delitias: & quod est his maius, cum Deo coniunctionem. Hæc cum tu scias, nec promissis & honoribus, neq; rursus minis & suppliciis, existimes te posse nos abducere à pietate. Hæc paulatim mouebant animum Domitiano & sanctum acrius intuẽs. Ego te, inquit, omnino feci arrogantiorem, cum me in te tam leniter gesserim. Non est autem mirum, si cum tu perpetuo vitam agas cum pueris, non absimilem eis sensum habeas. Cæterum nisi & Deos placaris sacrificiis, & hinc nostram lucrifeceris beneuolentiam, scias pœnam mortis esse tibi subeundam. eamq; non quæ breuiter & cito afferatur, vt tu fortasse existimaueris: sed multis prius & variis affecto suppliciis. Deinde etiam esse grauissimum sustinẽdum modum mortis. vt & ipse malus male aboleaᵣis, & tuo exemplo castiges multorum arrogantiam.

Admirabilis vero Clemẽs, Qm̃ mihi, inquit, pueros obiicis. Ego, inquit, studui pueris eam indere prudentiam, quam ignorant qui sunt apud vos viri. & ex his ipsis qui sunt seniores & sapientiores. Nam quæ est vere Dei sapientia, seipsam abscondit à sapientibus & prudentibus & reuelauit videlicet infantibus Glorior autẽ & prẹdico me offerre sacrificia, sed Deo meo rationabilia. non vt ipsi, torrentes sanguinis, fumosq; & nidores. quibus eos q sunt apud vos Deos colitis vel maxime præter rationẽ. Quod si meum sanguinem pro ipso sacrificauero: ita mihi quoque aderit, si non ex æquo, at aliqua ex parte Domino meo vicem rependere. Etenim me Christe Rex, ipse tuo pretioso redemisti sanguine.

Hæc cũ Martyr cum magna dixisset, fiducia, abiecta persona, Præses quam olim in ipsum parturiebat insaniam, eam produxit in medium. & cum sublimen super lignum statim Athletam sustulissent qui aderant, ꝙ is ita iussisset, eius latera laniabant, & acclamabant ne iussa contemneret Imperatoris. Profundi itaq; sulci secabantur in illius carnibus. & earum magna pars auferebatur. & forma internorum aperiebatur viscerum. vt ne hominum quidem oculis esset tolerandum spectaculum. Ille autem nõ est animo commotus nõ mutauit formam. non vocẽ. non verbum emisit miserabile. non gemitum eius qui dolore cruciatur. sed perinde acsi esset se-

curior iis qui aderant & contemplabantur, & minus sentiret quã ipsi qui cædebant, magno & excelso agebat gratias Deo agonothetæ. Cum vero in eius supplicio multum temporis consumeretur: & remissæ quidẽ essent manus Lictoribus: Martyr autem eundem fortem & generosum ostenderet animum, volens Præses dissoluere fortis eius animi robur. Noli, inquit, ò tu existimare fore vt tu me superes fortitudine. sed etsi longum tẽpus effecerit vt eorum qui cædunt dexteræ sint parũ defessæ, at ego rursus eorum loco alios ponam recentes. qui non prius te cessabunt cedere, q̃ nuda carnibus ossa tua reliquerint. Statimq́ lictores ex successione rursus Martyrem circunsistentes, ei quoque similia faciebant prioribus. donec eis quoque similiter manus imbecillæ fuerunt & defessæ.

Ille ergo stultus Præses, partim quidem admiratus Martyris constãtiam: partim autem pudore affectus propter lictorũ imbecillitatẽ, iussit eum deponi de ligno. Ille vero talis erat qualem nec oculi lictorum aspicere, neq; manus sustinebant tangere. erat enim omnino nudatus carnibus, eisq; tanquam veste erat exutus. solum autem propterea q; essent ossa fixa, homo esse videbatur. quę ipsa quoque erant illita sanguine. quoddam nouum & alienum spectaculum, & quod vel ex se posset efficere vt caligent oculi. Quocirca cum ille desperasset se posse ei vim afferre & castigare, vtpote q; ei visum esset inutile, persuasione rursus apud eũ vtebatur & lenitate. & duæ tibi, aiebat, ò Clemens fuere causæ tantorum malorum. inuidia & contentio. sed ad te quidem à fortuna peruenit inuidia: quę tibi omnino inuidens, nõ finit res tibi succedere ex sententia. A' natura autem est tibi contentio. ea enim te ad intempestiuam rursus litem incitans, prohibet quominus nobis pareas. & ideo in mala te cõiecit extrema. magnis autem priuauit muneribus quę eras consecuturus, si voluisses cedere iussui Imperatoris. vel potius tibi quoque fortuna iniecit contentionem, volens tibi omni ex parte aduersari, & tua semper labefactare. Sed vel breue aliquod momentum temporis parce misero corpori. & noli dum in re vana vis ostendere egregiam animi constantiam, immaturam mortem & violentam subire.

Ad hæc Clemens admirabilis, alias illius nugas ne minimum quidem curans, hoc ei solum respondit. Quę mihi à te mors est afferenda ò Iudex & corpori interitus vacuitatem, & animę efficit immortalitatem. Et hoc, inquit, vicarius omnino est vestræ stultitiæ, id quod est bonũ vsque adeo, ignorare & negligere, vt & dulcem hanc lucem, benignumq́ & lætum illud astrum, nempe Solem, quæ ad fruendũ & nos oblectandos Dñ nobis cõcesserunt, spe alicuius alterius incertæ vitæ amittatis. Etenim si rursus in eadem permaneas inobedientia, acceperis quidem aliquam breuem à tormentis dilationem. ne tam vehementibus suppliciis tibi corpus defatigetur. sed hæc remissio erit tibi paulopòst causa maiorum malorum. & cum te paruo tempore collegeris, magnis rursus & variis traderis suppliciis. quorũ, vt mihi videtur, anima quoque è corpore excedens sensum habebit acerrimum. Martyr autem. Solis, inquit, minis, vt videtur, & nudis verbis polliceris mihi te impleturum ea quæ desidero. Cæterum cum scias quænam sit mihi sententia, noli vsque ad verba solum sistere. sed tibi ad opus perducantur omnia. & à nulla re abstineas quæ sit aspera & difficilis.

Tunc ferus ille & immitis ab ira consueta abripitur. & cum dixisset, Plane contentiosum anima est homo iste, genas & os iubet ei verberari. Nã qm̃, inquit, hæc sola pars corporis remansit minimè affecta supplicio, dicendi vtitur libertate. Patiatur ergo hęc quoq; similiter atque alię partes corporis. statimq́; ex lictoribus, qui erant quidem paulo humaniores, alij quidem eum solis manibus verberabant. alij autem etiam sustinebāt, vt qui lacerationibus iam esset dissolutus & ad terram difflueret. Quotquot vero audaciores erant & crudeliores, lapidibus quoq; in eum vtebantur, & iis illud veridicum Martyris os pulsabāt. Martyr autē, Magno, inquit, me honore affecisti ò Tyranne, magno, inquam affecisti honore, non supplicio. Q̃ño enim non est honor seruo, dignum haberi qui eadem perpetiatur quę Dominus, & primi illi pasionis socij & martyres? Colaphis quoque cæsus est vultus mei Domini. & lapidibus fuit interēptus Stephanus. Hæc quoq; mihi nunc magnum decus & ornamentum afferunt. Leuat mihi laborem pasionis imitatio. Sedat mihi dolorem iis qui sunt me præstantiores in honore æqualitas. Hæc dicebat, & ad suum Agonothetam frequenter tollens oculos, vehemēti studio agebat gratias.

Domitianus autem cum omnino animum despondisset, eũ rursus mittit in custodiam. Cum vero putaret eum non posse amplius vti pedibus ad ingrediendum, q; prioribus suppliciis esset corpus confectum, iubet eũ vtrinq; portari. sed qui omnes qui cōcidunt confirmat, afflictosq́; & depressos erigit, non sinit eum opus habere manu quæ eius gressum fulciret, sed eos repellens qui accedebant ex gentilibus, & illud sensim acclamans, Oleum peccatorum non impinguet caput meum, ipsis pedibus ipse illam viam peregit. Quem cum sic abeuntem animaduertisset Vicarius, fortitudinem valde est admiratus & conuersus ad eos qui circunstabant. Pape, inquit, magnam tolerantiam. Talibus vtiq; militibus opus esset Imperatoribus, vt essent quouis periculo superiores, & tam constantem animum & tam magnos spiritus conseruarent in rebus asperis. Cæterum hic non sistetur amplius ad meum tribunal ipsum autem ad Imperatorem mittam Diocletianum. Ille enim solus eum superauerit. Dixit: & cum statim significasset litteris q̃ño se res haberent, iussit eum q̃; primum duci Romam. Cum fuisset ergo Martyr extra ciuitatem, vnà cum 6 corde manibus in cœlũ sublatis. Domine Deus, inquit, qui omnia facis & procuras pro vniuerso genere hominum: & multas nobis munis vias salutis: hanc tuam ciuitatem, & animas eorum qui in ipsa crediderunt, conserua, ne implicentur laqueo Diaboli, & Tyrannorum capiantur insidiis. Porro autem ne nos quoque perpetuo esse sinas alienos ab ea quæ nos tulit. Sed qui Iacob conuertisti in domum Patris sui, & eum à manu Esau liberasti. qui etiam ossa Ioseph vnà cũ populo ex Ægypto extulisti, & ea patriis restituisti sepulchris, tuæ quoque placeat voluntati me reducere, & quæ me genuit, & aluit, & ad hanc vsque ætatem produxit patriæ, tanquam aliquod rursus reddere debitum. Hæc cum à Deo precibus contendisset, viam confecit alacriter.

6 *Vide orationem cum manuum ad cœlum extensione.*

Postquam autem Romam peruenerunt, vbi tunc quoque versabatur Diocletianus, & qui missi fuerant ei reddunt litteras, & Clementem admirabilem, cum ille iussisset, adducunt in medium. Cum vero adstitisset, tunc videns Diocletianus iucundum eius alacremq́; & generosum aspe-

ctum primũ quidem celans quid in animo haberet, apud se admirabatur an illa omnia sustinuisset quæ ei significabant litteræ. Deinde eum etiam fixis intuens oculis, & totum considerans, Tu es, inquit, celebris ille Clemens, cuius magnum est nomen propter fortem & generosum animum? Sed oporteret omnino hunc tuum generosum & magnũ animum, habere aliquam piam & iustam causam, sed non hanc impiã & iniquam, & hoc ipsum manifestum animæ & carnis exitium. Nunc enim quo est maior, eo est deterior. & nos magis ad iram prouocat. Deos incitat ad vindictã. Verumenimuero tu animo ad contraria mutato, hunc firmum & constantem animũ ostende pro pietate in Deos. vt sic quoque potius dignas consequaris remunerationes. Illi enim, vt arbitror, tui propter huncfortẽ & excelsum animum miserti, propterea effecerunt vt tot & tantis resisteres suppliciis: nec permiserunt vt tu iamdiu malè perires & præriperetis, agnitionem & mutationẽ omnino expectantes. Hæc dixit, & pro oculis sancti statim proponit, illinc quidem aurum & argentum, & litteras imperatorias quæ Patriciorum illi dabant honorem. Deinde etiam aliorum magistratuum & dignitatũ insignia. & præterea vestes floridas & magnificas. & alia quæcunq; rerum pulchrarum cupidos euocant oculos. illinc autem rursus instrumenta tormentorum. manus ferreas. grabbatos & ipsos quoque ferreos. rotasq; & pectines. craticulas. lebetes. obeliscos. sartagines. & graues catenas. & aliam magnam instrumentorum multitudinem, specie quidem diuersorum, spectaculo vero terribilium. experiẽtiam autem habẽtium ipso quoque spectaculo grauiorem. Deinde Martyrem suauiter intuens, & manu ostendens pecunias. His te, inquit remuneramur, si pius in Deos & in nos sanctus extiteris.

Ille autem, cum sanctus ab eis oculos auertisset, & ea veluti subsannasset, & propter ea quę dicta fuerant grauiter ingemuisset, Vobis, inquit, pereant ipsi vobiscum Dei: tunc acriter & torue fortem intuens Clementem, & simul conuertens oculos ad genera tormentorum. Vides, inquit, hæc sunt eorum qui non parent & sunt impij. Martyr autem. Si vestræ, inquit, pœnæ sunt sicut existimas terribiles, & ad experiendum intolerabiles. sicut rursus dona splendida & magnifica & digna quæ beata iudicentur: quænam esse existimas ea quæ cœlestis sunt & solius Dei? quænam immortalia quidem supplicia & dolores inexorabiles? quales autẽ ignis fluuios, qui ne solo quidem sunt aspectu tolerabiles? quænam vero rursus bona sunt consecuturi qui eum dilexerint? Scriptum est enim, Talia vt nec mente posint cõprehendi, nec oculis aspici, aut quæ ex his percipitur omnino voluptas coniici. Nam quæ sunt quidem præsentia, hoc argẽtum & aurum, sunt solum puluis & lutum, vilis & infrugifera materia. quæ turpiter quidem ex terra nascitur: turpius autẽ in eam quæ videtur speciem per ferrum & ignem transfertur, latronibus subiecta & furibus. & si non his, at diminutioni saltem & rubigini, vt quæ consumatur atque diffluat. Vestes autem purpureæ & splendidæ, fila sunt vermium, & inuenta barbarorum hominum. Quamobrem si ea nos reddunt honoratum, vestra quidem sententia homo est verme vilior. Quòd si oportet etiam homines propter hæc habere in admiratione, multo magis admirarer eos qui hæc fabricãtur, q̃ eos qui propter ex his confecta indumẽta gloriantur & se magnifice circunspiciunt. Nam illi quidem artis solertia

transformant naturam ad id quod est melius: & sensum decipiunt: & ornatum amantibus oculis suaues escas proponunt. Hi autem induti sibi placent & se magnifice circunspiciunt, de sui animi leuitate ferentes testimonium. & cum oporteret eos pudere sui erroris, illi potius intumescunt, & tollunt supercilia, honorati aliorum operibus, si modo ea omnino honorem vocare oporteat. Sed vestra quidem sunt talia & eo modo se habent. Quæ autem à bono Deo nostra sunt bona, contra se habent. Voluptatem enim habent immortalem: splendorem vero perpetuum. Neque enim timent eã quæ est ex tempore mutationem Non suspectam habent conuersionem. senium ignorant, sed semper florent, in æquali decore permanentia, stabiliaq; perpetuo & immobilia.

Ad hæc Diocletianus. Mihi videris, inquit, recte quidem dicere ô Clemens, sed male admodum sentire. Nam lingua quidem præfers immortalitatem. in mortali autem semper spem tuam collocas. Vestrum. inquam, Christum quem dicunt à Iudæis mala passum esse innumerabilia, & tãdem mortem in cruce sustinuisse. Nostri vero Dij sunt & semper immortales: & nihil graue nec molestum sustinent. Respondens autem Martyr. De ipsorum, inquit, immortalitate & doloris vacuitate propemodũ vera dicis ô Imperator. Qũo enim morientur, qui ne omnino quidẽ vixerunt. aut qũo dolorem senserint, qui ipso quoque sensu plane carent? Sed etsi dolorem non sentiunt, sunt tamen subiecti innumerabilibus plagis & cõtumeliis. Nam qui facti quidem sunt ex lapidibus, & à manu quæ sculpit plagas acceperunt: & ferro sunt leuigati ac politi: & sic cum magno sed inani labore formæ humanæ simulachra & statuæ facti sunt. Quibus autem rursus aurum est materia, siue æs siue argentum, ij quoque fusi igne vehementissimo, similiter atq; alij consistunt omnino sensus expertes. qui tantum abest vt opem ferant aliis, vt ne ipsi quidem possint facere quominus hæc omnino patiantur. Nequaquam ergo moriuntur, qm̃ nec omnino quidem, vt prius dixi, vixerunt. diffluunt autem & conteruntur. qũo ꝙ sint à tempore, ita etiam ꝙ nõ sint accipientes. Non ergo nostra quoque sunt huiusmodi. sed ipse verus Dominus & opifex oĩum, Deus meus, qui est & expers temporis & immortalis, propter me quoque fit homo postea. vt ego fiã propter illum Deus. volẽsq; cruci affigitur & sepelitur. & tertio die resurgit. & rursus in cœlum ascendit vnde descenderat. cum nos vnà quoque fecisset resurgere, & ad priorem reduxisset principatum. à quo male excidimus propter inobedientiam.

Propter hæc Imperator ad iram concitatur, & verbis victus conuertitur ad supplicia. nesciens stultus se per illa magis esse vincendum. siquidem apertum est indicium victum esse eum qui punit, ꝙ is qui punitur nihil omnino cedat suppliciis. Iubet ergo rotæ alligari Martyrem: & rotam quidẽ verti magno impetu. Martyrem autem virgis verberari crudelissimis. Statimq; Martyr fuerat alligatus. rota vero vertebatur celeriter Martyr autẽ qñ erat quidem in rota sublimi, tradebatur iis qui verberabant Qñ vero rota eum sub se ferebat, corpus eius acerbe conscindebatur, & ossa conterebantur. Cũq; sic laceraretur, Domine mi Iesu Christe, dicebat, veni ad opem mihi ferendã. & leua me hoc pondere supplicij. quoniam circundederunt me dolores mortis. pericula inferni inuenerunt me. Respice ad me, & miserere mei. & ex necessitatibus meis erue me.

Adsis mihi, vt aliquando etiam paralytico, ad gloriā tuam. ad confessionem tui nominis. ad dedecus & ignominiam inimicorum. ad maiorum propter te perpessionum tolerantiam.

Hæc cum dixisset sanctus, statim & rota à motu, & qui verberabant cessauerunt à plagis afferendis. & Martyr quidem simul ab omnibus, & à rota & à vinculis illis sua sponte solutus fuerat. & restitutus in priorem sanitatem. Lictores autem subiit membrorū dissolutio. & multi ex Romanis qui ad tale spectaculū cōcurrerant, sanis euaserunt animis. & magnus est Deus Christianorū magna voce exclamauerunt. Magnus vero Clemens qui erat vere Christi palmes, cum veluti pulchros quosdā fructus sua membra Deo obtulisset, Ago tibi gratias dicebat, ò Deus, ꝙ volueris me in hac maxima & frequētissima ciuitate pati pro filio tuo vnigenito, qui ipse quoque passus fuit pro nobis: & pretium nostræ captiuitatis & seruitutis suum effudit sanguinem. Deinde subiūxit etiam seriem sanctorum qui Romæ 7 erant. Quem Petrus, inquit, docuit colere, & Paulus prædicauit: & qui erat eiusdem cuius ego nominis, Clemens ille sapiens adorandum esse decreuit: & diuinus deinceps Onesimus est confessus. Propter quem ipsi quoque passi, libere loquēdi potestate apud eos valent plurimum, & adorantur 8 à fidelibus. haud ita multo post autem adorabuntur etiam à fidelibus Imperatoribus. Hoc autem dixit, prædicens mox delendam impietatem.

7 *Vbi sunt qui nūgantur Petrum nunquā fuisse Romæ cum hic inter sanctos qui ibi erant, primum recenseat Petrum?*

8 *Adorare hic large ponitur ꝑ honorare & uenerari. Nam proprie solum Deū adoramus, non autem sanctos.*

Hæc Diocletiani animum acrius inflammauerunt. iussit autem stylis ferreis illud præclarum Martyris os contundi ac confringi. Quo factum est vt dentes quidem mox labefactarentur: maxillæ vero contererentur. Vox tamen non reprimebatur. neque illi prolixæ loquendi libertati vel minima dabatur remissio. sed etiam lictoribus vt sileret iubentibus ipse idem erat. & ne parum quidem remittebat sed contra etiā voce vtebatur maiore. non secus ac statua quædam ænea, quæ icta vehementius, maiorem edit sonitum. Quamobrem cum ipse quoque Imperator esset defatigatus, vinculis & quæ ex eis oritur afflictione & miseria toti Martyri imposita, tradit eum in custodiam. Multitudo autem eorum qui rotę miraculo crediderant, viri, & quæcunq; erant prudentia præditæ mulieres, inita inter se conuentione carcerem ingressi sunt. Deinde tangentes illius pedes valde acriter rogarunt, vt diuinum baptismum consequerentur. Cū itaq; precibus tam vehementibus ipse quoque alacerrime annuisset, rem statim est aggressus. Cum itaq; in carcere esset aquæ copia, & ipse quas oportet preces profert, & cum ipsis pueris omnes sacro dignatur baptismate. Media autem nocte eis diuina quædam apparet visio. nempe lux quædam quæ neque verbis exprimi potest, & quam humanus non admittit aspectus, totum simul tanquam fulgur illustrat carcerem. In media vero luce erat vir quidam aspectu valde alacer. splendida autem veste indutus, qui ipse quoque erat lux totus quātus, pennis insignis densissimis. Is cum ad Clementem accessisset admirabilem, ei in manus tradit panē & calicem. Deinde ille quidem euanuit. eos autem ipsa quoque vox deficit, vt qui spectaculo admirabili essent obstupefacti. Sanctissimus autē Clemens cū statim coniecisset ea esse signa 9 Dominici corporis & sanguinis, ea & valde pie suscepit, & cum preces dixisset consuetas, ea communicat iis qui iam erant baptizpti.

9 *Quia dixit cognouisse Clemētem pa-*

nem & calicem cælitus demissum signa fuisse dominici corporis & sanguinis, non ideo credas in sacra Eucharistia non esse uerum corpus et sanguinem Christi, sed signa esse dixit antequam sanctus cõsuetas preces, hoc est uerba consecrationis super illa effudisset, nã prius panis & calix indicabant quod ex ipsis fieri debebat corpus Christi et sanguis, postea autẽ uere facta sunt. In quo etiam aduerte, quod olim quando adulti babtizabantur, statim tradebatur eis corpus xpi.

Cum ergo complures ad eum vndiq; accederent, & carcerem facerent ecclesiam, & multitudini Christianorũ fieret accessio, Custodes carceris hæc renunciant Imperatori. Ille autem & eos iubet noctu comprehendi: & nisi pietatem abnegauerint, omnes citra vllam interimi misericordiã. Illi vero comprehensi iussu Imperatoris, inuenti sunt nõ ignari eius quod erat bonum & vtile eligendi. sed ab hac quæ est ad tempus vita maluerũt recedere, q̃ à Christo deficere, qui nos formauit, & dilexit & mortuus est pro nobis. Quamobrem ante ciuitatem, tanq̃ sacras quasdam hostias, seipsos & filios offerunt Domino. cum nullus tunc remanere sustinuisset præter vnum, cuius quidem erat animus aliquanto iuuenilior. Non enim remãserat vt certamen effugeret. sed vt cum maioribus potius malis colluctaretur: eaq; ei essent coronarum maiorũ occasio. Is erat admirabilis Agathangelus, de quo etiam deinceps dicetur apertius. Diocletianus autem cum paulopóst esset magni Clementis recordatus, eum rursus producit. & primum quidem, tanquam adductus pœnitentia, priorem illam abiecisset insamã, ipsum & laudibus sensim aggrediebatur, & ea ratione conabatur potius superare generosum illum & excelsum animũ. Deinde cum vidisset rem sibi esse cum homine cordato, & qui non magis posset animi fortitudine malorum ferre impetus, q̃ prudentia blandis verbis & disertis non succũbere: abiecta statim persona & ficta illa mansuetudine, repente apparuit id quod erat. & rursus aliquod nouum excogitauit supplicium, quodam Amphione qui inter suos primum locum obtinebat ad hoc maxime incitãte. Erat autem hoc supplicium, vt sic & à tanta multitudine distenderetur Martyr, vt ipsæ quoq; membrorum dissoluerentur compages. lictores autem quatuor circunsistentes exiccatis bonum neruis eum diu crudeliter verberarent.

Postquam vero ille quoque fortiter huic restitit supplicio: & perinde acsi alius pateretur, ipse impatibilis mãsit & immobilis. Scio, inquit Diocletianus, ò Clemens, te esse animo valde contentioso: corpus autem illi posse inseruire. Sed ipse ne sic quidẽ rursus cedam. sed etiam ferreis te aggrediar vngulis. es enim tu forte ferreus & torpidus, & nullo ferè sensu præditus. vt videam an te forte his excitauerim, quem somnus tam profundus inuasit. Martyr autẽ, Recte quidẽ, ait, dixisti ò Imperator. Dormio enim veluti quendam dulcem somnum. me meo Christo ad labores pro eo suscipiendos futurorum spe sopiente: rursus vero efficiente vt sim sobrius & vigilans, qñ eum prædicare oportet, & libere loqui pro eius confessione. Hæc ille dixit. & Imperator quidem statim iubet lictores desistere à verberibus: sublimem autem eum in lignum tollere: & sic eum ferreis carpere vngulis, donec ei carnes omnino consumptæ essent, sanguis autem exinanitus, & sola ossa relinquerẽtur. Cum itaq; rursus lictores ad id magnam adhiberent diligentiam, vt qui etiam ab occulto lictore atq; adeò carnifice ad ea incitarentur: Martyr quidem primum seipsum attẽdens, deinde etiam ad Tyrannum aspiciẽs, Non est, inquit, meum corpus id quod adest, quo ergo quidem sum indutus, tu autem id nunc ò Imperator laceras. Neq; n. omnino dolore afficior, qño me oporteret, dum lacetor. sed q̃ mihi quidem datum fuerat à natura, paulatim præcedentibus prius consumptum est suppliciis. & nec parua quidem eius pars mihi est relicta. carne autem quæ nunc ad ossa mea accarrit, & membrorum con-

tinet compagem, veluti quodam iudumento meus me Christus induit. propter quem priori me exui.eaq; nunc erasa,me rursus induet alia. Neq; enim lutum defuerit figulo.

Cum is ergo hęc & his plura dixisset,cessauit. Diocletianus autem iussit ei ignis faces adhiberi. Ei autē illa quoq; erant voluptati,vt quę essent tanquam lux quæ vim ignis non haberet. Obstupuit dæ cætero Imperator: & conuersus ad eos qui circunsistebant. Ego multos quidem puniji ex miseris Christianis:& multos etiam morte affeci.sed nondum vidi virum tam magno & excelso animo præditum. sed neque cuiusquam corpus adeò validum & robustum, & cui mortē afferre esset difficilius. Eū ergo transmittam Nicomediam, Maximiano,vt est verisimile, prodigiū futurum incredibile. Neque enim existimo eum vnquam incidisse in virum tam firmi & tam constantis animi. Hæc cū mirabundus dixisset iis qui aderant,decernit vt Clemens vinctus trans mare mitteretur Nicomediam,examinandus à Maximiano.de eo scribens & quæ prius à Domitiano,& quæ à se rursus passus sit,quæ opinionem & humanam oēm naturam superant. & hoc præterea significans, q̄ si eum quidem, quod est plane desperandum,vincere & in aliam potuerit traducere sententiam,eū rursus remittat,rem illi gratam futuram, vt argumentum illius maximę prudentiæ & ingenij solertiæ. Sin minus: eum tradat bestiis, vel etiam acerbis aliis suppliciis ei vitam adimat.ne si amplius,inquit,sit superstes, & Christianos,& Gręcos magnis afficiat incommodis.hos quidem corrumpens & attrahens.Christianos autem efficiens difficiles ad transmouendum,eosq; muniens & confirmans.

Roma ergo sanctus est eductus, multis quidem eum deducentibus, multis autem lachrymis quoq; prosequentibus, quibus consolabantur suam ab eo separationem. Quis enim oratione persequi potuerit ea quæ tunc dicebant quidem fideles,& quæ rursus propter ipsum fecerint. Nam alij quidem pedes tangebant,& manus amplectebātur. alij verò collum complectentes deosculabantur: & propter separationem amaras effundebant lachrymas. Alij se eius sanguine inungebant. vulnera contrectabant.à vestibus auelli non poterant. Vir pręclarus & fortis.strenuus decertator, qui ferro, dicentes, est validior. Qui ipsum autem abducebant, fratri flectibus,& ipsi quoq; affecti animis,constiterunt diu cedentes animorum perturbationi & spectaculo miserabili. Cùm vero iam tempus vocaret vt Martyr nauem ascenderet,vi & vix tandem auulsus ab iis q̄ ipsum continebant,& tanq̄ membrum commune abruptus ab omnibus, ciuitati ea quæ par erat & sibi precatus, nauem ascendit, & cœpit nauigare. Sed quid sapiens gubernator vniuersorum Deus in naue suo prouidet consilio?

Is qui prius solus martyrium effugerat ex iis qui sub Clemente crediderant in carcere, de quo paulo antè sumus nos esse dicturos polliciti, cū esset Romanus quidem genere, Agathangelus autem nomine,hic vnà nauigat cum Martyre. Cū enim peruenisset ad nauem, in qua erat Roma enauigaturus,& cū nautis pauca esset locutus,eis facile persuadet, cumq; sensim conscendisset,in aliqua eius parte delitescebat. Deus autem fuit q̄ et nauem ostendit Agathāgelo, & effecit vt essent ei nautę faciles,& cito fuerint ab eo persuasi. Postquam autem iam Martyr quoque affuit ipse

cum militibus, & nauem sunt ingressi, & distabant á terra circa ducenta stadia, videns Agathangelus milites quidem & inter se & circa nauem esse occupatos, solum vero sacrum Clementem seorsum Deum orare, á nemine visus nec animaduersus prope eum accedit. cumq; eius pedes prehendisset, ei in memoriam reuocat eius quæ in custodia facta est confessionis & dati baptismatis. Deinde etiam narrat quomodo é cede effugerit, & quemadmodum prius sciuerit nauigium: & quemadmodum sit ingressus, & quemadmodum in ea delituerit. Martyr autem (quō enim par est eum fuisse affectum cū agnouit Agathangelum, erat enim primus ex iis qui tunc ab eo fuere baptizati) salutabat: amplectebatur: benigne eum alloquebatur: aperte præ se ferebat se viscera habere refecta gaudio. Deinde etiam cœpit precari vehementius. partim quidem gratias agens ꝓ Agathangelo, & verba quæ animi lętitiam significabant offerens: partim aūt Deum quoq; inuocans vt illi ferret auxilium: & rogans vt is esset sibi socius confessionis. Ago tibi gratias, Dñe Iesu Christe, dicens, qui mihi es sola & vnica consolatio & auxilium, ꝙ me neque in terra neque in mari relinquas á tuo desertum auxilio. sed me per totam viā defenderis & deduxeris: & meum labore defessum animum. recreaueris, eo quem scis modo eius consolator effectus. Ecce enim nunc quoque in mari in Agathangelo bono meo. fratre mihi es cognitus. qui vel mihi ex ipso nomine tuum spondet auxilium, vt qui Agathangelus. i. bonorum nuncius, & sit & dicatur. Sed ei quoque concede ó Rex Christe, vt ad finem tuam deducat voluntatem, & glorifica ipsum tua confessione. vt tu quoque rursus in ipso glorificeris.

Ille ergo cum Agathangelo sic diu noctuq; precabatur. cibum quidem non sumens. nam ne minimum quidem eis cibi vsquam aderat. vt cuius Clemens nullam curam gessisset omnino. viuum autem panem in corde & viuam illam aquam habentes quibus obscure alebantur & potabantur. Diuturnæ ergo illorum, vt videbatur, inediæ miserti milites, motiq; animo, benigneiq; & humane in eos affecti, eos cibis volebant impertiri. Illi autem laudabant quidem bonum militum animum. cibum vero nō accipiebant. dicentes se eum desuper á Deo accipere. Quod autem illi dicebant Deus effectum reddidit. & circa primam noctis custodiam, cœleste alimentum iustis suppeditabatur. & pane Angelorum nutriebantur homines, Multi vero dies consumpti sunt ab eis in nauigando. & cum Rhodum appulissent, alij quidem oēs é naui descenderunt ad quęrēdum commeatum. eos autem qui relicti fuerant pro custodia sanctorum, instabant ipsi vehementer rogantes & orantes, vt liceret eis accedere ad ecclesiam Christianorum, & esse intemeratorum 10 participes sacramentorum. Atque tunc quidem dies celebrabatur Dñicus: 11 & quicunque erant in insula Christiani, pauci aūt erant, ad templum concurrebant. Ex his vero cum quidam accurate didicisset quō se haberent res sanctorum, Antistiti Rhodi omnia significat. Epō nomen erat Photinus. Ille autem nihil amplius cunctatus, cum statim accepisset multos ex iis qui aderāt Christianis, venit ad littus, ad quod apulerat nauis in qua erant sancti. & custodes vehementer orauit vt Martyres soluerentur á vinculis, & eis permitteretur venire in ecclesiam.

10 *Nota missam intemeratæ sacramenta appellari.*

11 *Ecce dies dominicus vbique celebris, in quo omnes christiani ad tēpla concurrunt.*

Cum illi autem cessissent precibus, cum multis hymnis quibus Deo

aguntur gratiæ, in ecclesiam deducuntur Martyres. & consequenter sacro libro proposito, admirabiliter & præter opinionem declarauit vox Euāgeliorum illa quæ & tempus decebant, & sanctis conueniebāt. Quęnam autem ea sunt? Nolite timere eos qui corpus occidunt. animam autem non possunt occidere. Hoc veluti quandam diuinam dulcedinem sanctorum instillauit animis. oculosq; simul & manus 12 statim ad cœlos tollentes, præ gaudio orabant lachrymantes. Ædificatio autem in fide fuit res ea iis qui aderant. omnesq; eos intuentes, ipsi quoq; aperte emittebāt lachrymas. Deinde pius ille & Dei amans Ep̄s rogabat Clementem sanctissimum vt sanctæ oblationis 13 perageret mysteria. Quæ quidem cùm de more ab eo peragerentur, & oēs in contritione cordis, veluti nuda & aperta anima, eis attenderent, vident multi ex iis qui aderant, quicūq; scilicet erant digni talia intueri stupendum ò Dn̄e & mirabile spectaculum, lucis quidem carbonem maximum, in intemerata & mystica mēsa propositum. candidatorum autem multitudinem in aëre superuolātem. Atq; illi quidem cum visionem ferre non potuissent, & humi pronos seipsos deiecissent, iacebant. vt qui eum qui ex iis procedebat splendorem contrà non possent omnino aspicere. Cū autem fama breui totam peruasisset ciuitatem, multi etiam ex infidelibus publice concurrebant. & maxime quicunq; aliquos ex filiis cognatis vel domesticis habebant laborantes aliquibus morbis immedicabilibus, frequentes concurrebant, secū ęgrotos adducentes. & alios quidem ad pedes Martyrum proiicientes, alios autem ad beatarum manuum contractum adducentes, eos statim videbant à morbis expurgatos. Multorum quoque gentilium curatæ sunt animæ. & sanationis ipsorum miraculo deducti sunt ad veritatem.

12 *Aduerte orationem cum oculorū & manuum ad cœlum eleuatione & lachrymis.*

13 *Vide quibus nominibus sacrā missam appellet.*

Hæc milites obstupefecerūt. & cum viderāt ciuitatis magnum in Clementem desiderium, & timerent deinde ne in eos aliquid innouarentur, & Martyr ex eorum manibus effugeret, ei vincula rursus immittunt, & ad nauem abducunt, illi male faciendi sumentes occasionem ex insigni eius virtute. Præcessit autem Agathangelus, & primus nauem ascendit, vt qui esset primus viam initurus martyrij. Cū eis itaq; ventus successisset secundus, Ægeum mare transmittunt. & cum appulissent Nicomediam, deducuntur statim ad Maximianum. Ille autem cum accepisset literas Imperatoris, & multa quidem etiam ex ipsis didicisset, ea vero vidisset congruere litteris, nempe aspectum qui q̄ profitebatur virtutem conseruaret. faciem liberalem. morum libertatem. nihil seruile humile & abiectum: neque quod facile posset in aliam traduci sententiam. Hæc cum vidisset Maximianus, vt qui in iudicandis illis multum valeret, sibi statim interdicit eius examinationem. & quasdam bellicas causatus occupationes, Præfecto Agrippino committit Clementis cognitionem. Ille vero cum eū statim sisti curasset, hoc ante alia interrogat, an ipse esset ille Clemens qui vulgo ita iactabatur. Cum is autem se esse rn̄disset, & Christi seruum præterea adiecisset, ira motus Agrippinus, iussit militibus vt ei in facie colaphum impingerent, dictitantes, se seruum Imperatorum, non autem Christi vocaret. Martyr autem, Vtinam, inquit, & Domini & Imperatores vestri vocati essent Christi serui. vt aliæ quoque oēs gentes eis seruirent & parerent: & non eis potius improbe imperaret impietas, & stulte nos vincere contenderent.

Hæc cum veluti flamma quædam incidiſſent in animum Agrippini, magis accenderunt fornacem inſaniæ. & Clementi quidem nihil rñdit, vt qui oſtenderet conceptam in eum iram eſſe maiorem q̃ vt minis eam ſignificaret. Ad Agathangelum autem aſpiciens, Tu vero qui es, inquit. Neq; enim cõtineris in litteris Diocletiani. Illi autem cum viſum ſuum diuiſiſſet, & ſimul in cœlum & ad Clementem ſuſtuliſſet oculos, vtrinque enim ad ſe venturum ſperabat auxilium, Ego quoq;, inquit, ſum Chriſtianus, per ſeruum Chriſti Clementem hanc beatam nactus appellationem. Tunc Agrippinus iubet Clementem quidem in altum ſublatũ cędi ac mutilari. Agathangelum autem bonum neruis à lictoribus crudeliſsime verberari. Qm̃ vero magnus Clemens eiuſmodi tormentum tam magno & excelſo animo ferebat, & tantum aberat vt plagarum vel modicam vllã duceret rationem, vt pro ſe & pro Agathãgelo aſsidue oraret, Præfectus hæc parua eſſe arbitratus, & quæ animum non attingerent, in quo hoc adeò fixum & firmum inſederat ne ad contrariam traduceretur ſententiam, vtrunque quidem relaxauit à caſtigatione, et tradidit in cuſtodiam. ſequenti autem die iubet theatrum parari & beſtias, & numero multas, & genere diuerſas, vt crudelitate inſignes. Atq; ſancti quidem relicti in carcere, vehementius & intenſius vigilantes vacabant orationi. Angeli autem ad eos deſuper aduolantes, præparabant & confirmabant ad martyrium. Quicunq; vero alij propter alias etiam cauſas habitabant in carcere, cum eorum intenſam vidiſſent orationem, & deinde etiam ſenſiſſent aduentum Angelorũ, & illa admirabili obſtupefacti eſſent conſolatione, diuino quodam ardore eorum incitatis animis, procidũt ad pedes ſanctorum, & rogant vt ipſi quoque veniant ad Chriſti cognitionem, & ne reputentur indigni qui illum confiteantur. Illi autem cum eis ad mediam
14 vſque 14 noctem differentes, ſuadentes, admonentes, docentes, non prius deſtiterunt q̃ eos in vera fide inſtituerint, & diuino baptiſmo obſignauerint. Deinde cum magnus Clemens ſola 15 oratione eis carceris totam aperuiſſet ianuam, illos quidem lætus lætos dimiſit: ipſe autem ſolus cum Agathangelo manſit in cuſtodia.

Ecce quomodo nihil dimittunt ſancti de iis ritibus qui in baptiſmo ex Euãgelio & conſuetudine Eccle. adhiberi ſolent.

15 *Sola oratione magnus Clemens carceris ianuã omnibus vinctis aperit.*

Hoc Agrippimum valde magno ciet furore. & cum eos deduxiſſet in theatrũ, & ipſe prius more Leonis in ſanctos rugiiſſet, deinde in eos quoque Leones & multas alias beſtias iubet immitti. Illi autẽ immiſsi nihil quidem mali ſanctis omnino faciebant. ſed blandis potius & benignis eos intuebantur oculis. & nunc quidem eorum pedes hilariter lingebant. nunc autem in eos etiam placide inſiliebant, non diſsimiliter facientes iis quæ canes ſępe faciunt ſuis Dñis qui poſt longum tempus redeunt. Atq; ſanctis quidem beſtiæ nihil mali faciebant: Agrippini vero animum valde percellebãt, qui erat de tota re mirandum in modum perplexus & animi dubius, & vt dicitur ea aggrederetur quæ non poſſent effici. quãquam erroris tenebræ vſque adeò craſſæ eum detinebant, vt nec cum ea quidem vidiſſet intelligeret, et nec beſtiarum ſaltem revereretur illam ſupra naturã naturæ mutationem. Sanctis aũt ea res fuit cauſa Deum glorificandi. & orantes dicebant, Gloria tibi Xpe, q̃ feræ quoq; ſint nos admirabiliter & præter opinionẽ reueritę. & confirmaſti q̃ dicta ſunt p tuum Danielem Prophetã. Ecce.n. & leones & multę immanes ferę in nos ſunt immiſſæ. Sed tu omnino fuiſti nobiſcum, qui es etiam Deus Danielis.

Deinde vere agrestis Agrippinus cum nihil vt prius diximus esset mutatus: sed eius quod admirabiliter fecissent bestiæ & præter opinionem, earum mansuetudinem dixisset esse causam, iubet subulas valde candentes, eis per medios vtriusque manus digitos, ad ipsas vsque vlnas infigi. Atq; ille quidem, vt ille iusserat, Athletis adactæ, theatro acerbum præbuere spectaculum, vt multi ne libere quidem intueri possent, sed propter tristitiam eius quod cernebatur, humanis & clementibus conniuerent oculis effecere. Cũ primum enim ferrum carnes attigisset, illæ quidem veluti quendam primum grauem sibilum emisere. Deinde purpurea quædam pinguedo illinc descẽdens cum sanguine, videbatur vim ignis extinguere: nidoreq; & fumo implebat aërem. Atq; illi quidem qui aderant eius qđ fiebat ęgreferentes acerbitatem, & animi perturbationem aperte ostendebant: & vt viri dimitterentur clamabant. Agrippinus autem magis accensus, & propter furorem impos mentis, iubet alias subulas & ipsas quoq; vehementer accensas sub eorum axillis vsque ad humeros trãsfigi. quod quidem eis quoq; magis auxit dolorẽ, & eis sensum longe immisit acriorem. Populus itaq; non ferens: tam inhumanũ spectaculum: sed partim quidẽ grauiter ferens magistratus sęuitiã: partim aũt iudicans admirabile id quod factum fuerat, quemadmodum Martyres tantis restiterint insultibus, & non vnà cum eis protinus quoq; animas emiserint, iecerunt quidem vndiq; lapides in Magistratum. magnus autem est Deus Christianorum, voce q̃ potuerunt clarissima clamauerunt. Cũ magnus itaq;, vt est cõsentaneum, exortus esset tumultus, & Præfectus suæ saluti fuga consuluisset, libere & secure Martyres in montem Pyramin ascenderũt. in quo & sacrificia fiebant à gentilibus, & Deorum apud eos insignium occultabantur simulachra.

Sed ne sic quidem irasci desiit Agrippinus. sed cum per suos Satellites eos multos dies diligenter quæsiisset, vix tandem inuenit sanctos. & cũ sequenti die iussisset per Præconem conuenire in montem omnes q erant initiati Diis & Dæmonibus, ipse quoq; in eo præsidet in alto tribunali. & cum sanctos in medium produxisset, Cur, inquit, vestris præstigiis & incantationibus in populo seditionem excitastis: vt manus autem in nos tollerent, & ad deos negandos & maledictis insectandos procederent ꝑsuasistis? Martyres vero, A' nobis quidem, dixerunt, ò Pręfecte, nihil factum est quo moueretur & ad seditionem concitaretur populus. sed vel nobis silentibus verus eis ex ipsa veritate cognitus est Dominus. & eum magna, vt ipse nosti, voce viuum solum Deum prædicauerunt. Tu aũt si aliquod rursus nobis velis propter ipsum inferre supplicium, infer non differens. potest enim is ab eo quoq; nos liberare, & à vestris manibus eripere. Sic à Martyrum anima & sententia turpiter victus Agrippinus, corpora saltem studebat superare. cumq; eos extendisset in petra quę erat super verticem montis: & crassissimis lignis ossa eorum confregisset: & carnes, proh dolor, conscidisset, deinde iniicit in saccos: & eis maximis alligatis lapidibus, ꝑ latera montis deiicit vehementissime. Atq; eorũ quidẽ q aderant nullus erat cui nõ esset persuasum statim morituros martyres, illo vehemẽtissimo impetu discerptos & distractos. Illi aũt cũ ferrentur tam celeriter, ne ad extremũ quidem montis lateris constiterunt, sed cũ ab ipso quoq; littore decidissent, dilapsi sunt in profundum maris.

Illic itaq; stabant ex piis aliquot ad Martyrum venandas reliquias. vt si ex eis aliquid à mari eiiceretur, id tollerent. Cum illic ergo satis diu permansissent, vident saccos è profundo redditos, & sensim aquis supernatantes. Cũ ergo nauem ascendissent, & prope sacros fuissent, viuẽtes, O' tua Christe Rex potentia, Martyres suscipiunt, ne paruum quidem illarum plagarum vestigium adhuc in se habentes. Media autem nocte magna quoq; lux sanctis è cœlo circunfulsit. & Angeli aperte manum eis præbuere. & cũ in terram eduxissent, eos cœlesti alimento impertierunt, & malis assiduis deiectam eorum virtutem recrearunt. Deinde cum sic sancti in mediam accessissent ciuitatem, & aliis sanctis Dei narrabãt magnalia: & ipsi manus in cœlos extollentes, ei gratias egerunt vehementius. Eorum autem in ciuitatem aduentus accessio in transitu, fuerũt duo quidam cęci stantes in quoddam porticu, & alius cui erant manus torpefactæ, & alius rursus cui corpus laborabat paralysi, qui ex beatarum illarum manuum solo contactu, sine labore & mercede inuenerunt curationem multi quoq; aliĳ qui variis morbis laborabant cum ad eum confluxissent eandem quam illi fidem afferentes, eandem quoque consecuti fuere curationem.

Cum ergo hæc quoq; didicisset Præfectus, & ipsa cognouisset experientia se non modo nihil proficere dum puniret Martyres: sed suam potius lœdere religionem. vt qui multos videret ex gentilibus, iis quæ prę-ter opinionem ab ipsis fiebant miraculis, transfugere ad pietatem, non audet quidem ipse amplius certamen suscipere. sed de eis ad Maximianum refert Imperatorem, qui procul à Nicomedia cum toto versabatur exercitu. cumq; alia sigillatim retulisset: & q orti quidem essent in Regione Galatarum, patria autem Ancyranorum, cũ eas accepisset Maximianus, & legisset ea quæ continebantur, eum veretur rursus examinare. hoc prętextu rem volens euitare. Nam cum eos Ancyræ esse ortos litteræ significarent, illuc sanctos ad quendam Ducem trãsmittit nomine Curicium, dicens. Æquum est vt quæ genuit, eos & habeat, & alat, & puniat. Tm̃ solertia & sapientia & excogitandi facilitate valet Dei prouidẽtia, & in rebus dubiis exitum tam facile inuenit. & Clemens qui tantum terrę & maris obierat, & tandiu fuerat peregrinationis, in charissimam & iucundissimam, sicut optabat, patriam reuertitur. Quam cum læto & alacri animo esset ingressus, Gloria tibi Domine Iesu Christe Deus, dicebat, q meas preces exaudieris: patriæq; & meorum maiorum sepulchris me cũ pulchra reddideris accessione, cum socio inquam certaminis Agathãgelo. vt vbi natus sum illic etiam decedam. Deinde ad Curicium præsidẽtem in quodam loco qui vocabatur Cryptos. i. occultus, vbi etiã parua quædam ędificata fuerat ecclesia, viri sistuntur egregĳ. Ille autem conans eos inducere & ad se pellicere ingenĳ acumine & solertia, eos ita est allocutus statim in principio.

Cũ accurate ô viri, de vobis didicerim, & quantum terræ obieritis, & quot & quanta subieritis pericula, & quot mortis genera vobis intẽtata effugeritis, ipse quoq; animo afficior, & vel eorum sola frangor auditione, & efficior vobis quodammodo socius calamitatum. & ideo illa magistratus deposita seueritate, tã benigne vobiscum & placide colloquor. Videris enim mihi omnino ô Clemens maxime & admirabilis, eo q ex

hac præstantissima natus sis ciuitate, in eaq; creueris & doctus sis & educatus, ea de causa ne pius quidem in deos in alia videri voluisse ciuitate, nisi prius in tuam rediisset patriã, pro alia, vt videtur, remuneratione hoc illi reseruans. Sunt ergo nunc à te ciuitati & nobis agendæ gratiæ. Te autem consequatur præclarus quoq; Agathangelus. Nolite ergo differre, sed Diis de more sacrificate. Sancti vero, Qũo, dixerunt, fueris nobis socius afflictionum, quibus sunt voluptati afflictiones. Lætamur enim his perpessionibus: & eo magis q̃ non talia pati perpessionem esse ducimus & calamitatem. sicut etiam perpetuam rursus beatitudinem, si in præsenti Christi fide & in hac consummemur cõfessione. Quòd si oportet nos esse inter nos socios calamitatum, oportet nos vestrorum potius malorum misereri, qui verum Deum ignorantes, nullo sensu præditis, proh dolor, simulachris & surdis misere estis dediti.

His grauiter efferatus Curicius: Qm̃, inquit, vt videtur, malarum estis partium, & vt videtur lętamini dũ cruciamini, ego quæ sunt vobis cordi præbebo liberaliter & magnifice. Cũ itaque statim ferrum vehementer accendisset, vt etiam ignis scintillas vndequaquam emitteret, eũ subiicit axillis magni Clementis. & deinde cũ lateribus vlnas fortiter alligasset, vt dolorem sentiret acerbiorem, lignum magnitudine ei æquale figit in terram. & Clementem quidem iubet rectum in eo alligari. Cũ Agathangelum autem sublime sustulisset, & lictores circa eum omni ex parte stetuisset, eorum latera & tibias simul cedebat. Interim autem eos veluti subsannans, interrogabat ac sentiret supplicia. Cui magnus Clemens illud Pauli in tempore rñdit, Quantum externus homo noster corrumpitur, ,,
dicens, tantum internus renouatur. Dux itaq; summam illius tolerantiã ,,
contendens rursus summis superare suppliciis, ferream quoq; galeam, cũ tam quantum potuisset accendisset, ferens posuit supra caput Martyris, & statim fumus quidem mittebatur per os, per nares, per aures. Cum ille autem profunde ingemuisset, & Deum inuocasset, O' aqua, inquit, viua, imber nostræ salutis; ipse, inquit, tuum instilla mihi rorem. nos quidem prius ex aqua eduxisti. & nunc ex igne educ in refrigerium. Hæc dixit, & paulatim frigida euasit illa machina. & defessi sunt qui ipsum cedebant Agathangelum. Quod quidem cum Dux vidisset, eum inuasit tremor & admiratio. & statim iussit sanctos abduci in carcerem, inopiam consilij tegens prætextu misericordiæ.

Sapiens autem Sophia, quæ, vt diximus, eius erat & mater & institutrix, & bono Clementi effecta erat omnia, cũ post longum tempus eum vidisset sic rediisse cum ornatu confessionis & splendida stola martyrij, & rursus in patria euasisse clariorem accessione periculorum, habebat cor plenum lętitia, & sperabat se mox visuram coronas quæ desuper mitterentur. Noctu autem veniens in carcerem, complexa Clementem, & prę gaudio in eum emittens lachrymas, os, manus, lachrymas, & oĩa deniq; illius membra germane & suauiter deosculabatur. Deinde qũo illinc nauigauerit, quibusnam traditus fuerit, & quænam interim sustinuerit: & quemadmodum tanto tempore decertauerit: & quisnam sit qui cum eo sub hoc duce decertauit, & cum eo rursus est inclusus, singula aperte interrogauit. Postquam vero magnus Clemens sigillatim omnia qũo se haberent exposuit, cum eorum abstersisset sanguinem, & mundis linteis

mundasset vulnera, eis apponit alimenta, quibus sciebat Clementem nutriri ab ineunte ętate. Cũ interim autem considerasset Curicius, ꝙ nihil ab eo posset eiusmodi excogitari ad supplicium, vt virorum tantam superaret tolerantiam, Vicario cuidam cui tunc Amisenorum data erat administratio, erat autem ei nomen Domitius, de eis mandat cognitionem. Cum vero ad eum deducerentur Martyres, quæ filiorum aut martyrum potius amore tenebatur, ab eis abesse non potuit. sed prompto & alacri animo sequebatur cum iis qui ab ea alebantur pueris. quos quidem, vt prius diximus, ei Clemens asciuerat.

Cum autem ad Maximianum statim esset relatum de pueris iubet vt si voluerint quidem discedere à Clemente, eis permittat domum redire. Sin vero ab eo non facile recedant, vt eos morti dedat. Cum hæc ergo in pueros lata esset sententia, eos apprehendentes milites conabantur eos per vim auellere à Martyre. Cum ab eo autem disiungi non sustinerent, ipsos se humi deiicientes, & ambabus manibus pedes illius amplectentes, non prius dimiserunt, ꝙ̃ vnusquisqꝫ eorum ense vitæ finem acceperit. cũ constantiam & prudentiam supra ætatem ostendissent: & aperte monstrassent perfectum hoc donum descēdisse desuper à patre luminum, boni animi & instituti munificẽtissimam remunerationem. Atque locus quidem cui puerorum corpora sorte obtigerunt, appellabatur campus. Pia autem Sophia, propter summam suam in eos beneuolentiã, gerebat etiam curam mortuorum corporum: nec se dignum esse existimabat, si ea humi videret iacentia: sed vel inuita à magno Clemente disiuncta est & diuino Agathangelo, cũ eis prius vale fecisset, & dixisset ꝙ si Deus daret ad eos rursus rediret. Quamobrem cum illa puerorum 16 corpora manibus sanctis sancte humo texisset, illa quidem læta domum est reuersa.

16 *Nota sepelire mortuos pietatis opus esse & Deo placere. Nam pia mulier ob id solum à sanctorũ societate recessit, ut pueros pro Christo occisos sepulturæ traderet.*

Martyres vero cum ad Amesenorum peruenissent ciuitatem, & genua in terram 17 aliquandiu inclinãt, & cum vt Deus eis rursus adesset ad auxilium cum calidis inuocassent lachrymis, à militibus adducuntur ad Domitiũ. Sed ille cum esset occupatus in examinandis aliis Christianis, eos in diem sequentem reseruat certis tribunalibus & suppliciis dicens nõ esse honestum vt de eis cognitionem aliis adiungeret. Ad eum ergo adducuntur die sequenti cum generoso & excelso animo & qui erat expers oĩs timoris. qui tantum abest vt si quid graue paterentur cederent, & pietatẽ proderent, vt etiam ipsum Iudicem magnus Clemens conatus sit in suã traducere sententiam, docens de bonis futuris & de vita immortali, quæ expectant qui pati propter Christum constituerunt. propter quem nos quoque, præsentia, dicebat, supplicia lubenter sustinemus. & adhuc his plures afferẽs admonitiones, & eius aures implẽs doctrina iucundissima. adeò vt ipse quoque Agathangelus repletus voluptate prociderit ad eius pedes. & cum illinc deinde surrexisset eum sit complexus, & suaue illud os ardenter deosculatus. Sed Domitius, vt est in prouerbio, erat asinus ad lyram in audiendo: & nec pauca quidem intelligebat ex iis quæ ab eo dicta fuerant. sed cum ab errore totus detineretur, arma capit contra Martyres, existimãs fore vt eos à pietate traduceret. Certe & eos à se inuicem separat. vt etiã sic in eos incideret imbecilliores & singulos seorsum ducit ad examinationem. Sed totum euenit cõtrarium. Nam cũ disiuncti essent corpore, erant omnino colligati spiritu. & reuerentes eas quæ erant inter se in-

17 *Vide orationẽ cum genuflexione & lachrymis.*

se inuicem factæ conuentiones & confesionẽ, sic se ipsos effecerunt magis generosi & magis excelsi animi, eam quæ erat à se inuicem incitationem à se contendens vterq; accipere.

Impius ergo ille iudex, cũ eos ab initio punire statuisset, cisterna quadam calce impleta, sanctos in ipsa defodit. Deinde cũ propè statuisset milites, iussit vt eos diligenter seruarent ne forte, inquit, Christiani eos noctu suffurentur. Et hæc quidem ille stultus, & vere stulta aggrediens vt nouit Deus. Q̃uo enim fornax quæ olim tres suscepit pueros, nullo eos dolore nec vlla affecit molestia, & vt dicam cum diuina scriptura, ne vnum quidem eorum pilum lœsit: ita etiam in his factum est. Nam cũ hora secunda iacti essent in calcem, toto die, erat autem parasceue, steterunt nullo malo affecti, Deum laudantes. vespere vero & lux eis desuper emicuit, & per totam noctem eos circunfulsit. Miraculum autem fructus quoq; est consecutus. Duo enim ex militibus quibus erat eorum demandata custodia, hunc splendorem mirati & hanc alacritatem, & lubenter in calcem insiluerunt, & Christianos se esse confessi sunt. Cum vero iam dies appareret, eos esse mortuos existimans Vicarius qui erat impietate mortuus, iubet eorum corpora eiici è cisterna. Et cum accessissent ij quibus erat eorum commissa custodia, vident eos, & milites qui ad eos transfugerant, nihil quidem graue sustinuisse: sed habere diuinam quandam gratiam in suo vultu efflorescentem: & è facie dulcem quendam radium emittere. Cum eos ergo è cisterna extraxissent, de militibus Vicario renunciant. erant autem eorum nomina Phengon & Eucarpus. & illo iubente protinus fuere crucifixi. clara quoque ipsi luce confessionis habentes oculos illuminatos: & iam remunerationum fruentes prœmiis.

Clemens vero & Agathangelus adhuc currebant in stadio martyrij. Vicarius autem studebat eis quoque vitam præsentem adimere. vt qui nec videret eos persuaderi bonorum promissionibus: nec omnino malorũ cedere insultibus, plures adhuc & præclariores volens eis coronas contexi. Dehinc certe Vicarius iussit duo lora excindi ex tergis vniuscuiusq;. deinde autem ipsos quoque verberari virgis toto corpore vehementissime. Illi vero cum etiam eis carnes conscinderentur, & ossa contererentur, fortiter tamen & constanter sustinebant præsentia, tanquam ad impatibilem iam traducti naturam, & nullam sentientes necessitatem corporis: Pręclarus autem Clemens tales quoque voces ad Deum loquebatur, dicens. Dñe Iesu Christe, qui quidquid spirat è luto propriis fabricatus es manibus. & homini neruos & ossa & aliam construxisti figuram. qui etiam nos sæpe contritos confirmasti: & concidentes stabiliisti. afflictosq; & prostratos erexisti, ipse ossa quoque nostra nunc contrita erige, & tua imple exultatione. Ipse enim es ô Rex inuicte, qui in nobis hoc certamen decertas: vt per nostram imbecillitatem tua apertius ostendatur potẽtia. Q̃uo enim hoc corpus in quod cadit interitus, tales vicerit perpessiones? Ita magnus Clemens cum Deo loquebatur. Vicarius autem videns eos superare præsentia, ad alium modum processit supplicij. & cum duos ferreos candefecisset grabbatos, facit vt in altero eorum alter recumbat. cum vero multum ignis inferius substrauisset, oleum & ignem & picẽ & sulfur infundit. Cum multus ergo, vt est consentaneum, fumus & flamma sublati essent in magnam partem aëris, ij quidẽ qui circunsistebant, quin-

etiam ipse quoque cum eis magistratus, id quod erat rei & naturæ consequens, credebant omnes sanctos esse mortuos. Significabat autem iam lictoribus quoque Vicarius, vt rogo extincto corpora sanctorum iacerent in fluuium. Eos vero inuaserat quidam dulcis somnus & inexplicabilis. In somno autē visio quoque accedebat. Visio vero erat ipse agonotheta Christus qui cum exercitu Angelorum apparuit: & dixit, Nolite timere. ego enim sum vobiscum. Illi ergo cū ab hoc diuino somno essent expergefacti, communicabant sibi inuicem visionem, tanquam in herba molli & odorifera, non in media autem flamma iacentes.

Cum eos vero Domitius vidisset ita admirabiliter & præter opinionem ignē superauisse, nec sciret deinceps quidnam eis faceret, remittit eos ad Maximianum, qui tūc ex Tarso reuertebatur Ancyram. Cum sancti ergo sub militibus cū multis quoque aliis Christianis essent iter ingressi, qm̄ & vitæ longitudine defessa erant corpora, & alioqui via qua erant transituri, erat admodum deserta & plane aquæ expers, sitis eos vrebat vehementissime. Ea cum videret grauiter premi eos qui vna iter ingrediebantur, & mox esse defecturos, ad preces cum genibus ipsam cor quoque
18 inclinantes, 18 Domine Iesu Christe Deus noster, dicebant. qui etiam prius aquas maris, tāquam murum firmas effecisti & stabiles, & aquam rursus eduxisti e petra, ipse nunc quoque super nos respice. respice inquam Rex valde enim ardet nostra anima. & currimus in siti æstus in loco, qui est sine aquis. Te autem volente, omnino & terra aqua & rursus aqua terra fiet. Hæc & dicebant, & calidæ lachrymæ eis fluebant ex oculis. Cum itaq; orassent & protinus in cœlum suspexissent, purum quoddam & perspicuum fluentum ex illa arida & inculta terra emittitur. Ex quo cum bibissent, eam quæ eos premebat sitim sedarunt.

Et hic nota orationē cum genuum inclinatione & calidis lachrymis, miramq; illius exauditionem.

Cum huius autem rei fama etiam ad eos qui procul erant remoti peruasisset, ad ipsos confluebant qui circuncirca habitabāt: & magna hominum multitudo qui multis & variis morbis vexabantur, ad eos adducebatur. Manuum autem solus contactus fuit vnicuiq; morbi medicamētum. Beatissimus ergo Clemens (ad ipsum enim solum rursus reuertitur oratio) propter Christum pati adeò sitiebat, vt nec vitæ quidem suæ tēpus oraret minui suppliciis. sed eius septa extendi perpetuo. Domine dicens, qui es solus Rex seculorum. Ne me abduxeris in dimidio dierum meorum his quotidianis defessum periculis. sed præbeas mihi peccatori per totam meam vitam omnia pati pro tuo nomine & tua confessione, & vel ipsa tibi mēbra sacrificare. vt ea rursus accipiam cū maiori splendore. Hæc simul ac precatus est, visus est sibi vocem audire ex alto dicētem. Quæ petiisti Clemēs, ea nunc tibi data sunt. Te fortiter gere, & tuas vires cōfirma, & certaminis cursum cōstanter confice. Vniuersum enim quod tibi restat vitæ tempus cum iis quę certando iam à te sunt peracta, numerabitur ad viginti & octo annos martyrij. Sic ergo egregius Clemens cum è cœlo accepisset certum pignus martyrij, ad Ancyranorum ciuitatem rursus confidenter procedebat vnà cum Agathangelo. Qui eos autem abducebant milites, audientes Imperatorem adhuc versari Tarsis oppido Ciliciæ, illud ad eum sanctos ducunt. Ille autem cum eos statim sisti curasset, & id quod re uera erat celasset, simulata benignitate humane & placide eos primum conabatur inducere.

Mihi videmini, dicens, ò viri, propterea in hodiernum vſque diem non induxiſſe in animum vt omnino cederetis, ſed in eos potius ad quos miſsi eſtis immorigeri fuiſſe & contentioſi. vt ad nos vſque veniretis. & non prius in alicuius alterius q̃ in ipſius Imperatoris oculis mutaremini. Scit enim ſepe præſentia Imperatoris animũ quoque tranſmutare: & id quod eſt valde inimicum prouocare ad beneuolẽtiam. Ecce ergo noſtro aſpectu dignati eſtis in præſentia. propediem autem digni quoque noſtra cenſebimini beneuolentia, ſi prius Deos vt Seruatores & communes hominum curatores colueritis. Præclari autem viri præclare admodum reſpondentes, Quòd ad tuam quidem potentiam, dixerunt, deducti ſimus ò Imperator, ipſi quoque lætamur. ſed vt qui pro tuo tribunali ſupplicio propter Chriſtum, non aliquo autem alio honore digni ſimus cenſendi. Sic enim cum magna fiducia ſiſtemur ad illius terribile & quod corrumpi minime poteſt tribunal. quam vt conſequaris te quoque rogamus ò Imperator. Ipſe enim eſt per quem & Reges vere regnant, & Tyranni in terra dominatum obtinent. Ipſe enim eſt qui & deſtruit omnem gentem: & Romanorum extollit imperium & adhuc magis extollet: & per ipſum omnibus dominabitur gentibus. Quod quidem Propheta quoque appellat ” virgam ferream. Dedi tibi, dicens, gentes hæreditatem tuam: & poſſeſsionem tuam fines terræ. Paſces eos in virga ferrea. Porrò autem Imperatores quoque qui vos ſequẽtur excitabit pios & veri Dei cultores. Nam hoc quoque prius elocutus eſt ſpiritus.

His ergo vehementius commotus Maximianus. Quoſnam, inquit, ò vos qui violẽta eſtis morte perituri, legiſtis libros fatidicos qui hæc fabulantur. Illi autem, Non fatidicos ſed propheticos potius, dixerunt, ò Imperator. in quibus vtiq; hoc quoque ſcriptum eſt. Exurgere faciet Deus in diebus nouiſsimis Reges pios. Maximianus vero, dum ĳ hæc dicerent, interrumpẽs orationẽ. Quid verò, inquit, Non nos iis ſumus, qui in Deos tanta pietate vtimur. vt eos quoque qui eis non parent, vt nunc vos, malis afficiamus grauiſsimis? Quamobrem magnus Clemens ſilente Agathangelo. Sed ò Imperator, inquit, ſi fuiſſet quidẽ aliqua mutatio impietatis ex quo illud prædictum eſt propheticum, ea quæ à te dicta ſunt aliquam haberent rationem. Cum autem cultus ſimulachrorum in hodiernum vſque diem abundet in orbe terrarum, clarum eſt futurum omnino aliud tempus piorum Imperatorum. Cum ex his ira quæ cohiberi non poterat eſſet incitatus Maximianus, loqui quidẽ deſiit. fornax vero Chaldeorum fornace longe maior ſanctis fuit accenſa. Sed eos quoque in ipſam iniectos diuina rore perfudit gratia: ſicut illic pueros, ſic hic conſeruans Martyres. Atque totam quidem noctem & diem eos fornax tenuit. illinc vero audiebatur quidam ſonus feſtum celebrantium, ſuaueq; olens & dulcis fumus ex eo ſurſum emittebatur.

Hæc ſignificantur Maximiano. Ille autem cum iam flamma extabuiſſet accedens, videt ſanctos in ea ſaluos, ò miraculum, cum flamma ne vel ſolum quidem eorum pilum lœſiſſet: ſed manus quidem haberent in cœlum extenſas, labra vero mouerent ad glorificationem. Quos cum curaſſet ſtatim ad ſuũ tribunal ſiſtendos, Vel in hoc, inquit, mihi ſaltem gratificemini, vt ſignificetis quibuſnam incantationibus igni vim adimitis. Illi autem, Non incantationibus, dixerunt, ò Imperator, ſed ſola eius qui

dixit promisſione. Etiamſi per ignem tranſeas, flamma non te comburet. Hæc ergo ruſus mordebant & male habebant Imperatorē. & eos iuſsit trahi publice, & conuelli à Lictoribus, & extrema perpeti. Sed hæc quoque illi male ceſſerunt. Nam tunc quoque multi ex infidelibus videntes ſpiritus qui non poterant redigi in ſeruitutem, & animum qui deiici & deprimi non poterat, planeq́ue fiduciam ſpirabat & libertatem, & hoc quod eſt maximum, homines qui acerbe trahebantur & cōuellebantur, & quid non graue patiebantur, & non ſolum non cedebant, ſed euaſerant quodāmodo robuſtiores & vegetiores, & pleni erant fiducia, & ſuperabant ipſum Imperatorem. Hæc videntes, & patriam abiurabant religionem. & eis ſe adiungebant, & ei qui ab ipſis prædicabatur Chriſto.

Cum itaq; conſilij inopia eſſet plane ex omni parte implicatus Maximianus, Martyres ita vt erant vinctos tradit in cuſtodiam, cū eos damnaſſet quatuor annos habitare carcerem. ſi forte, inquit, quod intercedit tempus ſit eorum ſoluturum conſtantiā: promptiq́ue & alacris animi hebetaturum vehementiam. Sed ea contra atque ſperabat euenerunt. Bono enim & tranquillo animo fuerunt interea. & cum iā tempus adeſſet præfinitum, perinde acſi fuiſſent incluſi heri & nudius tertius, acrem & vehementem ſeruabant zelum ad confeſsionem. Deſiderium enim in Chriſtū, & ſpes futurorum, efficiebant vt habitarent carcerem non ſecus ac magnificas ædes & palatiū. Maximianus ergo cum hæc quoque didiciſſet, ipſe quidem recuſans amplius ſuſcipere aduerſus eos certamina: deliberabat autem ad quem eos de cætero tranſmitteret. prętextu quidem quod propter inſignem impietatem ne Imperatoris quidem eſſent digni tribunali. Vera autem cauſa erat, quod cum eos inueniſſet omnibus eos inducendi rationibus ſuperiores. & neq; induci bonorum promiſsionibus. neque flecti malorum inſultibus. verebatur adhuc manus cū eis conſerere. generoſum & qui deprimi non poterat eorum ſpiritum, eius deprimere gloriam & aliquid de magnitudine detrahere exiſtimans.

Ei autem ſic deliberanti aderant multi quoque alij ſimul magiſtratus & præſides qui ex multis conuenerant prouinciis. Inter quos erat etiam Sacerdos, qui erat quidem principatu inſignis, ſed erat lōge impietate inſignior: & multos Chriſtianos multis ſępe & variis ſubiecerat ſuppliciis. Ei mandat Maximianus cognitionem de Martyribus. Cum autem perſuadendi magna vi eſſet pręditus, & ad alliciendas hominum mentes artifex egregius, & alioqui ſtuderet oſtendere, eos qui ipſum pręceſſerant, nō ex Martyrū animi magnitudine, ſed ex ſua potius ſimplicitate illis præbuiſſe victoriam, ſedens in tribunali effecit vt viri illi egregij coram ſe ſiſterentur. & varie cum eis decertare eſt aggreſſus. modo quidem lenitate & pecuniæ promiſsione: modo vero acerbitate & minis rerum malarū. nunc blanditiis. nunc indignatione. & partim quidem aſperarum rerum experientia. partim autem iis quæ præceſſerant adhibendo medicinam tanquam ex pœnitentia. Cęterum cum primum fecit vt ſiſterentur Martyres, Adeſte, inquit, ad Sacerdotem, quem nullus, inquit, effugit ex Chriſtianis qui Pontum habitant & Galatiam. ſed multos quidem perſuaſos honoribus affeci & muneribus: & Diis, quod quidem eſt maximum, reconciliaui & effeci familiares. multos vero ex iis qui non paruerunt ferro & igne conſumpſi, & morti tradidi acerbiſsimæ. Cui quidem vos quoq;

parentes,

parentes, sacrificate, vt pro proportione tot malorum quæ tot annos patimini, vos bonis fruamini.

Ad hæc dixerunt sancti. Qui nos pro meritis est remunaturus, & honoraturus, est Christus. qui dona habet tam excellentia, vt ne condignæ quidem sint huius seculi pasiones ad gloriam quæ est in nobis ab ipso reuelanda. Propter quæ Sacerdos quoque fecit similiter iis qui præcesserãt. & eos iusit cædi in humeris, donec eis ipsa ossa aperirentur. Cum autem Martyribus præsentia viderentur esse leuia, spina quoque similiter cædebatur, donec à præsentibus oculis visa est osium compositio, & tota dimensa est compago vertebrarum. Sacerdos ergo tam misere & tam miserabiliter victus est à Martyrum fortitudine. Quocirca quæ illos pati erat verisimile ipse potius sustinebat. Nam ij quidem cum ille iusisset, suis pedibus redierunt in carcerem. Ille autem cum ex pudore & ægritudine quod vinceretur linqueretur animo, & multis portaretur manibus, turpiter recesit à Tyrannico tribunali.

Interim autem dum sancti irent in carcerem, carnes quæ eis decidebant cum sangnine, effecerunt vt fideles vndiq; ad eas colligendas concurrerent, tãquam ad quendam thesaurum bonorum. Quas quidem statim cum ipso puluere tollentes sitientibus manibus, credebant se quãdam benedictionem attrahere & gratiam. Postquam vero Sacerdos oĩ metu intentato, adhibitaq; omni experientia, callidisq; commentis artificiisq; & præstigiis, nihil potuit efficere, sed vt dicitur, in cœlum est iaculatus, & hæc resciuit Maximianus, & risum profudit in Sacerdotem. Hic est Sacerdos, inquit, qui decantatur ab omnibus. Maximus ergo quidã qui ipse quoque erat Dux, cum esset apud Maximianum & audiret quæ dicebãtur, impletur quodã animi zelo aduersus sanctos. & Rogo, inquit, ò Imperator, tuam potentiam, vt ij viri mihi quoque tradantur in manus. In maximis enim Diis haheo fiduciã, ꝙ vel eis persuadebo vt mutent omnino sententiam, vel eis malè vitam adimam. Quamobrẽ cum annuisset Maximianus, octauus ipse suscipit Martyres. & nouum quid in ipsos machinatur. vt qui interiecto aliquo temporis interuallo cum ipsis colloqueretur, & se sanctis verum & amicum dare fingeret consilium. Nam eos quidem primum alloquitur, amice sermocinans, & quæ iucunda & grata essent cum eis differens. Deinceps vero aliquot rursus diebus interiectis eos ad sermonem conferendum vocabat. eosq; admonere & eis cõsulere, non autem eis omnino vim afferre neque eos cogere videbatur.

Cum vero sic multum temporis intercesisset, fraus Maximi aperte arguebatur, & aperiebatur causa illius fraudulentę & simulatæ amicitię. Nam cum sanctos aduocasset, Saluete, inquit, ò homines, quos similiter amãt Dĳ immortales, & ambos habent loco germanorum filiorũ. Sæpe enim mihi & responsa dederunt, & in somnis apparuerunt, iram in vos reprimẽtes. Nulla quidem omnino alia de causa, nisi ꝙ expectant vestram sponte futuram mutationem. quę quidem paulopòst aderit, vt mihi certe præterita nocte magnus inter Deos aperuit Dionysius, vt qui nobis mãdauerit dicẽs Adduc viros. Ecce ergo & ara est parata. & parata sunt sacrificia. accedite & sacrificate eorum beneuolentiæ. Ad hęc sancti respondentes. Falsum ò Iudex aperte dixisti & minime probabiliter. Nam quæ interdiu tui tibi Dĳ loquuntur, ea omnino noctu quoque. Quisnam enim

adest tibi Dionysius? Is enim est duplex vt videmus. aut quemnā nominas ex his immortalem? æneum'ne an lapideum? Nā si eum dicis qui constat ex lapide, videbis paulopòst hunc tibi Deum immortalem, vel confractum, vel iniectum in ædificium. vel exustum & in calcem transmutatum. Quòd si tecum disseruit æneus, is quoque cito pulchre fundetur in vasa quæ deseruiunt ministeriis. quomodo vnūquodq; eorū vsus exegerit. Cum hæc sancti respondissent, & cognouisset Maximus nihil sibi aliud profuisse omnino simulationem illam & fictionem. q̄ꝗ suis Diis labem & maculam inusserit, personam deinceps exuens, aperte ostendit Maximum. & id quod erat protinus apparuit.

Iubet itaq; obeliscos in extremo acutos, vnius pedis magnitudine, superne habētes cuspides, defigi in terram. & beatum Clementem supinum acubus impositum, crassissimis lignis verberari vehementissime: Agathāgelo autem in caput infundi plumbum igne liquefactum. Cū ergo iussus effectum celeriter accepisset, magnanimus quidem Clemens, & in pectore superne cedebatur. & eius terga inferni obeliscis transfigebātur. Sed ne sic quidē anima huic sancto discedebat à corpore. Verax enim erat, q fuerat pollicitus, tormenta eum nō esse superatura, nec vllo supplicio vitam esse finiturum. Agathangelus vero ipse quoque similiter admirabilem ostēdit fortitudinem. Maximus itaque hoc præter opinionem miraculo obstupefactus cum iis qui circunstabant, propemodum ne poterant quidem credere suis oculis, adeo inopinatum, & quod erat præter rationē, videntibus miraculum perpectus, cor & totum deinceps corpus, acuto ferro transfixum hominem. & præterea superne quoque vehementer verberatum, nō statim emisisse animam. sed viuum adhuc esse & superstitem, & vi illi intolerabili sana mente resistere. Vix ergo tandē eum detrahit ab obeliscis, non secus ac vestem vndiq; dilaceratam: & solo sermone persuadentem se non esset mortuum. Martyr ergo ad Maximū protinus aspiciens, Modo, inquit, cognouistis quemadmodum non solum nostrum corpus aduersus vos decertat. sed Deum habet qui per ipsum longe vestras superat insidias. qui etiam non sinit animam euolare è corpore, eam cohibens & continens arcano quodam consilio, & quæ dici non potest prouidentia.

Cum animum ergo omnino despondisset Tyrannus, & nulla spe amplius teneretur, Sacrum quidem Clementem qui adhuc portabatur, cum Agathāgelo includit in carcere. Refert autem ipse quoque singula Maximiano, quænam aduersus Martyres excogitauerit, & quemadmodū inuenerit eos nec blanditiis vinci posse nec tormentis, atque adeò ipsam quoque ab eis superari naturam. Maximianus vero cum similiter atque ipse, nullam posset excogitare rationem, nedum viros persuadēdi egregios, sed nec eos quidem interimendi. iubet eos relinqui in carcere, nec vllam eorū omnino curam geri, donec ipsi naturalem mortem sustinuissent. Viri autem impij, cum eorum tam manifestam accepissent experientiam, ò amētiam, ò crudelitatem, ne sic quidem poterant quiescere. sed etiam expectabant fore vt sic vincerent. Certe Aphrodisius quoque nonus luctam aduersus ipsos suscipit. genere quidem Persa, qui multa tormentorum genera sæpe excogitarat aduersus Christianos. Erat autem hoc signum euidens, Maximianum eorum magnam habere rationem. & hoc sciebant omnes quod qui eos potuisset persuadere, ei esset rem facturus gratissimā, & pro

eo maximam accepturus remunerationem. Hic ergo cũ forte fuisset apud Maximianum, quo tempore de sanctis ei renunciabatur. petit in eos sibi dari potestatem etiamsi, vt est in prouerbio, exuerit Sicyonium. Cũ autẽ petiisset & accepisset, domi statim apponit lautam & magnificam cœnam. & eos inuitat ad conuiuium. vt eis labores sustinendo defessis, res iucundas præbendo gratificaretur: & eorum ad se animum leniter alliceret. Cum vero quæ eis coaluerat, & grata erat. magis amplecterentur abstinentiam, 19 & adiicerent. Nos pane cœlesti vescimur. quem qui comederit, non amplius esuriet sed viuet in æternum. illic enim est bonis cœna parata, contumeliam esse ratus Aphrodisius, & in eos commotus vehementius, illos quidem tradit in custodiam, dicens. Vestra ergo cœna erit mors cum dolore. quam quidem ego cras vobis apponam magnifice.

19 *Sanctis coaluerat abstinentia.*

Iubet autem postridie afferri duos lapides molares. Vtrunq; vero eorũ collo vtriusq; alligari. & sic eos lapidibus vndiq; appetitos trahi per mediam ciuitatem. iis qui trahebant hoc eis acclamantibus. Diis parete & Imperatoribus. Qui aliquid decernit præter nostram patriam religionem, fit obnoxius talibus suppliciis. Sed hoc quidẽ totũ faciebat Aphrodisius, vt vel ingentes frangeret eorum spiritus, & efficeret vt cederent, se tam turpiter traduci non ferentes. vel in eos incitaret ciuitatem: & communiter concurrentes omnes ipsos interimerẽt. Sed qui quę sunt profunda & occulta aperit, id euertit quod is callide cogitauerat. Nam & Martyres, gloriantes potius quã pudore affecti, circunducebantur. ciuitasq; cõfluens ad spectaculum, & videns q́ alacres & læti propter Christum obirent: & q́ post tot & tanta supplicia valida essent eis corpora, maximas illas plagas cito repellentia: eos veluti impatibiles existimantes & immortales. illi quoque verum Deum confitebantur. & læti accedebant ad pietatem. Cũ sic ergo longe fuisset inferior Aphrodisius, hæc Maximiano quoque significantur. Ille autem cum spem omnẽ abiecisset mutationis. vtpote q́ fieri non posset vt à sua sententia traducerentur Martyres, maxime cum ex eo plures ad eorum traherentur pietatem, ad perpetuum eos condemnat carcerem. vt cum custodia à qua nullo tempore egredi liceret extabuissent sic è vita excederent, Deo hoc eis prouidente. vt oratio Clementis eum quem ipse precatus fuerat finem acciperet: & essent eis maiores martyrij remunerationes.

Cum longo ergo tempore sic morati essent in custodia, multi alij ex piis qui martyrium post eos inchoauerant, acceperunt ante ipsos consummationem. Qui autem Clementis & Agathangeli, præclarorum Athletarũ pietatis, erant à Maximiano carceris constituti custodes, defessi diuturna illa carceris custodia, vix tandem accedunt ad Maximinum qui tunc susceperat imperiũ, & rogãt & quid iubeat de iis quos multis annis tenent vinctos qui Christianæ sunt religionis, qui difficiliter moriuntur, vel sunt potius immortales. Sic enim nominabant beatos, propterea q́ mala sustinuissent quæ ferre non potest humana natura. Maximinus autem cum prius suos Deos multis insectatus fuisset maledictis, q́ non potuissent præsentem illius vitam adimere: deinde etiam quæsiuisset de ciuitate in qua nati & ex qua profecti fuerant, & cuiusnam essent generis. cũ eos & Galatas esse intellexisset & ex ciuitate Ancyrana, ad lucium eos mittit præsidem. Is enim tunc ei præerat. Ita cognoscitur Dominus iu-

dicia faciens. qui Martyres quoq; post tot & tanta pericula, ei rursus quę eos tulerat iis quibus ipse nouit modis restituit. Illi ergo cũ Tarsis egressi essent, alacri pede confecerunt viam quæ fert in patriam. Cum primum autem viderunt Ancyram, sistuntur coram Præside Lucio. Ille vero cũ nec eis quidem prius loquendi fecisset potestatem, tũc eos quidem valide includit in ligno, lapide vtriq; alligato, ita vt ne ipsi quidem possent omnino moueri, nec cura extendere.

Sequenti autem die accersito Agathangelo, Scio, inquit, ꝙ non propter improbitatem, sed propter animi facilitatem, & morum simplicitatem, deceptus es à tuo familiari Clemente. Quocirca videris multis habere innatum nimium contendendi studium. Non est autem mirũ, si mala consuetudo, quæ veluti morbus quidem tempore callum obduxit, mutauerit sententiam. Nam gutta quoque aquæ assidue distillans, petram quoque scit cauare, vt dicitur. Sed hanc tuam ad morem gerẽdum facilitatem nobis quoque aliquando concede Agathangele, longe vtiliorem & iustiorẽ. & conuenienter tuo nomini sis nobis bonus nuncius nuncians conuersionem propriam & pœnitentiam. Ad hæc Agathangelus. Mihi, inquit, hanc constantiam nec animi fecit facilitas, nec improbitas. Sed ꝙ non improbitas quidem, ipse prius es confessus. Quòd autem rursus nec quibuslibet facile paream, hinc est apertum. Qũo enim tam multis restitissem Præsidibus, atque adeò ipsi etiam Imperatori. qui cum me & cum Clemente & seorsum rursus accepissent, nullam non adhibuere machinam. sed & promissis inescare, & minis porterrere, & suppliciis conati sunt in aliã traducere sententiam. Neque ergo facilitatem, neq; improbitatem, sed sapiẽtiam potius & animi fortitudinem hæc nomines. Sapientiã quidem, qua iis quæ intereunt & cito fluunt præferimus ea quæ stant & manent: falsosq; vestros Deos & adulterinos auersantes, solũ vnum Deum & verum attendimus. Fortitudinem autem, per quam cum tam multis pro Christo colluctamur periculis: & veluti quendam somnum mortem cõtemnimus. Neq; est ergo Clemens, qui mihi persuadet: sed Christus multo prius, qui me vocauit per Clementem. Neq; deceptus sum, sed potius discessi ab errore. à quo rogo vt vos quoque recedatis. vt qui vobis quoque si vultis sim nuncius veritatis.

Hæc cum dixisset Agathangelus, omni de eo spe concepta Præses frustratus, & ferreas fibulas valde accensas in illius aures iniicit: & faces copiosum ignem alentes vtrisq; admouet lateribus. Cum acris itaque dolor hinc ex auribus intrinsecus versaret cerebrum, fumusq; & tenebræ id implerent, fortiter id ferebat Martyr Christum confitens, & eum solum vocans in auxilium. & clamans Dñe Iesu Christe. Ne me priuaueris beato illo fructu bonorum immortalium. Sed des mihi patientiam & tolerantiam. & cum dignatus me fueris perficere cursum tuæ confessionis, cum tuo famulo Clemente me connumeres, & cum omnibus qui pro glorioso tuo nomine decertarunt. qm̃ defecit virtus mea. anima autem mea in te sperauit. Hæc ille quidem est precatus. Deus autem ex alto hæc perfecit. & cum videret Præses nihil sibi succedere ex sententia: sed Athletam potius effici clariorem, abducto illo in locum qui Cryptos, idest abditus, appellatur, ense beatum caput amputat, quinto mensis Nouembris. Atque Martyr quidem cum recessisset ab iis quæ sunt ad tempus, & à laboribus

liberatus

liberatus fuisset & tormētis,fuit in 20 cœlis:& qui staret cum Angelis
& cum superis choros duceret dignus fuit habitus. cum certasset sub Imperatoribus quidē Diocletiano & Maximiano. sub Magistratibus autē, Agrippino,Curicio,Domitio,Sacerdote,Maximo,Aphrodisio & Lucio. Pia autem illa & Martyrum amantissima Sophia, materno amore in Agathangelum quoque accēsa propter magnum Clementem, postquam vidit eum vt optabat consummatum, & ab iis quas pro ipso gerebat curis est exoluta. & cum magna voluptate tollens illud corpus martyricum, & componens, in loco consummationis, in quodam sepulchro profundissimo, in ingressu templi quod illic est deposuit.

20 Vides animam sancti martyris statim post mortem aduolasse in cœlum.

Præclarus autem Christi Athleta Clemens, cum sui in certamine socij Agathangeli intellexisset consummationem, ipse quoque voluptate quæ minime potest explicari repletus, in carcere ita vt erat pronus humi extensus (prohibebat enim ne surgeret lignum quod habebat in pedibus, & lapis alligatus corpori) emittebat vt par est ad Deū voces quibus agebat gratias Sed neque in eū euaserat Præses negligentior. sed præter vincula, & quam perpetiebatur ex illis miseriam, iubebat cētum & quinquaginta plagas ei in vultu & in capite infligi quotidie. Sic ergo quotidie ex eo fluebant riui sanguinis, vt ipse quoque lapis qui erat ei alligatus, & totus subiectus locus fieret purpureus. Nocte autem rursus adueniēte, & lux circa ipsum veluti eluxit: & Angeli astiterunt: & eius liberalis consecuta est curatio. Cū ipse ergo & lapidem & vincula & nocturnas illas plagas ferret fortiter iam longo tempore, Christianis quidem iā erant festa 21 aduentura, Seruatoris nostri Iesu Christi Theophania. Pia autem & Dei amans Sophia, quæ vehementi quidem pietatis zelo semper mouebatur, & alioqui ardentiori tunc feruebat spiritu audet præclarum aggredi facinus & magni animi. Cū famulorum accepisset multitudinem, & puerorum qui ab ea alebantur masculos & fœminas, ingreditur carcerem. & cum vinculis soluissent Martyrem, educunt è carcere. Deinde vero cum Sophia eum veste induisset candida, & superhumerale ei imposuisset, & ei in manus tradidisset Euangelium, eum multis lampadibus & suffitibus circum septum deducebat ad ecclesiam. Cum ipsa autem vestem quoq; induisset candidam, & internam propter egregium Clementem ostēderet animi lętitiam, ei in sinistra parte manum subiiciebat, quæ eum sustineret, & ad ingrediendum ferret opem Martyri.

21 Festa Theophania Domini nostri Iesu Christi sunt fidelib9 solennia.

Adhuc autem erant in itinere, cum Clemens vt qui iam sensisset D̄n̄m eum ad se vocātem, in cœlum sublata dextera, altera enim tenebat Euangelium, orauit & pro sua secundum spiritum matre Sophia. & orauit etiam pro clero & vniuerso grege. & petiit iis qui ipsum 22 inuocarēt postquam hinc excessisset, & eum alioqui honorarent & colerent, Domini defensionem & salutem, & quidquid ad eorum petitionem tributū, futurum esset eis vtile. & sic postremo orans, cum Martyrum amante Sophia, & iis qui eum deducebant, ingreditur ecclesiam. Atq; illi quidem cum clauibus & vectibus fores muniissent (timebant enim ne aliqui ex impiis in eos irruerunt) tota nocte 23 canebant. Postquam autem dies aduenit salutaris, iucunde & suauiter illucescens eorū qui digni erant animis, cum præclare admodum Martyr sacrum celebrasset 24 ministerium, & intemerato & incruento eos qui aderant impertiisset sacrificio,

22 Nota sanctos inuocādos esse, & ad eorū inuocationem Deum præstare beneficia.

23 Ecce nocturnas vigilias cum cantu.

24 Vide missæ celebra-

tionem, & quomodo intemeratum & incruentum illam appellet sacrificium.

eis suauis Christi palmes, Clemens inquam, eis instillauit dulce vinum doctrinæ. Cũ eos videret perturbatos & timore affectos, vt qui suspicarentur fore aliquam infidelium incursionem, confirmauit eorum spiritus & cũ quæ futura erant eorum subiecisset oculis, Bono, inquit, sitis animo fratres, non peribit vnus ex vobis. Duo autem quidam, & ego tertius cũ eis postremo à vobis excedemus. Deinde extinguetur quidem quæ sæuit in Christianos rabies: orietur vero pax in imperio Romanorum. omnisq; ciuitas & regio implebitur Christi cognitione. & aperietur quidem oĩs ędes sacra. claudentur autem templa gentilium. & fugient qui in eis adorant. & eo quo nunc vos, ipsi timore afficientur. Hoc aũt tempus propè est. & quidam ex vobis videbunt euersos persecutores.

Hæc cũ ille tam aperte dissereret iis qui aderant, Christi et Martyrum amantissima Sophia, maximo gaudio & lætitia propter Clementem in corde plena, conuocabat viduas & orphanos: panemq; & cibum & vinum eis abunde suppeditabat, & pro viribus eos complectebatur. Atq; hæc quidem duodecim deinceps dies facta sunt: & eos qui accedebant cõuiuio liberaliter accepit Sophia. festosq; dies celebrabant & hilariter transigebant: & Clementis aduentum honorabant. Cum autem iam dies adesset præstitutus, erat vero dies dominicus, à præsenti vita Athletam euocans, ille quidem diuinum 25 celebrat sacrificium. Postq; autem perfecta fuerant q̃ consueuerant: & participes fuerunt fideles viuifici 26 corporis & sanguinis, diuinis adhuc donis in sacra mensa propositis, & ad ea Martyre collum habente inclinatum, quidam ex Magistratibus, Alexander nomine, impetu repente facto cum militibus, iubet vni ex suis amputare sacrum caput Clementis. Deinde etiam 27 intemeratam oblationem, O tuam Christe Rex patientiam, deiecerunt in terram: & profanis pedibus profani conculcarunt. Atq; sic quidem magnus ille Clemens sacrificans, acceptum pro aliquo alio sacrificium ipse Deo offertur. Eorum autem qui aderant multitudo, alij quidem recesserunt lachrymãtes. Duo vero soli ex Leuitis, qui etiã intemerato ministrabãt 28 sacrificio, vnus quidem Christophorus, alter autem Chariton nomine, vt ipse prius significauit beatus, ad diuinam quidem eius mensam beatum ipsi quoque finem acceperunt.

25 Iterum missam diuinum vocat sacrificiũ.

26 Licet hi sub utraq; specie cõicauerint, nõ ob hoc dicas huiusmodi cõionem esse necessariam, quia ante Constãtiensis synodi decretũ & sub utraque & sub altera tantum specie communicasse fideles reperiuntur.

27 Intemeratam oblationem, hoc est uiuificam Eucharistiam.

Fidelis autem Sophia quæ magno Clementi fuit ex Deo mater & nutrix & institutrix, cum in aula tutissima haberet filium repositum, & qui ad supernas transierat coronas, & immobilium illorum bonorũ remunerationes, sollicitudinem oẽm soluens & mœrorem, & lucernarũ 29 accendit multitudinem: multaq; perpessum & quod multa vincerat certamina sui amicissimi mortuum tollens corpus, mundis vestibus & linteis inuoluit. & in ipso templo, quod est in loco qui dicitur Cryptos, præclarum pręclare deponit: vbi etiam prius deposuerat Agathangelum, vt vni sepulchro crederentur corpora, quorum animas idem in cœli 30 suscepit tabernaculum. Prope eos autem, illos etiam sepelit Diaconos, qui cum magno Clemente concertauerant. quo in loco eorum quoq; parua ædificata est ędicula. Deinde cum Clementis assedisset sepulchro, hæc præclara humanitateq; & affectione plena verba eloquebatur. Ego quidem vos ô fili, in Crypto. i. in abdito, deposui: sed vos oĩno Christus in aperto deducet in requiem, propter quem tot & tanta vestra sponte pati delegi-

28 Vides quomodo non semel missam appellet sacrificium?

29 Ecce præclarã sancti sepulturam cum lãpadarum multitudine celebratam.

30 Nota sanctorum animas esse in cœlo.

stis. & vobis dignam ędem excitabit. & vestra corpora in ea reponerentur. Porro autem me quoq; iam ad vos vocat senectus, quæ propterea in hodiernum vsque diem est conseruata, vt vobis communem omnino congeram puluerem, quos ne longum quidem tempus martyrij à se inuicem separauit: & meipsam vobis pulchrum bustum præbeam. Sed orate 31 pro me ò carissimi, quæ sum mater, & nutrix, & supplex. vt possim sicut hic, ita etiam illic quoq; esse prope vos: & apud Dominum possim quoque paruam aliquam habere fiduciam. Atque illa quidem hæc apud sepulchrum loquebatur. & sensim vnà cum voce etiam effluebant lachrymæ.

31 *Rogat sanctos mortuos Sophia ut pro se orent, ergo pro nobis orant illi, ergo etiam innocandi sunt.*

Præclarus autem Christi Athleta Clemens (nam cum iis quæ dicta sunt pauca quædam adiecero, finiam orationem) perpetuo quidem decertauit sub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano. sub magistratibus autem ac Præsidibus, Domitiano, Agrippino, Curicio, Domitio, Sacerdote, Maximo, Aphrodisio, Lucio, & Alexandro. Finiit vero certamen vicesimotertio Ian. adeo vt totum tẽpus martyrij ei fuerit viginti & octo anni. Quod quidem nos oportet tenere memoria, vt à nostra excitemur socordia: & hæc tam prolixa reuereamur certamina, qui nec paruum aliquod momentum temporis aliquid molesti propter Christum tolerare sustinemus. & sic nos comparemus, & tantam suscipiamus confidentiam, vt propter ipsum, si opus fuerit, omnia patiamur. vt ipsi voluntatis subeamus martyrium, & apud Deum fiduciam cum illis consequamur. Quam detur nobis omnibus consequi, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri simul cum sancto Spiritu, gloria potentia honor & adoratio, nunc & semper & in secula seculorum. Am̄.

VITA SANCTÆ EVSEBIÆ,

quæ cognominata est hospita, uel externa.

Ianua. 25.

NOVA & aliena vita illius vere admirabilis hospitæ seu externæ habet quidem breuissimam, & q̃ fieri potest maxime succinctam narrationem, alienam vero, & in primis honestam. Quamuis autem sit adeò succincta, in certaminibus tamen & laboribus, & iis quæ rationem habent vtilitatis, omnes ferè aut certe permultos superauit. Hęc enim mulierum beatissima, magniq; & maxime virilis animi, erat genere clarissima, si patria & parentes respiciantur. Nam hi quidem fuerunt illustres, non opibus solum & gloria, sed etiam pietate. illa autem fuit omnium ciuitatum clarissima & maximi nominis, nempe Roma antiqua. Nam cum ea ex eiusmodi parentibus nata esset prima & sola, genere quoq; dignam habuit educationem, probe & ex virtute educta, & Christiane instituta, & quæ Deo gratam egit vitam.

Cum autem iam esset nubilis, petitur à quodam ex ciuibus, qui ipse quoq; erat clarus, & genere simul & diuitiis sponsæ conueniebat. Atque puellæ quidem parentes, cum in nulla re desponsationem possent reprehendere, sed scirent esse dignam & congruentem alterius cum altero coniunctionem, assensi sunt affinitati, & aspexerunt ad matrimonium. diesq;

fuit præstitutus. & iam parata erant omnia. Hospita autem illa quę erat magni & excelsi animi, & se dignam censebat prestantioribus, & ad aliū sponsum intuebatur immortalem: cum audiret verba fieri de his nuptiis in quas cadit interitus, putabat esse nugas: & nec vt eis assentiretur omnino inducebat in animum. & nec erat vllo modo affecta muliebriter. Ab illo vero solo sponso eius pendebat animus. eiusq; amore & præcordia & cor valde sauciabatur. & ad ipsum totum conuertebat animum. Quamobrem statuit se clanculum subducere, parentibusq; & domo relictis se fugæ committere. Hoc autem versans in animo, alios quidem celauit: quas vero sciebat ex ancillis esse magna in se beneuolentia, & alioqui in multis sui magnam dedisse experientiam, q; non vt ancillarum, neque adeo vt fœminarum, earum facile caperetur & expugnaretur animus, eas cum accersiisset & iureiurando adegisset, eis aperte totam rem enuntiat. quidnam consilij cepisset, & quemadmodum omnino constituisset effugere matrimonium. Deinde adiicit, q; si vellēt, eas huius boni instituti assumeret socias. Hæc ergo dixit, & simul ea quæ obstare videbantur sapienter exprugauit, dicens, Ne de ea cogitarent aliquid tanq̄ de iuuencula & thalamo educata. neque vererentur ne eam sui pœniteret instituti. & ne ex eo non solum sibi sed eis quoq; afferret periculum. sed bo no sint animo & certo credant, q; & si vis omnis ingruerit, si ensis, ignis, & bestiæ, & si aliquid aliud ex iis quæ sunt aspera & molesta inuaserit, non eam ab hoc dimouebit proposito. Cum sic dixisset, eæ quoque parēt prompto & alacri animo, & assentiuntur eidem instituto. & hoc quoque ausæ sunt adiicere magno & excelso animo, q; si tale quid ex iis quæ nollent contigerit, se malle cum ea mori, quam si ab ea separentur, vti rebus secundis.

Cum sic inter se essent assensæ, & pulchre coniunctæ animis, tres autē eæ erant apud Dominam, iam erant inter se & honore æquales, & conseruæ, & moribus similes, pari mente vtentes & pari studio. communiter subiectæ vni Domino, & ei vnitæ: & tempus quærentes opportunum, quo se expeditæ possent fugæ committere & quæ non obseruaretur. Sed neque illos dies interiectos statuerunt oportere in 1 socordia & otio trāsigere. sed se potius afflictioni dedere & laboribus. se veluti prius exercentes & assuefacientes virtutis sudoribus. Earum vero domina, & princeps huius pulcherrimi consilij, beata illa, inquam, hospita, vt quæ sibi prius fugæ complanaret semitam, & hec ageret vt esset absque vlla offensione, vniuersum mundum muliebrem, qui erat tam in veste q̄ in auro & argento, inscientibus parentibus per illas ancillas ferebat ad pauperes. Cum autem & hæc illi recte haberent, & iam tempus adesset nuptiarum, tunc modum fugæ eis quoque suggessit hospita. Mutatis certe vestibus, & vt oportebat eas quæ erant virili animo, vestibus indutæ virilibus, ita clanculum egressæ sunt extra fores. simul flentes & gaudentes. vel potius ipsę lachrymę erāt voluptatis & lætitiæ. Egressæ sunt ergo, Tu sis nobiscum, dicentes, o fili Dei. & significa nobis viam qua sumus ingressuræ. ad te enim totam mentem & anima sustulimus. Eis autem ingrediētibus, beata illa rursus cœpit eas admonere. Nihil o Sorores (sic. n. sum vos deinceps vocatura) nihil, inquam, ex terrenis rebus vos ad se conuertat. nec pulcherrimi consilij vos vlla subeat pœnitentia. Hac enim via non inuenerit

1 *Vides Deū nolle sufficere seu eligentis gratiā, nisi inuigilet etiam collaborantis industria? Afflictionibus ergo, laborib⁹ et uirtutis sudoribus insistendum est, ut diuina in nobis nota seruemus.*

aliquis

aliquis quidq́ beatius. Nam siue spectamus præsentia, sumus remotæ ab omnibus turbis & negotiis. siue velimus considerare futura, neque mens neque oratio potest ea bona comprehendere, quæ eos manent qui hanc vitam elegerint. Cũ eę hec verba audirent in itinere, accendebantur animis. & ea spe quæ est ex Deo magis confirmabantur.

Cum autem fuissent prope mare, paratum inueniũt nauigium & iam enauigaturum. cũ nec id quidem eis sine Dei numine accidisset. Quod cũ ascendissent, & ventum secundum nactæ essent, breui perueniunt Alexãdriam. Deinde cum illinc soluissent, veniunt rursus in Co insulam. Oĩa enim faciebant ad hoc vt laterent. & vt quæ sitæ minime agnoscerentur. Quinetiam eis alioqui placuit à via hic quiescere, & corpora & animos recreare, vtpote ꝙ & apta esset insula ad quietem præbendam, & multũ conferret ad hoc vt non possent deprehendi. Postquã ergo fuere in tuto, muliebrem rursus habitum suscipiunt. Deinde cum habitaculum in separato quodam loco mercede conduxissent, illic studiose diuinæ vacabant philosophię. Hoc autem præcipue magno studio contendebat Hospita, vt nulli esset manifesta, nec ipsa, nec eius vitæ institutio. sed oĩno ignota hominibus, sic Deo magis esset cognita. Nam & famam alioqui verebatur, & dubitabat ne sui parentes eam valde quærerent. Sciebat enim non esse rem quæ negligatur, nec quæ facile ferri possit, carissimæ filiæ amissionem amantibus parentibus: sed cuius inuentionem vel anima lubenter commutarent. Et ideo quotidie præcipiebat ancillis vt diligenter cauerent ne cui arcanum aperirent. & si quis, inquit, de meo nomine interroget, dicite me non Eusebiam, sicut re uera vocor, vocari, sed hospitam. Sum enim vt videtis hospita. Sicq́ fiet vt & vos sitis puræ à mendacio, & vos ipsas conseruetis ignotas. Et hæc quidem illis dixit.

Cum autem studeret inuenire aliquem qui eis pręesset ad salutem, non aliàs eum nisi à Deo voluit inuenire. Inclinatis itaq́ vnà cum corde genibus 2 orabat lachrymans. Deus qui vbiq́ ades, dicens, & nos sic vides errantes, ne nos despexeris. ne nos reliqueris, propter quem parentibus & domo relictis peregre versari delegimus. sed tibi placeat seruatorem aliquem, & tutum viæ ducem, & non errãtem ad nos mittere. sicut olim Theclæ Paulum. & cuius sequentes vestigia, possimus nos miseræ & abiectæ tuam viam ingredi. Ea hæc orante, eis inuentum est illud Osee. nempe sicut matutinum paratus Deus, noctem dissoluens rerum difficilium. Protinus enim visus est eis homo quidam ascendens è portu, canis capillis. formam prę se ferens monasticam. aspectu præclaro, & vt dixerit quispiam, omni ex parte Angelicus. Et cum vidisset virgo Christi, & spiritali gaudio est repleta: & currens prehendit pedes. in eos quidem fundẽs lachrymas: petens autem vt non eas omnino despiceret: sed desiderãtibus salutem attenderet. & non intermitteret docere, admonere, in eam viã quę ducit ad Christum deducere, & vt semel dicam, externis omnia effici.

2 *Oratio cum lachrymis & illius exauditio.*

Cũ autem vidisset Monachus sic affectam virginem, & quænam essent interrogauit protinus, & quemadmodum sic errarẽt in insula. Postq̃ autem intellexit esse quidem eas genere Romanas, externas vero & errãtes propter Christum. & ꝙ procedere, & videri ab aliquibus ex iis qui hic sunt, & turpe est, & non est omnino ferendũ. Atqui, inquit, vos quoq́ volo eadem de me existimare. Nam ipse quoq́ sum hospes: & huius loci

omnino ignarus, vt qui è sacris locis modo enauigauerim. Postq; enim illic fui gratia orationis, ad meam nunc descendo patriam. Eum itaq; interrogauit beata cuiusnam esset ciuitatis, & quanam esset dignitate præditus. Existimabat enim eum esse Epm, quantum coniicere poterat ex habitu. Ille autem, Patria quidem, inquit, mihi est Caria. ciuitas vero Mylassa. est autem mihi talis vestimentorum habitus, q; sim Presbyter, & paruo cuidam gregi præsim, magni, inquã, ex Christi discipulis Andreæ. nomen autem mihi est, nam hoc quoq; voles fortasse scire, Paulus. Eam vero, cũ hoc nomen Paulus audiisset, cœpit non parua admiratio, q; cũ orasset talem sibi dari magistrum qualis Theclæ apparuisset Paulus, preces Deus celerrime, vel potius ante preces eam exaudiisset, vt illud dicamus Dauidicum, In cordis præparatione. & hic qui erat ei appariturus Paulus, non solum rei sed etiam nominis futurus erat socius. Cũ lachrymis ergo implesset oculos, Deo quidem magnam gratiarum actionem, Paulo autem obtulit supplicationem, vt esset ei pater secundum spiritũ. & tota penderet ab eius cura & prouidentia. Ille vero, Si hic quidem, inquit, sitis, non potero vobis amplius prodesse. vt qui ipse quoq; sim hospes, & in vos in transitu inciderim. & maxime cũ nec possim quidem amplius expectare. Oportet enim, inquit, nos reuerti gregem nostrum visitaturos. Vos autem, si voletis, abeuntes nos sequemini. Sic.n. ipse quoq; pro viribus curæ vestrum gerendæ non deero.

Cum eę autem id quod dixerat lubenter accepissent, & se eum esse secuturas significassent, iis acceptis soluit in Mylassam ciuitatem. datq; eis habitacula ad quietem accommodata prope templum quo in loco domum quoque oratoriam excitat hospita Stephano protomartyri. Intra breue autem tempus construit etiam monasterium virginum. id quoque sacræ Pauli curæ committens. Toto vero tempore eius vitæ nemo cognouit, quænam esset, nec cuias: & propter quamnam causam à suis recessisset: & q̃uo vocaretur. sed dicebat omnibus se vocari hospitam: & dicebat hoc sibi esse nomen proprium, & dicendo persuadebat. Porrò autẽ beatus quoq; Paulus dicens interrogantibus se adduxisse illas ex Co insula, nec incredibilia nec falsa videbatur dicere. Quocirca earum quoque monasterium dicebatur esse Coorum, sequente scilicet nomine multorum opinionem & ea quæ fama iactabantur. Cum autem Cyrillus cui fuerat commissus ciuitatis episcopatus, tunc è vita excessisset, cõmuni ciuitatis suffragio decernitur, vt in Cyrilli sede Paulus succedat. quod quidem & statim finem accepit. & is fuit ordinatus.

Iam verò is creatus Mylasenus Antistes, hospitæ quoq; persuadet vt ad sacrum gradum ascẽdat. & eam ordinat Diaconissam. Quæ quidem, postquam fuit eius fidei mandatus honor Diaconatus, quem merebatur quidem, inuita tamen accepit, dici nõ potest quantis corpus tradiderit laboribus, 3 & maxime quod erat assuetum delitiis & lautitiis omnibus. quandam vere nouam & alienam vitam sectata & plane externam, & veluti materiæ expertem & incorpoream. adeò vt austeram eius vitam vel procul horrerent Dæmones: & nec auderent ad eam omnino accedere. Quæ quidem cum sæpe quidem solueret intensam & asperam exercitationem, non intra duorum aut trium dierum spatium comedebat. Q̃n autem ad certamina accurate & exacte aggrediebatur, etiam ad septem

Olim hic gradus mulieribus conferebatur, hodie minime.

3 *Vide & obstupesce miram corporis afflictionem, longa ieiu-*

vſque dies permanebat ieiuna pugnans cum naturæ legibus propter legē spiritus. Quinetiam cum ſic quoque vix tandem accederet ad cibum capiendum, & ad corpus propter vinculum intueretur, à vino quidem & oleo, & ab oleribus & leguminibus, & à quolibet, vt ſemel dicam. quo igni admoto vtimur, omnino abſtinebat. Porrò autem nullum quoque fructum omnino guſtabat. ſed ſolo pane ſatisfaciebat neceſsitati naturę. & nec eum adeò leuiter & citra laborem admittebat. ſed eum lachrymis irrigabat, & thuribuli cinere aſpergebat. vt nec ipſum quidem veſci, quod communiter laborioſis ſolet eſſe mediocris conſolatio, ei eſſet citra laborem, & liberum à mali perpeſsione.

nia & ciborum delectũ, atque ab omnibus fere quæ comedi possunt abstinentiam.

Fuit autem Hoſpitæ hic ſe nutriendi modus per totam ſuam vitam. adeò vt ipſa cum diuino Dauide cinerem tanꝗ panem comederet: & potum cum fletu miſceret. Hæc autem faciens, & ſic panem doloris comedens (vt rurſus dicam quę diuinus Dauid) etiamſi alias ex ſororibus, eas tamen duas quæ ei aſsidebant, & fugę fuerant ſociæ, latere non potuit. clã enim aſpiciebant quæ ab ea fiebant ita vt ipſæ videntes non viderentur. imo verò non ſolum videbant, ſed etiam eam pro viribus ſtudebant imitari. Cum autem tam parce & non niſi neceſsitate compulſa aleretur, num fortaſſe ſomno aliter vtebatur: & ſic vim cõſolabaẽ corporis: idq́ꝫ multa laborans inedia & veluti concidens, ſuſtentabat & recreabat? Nequaq́ꝫ. Sed tam toleranter quidem ieiunabat, vt vel hoc ſolum ſufficeret ad diſſoluendum robur corporis, etſi nihil eſſet aliud quod eam affligeret. Plus autem vigilabat quam 4 ieiunabat. & ſic carnem affligebat, tota manu ferens opem ſpiritui. Id vero ex hoc eſt euidens, quod cum ſe vt ſolebat dederet orationi, Sole iam occidente, non prius ꝗ venirent ſorores ad cantanda 5 matutini cantica, ſoluebat orationem. ſed nonnunquam deprehendebatur ab eis tollens manus. Aliquando autem cum veſpere humi inclinaſſet genua, tota nox eam ſic tenebat iacentem & deflentem, & Deũ vehementer orantem. & quod eſt omnium maxime admirandum, cum illa ſic ſe in vita exerceret, tanta erat eius humilitas, vt nullus ex iis qui ſe gerunt improbiſsime, poſſent ea qua ipſa erat eſſe moderatione.

4 Ecce iterum ieiunia & Vigiliæ.

5 Nota matutina cantica.

Et vt alia omittam quæ afferrent moleſtiam propter multitudinem, ea quidem certe quæ ſunt eius maxime propria & longe apertiſsima indicia tradam piis animis. nempe inſignem mãſuetudinem. & ꝙ à nemine vnquam 6 viſa ſit irata. charitatem quæ ſorores ſummo complectebatur amore & earum curam gerebat: inanis glorię magnum odium. indumentorum 7 quæ vel idiotæ conueniret vilitatem, & cui nullius ęquari poſſet, frugalitatẽ. Tales enim erant egregiæ illius virginis veſtes, quales vel ex iis qui in foro mendicãt dedignatus eſſe aliquis videri geſtare. cordis ſummam tranquillitatem & ſerenitatem, quæ ad profundum vſque adeo proceſſerat, & eam acceperat qualitatẽ, vt ex externo habitu eſſet euidens. Poſtremo id quod erat præferendum cæteris, ꝙ eſſet ſemper cogitabunda & attenta, & planè eiuſmodi vt non gaudio diffunderetur. Ex quo hoc conſequebatur, vt nunquam viderentur eius oculi inanes lachrymis: ſed ſemper parturirent aliquid, non ſecus ac fontes ex quibus aqua ſemper ſcaturit.

6 Vide catalogum uirtutum ſanctæ Virginis.

7 Conſidera uilitatem ueſtimẽti huius ſanctæ.

Porrò autem cum ea eſſet è vita exceſſura, erat quidem dies 8 feſtus beati Ephraim, non quem aluit Syria, ſed qui erat ciuitati notus & fami-

8 Dies feſtus beati Ephraim.

liatis qui,inquam,præclare rexit ſedem Mylaſſenorum. Epiſcopus autem Paulus cum toto 9 populo ciuitatis, ierat ad vicum Leucen. Illic enim erat & templum,& diuini Ephraim erant ſacræ repoſitæ reliquiæ. & feſtum celebrabatur ſplendide. Illa vero cũ ad ſe omnes ſorores accerſiiſſet, his verbis apud eas cœpit vti,quę magnam habebant moderationem,& vnà cum moderatione coniunctum amorem in ſorores. Dominæ meę,dicens, & ſorores, ego quidem magnam quã mei ieſsiſtis curam recte ſcio. & quemadmodum cum eſſem externa & errans, meam ſuſcepiſtis imbecillitatem, & intra veſtra viſcera poſueritis: noſq; benigne vobis effeciſtis familiarem. Sed nunc mihi vobis eſt opus, valde,inquam, eſt opus, vt nec cum receſſero me mandetis obliuioni: ſed multo magis amorem augeatis: & mei memoriam in veſtris ſanctis animis deſcriptam & impreſſam conſeruetis. & qñ ad Deũ accedetis,& ſanctas manus ad ipſum tolletis, meæ quoque 10 humilis & abiectæ, & quid aliud niſi veſtræ ancillæ, ſitis memores. Sic ego ero viua & immortalis: & poſt finem ſi vllus eſt ſenſus, valde lætabor. Nunc enim quantum poſſum videre, mihi finis imminet. & quædam premit moleſtia: & inexplicabilis metus cor meum agitat, ne ſint mihi impedimento multa mea peccata, & arceãt ab ea quę ad Deũ tendit via. ſed inueniam ſacras veſtras preces bonas duces, & hanc mihi viam reddentes facilem & expeditam. Porrò autem illud quoque meum non parum conturbat animum, q & à Paulo abſum cõmuni noſtro patre, qui precatus eſſet pro meo deceſſu, & effeciſſet vt non bona ſpe defecta illuc proficiſcerer. Sed vos id ei cum venerit dicite: & pro nobis vehementer orate ne mei obliuiſcatur hoſpitæ, quam ipſe conuenienter Chriſti dicto collegit: & in hanc viam deduxit.

9 *Antiquus Eccle. mos fuit in die ſolẽnitatum ſanctorum ad tẽpla in quibus eorũ repoſitæ erant reliquiæ, reuerenter accedere, & ibi ſolennes cõuentus agere, diuina celebrare myſteria, hymnosq; in ſanctorum illorũ laudem lætanter canere.*

10 *Vides orationes uiuorum prodeſſe animabus defunctorũ? Quod ſi uerum non eſſet, fruſtra mandaret ſancta pro ſe mortuo ſorores orare.*

Hæc cum ea diceret, omnibus lachrymę profluebant ex oculis: & dolore qui dici non poteſt earum cruciabatur animus: & graui mœrore affligebantur: & vtpote communi & filiorum amantiſsima matre recedente, in orbem circunſiſtentes, deflebant orbitatem. multo autem magis duas ancillas, quas & fugæ & vitæ quæ in externa regione acta eſt habuit ſocias. attigit motus animi. Cum itaq; multus vt par eſt fletus luctuſq; & tumultus eſſet excitatus, ei quoque earum miſerenti calidę decidebant lachrymæ. Cæterum & ipſa cito ad ſe rediit: & illas eſt adhortata, vt relictis fletibus ſeipſas componerent: & hoc potius conſiderarent, ne in fine ipſe eſſent dignæ quæ defleãtur. Oportet enim, inquit, vos prudentes imitari virgines: & accendere lampades, & hoc curare vt in veſtris vaſis accipiatis oleum. Porro autem diuinorum quoque verborum meminit, q non tardat Dñs. Veniet enim dies Domini ſicut fur. Cum vero poſt admonitionẽ lugere magis pergerent, & lecto hærerent valde miſerabiliter, & nec minimum quidem ab eo diſcedere ſuſtinerent, ipſa cum & 11 manus & oculos ad cœlum ſuſtuliſſet, & oculorũ lachrymis internam animi ſignificaſſet affectionem. Deus, inquit, qui in hodiernum vſque diem omnia mihi fuiſti benigniſsime pater & mater & nutrix & patria. ſolum & iucundum mei hoſpitæ ſolatium, ipſe quoq; Domine dignare me mane ſuſcipere in ſupernam patriam, tuam ciuitatem Hieruſalem. Memẽto autem harum quoque omnium, quæ mihi ſecundũ ſpiritum coniunctæ ſunt vt ſorores. & cõſerua eas ſuperiores omnibus maligni Dæmonis inſidiis. Harum quoque duarum mihi præcipue conſeruarũ memento tu qui bonus es.

11 *Ecce orationem cum manuum extenſione & lachrymis.*

nus es, & quomodo in hac quæ est ad tempus vita, & fugæ, & laborum, & aliorum quæ in externa regione ferūtur, malorum fuere sociæ: & à me perpetuo mansere inseparabiles: ita vt nos quoque illic simus inseparabiles, & beata tua vita fruamur concede.

Hęc cum precata esset, rogauit sorores vt eam parū dimitterent. Quod quidem cum factum esset, & illæ essent egressæ, è lecto descendit hospita, & venit ad oratorium. Deinde inclusa cum genu 12 flexisset in terram, intense orabat, duabus ancillis extrinsecus eam contemplantibus. Cum ea ergo diutissime produceret orationem, vident repente lætam & claram lucem domum circunfulsisse. & cum suauem qui dici non potest sensissent odorem, cui nulla possunt conferri quæ sunt in terra aromata, statim fores aperiunt. & cum simul irruissent, ô diuinam prouidentiam, inueniunt hospitam feliciter abdormiisse, & ad quem desiderabat Christum esse profectam hora sexta diei Sabbati. Egressæ ergo cum flentes & vociferantes sorores conuocassent, eā circunstabant, & omnes simul plangebant. Deus autem volens desuper ostendere cuiusmodi lux celabatur in occasu huius vitę, maximo 13 signo eam honorat post mortem. Cum enim eam iam reliquisset anima meridie, essetq; aër serenus, & Sol resplenderet clarissime, in cœlo apparet veluti quædam corona, quæ stellis circulum circunscribebat. in medio autem coronæ cernitur crux, quæ ipsa quoque erat stellis lucidis figurata. Cum ergo miraculum sic euasisset manifestum omnibus, Episcopus Paulus qui in Leuce vico adhuc agebat, cū hoc præter spem spectaculum suis acciperet oculis, diuino spiritu motus, iis qui congregati erāt dixit. Dña hospita dormiit. & hoc est eius signum coronæ & crucis.

12 *Et hic orat in oratorio cum genuflexione.*

13 *Hoc miraculū splendorē uitæ beatæ uirginis huius aperte manifestat, nā Deus non potest esse testis iniquitatis.*

Postquam autem ab eo fuit peractum 14 sacri mysterij ministeriū, magno studio illinc recedit. vna vero cum eo iuit reliquus quoque populus. Deinde cum ingressi essent ciuitatem, vident Episcopum nihil esse omnino falsum sua prædictione. sed eadem hora hospitam à rebus mundanis vere fuisse externam, qua illud signum apparuit, & hic vir diuino spiritu afflatus de eo est hæc locutus. Cum toto ergo populo concurrebāt omnes viri & mulieres, cum magna vociferatione & admiratione, dicentes. Gloria tibi Christe, gloria, qui noluisti talem thesaurum latere. in terra. Gloria tibi omnium Opifex, q; paruam nostram & in hodiernū vsq; diem obscuram ciuitatem 15 tam illustrē reddideris: & dedisti vt posset de tali gloriari thesauro. Et sic quidem omnes communiter, multo autem magis multitudo mulierum, quæ simul quidem motæ & calore naturæ, & q; eam quæ erat eiusdem sexus viderent adeò admirabilem, non potentes se continere, magno impetu accedunt ad Pontificem. Ne nos, dicētes, celaueris laudem nostræ ciuitatis. margaritam ne infoderis. hanc communiter deducamas. Lucernam feramus publice. Videāt omnes non esse reiiciendas fœminas, vt quæ non sint infames. Videāt cuius Regis sumus ancillæ. Videant gentiles. videant Iudæi. & vultus suos tegant præ pudore. cognoscant quisnam sit ab eis crucifixus, & plangant. Atque sic quidem fœminæ.

14 *Missam appellat sacri mysterij ministerium.*

15 *Vides ex sanctorum memoria & reliquiis urbes alioquim obscuras & ignotas illustrari?*

Episcopus autem cum ad lectum accessisset, & cum quāta dici potest reuerētia ceruicem inclinasset, corpus 16 adorauit. Quinetiam Sacerdotum 17 reliquus chorus & vniuersus clerus eundem iacenti exhibebant honorem. Sicq; lectū ferentes, multis comitantibus lampadibus & suaue

16 *Corpus adorauit, ni latriæ adoratione intelligas qua solum Deum colimus, sed duliæ honore, Et uerbum adorare large ponitur hoc in loco pro uenerari.*

17 *Vides exequias solennes etiam anti-*

quæ Ecclesiæ fuisse in usu? Vides Christianum morem tradedi mortuos sepulturæ? Nempe cum Sacerdotibus & clero, cum populi comitatu, cum lampadibus accensis, cũ odoramentorum suffitibus.

olentibus aromatibus, per mediam duxerunt ciuitatem. Illarum vero stellarum corona, & quæ cum ea erat crux, cum lectus quidem ferebatur, ipsa quoque sequebatur. cum stabat autem, stans quoque aperte cernebatur. & propemodum lectum ostendens, & loquens quod illa sit 18 propter ipsam, & eo duce & stet & moueatur. Fama vero miraculi cito peruenit ad exteros. omnesque protinus id visuri concurrebant: vt ciuitas esset propemodum nimis angusta ciuitati. Cum totam ergo illam noctem sic vigilassent, erat autem dies dominicus, cernebant sic quoque multas fieri curationes. Quicunque enim vel morbo diuturno erat detentus vel immedicabili aliqua affectione, nõ multis opus habebat laboribus. non pecuniis, non tempore & mora. sed satis erat solummodo ad lectum accedere & tãgere. eratque contactus protinus liberatio à quolibet quod premebat.

18 *Ne quis calumniaretur ut humana solet malignitas, signũ hoc nõ in sanctæ gloriã sed alia de causa apparuisse, uoluit Deus hos miros effectus circa lectũ mortuæ demonstrari, simul etiam sanitates uarias ægrotis conferri.*

Cum autem iam dies illuxisset, & esset hora tertia: vbi peruenerunt ad locum qui vocatur quidem Sycinium. situs vero est ad partem australẽ ciuitatis, quo quidem in loco mandarat hospita vt sepeliretur: eam sepeliunt. vt quæ lege quidem mortis humi sit condita, virtutis autem ratione vbique prædicetur. Cernebatur autem rursus & circulus & crux facere similia, nempe & ingredi cum lecto: & cum staret, consistere. simul ac vero is fuit terra absconsus, ipse quoque latuisse, & non apparuisse amplius. Cũ eam ergo sic deposuissent, & vt par erat vnxissent, lintea 19 quæ erant imposita reliquiis, eiusmodi esse duxerunt vt pro eis depugnarent, Episcopus. s. & ij qui aderant. & cum veluti quandam hæreditatem ea inter se diuisissent, à morbis et affectionibus & à quolibet alio quod ægre esset liberationem, per illa se habere credebant. neque spe falsi fuere. Quinetiã locus quoque erat plenus curationum, cui obtigit vt sacrum eius corpus conderet, thesaurum qui exinaniri non potest & consumi. Nõ multum intercessit temporis: & fideles eius ancillæ, aut Dei potius gratæ seruæ, è vita excedunt. & ad pedes Dominæ sepeliuntur, ex veritate magis ostẽdi volentes, quam ex eo quod erat humilitatis legibus dispensatum. & vt per propinquitatem simul cerneretur amor & beneuolentia, & seruitus rursus & subiectio per ordinem.

19 *Ecce quomodo etiam lintea quæ sanctæ corpus mortuæ utrunque contigerunt, sancta esse ducũtur, & curationum beneficia præstant, tanta sanctos suos Deus gratia dignos censet.*

Ex quibus cum quæ primo erat mortua, de sua fuga nihil aperuisset, quoniam secunda quoque erat paulopòst moritura, Sorores eam sacramento quam maxime horrendo adiurantes, efficiunt vt nihil celet ex iis quæ facta fuerant. & statim omnia vere narrauit. Vndenam venerit sancta. & quibusnam claris orta sit parentibus. & quænam ei fuerit causa erroris & fugę. nempe Dei amor inexpugnabilis, propter quem & maximos labores & immodicam sustinuerunt afflictionẽ. & quodnam esset eius nomen proprium, nempe Eusebia. ita. n. nominabatur à diuino baptismate. Imposito autem nomine maluit illa vocari hospita, propterea quod à rebus mũdanis esset planè hospes & aliena. & etiam vt magis lateret, cui latere gratum erat.

Paucis vero pòst diebus beatissimus quoque Paulus emigrat gloriose, qui fuit re uera bonus pastor. suamque 20 vitam post mortem comprobauit miraculis. & cum aliis èo quoque diues est Mylassa ciuitas. Templum vero Andreæ Apost. eius corpus tanquam sacrum suscipit. Sunt verò nunc ij Mylassæ 21 ornamentum. turres quæ rumpi nequeunt. thesauri sine sumptu. & bonorum omnium suppeditatores. In gloriam patris & filij & sancti spiritus, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

20 *Audis quod miracula post mortem sanctorum eorum uitã comprobant?*

21 *Vides quomodo sanctorũ corporibus ciuitates ornãtur, muniuntur & ditãtur.*

VITA SANCTI PATRIS nostri Ephraim Syri.

EPHRAIM ille admirabilis, natus quidem fuit in Syria, in ciuitate Edesa Christianis parentibus. Cum autem elegisset virtutem ab infantia, noxias ac damnosas æqualium cōsuetudines semper studebat cauere & vitare. Versabatur vero assidue potius in sacris libris scripturarum. & id quod in ea cōferebat studium. otiū, & meditatio, erat Ephraim quauis voluptate suauior. adeó vt ipse quoque diceret conuenienter Prophetæ. Quam dulcia sunt gutturi meo eloquia tua? Hinc factum est vt ab ineunte ætate ei virtus omnis coalesceret, & diligens studium tolerandorum laborum. Qui enim non ab eo recte & perfecte gestū est? Non 1 ieiunium? Non vigiliæ? Non humicubatio? Non benignitas? Non lenitas? Non nihil possidere? Non in tantis bonorum opibus etiā humilitas? Sed neque docendi fuit expers charismatis. sed in hodiernum vsque diem nobiscum. loquitur per suas orationes. admonet. adhortatur. consulit. & disserit. A' quibus habemus vt non solum recta fidei semita ingrediamur: sed etiam ad virtutem parandam excitamur.

Ianua. 28.

1 *Nota, ieiunium, vigiliæ, humicubatio, paupertas.*

Spes autem in Deum, & charitas in proximū, tantæ fuit curæ Ephraim, vt ille ipse sic diceret, é vita excedens. Vtendum est enim ipsius verbis. Nunquam in tota vita mea male dixi Domino. Non verbum insipiens per mea labra processit. In tota vita mea neminem sum execratus. & cum nullo omnino contendi ex fidelibus. Lachrymæ vero ei quoque perpetuo fluebant ex oculis. adeó vt perennes fontes fluentum citius defecisset, q̄ illum instar imbris cadētes lachrymę. Vna autem cum lachrymis emittebantur etiam genitus, ostendentes intus ardentem ignem compunctionis. Quod quidem apertius sciet aliquis qui illius scripta legerit. Inueniet enim eum semper philosophantem de iudicio & secundo Christi aduentu, & terribile illud tribunal semper subiicientem oculis, & illum diem imprimentem nostræ cogitationi. & se inducentem condemnatum, & deflentem valde miserabiliter.

Cum Ephraim semper versaretur in talibus visorū apprehensionibus, elongabat, vt ait Psalmista, fugiens, omnemq́ue de iis quæ ad vitam hanc pertinent tumultum, motumq́ue & fluctum declinans. Cum habitaret autem in solitudine, locis vero loca mutaret, propter ædificationem & vtilitatem animarum, vt qui diuino moueretur spiritu, relinquit aliquando solitudinem iussu diuiniore. & feruenti desiderio venit in suam patriam Edesam, vt qui simul venisset ad 2 sacras adorandas reliquias & loca sancta: & simul etiam vt aliquem virum eruditum conueniret, vt cognitionis illinc fructum acciperet. quod etiam à Deo petit, sic dicens. Iesu Christe omnium Domine, concede vt ego Edesam ciuitatem ingrediens, in talem virum statim incidam, qui sit idoneus ad disserendum mecum de iis quæ ad animæ ædificationem pertineant & vtilitatem. Cum sic orasset, postquam fuit in ingressu ciuitatis, & portam est ingressus, erat cogitabundus, attentoq́ue & sollicito animo, vt qui consideraret quemad-

2 *Ecce peregrinationē ad loca sancta, & ad sacras adorandas, id est uenerandas reliquias.*

modum ad illum quidem virum accederet. quænam autem ex eo quęreret. & quamnam perciperet vtilitatem.

Cum sit autem incederet cogitabundus, ei statim quædã occurrit mulier, eaq; meretrix. Dei vero hoc erat omnino, qui mystice & arcane sæpe per contraria dispensat contraria, Sacrosanctus itaq; Ephraim cum sic præter spem incidisset in meretricem, constitit in eam defixis intuens oculis & quasi emotæ mentis, tristisq; & apud se perturbato animo, q; non vt precatus fuerat, sed contrarium potius euenisset eius quod petierat. Illa autem cum sic eum vidisset aspicientem, in eũ rursus oculos coniicit acerrimos. Postq; vero sic diu se inuicem aspexissent, volens eam pudore afficere, & ad verecundiã quæ mulieribus conuenit deducere, magnus Ephraim. Quid verò, Non erubescis mulier tam fixis oculis nos intuens? Illa autem, Sed me, inquit, conuenit te sic aspicere. ex te enim sumpta sum & tuo latere. Te vero non nos sed terram potius oportet aspicere ex qua ipse rursus sumptus es. Hæc cum audiisset Ephraim præter omnem expectationem, & mulieri confessus est magnas se habere gratias, propter eam q; ab ipsa acceperat vtilitatem: & Deo acri emisit studio gratiarum actiones, qui per ea quæ præter spem accidunt, ea sæpe potest facere quæ ipsam spem superant.

Cũ ergo dies aliquot transiissent, & diuinus Ephraim moraretur Edessæ, mulier quædam meretrix quæ in propinqua habitabat vicinia, fit maligno instrumentum ad vitium. & per eam, sicut prius ipsam per serpentem, iustum aggreditur Ephraim. Cum itaq; diuinus Ephraim cibũ quẽdam coqueret, illa aperta fenestra quæ erat in corte, impudẽter despicit & planè meretricie. & deinde cum sanctum aspexisset inuerecunde, Benedic, inquit, Abba. Ille vero cum eo qui ipsum decebat habitu gestu & sermone. Dominus, inquit, tibi benedicat. Ipsa autem rursus cum vehementi & indecoro risu. Sed quid, inquit, tuo cibo deest? Ille verò, Tres, inquit, lapides, & parum luti, vt hæc obstruatur fenestra. Illa nihil de sua remittens impudentia, Quòd te, inquit, priores appellauimus, hoc ne te effecit insolentem? Ego, inquit, volo tecum dormire. Tu ne autem hoc mihi statim primo negasti? Ad hæc, quomodo illa verbis Satanicis, ita multo magis ipse sermonibus abundauit spiritalibus, & quales ipsum dicere, & eam oportebat audire. Si vis enim inquit, nos ambos simul dormire, vbi tibi dixero illic communiter iacebimus. Postquam vero illa sermonem arripuit. & rogauit locum vbi hoc fieri oporteret. Nõ in alio, inquit, loco tecum congrediar nisi in medio ciuitatis. Sed non, inquit, pudore & rubore aperte afficiemur à videntibus hominibus, si sic nos iaceamus in medio? Capta est mulier quę voluit capere impatibilem animam & inexpugnabilem. vt quæ ne hoc quidem potuerit cognoscere quod dicit Solomon.
" Oculi Domini altissimi sunt innumerabilibus partibus Sole splendidio-
" res, qui intuentur omnes vias hominum.

Cum statim itaq;, veluti ansam, verbum apprehendisset vir pręclarus, contrà intulit. Si ergo hominnm iudicasti oculos satis esse ad pudore afficiendam animam, & à mala actione abducendam: Dei oculos qui omnia intuentur, tam quæ clam, q; quæ aperte fiunt, non multo magis reuerebimur & extimescemus, & à re mala abstinebimus: qui semper nobiscum habitantem in nobis excitat conscientiam: & ex ea nobis reseruat tormẽta

quæ finem non accipiunt. Hęc suffecerunt non solum ad meretrici persuadendum vt abstineret ab improba in eum libidine: sed vt priorum etiam eam malorum pœniteret: & afferret mutationẽ totius vitæ & sententiæ. Statim itaq; accedens & humi procidens, & sacros illius pedes tangens, petiit veniam à ratione alienissimæ cupiditatis impudicæq; & intemperantis propẽsionis. & ne cum veram & germanam attulisset pœnitentiã, à via quæ fert ad salutem aberraret, eum ducem & magistrum voluit accipere. Illa autem (Quo enim, cum esset ille Ephraim, non erat talibus pariturus petitionibus: & ea quę par erat admoniturus) ne rursus ambularet, vt cum diuino dicã Hieremia, post cogitationes cordis sui mali, neq; contemneret ita vt vias priores repeteret, præcipit egregie. eamq; in mulierum includit monasterio, quę virtutis curam gerebant. & tandem cum eam quæ à via recta illum volebat abducere, ipse à via mala potius cõuertisset, iustitiæ fructum habuit, illam conuersionem. Sic diuinus Ephraim cum in duas incidisset meretrices, huic quidem profuit. ipse autem ex altera accepit vtilitatem. aut vt verius dicam, ex vtraq;. & vtrunq; prgter spem omnem. vtpote q; diuinum auxilium in vtrisq; concurrerit.

Hinc ad eam quę est in Cappadocia Cæsaream, deductus à gratia quę ex alto eum ducebat, magnum vidit Basilium, os ecclesiæ, fontem dogmatum. Quem cum vidisset Ephraim, cœpit eum multis honorare laudibus. Perspicaci enim animi oculo videt quandam columbam, erat autem illius forma radiis Solis similis, præclaram præclare eius humero insidere, & in aurem loqui cum Basilio: & illum rursus ea quæ ab ipsa veluti dictabantur, referre populo. A qua veneranda columba cum didicisset de Ephraim, & quisnam esset cognouit, & quanã de causa venisset. Quocirca & se inuicem sermone impertiunt, & fruuntur alter alterius bonis. Sed reuertendum est rursus ad diuinum Ephraim. & solæ illius res sunt pure narrandæ. quemadmodum nullam admittebat cogitationem quæ non ei conferret ad virtutis operationem. & quemadmodum abunde ei erat à Deo datum talentum doctrinæ. quod quidem ille semper præcipue studebat augere ad mensas animarum.

Ipse autem hoc significat, dicens q; cum adhuc esset puer, & nondum ad Ephebi peruenisset ætatem, viderit quandam vitem permultis botris plenam, è lingua sua enatam, in magnam fuisse sublatam altitudinem, & vniuersæ terrę occupasse superficiem. Et omnes quidem ei insidebant volucres: & circunuolabant: & botros pascebãt. Vitis vero quo magis eius botri carpebantur, & quo liberalius & splẽdidius aues accipiebat, eo maiori fructu scatebat. fructumq; multum producebat & copiosum. Et hoc quidem ipse dicit de seipso. Illud autem hoc quoque alij Ephraim suo tribuunt testimonio, ex iis qui digni sunt habiti qui hæc viderent. Dicunt se aliquando vidisse Angelorum multitudinem è superis descendentem, librumq; intrinsecus & extrinsecus scriptum habẽtem in manu. Apud se vero cõsiderabat illa quæ apparuerat visio, quisnam esset is cui liber traderetur. & cum alij quidem hunc, alij verò illum, & alij alium proponerent, quotquot. s. tunc vitam piam exercebant & honestam, tandem cum omnes conuenissent in Ephraim, ei committitur liber à sacra multitudine. Experrectus ergo is qui viderat visionem, timore affectus venit in ecclesiam, & cum in ea inuenisset Ephraim doctrinis quam optimis & vel

ipso melle suauioribus pascentem eos qui aderant, somnium ea ratione conicit. Et ille quidem Deo egit gratias. ab illo autem tempore tam copiose & tam vehementer Ephraim fluxerunt fluenta orationis. & eum tanta & tam perpetua obruebat vis cogitatorũ vt nec satis quidem posset eius lingua seruire celeritati eorum quæ cogitarat,& si eius erat tantus in dicendo fluxus,& tam prompte enuntiabat id quod mente conceperat, vt non minus celeriter sermone explicaret quam alij cogitarent. Quamobrem dicitur is Deo aliquando dixisse. Remitte ò Domine vndas tuæ gratiæ. Abyssus enim doctrinæ quæ linguam inundabat,non sinebat eum amplius continere,cum ad dicendum minime seruirent instrumenta.

Ecce catalogũm uirtutum sancti patris, in quo habes.
3. *Orationes*
4. *Lachrymas*
5. *Vigilias.*

Illius autem orationem 3 nihil aliud interrumpebat nisi precatio. eã vero lachrymæ. 4 Noctes vero quæ ipsum assumebant 5 vigilantẽ, luci diei rursus reddebant sobrium. vt qui vereretur ne princeps tenebrarũ eum somno impeditum deprehenderet,& ideo vigilaret aduersus eius insultus. Ei enim sufficiebat somnus vel breuissimus. vt qui eum solum leuiter gustaret,non vteretur autem ad satietatem. sed tantũ quantum satis esset ad necessario continendum corpus quod multis intendebatur sudoribus & laboribus. Vt enim ab eius oculis fugeret somnus,faciebant quidem multa etiam alia.maxime autem 6 humicubatio. vitæ austeritas, illaq; varia & multiplex corporis cõsumptio & 7 afflictio. Nihil vero possidendi tantæ sunt ab eo collectæ diuitiæ, vt ad id assumatur oris eius testimoniũ, & verba quę ab eo dicta sunt in extremo eius spiritu. quibus nihil est fide dignius aut verius. Sic autem habent. Ephraim nunquã fuit crumena. 8 non virga. non pera. neque aurum, nec argentum. Sed nec in terra vllam habui possessionem. Bonum enim Regẽ audiui, inquit, in suis Euangeliis præcipientem discipulis. Nihil in terra possederitis. Quocirca nec affectione quidẽ tale quid habui. Ita Magistro parebat in omnibus. & se vere præbuit imitatorem primorum illius Discipulorum.

6. *Hũmicubatiões*
7. *Corporis afflictiones.*
8. *Paupertatem uoluntariam.*

In humilitate autem & cordis contritione & moderatione quis frequentius aut acrius aut perfectius est versatus? adeò vt cinerem quidem tanquam panem comederet. potum autem fletu misceret. Laudes vero valde vitabat. & eos qui eum laudabant non solum non admittebat, sed eis etiã aperte succensebat. vt alius iis qui irrident & maledictis insequũtur. erubesceret autem & terram aspiceret: & vultus colorem alias alium mutaret: tenui autẽ sudore difflueret: & omnino mutus maneret, pudore eius vocem veluti retinente. Porro autem hoc quoque est proprium magnæ eius moderationis. Cum enim iam esset abiturus, hæc cum magna mandabat increpatione. Ne canticum cecineritis super Ephraim. Ne eum laudaueritis. ne me pretiosa veste indueritis. Ne seorsum meo corpori sepulchrum feceritis. statui enim Deo volente habitare cum peregrinis. Peregrinus enim sum & aduena sicut omnes patres mei. Benignitatis autẽ, & alendorum mendicorum, & misericordiæ in pauperes tãtam habebat rationem,& tantam illorum curã gerebat, vt qm ex se non habebat quod eis impertiret: Qũo enim haberet, qui ipse quoq; laborabat inopia rerum necessariarum? quod solum habebat, eo vtebatur ad eorum salutem. & cũ linguæ sapientia & intelligentia multis diuitum & manum & viscera & horrea aperuisset, copiose per ea suppeditabat egentibus. Non solum enim poterat eius sermo mollire & demulcere animos, & mouere ad mi-

fericordiam.sed vel ipse aspectus & morum moderatio. Sæpe autem vel ipsum solum respexisse, suffecit aliorum animis ad compunctionem. Et sunt hæc quidem huiusmodi,& quæ ad summũ oĩs virtutis sic venerunt.

Eius vero ex Deo zeli,& eorum quos pro recta fide suscepit sudorum, sunt multa alia quoque indicia. Quod autẽ nunc suggerit dicendum oratio,& ad quod fert deinceps consequentia narrationis, est omnium maximum & iucundissimum. Ita autem habet. Apollinaris qui in altum quidem locutus est & meditatus magnã iniquitatem: omnia vero & facere & dicere didicit ad recta peruertenda dogmata, cum circa rectam fidem multa innouasset, & sicut engastrimythi & qui é terra vocem edunt, vt recte de iis magno videtur Esaiæ, locutus esset, & ea duobus libris composuisset, credit cuidam mulieri, quæ illius animo dicebatur seruire & voluptatibus. Cum hoc ergo didicisset Ephraim, & eam rem esse existimasset conuenientem sibi venationem, nõ leuem quidem, illam sed quę opus haberet arte & sapientia, suscipit personam vnius ex iis qui eadem quæ ille sentiebat. & accedit ad custodem librorum. partim quidem ei eulogias afferens ex solitudine. partim autem se artificiose insinuans in mulieris familiaritatem, vt quæ morum magistri cum eo haberet societatem. Cum autem ei scena recte se haberet & actus simulationis: & omnino iam sibi persuasisset mulier eum plane esse Discipulũ Apollinaris, et eius qui circa illum erat chori impietatis, rogat mulierem vt sibi dentur scripta magistri. vt posit vt aiebat, cum Hæreticis, ita nos vocans qui partem sequimur Orthodoxam, facile congredi. Illa vero calida hac arte & probabili inescata ratione, ei libros tradit, tantum dicens vt ij sibi cito redderentur.

Hic autem magnus Iacob, cum hac ratione prophanum supplantasset Esau, & scelerata illius improbitatis primogenita fuissent ei credita, magno & forti animo virum execrãdum aggreditur. &, vt dicitur, vulpem pulchre decipit. Vide enim mihi viri sapientis inuentum,& quemadmodum tam improbum & tam varium callide fallit animum. Venire quidem ad disputandum & opponendum,& linguam eis immittere, quæ oĩa facile posset soluere & euertere, non erat ei admodum expeditum, sed id longo opus habebat tempore & labore. Cum autem id facere non permitteret opportunitas: Vrgebat enim mulier libros vehementer repetẽs: conuertitur ad quandam aliam machinationem, quæ cum celeritate magnam habebat vim & efficaciam. Nam cum libros explicasset, & foliorum vnũquodq; diuisisset, et ichtyocolla satis vniuersum illiuisset, & deinde cum altero complicasset, & ea diu manu constrinxisset & compressisset: adeo vt mutua inter se coniunctione omnia vnum fierent: & neutrũ posset ab altero diuelli aut quomodũq; abrumpi, eos reddit mulieri. Illa vero eos recipit, nihil quærens amplius, neque eos explicans. satis habens quod recte se haberent extrinsecus. Aliquo ergo tempore sic libros apud se tenuit.

Deinde vocatur quidem ab Orthodoxis Apollinaris hoc autem suggesserat propter Christum acutissima et ingeniosissima Ephraim anima. sciebat enim quid fecisset in illos impios & execrandos libros. Vocatur ergo Apollinaris, vt cum egregio verbi defensore disputaturus. Ille autẽ iam & senectute & senectutis malis defessus, recusauit quidem ipse disserere. statim vero ad suos libros aspexit. & eas ad se deferri præcipit. Ipsi

enim mihi, inquit, subministrabunt quæcũq; os orationi. Cum ex libris itaq; cepisset alterum, ille quidem eum explicare statim in principio operis cum magna quadam grauitate conabatur. Cum ille autem omnino non obediret, neque ex foliis aliqua diuellerentur: sed sibi potius cohærerent, vt qui tanq̃ vnum corpus euasisset, transiit ad eius medium. Cum vero illic quoque esset spe falsus, eo libro relicto transiit ad alterum. Vbi autem ille quoq; se haberet similiter: & ipse à se non posset diuidi, nec fieri omnino posset vt diuelleretur. ad magnam redactus inopiam, prę pudore & animi ægritudine caligans & vertigine laborãs, & eo casu veluti euersus, exilit è consessu. vt qui se non posset amplius continere: & tandem male perit, fructum suorum laborum & librorum mortem colligens. Talis pro Christo fuit zelus Ephraim. & sic omnis virtus plantata fuerat in illius anima. adeò vt quis eã meritò vocauerit fontem qui scatet omne genus fluentis. aut pratum quod sibi placet propter varios flores & rosas. aut etiam aliud cœlum in terra, quod astrorum multitudine vndiq; variatur. & si velis audis etiã paradisum veluti illius Edem, qui est semper florens & lętus, & nũquam marcescit. sed arboribus fertilibus & quę nunquam intereunt semper floret & germinat. solus autem serpens eum non potest attingere, nec ei patet aditus, qui est malus & inuidus, & nostræ saluti insidiatur.

Sed iam mihi tendit ad finem de Ephraim narratio. Quocirca aliquid ex iis quæ circa mortem illius fuerunt necesse est persequi. & quod sufficit ad ostendendam illius gratiæ abundantiam. Nam iam quidem erat decessurus, postremo autem præcepit iis qui aderant, ne in pretiosa veste eũ sepelirent, sicut prius declarauimus. Si quis vero, inquit, cũ patrem amet, talem nobis vestem præparauit, ille eam quæ constituta est ad sepulturã det egentibus. Et ille quidem hæc mandabat iis qui circũfluebant. Vnus autem ex eis qui erat illustrior & vehementior, cum pretiosam & sumptuosam vestem parasset qua post mortem corpus illius tegeret, & deinde audiisset mandatum, ęgretulit, vt qui à suo excidisset proposito. & ideo differebat eam quoq; dare pauperibus, melius esse iudicans tantum auri illis pendere quanti vestis ęstimaretur. ignorans se multo magis gratificaturum esse Ephraim si dederit pauperi, q̃ si propriam voluntatem sequatur & iudicium.

Cũ sic itaq; affectus constituisset, inobedientiæ protinus luit pœnas, à malo arreptus Dæmone, & cogitationis solum non actionis pendens supplicium. Quamobrem ad sancti lectum se proripit in medio omnium videntium. torquens manus, inuertens oculos. spumam ex ore expuens. & plane faciens omnia quæ faciunt ij qui furore exagitantur. à diuina ꝓuidentia ei traditus ad disciplinam, cui parens patrium contempsit mandatum. Quid ergo? qui occulta peruidebat, & diuino spiritu loquebat̃, ille intellexit morbum esse fructum peccati. & Quid à te, inquit, ò homo, factum est quod non oporteat, quod te in tantum protrusit periculum? Ille autem cum resipuisset ab insania, pronuntiat iniquitatem. aperit inobedientiam, arguit cogitationum suarum imbecillitatem. Cuius morbi diuinus Ephraim infertus, cum accepisset cõfessionem, sola 9 precatione & manuum impositione liberat à Dæmone, iubens vt impleret promissum sicut ei mandauerat.

9 Sola precatione & manuũ impositione sanctus hominem à Dæmone liberat.

Cum

Cum ſic ergo ſanctus Ephraim, in fine vitæ, ſuperiores actiones tanto obſignaſſet miraculo. eos autem qui aderant admonuiſſet, eiſq́ꝫ conſuluiſſet, & præcepta dediſſet, & eos ad operationem virtutis ſatis excitaſſet, tranſit ad ea quæ ſunt illic tabernacula, & ſplendorem qui eos qui tales ſunt excipit. In Chriſto Ieſu Domino noſtro, Cui gloria honor & potentia, cum patre & ſancto Spiritu, Nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTORVM

Martyrum Indæ & Domnas, & multitudinis uiginti millium Martyrum, qui paßi ſunt martyrium Nicomediæ.

MAXIMIANO iam ſecundum annum agẽte in imperio Romanorum, & minitante grauem tempeſtatem impietatis, & mox in pios erupturo, ſic quoque florebant quidem res Chriſtianorum, & lętæ erant tanq̃ in iucundiſsimo vere pietatis. Hoc aũt ver faciebant alij quoq́ꝫ ex Orthodoxis, qui & temporibus erant ſuperiores, & pietatis dogma aperte canebant ſicut cicadę. prę cęteris vero omnibus, eccleſię noſtrę muſica hirundo, qui propter rectam in fide ſententiam, & in ea dicendi libertatem, fuit celebratus Cyrillus. Is Nicomediam moribus magis ornans q̃ ſede Epiſcopali, & vitam orationi habens conſentiẽtem, Monaſteria conſtituebat & eorum 1 curam gerebat, & ea quæ iam facta fuerant continens. & noua præter vetera ędificans. Accenſus ergo accenſus fuerat ignis ille pietatis, de quo etiam dicit vox regia. Ignem veni mittere in terram: & quid volo niſi vt ardeat? Qui „ etiam tantum eſt nutritus & tantum inualuit, vt etiam ad ipſam veniret regiam, & multis ex iis qui erant in ipſa perſuaderet, vt relicto auro & diuitiis. quæ hunc ignem extinguunt, eas in manus pauperum immitterent, Chriſtumq́ꝫ & eius partes omnino ſequerentur.

1 *Vides quod olim Epi etiã monaſteria gubernabant, noua conſtruebãt, & uetera continebant?*

Cũ hæc autem audiuiſſet Maximianus, non erant ea omnino tolerabilia. ſed cum etiam duplex ei bellum erupiſſet, quorum ipſe quidẽ vnum mouebat contra pietatem: alterum vero contra ipſum quædam gentes ab eo bello deuictæ, eius diu diſtrahebatur animus. Cum vero conſideraſſet oportere prius bellum conficere Barbarorum, vt quod eſſet terribilius, religionis, inquit, bellum reuerſus tuto mouebo: & pulchre docebo cum maiorum meorum Diis, eos qui ipſos afficiunt contumeliis, nunq́ꝫ eis tam vehementer & tam temere inſultare. Cũ is ſic quidem & labra in corde doloſa & linguam nouiſſet magna & ſuperba loquentem, egreſſus eſt contra Barbaros. Piorum autem fax adhuc magis accendebatur: & Chriſti milites parabantur ad aciem. Inter eos floruit læta quædam & pulchra planta pietatis, virgo admodum pulchra, Domna nomine, gloria inſignis, in thalamo educata imperatorio. ab impio Imperatore, iis qui falſo nominantur eius Diis conſecrata, qui collocati erant intra regiã: & conſtituta prima Sacerdotum: & præfecta ſacrificiis & myſteriis omnibus Deorum inanium. Verumenimuero bona arbor quærebat bonam

terram: & ferax olea ftare in domo Dei: & fructum reddere vtilem. Ipfa ergo cum fidei fermo dilataretur, & ad diuinarum fcripturarum venisset auditionem, & mentis aptitudine rapuisset fcintillam pietatis, breui impletur amore fpiritali. & cum illum librum accepisset, Pauli, inquam, qui fermone complexus eft orbem terrę, & actiones reliqui chori Apoftolorum, diligenter & continenter ea percurrit. & cum cognouisset ea quæ dicebant esse & vera, & delectabilia, & quod eft omnium maximũ, animæ vtilia, varie afficiebatur. Lætabatur. admirabatur. dolore animi implebatur. Lætabatur quidem, quod in talem thefaurum incidiffet. admirabatur autẽ, confiderans fidem Christianorum, eiusq; veri ftudium & coniunctionẽ cum virtute fufcipiens. angebatur vero, damnum quod eo vfque acceperat reputans, & noctem profundam ea quæ præcefferant exiftimans.

Hanc certe piam fidẽ defiderans, nihil omnino cunctata, accerfit quandam filiam vnius ex Senatoribus quæ opinione quidem erat Christiana, erat autem ipfa quoq; virgo perfecta, verum cultum fcire defiderans, & vti ea duce ad religionem. Aqua in myfteriis pulcherrime inftituta, properat ad baptifmum: & media nocte infcientibus omnibus venit ad Cyrillum Pontificem. Ille autem cum modulate diuinas ei cecinisset fcripturas, & veneranda Christi 2 cruce eam obfignaffet, tunc quidem eam facit Catechumenam: & iubet ea quæ 3 de more prius fiũt, fieri à pio quodam Diacono. erat autem ei nomen Agapius. Illa vero cum & his & ieiunio 4 & orationi fimul vacaret, non minus hæc agens ftuduit latere quàm hæc facere. Non erat itaq; aliquis qui horum effet confcius, nifi folus quidam Eunuchus qui erat ei virtute fimilis, Indes quidem nomine, genere autem Barbarus: etiamfi eius mores non effent barbaris fimiles, fed mites & manfueti, & qui fignificabant magnam internam quietem & tranquillitatem. Is non folum ęque atque ipfa ad fidem accefsit: fed etiã vocante occafione fe primum tradidit martyrio. Ambo ergo quando venit tempus pręftitutum, affequuntur baptifmum: & fic poft primam generationem, cito puella fecunda quoque regeneratur, cum non nata effet plures q̃ quatuordecim annos.

2 Habes hic obfignationem cum venerãda cruce.

3 Habes catechifmũ & alia de more eccle. præcedere baptifmum.

4 Habes denique quod baptizandi adulti per aliquot dies ante ieiuniis et orationibus præparabantur.

Poftquam autem valide iactum fuit fundamentum, & in firma petra nempe Chrifto iam radices egerat, tunc alia quoque fuperædificauit alimentum quidem fenfile & potum negligens: pani autem qui intelligentia percipitur & diuinis verbis adhærens: & præterea quærens non folum quõ quod dictum fuerat in animo imprimeretur, fed etiam quõ exiret in opus; atque adeo ad ea non opus fuit ei tempore. Simulatq; enim diuinam audiebat fcripturam, ftatim quod audiebat producebat ad effectum. Cũ itaque aliqñ legeret librum actionum Apoftolicarum, vbi peruenit ad illum locum in quo qui vendebãt poffefsiones, afferebant pretia ad pedes Apoftolorum, illa hoc quoque facere conftituit. & cum collegiffet quidquid auri habebat & argenti & veftis pretiofæ, & ea fuis impofuiffet famulis, noctu abit: & fanctum rogat Cyrillum vt ea accipiat, qm̃ in illum Apoftolicam feruat reuerentiam: & vt fuis manibus ea diftribuat pauperibus. Quę quidem cum vt volebat nemine fciente effeciffet, reuerfa eft: & folitus eam rurfus habebat thalamus.

Atque Cyrillus quidem eius pater fecundum fpiritum, paulo poft excedit ad omnium patrem & Deum. Beata autem puella eius monita non

leuiter audiit:sed etiam in animi profundo ea celauit. Toto itaq; die, illa, & qui virtuti erat ei similis, Iudes, anima 5 ieiunio expurgātes, orationiq; & sacris eloquiis vacantes, noctu cibum sumebant. Alimentum autem 6 erat panis siccus, & aqua potus. Quę vero constitutum fuerat vt ab Imperatore acciperent, iis ventres pauperum fruebantur. vt benignitatem simul recte exercerent & abstinentiam. Sic facientes, conabantur quidem multos latere: sed fieri nō poterat vt mons absconderetur: & lucerna poneretur sub modio: & thesaurus lateret in terra abditus. Sed cum eo quem dicam modo apparuissent, Orthodoxis quidem fiūt exemplum salutare: impiis autem & improbis validum ad eos conuincendos argumentum. Qui tantum aberant vt ex illorum virtute fructum perciperēt, vt etiam pœnas ab eis expeterent: & eis crimen intenderēt abstinentiam. eorum enim adhuc latebat pietas: nec ab ipsis adhuc deprehensi fuerant.

5 Vide ieiunia, orationes, studia scripturarum.

6 Vide tenuem cibū & potum, hoc est panem & aquam & miram abstinētiam.

Postquam autem manifestum euasit eorum ieiuniū ei qui gerebat curam sumptus aulæ Imperatoris, cum oporteret admirari benignitatem, & stupere abstinentiam, ille potius processit ad flagra. & eos diu cædens, vim afferebat vt dicerent quonam proficiscantur ea quæ eis dantur. Cum illi autem qui didicerant celare recte facta, ea forti & generoso animo sustinerent, mori malētes q̃ dicere, ne quod in egētes manabat rescinderetur fluentum benignitatis, quidam Eunuchus accedens ad Præfectum, Persa genere & impietate, ab initio eorum virtutem defert & accusat tanquam vitium. q. s. se 7 caste gerant & à cibis abstineant: & quæ accipiunt ad alimentū ea pauperibus Christianis præbeant. & q; quæ ab Imperatore proficiscuntur, dantur ad alimentum iis qui sunt contrarij Imperatori. Quod si velis id scire apertius, licet tibi aperto penario, ex iis quæ apparebunt, intelligere ea quæ sunt obscura. Audiit Præfectus, & cum lubenter euidētem admisisset probationem: ab eis aufert claues. & cum aperuisset, inuenit protinus: sed non vt ipse sperabat. sed ea quæ vere erant veneranda, nempe & diuinæ crucis 8 figuram, & librum sacrosanctum, nempe Apostolorum Deo gratas actiones: & præterea possessionum vacuitatē eorum qui in cœlis magnum thesaurū recondebant. cuius præclaræ opes erant duæ storeæ in nudo solo stratæ, vere generosum & beatorum Domnæ & Indæ magnifica suppellex. fictile præterea thuribulum & lucerna: & lignea arcula, in qua reposuerant sacram oblationem cuius fiebant participes.

7 Huius similes sunt nostri temporis hæretici. Et ipsi uirginitatem damnant, & abstinētiam à cibis.

8 Nota, diuinæ crucis figuram.

Hunc ergo librum & arculam cum impius accepisset Eunuchus, rogabat vbi esset eis aurum, vestisq; pretiosa, & alia suppellex elegans & magnifica. Cum autem illi rursus interrogationum nullam ducentes rationem starent tacentes, eos tradidit torquendos. Sed sic quoque reipsa est expertus se frustra pulsare adamantes. ab eis enim nihil omnino audiuit. Sacer vero ille liber, & præterea arcula, vt quæ nihil ei essent vtilia, illic ab eo relicta sunt in penario. Eos autē iubet alibi includi, donec retulisset ad Imperatorem. Atque virgo quidem, cum iam educeretur è penario, cū inscientibus omnibus scite librum sustulisset, erat enim paruus & qui poterat facile abscondi, in sua eum veste reposuit. Eodem modo Indes quoque admirabilis vas sustulit ligneum. & ita abducti sunt & inclusi. His sic inclusis, longo tempore, solus pannis viuus erat nutrimētum: & diuinę gratiæ potio, erat potus. Quæ autē corpus necesse est sumere, iis adeò pri-

uati fuere, vt ne aquam quidẽ possent assequi. Erat enim hic immitis Præfecti iussus. vt propterea ꝙ ipsi egentiũ ventres satiauerant, tali fame confecti interirent: & pro benignitate pœnas luerent sæuitia.

Tanta ergo fuit indigentia, & afflictio tam intolerabilis, vt virgo in morbum incideret, cum iuuenile corpus non ferret tantã vexationem. Sed fieri non poterat vt eos haberet despicatui ille cui sunt curæ volucres & bestiæ: & qui aperit manũ, & implet omne animal benedictione. Sed nox quidem erat: accedunt autem virtutes cœlestiũ Angelorũ: qui cum multa luce eos circunfulsissent, & mensam cibis implessent, rursus reuersi sunt in cœlum. Illi autem ea quæ erant proposita statim, sumpserunt, malorum quæ præcesserant non amplius recordantes. & partim quidem eorum quę apparuerant splendore, partim vero eorum quæ ipsis oblata sunt voluptate exhilarati, illud Dauidicum admodum opportune cecinerunt. Tãquam ex adipe & pinguedine repleta est anima mea. & labiis exultationis laudabit os meum. Atque dies quidem iam aderat: aderat autem Pręfectus quoque vt sciret an fame victi essent: vt sic eos haberet obtemperantes. Postquam vero contra eos vidit lætos & vultu alacres, anima autem multo alacriores, mittẽs vim afferre, vt quod in eis nihil prodesset, aggressus est persuadere. & simulans mansuetudinem, iussit eos deinceps degere nullis malis affectos, & abunde eis dari quæ erant ad vsum necessaria, cibum, inquam, pecuniam, & vestes, non minus quam antea. Sed virgo nihil egebat pecuniis & vestibus. imo verò egebat quidem, sed non sua causa; sed pauperum. quibus etiam vestimenta discindẽs distribuebat. & quomodo existimabat esse necessarium corpori alimentum, ita etiam suæ animæ necessarium, aliis præbere nutrimentum.

Quocirca multis diebus permanebat ieiuna, vt possent abunde aliis præberi nutrimenta. Et tunc quoque cum vidisset multitudinem pauperum ad se confluentium, & tanquam charam nutricem, vt famem ab eis propulsaret, rogantium, dubia animi vt quæ nihil posset impendere quod sufficeret tantæ multitudini, ad suum mundum aspexit. & cum zonam illam quæ plena erat gemmis & margaritis, & alia quæ erant auro ornata & argento, omnia vinculo vno comprehendisset, demittit per fenestram & transmittit ad pium quendam Diaconum, cui nomen erat Alypius: rogatq́ꝫ vt vendat: & aurum quod ex eo redibit diuidat pauperibus. Dici non potest quantæ pauperum multitudini hæc suffecerint ad alimẽtum. sed neque q̃ꝫ multos diuites sui imitatione prouocauerit ad opem ferendam egentibus. Cum autem non oporteret eam quę erat adeò casta & quæ sic alias exercebat virtutes, & quæ magno ferebatur fluento ad beneficentiam, habitare in tabernaculis peccatorum & in aula regia, huic etiam rei prouidetur à superis. Videte autem q̃ꝫ sapienter.

Dei parẽtem Dauidem in animo versans, & id quod ille simulauit eo tempore quo fugerat à facie Saul: & quemadmodum vultu suo mutato se finxit esse emotæ mentis, & sic effugit manus eorum qui erant vere insipientes, & de eis erexit trophæum: tale quid ipsa quoque excogitat & fingit. inuertens oculos, & saliuam expuens, & manus percutiens, & voces emittens inordinatas: & aliquando quidem lachrymans: aliquando autem ridens intempestiue & indecore. Hæc cum viderent ij qui erant in regia, alij quidem miserebantur; alij verò etiam mirabantur. Nonnuli aũt

simul

simul & mīa mouebantur & stupebant. Quod quidem cum audiisset crudelissimus Præfectus, ab aliquo ex iis qui ei assidebant, & vidisset etiā id quod fiebat, visus est dolere & animo ęgreferre. Nam tunc virgo maxime morbum simulabat, q̄n Præfectus in eam cōiecisset oculos. Vnde etiam timore afficitur. & ei plures adhibet custodes, ne absente Imperatore aliquid ei graue accederet, & se deorsum præcipitans veniret in periculum. Postq; autem multum temporis contritum est à custodibus: illa vero quam susceperat personam non dimittebat: sed prudenti admodum cogitatione simulabat se esse insipientem: & molesta erat iis qui eam custodiebant, eorum quidem vexans aures inconditis vocibus: stultis autē figuris eorum oculis afferebat molestiam: & nonnunquam eis somnum adimens clamoribus: & eis omnino molestiam afferebat, non solum vel inuiti eam mittunt ad Christianos, quod quidem ea iamdiu cupiebat: sed etiam fatentur licet nolentes Christianorum potentiam. Accedentes enim ad Eunuchū, vehementer rogabant vt ea mitteretur ad Christianos. Fore enim dicebant vt & ipsi liberarentur à malo nō tolerabili, & illa ab ipsis quam primum curaretur. Sunt enim, dicebant, apud ipsos alij quoque ei insania similes, quos nescimus quomodo dicuntur sanare & facere vt sint sanæ mentis. Hoc illi quidem pro se petierunt, cupientes liberari ab omni molestia. Deus autē id quod virgo impense cupiebat, facit vt ei succedat ex sui animi sententia. Nesciebant enim se, vt dicitur, equum in campum immittere, & delphinum in aquam.

Audit hæc Præfectus: & cupiens ipse quoq; liberari hac eius cura, statim sanctum Anthimum, erat autem hic tūc Nicomediæ Episcopus post Cyrillum, accersit. Qui cum statim accessisset, & vt qui à Deo accepisset notitiam eorum quæ erāt in profundo cordis, spiritu cognoscit de virgine. & cū q; profunda sapientia sub simulatione stultitiæ lateret intellexisset, ipse quidem tacens constitit. Virgo vero cum similiter vidisset Pontificem, nullum amplius præ se ferebat furorem aut amentiam. sed perinde ac ipsum illius aspectum reuerita, se moderate gerebat & placide. adeò vt ipsi qui aderant stuperent, considerantes quantam vim habeat vel solum conspectus pius oculus. Præfectus ergo rogauit Ep̄m vt assumeret virginem: cum ea autem etiam Indem: & vt eos in sacra aliqua ede traderet in custodiam honestam. Simul etiam dedit pecunias quæ ad alimentum sufficerent & vsus corporis necessarios. Ille autem hos quidem valde lubenter suscepit, sed non etiam pecunias. Eos vero misit ad quoddam monasterium, dici non potest quantum lætantes quòd successisset eis ceptum ex sententia.

Iam autem Maximiano tunc erecta erāt trophæa aduersus inimicos, Deo ei sapienter viam aperiente ad salutem, vt cū quęsisset cuiusnam manu hæc recte gererentur, agnosceret veritatem. Sed ille in his plane cæcutiens, Deorum qui falso dicuntur auxilio ascribebat victoriam. & tātum aberat vt vero Deo ageret gratias, vt etiam properaret aduersus Deum bellum gerere. & aliis postpositis acri animo armabatur aduersus Christianos, Dæmonibus festa peragens & sacrificia etiamsi primo vulpinā pellem induens, donis & honoribus clam se insinuabat in populi beneuolentiam: & suam esse tectam volebat improbitatem. Theatrum itaq; frequentissimum ab eo fuit congregatum. Non aperte autem ostendebatur

hoc certamen comparari aduersus Christianos: sed obscure dolose & maliciose instruebatur. Simulachra enim quę auro quidem honorabantur ab impiis, fossam vero interitus eis vicissim largiebantur: hæc, inquam, aurea, & quæ rursus facta fuerant ex argento, producens impius, posuit in sede regali, & coronis redimiit: & tandem eis tauros sacrificans, iussit execrandis Sacerdotibus aspergere populum, temporis quoq; ea in re vtens auxilio. Tunc enim ore hianti attendebant iucunda theatri acroamata. Quicũq; ergo in pietate quidem erant firmi & stabiles, & quorum animos religio Christiana non solum vsq; ad nomina, sed etiam ad cor vsq; penetrauerat: iĳ cum id quod fiebat deprehendissent, & nec eius quidem conspectum ferre potuissent, à theatro recesserunt. suum potius sanguinem profundere, quàm tali sanguine pollui præclare eligentes. Quibus autem pluris fiebat voluptas & recreatio, iis polluebantur animæ & corpora. ex modica, proh dolor, delectatione sibi grauissima recondentes supplicia.

Sed enim Maximianus qui toto animi impetu ferebatur ad impietatem, non amplius latenter sed aperte volens se impie gerere, hos habuit sermones apud eos qui erant congregati, qui quidem grauissimam redolebãt impietatem. Quo abitis, dicens, ò homines, luci tenebras præferentes, & non Deos esse putantes, à quibus dependet hoc vniuersum. Non videtis victorias & trophæa? Non videtis bona plurima quæ bonis adiiciunt: & quemadmodum quæ sunt, recte quidem se habent & sunt in tuto: alia vero accedunt quotidie: & quorum non eramus prius Domini, in ea nũc dominatum obtinemus? Non gloriam quæ augetur? non imperium quod dilatatur? Non ciuitates, quæ partim quidem sunt tributariæ, partim autem sunt futuræ: & partim quidem iam captæ sunt, partim vero sunt iamiam capiendæ? Non gentium Reges qui sunt reputati pro mãcipiis? Non omnia quæ eueniunt nobis ex sententia? Cuiusnam ergo hæc contingunt prouidentia? Vobis persuadeant temporum temperationes: moderatæ pluuiæ: fructuum fertilitates: imo verò vniuersum tẽpus fructus producens, & spectantia omnia ad abundantiam.

Cũ ille copiosa lingua sic loqueretur: & iis qui non sunt ea quæ sunt falso ascriberet, & alia adhuc vellet contexere, non permisit ex alto is cuius sunt iudicia vera iustificata, mendacium amplius gloriari aduersus veritatem: ne aliis quoq; qui erant ad peruertendum faciles, causa esset interitus. sed interim dum loqueretur, cum esset dies serenus & Sol regionem vreret meridianam, repente erupit sonus multorum tonitruum: & elisus fuit ignis ex nubibus, & profundæ simul tenebræ & densa grando cũ ventis vehementibus. & malum hoc horrẽdum vocem propemodum emittebat, esse grauem Dei commoti iram. Nam aliĳ quidem solo tonitru auribus & animo perculsi, ibi in terram cadebant semimortui. aliĳ verò in fugam quidem se coniecerunt, se autem multo grauius affecerunt, vt qui fuerint à se inuicem conculcati, & sic vitę violentum inuenerint exitũ. Ipse quoq; impius Imperator propemodũ periit. periturus fortasse, nisi Deus iudicasset id minus esse suppliciũ quàm quod ille dignus erat pati. Non vsq; autem ad ea quę dicta sunt stitit Deus terrores. sed fluuiĳ quoq; aquarum impetu inundantes, & segetes funditus euellentes, Agricolarum labores in mare deportarunt: idq; cũ esset ęstas, & speraretur fore vt longo tempore non plueret. Fuit tamen quod factum est admodum leue & paruum ad

penetrandum Maximiani animum, & persuadendum vt resipisceret ab impietate. Nam cum postea quæsiisset schedulam in qua erāt nomina eorum qui primis duodecim qui falso dicuntur Dij ministrabant, qm̄ Domna & Indes non inueniebatur cū aliis, dolore simul & ira implebatur: & diligenter percontabatur quomodo res eorum se haberent.

Postquam autem audiuit ab Archieunucho, Domnæ quidem emotam esse mentem. eam vero nunc esse apud eos qui ea sciunt curare. cum ea autem esse Indem vt eam custodiat & ei inseruiat: ille iam ira ęstuans & valde vociferans, ò pessime hominum, inquit. Domnam quidem quæ vexabatur a Dæmone, fortasse non immerito amouisti à Deorum ministerio. Quidnam autem te mouit vt Indem quoque magnorum Deorum cultorem cum ea amandares, & quantum in te fuit, eos à ministerio desertos dimitteres? Sed ipsos iuro Deos te iustas sceleris pœnas non esse euasurum, Dixit, neque quod dixerat neglexit. sed ministerium Camelorū qui erant in regione Claudiopolitana ei tradi imperauit, ei auctoritatem detrahens Præfecturæ, & eum ad extremam deducens ignominiam. Deinde Indem quoq; iussit adduci, & ea rursus facere quæ Diis cōsueuerat. Ille vero cū accessisset, faciebat re uera quę consueuerat: Deosq; & Deas & eorum Sacerdotes valere vel potius flere iubens, ipse soli Deo vacabat, in 9 orationibus versans & ieiuniis, & non solum ad eorum impietatem minime se demittens, sed multos etiam ex iis qui decepti fuerant ad veritatis agnitionem reuocans. Res est enim quę ad veritatem inducit oratio, qn̄ habet etiam vitam ei consentientem. Hac itaq; ratione Indes multos ad Deum adduxit: & erat re uera sal diuinus, qui & seipsum continebat & alios poterat continere. Sed tales quidem erant res illius. Maximiano autem erat intolerabile, videri quidem omnes superasse barbaros: & solo aspectu terrere populi multa millia, vinci vero à suis, idq; cum essent adeò iuuenes & ętate imperfecta.

9 *In orationibus versans & ieiuniis.*

Cum itaq; paulatim soluisset quācūq; habebat speciem humanitatis, aperte quidem pugnabat cum Christo, sacra templa diruens, & ędes Dęmonibus ędificans: Pręfectos autem, & in dicendo formidabiles, & in puniendo crudeles, mittens per vniuersum orbem terræ. quibus non sufficiebat sua aduersus Christianos crudelitas, sed accedebat etiam immanitas Imperatoris Iubebat enim vt Christianis non obedientibus nihil cederent: sed sic punirent tanq̄ oculi illius vnà examinarent & spectarent tribunalis austeritatem, & in examinando curiositatem, & in puniendo nouam inuentionem atque vehementiam. dicens eum illi plurimum gratificaturum, qui pluribus suppliciis afficeret Christianos Sic incitatos emittebat Præfectos. verumenimuero seipsum quoq; eis ostendebat exēplàr archetypum ad inhumanitatem. Nam ipse quoq; erat primus, occidens, puniens. de medio tollens. expellens. quid non violētum agens & tyrannicum? imo verò sępe quoq; non vim meram afferens, sed eam etiam miscens persuasione: & ipsam porrigens tanq̄ escam. vt sic quoq; fieret sæuior, & haberet probabiliores puniendi occasiones, q; nollent pij parere verbis solis. Is cū sanctissimum Anthimum diu quęsitum non inuenisset, ipse ingressus ecclesiam tanq̄ fera aliqua varia & dolosa, cum exercituū & satellitum multitudine eam circundedisset, & deinde etiam lenitatis personam subiisset, vt alij quidem formidarent vim & multitudinem:

alij autem ad sibi vtilem intuentes benignitatem, abducerentur à persuasione. & cũ sic tanq̃ duobus fortibus vinculis, timore & persuasione pios colligasset, captiuos ducebat ad impietatem. Cũ hæc apud se cogitasset, ad populum talem habuit orationem.

Ego etiam aduersus gentes barbaras quæ meum iugum ferre recusant, & non parent Romanorum legibus, non statim moueo hastam: neque vtor iaculis: neque gladio eis cędem affero. sed bonos imitor medicos, mollibus primum verbis & benignis, perinde ac oleo, tumorem emolliẽs. Deinde postquam videro eos esse valde immedicabiles, vlcusq; eorum valde malignum & profundum, tunc vtor cauterio, & tam aspera & acerba sectione, vt neque ab initio me videatur aliquis humanior, neque post misericordiam & mansuetudinem violentior. Absit autem vt vos me vnquam sentiatis conturbatum & iratum. Sed accedentes libate magnis Diis: & rogate vt vos benignis intueãtur oculis. vt sic à nobis quoque consequamini honores magistratus & pecunias: & sitis inter meos primos amicos & familiares. Quemadmodum enim non est absurdum, Barbaros quidem qui sunt alterius linguæ, nostra tam ęquo animo ferre: vos vero in Romanorum legibus educatos, & in rebus Græcorum eruditos, & mihi subiectos, non in omnibus seruare obedientiam: sed in rebus præcipuis videri inobedientes: & bellum aperte suscipere contra vestrum Imperatorem: vt ideo excidatis ab Imperatoris beneuolentia, & larga munificentia? Recedite ergo, recedite ab hac falsa religione. Sin minus, pœna non procul aberit. Videte hanc ędem in qua confidistis. Eã igni mandans, vos quoq; simul perdam. & scietis omnino quantum sit malum à ratione aliena audacia & mentis peruicacia.

Cum dirus Maximianus sic immanitati coniunxisset humanitatem, & malorum minis & bonorum promissis variasset orationẽ, qui instar mellis dulcem habebat linguam sapiens Glycerius, qui erat re uera diuinus sacrificus & Sacerdos, & sua verba studebat sacrificare Christo cui sacrificabat, breuem & opportunam dans responsionem, & linguam vinxit Maximiano: & cor eius conturbauit & labefecit: & simul cum ira eius animum repleuit admiratione. Dixit enim. Neq; tua promissa & dona desideramus ò Imperator. neque tuas minas omnino curamus. Illa enim qũo appeteremus, aut qũo ea nostrum delinirent animum, qui quęcunq; sunt mundi habemus pro somniis? Malum autem quid iis minitetiis, qui pœnam potius existimant, non vel grauissima sustinere propter Christum? Quæ vero dicis, & de quibus gloriaris, de trophæis, inquam, aduersus gentes erectis, ea magis stabunt à nobis, & meis verbis suffragabuntur. Qñ.n. tu qui vicisti plurimos, mox conspectus es victus à fœminis & pueris, ab iis inquam, qui colunt religionem Christianam, quemadmodum non erit mei Christi virtus multo manifestior? Et præterea quis est adeò attonitus & stultus, vt sit oblitus tonitruum & fulminum quæ paulo ante fuerunt, & illius horrendæ Dei significationis, mortisq; violentæ, & eius quæ prope fuit submersionis & fructuum interitus: & ꝙ hæc tuis Diis, non autem vero potius Deo ascripseris, qui opportune ò Imperator infert iram aduersus eos qui illos honorant & colunt? Ne sic ergo bellum contra nos susceperis. Sunt nobis arma quoque desuper, quibus sicut hodie tui à te Satellites, ita nos à Rege munimur vniuersorum.

rum.per quæ & contra te in aciem prodibimus, & adipiſcemur victoriã valde admirabilem. Percuſsi enim interimemus. & cadentes, contra te tropheum erigemus.

Hæc audiit Imperator,& ſecantibus verbis in medio corde quodammodo ſauciatus,animi motum in præſentia celare habens in animo,& nihil amplius dicens aut faciens,è templo egreditur. Pius autem ille populus, Deo quidem gloriam, ſapienti vero Glycerio,pro ſe quiſq; tales voces edidit. Quã dulcia gutturi meo eloquia tua. ſupra mel ori meo? Non futurum autem erat vt Maximianus iram diu cohiberet. ſed apud ſe furore percitus, iubet Glycerium euntem ad eccleſiam, comprehendi manu militari: & correptum ad ſe adduci. Qui cum ad illius tribunas eſſet adductus, nihil interrogatum ad ſe adduci. Qui cum ad illius tribunal eſſet adductus,nihil interrogatum iuſsit verberari boum neruis tam vehementer,donec verberantes quidem,vires,illum autem qui cedebatur, vox deficeret.Præconi quoq; ei dum verberabatur,iuſsit dicere.Lingua parcius vtere ò Glyceri. Ne ſis arrogans,nec ſeditioſus, nec inſolens.In honore habe mores Romanorum.reuerere Imperatores.Sic quidem imperauit Maximianus.Sed neque torquens perſuaſit.neque hęc cantans eum affecit pudore.ſed cũ eſſet Martyr ſuperior & manibus lictorum & vocibus quæ ei incantabantur, quærebat ſuum Regem, & tota voce & viribus illius inuocabat auxilium. Domine Ieſu Chriſte,dicens. Qũo me vt pro te dicerem corroboraſti:ita etiam ò bone,da mihi vires vt pro te patiar. vt acceſsione eorum quæ ſunt triſtia, ſit mihi præmiorum maior remuneratio. Hoc tanq̃ ignis igni additum, Maximiano maiorem iram accendit. ipſe autem eos qui percutiebant eo vſque vt verberarent incitauit, donec corpus Martyris humi iaceret nihil differens ab inanimis, ſanguine quidem iam exinanito,pelle vero vento tumeſacta,& ipſa carne prius cõſumpta, & nudis ſolis oſsibus apparentibus. Quod quidem mouit miſericordia, non ſolum pius & humanos animos,ſed etiam animos infidelium.At nõ Maximianum,cuius animus erat lapide durior.

Sed poſtq̃ ſic affectum Glycerium, & à mortuo quidem nihil propè differentem,ſolam autem linguam mouentem vehementi ſpiritu,& dicẽtem, Sum Chriſtianus,ſeruus Chriſti qui ſolum eſt verus Deus. Vnus eſt mihi Dñs. Vnus Rex,non ferens ille loquendi libertatem,iubet eum quidem ſolui à vinculis,abductum vero extra ciuitatem,igne crematũ mortem ſubire.Ductus ergo generoſus ille ad locum conſtitutum,& ſtans ad orientem,partim quidem Chriſto egit gratias qui eum à multis liberarat periculis: partim autem pro ſe vehementer orauit & pro piis qui erant vbiq;. Deinde cum Chriſti ſignum ſuo adhibuiſſet corpori,fuit affixus ligno, ſacra victima, aries carens omni vitio, ei qui ligno propter nos fuit affixus. Igne autem ſubtus accenſo, Ieſu fuit oblatum holocauſtum & ſacrificium acceptabile, & diuina hoſtia aræ ſupernæ conueniens. Quid verò, hinc ne intellexit Maximianus pios eſſe immutabiles? Multum abeſt. Sed cum execrandæ eius hoſtiæ ducerentur ad templum duodecim Deorum quod erat intra regiam, aderant quidem impij,candidis & magnificis veſtibus celebrantes feſtum ſui interitus. Solus autem Indes atris indutus veſtibus,& cum hęc celebrarentur maximo dolore affectus,cum ſe in valde tenebroſa incluſiſſet domũcula, impiorum deflebat interitum.

Renunciantur hæc quoque Imperatori. & is statim ab ipso arripitur. & sistitur ab illo Iudice iudicandus. Cum autem etiam antequam loqueretur, ei renuntiaret vestis, ꝙ quæ fiebant, ab eo censebantur digna luctu & tristitia, iussit eius manibus & pedibus iniectis catenis & collo collari, eum seruari inclusum in carcere. Atq; Indem quidem habebat custodia. Maximianus vero Domnã quoque quærebat: & furore perinde ac ebrietate læsa ratione, & oblitus eorum quæ de ipsa audiuerat, dicebat assidue, Vbi est Domna? Vbi est Sacerdos Dianæ & Mineruæ? Rursus ergo ei dicunt de integro quæ videbantur accidisse virgini: & quæ fecerat Eunuchus, ita vt res se habebat, significant. Ille autem cum multa dixisset de Archieunucho, & valde ægretulisset ꝙ ei vita fuisset conseruata, iubet ei quidẽ caput amputari. virginem vero quæri in monasteriis, & Diis illius seruari. Hęc cum resciuisset ea quæ monasterio prẹerat in quo erat sancta, in primis virili suscepta cogitatione, virili tonsu & veste ornata virgine, & preces cum lachrymis ei præbens viæ custodes & duces, eam clam emittit ex sacro thalamo.

Sed sceleratus non cessabat quærere: & cum eam non inueniret, furebat communiter in omnia monasteria. Atq; sacra quidem omnia monasteria crudeliter diruebantur. Virgines vero turpiter probris afficiebãtur. Virgines, proh dolor, quas ne masculorũ quidem oculis videri erat vnquam tolerandum. atque ita per omnia peruadebat calamitas, quasi capta esset ciuitas ab hostibus. Quibuscunq; ergo earum erant corpora valentia, & neque senectus neque morbus aliquis tardabat earum pedes, ipsæ statim fugam spectabant. & ad montes & speluncas & ignotas solitudines celeriter abibant, malentes vitã degere cum feris, q̃ habitare cum hominibus feris longe immanioribus, & qui corpora virginitatem exercentia probro afficere inhonestum non esse existimant. Sed eo quod cogitaras frustratus es ò inimice omnium: & per quæ sperasti tyrannidem exercere, per ea ipsa fracta fuit tibi tyrannis. Non enim neglexit Deus qui natus est ex virgine, ipsas virgines vel in medio lictorum conseruare: & q̃uo fidem, ita etiam continentiam ipsas prodere non permittere. Inter eas autem tãquam inter claras & lucidas stellas, vna mirandum in modum resplendebat, instar lunæ, & pulchritudine & genere & virtute aliis præstans. Ea vero vocabatur Theophila. Hoc autem longe melius res ipsa ostendit.

Cum enim illa esset vultu adò formosa, traheretur autem à lictoribus, & iam ad probri ac contumeliæ officinam violenter introduceretur, manus 10 simul & oculos in cœlum tollens, & miserabiliter aspiciens, Mi Iesu, dixit, meus amor. mea lux. meus spiritus. meus custos castitatis & vitæ, vide eam quæ est tibi desponsa. Vide ò sponse in quem nulla cadit reprehensio, & festina. q̃m nec est quidem tempus precandi. ne pactũ conuentum fallam. ne prodas me bestiis. Ne lupi tuam pecudem dilanient. Serua sponse sponsam. meam conserua castitatem fons castitatis. Vt tuũ quoque nomen nunc maxime glorificetur, quod intelligenter glorificatur ab Angelis. Hæc illa quidem orauit cum lachrymis. effecta autem Deus reddidit. Sed est adhibẽdus animus narrationi. Introducitur virgo in prostibulum. Illa vero etiam in tali loco & tempore, non est oblita eorum quæ oportuit: sed protinus eiiciens id quod habebat in sinu, id autem erat sacrosanctum Euangelium, aperuit, & dabat operam lectioni. Vnus vero

10 *Vide orationem cum manuum & oculorũ in cœlum extẽsione, & cum lachrymis, illiusq; exauditionem.*

ex intemperantibus, æstro insano percitus, ad eam ingreditur. qui aliquantisper quidem eam audiit legentem. Cum autem iam propè esset, à maximo metu inuaditur, & tremore valde agitatur, & humi procumbit mortuus & sic iacebat ad pedes Theophilæ, non spirans. Multæ horæ præterierant. & cum aliis visum esset, quòd non exibat, eum non posse satiari virgine, vbi alius quoque ingreditur, ipse quoque iam propè stans, lucis quidem quæ verbis exprimi non potest fulgore illustratur. Deinde eum à luce tenebræ excipiunt. & obtutu orbatus, quærebat obiens, nō amplius virginem: sed quemadmodum citra offensionem exiret extra fores.

Cum multi quidem talia passi essent, & nonnulli etiam magis horribilia, nulli fuit amplius cordi ingredi. sed & si quis ingrediebatur, non ingrediebatur captus amore: sed solum volens scire ea quæ facta fuerant. Postquam autem ingressi sunt complures, vident ea quæ & ad videndū erant terribilia, & ad dicendum aliis maxime admirabilia. puellam quidem honeste sedentem & libro incumbentem. adolescentem autem quendam prope eam stātem, luce quidem ineffabili, pulchritudine vero incredibili, veluti quædam tela fulguris emittentem ex oculis. Hæc postquam viderunt, & metu diriguerunt, & vix tandem, Quis est sicut Christianorum Deus? exclamauerunt. & simul non ferentes spectaculum, recte secum agi putabant si fugerent. & celeritate maxima domo exibant. omnes quidem obliti libidinis. nōnulli autem etiam ipsa impietate abiurata. Sed neque hæc ignorauit Maximianus. sed cum resciuisset virginem quidem non posse capi ab iis qui ipsam seruabant militibus, quinetiam multos ex suis esse victos & didicisse Deum pie colere, Dei gratiam ascribebat incantationi: dicens Christianos vti artificiis ad vulgus decipiendum. Sed ille quidem hæc dicens seipsum potius decipiebat, & quicunque his nugis animum adhibebant.

Ille autem plenus lumine qui videbatur virgini assistere, cū eam domo eduxisset, suo lumine præcedens deducebat. Deinde cum etiam adduxisset vsque ad sacram ecclesiam, eam statuit in vestibulo. & cum Pax tibi dixisset, recessit. Eam autem inuasit & metus & gaudiū. Metus quidem, quòd ille eam reliquisset. Gaudium vero, quòd libidinosorum manus sic effugisset, nihil passa indecorum. Accedens ergo pulsat ostium populi iam congregati, & 11 nocturna de more Deo canentis. Cum autem ianuæ strepitum sensisset quidam Diaconus, & quænam esset resciuisset, renunciauit iis qui erant intra ecclesiam. Omnes itaque ad eam confluunt. Nam alioqui erat etiam illustri genere, sicut audiuimus. virtute autem multo illustrior. Cum eam ergo vidissent, & quos & quidnam volentes effugisset intellexissent, & quænam illa in eos fecisset miracula, quosnam quidem fontes lachrymarum non mouerunt: quasnam autem voces ad Deū non emiserunt, in principio quidem raptū virginis miserantes. in fine vero impios quidem miseros ducentes, illam verò quibusnam non persequuntur beatitudinibus? Illa autem seipsam quidem iacit humi, & aræ sacros tangit cancellos. Flet vero tam vehementer, vt eos etiam qui videbant, ad similem moueret affectionem & fluenta lachrymarum. fitque communis ad Deum gratiarum actio toto pectore. Sed ita quidem se habebant res virginis.

11 *Ecce quomodo nocturna de more canebant in Eccle. populi antiquitus.*

Improbo autem Maximiano oportebat improbos etiam esse mini-

ſtros, & ex eadem, vt aiunt, fidelia, Quicunq; ergo pie Deum colentes latebant Maximianum, ij illos non ſecus ac venatici canes inueſtigantes, ſignificabāt. Qui quidem etiam aduerſus Dorotheum, qui gloria quidem & ciuili dignitate erat inſignis, vt qui Præpoſitus vocaretur ab Italis, pietate autem erat inſignior. aduerſus eum ergo & Mardoniū & Mygdonium, & qui prius dictus eſt Indem, & quoſdam alios, fide quidem in Chriſtum acerrimos, Imperatoris autem honore claros, immittunt tela calumniæ. Hi. ſ. quorum dentes arma & ſagittæ. & lingua, vt dicam cum ſacra ſcriptura, gladius acutus, dicentes. Si ſeruos ò Imperator, & eos qui in tua regia habitant, & ſunt tibi ſubiecti, non potes ſubiugare. cur aliis conaris perſuadere, inutiliter laborans & fruſtra te crucians? Ii enim ęgre potuerint abduci à dogmate, illos videntes non ſuauiter irridentes, & tui tribunalis auſteritatem nihili faciētes. Vide enim quo vſque procedit eorum contemptus. Non ſolum ipſi contemnunt cōtraria ſentientes. ſed aliis quoque qui latent qui eadem quæ ipſi ſentiunt, & alimenta ſuppeditant, & ad certamina parant & inſtruūt. Quinetiam mittunt literas, ad eos qui procul diſtant, ſimul & eos confirmantes in ſententia, & exhortantes ad conſtantiam. Et alioqui quidquid aduerſus ipſos, & quam habent religionem, tua excogitauerit potentia, id ſtatim per illos ab ipſis deprehēditur.

His fuit ad iram accenſus Maximianus: & dicto citius iuſsit ſanctos ad ſe adduci. Et aderant quidem illi nihil timentes, neq; vllum formidinis veſtigium vultu præ ſe ferentes. Ille autem toruis ipſos oculis intuens, ò peſsime perdendi, inquit, ò omnium hominum ingratiſsimi. Cur tantam à nobis adepti claritatem, et ſoli propemodum ſceptris pręfecti imperatoriis, tam mali deprehenſi eſtis in benefactorem: qui pro multis noſtris in vos beneficiis qualem refertis gratiam, Ieſum quendā vobis & alis Regem aſcribere dictitantes: & nouæ huius religionis duces ſedulo celantes, & eis omni ſtudio prouidentes, eoſq; fouētes, quos funditus interire & ne nomen quidem eorum remanere, reputaui eſſe pulcherrimum & primum meorum trophæorum? An non hæc ſunt vera. & quæ factis magis arguuntur quam verbis? Illi autem tanq̃ latrantem canem ne tantillum quidem curantes, neque exiſtimantes eſſe tempus reſponſionis, ſteterunt ſilentes. Maximianus vero cum ſilentio magis eſſet eius irritatus animus. Non per Deos immortales, inquit, non vobis parcam. ſed cum oē genus ſupplicij vobis intulero, & carnes cōſumpſero, & oſſa contriuero, & igne combuſſero, relinquā inſepultos à canibus & auibus comedendos: & vos ipſos puniens pro meritis, & aliis metum incutiens ne talia aggrediantur.

Nec hæc quidem ſanctis timorem attulerunt. ſed ſtatim & ſolutis zonis & chlamydibus exutis, ſtabāt parati ad curſum martyrij, vno ore & animo ſe eſſe Chriſtianos & Chriſti ſeruos audacter nominantes. Deinde etiam Maximiano. Nobis ò Tyranne, dixerunt, honores tui, & vanæ hę dignitates ne tantillum quidem nobis vnquam curæ fuerunt. Quid enim opus fuerit tali honore, qui à Deo diſiungens, eſt redacturus in ſeruitutem Dæmonum. Sunt enim talia veſtra impiorum dona, quæ fugientes, tantū abeſt vt perſequentes, non ſolum iis tibi cedimus, ſed etiam ipſo corpore & vita. Cum ij ita eſſent parati & tales eſſent eorum ſpiritus, iuſsit Maximianus vt extenſis ſimul manibus & pedibus, crudelibus boū neruis fortiter verberarentur. Et ſtatim ſex vnūquēq; circūſiſtentes lictores, ma-

gna

gna parte diei eos perpetuo verberabant, nulla ſcelerati moti communis naturæ miſericordia, idq́ꝫ cum viderent terram eorum ſanguine effectam purpuream. Martyres autem hęc quidem ferebant fortiter, ne vocem quidem emittentes. internis vero animi motibus, glorificabant eum propter quem hæc ſuſtinebant. Flagella excipiebat carcer, cum eſſent eorum colla vincta collaribus, manus autem catenis, & pedes cõpedibus. Maximianus vero tanquam torrens qui fertur per ſegetes, per omnes deinceps pios peruadebat. Et ad hæc quidem iubebantur inſeruire Præſides ac præfecti, qui erant impietate eximij. Quicunqꝫ autem eius parebant imperio, qui Chriſtum eſſe Deum confitebantur, tortoribus ſimul tradebantur, & variis tormentis laniabantur miſerabiliter. Et ſic quidem quotidie ei qui ſeipſum pro nobis ſacrificauit, rationalia offerebantur ſacrificia, pie martyrio effecta holocauſtum.

Oportebat autem feſtorum 12 maximũ Chriſti natalem, ei qui naſcebatur copioſiora offerre ſacrificia. Nã ortus quidem Chriſti dies feſtus agebatur: quidquid autem eſt pium congregabatur ad glorificationem. Prophani vero Maximiani profani miniſtri accendentes, Qm̃, inquiunt, ô Imperator hodie feſtorum quæ norunt maximũ celebrant Chriſtiani, vt qui hodie Deũ ſuum natum eſſe fabulentur, & celeberrimo totius populi concurſu ad feſtum conueniunt, age ne ex media ſagena nos præda effugiat. Sed militibus quidem præoccupentur templi aditus. ſtet autem àra ante portas: accedentes vero Præcones iubeant quidem omnes è templo egredi & nihil cunctantes arę ſacrificare. Si autem non pareant, quid ſit deinceps agẽdum ſtatuere, tui eſt imperij & iudicij. Quòd ſi hoc quoque nobis permittis dicere, igne templum circuncirca comprehendentes milites, protinus perdant eos qui non obtemperant. Et ſic illos quidem de medio tolles, qui in rebus præcipuis perniciem afferũt tuis populis: te autem liberabis à cura quæ tuum animum premit non mediocriter. ſicut nos non ignoramus. Nondum finem acceperat oratio: excipiens autem Maximianus, Iuro, inquit, maximos Deos me hęc iamdiu verſaſſe in animo. Neſcio vero qui factum ſit vt ea quæ cogitaram nondum ſim executus. Sed vobis magnas ò Dij ago gratias, ꝙ effeceritis vt his quoque opportune veniret in mentem quod eſſet cõducibile. & ſimul iubet vt primi ex protectoribus cum magna manu militum eccleſiam circundediſſent, ſarmentis, & quacũqꝫ alia materia quæ facile accenditur, in orbem congeſta & appoſita, ad templi portam aram ſtatuerẽt: Deinde vt Præcones clara voce proclamarent vt omnes exirent, & ad aram accederẽt ſacrificaturi. Quòd ſi non parerent, portis ſtatim optime clauſis, & omni alio eis obſtructo exitu, ignem accenderent. Vt ſic omnes vnà cum ipſo templo perirent, & vt digni ſunt ab igne conſumerentur. Et hæc quidẽ Imperator.

12 Dies natalis Domini feſtorum maximus.

Nuncius autem ſtatim mittitur ad eccleſiã, vt diceret quæ iuſſus fuerat ab Imperatore. In medium itaqꝫ accedens, & magna voce clamãs, ò homines, Maximianus, inquit, orbis terræ Dominus, me ad vos miſſo, alterius ex duobus dat vobis optionem: Vt aut Diis ſacrificetis: adeſt enim ara parata: aut ſi nõ parcatis, omnes ſimul pereatis. præſto eſt enim ignis. Quod ergo vultis quam primum eligite. Ceſſauit ille cum hæc dixiſſet. Eccleſiæ aũt Archidiaconus, cum ei eſſet cor accenſum igne diuinę gratię, ſtans ad cornu altaris, ò vos, inquit, mei fratres, & inter vos inuicem vna-

nimes, Nescitis quemadmodũ quæ á tribus pueris facta sunt, paulo antè persequẽtes, dici nõ potest quantum eorum admirabamur virtutem, & eorum in pietate stupebamus fortitudinem & quemadmodum non tanq̃ stantes in medio ignis, sed in molli aliqua herba choros ducentes, ipsi & hymnum canebãt, & omnem creatam naturam ad vniuersorum Deum laudandum vocabant. Hos nos non solum iudicabamus beatos: sed eorũ quoque coronarum cupiebamus esse socij. Q̃m ergo & nunc nos vocat tempus, & sunt mores Imperatorum similes: Nam & si nominibus disserũt, at crudelitate & impietate maxime cõueniunt, efficiamur nos quoque pietate similes iis qui tunc decertarunt. Q̃uo enim non esset absurdũ, illos quidem cum essent pueri, & nec plures tribus, & alioqui cum nullũ adhuc accepissent exemplum animi magnitudinis intuenda pietate, tam præclare decertasse: Nos vero qui & multitudine sumus propè innumerabiles, & multi quibus nihil deest ad perfectã ætatem, & quibus est etiã tanta exemplorum copia, Videri vitæ cupidos & ignauo abiectoq; esse animo: & non oblatam occasionem tanquã lucrum arripere: & hanc quæ est ad tempus vitam despicere pro Deo qui nos fecit, & suam animã dedit pro nobis ad mortem: testimonium autẽ firmæ & infractæ nostræ fidei, nostram præbere mortem? Hęc autem dico etiamsi nulla esset pro his remuneratio. Cum vero sint valde paruæ huius temporis passiones, si conferantur cum iis quæ sunt illic remunerationibus: & vita quidem expers molestiæ & æterna pro hac breui & laboriosa: gloria autem nunq; cessans pro infida & quæ facile excidit: & diuitiæ quæ surripi nequeunt, & voluptas quæ nunquam transit ad molestiam, nos adhuc in pręsentibus manere concupiscemus, & non potius, cum ad eam quæ est illic gloriam, pro Christo subeundo mortem, inuenerimus perueniendi occasionem, quamprimum transibimus? Et quidnam aliud facientes, ab iis qui sapiunt iudicabimur digni qui lugeamur? Mementote, imo vero aspicite ad aram. Verus enim noster Dominus fuit pro nobis sacrificatus. Non nos quoq; pro eo in loco sancto animas profundemus, & veluti quoddam sacrificiũ eas illi igni offeremus in holocaustum?

Cum sic dixisset, omnes incitauit, & effecit vt moriendi vehementi tenerentur desiderio. Simul itaq; cum illo beatam illam vocem exclamauerunt, Christiani sumus Christiani. & Deos tuos ò Imperator, non colemus. Hæc Maximiano quidem annunciabantur: ille autem cum ne finem quidem expectasset orationis, iussit in eos ignem accendi, & eos vna cum templo exuri. vt nullus eorum nec misericordiam consecutus, neque latens posset effugere. Pij vero cum omnes cõgregassent simul Catechumenos, viros & mulieres, & pueros, eosq; in quatuor diuisissent, vtpote q; tempus postularet celeritatem, eos diuino baptismo perficiunt, & chrismate 13 vnguunt, & eos intemeratis impertiunt sacris. Protinus autem aderant ministri quoq; Imperatoris, & ignem accẽdebant. illeq; omni ex parte tollebatur in altum. & cũ totam comprehendisset ecclesiam, in vnũ ascendebat verticem, omnia tam quę erãt extra eam quę intra depascens. Fremens itaq; malum ingruebat grauissimum: illi aũt intus magna voce ad Deum clamabant: & canebant canticum puerorũ, oẽm creatam naturam vocantes ad choreã. neq; prius cessarunt glorificare, q̃ oblata essent accepta sacrificia, castæ hostiæ agno qui fuit pro mundo mactatus.

13 *Nota antiquũ Eccle. ritum, cum adulti baptizabantur, sacro chrismate inungebantur, & tradebantur illis sanctissima Eucharistia.*

Quinque dies transierant, & ignis depascebat materiam. Cum vero flamma iam cessasset, nullus quidem teter odor sentiebatur, nec ex corporibus, nec ex fumo: spirabat autem potius quidam suauis & mire fragrãs odor. Apparebat vero quidam radius, auri rutilantis speciem prę se ferens, varium quendam edens & valde gratum splendorem. quõ Sol lucet qui modo apparet in oriente. Maximianus autem existimans se iam omnes vicisse & relaxatum esse à curis certaminis, theatris pascebat oculos, & equorum. s. & hominum curriculis. Illud vero nõ erat vincere, sed potius victum esset. idq́ magis induxit pios vt libere loquerentur. Ostendet autem quæ consequuntur. Ante theatrum quidem erat ędificatum maximũ fanum Cereris quę erat apud eos Dea maxima. Accedens autem ille cum vniuerso populo & exercitu, execranda peragebat sacrificia. Quidã vero ex numero militari, Zeno nomine, zelo plenus aduersus impios, non ferẽs sic pietatem affici contumelia, stans in alto. Erras, inquit, ò Imperator, insensilibus sacrificans lapidibus & mutis lignis. hoc enim est quod apparet. id autem quod est re uera & intelligitur, est fraus Dæmonũ quæ suos cultores abducit ad interitum. Intellige ò Maximiane: & hos oculos & internos in cœlum tollens, quære ex iis quæ videntur creatorem. qualis sit opifex disce ex operibus. & disce Deum pie colere, qui nõ sanguine & nidore rationis expertium animantium, sed mundis hominum delectatur animis & mundo corde.

Hæc cũ audiisset Maximianus, iubet pondere lapidum eius maxillas confringi. & simul clamabant, lictoribus quidem vt fortiter percuterent. sancto autem, ne Deos maledictis appeteret. Sic ergo patienti sancto oẽs quidem dentes sunt immaniter excussi. maxillæ vero sunt contritæ. & iã parum spirantem & mox moriturum iubet abduci extra ciuitatem, & amputari caput quod libere erat locutum. Et sic Zeno generosissimus cũ magna celeritate peregisset beatum stadium martyrij, truncatur capite, & sursum fertur ad Christum caput omnium. Sacer quoque chorus qui erat circa Dorotheum, qui à tam bono instituebatur Magistro, diuino, inquã, Anthimo, non sic erat habiturus capita incoronata. sed hæc quoq́ superne dispensabãtur ac prouidebantur à diuina gratia. Et à sacrosancto quidem Anthimo ad eos mittebantur litteræ, ipso quidem in quodam vico delitescente, illos autem aperte decertantes, ad suscipienda strenue certamina, precibus adiuuante. Hoc postquam euasit manifestum scelerati Imperatoris satellitibus, & ipsas litteras & eum cui erant datæ adducunt ad Imperatorem. Ille autem cum eum vidisset, & legisset quæ scripta erant: scripta vero erant vt est verisimile, quæ ille quidem nolebat, pulchra autem erant & salutaria, ira æstuans, iussit eos quamprimum adduci. Illi ergo statim sunt adducti.

Imperator autem Vana ne, inquit, fuit mea coniectura, cum prædicerẽ vos à me defecisse? Imo verò execrandi, iam etiam aduersus me insurrexistis: ad alium autem cum quo nos acre bellum gerimus transfugistis. Et simul dat eis legendam epistolam. Iussit vero eum quoque qui adductus erat introduci. Quem cum vidissent Martyres, valde lætati sunt animo. eumq́ & si procul starent, vultu & nutu salutarunt. Maximianus autẽ fastum quendam & spiritum suscipiens principis, & immaniter eum intuens, Dic mihi, inquit, infelix. Quis est qui hæc tibi tradidit, & vbinam

latet terrarum? Diaconus vero cum magna voce tacite ad Deum prius clamasset, & petiisset vt conuenienter verissimæ promissioni, daretur sibi oris apertio. Qui literas, inquit, dedit, cum sit Pastor & procul absit, gregẽ cohortatur & incitat ad pietatem: & maxime cum senserit incursionẽ luporum & ferarũ. Tunc enim alta & clara voce suo gregi imperat & quę sint facienda significat. Quæ autem dicit, non sunt sua, sed ea accepit à primo pastore, qui dicit, Nolite timere eos qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Atque dixi quidem quisnã dederit literas: Vbinam autem sit non dicam. Aperta enim fuerit insania, Pastoris esse proditorem, eum qui ex illo maximam accepit vtilitatem. qui etiam absque nobis mox fiet manifestus. Non posse enim abscondi ciuitatem supra montem positam, vox diuina dixit & veri amatrix.

Hęc cum fortissime dixisset lingua sancta, non ferens Maximianus dicendi libertatem, vt ipsa amputetur eum condemnat. Deinde sic iubet eũ obrui lapidibus. Et ille quidem post sacræ linguæ oblationem sic obrutus lapidibus, tela quidẽ nihil curabat. sed corpore quidem iam partim attrito iaculationibus, partim autem obruto lapidibus, adhuc magis erigebatur & in cœlos extollebatur anima, Christe angulari lapidi cõiungenda. Adhuc vehementer irascebatur Maximianus. Quocirca Dorotheum cum suis multiplicia excepere supplicia. Illis vero minime perpetua defuit cõstantia, Christum inuocantibus, & tormẽta & leuia & imbecilla minime curantibus, vel potius reputantibus illa pro delitiis, & Tyranno impietatem acerbius exprobrantibus. Quamobrem ille iam defessus, communiter quidem omnes morte condemnat. diuersas autem pronuntiat sententias. Dorotheo quidem ense caput amputari. Mardonium autem viuum cremari. & Mygdonium in fossam proiectum obrui; Gorgonium vero & Indem & Petrum, molaribus lapidibus eorum collis alligatis, in mare iaci. Et ita sunt consummatis victoriis insignes Christi Martyres vario genere mortis, vna via ingressi ad Dñm. Hæc cum casta resciuisset Domna, partim quidem lætabatur animo, & maxime propter Indum qui erat vnius cum ipsa animi & spiritus. Partim autem ad imitationẽ quoque incitabatur, & eadem quæ ipsi euenerant cupiebat certamina & prǽmia. Vnde nec despexit Dñs suam sponsam, quę vestem quidem habebat mũdam à nuptiis, sic autem eam etiam lachrymis quotidie dealbabat, quod non eam sanguine martyrĳ redderet purpuream, & totã sponsam efficeret dignam eius pulchritudine. & si pręsens eius vita nihil abesset à dignitate martyrĳ, vt quæ tam & diuturnitate exercitationis & aspera viuendi ratione eam premeret. cũ ipsa & in antro lateret subterraneo, eoque eiusmodi vt terrestre dici posset sepulchrum: & 14 potus eius esset fons qui in eo erat: & cibus similiter herbæ quæ erant in margine speluncæ.

14 *Vide durissimum abstinentiæ genus, potus illi erat aqua, herbæ cibus.*

Cũ ea sic se gereret in exercitatione, tunc descendit de monte. & veniens in ciuitatem adhuc in veste virili (ea enim ipsam indutã Agape eius mater secundum spiritum, suffurata est ab illis impudicis & intemperãtibus manibus) beatam hanc quærebat Agapem. Postquam autem intellexit eam quoque cursum confecisse martyrĳ, effectam holocaustum Domino cum multis aliis virginibus in templo quod fuerat exustum magnũ animo dolorem accipit, non ægreferens & mortua esset Agape, sed potius quod nõ cum ipsa Agape esset mortua, & paris fuisset mortis socia. stansque ad

templum

templum exustum, fletu miscebat cinerem. Die vero iam diuina gratia eã vocante ad viam martyrij, illuminata & ad id omni ex parte ducta, descendit ad mare. Ecce autem piscatores in littore stantes iã parantes retia, & habentes remos paratos. Quam cum illi tunc vidissent veste virili sic indutam, non ex eo quod erat, sed ex eo potius quod videbatur eam vocarunt. Veni, dicentes, adolescens nobis opem laturus, vt te etiam prædæ faciamus participem. Illa autem alacri animo eis obtemperauit. Ingressa vero, Piscatorum statim conturbauit oculos & animos, cum viderẽt eam videri quidem virum: mores autem & virginalem pulchritudinem, & pudorem in eius oculis insidere. Verumenimuero cum ad piscandũ retia demisissent, cum magno labore ea à terra auellerũt, perinde acsi magnum aliquod pondus in eis sentirent. Iam verò cum prope littus venissent, noctu vident luna depellente caliginem, & comprehensam piscium multitudinem, & corpora mortua in ventre retis.

Atque illi quidẽ visione conturbati, cum præ dolore & metu corpora excussissent, & in terra deposuissent, retibus collectis contendebant transmittere in regionem quæ erat ex aduerso, volentes in naui secum vehere virginem. Cum autem non persuaderent, dato ei pro mercede pane & piscibus, abierunt. Illa vero cum Indę & illius sociorum & mortem & genus mortis, vt prius diximus, iam accepisset, accessit quidem ad corpora: diligenter autem ea considerauit & versauit: & deinde etiam singula accurate didicit. Postquam vero figuræ & totius corporis signa illos esse sanctos aperte significabant, ea manibus accipiens, & eis labra magno admouens desiderio, ardenter amplectebatur, tota eius anima simul quoque amplectẽte. Cũ hæc faceret, videt nauem iam ferri ad ipsum littus, velo iam demisso, & solis remis sensim ad terram appellere. Accedens itaq; virgo, cũ nautas vt decebat appellasset, ostendit etiam pisces. Nauclerus autem eam illos vendere existimans, statim rogauit quanti venderet. Illa vero dixit se eos dare gratis. Cũ autem ille quidem non credens, rursus meminisset pretij, illa vero staret tacens, & manum porrigeret quæ videbatur velle gratificari, Per ipsum Christum, inquit Nauclerus, quanti vendis? Tunc ex iureiurando intelligens generosa virgo eum esse pium, nihil voluit eum celare. sed cum eum foras euocasset ad littus, ostẽdit ei corpora sanctorum, & adhibuit eum in societatem pulcherrimi ministerij, aperiens quorumnam esset, & narrans quemadmodum pro Christo mortui essent martyres.

Nauclerus autem cũ hæc audiisset, nouas sindonas & vestes 15 candidas vnguentaq; & suffitus è naui statim attulit: & in eis deponendis laborauit. Domna vero cũ iis quas habebat aquis mundis, & lachrymis prius lauasset corpora, & cum Nauclero honorifice & cum omni reuerentia ea composuisset, & ea deinde communiter portassent ad murum ciuitatis, qui est proximus torrenti, ad portam ciuitatis, vbi etiam Dorotheus cum suis finem vitæ acceperat, illic ea infossa posuerunt. Atq; Nauclerus quidem virginem, vt qui iudicasset eam esse fratrem eiusdem cuius ipse in Christo sententiæ, eam enim adhuc virum esse putabat, rogauit vt secum esset & toto vitæ tempore nunquam ab eo discederet. Illa vero non admisit. sed eum quidem rogauit vt ceptum iter persequeretur. se aũt dixit mansuram qm̃, inquit, propè est vitæ finis. Quare nec meum corpus

15 *Ecce quomodo etiam olim tumulabantur sanctorum corpora. Cum uestibus candidis, cum unguẽtis & suffitibus, cum aquæ mũdæ lotione, demum cum honore & omni reuerentia.*

ab his corporibus, nec animam omnino decet ab his animis seiungi. Cum
16 illic ergo remansisset, indiuulsa adherebat reliquiis, 16 aromatibus & suffitibus eis honorem exhibens, Nauclero satis pecuniæ suppeditante ad ea comparanda.

Vide quomodo sanctos martyres sancta honorabat.

Fieri autem non poterat vt eos qui erant in tenebris lateret opus lucis: neque martyrij quo Domna tenebatur desiderium videretur imperfectũ. Quamobrem deferuntur hæc ad Maximianum qui cum intellexisset quod illa sanctorum tanto amore capta esset, magnum edens cachinnum, qui multo risu vel plurimis potius lachrymis erat dignus, par est, inquit, vt ea quoque parem illis mortem subeat, & sic reipsa discat, quod hominibus nihil post mortem amplius habentibus illa frustra tantos honores exhibet. Dixit, & statim misit qui eum interficerent. Quam cum etiam comprehendissent in illo loco orantem, caput ense amputant, idque igni tradunt. Ei paulopóst adiungitur sapiens quoque Euthymius, qui doctrinis & monitis multos prius Christo martyres obtulerat. Nam propter illius magnũ zelum ad pietatem valde vexatus Maximianus, iraque & furore animo plenus, multis quidem tormentis eum prius conatur omnino abducere á confessione. Cum autem ille puniens esset defessus, ense mortem affert Athletæ. Licet vero in manus sumendo eius historiam omnia ad verbum percurrere.

His veluti quibusdam astris Nicomedia magnũ iucundumque & gra-
17 tum 17 emitit splendorem. & maius ex eis ornamentum accipit quam ex auro & gemmis & ex margaritarum nitoribus ac splendoribus. qui sunt quidem numero viginti millia. sunt autem in choro martyrum multitudine & pulchritudine insignes. Quorum peragitur memoria vno die post
18 Christi natalem, ante 18 festum infantium, vt qui quõ illi ense, ita etiam ipsi igne Deo qui carnem induit sunt oblati. Quibus etiam accessit admirabilis Glycerius, & sacrosanctus Zeno & Theophilus. præterea autem cum Mardonio Dorotheus, & beati Indes & Petrus simul cum Mygdonio, & tres virgines, Agape, inquam, & Theophila & Domna quæ erat longe pulcherrima & maxime veneranda. Ad gloriam Christi veri Dei nostri. Quem decet omnis gloria honor & adoratio, nunc & in secula seculorum. Amen.

Nota ex sanctorum memoriis ciuitates ornari & illustrari.

Vide festum sanctorum Innocẽtum post natalem Domini.

VITA ET MARTYRIVM
sanctorum & mirabilium operum effectorum Abbatis Cyri & Ioannis.

Ianua. 31.

CYRVS ille clara stella Martyrum, ex clarissima quoque fuit ciuitate Alexandria quæ sita est in Ægypto. quam fama est ędificasset Macedonem, & eam suo impertiisse nomine. Erat autem Cyrus religione quidem fidelis á parentibus, vita vero laudabilis, arte autem medicus. cuius officina in hodiernum vsque diem nota est omnibus, sed mutato nomine, vt quæ iam Dei templum, & ędes sanctorum trium puerorum appelletur. simul vero quodãmodo commutata etiam operatione, aut effecta potius diuiniore: & pro illa priore morborum liberatione, quæ prębebat

ars medicina, laboresq́ʒ, & artis medicamenta, modo ois generis & quæ sua sponte fiunt scatens miraculis. Quemadmodum autem hanc acceperit mutationem, ab alto petita declarabit oratio.

Apollinaris, non vehemens ille veritatis & rectorum dogmatum inimicus, qui etiam in Laodicenam sedem magnum effudit dedecus: sed ille potius ardens amator veritatis, & defensor piorum dogmatum. tanto illo gloria & moribus excellentior, quanta erat in eodē nomine conuenientia. cui cum Dei sententia commissa fuisset sedes Alexandrina, vt vult vera quæ de ea iactatur fama, ꝙ diuino iudicio, & cuiusdā viri qui futura prævidebat prædictione, eius fidei Sacerdotalis esset sedes credita. Hic ergo Apollinaris cum iam peruenisset ad Pontificatum, alebat etiam quēdam suæ sororis filium, diligenter admodum & ex virtute. vt qūo eum habebat genere propinquum: ita multo magis eum redderet vita coniunctum. Cum vero is ad virilem peruenisset ætatem & ad florem iuuentutis, non vt multi iuuenes, se dedit & permisit naturę appetitionibus laxatis frenis omnibus: neque clam noctuq́ʒ egrediendo voluit non honestas suffurari voluptates. sed potius volēs nihil ei eiusmodi accidere, ad patruum suum & Pontificem libere & ingenue accedens, petiit legitimæ vxoris coniugium. Vir autem ille vere diuinus cum ne auditione quidē quod dicebat accipere sustinuisset, apud eum multis verbis est vsus, turbas matrimonij reuocans in memoriam. & tentans eum ab illa abducere sententia. Postq̄ vero vidit eum valde instare, & de constantia ne tantillū quidem remittere, valde pulchre hoc excogitat. dicēs se cupere excitare templum tribus sanctis pueris. 1 cuius quidē ædificationis oportet, te inquit, in pręsentia curam gerere. & cuius studio teneris id tibi succedet ex sententia. Audiit ille, & lubenter admodum suscepit quod iussus fuerat. calorem cupiditatis bona spe refrigerans & recreans.

1 *Si ædificare sanctis tēpla non esset opus pium & Deo placēs, sanctus Eps hoc non fecisset.*

Erat autem illic quidam locus qui vocabatur Doryzim. Quo quidē in loco cum visum esset excitare ædem, ipse toto studio instabat operi. & illud quidem statim ad gerocomium, hoc verò deputabatur ad atrium. atrium autem intercipiebat hāc quæ vulgo celebratur officinam. Quam quidem cum in templum mutassent, à nomine solum, vt iam prius diximus, non autem à re etiam recesserunt. nisi quod eam effecerunt veriorem cuiusuis hominum morbi medendi officinam. Sed ea quidem hoc modo est transmutata. & ex Medici officina templum est cōstitutum. vere quidem gratuita & nullam accipiens mercedem Medici officina. velox morborum liberatio. curatio quæ nullam habet dilationem. sed eorum qui laborant præueniens petitiones. Nobis autem sunt etiam ea quæ deinceps consequuntur addenda. Neque sunt pulchro priuandæ miraculo aures quę vtiles sitiunt orationes. etiamsi ab instituto satis longa videbitur digressio, additio narrationis.

Nam cum adolescens toto studio in ædificando fuisset occupatus, in tēplum quidem officina breui fuit mutata, Nosocomium autem & gerocomium ab eo constructa sunt, & omnia non longi temporis spatio ab eo sunt perfecta. Deinde accersiit Apollinaris virum quendam qui gregi præerat, & erat virtute insignis. Cui cum dedisset litteras, emittit eum ad tres sanctos pueros Babylonem. Litteris autem supplicabatur vt aliquę ex illis sacris reliquiis mitterentur ad templum quod erat Alexandriæ, ꝙ

ipse multis sumptibus & multis laboribus construxerat. Talis erat enim in eos amor Apollinaris cum ardenti & viua fide, vt tot iam ante annis
2 consummatos, tanquam adhuc 2 viuos, epistolam esse sensuros, & suis eum esse membris imperturos crederet. Cum ergo ille magnus & rerum vere magnarum minister, hanc viam confecisset, & Babylonem peruenisset, & ante sacras illas stetisset reliquias, & manu indicasset litteras, & plurimū rogasset vt litteras acciperent, & Pontificem iis quæ petebat impertirēt: qui erat eorum medius, tanquam à somno excitatus. O' diuinam prouidentiam. O' stupendam narrationem, cum manum sensim porrexisset, & epistolam accepisset rursus nihil adiiciens decubuit.

Vide hæretice qui dicis sanctos esse emortuos, non ita credidit hic sanctissimus Præsul.

Litterarum itaque tabellarius, miraculum quidem admiratus, quod nihil autem esset consecutus eorum propter quę venerat animo cruciatus, cum tota hebdomada in tēplo permanēs & precatus nihil profecisset, reuersus est animo anxius, & pro reliquiis ferens Apollinari lachrymas. Ille autē cum ne sic quidem despondisset animum, nec curam abiecisset instituti quod habebat in manibus. eiusmodi enim res est desiderium. Non solet spem abiicere non eorum solum quæ sunt difficilia, sed nec eorum quidem quæ nō possunt omnino fieri, Abi, inquit, rursus, o' vir optime: & vehemētius à sanctis pete meo nomine. & si eos quidem aliqua subeat miseratio, nostris placati precibus præbeant aliqua ex iis quę petimus. Sin minus: accepta epistola reuerteris. & mihi erit ea res pro reliquiis. nam nec illa qui-
3 dem erit expers 3 sanctificationis. vt quæ recte sit accepta, & iam lōgo tempore sacra membra contigerit. His quoque paret magna vir ille obedientia. Oportebat enim, vt arbitror, tali seruire desiderio talem parendi alacritatem. Et cum rursus venisset Babylonē & ad sanctos accessisset, vehementer rogabat. supplicabat. obsecrabat. lachrymis magis quam verbis implens supplicationem. ne has secundas preces Patriarchę contemnerēt. neque secundos suos itineris labores despicerēt. sed quod ille eis templum ædificauit ad honorem, hoc suis membris vicissim glorificarent. Hęc precatus quidem est, sed nihil profecit.

Ecce quomodo etiam res exteræ ex contactu mēbrorum sanctorum sanctificationem acquirunt.

Quocirca cum spem abiecisset reliquiarum (Sed est diligenter attendendum. audietis enim rem quidem ad audiendum iucundissimam, & ad admiratione afficiendum animum diuinissimam) Cum ille spem diuinarum abiecisset reliquiarum, studebat ipsam saltem recipere epistolam, vt ei iussum fuerat, ei qui erat fide ardenti impleturam locum reliquiarum. Cum sic itaque manū manui admonuisset, suam manui Martyris, & epistolam accepisset, illam quidem traxit ad se. eam autem secuta quoque est pulchra manus Martyris. Quam cū sic vidisset diuisam à toto corpore, desiderantibus simul & venerantibus amplexus manibus, in pretioso thesauro reponens quę sunt pretiosissima, lubēs peruenit Alexandriam, Quāobrem quis vel Patriarchæ voluptatem & lætitiam, vel rursus populi festiuam celebritatem potuerit ostendere? Quàm sapienter autem se gesserit in præstando promisso suæ sororis filio, audire est operæ pretium. Nā cum sequenti die totum qui ei suberat clerum conuocasset, manum quidem illam, & cum ipsa epistolam quæ ab ea tenebatur, sacrosancte simul & præclare deponit. & cum alia in templo splendide & magnifice peregisset. idque de more Christianorum consecrasset, adducto deinde sororis filio & Sacerdote ordinato, loco alterius coniugis ei despondet ecclesiam,

ei dicens.

ei dicens. En tibi vxor. Sed eius vt par est curam gere. Hoc dictum sic affecit adolescentem, & eius sic tetigit animum, & dimouit cupiditatem, vt maiore virginitatis fuerit deinceps captus amore, quam ante matrimonij. Sed de his quidem satis.

Nobis autem rursus Cyri & eorum quæ ad Cyrum pertinent faciēda est mentio. quem quidem proposuimus argumentum pręsentis orationis. Hic ergo cum in arte medicina aliorum fuisset excellentissimus, nihilo secius erat etiā vita hominibus vtilissimus arte quidem corpora, moribus autem curans animas. vel potius per artem persuadens vt morum curam gereret. & docens morbum animæ esse morbo corporis longe difficiliorē. quod huius quoque ille sæpe causa sit. Domino omnium & medico studente per morbum corporis vt nos animæ vitium deponamamus. quod quidē est morborum re uera lōge periculosissimum & curatu difficillimum. Ad ægrotos enim ingrediens Cyrus, nō Galeni & Hippocratis & similium omnino meminerat. is enim secundo loco eorum habebat rationem. sed a nostro fonte sumens. Propheticaque & Apostolica atque etiam paterna eis multa dicta accinens. & deinde etiam gratiam adiiciens, efficiebat vt sani essent non solum corporibus sed animis. & parua rogātibus & ea dabat, & in iis multo maioribus, quæ quidem sunt Dei agnitio. vitij purgatio. salus animæ, eis gratificabatur: multos quidem ex piis adhuc stabiliores efficiens ad veritatem. multos autem etiam ex infidelibus ab errore liberans gentilium. Is vero tūc erat frequens, & multos atque adeo plures inuaserat, tunc sceptrū tenente Diocletiano, qui non magis erat insignis diademate quam nimia superstitione. Nam in hoc quidē multos inuenies quibus ipsum assimilaueris. in illo autem omnino paucos.

Cum vero nec fieri posset vt malignum hæc laterent, neque si non latuissent ferre erat facile, res enim quæ difficiliter contineri potest & impudens est vitium, hæc per ipsum significantur Pręsidi ciuitatis, qui magno quoque incitabatur furore in Christianos. qui comprehensum quoque Cyrum statim iubet duci. Ille autem cum iussum cognouisset, recedit a ciuitate, & venit in Arabiam quæ est in finibus Ægypti. Nemo autem eum condemnet imbecillitatis, neque pusilli & abiecti animi. Nō enim aspiciens ad crudelitatem Præsidis. neque propter Christum afferēda tormenta reformidans. neque vlla motus animi mollitia exiit e ciuitate. Sed partim quidem implens præceptum Domini. Quando enim, inquit, persecuti vos fuerint in hanc ciuitatem, fugite in aliam. partim vero etiam per otium volens seipsum cōsiderare, & cor suum acuere. & deinde aggredi ad pericula pro Christo suscipienda. forte autem diuina quoque prouidentia eum vocante in Arabiam propter infideles, quos illic erat ad Christum adducturus, & fideles rursus effecturus cōstantiores. Cum ille ergo sic & propter hæc venisset in Arabiam, statim mutat habitum vitæ formam & studiū. & cum caput cute tenus 4 totōdisset, amictu induitur monastico. & ad viuendi rationem extollitur sublimiorem. Deinde etiam mutat modum curationis. Non amplius enim medicus Cyrus dicebatur aut erat, nisi quod solum faciebat potius miracula. non medicamentorum, non herbarū omnino vtens auxiliis, sed prece sola & doctrina. hac quidē aduersus animas quæ male se habebant: illa vero aduersus corpora.

4 Vides quod qui etiā olim monachus fiebat tondebatur, & nouum habitum induebat?

Cum ergo eius fama totam peruasisset Arabiam, & iam ad Ioannis

quocȝ aures virtutes illius peruenissent. Ioannem, inquam, illum qui genus trahebat ex patria Edesa: moribus autem erat vere ciuis cœlestis. erat vero militari insignis auctoritate. Cum hæc ergo fama ad illum quoque peruenisset, & alioqui cum Diocletianus intentasset persecutionem, præclarus hic miles mutato ordine, & humano relicto exercitu, egregie relatus est in numerum Christi militum. & maluit se fortiter gerere aduersus eius hostes, q̃ aduersus eos qui sunt hostili animo in homines. Quamobrē statim abiectis omnibus, opibus, diuitiis, gloria, auctoritate, venit Hierosolyma. Deinde etiam proficiscitur in Ægyptum. amore Cyri eum trahente citra laborem, & toto pede eius gressum accelerante ad eum qui est eiusdem fidei. vt qui vnà cum illo philosophari & vna exerceri constituisset. Qui cum ad eum accessisset & vnà cum eo habitasset, fuissetq́ pulchrorum illius certaminum & miraculorum spectator: erat nouacula cotem nacta. & deinceps ad eum aspiciebat. & virtutis eius vestigia dilig̃ēter sequebatur. nō vt qui longe ab eo abesset vt discipulus, sed qui eius similitudinem accurate assequeretur. Cum autem persecutio spirasset, vt diximus, vehementius, tres quidem numero virgines cum matre comprehenduntur, quæ res sectabantur Christianorum. ducuntur vero in ciuitatē Canopum, cum Cassianus execrandum eorum qui Dij nō sunt exerceret Sacerdotium. Syrianus autem ciuitatis haberet administrationem. Hæc autem non virginibus & matri solis, sed etiam ipsi quoque Cyro & Ioāni. fuerunt veluti prooemia & principia martyrij. & iā incipiebat eis contexi corona. Veritus enim Cyrus virginū teneritudinem, ne aspera reformidaret supplicia, quandoquidem erant ætate admodum iuuenili. Theoctiste enim quæ erat trium ætate natu maxima decimumquintum annū nondum attigerat. Theodota autem quæ eam sequebatur agebat annum quartūdecimū. Eudoxia vero oīum minima agebat annum vndecimū.

His ergo de causis timore affectus Cyrus causa virginum. quandoquidem hæc ætas, & maxime inter mulieres, non solū facile vinci potest metu suppliciorum, sed etiam blanditiis nullo negotio corrūpitur, existimauit esse necessarium descenderet ad ciuitatem, & eis, quo ad eius fieri posset, adderet animum ad certamen. Nam nec erat quidem extra suspitionem de earum matre Athanasia. partim quidem cum eam sciret esse mulierem. partim autem matrem quocȝ filiarum tam teneræ etatis, quæ scit matris oblectare oculos: & ne ipsæ graue aliquid patiantur, efficiet quod nolint aliquid quod non vult mater. Hæc Cyrum metu replebant, dubitantem ne mater quoque frangeretur iuuentute filiarum. ne eius paterentur viscera: & victa à natura, eis miserabile aliquid, quo se cedere significaret, eis diceret, aut etiam annueret. Hæc ergo, vt diximus, dubitantem Cyrum inducunt in ciuitatem. Eum autem egregius quocȝ sequebatur Ioannes. Fiunt vero illi eis aliptæ ad certamina, & pulchrum exemplar martyrij. quod quidem erat non illas adducere ad martyrium, sed suam ipsorum confessionem manifestam efficere. vel potius vtrunque per se inuicem. vt & ipsi propter virgines libere suam ostenderent pietatem: & illas per se Christo offerrent hostias.

Cum itaque rursus suæ improbitatis non negligentes ministros inuenisset inimicus, eis persuadet Præsidi dicere de Martyribus. q.s. sint quidam ignoti, vnus quidem monastico, alter verò militari induti amictu,

qui efficiunt vt modo comprehensæ virgines Deos quidem nostros despiciant: totisq; viribus abiurent & execrentur eorum religionem: Cæsarisq; iussa contemnant: Iesum autem quendam solum laudent, & ei quæcūq; Deo tribuant: & ad ostendendam suam in eum beneuolentiam, mortem parui faciant. Syrianus igitur cum hæc non leuiter tulisset: sed viros præclaros in suum conspectum produxisset. Vos, inquit, infelices & hostes Deorum beatorum. Vos qui virginibus quidem conamini persuadere, Christianorum autem res studetis augere: Cæsarem vero omnibus modis afficere contumelia. Sed etsi non prius, nunc quidem certe ab hac vana deficientes religione, precibus & sacrificiis Deos placate maximos. Hoc enim non efficiet solum vt sitis liberi à suppliciis, sed etiam vt digni videamini honoribus. Sin minus: mox quidem scietis Syrianum: scietis autem Imperatorem quoq; Diocletianum, quinetiam Deos ipsos. aduersus quos hæc stolide audetis, quam gratiam suis referant cultoribus, etiāsi sint mites & benigni.

Adhæc Cyrus & Ioannes. Nos dixerunt, ò præses, de multis pauca dicere consueuimus. Scias ergo nos nec esse infantes honores admissuros: neque Christianismum, quicquid factum fuerit, prodituros. Hæc cum audiisset Syrianus, & vehementi cordis ira esset commotus: & dētes instar apri exacuisset. Oportebat, inquit, vos in hoc saltem vti benignitate Iudicis, q; moti pœnitentia eorum quæ prius statuissetis, si vlla esset sapientia, minas euitassetis. Qm̄ autem vniuersum, vt video, est fastus & arrogantia & inanis iactantia, non prolixis verbis amplius erit opus. sed iam ad ipsam veniemus experientiam. Sic enim ipsi & quæ desideratis præmia omnino consequemini: & vt quæ iussit Imperator faciatis vel inuiti persuadebimini. Hæc cum dixisset, & produxisset virgines in cōspectum Martyrum vt viderent quæ fiebant, inferebat Athletis omne genus tormentorum. flagellis cędebat. clauis conterebat. lampadibus vstulabat, & cum quæ vsta fuerunt membra aceto & sale madefecisset, Deinde pānis ex pilis confectis iubebat abstergere: & bulliente pice pedes inūgebat. Nihil denique non faciebat ex iis quæ possent corpus aliquo modo punire, simul quidem & eorum vlciscens constantiam, & virginum spiritus prius labefactare moliens.

Cum autem eos qui videbant videretur potius castigare q̄ Martyres: Illi enim vel ex solo patiebantur spectaculo propter insignia supplicia: his vero omnia erant iucunda propter spem remunerationis: ipsos quidē relaxat à tormentis. iussit autem virgines torqueri vnà cum matre. Postquam autem faciens periculū maiori pudore afficiebatur, vt qui nec mulieres quidem posset solum vincere: cernebantur enim sexu solum Christi martyres fuisse præstare, non minus vero esse animis q̄ sint ipsi, masculis, eosq; ad vnguē planè esse imitatæ. Postq; ergo hæc vidit Iudex impius, eas morte condemnat: & earum quæ vita dignæ erant, sicut etiam factum est, capita amputari pronunciat. Atq; cum virgines quidem vnà cum matre manus lictorum accepisset, morti quæ ense infertur tradiderunt, nihil muliebre aut ignauum ostendentes in cęde, sed reddentes id qđ acceperant, & eis effectas exemplar fortitudinis, quos ipsę prius pulchrū acceperant archetypum ad virtutem magni animi. Cyrum autem & Ioannem Iudex rursus vocauit ad luctam. quibus quid non fecit impius,

volens eos ad suam traducere sententiam? Prolixa vtebatur oratione, se eorum curam gerere præ se ferens. minabatur grauissima parere nolentibus. proferebat dona. subiiciebat tormentis. alia inferebat maiora, non solum supplicia, sed etiam munera. vt qui existimaret contempta fuisse priora propter egregiam magni animi virtutem, aut præclarum & magnificum desiderium. Cũ vero omnia faciens nihil proficeret, in eos quoque fert sententiam. Cyro, dicens, Antistiti Galilæorum, & Ioanni qui est ei in religione similis, qui non cesserunt iussui Imperatoris, & sacrificia maximis Diis non obtulerunt, pronunciamus amputari capita conuenienter legi Imperatorum.

Hanc cum sententiam tulisset Syrianus, ij statim humana quidem manu accipiunt amputationem. immortali autem eam quæ è cœlo datur coronam tricesimoprimo mensis Iañ. Reliquias autem pij minime neglexerunt, reueriti difficultatem temporis. sed maximo studio eis statim manus admouentes eas pie & sancte sustulerunt. & cum composuissent, singulas in templo Marci Apost. 5 honorifice deponunt. nisi quod eis sunt capsæ diuersæ. Alteri enim virginum & matris reliquiæ: alteri verò Cyri & Ioanni rursus mandantur. Procedente aũt postea tempore cum Gentilibus quidem esset dissoluta tyrannis, Theodosius vero regni sceptrum accepisset, pieque religionis amicis Christianis piæ præesset, eę & mouentur & transferuntur. Quomodo autem, non erit piis ad dicendum iniucunda narratio.

5 Sanctorum corpora sancte & honorifice sepeliuntur.

Cum Theodosius, vt diximus, paulo antè suscepisset imperium, maximum & difficillimum bellum mouetur ab occidente. Cum enim repẽte multæ gentes simul coiissent, & fœdus inter se iniissent, minabãtur in Romanorum regionem grauem irruptionem. Veritus ergo tunc magnus inter Imperatores hic Theodosius, neque ad colligendas aspexit pecunias: neque magnam aliquam manum inuocauit ad auxilium. sed ille in omnibus semper pendebat à manu illa superna. Sic ergo tunc quoque fecit. & id faciens spe nequaquam est frustratus. Cũ enim intellexisset quod in Scete (est hæc autem solitudo in Ægypto quidem Sita, sic vero nominata) philosophatur vir quidam genere quidem ipse quoque Ægyptius, maximorum autem effector miraculorum, scribit protinus ad Theophilum Alexandriæ Epm, iubens vt efficiat vt vir ille admirabilis quãprimum veniat Constantinopolim. Eis autem litteris quoque continebatur quid eius aduentu opus esset. Ille vero iis acceptis statim ad eum venit. & datis litteris, preces Imperatoris, & vsum qui vrgebat significat. Deinde etiam ipse quoque ex se facit quæ potest, vehementer rogat, orat supplicat ne preces despiciat Imperatoris. neque suos vilipendat labores. sed veniat ad ciuitatem, & bellum quod in eam paratur suis auertat precibus. & à tanto periculo & metu eam liberet. vtpote quod in eius potestate situm sit vt ciuitas vel salua sit vel intereat.

Admirabilis autem ille Senuphius, hoc enim nomine vir vocabatur, primum quidem, vt est consentaneum, ne rogaret prohibuit. non ad mensuram eius quam habebat gratiæ, sed ad mensuram potius eius qua erat diues humilitatis aspiciens. Magna est, inquit, mea in ciuitatem beneuolentia, & ipsam valde saluam esse cupio. sed non voluntatem quoque vires consequuntur ex ea quę est ad Deum fiducia. Quinetiam rogauit ipsum Alexandriæ

xandriæ Epm ne de eo talia sentiret, neque eum putaret vulgo antecellere. Cum eum autem ipse omnino non dimitteret, nec sciret deinceps magnus quidnam faceret Senuphius, discessum quidem suum pulchre differt. dat autem sic quoque auxilium. idque facit admirabilius. Nam & statim stetit ad Orientem. & cum superhumerale & baculum in cœlum sustulisset. Domine Deus, inquit, Deus exercituum, Da huic meo superhumerali & huic baculo vt tantum possit, quantum ego ipse si illic adessem. Hæc cũ Deo dixisset, quæ habebat in manibus dat statim Pontifici. Hęc accipe, dicens. & mitte statim ad Imperatorem. Ille autem superhumerale quidem imponat capiti. baculũ vero manu ferat. Deinde qñ opus fuerit manus cõserere cum inimicis, præcedat oẽs alios & audacter procedat aduersus inimicos. Nã si ego quidem possim à Deo exaudiri, existimo fore vt ipse sit illis terribilis, & sine sanguine gloriosam referat victoriam.

Hæc cum ad Imperatorem lubenter essent allata, ille quidem munit caput superhumerali, quauis galea tutius. baculo autem munit dexteram lancea longe validius. & hac ratione confidẽs fore vt videretur hostibus terribilior, quam olim, vt aiunt, clare Hercules, iam accedentibus hostibus, ipse primus præcedit, ducens totum exercitum. Propter Senuphij autem ad Deum orationem nulla erat dilatio, sed res statim finem accipiebat. Simul ac enim eum viderunt barbari, eum admirati tanq̃ vnum ex cœlestibus, ad fugam statim spectabant: & pedum virtutem laudabant. Fugiebant vero non aliquo certo ordine, vt qui non essent omnino obliti virium. sed vt qui essent emotæ mẽtis & perterriti. alius alio dispersi. terga volentibus facilia. expedita venatio. secura persecutio & libera ab omni periculo ipsi potius propter fugam quæ erat sine vllo certo ordine, plagas & vulnera, atque adeò mortem sibi inuicem conciliantes. adeò vt Imperator non solum sine sanguine sed etiam sine labore hanc victoriam retulerit. Festum ille nominauit hunc diem. & nunc quoque post tantum tempus magnifice celebratur ab Alexandrinis. nominaturque ab eis Iconium. Ab eis enim Imperatoris facta est quædam statua eo quo tunc modo armata. & capite quidem induta superhumerali. dextera aũt tenens baculũ.

εἰκόνειον. ab imagine qui εἰκων dr̃ dies festus.

Cum vero gentiles nondum effloruissent, is qui Alexandrinæ præerat ecclesiæ, destruxit quidem omnes cultus Dæmonum. sacris autem ędibus ornauit ciuitatem 6 imaginibusque & donariis. Canopique extruxit templum Apostolis magnitudine insigne & pulchritudine. quod non minus quam decem stadia abest à ciuitate. Est autem ipsis quoque gentilibus locus insignis & non parui nominis. Id vero licet coniicere & ex via quæ fert ad ipsum, vt quæ tota constrata est tabulis & recte concinnatis lapidibus, & suburbiorum & balneorum ornata est multitudine. quæ quidem fama est adhuc viginti quatuor nostris mansisse temporibus. habet autem & forum, & abundat copia rerum vęnalium. Ab hac enim ciuitate, Canopo, inquam, distat quidam vicus spatio duorum stadiorum, nomine Menuthe. Hic autem vicus erat Dęmonum habitatio, & versabantur in eo maligni spiritus. Theophilus vero hic, Præsul, vt prius diximus, Alexandrinus, cum voluisset reddere locum purum à Dæmonibus, Christique Euãgelistarum & Apostolorum characteribus 7 & figuris, vt ad eum conseruandum idoneis, occupare, id quod statuerat non perduxit ad effectum. Interim enim mors adueniens, quæ est hominibus res inexo-

6 *Nota, ornauit ciuitatẽ sacris ædibus, imaginibusq; & donariis.*

7 *Et hic habes Euangelistarum & Apostolorum characteres & figuras.*

rabilis, abducit eum à vita præsenti. Deinde autem Cyrillo quoque qui post ipsum sedi succesit, non parum erat curæ liberare locum à Dæmonum iniuria.

Cum vero de ea re sepe Deum rogasset, Angelus ei apparēs in visione,
8 iubet vt magni illius Cyri & Marci Euāgelistæ reliquiæ 8 in hoc vico reponerentur. Sic enim fore vt à Dæmonum nocumento liberetur. Cur autem non Ioannis quoq; dixerit, satis quidem ostensum est à Cyrillo. est autem omnibus quoq; per se manifestum, quod nomine Cyri omnino Ioannis quoq; nomen simul ostenditur. Sicut enim mores sunt eis communes, & quæ propter Christum facta est confessio & consummatio: ita etiam simplex est omnino vocatio & citra vllum discrimen. Hinc in Manuthe martyricæ eorum reliquiæ vicesimo & octauo mensis Iulij præclare simul & sacrosancte transferuntur. vico 9 custodia. Dæmonum
9 fuga. à morbis liberatio. & nunc locus est Deo consecratus, illiusq; Martyribus & administris. Gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi quem decet omnis gloria, honor & adoratio. Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

8 Aduerte tu qui sanctorum detrahis reliquiis quod diuina uisione admonitus pōtifex sanctorum reliquiis allatis, locum à dæmonum iniuria liberat.

9 Sanctorum reliquiæ sunt uici custodia, Dæmonum fuga, à morbis liberatio.

VITA SANCTÆ MELANÆ ROMANAE.

Ianua. 31.

FVIT ergo hoc quoque earum quę olim fuerunt ciuitatum maximæ & clarissimæ Romæ, non solum efferri pulchritudine, neque situ vincere, neq; trophæis & aliis oībus gloriari, sed multo magis sibi placere & se magnifacere propter eos qui pro Christo se fortiter gesserunt, tam viros quam mulieres. & has magis quod non secus ac viri fortiter decertarunt, & se vitæ exemplum ad virtutem aliis cōstituerunt. Ex quibus vna fuit beata Melana, quam sibi nunc argumentum proposuit oratio: & aggressa est res illius dicere ab initio. Eam enim tulit celeberrima & clarissima Roma. Fuit autē eius quoque genus clarissimum. erant enim eius parentes primi senatus Romanorum. Orta est autem bona ex bonis. Nam erant illi quoque pij & virtutum amatores.

Cum ergo iam esset nubilis, desiderium continentiæ, vicit eius quæ ex ætate erat appetitionem: & rogauit parentes ne vnquam eam iungerent matrimonio: sed sicut ei vt esset, ita etiam vt virgo maneret, concederent. Illi autem cum propter hanc solam, huius vitæ agitarentur fluctibus, ei parantes diuitias, & sperātes se successorem generis ex ea habituros, quartumdecimum annum iam agentem vel inuitam collocant in matrimonio. Erat vero eius sponsus, & genere, & ætate & aliis omnibus cum Melana conferendus. natus quidē ex Consulibus, & modo excedens ex Ephebis. Sponsi autem nomen erat Apenianus, agens annum circiter decimū septimū. Eis autem sic celebratis nuptiis, admirabilis Melana etiam post nuptias, adhuc vehementius amabat continentiam: & amor castitatis nō intermittebat eam acrius vrere. multis vero verbis maritum suū ad hoc

exhortabatur. & cum verba non sufficerent, ei quoque ad persuasionem opem ferebant lachrymæ hæc dicenti. Si quidem ò marite carissime, eadẽ tibi quoque videntur, & ambo habitabimus conuenienter legi continentiæ, beati nos erimus propter nuptias, & ambo per nos inuicem salui erimus, & erimus alter alteri viæ pulcherrimæ occasio. Sin autem iuuentus & ætas propensio ad voluptates non permittit vt hoc feras: at tu me sinas, & ne ceptum meum & institutum prohibeas, mei autem corporis & meæ libertatis merces erunt omnes possessiones: omnes famuli, & vestes, & domus: & quæcunque alia sunt in meis facultatibus. His omnibus tibi cedo, dummodo me ipsam redimã. Ille vero neque vniuersum cõcedens, neque eius totam auersans voluptatem, Nunc quidem ò vxor, inquit, nõ possunt hæc fieri. Postquam autem generis & facultatum habuerimus successorẽ, nec ego bono tuo instituto deero. Graue enim esset si in diuino desiderio vir fœminæ cedere conspicerer. Sed tunc ambo hanc viam eligentes, non secus ac in matrimonio, ita in vita ex Deo agenda inter nos conspirabimus.

Acquiescunt ambo ei quod dictum fuerat. Procedente autem tempore, nascitur eis puella. Ea cum primum lucem aspexit, castitatis Soli fuit consecrata, Melana offerente primitias Domino qui ipsam dederat. vt sic vel consuetudinem habẽs matrimonij, videretur plurimum tribuere virginitati. Deinceps vero seipsam contrahens, moderate & temperãter viuebat. Non vestem gestabat splendidam. non corpus suum fouebat lauacris. & si quando à marito aut à parentibus cogeretur, ibat quidem ad balneum, Cum autem vultum solum lauacris abluisset, vt eorum qui iubebãt voluntati satisfaceret, non sinebat reliquum corpus calidis foueri. Vt vero deinceps lateret, emebat auro ancillis persuasis. Cum autem multa etiam fecisset vt viro persuaderet vt esset eiusdem instituti, vbi non vidit eum obtemperare, sed cupere etiam fieri parentem aliorum liberorum, de fuga cogitat, & statuit ipsum maritum & patrem quinetiam suas quoque facultates relinquere. Sed cum quidam viri boni & virtutis amantes sentientes id 1 prohiberent, dicentes illud Apostolicum, Quid enim scis mulier an virum tuum saluum facies? mansit quidẽ, ægreferens eam qua tenebatur necessitatem. Cilicium 2 autem intra sumptuosam & splendidam vestem, tanquam præludium exercitationis, perpetuo ferebat, quando cum marito non habebat consuetudinem. Cum vero omnium falleret oculos, suam amitam latere non potuit. Sed ipsa quidem cum cognouisset, eam increpabat, & indumentum irridebat. Ea verò nihil ægreferens ipsorũ asperitatem, hoc grauius ferebat quod non posset omnes latere. Quocirca multis lachrymis & precibus vt res taceatur impetrat.

Erat autem ei maxime in votis à mundo abrumpi & vt vult Deus philosophari. Vnde etiam cum vterum ferret & ei secundo iã partus appeteret, celebrabatur quidem 3 festum gloriosi martyris Laurentij. illa vero pernoctabat 4 insomnis, genu flectens, psalmos canens, dolores & naturam superare contendens. Desierat matutinum. illa autem non cessabat à precibus. Sed sic quoque seipsam intẽdens, dolores sentiebat grauiores. & violenter quidem, parit tamen. Atque quod natum quidem fuerat erat masculinum. simulatque autem natum & sancto baptismo fuit regeneratum, ab hoc mundo discedens, ad eum qui illic est trãsmittitur. Illam

1 *Bene suaserũt hi boni uiri uxorẽ à uiro non discedere, non. n. licet alteri cõiugum castitatem profiteri, altero inuito.*

2 *Cilicio plures sancti usi sunt ad mortificationem carnis.*

3 *Celebrabatur festũ gloriosi marty. Laurentij.*

4 *Vide hic nocturnas uigilias. genuflexiones & psalmodiam.*

vero etiam post partum vexabant dolores. & acerbus cruciatus mortem accelerabat. Astans autem maritus cum asperam & grauem vidisset perpessionem, cõturbatus propè emisit animam. Cum se autem collegisset ac recreasset, currit ad aram, & eam in orbem ambiens, lachrymas profundebat ex oculis, voces emittebat miserabiles, & vt q̃ citissimum à superis adueniret inuocabat auxilium. Illa vero arbitrata hoc esse illud tempus quod finem imponet eius desiderio, viro qui adhuc assidebat in tẽplo per nuncium significat, & ipsum & se adhuc esse victuram, si detur iusiurandum, & pacta conuenta ineantur, vtrosq; de cætero victuros esse in continentia, & non quam mundus, sed quam vult Deus vitam esse perpetuo acturos. Paret vir 5 vxoris verbis & volũtati. & respondet id sibi esse persuasum. Quod quidem cum illa resciuisset, corpore quidẽ se habet melius, animo autem protinus euadit lætior. seu morbo locum dante lætitiæ: seu etiam manu superna eius adiuuante scopum & institutum.

5 Vide susceptum fuisse castitatis uotum de consensu utriusq; coniugis ℓ

Cum ergo nacta esset tempus & occasionem, deposuit quidem alium ornatum corporis, tenuiter & simpliciter viuere constituens, & totam se conuertens ad internum ornatum animæ. Interim autem pulchrum quoque eius germen virginitatis. quæ Deo fuerat consecrata filia, migrans ex hac vita, vadit ad Deum suum amatorem. Eius mors meliorem mentem dat viro vt idem quod ipsa sentiat, & efficit vt eadẽ via ingrediatur qua Melana. Cum ambo ergo se subiunxissent iugo vitæ ex Deo ducendæ, id prompto & alacri animo trahebant, inter se virtute decertantes. Atq; illis quidem curæ erat ab vniuerso mundo omnino separari, & se Deo dedicare: & cum vita & habitu monasticam elegissent institutionem, parentes autem non permitterent, illi meditabantur se fuga subducere. sed hoc quidem tunc manus prohibet superna. diuina autem lætitia eis timorem excutit. Dũ de his enim consultarent, sequente nocte suauis quidam odor & plane cœlestis, & qui neque verbis exprimi, neque mente cogitari potest, ad eos venit à superis, qui admirabilem quẽdam voluptatis spiritum eis attulit, & qui tristitia afficiebatur & contrahebatur, animũ protinus diffudit ad lætitiam. Cum tali gratia impleti fuissent eorum animi, manebãt sic omnia vitæ suæ frena Deo permittentes, vt ducerentur quo & quomodo vellet. Cum ille ergo paulopòst annuisset, eis quidem è viuis excedit Melanæ pater. Illi autem cũ amotus esset is qui prohibebat, quãdo Deo visum est & tempus vocabat, statim quidem exeunt è magna ciuitate, vrbanam multitudinem & tumultus valere iubentes. Eos vero excipiunt suburbana commoda ad philosophandum, & apta ad quietem. Eis autem, quando hanc Angelicam inceperunt vitæ formam, ætas erat, Apeniano quidem viginti quatuor annorum: Melanię autem viginti, quo tempore vel maxima solet rabie agitari adolescentia.

Illa vero & omni vtens cautione, se valde gerebat philosophice: & in his erat marito nõ iniucunda adiutrix. Quinetiam si videbat iuuenem ab accurata & perfecta vitæ forma declinantem, eum sapienter corrigebat & ad pietatem dirigebat. Nam illi quidem nihil tantæ erat curæ quãtæ nihil ea curare quæ ad corpus pertinebant: imo verò & cibo & veste & omni ratione flammam iuuentutis extinguere, Cum illum autem videret amictus ornatum & vestium pulchritudinem adhuc amplecti, non cessabat partim quidem admonere, partim vero scite quoq; & apte irridere, donec

effecit

effecit vt in his se gereret philosophice. Et alioqui cõiugi dux erat Melana ad pietatem, cum Eua, quod ad illum attinebat, pugnãs ex diametro. Eos enim qui ægrotabant adire & inuisere & curationem adhibere, & peregrinantes hospites mensa accipere, & viatico eos donare, à Melana docebatur maritus. Quæ quidem ambo similiter faciebant, & obibant vt cõmunes seruatores & benefactores, custodias, loca relegatis constituta carceres & ergastula. eos quidem qui propter inopiam detinebantur soluentes. qui autem propter aliquam aliam retinebantur calamitatem, eos & reipsa & verbis consolantes. Via autem procedentes, reliquas quoque facultates vendere incipiunt. alios quidem ex pauperibus facientes diuites: sibi vero nihil aliud conseruantes ꝙ nihil habere, & solũ sperare in Dñm.

Qui autem benefactis semper insidiatur, & aduersus quẽlibet qui boni aliquid facit bellum suscipit ab initio, non sinebat quiescere. sed graue quidem aduersus eos machinam Apeniani fratrem admouet Seuerum. per quem existimabat sese solidæ eorum mentis turrim esse labefactaturum. Apenianum autem fuisse Melanæ maritũ superius declarauit oratio. Hic ergo Seuerus improba mente ementiebatur naturam: & cum esset frater, factis erat inimicus. Cũ enim Apenianus vnà cum Melana ad vitam ex Deo agendam esset traductus, Seuerus insano Dæmonis instinctu inspiratus, aggressus est fratrem molestia afficere, agros auellens: fructus abripiens: omnibus modis insultans & vim afferens. Postquam vero eos vidit omnia malle amittere ꝙ præceptum Domini despicere, quo cauetur oportere eum ferre qui acceperit iniuriam, tũc ille vi maiore eos aggrediebatur. Nam cum ex Apeniani seruis improbissimos dolose subornasset & corrupisset, alios quidẽ promissis, alios verò pecuniis, iis persuadet vt contra fratrem suum insurgant: & ab eo quidem deficiant: non solum autem seipsos, sed eos quoque agros in quibus habitabant, Seueri esse dicerent & eos eius nominarent. Sed stolidus plane aggressus est inania. Nam illi quidem & si talia paterẽtur ab eo à quo quis minimè expectasset, ea quidem toleranter & sedate ferebant, imo verò gaudebant potius. Non enim eis leue videbatur cum Iob contendere rebus aduersis & calamitatibus. Generosos autem illos hoc solum male habebat, ꝙ cum auferrentur opes, parum flueret fluentum beneficentiæ, diuitiis non secus atq; aliquo fluento alio deriuatis.

Non hęc autẽ ita gerebantur vt in primis pia Imperatrix Verina non hæc acceperit auditione. sed ad eam quidem diu ante peruenerat fama eorum philosophiæ, ducebatq; operæ pretium illos & videre & audire dicentes. & multis precibus accersebat Melanã. Tunc autem tempore quoque dante occasionẽ, illam magno studio vocauit. illa verò iuit. Sed quæ extiterunt ante eorum congressionem, satius est pauca ex iis audire. Erat quidem hæc lex apud Romanos, vt nullus vir nec mulier ad Imperatorẽ aut Imperatricem operto capite accederet. Ea verò legem nihil curans, velata accessit. non Tyrannorum mores, sed Pauli legem maxime dicens oportere conseruare. qui non sinit mulieres nudo capite incedere. Sed neq; vestem voluit mutare, neque pannos exuere. & si multi suaderent vt faceret. Illa verò eis dicebat. Meis me vestibus indui: qũo eas exuã? Vnde etiam cum ingrederetur in regiam, ne aspexit quidem ad aliquid ex iis quę apud alios habebantur in admiratione. ne obtutu quidem ea digna iudi-

cans. Procedenti autem ei simul cum Apeniano, statim assurrexit Imperatrix, & allocuta est, & vt proxime assideret est dignata Eam enim obstupefecit vestitus, & admodum rudis & simplex habitus. & eos conuocans qui erant in sua potestate, Melanam cōiter admirabatur. O' qualem, dicens, nunc rem intueor. Te iampridem quidem diuinam audiui esse mulierem nunc autem etiam video. & simul surgens è throno aureo, eam suspexit & amplexa est: & sæpe dixit. Beata es tu quæ iure consecuta es in Domino beatitudinem.

Postq̃ autem pollicita est se de Seuero iure pœnas esse sumpturam, ꝓpter iniurias quibus eos affecerat, At nobis, inquit Melana, melius est iniuriam pati q̃ facere iniuram. Eos enim quibus impinguntur alapæ non solum pati, sed etiam aliam obuertere maxillam, lex est diuina. Atque tu quidem multa bona à Deo consequēris propter hoc bonum tuum propositum. Nobis vero sufficiet si dānum hucusq; sistatur, & non plura adiiciat. Nam nostra quidem causa huius nullam duceremus rationem, nisi q; ea quæ sunt hospitibus & egētibus attributa & destinata eripit. Propter hæc ergo Imperatrix eos magis admirata, propter hos ipsos pepercit Seuero. ipsis autem vt sicut volebant oēs citra impedimentum venderēt facultates, per fratrem præbet & Imperatorem, qui Romana sceptra tunc administrabat. Hi autem erant Domini multorum in multis locis prædiorum, non solum prope vrbem, sed etiam multorum aliorum in Italia, & non paucorum quoq; in Sicilia, plurimorum vero in Hispania & Britania, Quæ etiam propter studium Imperatoris, prompte emebant omnes, statim sine intermissione pretium exoluētes. Hi itaq; egregij magnifice etiam admirabantur Imperatoris. & Melana voluit sororem Imperatoris quibusdam honestis donare muneribus. sed illa eorum aliquid accipere dicebat esse instar sacrilegij. Sunt enim re uera sacra & Christo dedicata. Cū sic dixisset, beatam Melanam à se cum magno dimisit comitatu, multis insignibus Eunuchis cum præpositis eam præcedentibus. Sicq; exierunt Melana & eius maritus è regia in admiratione habiti & honorifice deducti.

Cū hi autem præclari cepissent sua vt volebant dispensare, non longo abhinc tempore magnas illas suas pecunias in pauperes exhauserunt. Neque enim vllus alius excepto Imperatore de diuitiis cum eis contēdisset. tam magna vis pecuniæ & prope incredibilis, ex agris eorum quotannis redibat, auri vt aiunt duodecim millia. Illi autem hoc vniuersum distribuebant pauperibus atq; illos ipsos agros postea vendiderunt. Hoc vero est argumentum eorum diuitiarum. eorum enim domum quæ erat ad eo splendida & magnifica, nullus Romanorum potuit iusto pretio emere. igne autem postea à barbaris exustam, cū multum de pretio remisissent, eam quoq; similiter vendiderunt, maius quiddam q̃ Iob, vt mihi quidē videtur, hac in re facientes. Nam ei quidem paupertas fuit inuoluntaria.
6 hi autem lubentes 6 ex ditissimis effecti sunt pauperrimi. Et eius quidē vxor non magno & forti animo ferebat quod contigerat. Melana aūt, non solum quod ad se attinebat, id lubenter faciebat: sed etiam maritum faciebat participem sui scopi & instituti. Est autem satis euidēs supernam dexteram eis opem tulisse: quę & stantes custodiebat: & si qñ fuissent supplantati, ipsa eos protinus erigebat & firmabat. Ipsa eos sæpe cum in so-

Ecce paupertatē voluntariam, quæ volentibus ad perfectionem tendere, à domino est præcepta.

mnis prolaberentur sustollebat, & eos efficiebat cautiores in posterum. Aliquando autem sibi visi sunt ambo simul in principio quidem ambulare per viam admodum angustam & fossis interceptam. quæ ita eos affligebat vt viderentur sibi esse contriti & confracti. Postq̃ vero eã cum magna afflictione ac perpessione confecissent, tunc eos excepit relaxatio liberumq́ue & latum spatium, & voluptas ineffabilis & valde admirabilis. Sic Deus efficiebat vt ij aperte de futuris certam conciperent fiduciã, & q̃ paruos labores magna bona essent consecutura.

Sed neque erat negligens communis inimicus, qui, vt est in prouerbio, mouebat omnem rudentem. sed sicut est mos illius, omnibus quidem modis aggrediebatur: semper autem victus recedebat. Collecta aliqñ fuerat ab illis iussis vis auri maxima, & humi erat effusa. domus autẽ tota auro non secus atque igne collucebat. erat vero hoc aurum subuenturum multorum inopiæ & calamitati. Tunc malignus cepit suo vti artificio. eius faciem auri specie illustrauit. colore eius animum leniit & demulsit. admonuit magni ponderis. ostendit pulchritudinem. omnibus modis volebant ei eripere vere magnum thesaurum rationis. & nihil non moliebatur vt efficeret eam auri amore teneri. Sed frustra ei malignus parabat insidias: etenim cum ea illi perturbationi tanq̃ frenum ieiecisset, auri colori ea illi opponebat, quæ neque verbis explicari, neque mente comprehendi, neque tempore interire poterant, sed sunt in ęternum senij expertia & immortalia. Quod autem ei maximam excitauit tẽpestatem, vt mulier illa egregia paulopost significauit, hoc erat.

Erat, inquit, mihi quidam ager qui amœnitate & pulchritudine alios omnes superabat. In hoc autem ipso erat etiam lauacrũ, & artificio tam pulchrum, & ex tam bona materia confectum, & aquis tam iucundum, vt cuiusuis deliniret animum, etiam antequam biberet aut lauaretur. Qđ vero lauacri ad deliniendum erat accommodatissimum, illius vna pars quidem habebat mare: altera verò arbores. Sic autem erat ędificatum, vt è solio quidem prospiciens, illinc posses videre fluctus maris, in tranquillitate iucundissimum spectaculum: & naues nauigantes, & portum, & nautas. hinc vero terrę pulchritudinem, & arborum proceritatem, & garritus ouium, & fluentes fontes: quinetiam venatores & venationem. & vt semel dicam, vbique innumerabilia ad demulcendum accommodata, & omnia plena elegantia & amœnitate. Hoc ergo cum mihi assidue veniret in mentem, dici non potest q̃uo meum teneret animum. & huius varietate me varius conabatur Dæmon deliníre & ad se trahere. sed meum protinus animum extulit Deus, mihi suggerens vt ea cogitarem quæ pręparauit iis qui ipsum dilexerunt, vt ait diuinus Apost. hæc aũt omnia vt quæ fluant despicerem. Sed sic quidem fuit superatus malignus, nullo penitus relicto q̃ posset illorum demulcere animos & ad se conuertere.

Quæ autem deinceps sunt consecuta, quamnam quidem ciuitatem latuerunt, quamnam etiam regionem? Quænam vero gens ad quam non peruenit illorum beneficentia, veluti quodã fluuio, magno & puro fluento, per vniuersam terram & mare fluente vberi riuo eorum beneficentiæ. Mesopotamia. Phœnicum ciuitates. regio Syrorum. Ægyptus quoque eius accepit fluxionem. & vbi Sol oritur & vbi occidit, à manu illorum omnia sunt repleta. Sunt autem qui dicunt eos quoque cum totas insulas

emissent ab Imperatore, partim quidem illo dimittẽte, partim vero ipsis dantibus, alias quidem sanctis viris donasse: alias verò exornasse choris virginum & Monachorum multitudine. Pretiosa autem vestis & splẽdidum argentum erat Sacerdotibus ab eis dedicatum ornamentum. Cum sic quæ erãt in Italia bene disposuissent, & ex facultatibus pauca reliquissent, nauigarunt in Siciliam: partim quidem vt agros qui illic erant venderent: partim autem vt sanctissimum Episcopum Paulinum viserent, qui erat eis pater secundum spiritum. Cum ij autem recessissent à ciuitate, Præfectum quidem, qui eorum domum & quod remanserat pecuniæ nõ liberalibus intuebatur oculis, diuina quædam ira protinus apprehendit. Nam prætextu penuriæ panis, in medio foro commota plebs quæ erat in ciuitate, eum faciunt præmium sui sororis & insanię, & miserum violenta morte interimunt. Barbari vero repente facta incursione, quæcũq; erant ante ciuitatem prædam Mysorum effecere, adeò vt hinc euaserit manifestum, illos nõ sine Dei numine res suas in tuto collocasse, & in cœlestibus horreis recondidisse.

Cum autem à Sicilia recta in Lybiam & Carthaginem essent nauigaturi, quidã vehemẽs & sęuus ventus eos excipit & vexat multis diebus, adeò vt aqua defecerit nauigantibus. erant vero in naui multi vectores. Cum autem eis tantum immineret periculum, visa est eorum nauigatio non esse Deo grata. Iubet itaq; Melana, vt velum conuertentes flanti vento obtemperarent, quocũq; nauem duceret. Itaq; cum secundum vẽtum in puppi habuissent, appellunt in quandam insulam. Eam vero gens quædam barbara & quæ præda & rapto viuebat, paulo antè fuerat populata. Cũ multi autem illinc abducti essent captiui viri & mulieres & pueri, insulæ incolis significabant barbari, si pro eis redimendis quantum satis esset auri accepissent, ipsos captiuos esse reddituros, insulæ autẽ parsuros. Sin vero non accepissent, se insulam quidem exusturos, captiuis autem gladio mortem illaturos. Atque insulæ quidem incolas ea quæ significabantur dubios reddebant & perplexos.

Cum ipsos autem iustos accessisse intellexisset Episcopus, hoc in lucro posuit. & ad eos veniẽs, ipsos orauit. & plus adeptus pecuniæ q̃ petebat, & prædã vniuersam liberauit, & insula eripuit à periculo. Melana vero cum suis se clementius & benignius gerentes in captiuos, eis dederunt etiã quingentos aureos,: panemq; præbuerunt & cætera quibus opus habebant, hoc agentes vt donorum magnitudine obliuiscerentur magnarum calamitatum. Deinceps autem cum bonum vẽtum assecuti soluissent ab insula, nauigarunt citra vllam molestiã. placidusq; eos à tergo impellens ventus, citò transmisit Carthaginem. Cum è naue autem descendissent, suam solitam aggressi sunt operationem. pecunias & agros partim quidẽ sacris 7 ædibus dedicantes: partim vero consecrantes monasteriis: partim etiam in pauperes effundentes. Sic se leuantes omni onere diuitiarum, leues & expediti pergebant ad veras diuitias: quæ emuntur eo q̃ nihil possideatur, ab iis qui thesaurum pie recondunt. Ciuitas autẽ in qua versabantur, appellabatur Thagaste. in qua erat sacrum templum, & Sacerdos dicendi peritus, & qui oratione multos poterat inducere ad salutem, nomine Alypius. Cum quo versantes, sacra meditabãtur eloquia. Templum vero in quo agebat Alypius, admodum munifice & aureis ornamentis

7 Quis inficiari potest, erogare pecunias sacris ædibus vel monasteriis, templa aureis ornamẽtis & lucidis gemmis exornare, monasteria monachorum & virginum construere, eaq; sufficienter dotare, opus piũ esse & Deo placere, postquam hi iusti omnia hæc abunde fecerunt?

mentis & lucidis gemmis & plurimis ornarunt agrorum prouentibus. Ab eis quoque sunt ædificata duo monasteria quæ satis habebant opum & prouentuum. Quorum alterum quidem habebat chorum virorum numero octoginta: alterum autem habebat virgines quæ erant numero centum & triginta.

Cum hæc pulchre sic disposuisset Melana, rursus meminit abstinentię. & toto quidem die generosa mulier permanebat 8 ieiuna. Sole autem iã occidente, parum cibi sumebat, eiusq; duri. nonnũquam vero modico olei condiebat obsonium. Vino autem non vtebatur omnino. sed accipiens ex molle confectam potionem, quam solent appellare Condytũ, sic leuabat sitim. Tempus vero quod multis sæpe obtundit & retardat impetum, ei illum reddebat acriorem. Et primo quidem secundo quoque die cibum sumebat. Deinde autem tertio quoque die. Deinde septimo quoque. adeò vt semel tãtum in hebdomada cibo vesceretur, eoq; castigato & temperato, & qui nihil omnino haberet ex iis quę possunt afferre voluptatem. Panis enim durus breues quædam erant eius mensæ delitiæ. adeò vt ea ieiunio nihilo esset minus laboriosa. Scribebat autem generosa illa fœmina adeò celeriter & pulchre & citra errorem, vt nullam vnquam daret reprehendendi ansam iis qui sunt huius rei periti. Et 9 in scribendo quidem maximam diei partem cõsumebat. Defessa vero manu, oculi quidem plurima scripta percurrebant: plurima autem menti tradebant vt mandaret memoriæ. Porrò vero iis iam defessis, aures iis seruiebant quæ pertinent ad vtilitatem: & animum sanctorum virorum adhibebat sermonibus. Pręter hæc autem non paruam quoq; partem tribuebat orationi. Nam tota quidem nox ferè in ea consumebatur, duabus solum horis somno ab ea attributis. Accubitus autem erat saccus super nudum solum positus. Dicebat enim oportet semper vigilare, cum nesciamus, vt vox est Dominica, qua hora fur veniat. Propterea & se, & quæ secum erant virgines, sic faciebat aduersus somnum contendere. Sibi autem leges imponebat & à se rationem exigebat. & otiosa oratio: & mores non satis graues, & risus nimis profusus, & sinistra cogitatio omnino castigabatur. & non sinebat omnino malam aliquam nubem ęthorem animæ subtercurrere.

8 *Vide sanctæ mulieris longa ieiunia, ciborum austeritatẽ, & abstinentiam à uino.*

9 *Vide sanctæ honesta exercitia.*

Scriptiones.

Verbi Dei auditiones

Orationes

Vigilias

Vitiorũm extirpationes.

Atque illa quidem tã caute & tam duriter vitam agebat, & aliis erat regula vt eam viam ingrederentur. Perinde autem acsi ei ad ieiuniũ non sufficeret spatium septem dierum, adiiciebat etiam Dñicum, vt ieiunaret octo dies sibi vim afferens, etiamsi à Præfecta vetita sit hoc facere. quæ dicebat esse absurdum, diem resurrectionis, similiter atque alios attribui afflictioni. Vnde etiam dicens persuasit & effecit vt esset cibi particeps & modici olei. docens esse præceptum Apostolicum, Præfectis obedire & eis cedere. Eius autem in laboribus diligentiam, & à suis laboribus lectionis vehementem contentionem, & eorum quæ lecta fuerant acrem perscrutationem: & multa alia quisnam satis verbis potuerit exprimere? Nam manibus quidem, vt dictum est, ad scribendum, quod ex scriptura autem lucrifaciebat, eo vtebatur ad alendos pauperes. Quinetiam sæpe quoq; indumentum suis manibus confectum ponebat in manibus pauperum, ex sacro, vt aiunt, quodãmodo in sacro. Sacrorum autem eloquiorum erat adeo studiosa, vt totam quidem diuinam scripturam, veterem & nouam ter singulis annis perlegeret: eius vero ea quę sunt pulcherrima

ſemper haberet in lingua. In omnibus autem exquirendis & examinandis erat plane admirabilis. Nunquam enim ſenſus aut verbum eam prætercurrebat. ſed omnia diligenter perſcrutabatur & quod latebat eruebat. Inſigne vero eius diſcendi ſtudium, eam quoq; ad recentiorum, bonorũ, inquam, & ſtudioſorum ſcripta tranſmittebat. & nihil erat omnino ex iis quæ ad vtilitatem ſcripta fuerant aut ſcribebantur, quod non poſsideret & aliis communicaret. Iam verò in lingua quoq; græca ita erat exercitata, vt quando ea loqueretur, nullus ex iis qui audiebant crederet Italicam linguam ei eſſe patriam. Eius autem vigebat in omnibus honeſta quædam & grata leritas & manſuetudo, maxime ea differente & habẽte orationem ad eos qui exercebant philoſophiam. Eius vero in Chriſtum zelum nutriebat amor quidam ineffabilis & qui non poterat contineri.

10 Hac itaq; ratione non ſolum efficiebat vt mens eos 10 auerſaretur qui furioſam aliquam ſequuntur hæreſim: ſed nec permittebat vt eorum nomen aut auribus audiretur aut lingua proferretur. adeò vt valde appoſite diceret illud diuini Dauidis, Non meminero nominum eorum per labia mea.

Verì fideles hæreticos oẽs ſemper auerſati ſunt.

Cũ autem, iuxta Paulum, ferueret ſpiritu, graue ducebat ſi non ipſa multos Chriſti parti adſeciſſet, & ſimiles haberet amatores temperantiæ. & partim quidem verbis, partim autem donis multos adoleſcentes & multas adoleſcentulas traxit ad exercitationem. Eadem vero faciebat etiam in Gentiles & Samaritanos, & eos vocabat ad rectam fidem qui paulo pòſt dimiſsis ſuis illam ſequebantur. Sic ergo erat beata illa fœmina ſapiens piſcatrix: & ſciebat venari animas hominum. Maiores autem labores aggrediẽs, aliam quoq; inopinatam & propemodum incredibilem oſtendit tolerantiam. Cum ligneam quandam arcam paraſſet, altitudine quidem tantam vt nõ permitteret ei ſtare rectam, latitudine vero, vt non poſſet declinare ad dexteram nec ad ſiniſtram, in ea corpus includit. per breue foramen eos qui foris erant alloquens & eos audiens. Cum mater autem ſępe ad eã accederet, erat enim ei nauigationis comes & ſocia philoſophiæ, non temere veniebat: ſed ſi aut vacabat orationi, aut in diuinis verſabatur eloquiis, non prius ad eam intuebatur aut illam compellebat, q̃ ſpiritale opus quod obibat perfeciſſet. Sic cum omnibus ipſam quoq; vicit naturam. Quamobrem mater magnam lucrifaciens vtilitatem, abibat magnas Deo agens gratias q̃ ex ſuo vẽtre talem fructum produxiſſet. Et quid opus eſt illius omnia perſequi? Ad eius enim laudem ſufficit pro omnibus modeſtia eius & moderatio, q̃ cum viueret tam pure q̃ vllus alius, cor haberet contritum & mentem demiſſam ac humilem, vt nullus alius ex iis qui multa admittunt non honeſta.

Cum ſic autem ſeptem annos decertaſſet, eam ſubiit cogitatio longioris peregrinationis. Dicebat enim oportere ad ſacra 11 etiam loca accedere, & etiam videre Hieruſalem, & obire & adorare oĩa quæ illic ſunt miracula. Cumq; ei ita viſum eſſet, mare eam ſuſcepit cum ſimul adeſſet mater & Apenianus. & cum eis proſpera fuiſſet nauigatio, peruenerunt Alexandriam. ea eſt autem ciuitas Ægypti. in qua Pontificali munere fungebatur magnus inter ſacerdotes Cyrillus. Cum eo congreſsi & cum alio viro prophetico nomine Theodoro, & in tranſitu ex eorum ſermone magnam accepiſſent vtilitatem, nauem rurſus aſcenderunt, ad ſacra loca

11 *Vide peregrinationẽ ad loca ſancta adorationis gratia.*

festinantes, nihil autem secum afferentes præterquam si quid erat necessarium, & quod posset paucis diebus sufficere. volētes ipsi quoq; esse cum mendicantibus. Postq; vero in terram descenderunt, contigit beatam Melaniam in morbum incidere. Deinde cum conualuisset à corporis infirmitate, & Dominico sepulchro recuperatam sanitatem primo obtulisset, & ad id primo accessisset idq; adorasset, de cætero oculos & animum pascebat aliis spectaculis. Versabatur autem cum iis qui ex Sacerdotibus erāt maxime insignes, & maxime cum iis qui in dicendo erant sapientissimi, vt etiam vtilitatem ex eis perciperet. Alebatur vero illis quibus in Libya, tot dies quot illic mansit, operans manibus, sicut Carthagine. Cum aduentasset autem vespera, ingrediebatur quidem in salutare sepulchrum resurrectionis: clauso vero templo manebat intus. & 12 oratio noctu ab ea tandiu producebatur, donec ingressi essent matutina cantaturi cantica. Postq; autem finem acceperat glorificatio, tunc ipsa quoq; corpus parum dabat somno & quieti.

12 *Nota nocturnas vigilias, iuges orationes, & cantica matutina.*

Cum vero sicut à me dictum est, paucæ quædam facultatum reliquiæ ei Romæ remansissent: & cuidam ex fidelibus mandatum esset vt eas proponeret emendas volentibus, postq̄ ille hoc fecisset, aurum ad eos mittit Hierosolymam. Qui solita vtentes benignitate, eas hæreditatem fecerunt egentium. Hic cum aliquandiu essent versati, videret autem Melana matrem suam senio & tempore grauari, eam illic relinquit. rogauitq; vt ea illi pararet tabernaculum in monte Oliueti. Illa vero venit in Ægyptum vnà cum Apeniano: tum q; vellent videre sanctos qui erant in ea: tum etiam vt sua benignitate impertirent eos qui illic erāt pauperes. Hi ergo venientes, faciebant id propter quod venerant, & eos qui se in pietate exercebant obibant. Cum autem accessissent ad quod quoddam tabernaculum, quod apud se habebat virum in philosophia maximum, cui nomen erat Ephæstion, rogabant vt ipse quoq; ea quæ aliĳ participaret. Cum is autem recusaret, quid non fecit Melana, volens ei persuadere vt acciperet? Cum vero non persuaderet, tale quid statim machinatur, quod quidem pulcherrime amborum parem declarauit constantiam, Melanæ ad benefaciendum, & Ephęstionis ad hoc vt non persuaderetur ex rebus humanis aliquid accipere.

Obibat enim domunculam, scrutans omnem quæ in ea erat suppellectilem. & cum nihil aliud vidisset nisi stoream, & sportulam in qua sal erat repositus, cum sub eo sale aliquam auri partem posuit & infodisset, vt quæ latuisset, magno studio preces ab eo poposcit. Quas cum impetrasset, exiit. Sed nihil ei profuit hoc inuentum. Cum enim vir ille sacrosanctus id cognouisset, magno cursu contēdit, & eos voce procul stitit: & manibus aurum quatiens ostendit: & dixit se nescire ad quid eo vteretur. Cum ĳ autem dixissent, Si non tibi omnino at aliquibus aliis erit vtile: Atqui non erit, inquit, aliquis qui hic petat. est enim pauper locus vt videtis, & admodum desertus. Cum vero ne sic quidem acciperent, auro in fluuium iacto recessit senex. In alios quoque non paucos eiusmodi aiunt eos incidisse, qui ęque cauebant omnino aurum manu ab aliquo accipere, atque virus serpentis, aut aliquid aliud mortiferum & exitiale sua spōte bibere. Cū talibus ergo in Ægypto fuissent repleti miraculis, reuersi sunt Alexandriam: & cum multorum bonorum virorum qui illic erant con-

ſuetudine ſe ſecundò exatiaſſent, profecti ſunt in montes qui dicuntur Netriæ. Congreſsi autem illic quoque cum viris virtutis ſtudioſis qui illic erant, cum inſtar apum omnem florem virtutis collegiſſent, pleni bonis redierunt Hieroſolyma. Melanæ vero paratum erat tabernaculum in monte Oliueti, ſicut matri mandatum fuerat. Cum fauſtum autem accepiſſet principium diem luminum, ſeipſam includit in domuncula. & legē ſibi imponit, vt aliorum quidem nullum neque videat neque ab vllo videatur: à matre autem, & ab eo qui olim cōiugij tunc vero erat laborum ſocius, ſpatio quinque dierum ſemel videretur: & ſimiliter ſui aſpectum non denegaret conſobrinæ. eam enim iam diu antè in ſuam diſciplinā acceptam erudiebat: plenāq; faſtu & romano ſpiritu ad extremam deduxerat moleſtiam. & ſic effecit vt ſummum magis apprehenderet.

Hanc longè laborioſiſsimam vitam dicunt fuiſſe Melanæ ad annos quatuordecim. Deinde cum mater ei emigraſſet, illa cum ei iuſtis factis ipſam honoraſſet, & corpus compoſuiſſet, in altera domuncula annum tranſegit, quæ carebat luce & alioqui erat priori ſimilis, in qua producebat 13 luctum & exercitationem & ieiunium. Poſtea autem cum fama in omnem partem peruaſiſſet, & multi ad eam ventitarent, ab ea quoq; factum eſſe cœnobium plus quàm nonaginta virginum. in quo nō ſolum virgines, ſed multę etiam quæ antea turpiter vixerant, priorem vitam & voluptates multum valere iubentes, vere pulchram fecerunt mutationem. Imponuntur vero eis 14 quoque leges vt cum viro nunquam ſermonē conferant: neque ex monaſterio exeant: & ab iis qui ſunt extrà nihil vnquam accipiant. Ducem autem gregis nō ſeipſam conſtituit. ſed ipſa quidem apud eas tenebat locum ancillæ. Sic enim vt id ſuſtinerent iis perſuaſit. vt ſimul & amor in eam augeretur, & eis eſſet propinquum exemplum vt ſe modeſte gererent. Rectionem vero ſuſcepit alia quæ & moribus & oratione præſtabat cæteris. adeò vt ea quidem apud eas quæ ei parebant locum obtineret Dominę: Melana autem, obſequio quidem, ancillæ: benignitate vero, matris. Quòd ſi qñ contigiſſet onus abſtinentiæ à Præfecta grauius imponi ſororibus, quod mollioribus reputabatur moleſtum, eis ad conſolationem beata ſufficiebat Melania, quę quod eis durum erat apte & prudenter molliebat. & cum aliquando affligerentur ieiunio, inſcientibus omnibus ſub vniuſcuiuſq; lecto ponebat ea quæ erant ad vſum neceſſaria. Illa autem cum inueniſſet, non ignorabat quidē quis hoc feciſſet: accipiens vero ſic remedium afferebat inopiæ: in ipſam autem valde magnam conſeruabat beneuolentiam. Sic ſe ſapienter in earum animos inſinuans merito etiam cum eos docebat, habebat morem gerentes.

Dicebat autem nō oportere ſolum corpus, ſed etiam animum quoque caſtum & purum ſeruare à libidinoſis cogitationibus. Deinde media quidem nocte ad preces nullam oſtendere pigritiam. precantes vero non ſolum labra mouere: ſed multo magis totam ſimul cogere cogitationem, & adhibere mentem ijs quæ dicuntur. abſurdum enim eſſe bona quidem à Deo petere, non diligenter autem & ſtudioſe ea petere: & ad Regem quidem mortalem accedentes, & habitu & aſpectu & modis omnibus præ ſe ferre reuerentiam: ad terribilem vero & immortalem Regem venientes, non multo magis ad Dominicam auctoritatem & infinitam excellentiam timidos aſsiſtere. Cum de his hæc diſſeruiſſet, trāſiit ad matrem omnium

13 *In qua producebat luctum & exercitationem & ieiuniū.*

14 *Ecce quomodo etiam moriales olim habuerunt regulas & cōſtitutiones uiuendi.*

nium charitatem, omnia eſſe vana & ſuperuacanea ſine hac pronunciãs. De qua & multa alia oratione eſt perſecuta, & q alia quidem noſtra malignus Dæmon poteſt imitari. vt, verbi cauſa, inediam & vigiliã, & quęcunque in corpore conſiſtunt. Nam ſecundum naturam ipſe eſt his omnibus ſuperior: & à nullo eorum vinci potuerit. Humilitatis autem & charitatis non magis nobiſcum habere potuerit participationem, q̃ tenebræ lucis, & vitium virtutis. qui etiam propter ea quæ ſunt naturæ maxime contraria, ſuperbiam, inquam, & in homines maleuolentiam, ex luce miſer effectus eſt tenebræ. Ante omnia vero dicebat oportere cõſeruare 15 rectam fidem, puram, & citra vllam dubitationem. Nam qui in aliis quidem ſe recte geſsit, in hac autem dubitat, in eo quod eſt præcipuum & caput omnium aberrauerit.

15 Vides ſine recta fide quæ eſt bonorũ omnium principium, nõ poſſe acquiri uitam æternam?

Cum autem videret multas ex iis quæ erant apud ipſam mulieribus, magni facere ieiunium: & timeret ne in eo exiſtimantes omnia contineri, alias virtutes negligerent, tales eis adducens ſimilitudines, ad ipſarum excitabat ſtudium. Dicebat enim animam quidem eſſe ſponſæ ſimilem: quę ſunt autem circa ipſam virtutes, nuptialibus indumentis vnaquãq; partẽ aliquam corporis ornare. Ieiunium vero eſſe pedum ornamentum. Q̃uo ergo cum aliis indumentis oportet etiam ea habere quæ pedes ornant: ita etiam animę cum aliis adeſſe oportet ieiunium. Si quis autem rurſus eius quidem ſolius curam gerit, alia vero omnia negligit, non eſt ea anima diſſimilis illi puellæ quæ cum duceretur ad nuptias & ſolum pedes ſibi induiſſet, reliqua omnia reliquit inornata & nuda. De obedientia autem, & q oporteat magiſtratibus parere, hæc quoque adiecit. Etiam in iis quę ad vitam mundanam pertinent, hoc eſt quod oĩa maxime continet: & quod imperare quidem facit Imperatorem, parere autem eum qui eſt ei ſubiectus. Et ſi hoc ſuſtuleris, ordinem quoq; ſuſtuliſti: & cum nominibus ſcilicet res quoq; confudiſti. Neq; vero ei deerant exempla ſic dicenti.

Acceſsit aliquando quidem ad magnum quendam ſenem, eius ſtudens fieri Diſcipulus. Is autem ab initio oſtendens qualem oportet eſſe diſcipulum, iuſsit eum ſtatuam quæ propè ſtabat, quantum poſſet verberare, & ei inſultare calcibus. Poſtquam vero paruit adoleſcens, interrogauit ſenex an quæ pulſabatur & calcibus impetebatur ſtatua, cõtradixerit aut ęgre tulerit. Cum is autem dixiſſet nihil factum eiuſmodi, iuſsit eũ rurſus percutere, & præter plagas eam etiam inceſſere maledictis. Poſtquam vero ter fecit eadem, ſtatua autem erat ſolum inanima & muta, tunc ſenex. Si quidem, inquit, tu quoque potes eadem ſuſtinere & nihil contradicere, q̃uo nec hæc ſtatua perpetuo probris affecta & contumeliis, accede & noſtra diſciplina fruere. Sin minus, ne te ad noſtram conferas diſciplinam. Illa multa eiuſmodi oratione percurrebat apud virgines. Ad ſummam autẽ per omnes peruadens virtutes, & quantum in vnaquaq; eſſet lucri oſtẽdens, & quantum damni ſi pigræ eſſent ac ſocordes, eas erigebat & excitabat oratione, & perſuadebat vt omnem laborem audacter ſubirẽt. Deinde etiam, vt par erat, eis quoque templum 16 ædificat in quo poſſent diuinum peragere miniſterium, hoc ſanctorum reliquiis conſecrans, Prophetæ, inquam, Zachariæ & Stephani primi Martyris, & quadraginta etiam Chriſti Martyrum.

16 Nota Eccleſias ædificari etiam pro diuinis myſteriis peragendis, & earũ conſecrationes fieri cum reliquiis ſanctorum.

Quid vult id quod eſt poſtea cõſecutum declarare oratio? Apenianus

qui fuerat eius quidem secundum carnem coniux, frater autem secundum spiritum, iis quæ sunt inferius relictis, migrat ad superas regiones. Illa autem suum quoque finem iam propè adesse existimans, maiorum certaminum hinc sibi sumpsit occasionem. intra templum quidem manens: ad ieiunium autem & alia laboriosa omnia se extẽdens, idq; ad quatuor annos integros. Deinde cogitat etiam virorum excitare monasterium. sed sumptuum inopia eius promptum animi studium prohibebat. Cum vero sentiret & diceret nihil esse quod à Deo non posset fieri, ipse eam hac quoque liberauit inopia. Nam vir quidam locupletissimus & pecuniosissimus ei magnam vim auri elargitur. quo factũ est vt & opus ab ea perficeretur, & sacrum ædificaretur monasterium: & viros in id admitteret quales oportebat illius conuenire moribus. Cum parum autem ab hoc labore respirasset, eam maiores excepere labores & longa peregrinatio. Redduntur enim ei litterę ab eius patruo Volusiano. qui illo quidem tẽpore erat creatus præfectus Romanæ ciuitatis: missus vero erat legatus Byzantium ad Eudociam Imperatricem. Hæc autem significabat epistola, ꝙ iamdiu illam desideraret videre. Illa vero cupiebat ipsa quoque videre patruum, & ei persuadere vt à gentilium desisteret opinione. Dubia autem erat animi ne quid imprudens faceret præter id quod Deo videbatur. Cum vero aliquibus aliis Monachis rem communicasset, permitterent autẽ illi vt posset proficisci, egreditur Hierosolymis beata Melana. Per quãcũq; autem transibat ciuitatem & regionem, eam quo par erat prosequebantur honore & officiis. Ciuitatum enim Sacerdotes & Pontifices eam non paruo honore afficiebant: & venerandæ virgines & quotquot erant egregij Monachi eam adorabant & salutabant, & tanquam è cœlo venientem aspiciebant.

Cum autem venisset Chalcedonẽ & ad ipsum sinum maris, verebatur ingredi & videbatur perturbata. Ventura enim in maximam ciuitatem, mulier quæ vixerat in exercitatione, quietisq; & silentij maximam curã gesserat, & non gustauerat tumultus qui sunt in ciuitate, merito extimescebat & refugiebat. Atque diuertit quidem vbi erat templum omni ex parte benedictæ Martyris Euphemię. Circa mediam autem noctẽ Martyr nõ parum ex se effundit suauissimi odoris, & voluptate replet ineffabili. Quocirca bona concepta fiducia, diluculo fretum audacter traiecit, & ingressa est Byzantium. Hospitio vero excipitur à quodam viro illustri & alioqui bono, nomine quidem Lauso, qui ad Præposituræ honorem ascenderat. Inuenit autem suum quoque Patruum Volusianum graui morbo oppressum. qui eius habitum admiratus, formæq; & vestitus incredibili & inopinata stupefactus mutatione, extenuatus enim admodũ erat eius vultus exercitatione, magna voce exclamauit. ò qualẽ ex quali te video Melana charissima. Illa vero ex eius sermone sumpta occasione, A me ergo tu quoque, inquit, disce ò beate Patrue. & accipe indicium futurorum bonorum. Nam nec ego tantam despicatui gloriam habuissem, nec pecuniam: nec abiecissem curam ipsius corporis, nisi persuasum haberem me his propediem longe maiora accepturam. Nõ per se autem solam sed per multos quoque alios in eius mentem sensim irrepebat beata Melana: & eius falsam religionem studebat labefactare: sicut etiam per sapiẽtissimum Proclũ, cuius fidei tunc erat creditus sacer clauus ecclesiæ Con-

ſtātinopolitanæ. Qui cum ad eum veniſſet,& ſuaſu beatæ Melanæ eum ad pietatem dirigeret, is dicitur illum adeò eſſe admiratus,vt etiā dixerit poſt agnitam veritatem,ꝙ ſi Roma tres haberet tales,ne illic quidem nomen vnquam audiretur gentilium.Sed hæc quidem poſtea.

Poſtquam autem Voluſianus ſenſit Melanam velle Imperatorem quoque ad id incitare,veritus protinus ne violentum & non volūtarium reputaretur eſſe baptiſma, & quam ex eo eſſet conſecuturus ipſe mercede priuaretur, eam à cepto prohibuit. Et is quidem, vt dicemus paulopòſt, rem à ſe adimpleuit:& abiurata gentiliū opinione,traductus eſt ad Chriſtum. Illa autem nec aliorum quoque curam abiecit. Sed cum tūnc eſſet exorta Neſtorij blaſphemia, & malignus multos in errorem abduceret etiam ex iis qui erant in verbo veritatis,ipſa erat quæ magnum aduerſus eum inibat certamen,vanumq́ & inane reddebat eius ſophiſma & ab aurora vſque veſperam iis reſpondens qui eam interrogabant: multisq́ ex iis qui decepti fuerant perſuadens, & eos reducēs. Quamobrem malignus ſe ab ea vinci non ferens, in virum eius conuerſus, & ei apparens miſerabilis cum lugubri & nigra veſte, accedit eam terrens & grauia minitans. & primum quidem ſe ipſius Imperatoris & eius famulorum cor mutaturum, & in contrarium traducturum: deinde etiam vt miſerabili exitu vitam finiret procuraturum, grauiſsimis confecta doloribus. Illa autem hæc eſſe artem maligni intelligens, Chriſti nomen, quod grauiſsimam illi plagam affert, inuocans, effecit vt is ſtatim euaneſceret. Deinde cum acceſſiſſet eum qui erat cum ipſa Sacerdotem, & incepiſſet narrare ea quæ viderat & audierat, ſentit repente dolorem in coxendice,eumq́ adeò acrē vt ea vocem amiſerit:& nemo dubitauerit id eſſe nō manifeſtum inimici inſultum. Cum ſic ei productus eſſet dolor ad ſex vſq; dies, & illa hora maxime malum intenderetur quo nigrum aſpexerat & minas audiuerat, aderat enim dies ſeptimus, accedit aliquis renuntians Patruum veniſſe in periculum ne repentina morte vitam mox finiret.

Hoc poſtq́ illa audiuit, & ſi propter dolorem coxendicis vix ſe poſſet mouere, manibus & lectica protinus ad eum vecta proficiſcitur. Valde enim angebatur animo,nō ꝙ ille moreretur,ſed ꝙ mortem ſubiret animę, vt qui baptiſmi incorruptionē nondum eſſet aſſecutus. Deinde venit quidam alius,ei ſignificās virum eſſe baptizatum. & ꝙ cum eam ſępe quæſitam non inueniſſet,ſed eam morbo detineri didiciſſet, aliū ducem rurſus nactus, per illum fit lucis filius & baptiſmum conſequitur. Cum hæc ei dicta eſſent,cum dolore animę.protinus ceſſauit etiam morbus corporis: & lumbus quidem carebat dolore: pes autem mouebatur: & communis inimicus afficiebatur dedecore: adeò vt viæ reliquū ipſa per ſe conficeret. 17
& qui portabant,pro eo quod prius portabant,ad Deum laudādum ſtatim manus extendebāt. Deinde cum veniſſet ad patruum,& verbis eum confirmaſſet,& de ea quæ illic eſt vita diſſeruiſſet,lætū & bona ſpe pręditum tranſmittit ad viam quæ ducit ad Deum. cum pulcherrimo viatico, 17 nempe pretioſo Chriſti corpore & ſanguine eum inſtruxiſſet, & ſic vt tuto recederet perfeciſſet. Et hæc quidem hoc modo geſta ſunt. Illa autem cum non multos quidem dies hic tranſegiſſet, in paucis vero multis plurimū profuiſſet, & ante alios Imperatrici & ipſi Imperatori, is autē erat Theodoſius,nam ij maiori opus habebant curatione, vt quo-

Vides xpianos mori ſumpto uiatico pretioſi corporis & ſanguinis Chriſti? Nec mireris ſi ſub utraq; ſpecie ſumpſit,nondū enim latū erat Conſtantiēſis Cōcilij decretum.

rum animi maiore mundi gloria essent tumidi.

Cũ hæc illa pulchre & pie fecisset, egreditur è ciuitate. tenebatur enim magno amore silentij & quietis, & sacra loca ei veniebãt in mentem: acciderat autem tunc niuis plurimum cecidisse, & exortum esse frigus vehementissimum & ad tolerandum difficillimum. Illa autem & tempus & niuem & ætatem & eliquatum ac tabefactum corpus, & omnia deniq; simul superare contendens, viam confecit, labores magis augens exercitationis. Multis vero sanctis eam in via & hospitio excipientibus & vt ea maneret rogantibus, illa minime obtẽperauit. sed contento quodam cursu

18 cucurrit, salutaris passionis diem 18 festum studens celebrare Hierosolymis. quod ei etiam successit ex sententia. Cum sic ergo vnà cum eis festum illic celebrasset, ad priora se rursus contulit, non minus sui & gregis vtriusq; curam gerens. Cum autem ei venisset in mentem alterum ædificare oratorium in eo loco in quo dicitur stetisse Christus Dñs & Deus noster crucem ascensurus, & salutarem subiisse passionem, eius vero proposito Deus quoque opem feret, ædificat oratorium: deinde id etiam facit monasterium in quo se exercerent animæ, viris sanctis in eo congregatis ad Deum laudandum & glorificandum. Interim autem dum hæc fierẽt, Imperatrix Eudocia iuerat Antiochiam. Paruerat enim Melanę monitis cum ea venisset Byzantium, suadentis vt hanc susciperet peregrinationẽ

19 & veniret Hierosolyma, vt videret 19 sancta loca & quæ ex eis percipitur fieret particeps sanctificationis. Cum ea itaq; illi processisset obuiã, magno honore fuit affecta ab Imperatrice, vt quæ eam matris loco haberet, & duabus de causis prouidentiæ diuinæ ageret gratias, nempe ꝙ & vsq; adeò celebratam Hierusalem & sancta loca quæ videret digna sit habita: & ꝙ ea talis matris facta sit filia secundum spiritum. Signum est autem magni amoris Imperatricis in Melanam, ꝙ non dubitauerit tantum iter ingredi, & eo accedere, & quæ illic erant virgines tanquam sorores salutare & amplexari. Porrò autem cum celebraretur noui templi de-

20 dicatio, illa quoque aderat & festum 20 celebrabat.

Nota celebrationem diei festi salutaris domini passionis.

Et hic habes peregrinationem ad loca sancta Hierusalẽ visionis & adorationis causa.

Nota noui tẽpli consecrationẽ, & in die hoc festi celebrationem.

Hanc autem rem bonam consecutum est quiddam dignum maligni improbitate & boni Dei virtute. Pedẽ enim Imperatricis qui iniuria Dæmonis è compage erat luxatus, illa absq; dolore apte & recte in suum locum restituit. Cum hæc & non pauca alia à magna Melana percepisset commoda, & se simul etiam exatiasset spectaculis, decreuit reuerti Constantinopolim. & ei quidem Melana cum tanq; bonas comites dedisset preces, ipsam dimittit. Ipsa autẽ æquales atq; adeò maiores vitę ex Deo agendæ labores pergebat suscipere. Ad eã quoque affluebat à Deo fluuius miraculorum. Quorum existimo non esse superuacaneum aliquot meminisse, ea tanq; aliquot condimentum admiscendo narrationi. Mulier quędam iuuenis ætate inuaditur à Dæmone. Quæ quidem clausis dentibus & labris non solum vocem emittebat, sed neque cibum omnino attingebat. Fames autem, visceribus & carne grauiter liquefacta, mortem minabatur paulopòst. Tentantibus vero medicis, diligenter adhibitis medicamentis & artis remediis, malum vincere, postquam omnia conuincebantur esse inania & nihil posse, defatigati qui ad eam attinebant, ad vnum intuebãtur auxilium, nempe ad preces magnæ Melanæ. Eam itaq; afferunt tollentes manibus, lachrymas oculis effundẽtes, & verba emit-

tentes

tentes lachrymis magis miserabilia. Illa autem, hominum enim vitabat gloriam vt quæ magnum afferret damnum, modesteq; ac moderate se gerebat Hæc quidem, inquit, à me non possunt fieri Christi vero Martyres hæc & his maiora possunt facere. Cum sic dixisset, Dæmoniacam duci iubet in templum. Cum de sanctorum autem 21 oleo sumpsissent & os laborantis tetigisset, claram emittit vocem. In nomine Iesu Christi, dicēs, os tuum aperi. Vocem autem vox statim est consecuta. sanctæ vocem vox ægrotæ. & incitata est lingua ad agendas gratias. & Dæmon aberat: & cibus simul aderat: & diuinum nomen per ipsam glorificabatur.

21 *Oleo sanctorū martyrum tacto mulieris ore, eam à Dæmonio liberat Melana.*

Quædam alia mulier grauida in partum incidit morte acerbiorem. Nā cum iam pareret, fœtus qui nōdum processerat intus erat mortuus eratq; matris vterus sepulchrum filij. Peruenit itaque calamitas matris vsque ad aures Melanæ. Illa autē valde graui dolore affecta, & perinde ac ipsa quæ patiebatur cruciata, venit statim ad ędes in quibus periculum adibat mulier. magnumq; medicamentum parauit 22 orationem. Quę vero laborabat vix membra mouens, non poterat quidem loqui, habitu autem & oculis flebiliter & miserabiliter intuens, videbatur dicere, Miserere. Quid ergo magna Melana? Oculis in cœlum sublatis cum 23 zonam suam soluisset, statim imponit ei quæ erat ferè mortua. Deinde cùm dixisset, ipsa fuit mihi donum magni viri, & qui eam fuerit consecutus nō frustrabitur curatione. statim & mortuum eiecit & peperit. & quæ iacebat fuit statim ab omni dolore liberata. Hæc vel per zonā beata Melana faciens miracula, ea aliis attribuebat. Quàm multa facta sunt illic eiusmodi quæ mihi non licet nunc attingere cùm prolixam cernam orationem, & remissus iam mihi sit spiritus propter multitudinem eorum quæ dicta sunt. Sed ex iis quę dicta sunt vobis facilè licet reliqua coniicere, vt qui ex modico gustu totum cognoueritis. ex eodem enim dolio, dixerit quispiam, est reliquum. Eundem est ergo ad decessum, si prius narrationi pauca adiecerimus.

22 *Magnum medicamentum parat orationem.*

23 *Zona sua imposita Melana super mulierem in partu periclitantem eam liberat.*

Cum.n. adesset finis, & is esset Melanæ præcognitus, & tanq̄ Athleta quispiam nō procul abesset à corona, magis festinabat. & eum iam adesse lętabatur. & obiens alia loca 24 Hierosolymorum, & Bethleem illam & Galileā, & quæcunq; in orbem circūibat, ea tanq̄ animata salutabat in peregrinatione. Cum aduenisset autem dies natalis Seruatoris, ad præsepe cucurrit & speluncam: & consobrinæ dicit se non amplius esse festum cum eis celebraturam. Cum ergo tota nocte illic vigilasset in spelunca, die sequenti vadit ad ædem primi Martyris. & cum illic pernoctasset & librum sumpsisset in manus, eis legit mortem primi Martyris. Deinde cū adiecisset eas non amplius esse illam audituras legentem, postq; vidit eas grauiter ferre quod dictum fuerat, sentiebant enim quid sibi vellet hęc dicens, illa rursus cœpit verba ad eas facere: & corda earum consolata est verbis spiritalibus. Ego quidem, dicens, ò charissimæ, à vobis iam recedo, cum hoc ita Deo visum sit. Vos vero ita vitam agite tanq̄ præsentibus & intuentibus Dei oculis, qui cogitationes scrutatur & videt corda. Eum ergo, vt dicit Propheta, vobis ante vestrum conspectum proponentes, & castas 25 animas & corpora ab omni labe munda cōseruate. & si propter meam priuationem tristitia corda vestra pupugerit, si illius vobis veniat in mentem, protinus satis magnam inuenietis consolationem.

24 *Vide & hic peregrinationem ad loca sancta, diem natalis domini, nocturnas vigilias, & sacram lectionem.*

25 *Mirū quod non hortetur eas ad contrahēda matrimonia ut faciunt hæretici nostri temporis.*

26 Vides quod templa constituta sunt etiam gratia orationis.

Cum sic dixisset, templum 26 ingreditur, & cum ad precandum cōstitisset, Domine Deus, dicebat, quem ego elegi ab initio, quem ego & nuptiis & diuitiis & gloriæ prætulit & voluptatibus: cui ab ortu corpus commendaui & spiritum cuius metu os semper adhæsit carni meæ. Qui tenuisti dexteram meam & in consilio tuo deduxisti me, tu quoque nunc exaudi vocem meam. & hæ lachrymæ moueant fluenta tuæ misericordiæ, & omnium peccatorum sordes tam voluntarias quàm inuolūtarias expurga. præbe mihi ad te iter absque vlla perturbatione & citra vllum impedimentum. Ne me retineant huius aëris mali Dęmones. Nosti mortale ò immortalis. Scis ò hominum amator, nullum hominē esse sine sordibus. Nullus est in quem non posit arripere ansam aduersarius, nec si vitam quidem habeat vno die dimēsam. Sed tu quidem cum mea omnia despexeris, siste me mundam ante tuum tribunal. Ea sic 27 precante cum lachrymis, cum nondum cessasset orare, horror corpus eius inuadit: & incipit quidē ęgrotare, non cessat autem laborare. Sed quāuis ita esset affecta, ibat ad 28 consueta cantica, & simul hymnos psallebat matutinos. cumque de anima & salute multum esset philosophata, & suum gregem allocuta eum ad virtutem incitasset, his finitis cum se sensisset veluti deficientem, vidisset autem eas quæ ei parebant Monachas grauiter ferre se ab ea disiungi, multis verbis eas consolata, dicens nō oportere ita mœrere & lugere, dato iam desuper signo emigrationis, diuina 29 Christi sumit sacramenta.

27 Ea sic precante cum lachrymis.

28 Ibat ad consueta cātica & hymnos psallebat matutinos.

29 Aduerte sanctos viros in morte diuina Christi sumere sacramenta.

Cum autem cum Pōtifice Eleutheropolis qui ad eam cum toto clero venerat diu locuta, de suis gregibus multa mandata dedisset, & cū multi quoque aliȷ cōfluxissent, exceptis enim admodum paucis omnes qui circumcirca habitabant, tā qui se separatim exercebant quàm qui communiter viuebant, & quicūque erant sacrati ordinis, atque adeò qui erant etiā ciues oppida habitantes, cum ad eos in commune vtilem fecisset admonitionē, præcipue vero ad consobrinam, quæ propter eius separationem valde erat perturbata, & deinde ad omnes qui dolore afficiebantur, extremam hāc vocem effata, Sicut Domino visum est ita factum est, sanctam illam & sacram emisit animam, vltimo die mensis Decemb. cum esset dies Dominicus. Vt autem corpus apte, vt mos est, & decore componeretur, nihil opus fuit alienis manibus. sed & manus sua sponte pectori honeste erant impositæ: pedes autem erant extensi vt decebat. supercilia vero perinde acsi adhuc viueret apte & eleganter erant clausa. Cum ergo 30 tota nocte super eam pro more cecinissent, circa auroram eā terræ mandant quæ cœlis erat vere digna, et quę illic 31 in thalamis habitat et luce illa assidue fruitur. Ad gloriam patris & filiȷ & Spiritus sancti. Nunc & semper & in secula seculorum. Amē.

30 Nota cum tota nocte super eam pro more cecinissent.

31 Vides sanctorū animas esse in cœlo etiā ante diem iudiciȷ.

BENEVOLO LECTORI.

SAEPE inter uiros graues dubitatum est, num omnium uitarum sanctorũ, quæ in libro Metaphrastæ continentur, auctor fuerit Simon sic dictus, an aliquis alius. huiusce enim rei ratio erat, quod pleraq; ex uitis huiusmodi alios habent auctores inscriptos quam ipsum Metaphrastem. puta, Nicetam, Ioãnem Chrysostomum, Gregorium Nyssenum, & similes. pleraq; etiam (quarum est plurima pars) sine omni prorsus auctore reperiuntur. Illud quoq; accedit, quod liber iste quem edimus per XII. menses digestum, & cuius tertia pars nunc in lucem prodit, nec in principio, nec in medio, nec in fine, nomen Simeonis ascriptum habet, sed neque proœmiũ aliquod uel perorationem. Dicamus et illud quod quidem uerissimum est, aliquas uitas esse huic operi adiectas et suppositas, præsertim in hoc mense Februarij, quẽ nunc habebis in manibus, quæ nec ipsius Metaphrastæ, nec alicuius docti uel satis probi hominis (iudicio nostro & bonorum quãplurium uirorum per nos super hac re consultorum, esse uidentur) ceu quæ meras nugas et imposturas contineãt, quas ex libri huius catalogo, et serie absque aliquo conscientiæ scrupulo semouimus, indignas iudicantes prorsus, quæ in lucem ecclesiæ nostræ prodirent. Id causa fuit (ut aduertere potuimus) quoniã quum Februarius mensis simul cum Martio in Apostolica bibliotheca deficeret, is Venetijs a quodã priuato uiro, qui eum habere dicebatur, mutuo sumptus est & ab eo alter Græce descriptus fuit, qui postea per Genzianum interpretatus est, in quo, ut certo credimus, a sciolis, ut in his fit plerunque & male affectis, & ut sanctorum gesta potius dehonestentur, quàm ut eorum memoriæ illustres fiãt, hæ quas supra diximus, uitæ suppositítiæ additæ sunt. Sed iã propositam q̃onem dicamus. hæc est cõis uirorum doctorum & Orientalis Ecclesiæ peritorum hac de re sententia, oẽs has uitas q̃ in hoc libro continentur, p̃ Simeonem Metaphr. ex diuersis auctorum libris fuisse in unum redactas, & q̃ titulo alicuius eruditi uiri erant inscriptæ, eas sub titulo suo reliquisse, q̃ uerò ab alijs inscriptæ erant, rudi tamen et inculto stilo, eas ipsum multis laboribus & sudoribus exornasse, & eruditione sua expoliisse, prout Theodorus Balsamon, & Psellus auctores grauissimi, de quibus supra meminimus, asserere nõ uerẽtur. Ideoq; & Metaphrastæ nomẽ fuisse adeptũ, μεταφράζειν enim græce, latine est scripturã aliquam dilucidioribus uerbis sensu tamen & materia retentis interpretari. Quæ aũt à nemine adhuc scriptæ fuerant, sed quasi p̃ manum & traditionem à patribus habitæ, & p̃ ueris tentæ, has ipse primus eleganti & condito stilo descripsit, & legendas ecclesiæ proposuit. Tantaq; auctoritate Liber hic in lucẽ prodiit, ut apud Orientalem Ecclesiã quis sanctorum uitas præter unum Simeonem Metaphrastem scripserit, nec quæratur, nec reperiatur. Quinimo cum in suis Mineis & sacris sanctorum uitas recitet, non alias quàm ex istis desumptas legit, adeo pro certis, ueris & autenticis ab omnibus, & omnium auctoritate confirmatis habentur.

Ex hoc sequitur ualde errasse Raphaelem Volateranum qui XIX libro suæ Anthropologiæ inquit, Simon Constantinopolitanus ludi magister circiter ab hinc annis. CC. composuit græce Metaphrastas, id est sanctorum uitas quæ singulis mensibus leguntur, & habentur in Bibliotheca Vaticana. Nã ille Simon quem is ludi uocat magistrum, alter fuit a Metaphraste nostro, de quo non multa bona loquitur Nicephorus Xanthopulus. Nec Metaphrastes noster fuit tantum. CC. annis ante Volateranum, sed longe pluribus, utpote qui à Balsamone allegetur qui ultra. CCC. annos floruit, & Psello, qui ultra. CCCC. nec ecclesia græca preces & orationes eius, post Basilij & Chrysostomi supplicationes statim locasset, si tam recentis temporis auctor is esset.

Hæc fuerunt reliqua q̃ hoc uiro indicãda erãt. lege ergo candide lector & posteriorem hanc uoluminis istius partẽ, & illum uiuificantẽ spiritum qui assumere nobis hãc prouinciã suggessit, fusis precibus exora, ut ipse eandẽ ad desideratum finẽ perducere dignetur.

SANCTI MARTYRIS TRY-PHONIS VITA.

Februa. 1.

CVM DOMINVS & Deus & Seruator noster Iesus Christus, postq̃ Deus & homo ad homines aduenisset, & tertio die à mortuis surrexisset, & ad patrem cũ gloria esset assumptus, in Discipulos effudit spiritum sanctum, & eos diuina cognitione impleuit & virtute, ex eius plenitudine accepit vniuersa terra. & omnes homines fuerũt participes doni quod ex eo emanabat: & liberati quidem sunt à tenebris ignorantiæ & cultus simulachrorum: veræ autem luci Dei cognitionis euasere familiares. Nam cum non secus ac diuina & luce micantia fulgura, per omnes fines percurrentes, & non paruam afferẽtes illuminationem egresſi essent Apostoli, eorum qui videbant illustratos oculos, ne momento quidem tẽporis mox siuerunt sedere in tenebris. Alius autem aliam orbis partẽ sortiti, cum omnem gẽtem regionem & ciuitatem sibi distribuissent, eis iniecerunt veram scintillam veritatis. Quæ paulatim per eos qui apti erant accensa, in claram & sublimem euasit facem.

Hoc principium cum accepisset fides, ad tantum procesſit splendorẽ, vt consumptis profundis tenebris ignorantiæ, in diurnæ lucis statum oĩa transmutauerit. Huius post Apost. causæ & auctores fuere diuini Martyres. Qui cum veluti semẽ lucis ab eis accepissent, deinde tanq̃ violentis ventis traditi tentatoribus, id non solum non extinxerũt illatis iniuriis, sed etiam variis tormentis effecti clariores, ipsi quidem tanq̃ lucida Sydera, de cætero sunt collocati in cœli firmamento quod percipitur intellig ẽtia. Illinc autem clarisſime refulgentes, terræ vniuersæ lucem præbẽt. Ex his vnus est etiam beatus Tryphon, qui à diuinis & in quas non cadit interitus delitiis nomen sortitus, frugiferum germen orti deliciarũ. Qui è Phrygia quidem primum fuit editus, vico vero Cãpsade, qui est vicinus ciuitati Apameæ. A' piis autem parentibus ortus magis pius filius, ab ineũte ętate visus est Deo adeò esse gratus, vt indicatus sit idoneus ad ministrandas operationes spiritus. Quãobrem varij quidem morbi fugiebant à corporibus: Dęmoniorum vero vniuersa hominibus infesta natura, solo nomine Tryphonis flagellata, vel potius vsta virtute eius qui in eo erat spiritus, fugabatur quidem ab hominibus, abigebatur autem in intima deserti penetralia. Atque omnia quidem recensere miracula quæ ab eo facta sunt, non est præsentis temporis. Cum vnius autem in præsentia fecero mentionem, per quod gratiæ quæ in eo erat virtus posſit esse euidens, ad martyrium præclari Athletæ me conferam.

Anno CCXXV. post Augusti mortem, Gordianus accipit sceptra Romani imperij, vir quidem gentilis religione, sed Christianis non adeò grauis. Non enim is, sicut reliqui, mouit persecutionem aduersus Christianos. Ei nascitur vnica filia, corporis quidem specie & pulchritudine insignis, ingenio autem & intelligentia fœminas quæ erant suo tempore superãs: neque vlli cedebat in doctrina litterarum. Quocirca magnopere contendebant parentes vt eam integram & illęsam conseruarent. Primos vero

ciuitatis

ciuitatis qui eam ambiebant, magna vrebat ęmulatio. ipsa autem in munitis locis clausa diligenter & tuto custodiebatur. Vt vero à ciuitate Romanorum sanctus cognosceretur Tryphon: vel potius vt Christus in eo laudaretur, repente execrandum Dæmonium dictam Cæsaris filiam inuadens, eam impudẽter vexabat: assidue discerpebat: in aquam & ignem proiiciebat. & omni ratione eius vitę insidiabatur. Atq; dubitabant quidem omnes sapientes, hęrebantq; & manebant plane attoniti Medici, videntes affectionem esse miserabilem, non valentes autem ei omnino opẽ ferre. Animo vero anxius erat pater, affectioni nusquam vllum inueniens auxilium. tristis erat. ęgreferebat. tabescebat, donec ipse malus spiritus, maiori scilicet potestate coactus, suum inuocabat expulsorem. suum quidem percussorem: puellæ autem quæ ab eo vexabatur appellabat curatorem. Nisi, inquit, accesserit Tryphon, puellam non cessabo terrere. ab ea non recedam, nisi videro aduenisse Tryphonem.

Protinus ergo iussis exeuntibus imperatoriis, missisq; frequentibus litteris, vniuerso autem orbe terræ ferè percurso ad inquirendum Tryphonem: & multis quidem multis è locis emissis ad eos euocandos qui hoc appellarentur nomine, nihil autem valentibus efficere, peruenit etiam ad partes Phrygiæ hæc inquisitio. Significatur deinde is qui quæritur agere in vico Campsade. inuenitur propter paludem lacus qui est situs propè eum locum anserum curam gerens. Confessus autem is qui quærebatur, se esse Tryphonem, statim quidẽ transmittitur per eos qui ipsum inuenerunt, ad Præfectos Pompeianum & Potestatũ. Ipsi vero cũ eum equis publicis protinus imposuissent. Romam transmiserũt ad Imperatorem. Atque ille quidem iter recta confecit. agebat autẽ tunc ferè ætatis annum decimumseptimum. Malignus vero spiritus cum eis sensisset aduentum, tunc grauiter vexabat, & per puellam efferuescebat: & sæpe eiulans clamabat 1 se non posse amplius eius corpore vti habitaculo. propè enim adesse qui potẽti manu eum expellit. Adhuc enim, inquit, tres dies: & accedit Tryphon qui in nos accepit potestatem. Cũ sic multum clamasset & eam discerpsisset, exiit.

1 Dæmones confitẽtur sanctorum potestatẽ & uirtutẽ, hæretici miseri negãt. Et hac in re illis magis quã istis credi oportet propter credibilitatis talium euidentiam.

Tertio vero die ab excessu Dæmonis, Romam quidem venit sanctus, adducitur autem repente ad Gordianum. Quem cum lubẽter excepisset, agnouit eum esse qui Gordianam suam filiam curauerat. ex aduentu coniiciens præfixum terminum trium dierũ. Vt res vero esset certior & euidentior, rogabat vt Dæmonem oculis videndum produceret & eum interrogaret. Sex itaq; dies ieiunio & 2. intensis ad Dominum nostrum Iesum Christum vir sanctus vacans precibus, illucescente septimo, iam desuper maiorem & validiorem aduersus Dæmones consequitur potestatẽ. Nam cum nox quidem procul abesset, Sol autem suis radiis in terra subrideret, aderat quidem Imperator: aderant omnes Satellites & qui eius parebant imperio, ab eo petẽtes vt viderent aliquid admirabile. Diuinus autem Tryphon cum esset plenus diuino spiritu: in ipso vero immundũ quoq; illum spiritum intueretur intelligẽtia. Tibi dico, inquit, in nomine Iesu Christi appare iis qui adsunt. & eis ostende tuam turpitudinem & imbecillitatem. Simulatq; autem hoc dixisset, ecce tanq̃ canis aspectu deformis, niger colore, oculos habens tanq̃ ignem emittẽtes & caput humi defixum, coram omnibus apparuit.

2 Ieiunium & oratio instrumenta sunt habilia ad obtinẽdum à Deo quæcunq; ingentia beneficia.

Cui qui precatus fuerat Dei seruus. Dic, inquit, execrande quis te misit? Quis permisit vt hanc inuaderes adolescentulam? & quo cum sis talis, nempe tenebrosus & imbecillus, & plenus omni probro & dedecore, adeo audes contemptui habere & vexare quod factum est ad Dei imaginem? Dęmon autem rñdens, Mittor, inquit, à meo patre. Dicebat vero esse sibi patrem, auctorem & causam malorum qui etiam appellatur Satan. & ab eo iussum esse hanc puellam torquere. Et quænam est ei potestas, rursus dicit Tryphon. malitiæ, inquam, principi aduersus figmentum, quod constituit omnipotens bonitas & muniit sancto spiritu? Ille autem canis, etiamsi nollet, diuina 3 tñ quadam operatione vera rñdit omnibus audientibus. Nos nullam habemus potestatem in eos qui sunt pij in Deũ omnipotentem in eius Christum, pro quo Petrus & Paulus hic præclarum suscepere martyrium. Eos vero reuerentes fugeremus, nisi nobis esset permissum alicui extrinsecus leuem aliquam afferre tentationem. In eos autem omnino vires nobis vigent, & in eos tyrannidem obtinemus, qui suo animi proposito sectantur opera quę sunt nobis grata. Maxime vero grata nobis opera sunt cultus simulachrorum. blasphemia. adulterium. veneficium. inuidia. cædes. superbia. Per hæc enim & quæ ea consequunt, homines sua sponte nobis effecti familiares, suis factis tanq̃ laqueis implicantur. & ab eius quidem qui ipsos fecit alienantur bonitate: illaqueãtur autem nostris maleficiis. Cũ hæc ab eo dicerentur, Imperator & omnes qui aderant his auditis, repleti sunt horrore & admiratione. Et multi quidem ex infidelibus, Christo statim crediderunt. fideles autem stabiliti & testimonio inimici magis confirmati, Regi gloriæ laudem emiserant & gloriam. Increpatus vero ille immundus & sceleratus Dæmon, protinus euanuit ex oculis.

3 *Nota dæmonẽ diuina quandoq; uirtute cõpelli fateri ueritatẽ, etiam si nolit, Et id quoque, Petrum & Paulum Romæ fuisse martyrio coronatos, quod modo à nescio quibusdam impudẽtissime negatur.*

Cæsar autem hoc beneficio affectus & valde ea admiratus, cum plurimis donis & honoribus beatum Tryphonem esset ꝓsecutus, cura suorum Præfectorum eum suis restituit. Atq; quęcũq; quidem ex his ad eũ redierunt, & in via distribuit pauperibus. ipse vero cum donum venisset, consueta fidei sequens opera, & vacans beneficio afficiendis iis qui laborabant, erectam solum habebat mentem ad brauium superne vocationis. Cum autem decessisset Gordianus, Philippusq; execrandus & impius ei successisset in imperio, & ipse quoq; cito fuisset interfectus in bello aduersus Troglo dytas, Decius post eum renunciatur, vir crudelis & animo impudens. & feruens quidem furore circa simulachra: rabie autem intolerabili ab inhabitante in Dæmone motus aduersus eos qui nolebant eis sacrificare. Fuit vero hoc graue bellum aduersus Christianos. Non enim parabantur arma aduersus alienigenas, non tela & lanceæ: non rhomphæa & gladius vibrabantur aduersus eos qui faciebant iniuriam. sed rotæ & catapultæ vnguesq; ferrei & pectines, & omne genus suppliciorum comparabatur aduersus innocentes. Vnum autem in eos crimen intendebatur, nempe in Deum sanctitas. Cum ergo illic multa erumperet confusio, dicebat se videre, veluti quodam quod intelligentia percipitur ventilabre, purgari aream Dñi. Quicunq; enim leuitate mentis, & stramineis cogitationibus, verbum fidei videbantur suscepisse, ij perinde ac vi ventorum ventilati tentationibus, reseruabantur igni qui non extinguitur. Qui autem recta sententia & animo stabili adhærebant veritati, ij iniuriis & afflictio-

nibus inflammati, cum suæ fidei probationem Deo & hominibus ostendissent, in horrea cœlestia, tanq̃ purum frumentum, recondebantur.

Cum hæc sic fierent & vehementer vrgeret persecutio, defertur Tryphon ad Præfectum orientis. Aquilinus autem tunc gerebat Præfecti magistratum. Ad eum ergo defertur, q̧ vir quidam Apameensis, genere non ignobilis, doctrina excultus, arte medicus, Augustos valde despicit: & magnos quidem Deos subsannat, Christum autem solum Deum annunciat. & ea ratione fieri vt multi decipiantur à verborum eius magnificentia. Statim ergo emisit litteras & edicta cum minis vehementibus ad loci illius magistratus, vt eum qui quærebatur maxima celeritate ad eum adducerent. Fieri vero non poterat vt præclara fidei lucerna in sordido loco lucens lateret. Cum ergo audiuisset se quæri à persecutoribus, non recedit in solitudines: non densos & incultos obit montes. sed cum precibus & orationibus se in Christo muniisset, alacri animo accedit ad eos qui quærebant. & ad Aquilinum cum magno gaudio & prõpto animi studio, qui tunc agebat Nicęę, statim mittitur per millites cohortis. Cum ergo ei statim excelsum erectum fuisset tribunal, honesteq; & decore eum circũstetissent Satellites, dixit Põpeianus scriniarius maximi ordinis. Qui Apamea à Frontone legato ad vestram missus est magnificentiam, adest ad purissimum tribunal vestræ potestatis. Aquilinus Præfectus dixit, Qui adest, primum dicat nomen, patriam, fortunam, deinde religionem. Dixit S. Tryphon. Mihi nomen est Tryphon. Patria vicus Campsades vicinus ciuitati Apameæ. Fortuna autem apud nos nec est nec dicitur, qui Dei prouidentia serieq; & ordine ineffabili sapientiæ omnia fieri credidimus. non autem à fortuito & qui fit præterrationem concursu astrorum & à casu statuimus pendere ortum hominis. Sum vero liber moribus & vitę educatione, vni soli Christo seruiens. Christus enim est mihi religio. Christus mihi gloria & corona gloriationis.

Dixit Præfectus. Existimo te in hodiernum vsque diem nondum cognouisse iussum Augusti, qui iussit quemuis hominem qui hoc nomine se iactat, & ad Deos colendos est durus, tradi morti violentæ. & te remoue à tali deceptione, ne igni tradaris. Dixit sanctus Tryphon. Vtinam mihi liceat & igne & omnibus tormentis consumi pro nomine Iesu Christi Domini mei & Dei. Dixit Præfectus. O' Tryphon suadeo vt Diis sacrifices. Video enim præter ætatem corporis, te quoque perfectũ sensum animi ostendere. nec per Deos volo te male mori. Dixit sanctus Tryphon. Perfectum habebo sensum, si Deo meo perfectam obtulero confessionem. & pulchrum depositum, nempe in ipsum fidem, eam non negando conseruans me ab omni reprehensione vacuum & integrum sacrificium obtulero Christo qui fuit pro me sacrificatus. Dixit Præfectus. Igni tradã tuum corpus, & acerbissimis suppliciis cõsumam tuam animam. Dixit sanctus Tryphon. Mihi minaris ignem qui extinguitur, & simul deletur cum ea quæ accendit materia, cuius finis est cinis. Ego autem eum qui non potest extingui, & est æternus contrà minor impiis. Recede, inquam, à rebus vanis. & cognosce eum qui est vere Deus. ne si forte illius ignis feceris periculum, te malorum pœniteat. Hæc cum audiisset Aquilinus & ira fuisset percitus, iubet eum suspensum cædi.

Cum primum ergo prolata fuisset sententia, beatus Tryphon cum ve-

stem exuisset, & venerãdum illud & pulchrum corpus prõptõ & alacri animo tradidisset lictoribus, in ligno suspenditur. & manibus pone circũactis vincitur. Cum ipse autem tribus horis cęderetur & animum quidem firmum & stabilem & inuulnerabilem Christo ostenderet, silentio vero plagas tanquam alio patiente sustineret, dicit Pręfectus Aquilinus. Pœniteat te ò Tryphon huius importunæ amentiæ, & profitere te Diis esse sacrificaturum. Nemo enim resistit edicto Imperatoris, qui nõ acerbe & violenter ex hac vita excesserit. Dixit sanctus Tryphon. Ego quoque tibi dico. Nemo qui Regem cœlestem Christum negauit, vitam æternam cõsequetur: sed transmittitur ad ignem æternum & qui non potest extingui. Dixit Præfectus. Rex cœlestis nõ est alius nisi magnus Iuppiter, Saturni & Rheæ filius. Is est pater hominumque Deumque, cui qui non paruerint, minimè possunt viuere. Cui tu quoque debes parere, vt dignus censearis vita iucundissima. Dixit Sanctus Tryphon. Similes fiant Ioui Deo tuo qui eum pro Deo colunt, & omnes qui confidunt in eo. Quẽ dicunt quidem primum fuisse præstigiatorem hominem & sceleratum ac perniciosum, patremque cuiusuis nefarię actionis & impietatis. Post eius autem decessum, aureas & argenteas statuas ei erigentes qui fecerunt similia opera dedecoris, Deum pronuntiarunt, suæ libidinis & intemperantię afferentes excusationem, quod is in Deos sit relatus. Idem modus cernitur etiã in aliis qui falso vocantur Dij. Sic vos falsam multis retro seculis datam sequẽtes traditionem, inanimæ materiæ & surdę cultum impie tribuitis, Deum viuum negligentes, qui cœlum firmauit: terram super aquas stabiliit: aërẽ effudit. & cum rebus omnibus creatis formam dedisset, hominem Dñm in ipsis postea formatum constituit. Cuius decepti à maligno serpente, & innumerabilibus tracti erroribus & exitiis, Deus Verbũ misertus, homo fieri voluit. & nobis simili forma suscepta, in ea in crucẽ actus & sepultus, cum tertio die resurrexisset & in cœlos esset assumptus sedet ad dexteram maiestatis in excelsis. donec quæcunque res est creata eum agnoscat. & sic è cœlis cum diuina virtute & gloria apparens, reddet vnicuique cõuenienter suis actionibus. Hic est Deus Deorum, Rex Regum, & Iudex viuorum & mortuorum. Qui autem à vobis Dij existimãtur, sunt ęterni ignis fomites cum iis qui ipsos colunt.

Hæc cum diceret beatus Tryphon, Aquilinus summo furore percitus, eum quidem iubet de ligno deponi, se autem sequi vinctum, exeuntem ad venationem. Licebat ergo videre acerbissimum tormentum infligi martyri. Nam plantæ pedum eius disrumpebantur, quæ non solũ nudæ obiiciebantur frigori hyemis intolerabili, sed etiam conculcabantur equorum pedibus. carnes autem ei dilaceratæ, per terram dispergebantur. Martyr vero semper ad Dñm intuens, dũ in eo foueretur & recrearetur, non ægre
» ferebat dolorem, psallẽs. Perfice Domine gressus meos in semitis tuis. vt
» non commoueantur gressus mei. Et rursus. Gressus meos dirige secũdum
» eloquium tuum. & non dominetur mei omnis iniquitas. & quę deinceps
» sequuntur. Præter hæc emittebat etiã voces primi Martyris, dicens. Dñe ne statuas eis hoc peccatum. Cum à venatione autem sero rediissent, dicit Aquilinus accersito Martyre. Nunc ne tandem ò miser, tibi persuasisti sapienti vti ratiocinatione & Diis sacrificare: an adhuc pristina teneris insania? Dicit sanctus Tryphon. Cum rationis expertis insanię & imprudentiæ

dentiæ ſis ipſe plenus, à Diaboli offuſa tibi temulentia non potes reſipiſcere, & adorare creatorem vniuerſorum. Ego autem ſapienti vtor ratiocinatione, non recedens ab ea quæ dat ſalutem veritate. Dicit Aquilinus Præfectus. Nunc redeat in carcerem, & reſeruetur ad alteram examinationem. Forte cum fuerit ſolus, ſe admouebit vt deſiſtat ab hac mala perſuaſione. Cum ſic dixiſſet, ad finitimas regiones eſt profectus.

Cum autem aliquot dies interceſsiſſent, Veniēs rurſus Nicæam & ſedens in tribunali, ſiſtendum curauit ſanctum Tryphonem, & dixit. Num te prolixitas temporis admonuit vt pareas Imperatoribus, & ſupplex procidas Diis Seruatoribus? Cui dixit Sanctus Martyr. Deus meus & Dñs Ieſus Chriſtus, cui pura mente ſeruio, admonens admonuit, & confirmauit, vt immutabilem & immobilem in eum fidem teneam. Quamobrem eum ſolum vt verum Regem & Deum attendo: tuam autem infelicitatem & tui Imperatoris deſpicio arrogantiam: & eorum quę à vobis coluntur auerſor vanitatē. Dixit Iudex. Acutis clauis eius pedes perforate. & verberatum per mediam ciuitatē exigite. Cum diu autem ageretur ſanctus, & ſanguis diſpergeretur, & labores intenderentur, & temporis aſperitas exhiberet moleſtiam, erat enim vigor hyemis, inflexibilis & inuictus manſit cogitatione. Nam ante ſe Chriſtū præuidens, & conſiderans beatitudinem quæ ſanctis eſt repoſita, perinde acſi eſſent rorantes imbris ſtillæ, ſuſtinuit vel niue denſiora ſupplicia.

His autem valde obſtupefactus Aquilinus. Quouſq;, inquit, ò Tryphon, non ſenties tormenta? Quouſq; te non tanget dolorum acerbitas? Sanctus vero Tryphon reſpondit. Quouſq; tu non intelliges virtutem Chriſti quę in me manet? Quouſq; non deſines tentare ſpiritum ſanctū? Miſer, nondum ſenſiſti inuictam eſſe Chriſti potentiam? Tunc ira repletus impius, iubet eum circumactis vlnis verberari virgis. Deinde eius lateribus adhiberi faces ignis. Cum ergo cum magna vehementia hęc ei infligerentur tormenta, diuinus quidam ſplendor eum repente illuſtrans & circunfulgens, diuinamq; & omni ex parte pulchram coronam florētem gemmis præbens, ſtupore quidem afficit eos qui de ipſo habebant quæſtionem, qui quidem putabant eum torqueri. cum hoc magnum & quod naturam longe ſuperat vidiſſent miraculum. & effecit vt prę ſtupore ij in terram caderent. Chriſti autem Martyr, à ſuperis adueniſſe expertus defenſionem, impletus fiducia & exultatione, Deo cōfitebatur, dicens. Dñe ago tibi gratias, q non reliquiſti me in manibus inimicorum: ſed obumbraſti ſuper caput meum in die belli: & dediſti mihi protectionem ſalutis. & dextera tua ſuſcepit me. Et nunc Domine rogo te, adſis mihi perpetuo confirmans & defendens. & dignare me perfecte & ſine vlla offenſione decertare hoc pulchrum certamen confeſsionis. vt etiam corona iuſtitiæ dignus habear cum omnibus qui tuum nomen ſanctum dilexerunt. Quoniam ſolus es glorificatus in ſecula. Amen.

Rurſus autem execrandus ille Iudex accerſens Athletam, & veluti adulari prę ſe ferens. Sacrifica, dicebat, ò Tryphon, magno Ioui, & adora imaginem Cæſaris: & ego te dimittam maximis honoribus affectum & muneribus. Sanctus Tryphon ſubridens dixit. Si illum ipſum Auguſtū deſpexi, & à ratione aliena eius iuſſa reſpui, inanimam eius imaginem humana arte & coloribus formatā adorabo? Abſit. De Ioue vero & aliis

tuis qui falso nomine dicuntur Dij, interroga eos qui inter vos se iactant de sapientia, qui quod ex iis quæ de iis dicuntur fabulis, iis qui sapiunt apparet turpe, conantur effugere, Iouem quidem dicunt æthera. Iunonem autem aërem. & Cererem terram. & Neptunum quidem mare. Apollinē vero Solem, & lunam Dianam nominarunt. Iidem mihi videntur Mercurium quidem orationem, Martem autem iram, & Venerem cupiditatem dicere per allegoriam. Et sic vnāquāq; mundi partem, quinetiā ipsos animę habitus simulachra constituentes: & vniuersorum quidem opificē insane relinquentes: rem autem creatam magis q̃ creatorem colentes, non solum ipsi à recta sententia excidentes, ad animæ interitū ferimini præcipites: sed nos etiam cōtenditis attrahere, vt simus participes eiusdem barathri & exitij. sed prædam dolosi minime assequemini: nec eos qui vere sperauerunt in solum Deum fortem & viuum, à recta mente abducentes, vana simulachra attendere persuadebitis. Admiratus est, hæc verba audiens Aquilinus: valde magna autem repletus acerbitate, eum rursus cędi & per omnem contumeliam flagris iussit verberari. Vt, inquit, cōsumatur animæ eius arrogantia. Cum is vero cęderetur & per omnem contumeliam flagris verberaretur, eadem erat ei stabilitas. Quo magis autem remittebatur robur corporis plagis intolerabilibus, eo magis cordis confirmata constantia, præclariorem ostendebat fortitudinem.

Cum ergo vidisset Præfectus se ea aggredi quæ fieri non poterant, sic tulit sententiam. Tryphon Apameensis qui repugnauit iussui Imperatoris, neque Diis voluit sacrificare, post multa inflicta tormenta capite luat pœnas. Statim ergo milites cum eum eduxissent è ciuitate, adducunt in locum in quo illud venerandum & Deo carissimum caput volebāt amputare. Sanctus autem Martyr stans ad orientem, vocem suam extulit & sic orauit. Domine Deus Deorū. Rex Regum. sancte sanctorum, ago tibi gratias q; me dignum censueris qui hoc certamen peragerem citra reprehensionem. & nunc rogo te ne me tāgat improba & insidiosa manus inimici: neque me trahat ad profundum interitus sed per sanctos Angelos magnificæ tuæ gloriæ, in dilecta tabernacula & in desiderabilem & immaculatam tuam introducēs hæreditatem, suscipe in pace animam. Omnibus autem qui tui famuli meminerint, & in meam gratiam tibi sacrificia offerre voluerint, attende ex venerando tuo habitaculo ex cœlo sancto tuo, copiosa & ab interitu aliena eis contra remittens beneficia. Quoniam es solus bonus, & largitor bonorum in secula seculorum.

Hæc cum orasset Athleta, & Deum adorasset, anteq̃ feriretur gladio tradidit animam. Qui autem Nicæam concurrerant fratres, mundis sindonibus 4 & variis aromatibus sancti Martyris venerandas ad sepeliendum componentes reliquias, volebant quidem eas recondere vt essent custodes suę ciuitatis. Sanctus vero apparēs in somnis, iussit eas trāsferre in suum vicum, nempe Campsadem quod etiam fecerūt. Sic beatus Tryphon à teneris vnguiculis Deo consecratus, cum multos quidē ad Christi fidem adduxisset, multos autem morbos hominum curasset: plurima vero post hęc tormentorum & suppliciorum genera pro veritate pertulisset, redimitus fuit corona incorruptionis. Ad gloriam patris & filij & Spiritus sancti, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

4 *Vide hic mundis sindonibus et uariis aromatibus uenerandas martyris reliquias cōponi ad sepeliēdum. Vide & sanctorum corpora custodias gerere ciuitatum.*

SANCTI PATRIS NOSTRI *Ioannis Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, cognomine Chryſoſtomi, De occurſu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de Deiparente & Symeone.*

NON ſolum fert carnem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſed etiam ex lege circunciditur. vt auferat prætextum Iudaicæ incredulitatis. venit enim ad legẽ pro lege. vt Diſcipulos liberet per fidem legis. & accipit carnem & circunciditur cum Iudæis. Fuit carnis particeps: fuit etiam particeps circunciſionis. Confirmauit cognationem, vt non negarent eum qui venit. Ex ſemine Dauid Chriſtus expectatur. oſtendit argumentum cognationis. Si enim etiam cũ eſſet circunciſus, dixerunt, Neſcimus vnde ſit. Si non fuiſſet carne circunciſus, excuſationem rationi conſentaneum habuiſſet eorum negatio. Qñ ergo impleti fuerunt dies octo, vt puerum circunciderent. Erat Ieſus expectans augmentum inſtrumenti. Quando impleti fuerunt dies octo. iubet enim lex circuncidere puerum octauo die. Et ſi venerit dies octauus, venit in medium Medicus: & ſumit ferrum, & exercet artem. & ceſſat ſabbatum in circunciſione. Februa. 1.

Rogemus ergo Iudæos. Sabbatum eſt remiſsio. Perfectum otium eſt dies. Qua de cauſa octauus eiicit ſeptimum? Quamobrem fit octauus ſupra ſeptimum? Sed Iudęi quidem non norunt Iudaica. Eccleſia autem nouit Chriſtum & diſciplinas Iudaicas. Circunciditur enim infans die octauo. quoniam octauo futura erat reſurrectio, ſeu Dominica circunciſio totius mundi. Cur enim non iuſsit Moſes ſexto circuncidere? Cur non nono aut decimo? Eſt ergo manifeſtus octauus quo ſurgit Dominus. Si quis ergo non credit reſurrectioni, eſt corde incircunciſus. propter incredulitatem à Deo alienatus. Circunciſio autem fidei eſt vera cognitio & ſenſus. Propterea ò dilecte, circunciſio traditur fidelibus ratione ſancti baptiſmatis, & ſuppeditatur ſimul cum cognitione. Sãctum vero baptiſma eſt typus Chriſti reſurrectionis. Tranſi à carne ad ſpiritum. & ab eo quod eſt corporeum, ad deductionem ſpiritus. & inuenies illic quidem carnalem circunciſionem: hic autem ſpiritalem peccatorum purgationem. Octauus vero eſt circunciſio. Illa autem eſt etiam reſurrectio. reſurrectionis vero figura baptiſma. aparuis ad maiora. à corporeis ad ſpiritalia. Veniãt ergo Iudæi et proficiant. Oportet enim proficere à carnalibus, & non manere in eis. Dominus ergo noſter Ieſus Chriſtus, qui non venit vt ſolueret legem ſed vt adimpleret, fuit circunciſus cum Iudæis. "Impleti ſunt ergo octo dies vt circunciderent infantem. & vocatum eſt nomẽ eius Ieſus, quod fuit ei vocatum ab Angelo priuſquam ipſe fuiſſet conceptus in vtero." Nã nos quidem vocamur poſtquam nati ſumus Ieſus autem vocatur, priuſquam ipſe fuit conceptus in vtero. Ieſus vero fuit vocatus, quoniam fungebatur munere ſeruatoris.

"Et quando impleti ſunt, inquit, dies purificationis eorum, ſecundum legem Moſis." Cuiuſnam purificationis? Mariæ & Ioſeph. Iuſsit enim lex purgari mulierem quæ recens pepererat, conſeruare dies, & in eis nõ pro-

„ gredi. Quando ergo impleti sunt dies purificationis eorum secundum le-
„ gem Mosis. Atqui non necesse erat virgini. Sed tamē lex fuit impleta. De
„ duxerunt eum Hierosolyma, vt sisterent Domino. quomodo scriptum est
„ in lege Domini. Vbi est purgatio corporis, dicit secundum legem Mosis. Vbi autem sistitur sanctus, Quomodo scriptum est in lege Domini. Non quod lex Mosis non esset lex Domini. Nam quæcunque loquitur propheta spiritum sancto differens, non ipse loquitur, sed Dominus suggerit. Quoniam tamen purificatio habebat figuram corporalē, dicit lex Mosis. Quoniam autem sistebat primo genitum, dicit secundum legem Domini, hono
„ rans id quod factum fuerat. Quemadmodum scriptum est in lege Domini. Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Hæc ergo oratio & lex tota & causa legis, posita est propter eū qui erat aperturus vuluam. Vniuersa enim primo genita animaliū & hominum, nunquam aperuerunt vuluam. sed erant solum primo genita. Quem autem virgo peperit, ipse solus vuluam aperuit. Vide ergo mihi totius legis descriptionem, propter eum qui erat nasciturus ex virgine. Vndenā autem poterant Iudæi eam intelligere. Nam cum sint carnales cogitatione, longe abest vt possint intelligere cursus ortus spiritalis. Deinde ascendunt vt dent hostiam secundum quod dictum est in lege, par turturum, aut duos pullos colūbarū: Fiebant aūt hęc quoque ex lege typice, vt nihil deesset ad legis implementum. Veniamus iā de cætero ad expositionē euangelicam.

„ Et ecce homo in Hierusalē cui nomen erat Symeon. & homo ille iustus
„ & pius. & erat spiritus Dei in ipso. & is acceperat responsum à spiritu san
„ cto, se vitam nō prius esse finiturum donec videret Christū in carne. Erat senex expectabat promissum. manebat intus in templo. illud dicens apud se. Vbicūque sit natus, omnino huc veniet. Is venit in spiritu in templum illa hora quando parentes obtulerunt puerum. Nam sæpe quidem veniebat, sed suo proposito. Tunc vero à sancto spiritu deductus. venit oppor-
„ tune ad implendum promissum. Is accepit in vlnis Iesum, & benedixit
„ Deum, dicens. Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum
„ tuū in pace. Vnde dimittis? Ex versa huius vitæ. est enim res molesta & plane carcere vita. Ille ergo venit vt dimitteretur. Si quis autē damnum esse putat hinc recedere, is nondum est fide perfectus. Dicebat autem, Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuū in pace. Qui enim mundo facturus est pacem, accessit. Venit enim pacificator. qui terræ cœlum coniungit, & terram cœlum constituit. Per Euangelicam doctrinam
„ clamat Symeon. Nūc dimittis seruum tuum Domine, secundū verbum
„ tuum in pace. Quoniam viderūt oculi mei salutare tuum. Quid est quod dicit. Nam prius quidem credebāt cogitationi, & cognoscebant ratiocinatione. Nunc autem viderūt oculi mei. Quod enim cor meum expectabat, viderunt oculi mei. consummatus sum. Quid autem vidi, inquit. Salutare tuum, quale? Quod parasti ante faciē. non vnius populi. neque solius Israelis: sed ante faciem omniū populorum. Est enim natus magister omnium.
„ Lumen ad reuelationem gentium. & gloriam plebis tuæ Israel. Hic gloria. illic reuelatio. Illic principium doctrinę: hic consequens disciplina. Et gloria populi tui Israel.

Sed omnino dicet quispiam, Et vbi sunt Israelitæ? Habe Petrum. habe Paulum. habe Ioannem. Habe tria millia. habe quinque millia. Habe

ecclesiam Hierosolymitanam. Habe eos qui crediderunt ex gentibus. erat enim gens inter eos qui crediderunt. Nisi enim Dominus reliquisset nobis semē, facti essemus sicut Sodoma: & Gomorrhę similes facti essemus. Deinde, Reliqui mihi septem millia virorum. Sic in populo conseruabatur semen fidei: & non perierat totus populus. absit. neque interierant omnes Iudæi. Nam nunc quoque in hoc beato statu & vocatione, Multi quidē vocati, pauci vero electi. Vocauit enim Christus vniuersum orbem terræ & parauit sanctum conuiuium Euangelij. Sed cum venerit, ingredietur & faciet electionem. Diligenter scrutatur eos qui recumbunt. & si inuenerit aliquem non habentem vestitum nuptialem, Dicet ei, Amice, quomodo huc intrasti? Quamobrem & illic facta est electio, & hic fiet electio. Nō enim quoniam vocati 1 sumus, ex eo debemus nos insolenter gerere, vt qui id quod est perfectum obtinuerimus. Lapsus enim primorum fiat nostra cautio. Sic ò dilecte, populus non omnino periit, neque totus fuit incredulus. neque totus fuit persecutus Apostolos. Sed crediderunt per Apostolos tria simul millia, præter mulieres & pueros. & fuit Hierosolymis ecclesia decies mille hominum. Templo enim nondum euerso, & necdum erectis Iudæis, & nondum diruta Hierusalem, ædificata fuit ecclesia. & fuerunt Ioannis verba euidens veritas Illum oportet augeri, me autem minui.

1 Vides non sufficere uocantis gratiā, nisi etiam inuigilet collaborantis industria?

Symeon ergo cum esset Propheta, dicit gloriam populi tui Israël. Erat enim gloria expectantium, aduentus eius qui expectabatur. glorificāt Ioseph & Maria ea quæ dicuntur. Angelus annunciauit. Magi agnouerunt. Pastores audierunt. exercitus Angelorum duxit chorus. stella ex acto significauit. Symeō prophetat. Anna vxor Phanuelis prophetat. terra verba fecit. cœlum est elocutum. Magi Tyrannum negauerunt. Pastores adorarunt Christum principem pastorum. Omnia agnouerunt mater cognouit. Ioseph audiuit. Propter res tremuerūt. intellexerunt autem rerum quoque euentum. Et benedixit eos Symeon. & dixit Mariæ matri eius. Ecce „ hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in si- „ gnum cui contradicitur. Is quorum ruinam? Eorum scilicet qui non cre- „ dunt: qui contradicunt: qui in crucem egerunt. In quorum autem resurrectionem? Eorum qui agnoscunt. memoriq; & grato animo confitentur. Et in signum cui contradicitur, Quod signum dicit? signum 2 crucis, qđ ecclesia nouit mundi salutare. cui inimici sunt Iudęi. quod sępenumero cœlum quoque prædicauit. Cōtradicitur autem signo, vt vincat veritas. Nā absque contradictione non est integra victoria. Oportebat ergo introduci contradictionem: vt Iudex per totum seculum ferat sententiam. Quamobrem dicit, Et in signum cui contradicitur. nempe ab incredulis.

2 Signum crucis nouit Ecclesia mundi salutare.

Tu vero inquit, videris esse mater. Num autem tu euades sine tentatione. quoniam tu te fateris esse matrem. quoniam eum peperisti. quoniam visa es ei tuum commodare vterum. Fuit enim venter tuus vas operationis. Euades'ne ergo sine tentatione, quoniam fuisti Dei parens. quoniam peperisti non experta nuptias? Quoniam fuisti constituta num eris sine tentatione? Sed tuam quoq; ipsius aīam pertransibit gladius. Quare ò Domine? Quid enim ego peccaui? Nihil quidem peccasti. sed quando videris eum pendentem in cruce. quando videris eum pro mundo patiētem. quando videris eius manus extensas in cruce & in ligno clauis affixas, incipies dubitare & dicere. Hic ne est de quo mecum Angelus est locutus?

Caute lege, & verbum dubitare potius pro vehementer ex pietate & cōpaſsione admirari, positum accipe. Nā beatiſsima virgo de filij ſui diuinitate nūq̄ dubitauit, ceu quę de ea cum ab angelo ānūciaret certiſsima reddita fuerit. Sic accipe dubitationē paulo post. Vel propius ad intētionē Auctoris loquendo dici poſset Chryſoſtomū aliquantulum in hoc exceſsiſſe, vt dicit etiā D. Thomas ſup dictum eiuſdē exponētis illud Io. 2. Vinū non habent.

Hic ne eſt in quo fuit miraculum meæ conceptionis? Virgo eram & pepē ri. Quare hic in crucem agitur. Et tuam ipſius animam pertrāſibit gladius. Quamobrem nemo eſt qui non tentetur. Petrus ter negauit. Alij Diſcipuli eo relicto fugerūt. Neque enim opus habebat paſtor præfectura ouium. neque Athleta opus habebat iis qui ei opem ferrent. ſed omnes receſſerunt. Chriſtus autem erat ſolus tanquam aries ſuſpenſus. Pertranſiit ergo eius quoque animam gladius. tentatio. dubitatio. Et tuam quoque ipſius animam pertranſibit gladius, donec reuelate fuerint ex multorum cordibus cogitationes. Quamobrem patitur Ieſus ad conuincēdam incredulitatem ad confirmandum gratum animum credentium. Contradicitur autem ſigno, vt conuincantur qui contradicunt propter improbitatem. Si enim veritati nō cōtradiceretur omnino apud homines, nequaquā probata eſſet pietas. Cōceſsio vero cōtradictionis, electioni veritatis affert probationē.

Signo contradicitur. Quomodo enim probati ſunt Martyres in perſecutione? Dum decertarunt effecti victores per tolerantiam. Vide quantum iuuit contradictio. Non ſolum enim conſtituit, vt quis dixerit, fideles, ſed etiam Martyres, qui ad tormenta vſque & mortem proceſſerunt, & præbuerunt guſtum gratiæ Chriſti per ſuam tolerantiam. Quando ergo dicit Symeon. Ecce hic eſt poſitus in ruinā & reſurrectionem multorum. & in ſignum cui contradicitur, intelligitur quod neque ruinam operatur, neque vi adducit reſurrectionem. Sed poſitus quidem eſt in ruinam, iis qui offendunt ad lapidem offenſionis. In reſurrectionem autem, iis qui ſua ſponte credūt. Poſitus eſt enim, inquit. quomodo ſi dixerit quiſpiam, flux oritur. vt qui ſani ſunt videant. ij autem quibus dolēt oculi, radios lucis magis fugiant. Quomodo vero illi quidem ceciderūt, vt qui digni eſſent vt conuincerentur: hi autem ſurrexerunt, bonam ſpem habentes ſua ſponte, niſi ſigno contradiceretur? Et quomodo dicit Symeō, Et in ſignum cui contradicitur? Ne eos qui credunt alienet contradictio: quoniam veritati quæ eſt ex Deo contradicitur. Et quis audet aut poteſt niſi Deo concedente contradicere? Neceſſaria autem eſt conceſsio. erit enim quando non amplius contradicetur. Qñ enim ſignum fulſerit, cœleſtium terreſtrium & infernorum & omniū deniq; lingua confitebitur, ꝙ Dominus Ieſus Chriſtus in gloriam Dei patris. Nam quandiu quidem ſignum ipſum ſolū apparet, nuſquam aūt videtur quod ſignificatur, ſigno contradicitur. Qñ autem is qui ſignificatur reuelatus fuerit ſecundo ſuo aduentu, non audebit amplius aliquis ſigno cōtradicere, cum is qui ſignificatur, adſit manifeſta diuinitate aduerſus eos qui contradixerunt. Tunc qui ſignum quidem ſuſceperunt, glorificabuntur ab eo cui contradicitur. Qui autem ſigno contradixerunt, condemnabuntur ab eo qui eſt ſignificatus. & erit aliquando finis contradictionis: finis dubitationis: finis incredulitatis: finis erroris: principium vero præmiorum & coronarum: Quas detur nobis omnibus conſequi in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cui gloria & potentia nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum.

Amen.

ITEM SANCTI PATRIS NOSTRI

Gregorij Episcopi Nysseni oratio De occursu Domini, & de Deiparente, & de iusto Symeone.

QVI cœlestium rerũ sapiẽtia est sublimis, & terrenarum rerum despicientia excelsus, Paulus ille mens à Deo afflata lingua à Christo mota. celeriter scribentis scribę speciosissimus calamus, qui ecclesiæ pulchre descripsit dogmata veritatis. quæ est in manu potẽtis sagitta à Deo fabricata, quæ in corde principis tenebrarum huius mundi certam inflixit plagam. quod ab Hierusalem circuncirca vsque ad Illyricum, vel potius vsque ad fines terræ apparuit fulgur. Diuini tonitru in mystica Euangelij rota, quæ voluebatur per vniuersum orbem terræ, vox clarissima & maxime sonora. is tanquã ex ipsis paradisi adytis loquens, vbi audiuit verba ineffabilia. vel potius tanquam ex ipso excelso & sublimi throno gloriæ vbi assistit, honorificum parãs comitatum præsenti sancto festo Domini, ad excipiendum Regem gloriæ, tanquam mysticum quẽdam senatum, ecclesię populum, regale Sacerdotium, per seriem, vt ita dicam, parat: & honestæ vitę numerosum & cõcinnum tradens ordinem, dicit. Fratres, Ne efficiamini pueri mente. sed estote malitia infantes. Sic ,,
enim cum perfectissimo & æterno Deo cuius diem 3 festum. hodie celebramus, qui propter nos secundum carnem infans fuit in extremis diebus, ex quo omne donum & quidquid perficit. qui virtutis admirabilem secũdum naturam perfectionem in humana sua ostendit cõstitutione, concorporales fiemus & comparticipes. & ad eius honorem & gloriam erit conuentus ecclesiæ. Sic enim nuper genitam eius corporaliter diuinam apparitionem, describit characteribus diuinæ eius perfectionis. Priusquã, inquit, ,,
cognoscat puer bonũ aut malũ, Non paret improbitati, eliget bonũ, quod ,,
est summæ. & perfectissimæ discretionis & re vera prudentiæ indicium.

3 *Nota festum Purificationis beatæ Virginis.*

Ad cuius similitudinem nos instruẽs magnus Apostolus dixit id quod prius est positum diuinitus inspiratum eloquium. vtpote q̃ in eo quæ est ad eius imaginem & similitudinem Dei fabricatio, in nobis similiter agnoscatur, & innotescat summa sanctitas primariæ pulchritudini. Quomodo enim cum Regi qui sub eo sunt exercitus, appareat gloriosam & magnificam pompam, deauratos & deargentatos esse conuenit eos qui sunt congregati vt satellitum munere apud eum fungantur. & illius spectaculi effigiẽ proponi oportet significantissime. Sic nos quoq; qui transformamur renouatione mentis nostræ, & veterem hoĩem exuimus, & diuinæ imaginis similitudinem quoad eius fieri potest ab hoĩbus, in nobis circũferimus, sic ad salutaria & spiritalia festa accedere necesse est, vt sint nobis, conuenienter ei quod dicit Propheta, ieiunium quartũ, & ieiunium quintum, & eiunium septimũ, & ieiunium decimum ad lætitiam, & ad bona festa, vt ieiunium. s. intelligatur anagogice, in eo q̃ abstineatur & temperetur ab oĩ inquinamento & carnis & spiritus. Nam per quartum & quintum, septimumq; & decimum significatur quæuis carnalis species, adnata sensibus qui facile decipiuntur, & quæ cũ vita præsenti concluditur. Corpori enim deditam & carnis magis amantem viuendi rationem, per quartum disci-

mus, vtpote quod ex quatuor elementis sint corpora contemperata. Quæ est autem per sensus cadendi facilitatem, vtpote q sint quinque, significat nomen quinti. Septimus vero cōuenienter ei quod dicit Solomon, id quod septenarij ritu in se reuoluitur inferne sortis seculum videtur significare. Decimus autem ostendit interni hominis expurgationem à sensibus, qui est deductus ad ea quæ sunt extrinsecus. vt sit mentis oculus simplex & pellucidus. vt sit totum corpus lucidum, vt dicit sanctum Euangelium. & auris animæ, diuina exultatione impletur & lætitia. quam fore vt auditum accipiat magnus quoque Dauid est pollicitus eius vero gustandi facultas, exerceatur in Domini benignitate. Sicut is qui psallit inter prophetas eloquitur. & in susceptione Christi boni odoris, quem spirauit, consistat odorandi habitus. & internis manibus discretionis, contrectet verbum vitæ, vt dixit filius tonitru. Mētis enim sensuum in his exercitatio, in eorū quę sunt his contraria abstinentia & alienatione, id quod apud Deum laudatur efficit ieiunium. & ita fit vt nos recte geramus, q vitio quidem simus infantes simus autem in perfectione prudentiæ, quæ est ex Deo.

Sic Apostolicarum & propheticarum doctrinarum, ex fontibus spiritus, confluens mens magna & excelsa, & Dei fluuium implens aquis mysticis Dei cœlestem ciuitatem, quæ ex supercœlestibus cōsistit virtutibus, scit lætificare impetu huius fluuij. vt audiuimus canentem psalmodiam. Supernorum enim spirituum sanctus cœtus, salute hominum valde lætatur. Sic enim cœlestia simul cum terrestribus cōmuniter solent festum agere, ijs qui sunt in terram angelicam vitam amplectentibus. Quando enim hic Deus noster, quem præmonstrando annunciauit Propheta, in terra visus est, & cum hominibus est conuersatus: & supernam beatitudinem quę in terra plantabatur, aspexerunt Angeli, Gloria in excelsis Deo eloquebantur: & in terra pacem annunciabant, cum diuina voluntas fuisset in hominibus. Sic qui suum diuinum ministerium eximium, vereq; purum & singulare esse gloriantur, sanctorum Angelorum beati cœtus, veræ sanctitatis in nobis videntes characteres, non nos reijcient quin assumant participes suæ purę & sinceræ lętitiæ quomodo eum qui sordida erat veste indutus à diuinis secerni nuptijs fecit Euangelicæ oratio parabolæ.

Etenim quando in archetypo, vt ita dicam, tempore præsentis festi, qui erat in forma Dei, & serui formam acceperat: qui fuerat Dei & hominum intercessor, legis implēs pręceptum, cum esset quadraginta dierum infans verbum æternum, ad templum cum matre est profectus. & vt par erat in decreto sacrificio, incorporeorum ordines collum seruiliter inclinantes, ex eo quod non est aspectabile, quæ Deum decet pompam parabant. & ineffabilis sapientiæ pelagus diuinis efferebant laudibus: & legalis litterę quę est magis ad manum constitutionis trāsmisionem, mysterij absconsi manifestationem, in Deo qui omnia creauit expectabant. cuius quidem nos hodie celebrantes commemorationē, expleamus nos deliciis spiritalium contemplationum sicut mentes incorporeæ. & diuinorum miraculorum maiestatem glorificantes, erimus socij illorum dignitatis. nō legali vmbra oculum animæ obscurantes: sed vt dicitur à sapientiss. Paulo, reuelata facie gloriam Domini tanq̄ in speculo intuentes. Nam cum lex dicit omnem masculinū aperiens vuluam sanctificari: oportere autem quæ recens peperit mulierem & fuit mater pueri masculi, quadraginta dierum

spatio

ſpatio poſtq̃ peperit, ſic cum definita & diſtincta hoſtia proficiſci ad Dei templum: illi quidem velum in lectione veteris teſtamentis in corde circũferentes, eiſdem quotannis, vt ita dicam, ſacrificis quæ nunquam conſummare poſſunt eos qui accedunt, ſe inſtar infantium ſapiẽs putent eam legem implere.

Nobis vero quibus in conuerſione ad Deum.i.oblatum velamen, qui ſemel in conſummatione ſeculi, ad abolendum peccatum per eius ſacrificium credidimus euaſiſſe manifeſtum magnum ſacramentum pietatis, digne diuino lumine veritatis, prælucente ſpiritu, eſt præſentis feſti contemplandum myſterium, quod parum ex alto accedit ad myſterium. cum illud quidem prius ſignificauerimus. q̃ ex conſequentia examinationis, legis decretum propoſitũ, in ſolo Deo qui carne eſt indutus, definite & ita vt nulli alij conueniat, cernitur impletum. Solus enim ipſe ineffabiliter conceptus, nuptiis nõ prius apertam vuluam virginalem aperuit. ſignacula virginitatis illæſa conſeruans, etiam poſt proceſſum admirabilem. & ſolus ſpiritaliter maſculus fuit creditus. vt qui nihil afferret et vitij q̃d quidem eſt fœmininum & mulieri conueniens. Vnde etiã re uera ſanctus iure eſt vocatus. Qũo etiam Gabriel, viuifici fœtus ad Dei parentem ferens nuntium, & veluti prius latam & ad ipſum ſolum ſpectãtem legem in memoriam reuocans. Quamobrem & quod naſcitur ſanctum, inquit, vocabitur filius Dei. vtpote q̃ ſancti cognomen proprie conueniat, ei qui virginem vulnam diuino aperuit miraculo. Et in aliis quidem primogenitis, ea vocanda eſſe ſancta, diligenter legis intuens profunditatem, perfectio pronuntiauit euangelica. vtpote q̃ Dei conſecratione ſortita eſſent vt ſic vocarentur. In primogenito autem omnis creaturæ. ſanctũ id quod naſcitur dixit Angelus, vt q̃ hoc ſit proprie, & eam quæ eſt vere ſanctitatem, in amandando vitio & homo eligendo, ſimulatq̃ natus ſit, vt dicit Propheta, oſtenderit.

Sed reuertendum eſt ad mare contemplationis, vt lex diuina iubet legiſlatori, ſpiritus gratia, tanq̃ in colũna ignis & nubis, ſplendore ſcripturarum, præcedente caſtra diuina eccleſiæ. vt virga virtutis quæ emittitur è ſuperna Sion, vt dicit Pſalmus, per quam in inimicos obtinetur dominatio, tranſmittẽtes pelagus litteræ quod eſt hinc & hinc diuiſum, in puro & dilucido tranſitu ſententiarum, Ægyptium eorum qui gratiæ non obediunt, ſenſum effugiamus, eis obrutis fluento veritatis. quibus eſt ſtudio nobis impedire viam Euangelij quæ ducit ad ſpiritalem terram promiſſionis: & velle nos in ferrea fornace litteræ, quæ dicta eſt Ægyptus, permanere, ſeruientes luto & lateribus. hoc eſt, corporalibus legis obſeruationibus. Dixit ergo Moſi in Ægypto Deus vniuerſorum, cum iam plagam decreuiſſet infligendam aduerſus Ægypti primogenita. Sanctifica „
mihi omne primogenitum primo natum aperiens oẽm vuluam in filiis „
Iſrael, ab homine vſq̃ ad pecus. Cuius quidem diuinæ legis id quod erat „
complicatum veluti explicans beatus Moſes, enũtiat in ſua ad populum allocutione. Et erit poſtq̃ introduxerit te Dominus Deus tuus in terrã „
Chananæorum, qũo iurauit tibi & patribus tuis & dabo tibi eam, ſegre- „
gans omne quod aperit vuluam, maſculina Dño. & omne quod aperit „
vuluam ex boum armentis, aut iniumentis tuis quęcunq̃ tibi fuerint, ma „
ſculina Dño. Omne autem quod aperit vuluam aſinæ, mutabis oue. Sin „

autem non mutaueris, redimes ipſum, & omne primogenitum filiorum tuorum redimes. hoc eſt pro eo dabis prætium. Sic enim in libro numerorum diuinum declarat reſponſum, cum eo loquens qui ſuſceperat pontificatum. Et omne aperiens vuluam ex omni carne. q̃ offerunt Dño, ab homine vſq; ad pecus, erit tibi. ſed pretiis redimentur primogenita hominũ. & primogenita pecorum immundorum redimes. & redemptio eius redimes monſtruo. æſtimatio argenti quinque ſiclorum, ſecundum ſiclum ſanctum. Sed primogenita vitulorum, & primogenita ouium & caprarũ nõ redimes. Sancta enim ſunt. & ſanguinem eorum profundens ad altare.

Iam ergo cum immundis ex pecoribus coniunxit & connumerauit vox diuina Iſraelis primogenita. vt quæ quod vere eſt purum & ſanctum, in cultu qui eſt ex lege non habeant, etiamſi ea exiſtimabantur ſanctificari à lege facta attributione. Similiter enim ac pro iis quæ ſunt reiecta ad Dei ſacrificium, pretia dari pro primogenitis hominum apud eos fuerat cõſtitutum. vtpote ꝙ quæ eſt apud Iudæos à ratione alienior conſtitutio, indigna ſit cultum offerre rationalem, & eorum quæ noui teſtamenti ſunt maxime myſtica, ſpiritalem offerre aræ oblationem. Pretia autem erant veluti ſibi conueniẽtia, vt quæ ſolita eſſet offerre ſacrificia quæ ex lege fiunt per ſanguinem. Quæ Propheta Eſaias, tanquam ex Dei perſona, me ex manibus quidem eorum requiſiiſſe definit. vtpote ꝙ ad ſpiritalem ſcilicet perfectionem intueatur ſcopus legislatoris. Quæ autem offerebantur ad ſacrificium, quorum ſanguinem in ara fundi lege cautũ fuerat, ſancta diſtincte ſunt nominata. vel in hoc ſcilicet veritate prius deſcripta à figura. Qui enim ſeipſum Deo obtulit & patri ſacrificium & oblationem in odorem ſuauitatis, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, is ſolus proprie & vere ſanctus eſt & nominatur.

Sed forte dicet incredulus Iudæus, ꝙ quæ legitimo ſacrificio non poſſunt offerri, immundorum pecorum apud eos primogenita ſolent pretiis permutari. Similiter etiam cum humana primogenita non inactentur ad ſacrificium. eſt enim hoc minime conſentaneum & à lege diuina alienum, par eſt ea conſecrari pretiorum permutatione. Sed conſideret, ſi non impediatur velamine quod obſtruit oculos eius animæ, ꝙ iam in alia lege leuitas accepiſſe ad conſecrationem pro primogenitis ſacra docuit ſcriptura, ſic dicens in numeris his verbis. Et locutus eſt Dominus ad Moſem, dicens. Ecce accepi leuitas è medio filiorum Iſrael. Pro omni primogenito aperiente vuluam à filiis Iſrael, erunt eorum primogenita. & erunt mihi leuitę. Mihi enim omne primogenitum ſanctificaui in Iſrael, in quo die percuſsi omne primogenitum in terra Ægypti. Deinde quam eſſet accurata permutatio, lex enũtians. Dixit inquit, Dñs ad Moſem. Inſpice omne primogenitum filiorum Iſrael, ab eo quod eſt vnius menſis & ſuprà. & accipe numerum ex nomine eorum. & accipies leuitas mihi pro omnibus primogenitis filiorum Iſrael. Deinde cum inuentus eſſet numerus primogenitorum maior numero leuitarũ, dicit. Locutus eſt Dominus Moſi, dicens. Accipe pretia eorum qui ſunt ſupra numerum leuitarum, ex primogenitis filiorum Iſrael. & accipies quinque ſiclos per caput, ſecundum didrachmã ſanctam. Si ergo, vt ſacra dicit ſcriptura, leuitæ ſunt pretia primogenitorum filiorum Iſrael. vt accurata ſignificat enumeratio. adeò vt pro iis qui erant plures numero inter eos, definitum põdus lege ſit reddi-

tum: quanam ratione in vnoquoq; primogenito pretia dari lex iussit? In pecoribus enim quæ assumi non possunt ad sacrificium, aut ea permutari, aut pretia pro eis dari lex iubet. In hominibus autem & dari pretia & iam permutationem per leuitas factam esse discimus. quod quidem non videtur conuenire ipsi litteræ legis. vt ostēdit lex lata de pecoribus, & exponit ipsa rei natura. Si enim etiam post leuitarum, ad Dei ministerium, pro primogenitis attributionem, pro eis pretia dari edictum est. id fit scilicet q leuitæ non sint tanti vt pretio pro eis dando posint exæquari. Si autem hoc ita est, longe minoris est pretij quæ per argentum offertur redemptio. quatenus quæuis expers rationis & nullo sensu prędita natura, est vilior humana essentia.

Sed qm̄, vt dicit Propheta, oculos suos clauserunt, & quod ex eis consequitur non possunt aspicere, num etiam audire poterunt sapientissimum Micheam clamantem? Ego quidem non puto. Nam etiam auribus suis grauiter audiunt. Veniat tamē beatus hic Propheta hęc magna voce clamans, & prophetico spiritu tacite prius significā Iudaicorum primogenitorum abiectionem, similiter atq; corporeorum sacrificiorum oblationis. Dicit enim. In quonam comprehēdam Dominum suscipiam Deum ,,
meum altissimum? Si comprehēdam ipsum in vitulis vnius anni. Si ac- ,,
ceptum habebit Dominus in millibus arietum: aut in decem millibus ca ,,
pellarum pinguium. Si dedero primogenita mea impietatis, fructum ven ,,
tris mei pro peccatis meis, audiant qui cor habent crassum, id cuius Propheta Micheas eos ante nos accusauit. Primogenita enim impietatis beatus Micheas nominauit primogenita Israëlis secundum carnem. Qūo ergo ea sancta existimarunt, quæ propheticis verbis primogenita impietatis sunt nominata? Dicant nobis linguæ quæ re uera balbutiunt: quę non possunt recte dicere veritatem: quemadmodum Propheta loquens in spiritu fructū impietatis ea vocare ausus est? quonāmodo quæ de eorum redemptione dicta sunt, non videntur esse plana & inter se habere cōsequentiam, quod attinet ad litteram. quanquam lex apud nos sancta & spiritalis esse intelligitur & creditur.

Videtis iudaicorum curruum axes colligatos, non secus atque olim Ægyptiorum currus in rubris fluentis. Sed pro virga immittatur in mare orationis, veri legislatoris & regis gloriæ virtus & auxilium. & deducat populum suum in viam rectam anagoges & contemplationis. vt proficiscantur ad ciuitatem habitaculi cognitionis & veritatis. & obruat aduersarios diuinæ gloriæ inexpugnabilitas, qua repleta est vniuersa terra, vt cognoscant Dominum, vt dicit scriptura. q multa aqua maris iā obruit primogenitum Diaboli fœtum, nempe peccatum, qui carne tectus est Deus, morteq; id affecit & deleuit simulatq; natus est secundum carnem, & cum in seipso vitij fecisset cōdemnationem, & id in se plane deleuisset, contrarias virtutes repleuit lamentationibus. cum veluti quædam vasa ab eis accepisset, nempe Magos qui venerunt ab oriente, & adoratione & agnitione eius dominij, facti sunt Domino vasa vtilia ad adiuuādam ecclesiæ ædificationem, quæ est à Deo vere constructum tabernaculum, quod fixit Dominus & non homo.

Iam autem cum sicut olim Israëlem à luto & lateribus, ita nunc à terrena prudētia genus hominum in seipso redemisset, id quidem fecit fugere

Ægyptum hoc est, mortis inuisum & tenebrosum præsidium. Sanctificat autem Deo & patri, non solum hominum primogenita, sed etiam omne genus hominum, per eam quæ in ipso ab initio fuit conspersionem. hoc est, per eam, quæ ex nobis ab ipso sumpta est carnem intelligenter animatam cum totum veluti fermentasset ad sanctificationem, concretum humanæ essentiȩ. Si enim primitiæ sanctȩ, & cōspersio, dixerim ego nunc quoq; merito cum diuino Paulo. & quomodo olim tribum cui obtigerat fungi munere Sacerdotali pro primitiis primogenitorū legislator sermo typice Deo obtulit: ita nunc in præclaro charactere veritatis, Pontificem & Apostolum confessionis nostræ, sanctum & innocentem & impollutum, & ab omni sorde & sensu peccati separatum, Deo & patri corporaliter oblatum fuisse cognoscimus, pro humanitate ab eo per fidē sanctificata. & eo magis quod nec esse superiorem nec aliquid amplius in se habere q̄ is qui seipsum pretium dedit pro multis, totam videmus humanitatem, quod attinet ad sanctitatem: qūo in vmbra legis inuēta sunt primogenita amplius aliquid habuisse præter leuitas: sed eam longe ab ipso fuisse à tergo relictam quatenus citra vllum controuersiam, id quod benedicitur, est minus eo quod benedicit.

Et tunc quidem in solo genere Israëlitico fuit dignitas sacerdotij. & solum eorum quæ erant apud ipsos primogenitorum pretia esse leuitas fuit testatum. Christus autem qui accessit Pontifex futurorum bonorum, vt dicit sapientissimus Paulus. & non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedec, qūo prius diuinum respondit eloquium, trāslatione quidem sacerdotij eum esse ex alia tribu. Clarum est enim ex Iuda esse exortum Dominum Iesum Christum. & legis effecisset trāslationem, ex vmbra quȩ est ex lege, ad regni cœlorum nos transferens euangelium. perinde ac à tribu leuitica ad tribum regiam, dignitatem sacerdotij. Ea vero quæ est secundum ordinem Melchisedec assimilatione, non pro solo Israële, sed pro omnibus gentibus, se pretium patri obtulit. & omnium hominum confessionis fuit constitutus Pontifex. Nam Melchisedec quoque agnoscitur esse ex parte gentium: & non inuenitur ex genere Abrahȩ. Quinque autem didrachmarum ex lege ȩstimatio pro vnoquoque primogenito, ostendit ænigmatice, q̄ oportet vnumquemq; nostrum omnem sensum Deo sanctificare & quæ sunt in eis: & mundum, ab omniq; nefaria voluptate alienum, Creatori offerre tanquam pretium pium & legitimum. Horum nos hodie sacrorum mysteriorum commemorationis diem festum celebramus. Hæc nobis spiritalis mysterij explicatio, hunc sanctum cœtum qui adest congregauit. in qua legaliter quidem oblatus fuit seruator prout apparebat. intelligēter autem & spiritaliter, cum nostræ conspersionis primitias Patri suo obtulisset, totam eam sacrā reddidit, & aptam ad diuinam oblationē. Hoc enim lex olim parturiebat, & eo spectabat id quod lege constitutum erat de primogenitis, & de leuitarum redditione, & de didrachmarū estimatione. Si nos per mare scripturarum transmisit gratia spiritus.

Sed videamus etiam aduersariorum conclusionem & demonstrationem. Atque superius quidem nobis iam fuit euidens quod est lege constitutum de leuitis & primogenitis. Sed qūo magnus Moses populo addens animum, affirmauit eos non esse amplius visuros Ægyptios: ita ego

tunc

tunc quoque produco Dei populum peculiarem, vt ei annunciem, ꝙ adumbrati cultus corporea castra non amplius videbimus. Vbi enim nũc postquam magnus se ostendit. Pontifex, est leuitarum sacrificium? Vbi post mundi expians pretium, est æstimatio primogenitorum? Vbi est reliqua diligens & accurata obseruatio mysteriorum legis? Non vides ꝙ quandiu vniuersa occupabat nox ignorantiæ, instar stellarum, exilẽ quendam & modicum splẽdorem præbebat cultus qui est ex lege? Qñ autem ortus est sol iustitiæ, & ex alto oriens apparuit, & illuxit dies salutis, legalium constitutionum lux modica euanuit, victa supra modum fulgenti luce gratiæ. Non est euersum & solo stratum, non secus atque Satellites & currus, inclitum illud templum, & vniuersa Pontificũ propter id gloriatio & elatio? Non est obrutus & confusus omnis eorum legitimus ornatus? Non penitus interierunt mores qui à Iudæis accurate obseruabantur? Vbi enim obtulerint sacrificia quæ offerrebantur pro mulieribus quę nuper pepererant, cũ locus electus corruerit: & aperte sit difinitum nõ licere alibi ab eis offerri sacrificia? Vbi est vestris & dignitas Sacerdotalis, & reliqua omnia? Sed ne singula persequentes, tanquam mortuorum continuo cõtactu & contemplatione, animæ oculos terreamus, illos quidem relinquamus mortuos ad aquam legalis litteræ. Nos autem benigno & clementi Deo hymnum canamus epinicium & nutriti nutrimento quod est vere cœleste, & potati fluento quod manat ex vera petra, veniamus ad montem Dei Choreb. hoc est, ad excelsam doctrinam Euangelij vt voci diuinarum tubarũ, verbis beati lucæ internas aures admoueamus. tanquam ex sanctis adytis clamante spiritu mystagogiæ.

Et factum est postquam impleti sunt dies purificationis eorum, duxerunt parentes puerum Iesum vt sisterent Domino, qũo scriptum est in lege Domini. Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. & darent hostiam secundum id quod dictum est in lege Domini. Par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem cui nomen Symeon. Et homo hic iustus & pius, expectãs consolationem Israelis. & Spiritus sanctus erat in eo. & fuerat ei responsum à spiritu sancto, non visurum eum mortẽ, priusquam viderit Christũ Dñi in carne. Et venit in spiritu ad templum. Quid est. Expectans consolationem Israel? Hoc est, expectans dum fieret manifesta veritas: & populus Israeliticus ab vmbra legis ad eam transiret. propterea ꝙ mittens esse sub mundi elementis, accederet instituendus ad ludum veritatis, & perficeretur eius perfectione. Neq; enim potuerit quis dicere ꝙ cum Iudæi grauia perpeterentur, & captiuitate aliqua detinerentur, expectabat vt ab his recrearentur, & ad lætum ac pristinum statum reuerterentur. cum omnis antiqua consuetudo eis rite procederet: & templum staret: & offerentur in eo sacrificia: & omnis alia viuendi ratio eorum generi peculiaris rite obseruaretur.

Sin autem obiiciatur eos fuisse sub Romanis, & Herodem cõstitutum fuisse Regem Iudææ, qui erat genere alienigena, sciat is ꝙ ratio vitæ ex lege agendæ ex eo nil lœdebatur, ꝙ Israëli Rex esset alienigena. vt de eo consolationem iustus senex expectaret. Etenim diuersis modis contigit, perinde ac filium quempiam seditiosum, à patre alicui tradi austero Pædagogo ad hoc vt castigetur; ita Israëlem sępe fuisse sub Rege alienigena.

Hoc ostendit populi longa mora in Ægypto. & Propheta Hieremias tempore Sedechiæ Regis diuino iussu ad eum loquens & populum qui eius parebat imperio. fore vt essent sub sceptro Regis Nabuchodonosor & accederent ad Chaldæos. Non solum autem hos qui erant digni, vt quorum vita esset flagitiosa, alienigenæ subiici sceptro, non erat à ratione alienum: sed etiam quosdam ex iustis, & quibus dignus nõ erat mundus, vt dicam cum Paulo, non imperare, sed barbaris & impiis, viris parere, Dei effecit lenitas & patientia. vt pietatis eorum probatio magis appareret. Id ostẽdit Abraham qui fuit in Ægypto, cuius & vxor ablata fuit à Pharaone, & qui terrã sibi promissam habitabat in incolatu. Similiter autem eius quoque filius & nepos, Isaac inquam & Iacob, Rursusq; tẽperantissimus illius filius Ioseph, qui factus est seruus, & condemnatus est habitare carcerem. Non ergo ad mundanam gloriam & iactantiam, Israëlis consolationem sapiens expectabat Symeon, sed eam quæ est vere traductionem ad veritatis pulchritudinem. Nam cum ei datum fuisset respõsum, fore vt antequam è vita excederet, videret Christum Domini, expectabat fore vt spiritaliter cum eo appareret populi consolatio.

,, Venit ergo in spiritu in templum. & dum introduxissent parentes in-
,, fantem Iesum, vt facerent secundum cõsuetudinem legis de ipso ipse quo-
,, que eum accepit in vlnis suis. & benedixit Deum, & dixit. Nunc dimittis
,, seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Qm̃ viderunt
,, oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum.
,, Lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Israël. O' vere beate atque adeo beatissime senex. Quàm beatus ille tuus re uera sacrosanctus in templũ ingressus, per quem progressus es ad excessum è vita? Quàm beati sunt oculi animæ simul & corporis. hi quidem vt qui aspectabilem Dei apprehenderint apparitionem. illi verò vt qui non solum aspexerint ad id quod cernitur, sed fuerint illustrati ipsa luce spiritus: & corporatum Deum verbum agnouerint. qui viderunt diuinum salutare quod paratum fuit ante faciem omnium populorum. Quàm beatæ sunt manus tuę quæ veritatis verbum contrectauerunt? Quàm beata est lingua tua cui feliciter fuit annunciata reuelatio vitalis luminis? Et quid studeo tibi sigillatim accommodare laudem in vnoquoq; membros cum te iam totum laudabilem, & beatum, & à sancto spiritu possessum, prius docuerit Euangelista? Sed age ò beate pater, eo qui in te resonat spiritu, doce tanquam filios, pecudes ecclesiæ, thesaurum qui tanquam in vasis fictilibus, latet in paucis tuis verbis. q̃nquidem ad vos, & eos qui sunt sicut vos ornati canicie supernæ prudentię, & vere estis Presbyteri, id est seniores, & ecclesiæ patres appellamini, diuinum verbum nos deducit, vt
,, discamus doctrinas salutares, dicens. Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi. seniores, & dicent tibi. Quæ illius ergo linguam tunc mouit ad loquendum de Deo, virtus spiritus, nobis quoque nunc det sermonem in apertione oris.

,, Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Dñe secundum verbum tuum in pace. Ex quo enim Christus homo factus est: & peccatum quod est belli causa, deleuit: & patri nos reconciliauit, in pace fit sanctorum excessus. Hoc enim prophetice magnus quoque Dauid prius indicans, dicebat. In
,, pace inidipsum dormiam & requiescam. non id quod adest, sed quod est

futurũ in Christi aduentu significans. Et vt ostenderet q̄ vno solo modo, talis spes, pacificę, inquam, in Christo dormitionis, in sanctis sit collocata per spiritum, dicit. Tu Domine singulariter in spe constituisti me. Beatus autem senex Symeon, cum iam præsens tempus esset intuitus, dicit. Nũc ,, dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace, ostenderis ,, stabilitatem diuinæ promissionis. Qm̄ viderunt, inquit, oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. hoc est, eã ,, quæ per Christum facta est toti mundo salutem, & non soli Israël. Qũo ergo superius testatum est eum expectare consolationem Israëlis: Nunc autem conspicitur dicere Dei salutare in conspectu omnium populorum. Qm̄ tunc futuram Israëlis consolationem nouit spiritu, qñ omnibus quoque populis fuit paratum salutare. Vide autem q̄ȝ sit accurata diuina inspiratio. Lumen, enim, inquit, ad reuelationem gentium & gloriam plebis ,, tuæ Israël. magno Paulo loquens consentanea de Israëlis enumeratione. Qñ, enim, inquit ingressa fuerit plenitudo gẽtium, tunc etiam totus Israel ,, saluus erit. Ergo ipse quoque cum præposuisset vocationem gentium, postremo, conuenienter prophetiæ, vniuersi Israelis reposuit conuersionem. etiamsi iam reliquiæ saluæ factæ sunt, propter eos qui iam ex Iudæis accesserunt ad gratiam.

Contemplare autem mihi altarum sententiarum pro pietatem dictionis. Nam cum dixisset, Lumen ad reuelationem gentium, salutaris diuini reuelationem, dat nobis intelligẽdum, q̄ in absolutis tenebris & perfecta caligine, nullum habentes splendorem Dei cognitionis ante Christi aduentum stabant gentes. Quomodo beatus quoque Esaias felicem nũcium afferens iis qui sedebant in tenebris, dixit eos videre magnam lucem. Qm̄ autem Israel, etiamsi modice, typica tamẽ lege illuminabatur, lucem quidem in illo non dixit: gloriam autem illum sortitum esse prædixit. Veterem historiam reuoca in memoriam, q̄ quõ olim admirabilis Moses, qui cum Deo familiariter est locutus, glorificatum habebat vultum: ita etiã ipsi cum diuina susceptæ humanitatis luce per fidem cõuersati, & virtute spiritus illuminati, in gloria apparebunt, veteri deposito velamine: & eadem imagine transformati à gloria in gloriam vt dicit Apostolus, tanq̄ȝ à Domini spiritu.

Quòd autem dixit Deo afflatus Symèon, in ruinam & resurrectionem multorum in Israele positum esse Dñm, ostendit per consensum sententiarum cum iis quæ dixerunt Prophetæ, vnum & eundem Deum & legislatorem locutum esse in Prophetis & in nouo testamento. Lapidem enim offensionis, & petram scandali, causam esse ne pudore afficiantur ij qui in ipsum credunt, dixit oratio prophetica. Est ergo ruina quidẽ iis qui propter humilitatem carnis, offendunt ex incredulitate. Resurrectio autẽ, iis qui agnouerunt firmitatem diuinæ Oeconomiæ. Quinetiam dicẽs gladium transadactum esse per animam Dei parentis, aperte prædicit eam quæ fuit in cruce passionem. Nam cum iis quæ ex ipsa admirabili conceptione, vsque ad tempus passionis, diuine ab eo dicta & facta sunt, vnum veluti corpus indiuiduum, excelsiorem & diuiniorem de ipso haberet Dei parens existimationem, existimabimus eam passam esse veluti quandam incisionem in ignominiosa cruci affixione. etiamsi miraculũ resurrectionis, ei incisioni perfectissimam obduxerit cicatricem? Sed nec eam solam

hac affectione dicit esse tenendam. sed ex multis cordibus cogitationes,
dubitationes scilicet & hæsitationes, prædicit apparituras. vt in diuersis
de eo opinionibus nihil omnino moueretur Dei mater virgo.

Qñ vero Prophetissa Anna, præ senio imbecillum quid loquitur &
quod valde non potest exaudiri: Sed nec excelsum Euangelium, quæ ab
ipsa dicta sunt iisdem verbis adduxit, primum quidem rogemus Euange-
listam, quænam & vndenam ea fuerit, & sub quibus & qñ ad templum
accesserit. & rursus scrutemur quorūnam dicit esse cogitationē. Dicit ergo
,, beatus Lucas, ꝙ Anna erat Prophetissa, filia Phanuelis ex tribu Aser.
,, quæ processerat in multis diebus, & vixerat cum marito septem annos á
,, virginitate sua. & ipsa erat vidua annorum circiter octoginta quatuor.
,, quæ non discedebat à templo, ieiuniis & precibus diu noctuq; Deum co-
,, lens. & ipsa hora accedens, confitebatur Deo & loquebatur de ipso om-
,, nibus expectātibus redemptionem in Israel. Quænam est ratio, ꝙ de hac
Prophetissa tam accuratam Euangelista fecerit narrationem: vt ei venerit
in mētem facere mentionem eius patris & tribus. Et quæ à nullo quidem
ferè mandata scriptis inuenta est, de ea re accuratam rationem, nouerit ipse
solus sanctorum Deus: & qui eius inspiratione, vt dicit diuinus Aposto-
lus, spiritu loqui docti sunt mysteria. Quantum vero nos possumus asse-
qui, dicimus fuisse alias illo tempore eiusdem nominis cuius hæc beata:
& fuisse deditas iisdem sacris quibus illa studiis, assiduis scilicet ieiuniis
& precibus. Vt ergo eius persona facile discerneretur, cum patris eius fe-
cisset mentionem, tribum quoque propriam adscripsit. Magnis autem
ipsam ornauit laudibus, & quæ auditoribus faciant omnino fide digna ea
quæ de Domino differuit.

Sed qñ, vt iam dictum est, sonora & quæ grādi voce profertur oratio,
oblata est à senio, prope os eius quodammodo admouentes aurem cogi-
tationis, scrutando hoc præsens adnatum argumentum, videamus quid
ipsa dixerit, iis qui expectabant redemptionem in Hierusalem. Conueniē-
ter enim ei quod mente potest comprehendi ex verbis propheticis, verba
faciebat de Domino. Nam cum ij quibus eā hæc esse locutam dixit Euā-
gelium, omnino ex diuinis responsis quæ efferuntur in Pophetis didicerūt
expectare redemptionem, ea omnino fuit prompta ad describendum my-
,, sterium. Constat id quod magnus dixit Esaias. Puer natus est nobis &
,, filius datus est nobis. cuius principatus factus est desuper humerum eius.
,, &, Vocatur nomen eius magni consilij Angelus. Et præterea. Illuminare,
,, illuminare Hierusalem. venit enim lumen tuum, & gloria Domini super
,, te orta est. Magnus quoque Dauid adducebatur. Misericordia & veritas
,, sibi inuicem occurrerunt. Iustitia & pax se osculatæ sunt. & viderunt oēs
,, fines terræ salutare Dei nostri. Et ipsum indicando. Ante Solem perma-
,, net nomen eius. & benedicentur in eo omnes tribus terræ. Omnes gentes
,, beatum eum dicent & seruient ei: & adorabūt eum. &, Notum fecit Dñs
,, salutare suum filiis Israel. Et rursus veneranda & angelica vox sapientis
,, Malachiæ. Ecce ergo mittam Angelum meum, & parabit viam ante fa-
,, ciem suam. & repente veniet in templuum suum Dñs, & Angelus testa-
menti quem vos vultis. & aliis aliunde collectis mysticis floribus pro-
pheticorum eloquiorum, diuinam & beatam contexuit coronam, adhuc
quidē imbecilla & tremente manu, vt quæ processisset in multis diebus.

Non

Non enim tunc permittebatur iis qui audiebãt, altorum de Dño sensuum expositio. qñ etiam post tantam signorum ostensionem. & diuinorũ mysteriorum prædicationem: sapientiæ & cognitionis thesaurorum promus Christus, suis dixit Discipulis. Habeo multa quæ vobis loquar, sed ,,
non potestis portare modo. Etsi autem obscure & exiliter, anus & Pro- ,,
phetissa verba fecit de Dño, vt quæ legis personam sustineret, quæ antiquata & senio confecta, & non longe remota ab interitu, cessit nouo testamento: non fuit tamen inutilis eius sermo auditoribus intelligentibus, quomodo nec quæ à lege in vmbris & ænigmatibus fuit magni mysterij præcedens enuntiatio.

Age ergo nos quoque ò patres & fratres spiritales, quid didicimus festum celebrare in nouitate spiritus & non vetustati litteræ. Qui in azymis sinceritatis & veritatis, venerandum & viuificum pascha sacrificij Christi debemus celebrare: Qui diuinà regeneratione sancti baptismatis veterem hominem exuimus qui corrũpitur per desideria deceptionis: & nouum induimus qui renouatur ad agnitionem secũdum imaginem eius qui creauit. Venite exultemus Dño: iubilemus Deo Seruatori nostro. Dicamus, Quàm terribilia sunt opera tua Dñe. etiamsi in multitudine virtutis tuæ inimici tui mentiti sunt, sua sponte ad diuinam tuã lucẽ quæ mundo apparuit, clãdentes suos oculos. Præoccupemus faciem eius in confessione, & in psalmis iubilemus ei. Sacrificium laudis Deo perpetuo offeramus, hoc est, fructum labiorum confitentium nomen eius. beneficentiæq; & communicationis nequaq; obliuiscamur. Talibus enim sacrificiis placatur Deus. vt sordes peccati abluamus. & renouabitur tanq; aquilæ spiritalis nostra iuuentus, qũo etiã beati senis Symeonis. vt nos quoque pacifice & iucunde in bona fiducia & spe salutari ad vitæ exitum contẽdamus. & non cũ pudore & metu è vita præsenti excedamus, & quodammodo non volentes. qũo qui sibi mali alicuius sunt conscij, ægre & iniucunde ferunt aduentum Regis.

Imitemur beatæ illius Annæ in ieiuniis & orationibus perpetuã constantiam. Ne videamur muliere deteriores, idq; quæ vitã agebat sub vmbra legis. quo tempore se in his recte gerere erat rarum. Sed nos luce gratiæ illustrati, & à certa & expressa spe adiuti, & virtute spiritus corroborati, ne separemur à sacris doctrinis. à quibus salutaris habitus solet generari in animis. qũo testatum fuit illam quoq; à templo fuisse inseparabilem. Ne à diuino metu aberremus cogitationibus. sed ex ipso & in ipso carnes nostras & cogitatos, conuenienter votis Prophetæ, affigamus. Audiamus magnum Paulum docentem. Despondi vos vni viro, virginem ca ,,
stam exhibere Christo. & nõ violemus quæ inita sunt cum eo pacta con ,,
uenta, per cõsuetudinem cum eo qui vitam nostram corrũpit, ex eo quod faciamus illius voluntatẽ. vel in hoc Prophetissæ imitantes pudicitiam, quæ fuit vnico contenta coniugio. Sed quod est in prõptu, ab imitatione eius non discedatis quicunque soluti estis à monogamia. & si fieri possit, ad secundas 4 non veniatis nuptias. Sic.n. vos beatus futuros esse affirmat Paulus Offeramus nos quoque in superno altari, veluti par turturum animi & corporis puritatem. vel tanq; duos pullos columbarum, prouidere bona, non solum coram Dño, sed etiam coram hominibus. vt cum nos quoq; omnia spiritaliter ex diuina lege fecerimus, in sapientia &

4 *Nota antiquos patres non multum pauisse secundis nuptiis.*

gratia proficientes. & ad mensuram ætatis plenitudinis Christi peruenientes: & internum hominem perfectũ habentes: & sancti spiritus effecti habitaculum, reuertamur ad veram nostram patriam, cœleste Hierusalem. In qua digni habeamur frui beata ac perpetua lætitia & regno. In Christo Domino nostro. Cui gloria & potentia cum pater & sancto spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI *Amphilochij Episcopi Iconij oratio de occursu Domini nostri Iesu Christi, & de Dei parente, & Symeone.*

> 5 *Vide quanta sit virginitatis commendatio.*

MVLTI ex magnis viris admirantur 5 virginitatẽ. est enim admirabilis, vt quę sit congenita cum Angelis. vt quæ cum supernis versetur potestatibus. vt quæ cõcurrat cum naturis incorporeis. vt quæ sanctæ præluceat ecclesię. vt quæ mũdum vincat. vt quę calcet affectiones. vt quæ Euæ non communicet. vt quæ sit libera à molestia. vt quæ redempta à suspiriis & gemitibus. vt quæ latam non accipiat condemnata sententiam, quæ dicit. Multiplicans multiplicabo dolores tuos & gemitum tuum. In doloribus paries filios. & ad virum tuum conuersio tua. & ipse tibi dominabitur. Admirabilis ergo est virginitas, vt possessio quæ non redigi potest in seruitutem: vt liberum habitaculum. vt ornamentum comparatum ad exercitationem. vt quę humano habitu sit superior. vt à necessariis liberata affectionibus. vt congressa cum sponso Christo in thalamo regni cœlorum. Et hæc quidem sunt laudes virginitatis, & quæ sunt his similes.

Honorabile autem matrimonium superat omne donum terrenum. tanquam arbor fertilis. tanq̄ elegans planta. tanq̄ radix virginitatis. tanq̄ agricola animatorum ramorũ rationis participium. tanq̄ incrementi mundi benedictio. tanq̄ generis solatiũ. tanq̄ opifex humanitatis. tanq̄ depictor diuinæ imaginis. tanq̄ Dñm benedicẽtem possidens. tanq̄ oẽm mundum ferendum accipiens. tanq̄ illi vitam agens qui homo fieri voluit. vt quod possit dicere confidenter. Ecce ego & filij quos dedit mihi Deus. Aufer honorabile matrimonium: & inuenies florem virginitatis. Hinc enim & non aliunde colligitur flos virginitatis.

Hæc autem dicentes ò dilecti, non pugnam introducimus inter virginitatem & matrimonium. Sed vtrũq; admiramur, vt quod alterum alterius auxilio indigeat. Nam qui vtriusq; est Dñs & vtriq; prouidet, nõ ea inter se conferendo alterum expendit cum altero. Oĩno enim vtræq; partes pietatem amplectuntur. Nam sine veneranda & religiosa pietate, nec est honesta virginitas, nec honorabiles nuptiæ. Hæc vero inductus sunt vt in præsenti dicerem oratione, propter id quod in lege scriptum est, & in gratia confirmatum, & omnino dictum, & oĩno non inuentum, & in solo Dño impletum, de matrimoniali, inquam, fructu primitiuo. Quisnam autem is est? Audiuisti nuper dicentem Euangelistam. Et factum est qñ impleti sunt dies octo vt circuncideret puerum. & vocatum est

nomen eius Iesus. quod vocatum fuerat ab Angelo priusquam ipse conciperetur. Et quando impleti fuerunt dies purificationis, duxerunt ipsum in templum, & stiterunt eum Domino. quemadmodum scriptum est in lege Domini. Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Dño vocabitur.

Vidisti matrimonij benedictionem. & quod cōiter dictum est, inuentum autem est in solo Dño. nempe, Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Dño vocabitur, refertur ad solum Dñm, non ad vllum alium. etiamsi vniuerse dictum sit. Etenim naturaliter cuiusuis virginis, primum ex congressu viri vulua aperitur, & sic parit. In Seruatore vero nostro nō sic, sed sine coitu, ipse aperta virginis vulua, ineffabiliter processit. Quā obrem omne masculinū aperiens vuluam sanctum Domino vocabitur, refertur ad solum Dominum. Num ergo est Cain sanctus, qui in profano scelere vitam abruit: qm̄ is ex materna vulua primus prodiit? Nunquid Esau sanctus, qui fuit hostis & hæres gladij, qm̄ is quoque primum è materna aluo excidit? Nunquid fuit Ruben sanctus qui paternum cubile polluit, & fecit efferuescere sententiam maledicti: quoniam is quoque ex fertili vtero primus exiit? Re vera nemo ex iis est sanctus. Re vera enim ij omnes pœnis sunt affecti. Ex quibus ostenditur ad Dominum solum referri illud Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. conuenienter Gabrieli qui dixit virgini. Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quamobrem & quod nascitur ex te sanctum, filius altissimi vocabitur.

Fieri autem potest vt omnino dicat quispiam ex aduersariis. Si ergo refertur ad Dominum illud, Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Dño vocabitur, virgo non mansit virgo. Si enim dixit scriptura, Omne masculinum aperiens vuluam, omnino aperta fuit vulua virginalis quæ refertur ad Dñm. Audi sapiēter. Neque enim portæ virginales omnino fuerunt apertæ, voluntate eius qui fuerat recens in vtero gestatus, conuenienter ei dicto quod de eo dicit. Hæc est porta Dñi, & ingredietur & egredietur & erit porta clausa. Quod ad virginalem quidem attinet naturā, non fuerunt omnino apertæ portæ virginis. Quod veró ad virtutem Domini q natus est, nihil est clausum Domino: sed omnia sunt aperta. Nihil est quod impediat: nihil est quod afferat molestiam. Omnia sunt aperta Domino. Vnde etiam supernæ potestates, infernis præcipientes, clamauerūt, dicētes. Attollite portas principes vestras: & eleuamini portæ æternæ. & introibit Rex gloriæ.

Admirabilis ergo est virginitas quæ est vere virginitas. nā est etiam in virginitate differentia. Nam aliæ quidem dormitarunt. aliæ veró vigilarunt. Admirabile quoque est matrimonium, quod est verum & honorabile matrimonium. Multi enim id custodierunt: & multi transgressi sunt. Admirabilis quoque est viduitas. bonum est enim trium ordinum meminisse: & vt prius dixi, admirabilis quidem est viduitas, quæ est vere viduitas, quæ vicit impollutorum certamen præmiorum: quæ est veneranda pura & non adulterina quæ absque proprio coniuge nulla sorde est commixta. cuiusmodi fuit ea etiā quæ nuper lecta est à nobis Anna Prophetissa, quæ pulchre cōsenuit, & tanquam aquila fuit renouata. Audiuisti enim nuper Lucam Euangelistam dicentem. Et erat Anna Prophetissa filia Phanuelis ex tribu Aser. Ipsa processerat in diebus multis, et vixerat cū viro septem

" annos à virginitate sua. & ipsa vidua annorum circiter octoginta qua-
" tuor. Quę in ieiuniis & orationibus colebat Dominum in templo noctes & dies. Vidisti in quibus versabatur & cuiusmodi vidua erat Anna. In diuinis euãgeliis ornata fuit Anna, Anna re vera Anna. Cum morum gloria concurrit nominis appellatio.

Audiant mulieres: & imitẽtur gloriosam Annam: & similem cursum peragant, vt fruantur etiam coronis similibus. Nemo excusationem afferat q tutorem, nõ habeat, ne castitatem repellat monogamiæ. Corona vt duarũ mulierũ Anna sexu mulier: ordine Prophetissa: versans in regno. corpore laxa ac remissa: animo firma ac neruosa. facie rugosa, explicata autem prudentia. senio incuruata. recta incedens cognitione. multitudine annorum inueterata: iuueniliter vero exultans diuina scientia ieiunans & non se explens ad satietatem. orans & non vacillans. templo vacans. & domos alienas non obiens. psallens non nugans. prophetans & non dicẽs fabulas. diuina meditãs & quæ sunt turpia nõ asciscens. Superauit Anna viduam quæ ab Apostolo beata ducitur. Quænam ea est? Audi Apostolum dicentem.
" Vidua eligatur non minus quam sexaginta annos nata. Si
" filios aluit. Si sanctorum pedes lauit. Si egentibus opem tulit. Si omne opus bonum est consecuta. Superauit ipsa eam quam Apostolus duxit beatam, & annis, & viuendi ratione. Si enim cũ digna habita fuisset prophetia, & spiritus sancti extitisset receptaculum, & omnibus expectantibus Domini in carne aduentum, signa aduẽtus indicasset, qũo nõ fuit omnibus superior. cum de ea dixerit Euangelista, sicut nuper audiuisti. Et ip-
" sa, inquit, Anna ipsa hora adueniens, Domino confitebatur, & dicebat om-
" nibus expectantibus redemptionem in Hierusalem. Vidisti Annæ magnitudinem. Pro Domino concionabatur. sub eo res eius loquens in eius conspectu. Ores terribiles plane admirabiles. Vidua Sacerdotes simul & scribas terrebat. & terrens populum totum consolabatur. significans futuram in Hierusalem redemptionem aduentu Dñi. dicens iis qui aderant & Domini signa indicans. Infantem videbat Anna Dominum, dona & purgamenta ab ipso & cum ipso afferens. & nõ offensa est paruitate ætatis. Infantem Deum confessa est Anna. medicum & fortũ redemptorem, & peccatorum deletorem.

Ne leuiter præter eas ò dilecte verba Annæ, omnibus qui aderant indicantis Domini operationem: dicens iis qui erant congregati. Non videtis hunc infantẽ qui trahit vber, qui exugit mamillam: qui requiescit in gremio materno: qui pedibus terram nunc ingredi non sustinet. qui octauo die circunciditur. Nõ videtis hunc infantem? Hic secula fundauit. Hic cœlos tanq̃ fornicem construxit. Hic terram dilatauit. Hic mare sepsit vallo arenæ. Hic puer eiicit ventos è thesauris suis. Hic puer tempore Noë aperuit cœli cataractas. Hic puer efficit scamina imbris. Hic puer tanq̃ lanam quatit niuem. Hic puer maiores nostros ex Ægypto liberauit per baculum Mosaicum. Hic puer rubrũ mare secuit. & tanq̃ per herbidum pratum traduxit populum. & cùm in deserto pluisset manna, terrã fluentem lacte & melle eis sorte dedit. Hic puer effecit vt hoc templum per patres nostros in altum excitaretur. Hic puer iusiurandum Abrahæ propo-
" nens, dicebat. Multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut astra cœli multitudine, & sicut arenam quæ est in littore maris. De hoc puero dicebat

bat propheticus chorus afferens consolationem. Excita potentiam tuam, & veni ad seruãdum nos. Ne offendamini puero quod sit puer. Idẽ puer est cum patre expers principij. Hic & tempore numeratur, & eiusdẽ non potest enarrari generatio. Idem est & puer balbutiens: Idem etiam sapiẽtiam & os largiẽs. illud quidem propterea quod est ortus ex virgine. hoc verò, ꝙ eius comprehendi non posſit essentia. Nam hoc quoque Esaias ostendit dicẽs. Puer natus est nobis filius, & datus est nobis. Partim quidem natus, partim datus. Natus quidem, propter id quod cernitur. Datus vero, propter id quod intelligitur.

Hæ sunt Propheticæ Annæ prædictiones. Hæc sunt mulieris dicta præstantissima. Hæc sunt præclara facta viduæ quæ vere est vidua: quæ vitam pulchre commutauit: quę maritum suum pręmisit, & filium suscepit. Septem annos vixit cum marito à virginitate sua & cùm annorum implesset septenariũ, & in anno septimo cessasset à viri consuetudine, pulchre vsa est septenario: pulchre sabbatum obseruauit. pulchre peruenit ad gratiæ dominicum. Turturis munere functa est Anna. Non oblita est coniugis. non irritam ferit primam fidem. non induxit in lectum quempiam qui ei faceret iniuriam. Non imposuit alij iugum monogamiæ. In lecto enim habebat in memoria mortuum tanꝗ viuẽtem. Sponse sindonẽ non inquinauit. Non attigit eam Pauli reprehensio, dicentis. Qñ autem luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere, habentes condemnationem ꝙ primam fidem fecerunt irritam. Est re vera digna 6 cõdemnatione, quæ iugi à Deo cõiuncti consepeliit memoriam, & maxime cum adsint filius vel filij. Quamobrem lex quoq; fuit plantata. Sin autem iuueni viduæ non adest filius, consentaneum est eum venire ad secũdas nuptias, vt quę suscipiendorum liberorum teneantur desiderio. Nam hoc quoque suadens beatus Paulus dicebat. Volo iuniores viduas nubere. Deinde ostendens quodnam esset signum ꝙ prodessent secundæ nuptię, adiecit dicens. Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, domui præesse. Quamobrem adiectio liberorum procreationis est secundarum nuptiarum. Qñ vero viduæ quæ accesſit ad matrimoniũ adsunt filij, est de cætero talis sementis inutilis, cum rationis participes spicę se gerant meretriciè. Rursus ergo redeat oratio ad prius argumentum.

6 *Reprehenduntur secundæ nuptiæ in viduis quæ non sint iuuenes, aut filios habeant ex priori coniugio susceptos.*

Quid ergo de cætero Euangelista. bonum est enim id quod adest tractam dũ attingere. Audiuisti nuper Euãgelistam Lucam dicentẽ, quemadmodum Symeon dux erit virgini. Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Quinetiam tuam quoq; ipsius animam pertransibit gladius. Quid est autem, Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Audi sapiẽter Symeonem qui dixit de Domino, auribus virginis audientibus. Ecce hic est positus in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Succensere potuisset, vt est verisimile, mater Dñi Symeoni, dicens ei. Nescis. cur sine ratione & inconsiderate loqueris ò homo: & aduersus Christum & Deum tristia annuncians. Non nosti pueri conceptionem: & tanquam de communi fœtu, indicas signum contradictionis. Re vera nulla est in ipso ruina: sed magna in altũ sublatio & sui demisſio ad eos qui beneficio ab ipso afficiuntur. Cur ergo non benedicis, sed dicis. Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël & in signum cui

contradicitur? Symeon autem dixit virgini. Sufficit tibi virgo quod vocata sis mater. Satis est tibi quod inuenta sis nutrix eius qui nutrit mundum. Magnum est tibi quod carne portaris eum qui portat omnia. Qui in te nunc habitauit Christus, idem nunc quoque in me effecit vt de ipso loquerer, quod positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. In ruinam quidem incredulorum Iudæorum. resurrectionem autem gentium quæ crediderunt. Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur.

Signum cui contradicitur crucem appellans. Quare? Quoniam in ipsa cruce multi ex incredulis obiecerunt Domino contradictiones, & verbis & factis ludificantes: aceto potãtes, fel offerentes: coronã spineã imponẽtes: lãcea latus pũgentes: manibus alapas infligentes: probris ac maledictis eum clamando impetentes. Alios saluos fecit: seipsum non potest saluum facere. Hoc ergo interpretans Symeon dicebat, Et in signum contradictionis. Multi enim contradicebãt quando Petrus negauit: & omnes Apostoli tã quam oues sine Pastore dispergebãtur. In signo ergo crucis ipsius quoque virginis cor fuit repletum tristitia. Quamobrem dicebat. Cur non prius sum mortua? Cur autem perueni ad hunc diem? Virgo mansi, & magis mordeor visceribus quã matres. Has infinitas virginis cogitationes Symeon prius appellauit gladium. vt quæ pungant interna: vt quæ sint allaturæ scandala. quando etiam prius dixit Dominus. Omnes in me scandalizabimini in hac nocte. Vnde etiam intulit Symeon, dicẽs. Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. vt reuelẽtur ex multorum cordibus cogitationes. Vide quemadmodum infinitas cogitationes, gladium prius appellauit Symeon. vt quæ pungant interna: vt quæ renes tãgant & medullas. In eas autem incidit virgo Maria, cum nondum sciret vim resurrectionis. Quòd in propinquo vero esset resurrectio, nondum sciebat. Itaque post resurrectionem non est amplius gladius anceps, sed lætitia & exultatio. Signum ergo resurrectionis signum crucis prius appellauit Symeon. Quo tempore peruasit virginem gladius cogitationum.

Fieri autem omnino potest vt dicat quispiam. Vndenam erit nobis huius rei demonstratio. Ex ipsa doctrina Dñi. Audi ipsum dicentem. Hæc generatio generatio mala est. signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Quomodo enim Ionas in ventre Cœtus, ita erit etiã filius hominis in corde terræ tres dies & noctes. Vides quemadmodum pasio crucis signum est appellatum, non solum in nouo testamento sed etiam in veteri. Veteri enim nouum valde cõsentit. Quamobrem? Quoniam vnus & idem est Deus, qui & illa constituit, & hæc administrauit. Quis est autem horum testis? Ipse Dñs. Audi enim ipsum in Propheta Ezechiele dicentem ad messores Angelos, & vniuersam significantem consummationem. Nolite parcere oculis vestris. & ne misereamini senis, nec adolescentis. virginem & infantem & mulieres morte afficite ad deletionem. Eos vero qui in fronte gestant signum ne tãgatis. Vide signum veteris & noui. Ipsa enim est crux quæ dat mundo salutem, per Iesum Christum Dominum nostrum. Cui gloria & potentia, Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI

Cyrilli Archiepiscopi Hierosolymitani oratio de occursu Domini nostri Iesu Christi, & de Symeone qui Deum excepit.

LAETARE valde filia Sion. prædica lętitiam filia Hierusalē. Duc choros popule ciuitatis Dei. Exultate portę & muri Sion, & vniuersę terræ. clamate montes & colles, & valde exultate. Fluuij plaudite. & rupes Sion cōprehendite Dei aduentum, in eum intuentes. Concinant hodie cœlestia cum terrenis. & osanna dicant cum ea quæ est inferne Hierusalem, propter Christum qui est in ipsa. Cœlestium intelligentes virtutes, choros ducite. Qui estis in terris, cū Angelis hymnos canite. Hodie enim gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei Hierusalem. Ciuitas Regis magni aperiat portas ei qui aperuit omnibus cœlestes portas, & aperuit in cruce ostia sepulchrorum. & contriuit portas inferorum quæ erant ab æterno. & admirabiliter clausit portas virginitatis. Hodie qui mirabiliter olim respondit Mosi in monte Sina, diuine implet legem factus sub lege. Hodie Deus à Themam, venit Sion. Hodie cœlestis sponsus cum thalamo Dei matris venit in templum. Filiæ Hierusalem, egredimini in occursum eius. Lampades alacriter accendamus vero lumini. Tunicas animarum paremus sponso Christo cū Sion. Gentium populi, lucem ferentes occurramus cum templo. In templo ad Deū Christum conueniamus. Cum Angelis hymnum canamus. Sanctus Sanctus Sāctus. Dn̄s Sabaoth. Plenum est cœlum & terra gloria eius. Pleni sunt fines mūdi bonitate eius. Plena est eius laude omnis humanitas. Eius indulgentia plena sunt cœlestia, terrestria & inferna. plena misericordia. plena donis eius & beneficiis. Omnes ergo gentes plaudite manibus. Oēs gentes terræ venite & videte opera Dei. Omnis spiritus laudet Dominū. Omnis terra adoret. Omnis lingua canat & psallat. & glorificet puerum Deum. qui est quadraginta dierum, & est ante secula. puerum paruum, & antiquum dierum puerum lactantem & seculorum effectorem.

Infantem aspicio & Deum meum agnosco. Infantem qui lactat, & mundum nutrit. Infantem qui flet, & mundo largitur vitam & lętitiam. Infantem qui inuoluitur fasciis, & me liberat à fasciis peccati. Infantem in vlnis matris vere cum carne & sine defetu in terra. eundem vere in sinu patris, & sine defectu in cœlis. Infantem video in Bethleem, Hierusalem ingredientem, & qui nequaq̄ separetur à superna Hierusalem. Infantem video, qui ex lege in templo offert sacrificium in terra. sed idem pia oīum sacrificia in cœlis excipit. Ipsum in vlnis senis per dispensationem. eundē in maiestate diuina in thronis Cherubicis. Qui offertur & purificatur. Sed idem omnia purificat & purgat. Ipse est ergo donum. ipse Pontifex. ipse ara. ipse propitiatorium. Ipse qui offert. ipse qui pro mundo offertur. Ipse ignis ipse holocaustum. Ipse lignum vitæ & cognitionis. Ipse agnus. ipse gladius spiritus. Ipse pastor. ipse ouis. Ipse sacrificus. ipse qui sacrificatur. Ipse qui offertur. ipse lex. & ipse qui suscipit sacrificium.

Sed enim age de cætero dicamus de die ex sacris Euangeliis. Ait enim

" de Christo Lucas admirabilis. Qñ impleti sunt dies purificationis eorũ
" secũdum legem Mosis, duxerunt Iesum Hierusalem vt sisterent eũ Dño.
" qũo scriptum est in lege Dñi. Omne masculinum aperiens vuluam, san-
" ctum Dño vocabitur. Nam Samuel quidem & Isaac, & simul etiam Iacob & Ioseph & alij multi, qui præter spem nati sunt ex sterilibus, & aperuerũt infertiles vuluas matrum, sancti Dño vocati sunt. Christus autem solus ex solo. ex solo vnigenitus, cũ virginales portas non aperuisset, non est sanctus Dño, sed sanctus sanctorum. & Dñs Dominorũ. & Deus Deorum. & primogenitus primogenitorum. princepsq; & Rex regnantium & vocabitur & credetur: & nunc in templo à Symeone prędicabi-
" tur. Erat enim inquit, homo in Hierusalem cui nomen Symeon. Et ipse
" erat homo iustus: & spiritus sanctus erat cum eo. & fuerat ei datum re-
" sponsum à Spiritu sancto, non visurum eum mortẽ, priusq̃ videret Chri
" stum Dñi. Et venit in templum in spiritu. Et cum introduxissent parẽtes
" puerum Iesum. vt ipsi facerent secundum morem legis de ipso. ipse Sy-
" meon accepit eum in vlnis suis: & benedixit eum & dixit eum. Nunc di-
" mittis seruum tuum Domine secũdum verbum tuum in pace. Quoniam
" viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium po-
" pulorum. Lumen ad reuelationem gentiũ, & gloriam plebis tuæ Israël.

Quis loquetur potentias Dñi, auditas faciet omnes laudes eius? Qui continet vniuersam terram pugillo, senis vlnis capitur & portatur. Qui fert omnia verbo virtutis suæ. Exultet Adam, per Symeonem Christo dicens. Nunc dimittis seruum tuum Dñe secundum verbũ tuum in pace. Nunc me soluis ab æternis vinculis. Nunc me soluis ab interitu. Nũc me soluis à morte. Nunc me soluis à mœrore. Meum Dñm & Deũ Symeon in templo vlnis amplectens, altum Oeconomiæ mysterium significauit omnibus gentibus. Iudæis. n. annuncians exilit & exultat, & clara voce de eo aperte clamat, dicens. Hic est qui est & antè est & semper adest cũ patre eiusdem essentiæ, in eadem sede sedens, eiusdem gloriæ & potentiæ. par potentia, omnipotens. principio carens. increatus inalterabilis. qui nec circunscribi, nec aspici, nec verbis explicari, nec cõprehendi, nec contrectari, nec mente concipi nec coniici potest. Hic est splendor paternę gloriæ. Hic est character substantię omnium constitutionis. Hoc est lumen luminum quod oritur ex sinu patris Hic apud Deum & ex Deo Deus cognoscitur. Hic est fons vitæ, ex fonte patris vita procedens. Hic est Dei fluuius qui exit è diuina abysso, sed ab ea non separatur. Hic est thesaurus bonitatis, paternæ & æternæ beatitudinis. Hæc est aqua vitæ quæ vitam mundo largitur. Hic est radius increatus. qui ex sole patre luminum gignitur, sed non scinditur. Hic est Deus Verbum, quod ex iis quę non sunt ad hoc vt essent, solo verbo oĩa constituit. Hic est Lucifer qui ante Luciferum incorporeas adornauit virtutes, cœlestium exercituum & ordinum. Hic est qui cœlum extendit solus, & super mare ambulat tanq̃ super cœlum. Hic est qui abyssum caligine inuoluit tanq̃ fasciis. Hic est qui terram firmauit super aquas. Hic est qui mare sepsit arena tanq̃ muro. Hic est qui lucẽ diuisit à tenebris. Hic est qui circularem astrorum ornatum composuit. Hic est qui vniuersum tam qui cernitur, quam qui intelligentia apprehẽditur, mundũ constituit in sapientia. Hic est, qui nõ fictis manu manibus, ex luto hominem finxit & formauit. Hic est qui ad Dei imaginem nos

fuit

fuit fabricatus, nunc ipse ad nostram imaginem homo factus. Quinetiam Deus id quod mente percipitur. perfectus ex perfecto patre habens essentiam. Qui cum esset in forma Dei Dominico, nunc meam suscepit formã seruilem, non diminuens dignitatem diuinitatis, sed sanctificans, vt sanctificaret massam meæ naturæ, supra totus & infrà totus Qui idem cognoscitur, superne genitus sine tempore, & inferne sine semine. superne effector. inferne res creata. Audite omnes gentes. audi Israël. Dominus hic est quem ergo Sacerdos tuus Symeon, gestans in vlnis, magna voce prædico in templo populo testificans.

Quamobrem attendite popule mi sermonem meũ. inclinate aures vestras ad verba oris mei. Hic est puer de quo Esaias prius prædicauit, di- »
cẽs. Puer natus est nobis, filius & datus est nobis. & vocatur nomen eius »
magni consilij Angelus. admirabilis consiliarius. Deus fortis. princeps »
pacis. pater futuri seculi. Si est ergo hic puer Deus fortis, de eo significans David quoque dixit. Videbitur Deus Deorum in Sion. De hoc puero »
clamat etiam Hieremias. Deus in terra visus est, & cum hominibus con- »
uersatus est. Hic est puer q olim mare perfregit Israëli, & submersit Pharaonem. & leg ẽ dedit Israëlitis: & pluit manna. & in columna ignis deduxit genus Hebræorum. & petram rupit. & rubum flamma ignis tanq̃ rore cinctum conseruauit incombustũ. Hic puer Mosem quadraginta annos fecit pastorem. vt quadraginta annos cõstituit Ducem Israëlis: & eũ corroborauit vt ieiunaret quadraginta dies. Sic ipse quoque puer baptizatus ieiunauit quadraginta dies. & post quadraginta dies à mortuis regenerationis ascendit in supernam Hierusalem. & post quadraginta dies sui ortus ex virgine, nunc ingressus est in terrenam Hierusalem.

De hoc puero prius etiam prædicauit Propheta Abacuch, dicens. Deus à Themam veniet. hoc est, ab austro. Ab austro enim Hierusalem est Be- »
thleem. A Bethleem autem nunc ingressus est Sion. Propter hũc puerum Moses nobis testificatus est dicens. Prophetam vobis suscitabit Dñs »
Deus ex fratribus vestris. & omnis qui non audit eum, exterminabitur »
ex terra viuentium. De hoc puero Propheta Dauid vota fecit dicẽs. Qui »
sedes super Cherubim, appare. excita potentiam tuam & veni ad nos ser- »
uandos. Et alibi. Cito præoccupent nos miserationes tuæ Dñe. Et rursus. »
Dñe inclina cœlos tuos & descende. Et alibi. Tu Dñe Deus virtutum, »
attende ad visitandas omnes gentes. Quamobrem cognoscite gentes & »
vincimini. Videte Iudæi & persuadeamini q hunc puerum laudant Angeli. hunc adorant Archangeli. hunc tremunt potestates. hunc glorificant virtutes. huic seruiunt Cherubim. hunc Deum prædicant Seraphim. huic Sol seruit. huic ministrat Luna. huic obediunt elementa. huic subiiciuntur fontes Hunc puerum cum vidissent, portæ inferorũ sunt confractæ. portę autem cœlestes sunt apertæ. Hic puer mortem aboleuit. Diabolũ pudore affecit. maledictum soluit. dolorem cessare fecit, serpentẽ cõtriuit intermediam maceriam discidit. malum chirographum peccatorũ perfregit. peccatum conculcauit. errorem aboleuit. surgere fecit creatam naturam. Hic puer Adã conseruauit. Euam refinxit. gẽtes vocauit. mundũ illuminauit.

Quamobrem venite vos omnes Christi & Dei amantes, Dño læti & mundi occurramus, non legaliter sed spiritaliter. non ventrem delitiis explentes: sed spiritu exultantes. non nos vino inebriantes, sed spiritu feruen-

tes. Læti hodie lampades † ornemus. Tanq̃; filij lucis, cæras veræ luci, Christo offeramus. Qm̃ lumen ad reuelationem gentium mundo apparuit, ideo lumina ex lumine supra niuem resplendeamus. Supra lac dealbati: supra Saphirum illuminati. supra immaculatas columbas in cœlos euolãtes, ita in nubibus ad Dei occursum exeamus. Hodie dilecti festi cursum perpetuo peragamus. Cũ Angelis choros ducamus. Cum pastoribus illuminemur. Cum Orthodoxis adoremus. Cum Bethleem festum agamus. cum Sion occuramus. Cum templo sanctificemur. Cum virgine festum agamus. Cum Symeone Christum vlnis amplectamur. Vt simus intra ęterna Christi bona, gratia & miserationibus & clementia Dñi nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia nũc & in secula seculorũ. Amẽ.

† *Nota peruenustũ Eccle. morem, quod in die purificatiõis beatæ Mariæ cãdelæ cereæ benedictæ fideliũ manibus deferãtur.*

TIMOTHEI PRESBYTERI

Hierosolymitani oratio de Propheta Symeone Dei susceptore, & de eo quod est Nunc dimittis seruum tuum Domine.

AGE dilecte, vltimum iustum oratione intueamur. Et quis est ille vltimus iustus? Qui nuper à nobis est lectus in Euangelio secundum Lucã, nomine Symeon. Hic est & primus & vltimus. vltimus legis, primus gratiæ. Iudæus religione. Christianus gratiarũ actione. Christianus lectione, Angelus lingua. Symeon qui fuit modo à nobis lectus. Qui ex pharisaica blasphemia rosa collectus est ex spinis: & primus donationis gratiæ inspiratione cognitus. Symeon qui eo processit iustitiæ, vt in ipso corpore veluti responsum acciperet, non præteriturum præsentem quæ est ad tẽpus vitam, donec videret Dominum nostrum Iesum Christum. Iustus ergo & magnus Symeon ò dilecti, cum ante susceptam carnem desiderasset videre Dominum, vidit in carnis susceptione, & animaduertit, & vlnis est amplexus. & rogauit vt relaxaretur à custodia corporis, ore seruili clamans ad oĩum Dominum qui videbatur infans, sicut audiisti. Nunc dimittis seruum tuum Dñe secundum verbum tuum in pace. Qm̃ viderũt oculi mei salutare tuum. Vidi gloriam tuam. Soluar ab hac breui vita in quã cadit interitus. Vidi choream Angelorum. glorificationem Archangelorum. oẽm creatam naturam exultantem. cœlestia & terrestria vnum habentia transitum. Nunc absoluar ne hic retinear. Spiritus sanctus est in me, vt video quæ tibi euenient. Nunc absoluar. ne Iudæorum qui sunt mei generis quæ in te est futura videam audaciam. Ne videam spineam quæ plectitur coronam. Ne videam seruum tibi alapas infligentem. Ne videam tibi intentari lanceam. Ne videam solem obscurari. Ne videam lunam deficere. Ne videam elementa mutari. Ne videam te cruci affixum. Ne videam rumpi petras. Ne videam scindi velum templi. Non ferentia enim audaciam ipsa quoq; elementa cum Domino dolore afficiuntur. Nunc dimittis seruum tuum Domine secundum verbum tuum in pace. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Quid ergo Euangelista? Audi ipsum dicentem. Et erat homo in Hierusalem cui nomen Symeon. & erat homo iste iustus, expectans consolationem Israëlis. Et spiritus sanctus erat in ipso. & erat ei datum responsum à spiritu, non visurum eum mortem priusquam vidisset Christum Dñi. Et venit in spiritu in templum. Audi sapienter ò dilecte. hoc est quod dicit. Symeone domi sedente & apud se orante responsum venisse ad effectum. Solum cogitauit Ioseph et virgo introducere puerum Iesum in tẽplum. vt facerent ipsi secundum morem legis de ipso. & statim Spiritus sanctus præbuit responsum. hoc est, Excitauit spiritus Symeonem dicens. Expergiscere senex, quid dormis? Venit tempus responsi. Vade cito, venit.n. qui te soluit. excute vestes sepulchrales. para sepulchrum. ordina quæ ad domum tuam spectant. Venit enim qui te soluit. Venit Emanuel. Trãsi cito in templum. In loco sacro sacra. De sacro loco Propheta. Quamobrem pernicissimo cursu cupiditatis tanquam pẽna aliqua incitatus, & à spiritu leuatus, præuenit Ioseph & virginem in templum. non præuenit autem puerum qui portabatur. Quõo enim potuisset prǣuenire eum qui vbique aderat? Ioseph & virginem præuenit Symeon in templo. Et cũ prǣuenisset, adhuc prope adyta expectans reuelationem sancti Spiritus.

Cũ fuisset vero in templo Symeon, vidit quidem multas matres cum suis filiis in templum ingredientes, ad peragendum sacrificium purificationis. In quarum medio erat etiam quæ portabat venerandum fœtum & nullis sordibus contaminatũ. Iustus autem Symeon huc & illuc oculos circunferens, postquam vidit multas matres in priuato habitu humanitatis: solam autem virginem infinito & diuino lumine circundatam, separauit reliquas matres, clamans & dicens coram omnibus. Date mihi locum, vt teneam eum qui desideratur. Vidi eum qui me præuidit. Vidi, & meus germinauit spiritus. Cur quæ estis ancillæ, cum libera & Domina concertatis? Cur infantes vestros aræ offertis? huc conuertimini, & eos offerte huic puero, qui est antiquior Abraam. Interim Symeon suis vlnis tenens Dñm qui videbatur infans, Ioseph quidem & virginem bñdixit: prophetiam autem traduxit ad Dñm, dicens virgini. Quid aspicis hunc puerum ò virgo, tuum & non tuũ? mansisti enim virgo sicut eras prius. Cur enim asidue fixis oculis intueris, & eum frequenter amplecteris? Cur ei mamillam semper præbes, volens filium habere florentiorem? Non ergo nutrimento, cũ ipse sit mannæ & vitæ suppeditator. Cur mollibus palmis demulces infantem, eum volens sopire? Hic infans non dormitabit neque dormiet, quod attinet ad diuinitatis dignitatem quæ celatur. De eo enim dicit Propheta. Non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël. Cur hunc puerum aspicis virgo? Hic puer ò virgo, diuinitatis quæ latet virtute, cœlum extendit sicut pellem. terram autem super nihilum suspendit, cũ aquam mundo basim fundasset. Hic puer ò virgo incorrupta, est solis auriga: lunam tanquam clauo regit. è thesauris suis promit ventos. & est omnium quæ sunt Dñs. Hunc puerum ò virgo, non mundanam sed spiritalem accipe lætitiam. Ecce enim hic est positus in ruinam & resurrectionẽ multorum in Israël. et in signum cui contradicẽt. Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. vt reuelentur ex multorum cordibus cogitatione.

Hæc sanctus & qui Deum suscepit Symeon dixit virgini Mariæ, te-

" uelatione sancti spiritus de Iesu qui videbatur infans. Ecce hic est posi-
" tus in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. Cur autem in ruina & cur in resurrectionem? Verum est verbum Domini. Quoniam enim Symeon, non sua virtute, sed sancti spiritus reuelatione, quidquid enuntiauit de Domino, ad virginem dicens. Ecce hic est positus in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, dixit, In ruinam quidem infidelium, resurrectionem autem eorum qui credunt. Ad ruinam Synagogæ, resurrectionem vero ecclesiæ. In ruinam Dæmonum, resurrectionem autem sanctorum. In ruinam prophanorum, resurrectionem vero iustorum. In ruinam & resurrectionē surrexit Matthias, cecidit autem Iudas. In ruinam & resurrectionem multorū in Israël. In resurrectionem latronis qui erat à dexteris, in ruinam autem eius qui erat à sinistris. Nam ille quidem pie se gerebat: hic verò maledicebat. In ruinam & resurrectionem multorum in Israël. & in signum cui contradicitur. vera est oratio. In signū cui contradicitur fuit Dominus, vt pote fœtus virginis. Nam magnū est signum, quod quæ virgo peperit, māsit virgo. Quòd vero virgo sit signum cui con
" tradicitur, audi Esaiam in suo opere, Domino dicēte ad Achaz. Pete tibi
" signum in profundo aut in alto & dixit Achaz. Non petam, neque tenta-
" bo Dominum. Et dixit Esaias. Ecce dabit nobis Dominus ipse signum.
" Quodnam hoc? Ecce virgo in vtero concipiet. De hoc Dominico signo in virgine nato, cui contentiosa lingua multi erant contradicturi, Symeon
" futurum prius significauit, dicēs virgini. Ecce hic positus est in ruinam
" & resurrectionē multorū in Israel, & in signum cui contradicitur. Tuam
" quoque ipsius animam pertransibit gladius. vt reuelentur ex multorū cor
" dibus cogitationes.

Hinc nonnulli existimarunt Domini matrem gladio morte affectam, finem accepisse martyrij. propterea quod dixerit Symeon. Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Non ita autem habet. Ferreus enim gladius corpus diuidit, non dissecat animam. Quo fit vt intemerata & sanctissima virgo huc vsque sit immortalis, propterea quod qui in ea habitauit, eam traduxerit in loca in quibus est assumpta. Quid ergo vult dicere Symeon, ad Mariam. Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes. Gladium qui pertransit animam, hic dixit Symeon dolorem virginis. quo erat afficienda virgo. vt quæ videretur perdidisse eum qui veniebat ad quærendum eos qui perierant. Quòd vero dolor attigerit animam virginis, cum videretur perdidisse suum filium qui appellatur nempe virginis, audiuisti nuper Euangelistam dicentem Et quando fuit annorum duodecim Iesus. Sententia procedit ex sentētia, & quæ scio quæstione depellitur. Et quando fuit annorum duodecim. Quis? Deus verbum annorum duodecim. vnigenitus filius Dei: Qui est ante mundum. Qui olim fuit effector visionis temporum. nō autem genitus post tempora. Et quando fuit annorum duodecim Iesus. Quòd attinet ad ortum ex virgine, numeratur tempus duodecim annorum. Particulatim enim proficiebat Iesus ætate corporea: non simul autem totus creuit Dominus. Quamobrem ne existimaretur fuisse phātasia Oeconomiæ veritas, vt prius diximus, particulatim proficiebat, seruās omnes humanas mensuras humanæ susceptæ naturæ. De eo itaque dicebat Euangelista. Puer autem Iesus proficiebat spiritu & sapiētia. & gratia Dei erat in ipso.

Immortalis sic intellige, nō quia non sit mortua, contrarium enim tenet Eccl. sed quia ad immortalem vitam resurrexerit. Videtur tamē eius fuisse opinionis Auctor, quod nunquā mortua fuerit.

in ipso. Vide q̃ accurate locutus sit Euangelista. Non dixit, Deus verbum proficiebat. ne præberet Arrio materiam blasphemiæ, illud proficiebat, ostendit id fieri intercedente. Oeconomia. Propterea enim duodecim annos natus. Vnde etiam dicebat Euangelista. Et qñ fuit annorum duodecim Iesus, adduxerunt puerum Iesum secundum morem festi eorum in templum. & cum impleuissent ipsi dies, dum reuerterentur ipsi, remansit puer Iesus: & non cognouerunt parentes eius. Putantes autem ipsum esse secum in comitatu, iuerunt iter diei. & quærebant eum inter cognatos. & cum non inuenissent eum, iuerunt Hierusalem quærentes eum.

Ecce vero impletur dictum Symeonis ad virginem. Tuam quoq; ipsius animam pertransibit gladius. gladius, inquam doloris. gladius inquisitionis, per quem eum quęrebat qui perierat. Nam etsi mater esset virgo, eum tamen gestauit vtero: & ei præbuit mamillam: & eum magna aluit cura. & maternum habuit habitum, vt mater erga suum filium. Quamobrem cum visa esset eum perdidisse, quærens in tribus diebus, in dolore cordis clamabat, dicens. O' calamitatẽ, qñ expectaui felicitatem, tũc damnum sensi, Hei mihi, quis thesaurum surripuit? Quis pretiosas opes mihi abstulit. Quis me mea spe est frustratus? Hei mihi, non dicar amplius benedicta in mulieribus. Non amplius dicent. Beatus vẽter qui te portauit. extabui non autem beata euasi. Quis est qui te mihi eripuit? Quis tibi est insidiatus? Quis meum abscondit thesaurum? Cognata mea Elisabet lætatur propter filium. ego vero crucior. Illa enim habet militem. ego vero Rege sum frustrata. Seruus custoditur: & Dominus non apparet. Vbi est Archangeli Gabrielis salutatio? Vbi stellæ illuminatio? Vbi Magorum adoratio? Vbi Pastorum exultatio? Vbi Angelorũ est glorificatio? Qñ regnum expectaui, tunc relicta fui in mẽdicitate. Hanc ergo afflictionem & dolorem tanquam animæ gladium ancipitem, Symeon futurum videns, pręsignificauit, dicens virgini. Tuam quoq; ipsius animam pertransibit gladius. Non dixit, Tenebit gladius, aut dominabitur gladius. Sed, Pertrãsibit gladius. hoc est, Paruo tempore dolore afficieris & affligeris. & statim à dolore liberaberis & afflictione.

Quòd autem dolore affecta sit intemerata & sanctissima virgo, putans se perdidisse eum qui venerat ad salutem eorum qui perierãt, audiuisti Euangelistam modo dicentem. Et factũ est post tres dies. Vide quantum dolorẽ & afflictionem subiit virgo tribus diebus. Et factũ est post tres dies. & ecce inuenit eum in templo sedentem in medio doctorum, & eos interrogantem, & eos audientem. & dixit ei mater eius. Fili. cur fecisti nobis hoc? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Cur nõ nobiscum descendisti sicut nobiscum ascẽdisti? Cur sedisti in medio doctorum? Quid interrogas & doces? Cum litteras nondum didiceris, quid Sophistam agis? Cur inuidiam aduersus te concitas? Cur me vis orbari fili? Ecce te ardentibus oculis aspiciunt. iam strident in te dentibus sicut feræ immanes quæ mouentur aduersus agnum. Fili cur sic fecisti nobis? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Dñs autem eis de cætero aperiẽs diuinitatis quæ latebat dignitatem, in mendico humanitatis susceptę spectaculo, eis respondet dicẽs. Quid me quærebatis? vbi autem quęrebatis? In cœlũ non ascendistis. ad inferos non descendistis. In Ionæ balena non habitastis. Quid me quærebatis? nesciebatis q̃ in iis quæ sunt patris mei

oportet me esse? Non audiuistis Symeonem? Non me Dñm & Deum est confessus? Vos autem me quæritis tanq; puerum. Nesciebatis q in iis quæ sunt patris mei oportet me esse? Vnum patrem habeo in cœlo: vos vero accepi commodato.

7 Sed hic imponentes finem orationi, vacemus diuinæ & 7 mysticæ mensæ per quam & mundus est stabilitus: & orbis terræ consistit & regnũ custoditur: & ecclesia multiplicatur: & Deus sanctificatur. In Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Diuinam & mysticam mensam, sanctam Eucharistiã appellat.

POENITENTIA ET REVOCATIO

ad Dominum nostrum Iesum Christum, quæ facta est à quodam Oeconomo nomine Theophilo, ecclesiæ orientalis, regionis nomine Adana, per intercessionem sanctissimæ & gloriosissimæ Deiparentis semper uirginis Mariæ.

Februa. 4.

ACCIDIT in illo tempore, priusq̃ fieret incursio impiorum & sceleratorum Persarum in rempublicã Romanorum, vt in vna ciuitate nomine Adana secundæ Cilicum prouinciæ, esset Oeconomus in sanctissima Dei catholica ecclesia, nomine Theophilus. Qui Oeconomus pulchre admodum & diuine dispensans res oẽs & loca quę pertinebant ad hãc sanctissimam ecclesiam, gregem quoque Christi pascebat in magna quiete moderatione & sanctitate. vt de cætero sanctissimus quoq; Eps huius ecclesiæ, in ipso valde requiesceret, ad oẽm eius administrationem & actionẽ & vniuersę eius Christi amantis ciuitatis. Et vt semel dicã, non solum Episcopus, sed etiam oẽs reliqui, à magno eorum vsque ad paruum, ei agebant gratias. Orphanis enim & viduis & pauperibus, abũde & copiose suppeditabat quæ erant necessaria: & maxime quos sciebat à suis bonis excidisse.

Cũ hæc ergo ita se haberent, visum est Dei voluntati, vt sanctissimus illius ciuitatis Eps, fine vitæ veretur. Qua de cã Christi amantes Clerici simul cum ciuibus totius ciuitatis, acerrimo incitati desiderio ad germanã eius in Xp̃o charitatem, quinetiam intuentes ad viri sufficientiam, oẽs cõmuni consilio, eligunt ipsum valde pium Oeconomum in Ep̃m. mittẽtes statim in suam Metropolim, electionem quę ab ipsis facta fuerat. Quam cum accepisset Metropolitanus, vt qui res eius iam præsciret, cessit eorum petitioni. & mittens adduxit prædictum Oeconomum, vt eum ordinaret Ep̃m in prædicta sancta ecclesia. Et primum quidem acceptis litteris, quæ ad ipsum missæ fuerant à sanctissimo Metropolitano, & iubebant eum venire in metropolim, nolebat venire, omnes rogans & supplicans, ne ipse fieret Eps. sufficere sibi dicens q esset Oeconomus. huic turbæ respondens se non esse sede dignum. Turba autem instante & rogante, & iis qui propter ipsum missi fuerant, eis non parentem, vi & manu abduxerunt ad dictam Metropolim. Quem cũ beatissimus accepisset Metropolitanus, & valde fuisset lætatus, voluit ipsum ordinare Ep̃m. Præ-

dictus vero Oeconomus se humi abiiciens, rogabat Metropolitanum ne quid tale in eum procederet, clamans & dicẽs. Sum indignus episcopatus & scio mea peccata. Et cum aliquot horas iacuisset ad pedes Metropolitani, tres dies ei dedit ad deliberandũ, vt persuaderetur ordinari Ep̃s. Post tres autem dies, rursus eum accersit, & cœpit eum adhortari & rogare vt susciperet dignitatem Episcopatus. Laudans etiam eius sufficientiam & castitatem. existimabatur enim esse homo valde continẽs. Sed nihil proficiebat. Persistebat enim dictus Oeconomus clamans & dicens se non esse sede dignum.

Cum ergo vidisset sanctissimus Metropolitanus tantam eius constãtiam & perseuerantiam, ne persuaderetur fieri Ep̃s, illum quidem siuit: alium autem præficit quem sede sciebat esse dignum. & cum eum ordinasset, dat Ep̃m in dicta ciuitate. ei quoque tradito beatissimo Oeconomo Theophilo ad suum munus Oconomiæ. Et cum ipsi venissent in prædictam ciuitatem cum Episcopo qui fuerat ordinatus, quidam inimice & maleuole zelo moti Satanico aduersus sæpenominatum Oeconomum, inutilia quædam maledicta ceperunt deferre ad aures Ep̃i. Qui quidẽ hoc diu facientes persuadẽt Ep̃o vt eum deponat ab administratione: adeò vt ipse de cætero nihil faceret in Episcopatu aut alicui imperaret, sed quiete degeret domi suæ. Alium autem eius loco præficit rebus administrandis. Cum itaque fraudulentus, & qui aliquas semper struit machinationes, & humani generis est semper æmulus & aduersarius, Diabolus vidisset virum moderate & quiete degentem, & ei valde inuidisset, eius cor subit, & ei suggerit cogitationes, & æmulationem ob id ministerium administrationis. adeò vt ipse de cætero accederet & versaretur cum veneficiis.

Erat autem quidam homo in illa ciuitate Magus Hebræus valde sermone celebratus. qui erat Diaboli administer & multos perdiderat. Noctu ergo vadit ad hunc veneficum is qui motus fuerat ab officio Oeconomi. & pulsat eius ostium. Ille autem cũ audiisset, egreditur volens videre quis pulsasset. & cum virum vidisset, timore affectus fuit & obstupefactus. & admirans, eum enim prius cognoscebat, accersit in ædes suas. & dicit ei. Quænam est causa Domine mi, propter quam accessisti ad me qui sum vilis & indignus. Qui vero fuerat Oeconomus Theophilus, statim & protinus se abiicit ad pedes Magi, eum rogãs & sigillatim exponens ea quæ sibi acciderant, & dicens. Si quid potes, me adiuua. & ne me despicias qui sum in multa afflictione. Episcopus meus me probro affecit in ciuitate: & hæc mihi fecit. & pollicitus est se ei daturum mercedem quæ sufficeret. Solum, inquit, fer mihi opem & ne me despexeris. Dixit vero ei ille Apostata & Magus Hebræus. Domine mi, de hac re omnem curam depone. sed abi lætus in domum tuam. & nocte sequenti hac hora veni ad me. & abducam te ad patronum meum. qui tibi omnino opem ferret.

Miser autem & abiectus Theophilus qui fuerat Oeconomus, cum audiuisset verba Magi & valde esset lætatus ita fecit. Et cum sequẽti nocte venisset vt conuenerat ad Iudæum circa mediam noctem, accepit eum Magus in hippodromum ciuitatis, & dicit ei. Si quod videris prodigium, aut sonum audieris, nihil timeas: neque facias I signũ crucis. Crux enim nihil opis affert hominibus; sed est potius ludibrium & fraus Christiano-

I *Vide quãto odio prosequatur Iudæus signum Crucis, ideo nolebat, quod Theophilus se eo signaret.*

rum. Cumq; miser ille assensus esset se hæc esse facturum, repente ei ostendit quasdam visiones nempe viros plurimos lenis indutos, cum multitudine lampadum & Satellitum, voces emittentes & laudibus prosequentes, & in medio eorum sedentem principē tenebrarum Dico autem Diabolum & suos. Tunc miserrimus Iudęus manu tenens Theophilū, ducit eum ad perniciosissimum illum cœtum & ad eum qui in ipso pręsidebat. & dicit Diabolus ad Iudæum. Hunc hominem cur huc ad nos deduxisti? Respondit Deo inuisus Iudæus & dicit. Duxi ipsum Dñe mi ad te. vt qui iniuria afficiatur ab Episcopo. & petit à te auxilium. Dicit ei ille Princeps. Quodnam possum ei dare auxilium, qui seruiat Deo suo? Sin autem vult re uera meus esse seruus, & in meorum referri numerum, ego ei opem feram vt plus q̃ antè posit facere & omnibus imperare, quinetiā plus q̃ ipse Eps. His sic dictis, dicit Iudæus Theophilo prius Oeconomo. Audiuisti quid dixit Princeps. Dicit ei Theophilus Audiui, & faciam si quid me iubet. Statimq; cœpit procidere et deosculari pedes illius Principis. Tunc dicit Diabolus proditori. Neget Theophilus quondam Oeconomus, filium qui dicitur Mariæ, & illam ipsam. eos enim valde abominor. & ipsorum negationem & renunciationem mihi scriptis mandet & quæcūq; vult à me impetrabit: solummodo eos neget. Teophilus autem cum hæc audiuisset, dixit ei. Faciam omnia quæ mihi iubes, dummodo consequar quod desidero.

Simulatq; hoc audiuisset dolosus hostis humani generis Diabolus, Theophili quondam Oeconomi barbam iucunde demulcet: & cœpit eū os ori admouens deosculari. & dicit ei. Salue de cętero germane mi amice & fidelissime. Tunc protinus eum ingressus est Satanas, & pactus cum Diabolo, negauit Christum & sanctissimam Dei parentem. & cum scriptis in charta mandasset suam negationem, cera obsignauit, & tradidit Principi. & cum se inuicem essent amplexi, ambo recesserunt à Principe, Theophilus quōdam Oeconomus, & Proditor ex hippodromo magna affecti lætitia propter suum interitum. Sequenti autem die, à diuina, vt arbitror, prouidentia motus Eps ductus fuit pœnitentia. & cum id significasset Theophilo quōdam Oeconomo, duxit eum ad Episcopatum cum omni honore & studio. & eo deposito quem ipse fecerat Oeconomum, in præsentia cleri & omnium ciuium, dat ei oēm auctoritatem & administrationem sanctissimæ ecclesiæ & earum quæ sunt sub ea possessionum: quinetiam ciuitatis tam in forenses quam in possessores, duplicato ei honore. coram omnibus se excusante sanctissimo Episcopo & dicente Theophilo. Ignosce mihi frater, quoniam peccaui tibi, vt qui tuam deposuerim sanctitatem & sufficientiam, pręfecerim vero hunc ineptū & in idoneum.

Cum primum autem hoc dixisset, & ostendisset se esse motum pœnitentia, dicens. Ignosce mihi propter Dominum si quid in te feci, & omnia sic processissent, cœpit ipse Oeconomus administrare sicut prius, et supra omnes extolli. Quamobrem omnes ei obediebant cū timore & tremore & ei ministrabant. Quinetiam ipse Episcopus eum aliquādiu suspiciebat atq; uerebatur. Inutilis autem & miser Iudæus & Magus, assidue occulte veniens ad Oeconomum Theophilum, dicebat ei: Vidisti Domine mi, quemadmodum inuenisti beneficiū maximum ex nobis & patrono nostro, & celerrimum auxiliū in iis quæ ab eo petiuisti. Oeconomus vero Theo-

ro Theophilus dicebat ei: Certe inueni, & quod mihi succurreritis magnas ago gratias. Omnium autem formator & creator noster Deus, qui non vult mortem nostram peccatorum: sed conuersionẽ & pœnitentiam nostram quærit semper, honestæ & diuinæ eius vitæ prioris recordatus, quando ministrauit sanctissimæ suæ ecclesiæ, quo tempore viduis & orphanis & pauperibus abunde & benigne subministrauit, nõ eum despexit, sed ei dedit pœnitentiam. diuinam conuersionem. & cum ad se rediisset ex tanta elatione & negatione, & resipuisset, cœpit suam demittere cogitationem, affligiq́ꝫ & cruciari ob ea quæ male fecerat. & de cætero vacabat 2 ieiuniis precibus & lachrymis: & assidue benignum & clemẽtem Deum rogabat, vt ei condonaretur iniquitas & peccatum propter ea quæ male fecerat.

2 *Vides quomodo uera agitur pœnitentia, uacabat inquit, ieiuniis, precibus & lachrymis.*

Hæc autem apud se dicebat quotidie. Hei mihi misero. hei mihi infelici. Quo ibo ego afflictus vt salutem cõsequar? Quo ibo infelix vt mihi detur misericordia? Quo ibo miser ego & peccator, qui negauit Christum meum & laudatissimam eius matrem in scriptis: & me feci Satanę seruum per litteris mandatam confessionẽ. Quis homo poterit eam auellere à manibus pestiferi: illius hostis, & mihi opem ferre? Quid mihi fuit necesse cognoscere scelestum illum & execrãdum Hebræum, & tradi igni æterno. fuerat enim ille quoq; Hebræus paulo antè punitus à principe & lege propter magica. Sic enim honorantur qui Deum relinquunt & accurrunt ad Diabolum. Quænam est autem ea quę mihi fuit ad tempus vtilitas. Quænam vero superbia & tumor huius vani mũdi. Hei mihi miser perij. Hei mihi erraui. Hei mihi perdidi lucem æternam, & dego in tenebris. pulchre degebã postq́ꝫ depositus fui ab Oeconomia. Cur volui propter temporalem & vanam existimationem & inanem hominum gloriam, humilem meam aĩam perdere in gehenna? Nam etsi homines mẽte mea latui, Deum latere non potui. Ego sum mali auctor. ego sum cædis meæ Dominus. ego sum insidiator miserę meę animę. Hei mihi, quid passus sum? Hei mihi, nescio quõ inductus sim. Hei mihi quid faciam? Hei mihi, ad quos ibo? Hei mihi, quid respondebo Deo in die iudicij, qñ erũt oĩa nuda & aperta: quando iusti coronabuntur: ego aũt miser condemnabor? Quomodo tunc sistar ante tribunal regium? Quem rogabo, Quem aduocabo in illa afflictione: aut quos implorabo in illa necessitate, qñ sunt oẽs de suis soliciti & non de alienis? Quis tunc mei miserebitur? Re vera nullus. Hei mihi miseræ & abiectæ animæ. Qũo abducta fuisti in captiuitatem? Qũo fuisti sauciata? Qũo lapsa es? Quo casu concidisti? Quonam fuisti obruta naufragio? Ad quem portum de cætero confugies: aut ad quodnã te conferes refugium? Hei mihi anima: hei mihi quid tibi accidit?

Cum his & adhuc pluribus apud se cum sua depugnaret anima, rursus qui solus est misericors, qui solus benignus, qui solus clemens pater, qui nunquam vult suum perire figmẽtum, dat ei bonam cogitationẽ & bonam mentem. & dixit apud se. Noui omnino, me Dei filium qui natus est ex sancta Dei parente & semper virgine Maria, Dominum nostrum Iesum Christum negasse, & ipsam, per male perdendum proditorem. Nunc autem vado ad eius matrem sanctissimam Dei parentem: & ad eam accedo ex tota anima mea & ex toto corde meo. & assidue fundam preces & ieiunabo in venerando eius templo, donec per eam inuenero misericor-

diam in futuro eius iudicio. Rursus vero dicebat. Quibusnam labris bonitatem eius placabo nescio. Scio enim me trãsgressum esse & eos negasse. Quodnam autem principium inueniam confessionis? Quonam vero corde, aut qua conscientia fretus, impiam conabor mouere linguam & labra plena sordibus? Primum etenim de quibusnam peccatis audebo petere remissionem? Hoc non potero facere. Ignis enim de cœlo statim ad me descendet, & comburet me miserum. Attamẽ anima mea resipisce ab ea quę te tenet vertigine. & accede ad matrem Christi & pudore non afficieris.

Cumq; hæc apud se considerasset, & hæc omnia in corde suo ardenter tenuisset, & protinus deleuisset omnes laboriosas huius vitæ tentationes, cum feruenti corde & magna animi alacritate, accessit ad venerãdum & celebrandum templum sanctæ Dei parentis & semper virginis Mariæ, ei 3 offerens preces & supplicationes. ieiunans noctes & dies & sine intermissione, vigilansq; & orans vt ipse exciperetur, reuertens à deceptione sceleratissimi Draconis, & à tetra illa & nefaria quam fecit eorum negatione. Quod cum fecisset dictus Oeconomus, quadraginta dies & quadraginta noctes orans & supplicans vt eius protectionẽ susciperet & defensionem, post cõpletos quadraginta dies, in medio noctis, ita vt oculis videretur, ei tanq; in visione, apparet, totius 4 mundi salus & refugium generis hominum, quæ est vere & proprie mater Seruatoris nostri Iesu Christi, dicens ei. O' homo, cur tam impudenter temereq; & præfractę pergis mihi molestiam exhibere, & rogare vt tibi opem feram, homini qui negasti filium meum & me? Quõ autem potero rogare vt ipse tibi condonet, ea quæ male fecisti? Quibusnam oculis aspiciam ad figuram filij mei quem tu negasti: & audebo eum pro te rogare? Sed nec ergo sustinere possum videre filium meum & Deum ignominia affici. Pone ergo ò homo, me vestris in me peccatis & delictis facile ignoscere. proptera q; ego quæ eum peperi, ita diligam genus Christianorum, & maxime eos qui recta 5 mente & fide ad me accedunt, & mane vigilant in meo templo. eis enim pateo, & eis occurro, & eos meis vlnis amplector, & preces eorum exaudio. Quæ autem filium meum ad iram prouocant, & quę in eũ geruntur impie, de iis vos exaudire est magnorum certaminum & laborum ad eius placandum bonitatem, etiamsi sit valde clemẽs & benignus.

3 *Ecce Theophili pœnitentia. In templo beatæ Virginis. XL. diebus ieiunauit, uigilauit, & orauit, ne crederes pœnitentiã esse duntaxat nouam uitam, sed requiri cum ea contritionẽ & operis satisfactionem.*

4 *Nota mirabile beatæ Virginis encomiũ. Illam uidelicet esse totius mundi salutẽ, & humani generis refugium.*

5 *Vides sanctam Dei genitricem semper adesse eã recta mente & fide inuocantibus?*

Oeconomus vero Theophilus respondẽs dixit ei. Certe Dña mea benedicta & defensio generis humani. Certe portus & protectio eorum qui ad te confugiunt. scio ò Domina mea Deiparens, q; te valde offenderim & ex te natum Deum nostrum: nec sum dignus consequi misericordiam. Sed habeo multa exempla eorum qui ante me offenderunt filium tuum & Deum nostrum, quibus data est venia suorum in eum peccatorũ, propter pœnitentiam & confessionem. Si enim non esset pœnitentia Domina mea Deiparens, qũo Nineuitas seruasset filius tuus? Si non esset pœnitentia, qũo Rhaab seruasset meretricem? Si non esset pœnitentia, qũo Dauid filius Iessæ, post donum prophetiæ. post regnum, post Domini testimonium, in adulterij & cædis lapsus barathrum, non solum est assecutus remissionem tantorum peccatorum, sed etiam rursus prophetauit? Si non esset pœnitentia, qũo beatus Petrus princeps Apostolorum, primus discipulus, columna ecclesiæ, qui à Deo accepit claues regni cœlorum, cũ Dñm non semel nec bis, sed ter negasset, post hæc autem acerbe flesset, nõ

solum est assecutus tanti lapsus remissionem, sed etiam maiori honore est dignatus. vt qui factus sit pastor Dñi Christi ouium rationis participũ? Si non esset pœnitentia, quõ Publicanum qui oĩa rapuerat fecisset Euangelistam? Si non esset pœnitentia, quõ beatus Paulus ex persecutore factus esset vas electionis? Si non esset pœnitentia, quõ excepisset Zacchæum, qui ipse quoque erat publicanorum princeps & Sycophanta? Si non esset pœnitentia, quõ eum qui se inique gesserat apud Corinthios, permisit Apostolus vt assumeretur, dicens. Assumite eum, ne nos circũueniat Satanas. Si non esset pœnitentia, quõ qui tot & tanta mala fecit in hac vita Cyprianus, qui etiam prægnantes secabat mulieres, & Diabolum totum erat indutus, à veneranda & honesta Iustina confirmatus, & mirandum in modum accedens ad pœnitentiam, nõ solum accepit remissionem tam multorum & tãtorum malorum: sed etiam dignatus fuit sorte Martyrũ, & a Christo redimitus corona incorruptionis? Quamobrem ego quoq; miser & peccator, fretus tot & talibus exẽplis, accedo rogans tuam ditissimam defensionem, & omni ex parte bonã misericordiam, vt manum mihi porrigat. & detur mihi venia à filio tuo & Deo nostro, malorum quæ admisi.

Hæc cũ ipse respondisset, dicit ei sancta verendaq; & omnibus laudibus celebranda Dei parens, quæ est sola casta & 6 pura quæ est sola sancta anima & corpore. quæ sola habet fiduciam ad eum qui est natus ex ipsa. quæ est solatium eorum qui affliguntur. quæ est vltio eorum qui vexantur. quæ est amictus eorum qui sunt nudi. quæ est baculus senectutis. quæ est firma defensio eorum qui mane ad eam vigilant. quæ semper suis vlnis fouet Christianos. Cõfitere ò homo me 7 genuisse filiũ quem tu negasti. eum esse Christum filium Dei viui, qui venit iudicatum viuos & mortuos. Ego autem rogabo eum: & is te suscipiet pœnitentem. Dicit ei Oeconomus Theophilus. Et quõ audebo Domina mea benedicta, ego qui sum indignus & miser, aperire labra, cum os habeam sordidum & luto inquinatum, quod negauit filium tuum & Deũ nostrum, & vana huius vitæ spe sum deceptus? Non hoc vero solum, sed id etiam quod habui animæ 8 propugnaculum, venerandam, inquam, crucem & diuinũ baptisma quod accepi, pollui per scriptis mandatam & acerbam negationem. Dicit ei intemerata & sancta Dei parens. Tu solum accede & eum confitere. & ne sit id tibi curæ. est enim benignus & clemens. & accidit lachrymas pœnitentiæ eorum qui sincere & pure ad eum accedunt.

6 *Ecce & hic Virginis matris præconia.*

7 *Si confiteatur beatã Mariã genuisse Christum filium Dei uiui, promittit se rogaturam pro eo, & impetraturum indulgẽtiam.*

8 *Crux ueneranda animæ propugnaculum.*

Tunc ille vere beatus & diuinus vir Theophilus, cum pudore & quæ ei cõueniebat humilitate, tristitiaq; & eiulatu, confessus est & dixit. Credo & adoro & glorifico vnum sanctæ trinitatis, Dñm nostrum Iesum Christum, filium Dei viui. qui ante secula ex patre genitus fuit ineffabiliter: in vltimis autem diebus descendit Deus verbum è cœlis & incarnatus est è Spiritu sancto, & ex sancta virgine Maria: & processit ad salutẽ humani generis. eum esse perfectum Deum & perfectum hominem. qui propter nos peccatores suscepit passionem & sputa. & in viuifico ligno crucis manus extendit. Qui est pastor bonus. qui posuit animam suã pro ouibus, fuitq; sepultus & resurrexit, & ascẽdit in cœlos cum carne quæ ex te casta fuit assumpta: & venit cũ gloria iudicatum viuos & mortuos, & redditum vnicuiq; secundum sua opera. Hæc cõfiteor corde & aio &

ore:coloq; & adoro & amplector. & cum hac intensa & quæ ex tota fit anima confessione.rogo sanctissima Domina, offer me Christo qui natus est ex te sancta & mundo desiderata Dei parente. & ne abomineris me infelicem neq; despicias preces mei peccatoris, qui fui correptus à maligno

9 inimico.sed 9 me libera ab iniquitatibus & afflictionibus quæ me premunt. vt cum omnibus ego quoque emittam hymnos ad agendas gratias Dei nostro qui ex te sancta & beata natus est.

Ecce quomodo inuocat sanctam Dei genitricem, & quantā ei potestatē tribuit.

Cùm autem quādam satisfactionem ab eo accepisset sanctissima Dei parens, quæ est refugium eorum qui affliguntur. quæ est spes & defensio generis Christianorum: quæ semper intercedit pro peccatoribus, dicit ei. Ecce ego propter baptisma quod accepisti propter filium meū & Deum Iesum Christum. & propter magnam meam & ineffabilem beneuolentiam quam habeo in vos Christianos, tibi credēs accedam.& rogabo ipsum pro te vt te suscipiat. Quæ cum inter eos conuenissent, & dies esset exortus, quæ ei apparuerat purpuram gestans sancta, ab eo euanuit. Post

10 eum vero diem magis fincere rogās Oeconomus, & faciē suam 10 verberans super terram, permanebat ieiunus in maxime venerabili templo sanctæ & laudibus celebrandæ Dei parentis & neq; requiescens, neque à solo surgens, sed etiam lachrymis locum rigans, non cessabat intueri ad

11 venerandam & sanctam figuram 11 gloriosissime Dominæ nostræ Dei parentis & semper virginis Mariæ, spē expectans eius salutis. Vnde etiam rursus noctu, quæ sola vera est & proprie Deiparens, defensio nostra recreatio eorum qui ad ipsam confugiunt. Quæ est sola nubes lucem ferens, Quæ educata fuit in sanctis sanctorum, ei apparet hilari vultu & lætis oculis, ei dicens miti voce. Homo Dei, sufficit tibi pœnitentia, quam ostendisti apud Seruatorem oīum & opificem seculorū. Suscepit.n.Dñs Deus lachrymas tuas & preces propter me, si tu conseruaueris in corde tuo rectam fidem in Christum filium vsque ad diem mortis tuæ. Ille autem, dicit ei. Certe Domina mea benedicta conseruabo: nec faciam irrita ea

Vide quanta fuerit operis satisfactio in hoc homine.

Ecce quomodo etiam tunc habebant imagines, easq; summo cum studio uenerari solebant.

12 quę tu mihi dixisti. Te enim habeo post 12 Deum protectionem & defensionem: & ad tuum intuens auxilium & gubernationem, non faciam irrita ea quæ tibi sum pollicitus. Scio enim scio ò benedicta, non esse aliam hominum defensionem nisi te solam ò Deiparens. Quis enim ò Dña mea sperauit in te, & pudore est affectus? Aut quis hominum, fideliter omnipotentem tuam rogauit opem, & fuit vnquā derelictus? Reuera nullus vnq̄. Quamobrem ego quoq; peccator & nequam, rogo tuum perennem fontem, ex quo fluunt ad animas nostras curationes, prębe mihi viscera miserationum, qui aberraui & cecidi in pelagus luti. & iube me solū accipere hanc malam & perniciosam negationis chartam obsignatam, à Diabolo qui me fefellit. quoniam hoc est solum quod miseram meam tabefacit animam.

Post Deum defensio & protectio nostra est sancta Dei genitrix.

Rursus ergo multum flens & lamentans hic vir semper memorandus, & rogans totius mundi spem & salutem animarum nostrarum de hac re statim & de charta. Ea vero quæ est semper paratum auxilium eorum qui affliguntur, post alios tres dies, tanq̄ in visione decet ei chartam habentem etiam bullam ceræ. seu perniciosam defectionis confessionem. Et cum surrexisset è somno sæpe memoratus Theophilus Oeconomus, inuenit chartam bullatam supra pectus. Lætitiaq; affectus & timore correptus

reptus omnino tremuit: & dissolutæ sunt compages eius membrorũ. Sequenti autem die cum esset dies Dominicus, vadens in sanctam & vniuersam ecclesiam, post lectionem sancti Euangelij, se repente proiicit ad pedes sanctissimi eius Epi. & cum sigillatim ei narrasset omnia quæ ab ipso facta fuerant: & ei chartam in manus tradidisset obsignatam, admirãtibus omnibus Clericis, Laicis, & pueris, petiit vt sceleratissima charta legeretur in ambone. Quod cum factum esset, cognouit vniuersus populus quæ ei acciderãt, & quemadmodum prædicta charta fuisset ei allata. adeò vt sanctissimus Episcopus clamaret & diceret.

Venite oẽs fideles, glorificemus benignum & verum Deum nostrum. Venite ò pij & Dei amantes, videte miracula quæ sunt contra opinionẽ. Venite ò Christi amantes, agnoscite eum qui non vult mortem nostrorũ peccatorum. sed expectat conuersionem & æternam vitam. Venite, videte ò pij & religiosi, quàm multa possit gemitus animæ & cordis contritio, & lachrymarum ablutio. Quis non miretur ò fratres mei & patres, magnam & ineffabilem patientiam benigni & misericordis Dei? Quis non stupeat ò Dei & Christi amantes, magnas & immensas diuitias Deique indulgentiam & charitatem in nos peccatores? Papè cum quadraginta dies ieiunasset Moses legislator, accepit à Deo impressas tabulas. Hic quoque frater noster Theophilus cum quadraginta dies mansisset in venerando templo laudibus celebrandæ Deiparentis, chartam quam nuper cum defecisset perdiderat, eam per ipsam recuperauit, motam ad intercedendum apud verum nostrum Deum. Canamus ergo nos quoque ò dilecti, cum ipso intense hymnum, eius qui tam misericorditer exaudiit pœnitentiam illius qui ad ipsum accessit per intercessionem 13 intemeratæ Dei parẽtis: quæ est hominibus pons ad Deum: spes eorum qui spem abiecerunt: refugium eorum qui sunt vexati: quæ humanæ naturæ sustulit maledictum: vera porta quam peccatores pulsamus, & sæpe aperitur: & offert nostras preces Deo nostro qui ex ipsa natus est, & accipit peccatorum nostrorũ remissionem. Et quid amplius dicam, aut quid loquar, aut quem hymnum recitabo ad eam glorificandam & eum qui ex ipsa natus est? Sunt reuera admirabilia opera tua Dñe. & non sufficiet lingua ad laudem tuorum admirabilium. Re uera quam magnificata sunt opera tua Dñe. Omnia in intelligentia fecisti & sapientia. Re uera rationi consentaneum est dicere dictum illud Euangelium. Afferte primam vestem, & eũ induite. & date anuulum in manu eius et calceos in pedibus. & afferentes vitulum saginatum, eum sacrificate. & comedentes lætemur quòd hic frater erat mortuus & reuixit. perierat & est inuentus.

13 Vide sanctissimæ Virginis laudes & potentiam.

Tunc cum manum suam extendisset Eps, fecit è solo surgere in primis pium virum Teophilum. Et cum ipse surrexisset, rogauit Epm, vt igne exureret nefariam & sceleratam chartam. quod etiam factum est Dei gratia. Cum autem vidisset populus combustam nefariam & adulterinam chartam, seu iniquam defectionis cõfessionem Oeconomi Theophili, cœperũt cum multis lachrymis multas horas clamare Dñe miserere, vt nos hęc possimus satis laudare, & glorificare benignum Deum. Sanctissimus Eps cum manu populo indixisset silentium, & eis dixisset, Pax omnibus, cœpit peragere consuetam eucharistiam sanctæ oblationis. & postquàm perfecta fuissent dona diuina, eũ impertiit 14 intemeratis & viuificis Chri-

14 Eum impertiit intemeratis & uiuificis Christi sacramentis.

sti sacramentis. statimq́ꝫ resplenduit facies eius sicut sol. & cum vidissent omnes eius figurę repentinam mutationem, benignum Deum magis glorificarunt qui facit mirabilia iis qui ad ipsum confugiunt.

Statim ergo accurrens ad venerandum templum gloriosæ Deiparētis, cum parum in eo requicuisset, & corpore infirmus euasisset in ipso loco in quo beatam viderat visionem, vbi etiā fuit sepultus cum se inclinasset tanqꝫ ei loco affixus, tribus post diebus, salutatis omnibus fratribus qui aderant, tradidit beatam animam in manus eius qui natus est ex semper virgine & intemerata matre Dñi nostri, cum de rebus omnibus suis pulchre & diuine disposuisset. glorificans & cōfitens in omnibus patrem & filium & Spiritum sanctum, & misericordē laudibusq́ꝫ omnibus & celebrandam Deiparentem & matrē Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Ego autem Eutychianus humilis & peccator, qui fui natus in ædibus huius beatissimi Theophili, & deinde Clericus huius catholicæ ecclesiæ, cum secutus meum Dominū ei inseruiissem in afflictione, quę vidi oculis meis & auribus audiui à beata eius lingua secure & certo scripsi quæ ei contigerant. & exposui fidelibus amicis & piis viris. Ad gloriam Dei omnipotentis & Dñi nostri Iesu Christi qui glorificatur in sanctis suis.

MARTYRIVM SANCTI *& gloriosi Martyris Isidori.*

Februa. 5.

CVM venerandam & diuinam doctrinam Domini nostri Iesu Christi, iis datam qui ipso sunt digni, diligenter & vtiliter esset secutus diuinus & venerandus Martyr Christi Isidorus, & se per diuinas scripturas & Christi mandata omni ex parte muniisset, animo fuit pręclare stabilitus. spiritu cōfirmatus. corpore corroboratus & fuit diuina quadam motus æmulatione in eos qui carnem ante ipsum exuerant, & martyrium pro Domino susceperant. aduersus tentationes seipsum exercens afflictionesq́ꝫ & minas Tyrannorum. Sciebat enim quod fuerat prædictum à diuino ore Domini nostri & seruatoris Iesu Christi magni Dei. nempe qꝫ qui diligit animam suam perdet eam. Quocirca fidem tenens omnino immobilem, & conseruans thesaurum fidei immobilem, acquirens sibi salutem, & infractam portans cōfessionem, Deo ostendit cor integrum. eratq́ꝫ omnino à reprehensione alienus iustus, pius, & in omnibus perfectus. Non erat enim in eo macula, aut indecorum aliquid aut instabile. non vitium. non malitia. nec quæ ex maligno sunt mala, eius mētem reddiderunt improbam. sed moderate & pie cum honestate & tēperantia suam vitam conseruans, pure viuebat & citra reprehensionem.

Accidit autem vt in Chio insula essent naues cuiusdam Numerij qui ducebat exercitum, quo ei iusserat Decius Tyrānus. Erat vero in primis venerandus & gloriosus Martyr Christi Isidorus, ex ciuitate magni nōminis Alexandria. qui locum quidem tenebat Optionis, non idem autem sentiebat quod gentiles qui erant in Ægypto, qui errorem colebant ex fabulis. sed colebat & adorabat Deum viuum qui est Dñs vitæ & mortis. nec ei persuaderi poterat vt sarificaret simulachris, neqꝫ attēdebat edi-

cta Decij Imperatoris. Hunc ergo sanctum Isidorũ, apud Ducem exercitus Numerium accusans quidam nomine Iulius qui locum tenebat Centurionis, ei renuntiauit oĩa, vt qui inuidia motus esset aduersus Martyrem & ei dicit. Notũ tibi sit Dñe mi, ꝙ Isidorus Diis non sacrificat: neq; vllam ducit rationem sanctorum sacrificiorum. neq; inducit in animum vt pareat Imperatori Decio. Iube ergo eum duci ante vestram potestatem & interrogari.

Hęc cum audiisset Dux exercitus Numerius, iussit eum statim sisti tribunali. Cum is autẽ adfuisset, dixit ei. Quod est nomen tuum? Sanctus vero respondens, dixit. Vocor Isidorus. Dixit Numerius Dux exercitus. Tu es qui magnis & piis legibus Decij Imperatoris non credis, & non vis sacrificare Diis? Dixit sanctus Isidorus. Quinam enim sunt Dij vestri, aut quid sunt? vt ego quoq; iis sacrificẽ? Non sunt simulachra surda & cæca & nullo sensu prædita? Dixit Numerius. O' malam & improbam huius viri mentem. Re vera dignus est multis suppliciis & tormentis. Dixit sanctus Isidorus. Dignus sum pro Deo meo ferre contumeliam & plagas accipere, & mortem sustinere. vt ipse quoque me reddat dignũ sanctis Martyribus qui ante me carne sunt mortui pro sancto eius nomine. Scio enim spiritu, ꝙ qui in ipso spem collocant, nunq; sunt morituri. Sic enim dixit, Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Numerius dixit. Sacrificas ne Isidore, vt viuas, an non? Sanctus autem Martyr Christum Isidorus dixit. Etiamsi velis corpus meũ occidere, animæ meę non dominaberis. De cætero puni me vt vis: & vt vis fac cito. Habeo enim in me, etiam postq; mortuus fuero, Deum verum & viuum. Viuit enim in me Christus, & ego in eo. nec cessabo Christum confiteri, donec est spiritus in naribus meis. Numerius dixit, Pare de cætero ò homo. & semel saltem sacrifica. Sanctus dixit Isidorus. Ne temere nugeris. non sacrificabo Dæmonibus. neq; tibi parebo. Vanus enim error te diu tenens & planum constituens, studet efficere vt reliqui per te errẽt. Mihi autem nunquam persuaseris. fac cito quod velis de cætero.

Dixit Numerius Dux exercitus. Ego tibi persuadebo ò Isidore meum audire cõsilium. Ensem enim et grauia flagella tibi infligam, donec Deos confessus fueris. & statim iussit eum extendi à quatuor: & boum neruis vehementer verberari. Dicebãt autem ei ij quoq; qui aderant. Sacrifica Diis Isidore priusq; moriaris in tormentis. Eis dixit sanctus Isidorus. Ego vnum Deum esse dico, quem cõfiteor & colo, qui est & ante fuit & semper manet, qui est vniuersorum Rex & Dñs & omniũ opifex. Quem non relinquã nec omnino negabo. ne ego quoq; ab eo neger in die iudicij. Dixit autẽ Numerius Dux exercitus. Visum'ne est tibi non parere mihi? Sanctus dicit Isidorus. Nunq; tibi parebo. Christum enim timeo quem adoro & colo. Tunc Numerius Dux exercitus videns eius scopum immutabilem, eiusq; constantiam & fortitudinem, cum fuisset locutus & cõsultasset cum suis malis assessoribus, in eum tulit sententiam sic dicẽs. Isidorum qui non paruit legibus & Diis noluit sacrificare, eum iubẽt leges Decij Cæsaris, ensi tradi.

Spiculator autem eum assumens, duxit ad locum certaminis. Lætabatur vero sanctus Martyr, properans ad sui occisionem tanq; agnus immaculatus. & hilari vultu intuens cœli altitudinem, dicebat. Sancte Do-

mine, benedico te, quod beneplacito & voluntate tua me hodie suscipis in sancta tabernacula & in loca quietis. Et cũ peruenisset ad locum in quo sanctus erat se consummandus, orauit ad Dñm & dixit. Gloria tibi Dñe Iesu Christe, fili Dei viui cum patre ineffabili, & cum sancto tuo & viuifico spiritu. Tibi enim Dñe gratias agens, hac hora accedo & oro. Domine Deus meus, qui Abrahæ propositum & sacrificiũ habuisti acceptũ, exaudi me in hac hora, & serui tui preces suscipe: & animã meam accipe in sanctas tuas manus. Tibi soli Dñe commendo spiritum meum, qui eum mihi dedisti. & quicunque te inuocauerit solum verum Deum, in nomine meo serui tui Isidori. siue in fame, siue in tẽtatione, siue in iudicio, siue in periculo & afflictione huius mundi, siue in mari, conseruetur ab omni periculo remotus & pacificus. Da autem ei quoque Dñe bonam partem inter tuos electos: & fac cum eo diuitem tuam misericordiam, liberans eum ab ea qua circundatur afflictione & necessitate, propter me qui sacrificor sancto tuo & terribili nomini. Qm̃ tu es Deus solus, qui ab afflictione & necessitate redimis eos qui te inuocant. & te decet gloria in secula seculorum Amen: Hæc cum dixisset, genibus flexis in terram, & se signo 1 crucis per totũ corpus armasset, amputatũ est ei caput. & connumeratur in sacris choris Martyrum. & simul lætatur cum populis Patriarcharum & pro 2 peccatoribus & iis qui eius peragũt memoriam, perpetuo intercedit apud Christum Dñm nostrum.

1 *Et se signo crũcis per totum corpus armasset.*

2 *Nota sanctos pro peccatoribus, & pro iis, qui eorum celebrãt memoriam, intercedere apud dominum Christum.*

Quidam aũt Ammonius qui erat eius amicus, fodit in eo loco: & clanculum in eo posuit venerandum & sanctum eius corpus. cum nemo auderet eum sepelire. Sic enim iusserat iniquus Numerius eum non sepeliri, sed proiici comedendum à volucribus cœli. Is vero cuius meminimus, venerandus vir Ammonius, cum tenuisset pulchram fidem & consilium Christianorum, & contendisset in hellespontum, perfecta veri certaminis corona, redimitus fuit in ciuitate Cyzico.

Post aliquot autem dies cum venisset ex Epheso venerãda & pia Myrope, propter imminẽtem Christianorum persecutionem: & accepisset de sancto Martyre Isidoro, quærebat locum in quo proiecte fuerant venerandæ 3 & sanctæ eius reliquiæ. Quem cum cognouisset, noctu ad locum accedens, & manus suas orando ad cœlum extendens, fuit voti sui compos. & cum inuenisset venerandum & sanctum corpus Martyris, custoditum ab Angelis & resplendens instar luminis, cum magno gaudio & lętitia apprehendens reliquias, eas vnxit 4 vnguento & cum eas sindone munda inuoluisset generosa & præclara hæc mulier, cum suis ancillis eas exportauit. & tulit in domum suam, Deũ laudans & glorificãs.

3 *Audi, venerandæ & sanctæ eius reliquiæ.*

4 *Vnxit vnguẽto martyris reliquias, et sindone munda inuoluit.*

Post gloriosam vero & pretiosam dormitionẽ sancti Martyris Christi Isidori, & inimicissimam interemptionem Tyranni Decij, & transitum persecutionis aduersus Christianos, magno desiderio sauciati Chrĩ ciues, in honorem & memoriam huius Martyris, venerandas & pretiosas ædes excitauerũt in eius 5 nomine: & in iis deposuerunt eius sanctas & venerãdas reliquias. Sed diuinæ quoque memoriæ Marcianus, qui fuit sanctus & beatus Oeconomus & presbyter, qui venerãdum templum sanctæ Irenes & sanctæ Anastasiæ, in hac regia ciuitate diuine excitauit, cũ in posterioribus temporibus in somnis respõsum accepisset à sancto Martyre. ab eo enim visus fuit sanctus Martyr, præcipiens. ei vt excitaret templum

5 *In nomine sanctorũ etiã antiquitus excitabantur Eccle. Hoc idem videbis paulo inferius.*

plum in suo nomine, & à somno excitatus sanctus Marcianus, diuina fuit captus cogitatione. & extruxit venerandã ędem, in nomine & ad gloriã sancti & gloriosi Martyris Christi Isidori, prope sanctam Irenem quæ spectat ad mare. quam etiam simul dedit ipsi ædi sanctæ Irenes. Deposuit enim sanctus & magnus vir Marcianus, in venerãda & sancta eius capsa, partem quandam sanctarum eius reliquiarũ, cum 6 aromatibus & vnguẽto sanctificato. Quamobrem ab eo tempore per multa 7 miracula ostendit propriam virtutem & in eo loco præsentiam. dans vnicuique diuina gratia ea quæ sunt ei cõducibilia. Quamobrem & fugauit spiritus immundos: & multos liberauit ab infirmitate & à malis incurabilibus. & eos qui in mari nauigabãt, à tempestate & periculo conseruauit illæsos & non passos naufragiũ. Propter hæc ergo & multa alia, gloriam emittimus honorem & adorationem, Deo qui per Martyrẽ largitur omnibus curationes & miracula ad peccatorum redemptionem, ad purificationem animarum, & ad salutem corporum. Gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia nunc & in secula seculorum. Amen.

m *Partẽ reliquiarum posuit in capsa cum aromatibus & cum unguẽto sanctificato.*

7 *Vide quot miracula, quibus propriam uirtutem in uirtute tamen Christi ostẽdit sanctus.*

MARTYRIVM SANCTÆ ET GLOriosæ Martyris Christi Agathæ.

Februa. 5.

IMPERANTE illo tempore Decio iniquo Cæsare: Quintiano autem præside insulæ Siciliæ Italorũ prouinciæ, exiit ab eis iniquum & iniustum edictum, vt omnes Christiani qui colebant verã & piam religionem, morti acerbæ traderentur. Sancta ergo magniq; & excelsi animi Agatha, quę nata quidem erat ex ciuitate Panormitana, erat autem insigni & claro genere orta, cum audiuisset hoc impium sermone iactatum esse decretum, illico patria, genere, gloria, & vniuersa quæ est ad tempus specie ac visione, atque adeò ipsa quoque vita contempta, armata fuit ad certamina pro Christo suscipienda.

Quintianus autẽ. Pæses cum audiuisset de sancta & generosa Christi Athleta Agatha, q formæ pulchritudine superaret oẽs sui tẽporis adolescentulas, quærebat quonammodo Dei virginem Agatham comprehenderet & ad se attraheret. Non cessabat itaque quotidie improbam suam agitare cogitationem, donec ei liceret œstrum suæ libidinis ad effectum deducere. Quare venerandam & insignem Dei ancillam Agatham, eo prætextu q esset Christiana, iubet comprehendi & ad se adduci. Erat autem beata Agatha vita & oratione ornata & insigni pulchritudine. quæ poterat eximia specie eos qui ipsam videbãt subiicere. Quintianus vero Pręses cum esset vafer & malitiosus, captus amore virginis, oculum suũ perturbabat. Similiter autem eius quoq; pecunias concupiscẽs, non cessabat assidue cogitare qũo eam apprehenderet. His ergo modis quos diximus furore percitus Quintianus, iussit sanctam Agatham comprehendi à militibus. Milites autem Catana egressi, cũ sanctam inuenissent Agatham, dicunt ei. Exiit aduersus te decretum à Cæsare & Præside, quoniam Diis sacrificas qui honorantur ab Imperatore, neq; eos colis ritu patrio. Nunc

ergo saltem pollicere te Diis esse sacrificaturam. vt cum omni honore & gloria te adducamus, ad præsidem Quintianum. Sancta autem Agatha superno auxilio & fide circundata, aduersus Tyrannum præclare armabatur. Lictoribus vero festinātibus eam sistere Tyranno, ingressa in domum suam cum 1 manus in cœlum extēdisset, dixit Dn̄e Iesu Christe, tu solus scis affectionem mei cordis. Tu scis animi mei alacritatē & prōptum studium, & meam in te fidem & beneuolentiam, Tu sis mihi dux aduersus Tyrannum. Iam enim ò Dn̄e morte est à me affectus & conculcatus. Et nunc oro te Dn̄e, ne glorietur his vir exitiosus & malitiosus quod pollucrit meum corpus, in quo vixi huc vsque honestam & gloriosam vitam. sed festina & vince Diabolum & eius ministrum Pręsidem, Ne dicat, Vbi est Deus eius. tanq̄ sacrificium & oblationem meas accipiens lachrymas, in odore suauitatis. Quoniam tu es Deus solus, & te decet gloria in secula Amen.

1 *Vide orationem cum manuum ad cœlum extensione.*

Et cū ipsa hæc esset precata, egressa est è ciuitate Panormitana, tanq̄ murus infractus & vallo circundatus. promptoq; & alacri animo iuit cum lictoribus. mente autem apud se cogitans pulchritudinem virtutis, hæc dicebat. Primum quidem, per gratiam Christi, decertaui vt conseruarem corporis castitatem, malumq; & mali auctorē Diabolum qui in genere hominum seminauit voluptates, vici & conculcaui. Deinde etiā animam meam posui pro Christo. & spero, q̄ eū perpetuo pudore afficiam & perdam. Sed ò male Diabole & inimice veritatis, non vides meū stadium q̄ cum sit immortale, exultant iusti simul & Angeli. huius vero spectatorem immortalem, Dn̄m meum Iesum Christum filium Dei, qui stipatur innumerabilibus ordinibus Angelorum? Et hæc apud se dicēs flebat. Ea autem proficiscēte cum militibus, soluta est corrigia huius calceamenti & cum posuisset pedem suum supra lapidem, id ligauit. Deinde retro conuersa, cum neminem vidisset eam sequentem ex ciuibus qui eā deducebant: sed omnes eam reliquisse & recessisse: magno dolore affecta orauit Dominum, dicens. Dn̄e omnipotens propter meos ciues qui non crediderunt ancillæ tuæ quæ est decertatura pro sancto tuo nomine, & me non sunt perfecte secuti, ostēde magnū miraculū hoc loco. & statim exorta est olea infertilis quæ publica notabat ignominia mētes Panormitanorum.

Ea autem ingressa Catanam, iussit Præses eam tradi cuidam matronę nomine Aphrodisiæ quæ habebat quinque iuuenes filias. vt eam inducerenę morum & verborum blanditiis, & mentē eius mutarēt, vt persuasa Diis sacrificaret. & cœperunt, aliquando quidem eam laudando & honorando, incitare, magna ei pollicentes. aliquando vero minas intentantes. sperantes his escis attrahere sanctam Agatham ad cultū simulachrorum. Cum autem his fallacibus rationibus, eius fortem & constantem mētem conarentur ei auferre, eis respondens sancta Martyr Agatha, dicebat. Notum sit vobis q̄ mens mea & cogitatio est fundata supra petram, quæ nunq̄ potest separari à Christi charitate. vestra vero verba ventis similia difflantur. sermones vestri sunt pluuiæ. minæ vestræ sunt fluuij. & licet cum iis in meam domum irruperitis, eam nequaq̄ labefactastis. est enim fundata supra petram quæ est Christus filius Dei viui. Dum ipsa autem hæc diceret, non intermittebat suum pectus irrigare lachrymarum inundatione. Nam quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum:

ita etiam desiderauit eius anima venire ad stadium decertationis. omne genus tormentorum prompto & alacri animo, desiderans & studens ferre pro fide in Christum.

Aphrodisia ergo videns immobilem & inuictam sanctæ Agathæ mentem, ad Quintianum accedens, dixit ei. Est facilius lapides molles & teneros facere, aut ferrum in plumbum conuertere, quàm mentem huius puellæ à Christi amore traducere. Ego enim & filiæ meę noctu & diu nihil aliud fecimus. aliquando quidem monentes aliquando autem etiam minas intentantes. Ego quidem ei obtuli margaritas mundumque & vestem pretiosam: aurumque & argẽtum, domosque & suburbia & mancipia: ea vero hæc omnia non pluris facit quam terram quam calcat pedibus. Tũc iratus Quintianus, iussit eam duci in secretum. & sedens in tribunali dicit ei. Cuius es generis? Respondit sancta Agatha. Nonsolum sum ex nobili & illustri genere: sed sunt etiam mihi cognati insignes diuitiis. Dixit Quintianus. Si es genere nobilis & illustris, cur moribus ancillæ personam suscipis? Sancta dixit Agatha. Recte dixisti. Nam quõ sum Christi ancilla, propterea me ostendo esse seruam. Quintianus dixit. Vere es libera. Quõ ergo te affirmas esse seruam? Dixit sancta Agatha. Nostra nobilitas & gloria est in eo quòd Christi annunciatur seruitus. Dixit Quintianus. Quid ergo, nos nõ habemus libertatem, qui Christi seruitutem despuimus? Dixit sancta Agatha. Ad tantam deuenistis seruitutem & captiuitatem, vt vos non solum serui peccati efficiamini, sed etiam cultores abominandorum & nullo sensu præditorum simulachrorum. honorem qui Deo conuenit tribuẽtes lignis & lapidibus Dixit Quintianus. Si quid insane blasphemabis, de te poterunt sumi pœnæ. Sed priusquam in mea tormenta incidas, dic quanam de causa recusas Deos colere. Dixit Sancta Agatha. Ne dicas Deo, sed Dæmones. quorum faciem in æs conuertitis. quorum marmoreos & egypso effictos vultus inauratis Dixit Quintianus. Elige tibi bonam mentem. & persuasa sacrifica. Sin minus, diuersa tormenta subibis cum damnatis. & cum ignominia affeceris dignitatem tuæ cognationis, tandem persuasa sacrificabis Diis omnipotẽtibus. Dixit Sancta Agatha. Sit sicut venus Dea tua, vxor tua. & sis tu sicut Iuppiter Deus tuus.

Hæc cum audiisset Quintianus, iussit ei impingi colaphum, dicens. Ne ore arroganti Præsidem afficias contumelia. Sancta dixit Agatha. Quos dixisti Deos tuos non vis referri in eorum numerum? Dixit Quintianus. Hoc planum est te plurimorum tormentorum teneri cupiditate, cum per tuas contumelias vt ad ea descendam me horteris. Dixit Agatha. Miror te cum sis homo prudens, ad tãtam venisse insipientiam, vt nolis euadere Diis tuis similis, & esse particeps eorum vitæ. Si sunt ergo Dij tui & eos colis, ecce tibi bene sum precata: qũo ergo dicis te fuisse à me affectã contumelia, quę optaui vt tua vita esset sicut vita illorum? Sin autem illam abiicis hæreditatem, ipsos mecum vocabis execrãdos. Dixit Quintianus. Superba verba loqueris. Aut Diis sacrifica: aut varia tormenta expecta. Dixit Agatha. Etiamsi in me feras immittas, cum Christi nomẽ audieris. manu sue fient. Sin autem ignem inferas, Angeli mihi è cœlis rorem suppeditabant. Quod si plagas & flagella, habeo spiritum veritatis, qui me liberabit ex tuis manibus. Tunc Quintianus caput mouens, iussit eã duci in tenebrosam custodiam, dicens. Apud te considerans ò Agatha, ducere

pœnitentia, vt effugere posſis mea tormenta. Dicit ei ſancta. Tu ipſe ducere pœnitentia. vt poſsis effugere ęternum ſuppliciū. Tunc iratus Quintianus iuſsit eam trahi vſque ad cuſtodiam. Sancta vero Agatha cū plurima lætitia ingreſſa eſt in cuſtodiam, tanq̄ ad gaudium & exultationē, certamen ſuum Domino commendans cum precibus.

Sequenti autem die impius Quintianus iuſsit eam ſiſti tribunali, dicens ei. Cōſideraſti ne de tua ſalute? Sācta dixit Agatha. Salus mea eſt Chriſtus. Dixit Quintianus. Quouſq; ô miſera miſeram producis cogitationem? Nega Chriſtum, & incipe Deos colere. ne vita & ætate priuata, immaturam mortem ſubeas. Dixit Agatha. Tu nega Deos tuos, qui ſunt lapides & ligna. & accede ad verum Deum qui te fecit, ne in æterna incidas tormenta & quæ nunq̄ ceſſant ſupplicia. Tunc iratus Quintianus iuſsit eam ſuſpenſam verberari. & dicebat ei. Agatha corrige tuam cogitationem, vt vita tibi condonetur. Dixit Agatha. Tormenta tua gaudij theſaurum mihi recondunt. & exulto vt qui bonum audit nuncium: & qui vidit eum quem deſiderabat. & vt qui inuenit multos theſauros: Ita ego quoque delector iis quæ ſunt ad tēpus tormentis, quæ minaris te mihi intentaturum. Fieri enim non poteſt vt frumentum tuto in horreo conſeruetur, priuſq̄ fuerit nudatum palea. Similiter etiam anima mea nō poteſt venire intra paradiſum, priuſq̄ corpus meum variis tormentis affectum fuerit à tuis miniſtris. Iratus itaque Quintianus iuſsit eius mamillā torqueri. & deinde eā amputari. Dixit autem ſancta Agatha. Impie & crudelis Tyranne, non erubuiſti hæc facere fœminæ. & mamillam quam in matre tua ſuxiſti amputare. Sed tamen etiamſi externam mamillam abſcidiſti, habeo aliam in anima mea quam non poteris excindere. eſt enim oblata Chriſto Deo meo à tenera ætate. Iratus autem ruſus Quintianus iuſsit eam abduci in carcerem. iubens nulli ex medicis permitti ad eam ingredi: & nec panem ei dari nec aquam.

Ea autem ingreſſa cuſtodiam circa mediam noctem, in ſenis ſimilitudine, apparuit ei Apoſtolus Petrus, quem præcedebat puer ferens lampadem. in manibus plurima habēs medicamenta. & ſe dicens eſſe medicum, & talibus verbis eam alloquens. Impius quidem Tyrannus flagellis in te 2 vſus, nihil profecit. tua autem fortitudine & conſtantia eum magis tabefeciſti. Quamobrem mamillam tuam non ſolum iuſsit torqueri, ſed etiam fecit abſcindi. Quare anima eius afficietur dolore in æternum. Cum autem adeſſem in illa hora in qua hæc paſſa eſt, & animaduertens vidiſſem fieri poſſe vt tua mamilla ſanaretur, ea de cauſa huc veni. Dicit ei ſancta Agatha. Meo corpori nullam vnq̄ adhibui medicinā. & nunc turpe eſſe exiſtimo, more, bonum qui ab ineunte ætate eſt confirmatus interire. Senex vero reſpondens dicit ei. Ego quoque ſum Chriſtianus, & confidēs te poſſe à me curari, ea de cauſa veni ad te. Sed ne me reuerearis. Sācta autem reſpondens, dixit ei. Et quō fieri poteſt, cum tu ſis ſenex & longęuus: ego autem ſin puella, vt oſtendam tibi corpus perditum tormentis? Sed ſinam potius hæc vulnera mentem meam pungere, q̄, quod mihi probro futurum eſſet, impudenter mea aperiam vlcera. Quamobrem ago tibi gratias venerande pater, ꝙ ſis dignatus ad me venire propter hanc corporis curationem. Scias vero ꝙ medicamenta ab hominibus compoſita, corpori meo nunq̄ admouebuntur. Reſpondens autem ſenex dicit ei. Cur

2 Ecce quomodo Sācti in Dei lumine ſciunt quæ circa nos aguntur, & ex diuina uirtute īterſunt quādoq; agonibus noſtris.

non

non finis me te curare? Dicit ei sancta. Qm̃ habeo Dñm meum Iesum Christum qui solo nutu curat omnia, & verbo suo facit prostratos surgere. Ipse si velit, potest me quoque conseruare quę sum indigna eius ancilla. Tũc senex subridens dixit ei. Ipse quoq; me misit ad te. & ego sum eius Apostolus. Vidi autem teipsam quemadmodum sis curata. Hæc vero cum dixisset euanuit ab eius oculis.

Tunc precans dixit sancta Agatha. Ago tibi gratias Domine mi Iesu, Christe, ꝙ sis mei recordatus: & ad me miseris tuum Apostolum, qui me corroborauit, & renouauit membra mea. Dum ipsa autem implesset preces, aspiciens suum corpus, inuenit curata sua vulnera: & mamillam sanam redditam sicut prius. Tota vero nocte lux circundedit custodiam adeò vt præ illuminatione custodes fugerint, & apertum carcerem reliquerint. Qui autem illic erant condemnati, cum vidissent quod factum fuerat, dicunt sanctæ Agathæ. Ecce portæ sunt apertæ, & nemo est qui eas custodiat: egredere & fuge. Respondens autem sancta dixit eis. Absit vt ego priuer corona meorum certaminum: & custodes carceris coniiciam in periculum. Habens enim adiutorem Dñm nostrum Iesum Christum filium Dei viui, ad finem vsq; permanebo in eius confessione, qui me curauit & est consolatus. Post quartum vero diem iubet Quintianus eam duci in iudicium, & dicit ei. Quousq; pergis aduersari edictis Imperatorum? Aut Diis sacrifica. aut te grauioribus puniam suppliciis. Dicit ei sancta. Omnia verba tua sunt vana. edicta autem tua & Imperatorum tuorum sunt iniqua. quæ quidem ipsum quoque aërem polluunt. Quamobrem dic mihi ò miser & nullo sensu prędite. Quis vult ad auxilium inuocare lapides & ligna, quibus nullus adest sensus? Non vides ꝙ pro mamilla mea à te abscissa, aliam mihi fecit exoriri Dominus meus Iesus Christus? Furore autem percitus Quintianus dixit ei, Quis te curauit? Dicit ei sancta Iesus Christus filius Dei viui. Dicit ei Quĩtianus. Rursus tu Christum nominas, quem ego nec volo quidem audire. Dixit sancta. Non cessabo eum inuocare labris meis, & corde glorificare. Dixit Quintianus. Ego iã cognoscam an te seruet Christus tuus. & iussit sterni testas acutas: carbones vero ignis iniici: & eam proiici in carbones. Cum hoc autem factum esset, eo in loco fuit repente terræ motus. & pars eius repente humi cadens, comprehendit socium Præsidis nomine Vulteium, & amicum eius nomine Theophilum. quorum consilio faciebat hæc iniusta. Non hoc autem solum, sed etiam vniuersa Catanæ ciuitas à terræ motu valde fuit agitata, adeò vt omnes ciues concurrerint in Prętorium, & Præsidem valde conturbauerint.

Tunc Quintianus primum quidem timens terremotum, secundo autẽ conturbatus populi insurrectione, iussit sanctam Agatham, abduci in carcerem. Ingressa vero custodiam, extensis in cœlum manibus, dixit, Ago tibi gratias Dñe, ꝙ me dignam censueris quæ decertarem pro sancto tuo nomine. ablato à me pręsentis vitæ desiderio, & similiter meo corpori donata tolerãtia. Tu ergo Dñe, exaudi me in hac hora. & dignare ancillam tuam relinquere hunc mundum, & peruenire ad diuitem & magnam misericordiam. Peractis autem precibus, protinus tradidit Dño spiritum. adeò vt populus cum audiisset, venerit cum oĩ studio, & reliquias sanctę Martyris cum omni ꝫ reuerentia & honore deposuerit. Quidam vero

ꝫ *Deponit populus reliquias Sanctæ Martyris cum omni reuerentia & honore.*

adolescens habens secum pueros numero cētum pulcherrime vestitos: & qui erat similiter ignotus iis qui habitabant ciuitatem Catanensium, cum venisset in locum in quo situm erat sanctum eius corpus, tabulam quam apportauerat marmoream, capsæ imposuit sic inscribens. Mens sancta. honor in Deum voluntarius. & patriæ redemptio. Quam cum tuto intus deposuisset ad caput sanctæ, recessit & non amplius apparuit in ciuitate. adeò vt nonnulli suspicarentur eum esse Angelum Dei.

Cum autem audiisset Quintianus hinc excessisse Martyrem, ad inuadenda eius bona contendebat. Accepta vero secum vniuersa cohorte, properabat ire Panormum. Cum iter autem iniisset, iusto Dei iudicio accidit vt ipse periret in quodam fluuio sito prope ciuitatem Catanam, nomine Psemitho. Nam cum ipse vellet eum transmittere, ingressus est Pōtonem cum equis suis. Duo autem equi in eum fecere impetum. Et vnus quidem irruens in eius faciem, eam deleuit. alter vero non cessauit calcibus eum impetere, donec eum iecit in fluuium Psemithū. Et cum multi quæsiissent eius corpus, non fuit inuentum vsq; in hodiernum diem.

His autem sic peractis, creuit cultus & honor sanctæ Martyris Agathæ nec ausus est quispiam vexare eius genus. Quo autem in loco apparuit immutabilis ille Angelus qui tabulam imposuit in capsa Martyris, impleto anno eius cōsummationis, mons Ætna ignem eructauit. & tanq̃ fluuius valde mugiens, sic descendit, lapides dissoluens tanq; ceram è vertice montis, combusturus & perditurus vniuersam ciuitatem Catanensium. Qui vero circa montem habitabant, & si essent gētiles, ignem fugientes properarūt ad templum virginis. & auferentes 4 amictum qui erat arcæ impositus, ex aduerso ignis eū posuerunt. Dei autem prouidētia ignis ille protinus est repressus. Factum est vero miraculum quinto Februarij. in quo etiam decertauit. In quo etiam 5 festum quoque celebrātes, glorificamus Dñm nostrum Iesum Christum Deum. vt nos quoque sanctis eius 6 intercessionibus, accipiamus remissionem peccatorum & magnam misericordiam Nunc & semper & in secula seculorum. Amē.

4 *Vide rem mirabilē, amictus Sanctæ ignē montis Aetnæ repressit ex aduerso à Gētilibus positus.*

5 *Festum beatæ Agathæ Martyris.*

6 *Vides quod Sanctorum intercessionibus apud Deum, accipimus remissionē peccatorum, & magnā misericordiam?*

Februa. 6.

MARTYRIVM SANCTORVM
& gloriosorum Christi Martyrum. Faustæ. Euelasij. & Maximini.

IN ILLIS temporibus erat sancta Martyr Christi Fausta, in ciuitate Cyzico, imperante Maximiano, diuitibus parentibus nata & fidelibus. Ab eis autem educata in Christi dogmatibus, relicta est orphana cum esset tredecim annos nata & de cętero vacabat ieiunio & 1 orationi et meditationi diuinarum scripturarum. Quamobrem conuenienter voci Domini, non poterat abscondi ciuitas sita supra montem. sed eius peruenit fama vsque ad aures Imperatoris Maximiani. statimq; mittit primum sui palatij, nomine Euelasium, in ciuitatē Cyzicum. vt quęreret & inueniret Faustam Christi sponsam; sic iubens. Si ei quidem persuasum fuerit vt sacrificet, recte habuerit. Sin minus, proiice eam in fluentum.

1 *Ecce sanctæ Virginis exercitia. Ieiunium Oratio Diuinarum scripturarum meditatio.*

Euelasius autem vadens Cyzicum, inuenit ipsam ętate quidem infantem; fide vero & prudētia valde senem. Quamobrem cum ipsa adducta fuisset ad tribunal, vis ei afferebatur vt Diis qui non sunt sacrificaret. Sancta autē dixit ei. Ego iis Diis non sacrifico, qui sunt surdi & cęci & nullo sensu præditi, cum sint opera manuum hominum. Habeo enim patrem & spōsum Iesum Christum in cœlis. nec possum eum relinquere. nec perdam meam hæreditatem q̄ habeo apud Dominum. Euelasius autem dicit ei. Sacrifica Fausta Diis, ne male & acerbe moriaris. Rn̄dit sancta. Ne putes me esse tanq̄ vnam ex stultis mulieribus. Nā etsi sum parua ętate, attamen cor meum est magnū & perfectum apud Deum. Euelasius vero multa ira repletus, iubet tōderi eius caput ad ignominiā & ludibriū: & sic eam in ligno suspensam fortiter verberari. Sācta autem Fausta cum valde torqueretur, sustulit 2 oculos suos in cœlum, & orauit Dn̄m. & postq̄ ea satis orasset, extitit statim fulgur è cœlo. adeò vt multi morerentur. Euelasius autem id videns valde timuit. & cū sanctam Faustam vocasset, dixit ei. Mulier dic mihi quænam sis. te enim aspexi facientem opera magica. Sancta vero dixit. Audi me Euelasi. & fac imaginem quæ habeat meam figurā. & deinde affer oīa tormenta. & ipsa quoque inscribantur in imagine. Quod cum celerrime factum esset, dicit sancta. Sit tibi notum q̄ q̄mo hæc imago non sentit tormenta: ita nec meū corpus sentit tuas pœnas & supplicia. Anima enim mea est tota omnino stabilita in Dn̄o. De cætero, fac cito in me id quod velis. Tunc iussit eam in loculo inclusam clauis affigi & secari. Lictores autem cum cito fecissent id quod fuerat imperatum, erat sancta intra loculum, psallens & Dn̄m glorificās. & defessi ij qui eam secabant, facti sunt tanquā mortui. iuerunt autem ad Euelasium & ei dixerunt. Rogamus te Dn̄e. Mulierem quam dedisti nobis, ab hora prima vsque ad horam sextam secantes, nihil potuimus efficere. mutauit enim sex serras: & neque potuerunt eam omnino tangere. Quinetiam ignem loculo admouimus: illa verò psallebat dicens. Et si per ignem transiero, flamma non me comburet.

2 *Oratio cum eleuatione oculorum in cœlum, & mira eius exauditio.*

Hæc cum audiisset Euelasius, non parum fuit animo anxius: & dicit sanctæ Faustæ. ò mulier, me stupore affecisti faciēs opera mirabilia. Sum octoginta annos natus, & nunq̄ vidi talia. De cætero adiuro te per Deū cui credis, dic mihi omnem veritatem. Respondit sancta Fausta, & dixit ei. Rogo te Dn̄e mi, mentem diligenter adhibe. Id enim quod dicitur est virtus diuina, sicut tu quoq; aspexisti, & cito tibi persuadebo vt sis socius meæ religionis. Ille autem dixit. Dic libere veritatē. ego vero attente audiam. Sācta dicit. Deus est immortalis & æternus. & opera eius sunt vera. & iudicium eius est sanctum & iustum. Quamobrem propter eos qui iuste & recte vitam egerunt: & pulchrum certamen consummarunt: & Diabolum pudore affecerunt: & idola quæ à vobis Dij dicuntur, tanq̄ malos Dæmones fugarunt: & mundi mala & improba opera vicerunt: & terrena quidem recusarunt, cœlestia autem desiderarunt: & virginitatem custodierunt: & eius præcepta citra vllam conseruarunt reprehensionem. nā ipsi quoq; sciuerunt non esse alium Deum præter eum, descendit in terram, & habitauit in sancta & munda virgine, q̄mo scit ipse solus. Cū is itaq; esset natus & educatus, vt in pauca conferā ea quæ consequūtur, venit sua sponte ad crucem. & carne passus est, vt nos seruaret. Deinde

sepultus est & resurrexit tertio die, & ingloria assumptus est in cœlos. Qui rursus est venturus in consummatione seculorum, iudicaturus viuos & mortuos, & redditurus vnicuiq; secundum opera sua. Quamobrem nos quoque eius exemplar sequentes, nos damus ad flagella & tormenta propter regnum cœlorum, ne æternum condemnemur. Nam hic quidem morimur: illic autem semper viuimus.

Euelasius autem cum hæc audiuisset & Dei virtutem cognouisset esse magnam & insuperabilē, compunctus à sancto spiritu, cœpit cogitare & conuerti ad bonum. & de cætero iussit relaxari Sanctam. Tunc currens vnus ex seruis Euelasii, renunciauit Imperatori Maximiano, dicens. Dñe mi Imperator, tuā charitatē perdidit Euelasius, & est futurus Xp̄ianus. Festina ergo ad eum eripiendum, priusq; perfecte conuertatur. Imperator autem valde motus animo, cū maxima celeritate vocasset Maximinum suum præfectum, qui erat sæuissimus & inhumanissimus, & ei iussisset & eum per Deos adiurasset, Cyzicum misit ad Euelasiū. Qui cum magna ira motus eum accessisset, rogauit beatum Euelasium, dicens. Dic mihi scelestum caput, quemadmodū ausus es relinquere maximos Deos, & eos despicere, credens stultis Christianis & eis accedens? Dixit Euelasius. Per meum caput situ quoque Faustā audiueris, cito agnosces Deum viuum. & eris beatus. Pręfectus vero Maximinus valde ira commotus, iussit eū suspensum in ligno, fortiter verberari. Dum diu autem verberaretur, ad Dn̄m clamabat, dicens. Dñe Deus omnipotēs, qui opem tulisti ancillæ tuæ Faustæ in omnibus quæ ei acciderunt afflictionibus, & meis oculis ostendisti tua mirabilia, me quoq; humilem libera ab hoc sæuissimo & immanissimo Præfecto. Qm̄ te desideraui Dñe, propter multa & magna tua mirabilia. Quæ postq; ipse esset precatus, rursus iussit Pręfectus lampades ignis eius admoueri lateribus. Quod cū factum esset maxima celeritate, beatus Euelasius rogauit sanctam Faustam vt pro ipso oraret. Sancta autem his auditis, valde miserata, cœpit pro eo orare & sic dicere. Dñe Deus meus dona mihi gratiam tuam. & accipe Euelasium in aulam tuorum gregem. & refer eum in numerum tuorum iustorum. Quoniam es benedictus in secula. Amen.

Tunc Præfectus iussit sanctam quoque Faustam sisti pro tribunali, vt quæ persuasisset Euelasium fieri Christianum. Cum autem venisset sancta, dicit ei Pręfectus Maximinus. Scelestum caput, qūo ausa es venerandum Sacerdotem Euelasium à Diis maximis auellere, et ipsum ad Deum tuum adducere? Sācta dicit Fausta. Spero in bono & benigno Deo meo, qui vocauit Euelasium vt fieret filius veritatis, fore vt te quoque vocet ad eius adorationem. Dixit Pręfectus. Faustina ne putes me esse stultum vt est is qui fuit persuasus. & statim iussit eam ligari, & clauos eius talis infigi. Cum hæc autem facta essent maxima celeritate, Sancta ne omnino quidem sensit tormenta. Vidēs vero Præfectus hunc cruciatum eam non attingere, vocata cohorte, dixit. Si quis hoc difficilius & maius inuenerit supplicium, id ei valde proderit. Tunc respondens vnus ex eis nomine Claudius, dixit Pręfecto. Domine mi. Si tua celsitudo iubet eam cito mori, obiiciatur bestijs. Præfectus autem iussit hoc fieri. & cū ducta fuisset nuda in stadium, in eam emiserunt Leænam. Leæna vero accurrens eam adorauit. & post hæc plurimæ in eam emissæ bestiæ, currentes ad eius pedes

des se proiecere. Tunc cum rursus vidisset præfectus alienum miraculum & quod erat præter omnē opinionem, iussit eam vinctam pedibus trahi per terram. Cùm autē nuda traheretur beata Fausta, clamauit, ad Dñm, sic dicens. Dñe Iesu Christe tege tuum figmentũ. & statim nubes descendit de cœlo & texit eam.

Post hæc autem rursus vir alius nomine Eusebius, dixit Præfecto. Si tua iubet celsitudo, da mihi in eam potestatem. Dixit vero Præfectus. Accipe eam. Cùm in eam autem accepisset potestatem Eusebius, adduxit Fabrum ferrariũ. & cum ipse fecisset clauos ferreos, eius caput clauis confixit, frontemq́; & oculos, & pectus, & tibias, perinde ac crepidam. Et cũ hæc omnia facta essent, Deum apud se orabat dicens. Dñe Iesu Christe, ago tibi gratias quod tu sis cognitor cordium, gloriatio & corona iustorum me quoq; humilem & indignam tuam famulam dignare inueniri in stadio tranquilli ad te portus & Maximinum Præfectum fac cõfirmari in tuo timore. & adhuc eum in fide & charitate eorũ qui te confitentur solum verum Deum. vt sciant omnes te esse solum Deum, & te decere gloriam in secula seculorum. Amen. Cum vidisset autē Eusebius se nihil proficere victum à tenera virgine, iussit afferri sartaginem, & in eam iniici picem & resinam & sulphur: & in sartaginem iniici Sãctam Faustam simul cum sancto Euelasio, vehementissimo igne subtus accenso. Cum hoc autem factum esset, & sancti Martyres stantes in sartagine psallerent, ignis fuit extinctus, & refrixit sartago. Tũc cum Præfectus Maximinus vidisset sanctorum fidem & tolerantiã, dixit. Deus æterne, qui fecisti Euelasium cõnumerari cum sancta ancilla tua Fausta, me quoq; suscipe humilem & peccatorē, & me cũ duobus connumera. vt ego quoq; vilis & minimus impleam sanctam trinitatē. Certe Dñe Deus virtutum, ostende tuam clementiã in me quoq; indignum tuum famulũ. & fac cito per tuas miserationes in me misericordiam, vt super omnes magis glorificeris.

Hæc cum dixisset, cœli fuerunt aperti. & visus est filius Dei, & vniuersus exercitus Angelorum & Archangelorum. & iusti omnes resplendentes sicut lux. Videns autem Maximinus hæc maxima & terribilia mysteria, magna voce clamauit ad Deũ, dicens Domine suscipe me sicut seruum tuum Euelasium. & ne memineris iniquitatum mearum. neq; recordaris scelerũ mei peccatoris & indigni serui tui. sed me suscipe sicut latronem. Statimq́; currens venit prope sanguinem vbi erat sancta Fausta, & sanctus Euelasius. & cum extendisset oculos suos in cœlum, & se 3 signasset signo crucis per totum corpus, dixit. In nomine patris & filij & Spiritus sancti. & ego vobiscum sum. Cum vero exuisset suas vestes, & rursus fecisset id quod est in Christo signaculum, se iecit in sartaginem. Tunc beata sancta Fausta magno gaudio & lætitia repleta, propterea q̃ ipsam Deus exaudierat, & crediderat Maximinus Præfectus, dixit. Gloria tibi Christe Deus, qui non vis perire aliquem sed omnes esse saluos, & ad agnitionem venire veritatis. Ecce enim sum in medio duorum tanq̃ vitis fructu ferens. & triplex funiculus non disrumpetur. q̃m dixit Dominus Deus noster. Vbicũq; fuerint duo aut tres cõgregati in nomine meo, illic sum in medio eorum. Ea hæc dicẽte extitit vox è cœlo dicẽs. Venite ad me qui laboratis & onerati estis propter nomen meũ, & ego reficiam vos in regno cœlorum.

3 *Nota, & se signasset signo Crucis per totum corpus.*

Cum hæc ergo audiissent, & magno gaudio repleti essent, & Dominũ laudassent, & ei egissent gratias, venerandas suas & sanctas Deo tra-
4 diderunt animas in pace, mensis Februarij VI. Quorum 4 intercessionibus & præcibus, & nos & omnes, per fidem in te & confessionem peccatorum remissionem dignare nos consequi. Quoniã es benedictus nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Aduerte quomodo roget intercessionibus & precibus sanctorum p fidẽ in Deum & confessionem, peccatorum remissionẽ accipere.

MARTYRIVM SANCTI *& gloriosi Martyris Christi Theodori Ducis exercitus.*

Februa. 7.

QVOMODO resplendet Sol iis qui vident, ita de Martyribus oratio iis qui audiunt. Qũo autem cœlum est astris ornatum, ita etiam ecclesiæ quæ Dei tenent Martyres. & qũo flores in campo, ita etiã Martyres in ecclesiis. Memoria Martyrum est remissio debitorũ. Memoria Martyrum est reuocatio eorum qui vexãtur à Dæmonibus. Memoria Martyrum est vita & sanitas iis qui amant Martyres. Magna Martyrum certamina, splendidæ sunt sanctorum coronæ. Tradiderũt enim flagellis sua corpora: & quæcunq; sunt mundi iucunda, arbitrati sunt esse stercora, vt Christum non negent. propterea Dominus ipsos quoq; est remuneratus ea vita quæ degitur cũ Angelis incorporeis. Nã cũ qui est ab initio inimicus generis hominum, putaret se eos esse oppugnaturum, potius habitatores effecit paradisi. Nõ cessauit enim agrestes feras mouere in eos qui sunt fide pij, & si semper ab eis vinceretur. Qui etiam nostro tempore excitauit hanc agrestem feram aduersus gregem Christi, Licinium, inquam sororis pij Imperatoris Constantini maritum. Nam cum accepisset sceptra ab impio Maximiano, imitans eius mentem & actiones, statim irreconciliabilem excitauit persecutionem aduersus eos qui erant insignes pietate. & misit edicta per vniuersam ciuitatem & regionem. Quinetiam innumeris militaribus, ille impiis suis decretis interfecit quadraginta Sebastææ. & similiter septuaginta Centuriones & trecentos in Macedonia.

Cum autem vidisset sceleratissimus, q̃ magna atq; adeo infinita multitudo contemnet & impia eius decreta, & se daret ad mortem propter pietatem in Deum, statuit insigniores potius & magis eminẽtes comprehendere in exercitibus & in ciuitatibus: & eos cogere cultum offerre simulachris. existimãs stolidus se metu posse persuadere omnibus qui sunt eius ditionis. Cum vero vbiq; quærerentur ij qui sunt gloriosiores in rebus huius mundi, & magna vterentur diligentia, ei significatum est de quodam viro nomine Theodoro specie quidem formoso & in dicendo sapiente, qui fuit defensor regius scholasticus. is autem vocabatur Bryo rhetor: ætate quidem iuuenis, antiquus vero in pia actione. Qui etiam occidit Draconem Euchaitis. illic enim erat Draco immanis bellua. Quãdo enim mouebatur vt egrederetur, contremiscebat terra ob eius motum. Quando ergo egrediebatur è sua cauerna, siue homo siue iumentũ illi occurrisset, omnino ab eo deuorabatur.

Cum de hac ergo sæuissima bellua audiuisset generosus Christi Athleta Theodorus, & in suis castris nullum edidisset tumultum, solus est profectus, sua sapientia portans crucem pretiosam & arma eius societatis, dicens apud se. Vadam & liberabo paternam meam possessionem, à sæua hac bellua, Dracone. Cum vero venisset in illum locum, & fœni vidisset viriditatem, iacuit illic & dormiit, nesciens illic expectare Draconem. In parte autem Euchaitarum quæ vergit ad austrum, erat quædam pia mulier nomine Eusebia, credens in Christum. Ea cum vidisset Christi Athletam Theodorum dormientem, cum magno metu ad eum veniẽs. & eum manu apprehendens, eum excitauit, dicens. Surge frater mi & cito recede ex hoc loco. Nescis enim metum qui est in hoc loco. est enim hic magnus metus. Sed surge & cito viam tuam ingredere. Venerandus autem Martyr Christi Theodorus cum surrexisset, dixit ei. Quis est timor & tremor in hoc loco ò mater? Dei vero ancilla Eusebia, dicit ei Fili, est in hoc loco Draco ingentis magnitudinis. & ideo nemo potest hac transire. Quotidie enim egrediens, siue homo, siue pecus inuentum sit ante eum, ab eo interficitur. Vere perfectus autem Christi Athleta Theodorus dicit mulieri. Vade mater, & sta procul ab hoc loco. & videbis virtutem Christi mei. Veneranda vero illa mulier cum à loco recessisset, se pronã humi 1 pro 1
iecit, flens & dicens. Fer ei opem Deus Christianorum hac hora. Sanctus *Ecce oratio cum humi proiectione & fletu.*
autem Martyr Christi Theodorus, cum Christi 2 fecisset signaculum,
& suum pectus pulsasset, & in cœlum aspexisset, dixit Dñe Iesu Christe
pulchrum nomen, qui è patris effulsisti essentia, ne differas facere quam à 2
te peto petitionem. Qui in bellis mihi assistis, & das mihi victoriã contra *Cum Christi fecisset signaculum, & suũ pectus pulsasset.*
aduersarios. Et nunc tu idem es Domine Christe Deus. emitte mihi victoriam ex alto sancto tuo. Vt vincam hostem Draconem. Tunc tanquam cum homine cum suo equo disserens, dixit. Scimus Deum esse bona voluntate in omnibus tam hominibus quam bestiis. Quamobrem tu quoque fer mihi opem te Christo corroborante, vt vincam aduersarium. Cum equus autem audiisset verba sui Domini, stetit expectans motum Draconis.

Tunc dicit Martyr Christi Draconi. Tibi dico & præcipio in nomine Domini nostri Iesu Christi crucifixi propter genus hominum & eius virtutem, 3 egredere ex hoc loco & veni ad me. Cum vero Christi Athletam audiisset Draco, se ipsum mouit. Et cum ipse moueretur, petræ loci 3
conterebantur, & terra tremuit. Sanctus autem Theodorus cum Christi *Vide quomodo etiã irrationalibus bestiis sancti imperant, & illæ eis obediunt.*
fecisset signaculum, ascendit equum suum. & calcitrans stetit equus supra Draconem quatuor suis pedibus. Tunc Christi. Athleta Theodorus, stricto gladio percussit Draconem & dixit. Ago tibi gratias Domine Iesu Christe quod me exaudiisti in hac hora, vt vincam aduersarium. Deinde is conuersus viam suam in pace iniit, simul lætans & Deum glorificans. Multi autem ex gentilibus qui illic erant militibus, cum audiissent miraculum quod sanctus fecerat Theodorus, Christo crediderunt, sic dicentes. Re vera magnus est Deus eius: & ab ipso baptizati sunt in nomine patris & filij & Spiritus sancti. & facti sunt omnes vnus grex Christi: & laudabant omnes Deum sancti & magni Martyris Theodori.

Licinius vero cum hæc de ipso audiuisset, mittit ad ipsum, à Nicomedia vsque ad Heracleam, cum propè esset pontus Euxenus. Illic enim eo tempore degebat beatus Theodorus. Protectores itaque mittit cum Satel-

litibus qui eum cum omni honore comprehenderent. Illi autem cum venissent Heracleam, asidue instabāt vt iret Theodorus ad Imperatorem, dicentes ei. Accede ad Imperatorē qui te desiderat. Præclarā enim tuam formā valde cupit intueri. Beatus autem Theodorus eos illudebat verbis probabilibus. Simul vero facto quoq; munere eos ex cœpit magnifice. Tres autem dies eos detinuit. Cum illi vero vrgerent vt viam iniret, ipse paucis retentis reliquos misit ad licinium, ad eum scribens epistolam, ne ægre ferret ipse Imperator ad eum venire cum Diis suis insignioribus. vt te aiebat præsente Diis sacrificem. Illi autem reuersi ad eum qui ipsos miserat, cum reddidissent epistolam, & eius exposuissent prudentiam & virtutem, quinetiam eius animi magnitudinem. & decere eum nō grauari ire ad ipsum. Quod si fiat, omnes qui locum habitant adorabunt Deos Imperatoris. Eorum verbis inductus Licinius cū magnam cōgregasset multitudinem tam ciuium q̄ aliorū, ad octo millia, profectus est Heracleam in magno gaudio. In ipsa autem nocte videt sanctus in somnis, q̄ in altum elatum erat tectum in quo manebat. & ignea iacula ad ipsum de cœlo ferebantur. & vox Domini extitit dicens ei. Cōfide Theodore. sum enim tecum. Beatus vero è somno excitatus, cum coniecisset somnium, id esse reputauit martyrium quod à Domino ei significabatur. & lætatus est exultans.

Post hęc autem cum sciuisset iam venisse Liciniū, ingressus intimum suum penetrale, fleuit non mediocriter, dicēs. Adsis mihi Domine in cursu stadij pro te suscipiendo & cū rursus sciuisset appropinquare Liciniū, surrexit, & lauit vultum, & oculos composuit, contexta byssinaq; indutus tunica flammæ ignis simili, & sedens in equo Dardano pręclarissimo, factus est obuiam Licinio & salute qua par erat impertiit Imperatorem, dicens. Salue Domine, diuinissime. Potentissime Imperator. Imperator vero iuuenem osculatus est, dicens. Ades dum, inquit, nitide vt sol. legum adiutor. coronate corona. Tuum est sua sponte enatum diadema. Oportet enim te post me constitui Imperatorem. Deinde eo ingresso Heracleam, ei excelso parato tribunali in foro in medio ciuitatis, cum ascendisset & sedisset turbis præsentibus, concionatus est, dicens. Vere clara & celebris est hæc ciuitas, & quæ à me munera accipit. Quare etiā exultat. Tu quoque chare Theodore, ostende diē in quo Diis maximis offers sacrificium. Beatus autem Theodorus dixit. Imperator, affer ad me insigniores tuos Deos. vt cum eos fecero ingredi meū penetrale, eosq; vaporauero & vnguentis vnxero, eos rursus reducam. & te præsente eis sacrificē. Hæc cum audiisset Imp̄ator Licinius, cū magno gaudio iubet ipsos eis dari. Cum Deos autem Licinij accepisset beatus Theodorus, qui constructi erāt ex auro & argento, in suum penetrale, cum media nocte eos confregisset & contriuisset, dedit pauperibus.

Cum duo vero dies præteriissent, Licinius accersito Martyre dicit ei. Vt generosus & inclitus, & honoratus ab iis qui nos præcesserunt Imperatoribus, ostende promptum tuum in Deos animi studium. vt reliqui videntes te hoc facientem, promptiores fiant & alacriores. Maxentius autem quidam Centurio asistens dixit Licinio. Per Deos ò Imperator, diuina tua potentia ab ipso fuit illusa, Vidi. n. præcedenti nocte, magnę nostrę Deæ Dianæ manū cuidā mendico obtigisse qui abibat & lętabatur.

Hæc

Hæc cum audiisset Licinius, mansit mutus & attonitus. Respondēs autem beatus dixit Theodorus. Per Christi mei virtutem, ita est vt dicit Maxentius. recte vero feci ò Imperator. Si ergo Dij tui sibi non possunt opem ferre, quō vobis poterunt? Licinius autem mutato vultu, & manibus complexis genibus, deflebat dicens. Hei mihi, hei mihi habitus sum ludibrio. Quid dicam, aut quid faciam, aut quid loquar nescio. Imperator potentissimus accessit ad hunc virum pestiferum: & congregauit tantam multitudinem. & fuit irrisus ab omnibus phalangibus inimicorum. Quin etiam victoriæ insignes Deos meos cōfregit & dedit pauperibus. Beatus autem Theodorus dixit ei. Fremis ò Imperator, sed ego rugio. tu stertis, at ego exilio. Tu cum Deo pugnas. at ego de Deo dissero. Tu blasphemas. ego vero Deum hymnis laudo. Tu colis Deos mortuos. ego verò Deum viuum. Tu Serapin: ego verò eum qui est super Seraphim. Tu Apollinem. ego verò Deum semper viuentem. Tu es carbo thracius. ego verò princeps romanus. Tu Licinius ventilator. ego verò Theodorus donum Dei. Quamobrem ne ægreferas ò Imperator, neq; calcitres. hæc enim faciens tuos ostendis cruciatus. Asini enim & muli tenes figuram.

Tunc multa ira plenus Licinius, iussit exui Martyrem: & eum extēdi à quatuor. & boū neruis ei plagas inferri, sexcētas super dorsum, & quingentas super ventrem. & postea iubet globis plumbeis immisericorditer eius verberare tendinem. Deinde ferreis vngulis lacerari eius carnes. & lāpadibus ignis vsculari eius vlcera. & acutis testis radi concretum sanguinem. Post hęc autem omnia iubet eum tuto teneri in custodia. & eius pedes illigari cōpedibus. & eum sic manere quinque dies, neq; gustare quidpiam. Cum autem fuissent impleti quinque dies, iussit crucē deferri in basilicam, & duci sanctum & cruci affigi. Lictores vero cum sanctum adduxissent Martyrem, ligno affixerunt eius manus & pedes. & fibulam vnam in occultis eius partibus vsq; ad partes superiores. Excogitatum quoq; fuit aliud deterius. Iussi enim pueri iaculari in eius oculos, & tela euellebant cum popillis. Alij autem secretas partes eius testiculorum ense secabant per obliquum. Ego autem aderam scriba Augarus & videns grauiam hæc supplicia. & audiens etiam dolorem occultorum eius gemituum, abiectis codicillis deuoluebar lachrymans ad eius pedes. Dominus vero meus, Christi miles Theodorus, paruā vocem emittens mihi dixit. Augare, ne relinquas munus tuum. nec intermittas dicere quæ in me futura sunt supplicia. Sed sustine meum aduentum describere & certamina & diem meæ consummationis. Deinde clamans ad Dominum dicebat. Domine, mihi prius dixisti. Ego sum tecum. & nunc quid à me recessisti? Vide Domine. fecisti me nulli culpea ffinē & feræ agrestes me sauciauerunt propter te. exturbatæ sunt pupillæ oculorum meorum. carnes igne sunt dissolutæ. pili autem humi decidunt. Dentes euelluntur. liuida fit facies. ossa arida in cruce detinentur. Memēto Domine, q; crucem propter te sustinui. quinetiam ferrum & ignem & clauos peruasi. De cætero accipe meum spiritū, & rege vt velis. ego enim ex eo ex vita mea. Hęc cum dixisset Martyr, non amplius est locutus. erat enim totum eius corpus laniatum. Arbitratus autem impius Licinius eum esse mortuum, reliquit in ligno pendentem.

Circa primam vero vigiliam noctis adstans Angelus Domini, soluit

eum ab illo instrumento: & reddidit eum sanum corpore sicut prius, & eũ salutauit & dixit. Gaudeas & corroboreris in sapientia & gratia Domini nostri Iesu Christi. Ecce enim tecum est Dominus Deus. & cur dixisti, Recessisti a me? Consumma ergo cursum tuæ decertationis. & venies ad Dominum nostrum Iesum Christum, accipiens coronam immortalitatis. Hæc cum Martyri dixisset Angelus, ab eo recessit. Sanctus autem Martyr Christi Theodorus, effectus sanus, Domino suo agebat gratias, & cœpit psallere. " Exaltabo te Deus meus Rex meus, & benedicam " nomen tuum in seculum & in seculum seculi. Sæuus vero & iniquus Licinius, cum nondum venisset dies, mittit Antiochum & Patricium, duos suos Centuriones, erãt enim ordinarij, dicẽs eis. Ite & adducite mihi male mortuum corpus deceptoris Theodori, vt imponã in capsa plumbea, et id in maris abyssum proiiciã propter mente captos xp̃ianos. Cum aũt venissent Centuriones, & loco appropinquassent, lignum quidẽ videbãt erectum, eũ vero qui quærebatur, nusq̃. dicitq; Antiochus Patritio. Reuera conuenienter voci Galilæorum, qui dicũt Christum surrexisse a mortuis, forte hunc quoq; hodie fecit surgere. Patricius autem propius accedens, videt beatum Theodorum sedentem & Dei prædicantem eloquia. & clamans, magna voce dicebat. Magnus Deus Christianorum. & nõ est alius Deus præter eum. Et accedentes ad sanctum dixerunt ei. Rogamus te nos quoq; qui ab hoc tempore sumus Christiani. Et crediderunt in illo die ipsi & octoginta milites.

Cum hoc autem resciuisset Licinius, mittit Sextum Proconsulem, & cum eo trecentos milites, vt eos morte afficerẽt. Cum illi vero venissent, & vidissent, miracula quæ fecerat sanctus Theodorus, crediderunt ipsi quoque Domino nostro Iesu Christo. Concurrit autem infinita quoque multitudo in locum, & clamauit. Vnus est Deus Christianorum. Ipse est Deus solus & non alius. Tunc vna voce omnes clamarunt & dixerũt. Quis est hic elictor Licinius, vt eum appetamus lapidibus. Est enim noster Deus & Rex, Christus qui prædicatur per Theodorum. Fit vero magna confusio & tumultus & impetus ad fundendũ sanguinẽ. Irruit. n. quidã ensem ferẽs, Leander nomine, aduersus s. Theodorum. Ei autem occurrens Proconsul, spatha ab eo ablata, eum transegit medium. Quidam vero Merpas Hunus genere, impetu facto consummauit Proconsulem. Tunc veniens beatus Theodorus, multis verbis turbas alloquens, vix tandem sedauit tumultum, dicens eis. Cessate charissimi. Dñs meus Christus fuit cruci affixus, reprimens Angelos ne hominũ genus vlciscerentur. Prætereunte autem sancto Theodoro cum magna turba per carcerem, clamabant qui erant in vinculis. Miserere nostri serue Dei altissimi. Sanctus vero Martyr solo verbo solutis eorum vinculis, dicit eis. Ite in pace, & mementote mei o viri. Magna autem multitudo idololatrarum credidit in Dñm nostrum Iesum Christum. & qui vexabantur ab immũdis spiritibus, curabantur tactu manus eius & coloris eius vestimentorum.

Quamobrem quidam ex cohorte renunciarunt Licinio q̃ vniuersus populus Diis relictis Deo credidit per Theodorum. Is vero ira repletus, misso speculatore iussit sanctum eius caput abscindi. Videns autem populus cœpit seditionem agitare aduersus Licinium. Beatus vero Theodorus, prolixa oratione & admonitione rogabat eos dicẽs. Fratres & pa-

tres ne ſuccenſeatis Licinio. eſt enim miniſter patris ſui Diaboli & me de cætero oportet ire ad Dñm meũ. Cum hæc dixiſſet Martyr & diu eſſet precatus, & bene precatus eſſet fratribus, & precibus finem impoſuiſſet, obſignauit totũ ſuum corpus. & deinde ſic dicit Augaro. Fili mi Augare, ne neglexeris litteris mandare diem meæ conſummationis. Reliquias autem meas depone in Euchaitis in maiorum meorum poſſeſsione. In tua vero conſummatione dormias mihi à ſiniſtris. Et cum rurſus diu eſſet precatus, & impoſuiſſet finem ſuis precibus & dixiſſet Amen, & valere iuſſiſſet omnes fratres, extendit pretioſum ſuum collum: & ſic enſe fuit conſummatus, Februarij menſis die ſeptimo ſabbato, hora tertia diei.

Poſt hęc autem cũ accepiſſent venerãdas 4 & ſanctas eius reliquias, cum cæreis & ſuffitibus, vniuerſa comitante multitudine, Heraclea tulerunt Euchaita. & illic depoſuerunt omnibus videntibus octauo menſe Iunij. Quo in loco nunc quoque ex vniuerſa terra quæ eſt ſub cœlo, congregatur genus hominum. Multa enim miracula facit Dominus & curationes, per venerandum & ſanctum corpus glorioſi Martyris Theodori. Ad gloriam & gratiarũ actionem eius nominis. Quem decet omnis gloria honor & potentia, Nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

4 *Ecce honorificam ſancti ſepulturam. Tulerunt enim uenerandas & ſanctas eius reliquias cum cæreis & ſuffitibus, uniuerſa comitante multitudine ex Heraclea Euchaita.*

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI *Parthenij Epiſcopi Lampſaci.*

Eodem die.

DESIDERIO & amore motus ego peccator Criſpinus, ſtudui conſcribere admirabilem & glorioſam viri vitam & à puero inſtitutionem, Sancti Patris noſtri Parthenij qui fuit Epiſcopus Lampſaci. Eſt enim plena vtilitate animæ, & quæ poteſt iis qui legent oſtendere ea quæ Deus præbet iis qui ipſum diligunt.

Beatus ergo & inclitus hic Parthenius, habuit quidẽ patrem nomine Chriſtodulum, dignitate Diaconum ſanctæ Dei catholicæ quæ erat Meliti eccleſię litterarum imperitus, ſanctarum autem ſcripturarum vel maxime valens memoria. Creſcens vero ætate, ibat in propinquum lacum & ibi piſcabatur. & piſcium mercaturam ſuppeditabat vſui eorum qui egebãt. A' prima enim ætate gratia Dei dignatus, ſeipſum celabat. A' tempore autem decem & octo annorum, ſigna facere incipiẽs, Dæmones expellebat ab hominibus, eius inuocatione. Cum vero bona de eo fama eſſet multorum ſermone celebrata, Meliti ciuitatis Epiſcopus nomine Philetus cum audiuiſſet de ſancto Parthenio, eum accerſitum & multum laudatum vel inuitum ordinat Presbyterum & viſitatorem ſanctæ ciuitatis Meliti eccleſiæ. Porro autem ei quoq; opem ferebat gratia curationum in omnibus ægrotantibus. & faciebat multa ſigna admirabilia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Inter cætera vero accidit aliquando vt ei homo fieret obuiam cui à tauro fuerat effoſſus oculus, quem manu ſua portabat & deflebat. Eum cum accepiſſet vir ſanctus, & in ſuo loco impoſuiſſet, aqua madefaciens, in tribus diebus ſanum reddidit. Quędam autem mulier quæ in pudendis corporis ſui partibus cancrum habebat extantem, rogabat virum ſanctũ

1 vt acciperet morbi curationem. Sanctus vero in eius frõte facto 1 signo crucis, eam curauit protinus. & excidit ab ea morbus, adeò vt species cãcri vel ipsam terram exulcerauerit. Tũc omnes qui aderant cum hoc vidissent miraculum, dederunt laudem & gloriam Deo nostro qui facit miracula. Cum itaq; iret aliquando beatus Parthenius ad visendum quendam ægrotum, inter eundum repente canis ingentis magnitudinis & cædem spirans, rupta catena quæ ei fuerat imposita, exiliit è quadam domo cuiusdam ex Proceribus, & eum inuasit, & rectus stetit supra corpus eius.

Signo crucis in frõte facto, mulierem sanctus à morbo cancri curat.

2 Sanctus autem cum in eum spirasset, & crucem 2 Christi fecisset, repẽte exiccauit, & ab humeris suis in terram proiecit mortuum.

Vide aliud miraculum signi sanctissimæ crucis.

Hæc & his similia cum audiuisset qui erat illo tempore sanctissimus Cyzicenorum metropolis Eps nomine Ascholius, cum accersiuisset venerandum & sanctum hunc virum Parthenium, eum præfecit dignitati episcopatus. & maximum concessit donum ciuitati Lampsacenorum: Homo autem Dei Parthenius, cum venisset ad ei dedicatam ciuitatem Lampsacum, & eam inuenisset deditam cultui simulachrorum, grauiter angebatur. Sed non cessabat, sicut Apostolus, admonere, rogare, increpare, veritatis viam eis ostendere, imbecillitatemq; & vanitatem simulachrorum. & faciẽs miracula in nomine Dñi nostri Iesu Christi: & curans eorum infirmos, paulatim traxit eos ad Dei agnitionem. Cũ vero vidisset eos proficere in fide, & simulachra despicere, voluit eorũ templa diruere, & ædificare ecclesiam in nomine Dñi nostri Iesu Christi. Cum se autem sustinuisset, sic statuit, q cum Imperator sit Christianus & pius, iustum sit eius sententia templorum idolorum fieri demolitionem. Hæc cũ apud se statuisset Christi seruus Parthenius, & soluisset ex ciuitate Lampsaco, venit in vrbem regiam. Forte autem accidit vt die sequenti pius Imperator Constantinus descenderet in vehiculo ad videndos agros. Ad eum itaq; accedens vir sanctus, exposuit ei suam petitionem. Venerãdus vero & plane Christi amans Imperator Cõstantinus, benigne accepit eius petitionem: & valde est lætatus: iussitq; eum ire in regiam & expectare, donec ipse rediret ab agris. Reuersus itaq; Imperator in Palatiũ, lubenter accepit virum sanctum. & complexus rogauit vt pro ipso precaretur. & protinus iussit fieri sacram pro idolorum & eorum templorum demolitione. & cum hoc suis diuinis confirmasset syllabis, dat Parthenio cum multo auro ad extructionem sanctæ Dei ecclesiæ. & eum amplexus dimisit in pace.

Reuersus autem beatus Parthenius in suam ciuitatem Lampsacum,

3 templa diruit. & cum pulcherrimam 3 & ornatissimã descripsisset Dei ædem, ipse per se asistens opere, magno studio eam curabat excitandam. Etenim cum multi ad nauigarent & enauigarent hospites, non contingebat eis transire nisi prius eum vidissent. & benedictione ab eo dignati, eã, tanq̃ multorum bonorum viaticum, auferentes recedebant. Quodam autem die accessit quidam ad eum, qui latenter in se habebat spiritum immundi Dæmonij. Quem cum longo tempore habuisset, hoc ignorabat. Hic ergo homo cum vidisset sanctum, eum salutauit. Homo vero Dei Parthenius cum cognouisset Dæmonem qui in eo habitabat, eum non resalutauit. Dæmon autem perturbatus dixit sancto. Qm̃ desideraui te videre, ideo te salutaui: cur tunc non salutasti? Sanctus autem Parthenius dicit

Si ædificare pulcherrimas & ornatissimas Dei ædes, non esset opus pium & Deo gratum, tanto studio sanctus Eps huic negocio non insisteret.

dicit ei. Ecce vidisti me,quid tum? Dicit Dæmon. Et te vidi & agnoui. Dicit sanctus. Si reuera me vidisti & agnouisti, egredere cito à figmento Dei. Dixit Dæmon. Hoc totum est vt me expellas à mea habitatione. Nunc, rogo te.ne me expellas post tantum tempus. Dicit ei beatus Parthenius. Est ne longum tempus ex quo in eo habitas? Dixit Dæmon. A' pueritia.nec fui vlli vnq̃ cognitus,nisi nunc à te.tu autem me expellis vt video. & quo iubes me abire? Dixit Sanctus. Do tibi locum quo proficiscaris. Dicit Dæmon. Omnino dices mihi. Abi in porcos. Dicit ei Sanctus.minime, sed do tibi hominem humilem. & ingressus in eum illic habita. Nunc vero ex eo egredere. Dixit Dæmon. In veritate hoc facis, an solum hoc dicis dũ me ieceris? Dixit sanctus. Dico tibi in veritate. mihi quidem est homo paratus in quo debes habitare.solum cito egredere. Dęmon autem sancti pactis conuentis persuasus, petebat vt promissio deduceretur ad effectum. Tunc sanctus os aperiens dixit Dęmoni.Ecce ego sum homo,ingredere et in me inhabita. Dęmon autem tanq̃ ab igne vstus ob id quod sanctus dixerat, exclamauit dicens. Hei mihi,me qui in alieno vase abij post tantum tempus persequeris. & quid non mali à te passus fuero? Quõ vero in domum Dei ingrediar? Non licet veritatem audire à vobis Christianis. Tunc Dæmon egressus ab homine, abit in loca deserta & inaccessa. homo autem euasit sanus virtute & gratia Dñi nostri Iesu Christi. Deumq; perpetuo laudabat & glorificabat & sanctum eius famulum Parthenium.

Præfecto vero opere ædificationis sanctæ Dei ecclesiæ, studium ponebat homo Dei vt reponeretur mensa in qua oportebat Dño offerri spiritale 4 & incruentum sacrificium. Cum autem inuenisset in quodam loco dedicato idolis lapidem pretiosum & aptum ad sanctæ mensæ concinnandũ opus quod quærebatur,effecit id pulchre elaborari & adaptari ab artificibus. Perfecto vero opere,iussit id afferri in ecclesiam.Cum ergo artifices lapidem currui imposuissent,& boues iunxissent, ducebãt ad ciuitatem. Inuidens autem & bonorum operum æmulus Diabolus, non ferens ignem diuini zeli sancti viri,conturbatis bubus,effecit,vt ij repente impetu qui cohiberi non poterat incitati, supinum in terram proiecerint eum qui trahebat boues, nomine Eutychianum. quem excipiens currus, per rotam perfregit omnem viscerum eius compagem. Sicq; is expirarũt. Cum autem accepisset quod acciderat seruus Dei Parthenius, dixit. Hoc Satanica plane fecit malitia. Non impedies in hoc Diabole opus Dei.& statim assumens secum pios viros qui cum ipso erant, cucurrit ad locum. & stans prope cadauer,& sancta sua 5 inclinans genua, cum lachrymis intense orauit ad Deum,dicens. Tu Dñe omnipotens suppeditator vitæ & mortis.non ignoras propter quam causam auctor malorum inimicus, machinatus est mortem in tuum figmentum. Sed ò benignissime, Nunc quoque ostende inanem eius conatum. vitæ autem participem fac tuum seruum Eutychianum, ostendens iis qui in te credunt inuictam tuam potẽtiam. Qm̃ tu es solus Deus:& te decet gloria in secula Amen. Cum autẽ vir iustus Deo emisisset has preces, reuersus est mortui spiritus in corpus eius.& cœpit qui fuerat mortuus,dicere in cõspectu vniuersi populi. Gloria tibi Christe Deus, qui etiam suscitas mortuos. & cum protinus surrexisset,& factus esset sanus sicut prius, & accepisset boues,traxit cur-

4 *Altare intelligit in quo missa erat celebranda ubi offertur spirituale & incruẽtum sacrificium.i.corpus Christi & sanguis sub specie panis & uini.*

5 *Sancta sua inclinans genua, cum lachrymis intense orauit, & mortuum suscitauit.*

rum vſq; ad ædem eccleſiæ. Tunc omnes qui viderant hoc miraculum adeò præter opinionem, dederunt gloriam & laudem benigno Deo.

Afferebant vero vndiq; omnes ægrotantes, & qui vexabantur ab immundis ſpiritibus: & gratia & virtute Dñi Ieſu curabantur omnes. Oĩs autem ars medicinæ in diebus huius ſancti viri erat imbecilla, propter ea

6 ꝗ 6 oẽs genus morbi in nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti, gratis ab ipſo curarentur. Inter quos Dionyſius quoq; ꝓpoſiti filius ſtirpe imperatoria, cum haberet filiam virginem nomine Daphnem quæ à Dæmone grauiter caſtigabatur, ipſe eã totis tribus diebus curauit. Alteram aũt Mamalij cuiuſdã filiam q erat princeps ciuitatis Smyrnenſium noĩe Agalmatiam, q̃ ab immundo ſpiritu vexata ſpumam emittebat, curauit. Zoelam vero nomine q̃ ad Perſas venerat, & à Dęmone vaticinante miſerabiliter conterebatur, haud ita longo pòſt tẽpore, Dñi gratia liberauit. Aliũ autem rurſus iuuenem ex Humis ortum, Presbyteri 7 filium, noĩe Niconem, qui ab immundo ſpiritu grauiter caſtigabatur, adducentes eius parentes, iecerunt ad pedes ſancti, rogãtes vt eius miſereretur iuuentutis, & eũ liberaret ab immundo Dæmone. Vir aũt ſanctus dixit eis. Non eſt dignus qui curetur. ad caſtigationẽ enim datus ei fuit ſtimulus ſpiritus. eſt. n. parricida. Vos. n. ſæpe ab eo habiti contemptui, in aĩæ veſtræ amarore à Deo petiiſtis vt ipſe caſtigaretur. Sinite eũ ſic eſſe. expedit enim. Illi ỽo vt q eſſent parentes & vincerent viſceribus, exclamauerunt rogantes cũ lachrymis. Precare Deum pro ipſo, vt liberetur à ſæuo & immani Dæmone. Beatus autem Parthenius miſertus abũde profluentium lachrymarum parẽtum, intenſe Deum precatus eſt pro ipſo. & protinus egreſſus fuit ab ipſo Dæmon. & mundatus fuit homo. Tunc parentes eius eum ſanum acceperunt: & domum redierunt Deum laudantes atq; glorificantes.

6 Vide catalogum ſequentium curationũ à ſancto uiro factarum, præcipue à ſpiritibus immundis. Vnde negari non põt ſanctos in uirtute Dei ſanitates conferre.

7 Quod presbyter filiã habuerit, potuit eſſe antequam eſſet promotus ad ſacerdotiũ, uel forte etiam poſt, ſecundum conſuetudinem Eccl. oriẽtalis, quæ permittit uxorẽ uſum prius ductarũ.

Alexandria autem quædam nomine, ex Ariſba quæ eſt Abydo, Draconalem habens ſpiritum ſibilãs & multos interimens, allata eſt ad ſeruũ Dei Parthenium. Qui cum increpaſſet ſpiritum, curauit eam & remiſit ad ſuos. Synodij vero cuiuſdam Abydeni filiam virginem, quæ ab immundo ſpiritu vexabatur in montibus, parentes eius comprehendentes, duxerunt ad iuſtum. & cum manus ei impoſuiſſet & eſſet precatus, eam curauit. Alium quoque Axanum quendam militem, qui omnes partes corporis habebat diſſolutas, duxerũt ad ſeruum Dei Parthenium. Quem aqua madefaciens & precans, ſanum miſit domum ſuam ambulantem. Quendam autem alium, nomine Alanam, genere Syrum, operatione mali qui in eo habitabat Dæmonis, ex tabulato Catechumenorum ſanctæ eccleſiæ, quam condidit Sanctus vir Parthenius, ſuſpenſum & tractum & effectum mortuum, ad cadauer aduenięns Dei famulus, illum quoque viuificauit precibus: & ab eo fugauit Dæmonem. Eutropus vero quidam nomine, ex Pareo, vxorem ſuam duxit ad ſanctum, quæ habebat ſpiritũ immundum. & rogabat eum multum vt pro ipſo rogaret, vt curaretur à Dæmone qui ipſam vexabat. Vir autem ſanctus cedens eius precibus, cum eam accepiſſet & in eius oculos inſpiraſſet, & ſuper caput eius eſſet precatus, liberauit à Dæmone. Tunc maritus eius Deum glorificans iuit in domum ſuam cum ipſa. Acaciam vero quandam nomine, ex pago qui dicitur Celæus, quæ ab immundo ſpiritu conſumebatur, ad eum adduxerunt. & gratia & virtute Domini Ieſu, ſanam dimiſit. Eucheria quædam

nomine, vxor Agapij Magiſtriani Pageleoti, veneficio attentata, cum ei roderẽtur inteſtina, allata eſt ad ſanctũ. & cũ in tribus diebus ei eſſet precatus, & ex oleo 8 ſanctorum eã potaſſet, ſanam remiſit in domũ ſuam. 8 *Triduanis precibus et ex ſanctorum olei potatione, veneficio attentatam mulierẽ ſanat.*

Maximinus quidam nomine, ex Bizye ciuitate Thraciȩ, qui erat diſcipulus vni ex iis qui ſunt apud nos Diaconi, nomine Pſertæ. Hic ergo Maximinus cum incidiſſet in morbum torminis inteſtinorũ, deſperatus fuerat ab omnibus. Cum id autem reſciuiſſent eius parẽtes, Bizye venerunt Lampſacum ad eum ſepeliendum. & cum eum accepiſſent cum lectulo, fide ducti ferunt eum in ſanctam eccleſiam. & eũ ponunt in ingreſſu Epi, per quem Dei ſeruus erat tranſiturus. Cum vero in eum locum veniſſet ſanctus vir Parthenius, & vidiſſet eum in lecto iacentem, & eius parentes lamentantes, & omnes qui cum eis aderant lachrymantes, ipſe quoque eſt lachrymatus. & cum flexiſſet 9 genua, Deum pro ipſo eſt precatus. & virtute ac gratia Dñi noſtri Ieſu Chriſti, ad ipſum reuerſus eſt ſpiritus: & ſtatim aſſedit qui fuerat mortuus, & cœpit loqui. Data autem ei manu, fecit eum ſurgere, & ſanum reddidit parẽtibus adeò vt vniuerſa ciuitas Deum laudaret propter factum miraculum. Quædam autẽ mulier Diaconiſſa, nomine Theophila, ex Aſermo vico Cheroneſi, & cũ ipſa, Ruffina impubes ex eodem vico, ab immundo ſpiritu diſſoluta & effecta paralytica, allatȩ ſunt ad ſanctum virũ. Quas paucis diebus aqua irrigans & precans, virtute Dñi ſanas emiſit ad ſuos. Hilarij cuiuſdam Presbyteri 10 ex Auſadia, filius vnigena, nomine Thalaſsius, qui à maligno ſpiritu fuerat mente motus, portatus eſt ad ſanctum. Quem cũ accepiſſet, orans totos ſeptem dies, reduxit ad naturam. & Domino agẽtem gratias cum patre remiſit in patriam. Vetulas vero quaſdam duas pauperes, quarum vni nomen erat Calliope, alteri vero Cyriaca, quæ ambæ ab immundo ſpiritu caſtigabantur, tulerunt ad ſanctum. qui per ſuas ad Deum preces ambas curauit. Cum autem eis quoq; dediſſet ea quæ erant ad victum neceſſaria, dimiſit in pace.

9 *Et cum flexiſſet genua, p eo eſt Deum precatus, atque exauditus eſt.*

10 *De filio pſbyteri dic ut in notula VII. ſuprapoſita.*

Præter hæc autem, & alia quæ narrari non poſſunt, ſancti huius viri miracula, accidit vt officina quoq; in qua tingebatur purpura, impediretur ab immundo ſpiritu qui in eam incubuerat, & nõ efficeret eam quam ſolebat tincturam. ſed etiam immundus Dæmon appareret tinctoribus: & opus Imperatoris non ſineret effectum reddere. adeò vt ex hac re magnum periculum & damnum ſerui ſuſtinerent & tinctores. Quãobrem cum hæc reſciuiſſet homo Dei Parthenius, & ab eis fuiſſet rogatus, prompto & alacri animo venit ad locum officinæ. & cum aduocaſſet immundum operãtem Dȩmonem: & eum increpaſſet terribili & ſancto nomine Chriſti, fecit eum euaneſcere ab omnibus finibus, illo clamante omnibus audientibus. Tanq; ab igne expellor in gehennam ignis. Cum autem iuſſiſſet ſanctus, tinctores impleuerunt lebetes. & eo prȩſente inuiſerunt lanã. Ea verò ab illo tẽpore, eam quam oportebat tincturam, citra vllum impedimentum, accepit etiam in futurum. Sicq; & qui gerebant rempublicam, & tinctores omnes liberati fuerunt à periculo Imperatoris.

Audite aliud quoq; magnum miraculum, quod factum eſt à ſancto patre noſtro Parthenio. Tempore piſcationis Thynnorum, cernebãtur quidem piſces à piſcatoribus tanq; qui iam eſſent in manibus. Cum laxarentur autem retia, nihil proficiebant, ſed laborem inanem ſuſtinebãt. Fuit

vero hoc à Diabolica aura impedimentum, nō in vno tantum aut altero emporio, sed in tota regione maritima vsque ad Abydum. Omnes autem simul congregati, rogarunt virum iustum, vt Deum pro eis precaretur.
11 Eo vero precante cum ieiunio 11 & fletu, Deus ei aperuit causam & Satanicam operationem. Experrectus autem, citra moram profectus est in vnumquodq; emporium vsque ad Abydum. & aquam 12 bñdicens, & sal iniiciens, & Deum inuocans, iussit afferri retia, & eo præsente piscium consuetam facere piscationem. Tunc cum magno gaudio sua retia laxantes, Domini virtute & sancti precibus, tanta bona consecuti sunt in piscatione. vt præteriti temporis defectum suppleuerint. Sedente autem viro sancto in emporio Catapteleę cum piscatio fieret piscium, reteq; trahe retur, Thynnus maximus è reti exiliēs, se proiecit ad pedes sancti. Quē cum signasset & precatus esset, iussit scindi & distribui fratribus ad gloriam Dei.

Nota, eo precāte uim ieiunio et fletu, deus ei causam aperuit.

12 *Ecce quā uetusta est in Eccl. aquæ benedictio immixto sale, & Dei inuocatione adhibita, atque quātæ uirtutis.*

Aliquando Heracleotem quendam nomine Callistum, cui à Diabolica operatione fuerant pedes soluti, duxerunt ad beatum Parthenium. Quem quidem cum esset precatus, & curasset virtute Domini, propriis pedibus ambulantem remisit in domum suam lętantem & Deum glorificantem. Alium autem quendam nomine Lesbum, ex insula quæ dicitur Oa, duxerunt ad hominem Dei. Qui quidem à pedibus ad caput vsque erat to-
13 tus vlceratus, à leproso nihil differens. Eum oleo 13 vngens & precans, tribus diebus sanum remisit ad suos. Ex magnis ergo et multis miraculis, quæ à sancto patre nostro Parthenio Dei gratia facta sunt, partem prout potui significaui vestræ charitati. non tanq; de patre & doctore verba faciens ad eum ornandum, propter id quod dicitur. Perdet Dominus oēs qui loquuntur mendacium. sed res ipsę testantur etiam quę fiunt post eius obitum. Vnde etiam cum eo adhuc viuo vsus aliquando eum vocasset, iuit in Thraciæ metropolim Heracleam. & conueniēs Archiepiscopum qui illic erat, nomine Hypatianum, qui ad extrema fere erat redactus, rogauit causam morbi. Cum per diuinam autem reuelationem cognouisset beatus Parthenius, eum castigari propter auaritiā, vt qui res pauperum vsurparet, & eos illis priuaret, mane iuit rursus ad eum visendum, & ei dicit. Surge magne Domine. Non enim laboras infirmitate corporis, sed castigaris propter morbum animæ. Hæc ergo depone, & rursus euadens sanus. Respondit ægrotus & dixit. Scio ego quoq; me esse peccatorem, & ideo castigari. Sed ora pro me rogo te vt leuer meis iniquitatibus, Dicit ei sanctus Parthenius. Si quis in hominem peccauerit, de eo fortasse exaudietur oratio, morbus autem tuus ad Deū tendit. Quæ sunt ergo pauperum redde Deo, & eris semper sanus animo & corpore. Tunc is ad se rediēs dixit, Re vera Pater peccaui Domino meo. Dominus vero iustus. & protinus accersito suo Oeconomo, iussit in medium afferri quidquid auri collectum fuerat ex pauperibus. Cum autem satis auri fuisset allatū, sanctum rogauit Episcopus vt id distribueret pauperibus. Ille vero non sustinuit, dicēs. Cum Deus tibi det vires, tu per teipsum redde eis quę sua sunt. Tūc is sedens in lectica, iuit ad templum sanctæ Martyris Glyceriæ. & cum congregasset omnes pauperes ciuitatis affatim omnibus distribuit. Benignus autem & clemens Deus, qui viduæ duo minuta non despexit numismata; & rursus diues viduæ propositum acceptum habuit tempore

Eum oleo ungens & precās, tribus diebus sanū remisit ad suos.

Eliæ Prophetæ: & pauperis flagitiosæq; meretricis lachrymas non est auersatus: & publicani suspicium comprobauit, ipse quoq; prædicti Archiepiscopi acceptam habens pœnitentiam, in tribus diebus ei perfectam præbuit sanitatem.

Dei vero seruus Parthenius quotidie obibat sacras ædes ciuitatis, consuetas preces in eis peragens. Quodam autem die ingressus in martyrium quod Achilas dicitur, inuenit illic hominem quendam iacentem omnino aridum. Cuius misertus cum oleum petiisset, flexis 14 genibus cum lachrymis orauit pro ipso benignum & clementem Deum. Et cum deinde surrexisset à precatione, sensim & paulatim cum sancto oleo molliens, protinus & ipsa hora fecit eum sanum surgere. & iussit eum suis pedibus ad suos redire Deum glorificantem. Cum hoc autē terribile & quod opinionem superat miraculum factum esset in Heraclea ciuitate, quicunque habebant ægrotos, cum eis concurrebant ad Dei hominem Parthenium. & virtute Domini nostri Iesu Christi, omnes reuertebātur sani. Simul vero cum eo aderat etiam Hypatianus, qui illo tempore erat Archidiaconus ciuitatis Heracleæ, quū hæc fiebant miracula. Quæ cum vidisset, procidit ad pedes sancti viri, rogans eum cum lachrymis, & dicens q; in prædio suo multa quidem sunt seminata, propter pluuiæ autem egestatē omnia sunt exiccata. Sed veni ad locum, dicebat, O' venerande pater, & ora Deum vt terræ præbeat pluuiam: vt conseruetur vniuersa nostra patria. Venerandus vero & sanctus vir Parthenius, iuit prompto & alacri animo. Cumq; venisset ad locum & vidisset omnia exiccata, lachrymatus est. flexisq; 15 genibus diu precans cum lachrymis, clementem Deum rogauit vt pluuia in terra demitteret ad fructus producendos. Benignus autem & clemens Deus qui semper facit voluntatem eorum qui ipsum timent, cum adhuc preces essent in ore eius, tectum fuit cœlum nubibus: & descendit multa pluuia. & satiauit terram. Ingressis autē ipsis in agrū, quæsiuit habitaculum in quo preces suas perageret. Archidiaconus vero Hypatianus qui fuit etiam agri Dn̄s, introduxit eum in vnū ex suis cubiculis. Qui pernoctauit illic in orationibus. & cum mane accersiisset Archidiaconum, dixit ei. Attende tibi ò frater. non enim ignoras Episcopum tuum fuisse castigatum propter auaritiam. Ostendit enim mihi Deus hac nocte, te non multis post diebus futurum Episcopum. Vide ergo vt semper curam geras pauperum. hoc enim in Deum placat super omnia.

14 Flexis genibus cūm lachrymis orauit pro arido, sancto oleo vnxit, & sanum fecit.

15 Oratione flexis genibus facta est & cū lachrymis, terræ pluuiam sanctus à Deo impetrauit.

Sanctum autem rogauit Archidiaconus, vt veniret in suum prædium, & bene precaretur agris & vitibus. Ingressus vero beatus in vnam maximam regionem quæ nihil habebat, dixit ei. Cur non seminasti eam cum sit maxima? Archidiaconus autem lachrymans dixit. Seminata quidem est ò bone. sed mea peccata & pluuiæ defectus, eam, vt vides, exiccauit. Dicit ei sanctus. Quot modios tibi prębuit Deus ex hac regione? Ille dixit, Mille ò bone. Sanctus autem dixit ei. Ne ne sis tristis ò frater. Omnia sunt possibilia credenti. Sed Deus tibi dicit per me peccatorem, q; si in tēpore æstatis fructum qui ex hoc agro nascitur solum triueris, inuenies sicut dixisti mille modios. quoniam leue est in conspectu Domini hæc facere. Eum quoque introduxit in vineam recēs plantatam. erat autem oīo exiccata & exesa à vermibus propter pluuiæ egestatem. erat vero locus satis amplus, vt caperet sementem octoginta modiorum. Beatus autem

fale iniecto, totam vitem cõspersit. & dixit Archidiacono. Esto bono aĩo. Nam Deus dat tibi ex hoc loco satis magnam benedictionẽ, sicut ei placet. Cum vero ingressi essent in ciuitatem, iuit ad Episcopum vt ei vale diceret & nauigaret. Ille autem ei processit obuiam & eum est complexus. Ii vero cum assedissent, sanctus dixit Epõ. Annuncio tibi ó Dñe, q post nõ multos hos dies excedes é corpore, & migrabis ad Dñm. Ecce enim Christus te accersiit qui est verus Deus noster. & bonum successorẽ relinques, vt mihi reuelauit Dñs, Dominum Hypatianum tuum Archidiaconum. Dixit Epš. Fiat voluntas Domini. Et cum se inuicem osculati essent in osculo sancto, Heraclea sanctus negauit Parthenius, & venit in suam ciuitatem Lampsacum.

Accidit autem non multis post diebus vt morbo correptus Heracleę Episcopus in Christo requiesceret. Pro ipso vero factus est Epš Dominus Hypatianus Archidiaconus, conuenienter ei quod dixerat seruus Dei Parthenius. Cum esset autem ęstas, egressus Epš Hypatianus in agrum suũ ad colligendos fructus terræ, & metendum id quod erat natum ex exiccata & squallida regione, inuenit mille modios plenos frumento, conuenienter verbo serui Dei Parthenij. Similiter vero in tempore quoq; vindemiarum, ex plantatione exiccatarum vinearum Deus dedit magnam vini quantitatem. Qui cum experientia accepisset euentum eius quod sanctus prædixerat, decimam fructuum vtrorũq;, nempe tam aridorum q̃ humidorum, naui impositam duxit Lampsacum vt sancto offerret, maximas ei agens gratias. Ille autem noluit accipere, dicens Dño Hypatiano Epõ. Deo agens gratias in omnibus, eas distribue nostris fratribus. & cum se inuicem salutassent, reuersus est sanctus Epš Heracleam: & distribuit frumentum & vinum suis fratribus, vt iusserat homo Dei. Episcopus ergo Hypatianus non cessauit vsque ad finem vitæ, narrare omnibus Dei magnalia quæ fecit cum ipso per seruum suum Parthenium.

Cum ergo in hac pia & angelica vita refulsisset in terra Dei seruus & vir venerandus Parthenius, & multos cõuertisset á simulachris ad Deũ viuum, & perinde ac morbo arreptus á Deo vocatus, requieuit in pace. Prædictus ergo Hypatianus Epš cum audiuisset inclitum & venerandum patrem nostrum Parthenium ad Christum migrasse, relictis oĩbus quæ habebat in manibus, soluens ex ciuitate Heraclea, secũdo vento cum Deus iussisset, eadem nocte peruenit Lampsacum. Similiter etiam Cyzici Epš & Epš Meliti in qua fuerat natus. & Parij Epš nomine Eustathius. & reliqui ex ciuitatibus quæ erant circũcirca. Sicq; cum 16 psalmis & hymnis & spiritalibus canticis deposuerunt eum prope ecclesiam in oratorio quod ipse ædificauit. Dormiit autem sanctus Christi seruus Parthenius septimo mensis Febr. non parua nobis relicta doctrina p perfectam & immobilem eius in Deum fidem. Qui etiã post decessum sua ad Deum 17 supplicatione non cessat facere miracula, Dæmones expellens, leprosos mundans. & omnem morbum & ęgritudinem curans virtute & gratia Dñi & Dei & seruatoris nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

16 *Vide honorificã sancti sepulturam, multi quidem Epĩ cum psalmis, hymnis & spiritualibus canticis deposuerunt eum ppe Eccle. in oratorio suo.*

17 *Ecce quot miracula, sua ad Deum supplicatione operetur Parthenius post decessum.*

VITA BEATI EVGENII
& Mariæ eius filiæ.

IN ILLO tempore erat vir quidam in Bythynia, nomine Eugenius. Is habebat vxorem valde honestam & Deum timentem. quę peperit filiam vnicam, & vocauit nomen eius Mariam. Mortua autem eius vxore, educauit filiam suã Eugenius in bona & honesta vita. Cùm vero creuisset adolescentula, dixit ei pater eius. Filia charissima. ecce omnes meas facultates trado in manus tuas. Ego enim vado vt saluam faciam animam meam. Cũ hæc autem à patre suo audiisset adolescentula, dicit ei. Pater tu vis teipsum seruare & me perdere. Nescis Dominum dicere in Euangeliis. Pastor bonus animam suam ponit pro ouibus? Rursus verò alibi dicit. Qui saluam facit animam, est tanq̃ qui creat. Hæc cum audiisset pater eius Eugenius, eius verbis valde fuit lætatus. flebat enim & eiulabat cum hæc diceret. & dicit ei pater eius. Filia charissima. quid possum tibi facere? Tu quidẽ es fœmina: ego autem volo ingredi monasterium. & q̃uo potes mecum versari? Diabolus enim propter vos bellum gerit aduersus Dei seruos. Hæc cum audiisset eius filia, dixit patri suo. Dñe mi pater. Non sic ingrediar q̃uo tu dicis. sed tõdebo comam capitis. & induta veste virili, ingrediar tecum monasterium, nemine sciente me esse fœminam. Februa. 8.

Beatus autem Eugenius, auditis iis quæ dicebat filia, valde lætatus, cum omnia bona sua distribuisset pauperibus & mendicis, orphanisq; & viduis: & totondisset suam filiam, virili amictu eam induit, & nominauit nomen eius Marinum. hęc ei dans mandata. Vide filia q̃uo te sis cõseruatura. Futura enim es in medio ignis. non ingreditur enim fœmina in monasterium. Te ergo conserua Christo immaculatam. vt cum impleuerimus id quod sumus polliciti, habeamur digni regno cœlorũ. Hæc cum dixisset Eugenius & precatus esset, assumens filiam suam Mariam in habitu adolescentis, ingressus est cœnobium. Eis autem ingressis in monasterium, in dies proficiebat puella in omni virtute, obedientiaq; & humilitate & in maiori exercitatione. Cum vero aliquot annos peragisset beata in monasterio, existimabãt Monachi eum esse Eunuchum, propter ea quod esset imberbis & voce gracili. Alij autem existimabant, præ nimia exercitatione, & q̃ solum secundo quoque die comederet, eum esse voce adeò tenui. Aliquo vero post tempore contigit eius patrem decedere. incrementum autem accepit eius exercitatio obedientia & humilitas. adeò vt ipsa quoq; donum Deo acceperit contra Dæmones. Vnunquẽq; enim eorum qui laborabant & vexabantur, manus eis imponens & orans, curabat protinus. Habebat autem illud cœnobium quadraginta viros omni virtute & sapientia exornatos. Singulis vero mensibus mittebãtur quatuor Monachi ad respõsa monasterij, propterea q̃ ipsi haberent in aliis quoq; locis diuersas possessiones. Erat autem in media via diuersorium. & qui ibant & veniebant, propter itineris longitudinem illic requiescebant. Inter cæteros autem magnam eorum curam gerebat is qui præerat diuersorio, eos seorsum accipiens. Inuidus vero & malignus Diabolus, qui rebus bonis semper inuidet, mala autẽ ad se attrahit, ægreferens huius beatę

in Deum amorem pulcherrimamq; & honestissimam viuēdi rationem, studuit aliquantulum ei labem inurere & eam affligere.

Quodam itaque die, Præfectus monasterij, accersito Marino, dicit ei. Frater Marine, scio tuam vitæ agendæ rationem esse perfectam in omnibus, & præcipue in obedientia. Velis ergo tu quoq; egredi vt ministres monasterio. Fratres enim ægreferunt te ad id non egredi. Hoc autem faciens ò fili maiorem accipies mercedem à benigno & clementi Deo. Etenim Dominus quoque noster Deus non dedignatus est ministrare suis Discipulis. Hæc cum audiisset Marinus, se proiecit ad pedes Præfecti, dicens. Bene præcare mihi venerande Pater, & ego ibo quocunq; volueris. Egresso autem Marino & aliis tribus Monachis vt ministrarent, diuerterunt vt consueuerant ad illud diuersorium. Qui autem præerat diuersorio, habebat filiam vnicam. Miles vero quidam ingressus diuersorium, ei attulit vitium. ea verò concepit. Præcepit autem ille miles, dicens. Si hęc res fuerit cognita, & te examinauerint tui parentes vnde hoc factum sit, dic eis, Formosus ille iunior Monachus mecum dormiit, & ex eo cōcepi. Postq̃ ergo egressi fuissent Monachi simul cum Marino, resciuit pater puellæ filiam suam vtero concepisse. Qui rogauit eam, dicēs. Vndenam hoc tibi factum est? Puella autē respondit, dicens. Iunior ille cœnobij formosus Monachus qui dicitur Marinus, mecum dormiit & me prægnantem reddidit.

Cum hæc autem audiisset Præfectus diuersorij, cursu & cum magna ira venit in monasterium, eum accusans & dicens. Vbi est ille planus, ille falsus Christianus, quem dicitis esse Monachum? Ei vero factus est obuiā Apocrisiarius monasterij & dicit ei. Bene venisti frater. Cur es adeò tristis, & cur tam temere loqueris? cessa parūper rogo te. Respōdens autem Pręfectus diuersorij dixit ei. Pereat hora qua vnquam cognoui Monachum. Hei mihi, quid mihi accidit? Quid faciam autem nescio. Cum vero hęc resciuisset Pręfectus, eum accersiit & dicit. Quid tibi vis frater? Quid es tristis? Præfecto autem monasterij dixit is qui præerat diuersorio. Quid mihi volo? De cætero nullum amplius videam aut conueniā Monachum. Postq̃ autem à Præfecto rursus fuit rogatus is qui præerat diuersorio, Propter quam causam hæc dicis? respondit & dixit. Filiam habebam vnicam, in quam spem meam collocabam, q̄ ea esset requies meæ senectutis. Ecce vero quid fecit Marinus, eam prægnantem reddidit quem dicitis esse Christianum & pium. Hæc cum audiisset Præfectus, stupefactus dicit ei. Quid possum tibi facere, cum ipse non sit hic? Sed qn̄ venerit ex ministerio, nihil est aliud quod agā nisi vt expellam è monasterio. Cū autem venisset Marinus cum aliis tribus fratribus, accersit eum Pręfectus & dicit ei. Abba, Hęc ne est tua viuendi ratio & exercitatio? Qn̄ diuersatus fuisti in diuersorio, attulisti vitium filiæ Præfecti diuersorij. huc autem veniens eius pater tanq̃ per theatrum traduxit nos Monachos. Marinus vero his auditis, se humi proiecit in faciem, dicens Pręfecto. Condona mihi humili & peccatori propter Dn̄m ò pater, quoniam tanq̃ homo erraui. Tunc Præfectus ei iratus, eiecit eū è monasterio.

Egressus autem beatus extra vestibulum monasterij, mansit sub dio sustinens frigus & æstum annos tres. Qui ergo ingrediebātur & egrediebantur ex monasterio, rogabant ipsum, dicentes. Cur sic sedes Abba, afflictus

ctus in vestibulo? Ille autē dixit eis. Qm̄ sum 1 fornicatus, propterea eiectus sum ex monasterio. Cū vero venisset pariendi tempus filiæ Præfecti diuersorij, peperit puella filium masculum. Puerum autem tollens pater eius, venit ad monasterium. & cum inuenisset Marinum sedentem extra monasterium, proiecit ei puerum & statim recessit. Marinus vero sumens puerum in manus, dicebat lamētans. Hei mihi misero & abiecto. Ego certe humilis & neq; accipio pro meritis meorum peccatorum. Cur autem hic quoque infelix puer mecum moritur? cœpit vero accipere lac à pastoribus. & sic alebat puerum vt pater. Nō satis autem erat Marino afflictio & pudor quo afficiebatur quotidie. sed puer quoque flens & excernens cōtaminabat & sordidabat eius vestes. Post spatium autē trium annorum, seditionem agitarunt omnes fratres dicentes Præfecto. Pater venerande, sufficit fratri Marino pœna quam sustinuit. De cætero rogamus, accipe eum rursus in monasterium. maxime vero q̄ corā omnibus confessus sit est lapsum suum. Cū autem contradiceret Præfectus & non persuaderetur eum accipere, cœperūt Monachi ei rursus dicere. Nisi fratrē Marinum rursus acceperis in monasteriū ò pater, nos quoq; recedimus. Qūo possumus à Deo petere vt condonet nobis nostra peccata, cum frater noster tres annos sub dio sedeat in vestibulo?

1 Cum quilibet homo quālibet sanctus pre cet quādoq;, et omne peccatum large possit dici fornicatio, citra mendacium poterat dicere sancta se esse fornicatam.

Hæc cum audiisset Præfectus à Monachis, dicit eis. Re uera propter peccatum quod fecit non est dignus huc ingredi. propter vestram tamen charitatem & preces eum accipio. & cum accersiisset Marinum coram omnibus, dicit ei. Frater nō es dignus stare in primo tuo loco, propter peccatum quod fecisti. propter fratrum autem charitatem & preces, accipio te omnium postremum in regulam. Marinus vero cœpit Pręfecto dicere cum lachrymis. Hoc quoque mihi magnum est ò venerande pater, q̄ me dignum feceris qui ingrederer intra vestibulū. vt sic quoq; dignus habear qui seruiam sanctis meis patribus. Et cum eum accepisset Præfectus, immisit ad viliora & abiectiora opera monasterij. Is verò ea faciebat cum studio & magno metu & compunctione. Habebat autem puerum quoque Marinus eum retro sequentem & clamantem, Ta ta ta. & requirentē ea quæ sunt pueris necessaria ad alimentum. Non solū enim his ærumnis & afflictionibus premebatur Marinus: sed etiā de alendo hoc puero erat valde solicitus. Cū creuisset autem puer, degebat in monasterio educatus in virtute & in temperantia. Porrò vero sancto quoque & monastico habitu est dignatus. Sicq; proficiebat in humilitate & multa obedientia vt amaretur ab omnibus.

Post hæc autem cum vidisset Dominus perfectam esse eius fidem & tolerantiam, & esse dignam regno cœlorum, accepit 2 eam in æterna paradisi tabernacula nemine sciente. Nam cum is obiisset, & nec egrederetur ad seruitium monasterij, & nec ad psalmodiam regulę, rogauit. Pręfectus fratres, dicens. Vbi est Abbas Marinus. Ecce enim iam præterierunt tres dies ex quo eum non vidi in psalmodia, neq; in suo ministerio. Primus autem omnium inueniebatur in regula. Ingredimini ergo eius cellā, & videte num in aliquam ceciderit ęgritudinem. Cum autem venissent fratres in cellam beatæ, ingressi inuenerunt eam consummatam in Domino, & puerum ei assidentem & flentem. Tunc propere egressi fratres, Præfecto renunciarunt, dicentes. Frater Marinus dormiit. Ille vero cum audiisset,

2 Vides animas sanctorum statim post emigrationem recipi à Deo in æterna paradisi tabernacula?

miratus est & dixit. Quo excessit eius anima. aut quam Deo allaturus est excusationem de iis quę peccauit? Tunc de cætero iussit vt ei iusta facerent. Cum autem venissent fratres vt eum cōponerent ad sepeliendum, inueneruntt eum esse mulierem. & stupefacti cœperunt omnes vna voce clamare, Domine miserere. Præfectus vero cum tumultum audiisset & conturbationem, rogauit dicens. Quidnam hoc sibi vult? Illi autem dicũt ei cum admiratione. Frater noster Marinus est sexu mulier. Cum venisset ergo Præfectus, & vidisset rem admirabilem & præter opinionem, se humi proiecit. & tenens pedes beatæ, cum multis lachrymis clamabat, dicens. Ignosce mihi Domine Iesu Christe, quod per ignorantiam peccaui in

3 sanctam & castam tuam sponsam. Et rursus 3 procidens ad venerãdas & sanctas eius reliquias, clamabat dicens. Hic moriar ad sanctos & venerandos tuos pedes, donec audiero mihi esse condonata ea quæ in te peccaui. Cum is autem diu defleret & plangeret, venit ad eum vox de cœlo dicens. Si hoc quidem sciens fecisses, non tibi condonassem. Quia autẽ nesciens hoc fecisti, peccatum fuit tibi condonatum.

Notæ, procidens ad venerandas & sanctas eius reliquias.

Tunc surgens Præfectus à venerandis eius reliquiis, statim misit ad Præfectum diuersorij, dicens. Veni citto ad nos. nam te volo conuenire. Cum autem venisset Præfectus diuersorij, dicit ei Præfectus monasterij. Ecce frater Marinus est mortuus. Is verò dicit Pręfecto monasterij. Deus ei condonet id quod fecit in abiectam meam filiam. Dicit ei Præfectus monasterij. Pœnitentiam age ò frater. Nam peccasti coram Deo. Sed me quoque tuis verbis decepisti: & peccaui ego quoque propter te. Ecce enim Marinus re vera est mulier. Cum hæc autem audiuisset Pręfectus diuersorij, & Præfecti verbis fuisset obstupefactus, mãsit mutus & attonitus. Eum vero manu apprehendens Præfectus monasterij, duxit eũ in locum in quo iacebat beata Maria. & cũ eam honeste & decore locasset ac composuisset, ei ostendit ipsam esse sexu fœminam, & eam fuisse temere maledictis appetitam. Tunc cœpit diuersorij quoque Pręfectus deflere propter inopinatum ab eo visum miraculum.

4 Post hæc autem iusta fecerunt sanctis & venerandis eius reliquiis. & deposuerũt in insigni loco monasterij, cum 4 psalmis & hymnis & multis luminibus, octauo mensis Februarij. Statim vero venit filia Præfecti diuersorij à Dæmone correpta, & confitens omnem veritatem. & dicens. Talis miles me fefellit, & persuasit vt falso accusarem hanc beatam. Deinde cum appropinquasset loculo beatæ, Præfecto & fratribus rogãtibus

Ecce christianam sanctæ sepulturam, cum psalmis et hymnis et multis luminibus.

5 sanctæ venerandas reliquias, protinus ipsa hora fuit 5 curata, & mundata à Dæmone. Tunc cum vidissent miraculum quod erat præter opinionem, laudarunt omnes clementem & benignum Deũ propter signum quod factum fuerat, & propter patientiam & tolerantiã beatæ. quod perstitisset vsque ad mortem, non aperiens se esse mulierem, propter regnum cœlorum. Et nos ergo ò fratres dilecti, æmulemur eius fortitudinem, constantiam. & tolerantiam. vt inueniamus misericordiam & gratiam in futuro seculo, à magno Deo & Seruatore nostro Iesu Christo. Cui gloria & potentia simul cum patre & filio & Spiritu sancto nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Vide magnum miraculũ ad sanctæ reliquias perpetratum, in testimonium sanctitatis eius & virtutis.

MARTYRIVM SANCTI ET GLOriosi Martyris Christi Nicephori.

IN ILLO tempore erat quidam Presbyter in magna Antiochia Syriæ, nomine Sapricius. Erat autẽ quidam quoq; alius, qui appellabatur quidem Nicephorus, erat vero ordine Laicus & admodũ germanus amicus eiusdem Presbyteri. Seq; ambo sic mutuo diligebãt, vt existimarentur esse fratres germani nati ex vno vtero. adeò vt esset excellens amor eorum mutuus. Cum longo autem tempore vixissent in hac affectione, bono & honesto infestus & sceleratissimus humani generis inimicus, eis inuidens, talem inter eos peperit dissensionem, vt nec in platea quidem vellent sibi inuicem occurrere, ex Dæmonico odio quod inter se inuicem conceperant. Cũ satis vero longo tempore ita fuissent affecti, ad se rediens Nicephorus, & cognoscẽs odium esse Diabolicum, rogauit amicos quosdam vt irent ad Presbyterum Sapricium, & rogarent eum pro Nicephoro, vt ei culpam condonaret, & eum pœnitentia ductum acciperet propter Dominum. Ille autem noluit ei condonare. Is vero rursus misit alios amicos, vt ei recõciliaretur. Presbyter autem Sapricius ne eos quidem rogantes audire sustinuit. Rursus ergo Nicephorus rogauit alios quosdam amicos & misit ad ipsum, vt ei dignaretur sui delicti veniam concedere. vt conuenienter diuino eloquio, in ore duorum vel trium testium staret omne verbum. Ille autem cũ esset duro corde & implacabilis, & oblitus esset Domini nostri Iesu Christi qui dicit. Remittite & remittetur vobis. Et rursus. Si afferas donum ” tuũ ad altare, & recordatus fueris q̃ habes aliquid aduersus fratrẽ tuum, ” dimitte id, & vadens reconciliare fratri tuo. Et rursus. Nisi remiseritis ho- ” minibus delicta eorum: nec pater vester cœlestis remittet vobis delicta ” vestra. Omnibus enim rogantibus & petentibus non condonauit fratri ” & amico suo. Non enim habebat in se charitatẽ & misericordiã. Quamobrem iure fuit priuatus regno cœlorum.

Februa. 9.

In primis autem pius & fidelis Nicephorus, cũ vidit Sapricium despexisse communes amicos, qui pro eo petentes veniam non acceperunt, ipse currens ad ædes Sapricij, se proiicit ad pedes eius, dicens. Condona mihi pater, propter Dominum. Ille vero ei noluit recõciliari vt amico, & maxime cum rogaretur. & maxime cum deberet etiamsi non fuisset rogatus, à prima excusatione eum accipere, vt Christianus & Presbyter, & qui professus erat seruire Domino. Cum hæc autem sic fierent, repẽte extitit persecutio & magna afflictio in Antiochia ciuitate vbi ambo habitabant. & apprehenditur Sapricius vt Christianus, & traditur Præsidi: & stetit ante ipsum, & dixit ei Præses. Quod est nomen tuum? Illi autem dixit. vocor Sapricius. Dicit Præses. Cuiusnam es generis? Dixit Sapricius. Sum Christianus. Præses dixit. Es clericus? Dixit Sapricius. Locum teneo Presbyteri. Dicit Pręses. Augusti nostri & Domini huius regionis & finium romanorum, Valerianus & Gallus, iusserũt vt qui se dicunt esse Christianos, sacrificẽt Diis immortalibus. Si quis vero despiciens respuit hoc edictum, sciat se diuersis tormentis & suppliciis flectendum, & sic grauissima morte esse condemnandum. Sapricius autem adstans dixit Præ-

ſidi. Nos Chriſtiani ô præſes, Chriſtum Deum habemus Regē. Quoniam ipſe eſt ſolus verus Deus & creator cœli & terræ & maris, & omnium quæ ſunt in eis. Omnes vero Dij gentium Dæmonia. & pereant à facie vniuerſæ terræ, qui non poſſunt alicui opem ferre, aut aliquem lædere aut impedire, cum ſint opera manuum hominum. Tunc iratus Præſes iuſsit eum proiici in cochleam. iubens eam vehementer verſari. Cum is ergo adeò acerbe & inhumane torqueretur, dixit Sapricius Præſidi. Carnis meæ habes poteſtatem, animæ autem meæ poteſtatem nō habes, ſed Dominus Ieſus Chriſtus qui eum creauit. Longo vero tempore tortus ſuſtinuit tormenta. Cum vidiſſet autem improbus & malitioſus Iudex eum non perſuaderi, tulit in eum ſententiam, dicens. Sapricium Presbyterum qui edicta contemnit Imperatorum, & non paruit, nec Diis immortalibus voluit ſacrificare, vt qui à ſpe Chriſtianorum non tulerit excidere, iubemus tradi ſupplicio capitis.

Cum ergo ipſe eſſet egreſſus accepta martyrij ſententia, & feſtinaret ad cœleſtem coronam, audiuiſſet autem ſanctus Nicephorus, currens ei proceſsit obuiam, & ſe proiicit ad pedes eius, dicens. Martyr Chriſti, ignoſce mihi quoniam peccaui in te. Ille autem nihil ei reſpondit, excæcatum enim fuerat cor eius à malo Dæmone. Sanctus vero Nicephorus eum rurſus præuenit per aliam viam. & ei occurrit priusq̄ ipſe egrederetur è ciuitate. & rogaui eū, dicens. Martyr Chriſti, condona mihi ea quæ in te peccaui vt homo. Ecce enim de cætero data eſt tibi corona à Chriſto quē non negaſti, ſed confeſſus es nomen eius ſanctum coram multis teſtibus. Ille autem durus & implacabilis, odio cor habens occæcatum, neq; ei dedit veniam. neq; ei verbum voluit reſpondere, adeò vt ipſi lictores dicerent ſancto Nicephoro. Tam ſtultum hominē nunq̄ vidimus. Vadit ad ſupplicium capitis: & q̄uo petis veniam ab eo qui iam eſt moriturus. Dicit eis ſanctus Nicephorus. Neſcitis quid petam à confeſſore Chriſti: Deus autem ſcit. Et cum veniſſet ad locum in quo erat interimēdus Sapricius, rurſus ei dixit Nicephorus. Rogo te Martyr Chriſti, ignoſce mihi ſi quid peccaui. vt homo. Scriptum eſt enim Petite & dabitur vobis. Sed eo hęc dicente & q̄ ſunt his ſimilia, non audiuit ſæuus & durus amicus: nec flexus eſt ſodalis aſperrimus. nec fuit mollitus notus inflexibilis. Non enim audiuit illud. Diliges Dominum Deum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut teipſum. ſed clauſit aures cordis ſui & corporis, vt aſpis ſurda & clauda. Si quis non exaudiuit vocem incantātium. Propterea qui perſonam non reſpicit & verax eſt Dominus, qui dixit. Si non remiſeritis hominibus delicta eorum, neq; pater noſter cœleſtis remittet vobis delicta veſtra. &. In qua menſura metiēris fratri tuo, in ea remetietur tibi Dominus, cum vidiſſet eum nulla tāgi proximi miſericordia, iure eum priuauit regno ſuo cœleſti. imo verò ille ſeipſum alienauit à gratia cœleſti & ab æternis Dei bonis, propter iniuriæ à fratre acceptæ recordationem. & maximè ꝙ in germanum & veterem amicum fuiſſet animo crudeli immani & irreconciliabili. Tunc dicūt lictores Sapricio. Flecte genua tua, vt caput tibi amputetur. Dicit autem eis Sapricius. Quare? Dicunt ei lictores. Quoniam noluiſti Diis ſacrificare, ſed cōtempſiſti edictum Imperatoris propter hominem qui dicitur Chriſtus. Hæc cum audiiſſet miſer Sapricius, reſpondit lictoribus, hanc miſeram & triſtem vocem dicens. Nolite

me

me ferire. Facio enim quæ iusserunt Imperatores, & Diis sacrifico. Sic eũ excæcauit odium, & ab eo abduxit Dei gratiam. Qui enim per eiusmodi tormenta nõ negauit Dominum nostrum Iesum Christum, cum venisset ad finem mortis, & esset accepturus præmium & coronã gloriæ & spei, negauit vitam æternam, & fuit apostata.

Hæc cum audisset sanctus Nicephorus, rogauit Sapricium cũ lachrymis, dicens. Noli ô frater, noli transgredi & negare Dominum nostrum Iesum Christum. Noli omnino, rogo te, ab eo deficere, & perdere cœlestẽ coronam, quam per multa acquisisti tormenta & afflictiones. Ille autẽ noluit eum omnino audire sed contendit abire ad interitum & tenebras vltimæ mortis, & ad ignẽ qui non potest extingui. Qui tanti pretij gloriam in momento vnius horæ ictus gladij perdidit, re vera fuit miser excæcatus ab odio. Non enim audiuit Dominum nostrum Iesum Christum dicentem in sancto Euangelio. Si afferas munus tuum ad altare, & recorderis q̃ frater tuus habet aliquid aduersus te, dimitte munus tuũ ante altare: & vade primum & reconciliare fratri tuo. & tunc veniens offer munus tuum. Et rursus Petro principi Apostolorum, cũ rogasset Dominum, Quoties si peccauerit in me frater meus dimittam ei, septies? respõdit Dominus. Non dico tibi septies, sed septuagies septies. Ille autem miser ne semel quidem voluit condonare fratri suo, & maxime petenti veniã & roganti. Et Dominus quidem noster & Deus iusit ex animo condonare vnicuiq;, & dimisso munere quod Deo est offerendum, currere ad reconciliationem. Ille vero ne summis quidem labris condonauit ei quem pœnitebat: nec in animum induxit vt ei roganti remitteret: sed clausit viscera sua à fratre suo, propterea clausæ sunt ei fores regni cœlorum & recessit ab eo gratia diuini & viuifici spiritus: & perdidit magnã pretiosam & gloriosam coronam martyrij. Quamobrem ô dilecti, nos quoque diligenter caueamus ab hac diabolica operatione, odij inquam, & iniuriæ acceptæ recordatione. vt nostrorũ quoq; peccatorum detur nobis remissio à Domino Iesu Christo. conuenienter ei quod dicitur. Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Fidelis est.n qui promisit.

Beatus autem Nicephorus postq̃ vidit transgressum esse Sapricium, magna voce dicit lictoribus. Ego sum Christianus & credo in nomẽ Domini nostri Iesu Christi quem iste negauit. Me ergo iam pro ipso ferite. Lictores vero non ausi sunt eum ferire absq; iussu Præsidis. mirati sunt autem omnes q̃ se ita ad mortem tradiderit. Libere enim dicebat, Sum Christianus & Diis vestris non sacrifico. Vnus autem ex lictoribus currens renunciauit Præsidi, dicens. Sapricius quidem pollicetur se Diis sacrificaturum. est vero illic quidam alius qui vult mori propter eum qui dicitur Christus, clamans & dicens libere. Christianus sum, & Diis vestris non sacrifico: nec obedio edictis Imperatorum. Postq̃ hæc autem audiit Præses, in eum tulit sententiam, dicens. Si non sacrificat Diis immortalibus prout iusserunt Imperatores, iubeo eum mori gladio. Sapriciũ vero finite abire. Tunc accipientes sanctum Nicephorum, cum capite truncarunt, vt Præses iusserat, nono mensis Februarij & sic cõsummatus fuit in Christo sanctus Martyr Christi. Nicephorus: & 1 ascendit in cœlos coronatus, per fidem in Christum, charitatemq; & humilitatem. Quoniam enim propensus fuit ad charitatem & humilitatem, ideo fuit redimitus

1 *Nota, Et ascendit in cœlum coronatus per fidem in Christũ charitatemq; & humilitatem.*

corona martyrij & dignatus est referri in numerum Martyrum. Ad laudem & gloriam magni Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI *& gloriosi Martyris Blasij Episcopi Sebasteæ & sociorum.*

Februa. 11.

QVO tempore vigebat cultus simulachrorũ, & multi homines adorabant figmẽta & res creatas, tunc etiam florebat fides omnium sanctorum. cum quibus fides quoque sancti & gloriosi Martyris Blasii. Hic ergo sanctus & venerandus vir Blasius. cum toto tempore vitam egisset mitem & mansuetam, sicut scriptum est in Iob, erat innocẽs. inculpatus. verus. pius & religiosus. abstinẽs ab omni opere malo. Quamobrem propter puram vitam & quæ nulli affinis erat reprehensioni, qui in ciuitate Sebastea Cappadociæ erant fideles, eum crearunt Epm. Is autem profectus in montem qui dicitur Argeus, habitabat in spelunca. fereq; ad eum conueniebant, & ab eo benedicebantur. & si contigisset vnum ex eis incidere in eius meditationẽ, tanq; ratione præditæ expectabant ad speluncam. & nisi imposuisset eis manus eas benedicens, à sancto minime recedebant.

In illis autem diebus iussit Præses Agricolaus capi omne genus animalium, vt sancti qui tũc erant Martyres ab eis consumerentur & cum eis depugnarent. In montes vero egressi venatores, venerũt etiã in mõtem qui dicitur Argeus, in quo latebat sanctus & verẽdus vir Blasius. Cum autem appropinquassent spelũcę, & vidissent in eius ingressu multitudinem agrestium animalium quæ adstabant & exiliebãt, dixerunt inter se. Quid hoc sibi vult? & cum venissent propius, inuenerũt intra speluncam sanctum Blasium, sedentem tanq; in quodam thalamo, & diuidẽtem vnicuiq; id quod erat ei opus, per benedictionem atq; curationes, & Deo fundentem preces. Qui statim reuersi renunciarunt Pręsidi Agricolao quę viderant. Pręses vero iussit plures milites cum eis proficisci. vt quoscũq; illic inuenissent latentes Christianos, ad eum adducerẽt. Euntes autem in montem qui missi fuerant milites, & ingressi speluncam, inuenerũt solum sanctum orantem & laudantem Dñm. & dixerunt ei. Egredere vocat te Præses. Cum eos vero vidisset sanctus Blasius, valde lętatus est & dixit. Adeste. eamus simul ò filij. mei enim recordatus est Dñs. In hac enim nocte ter mihi apparuit, dicẽs. Surge, offer mihi sacrificia pro more tui Sacerdotij. Nunc ergo filij mei, bene venistis. Dñs meus Iesus Christus sit vobiscum.

Dum autem ipsi venirent, in via conuertebantur gentiles ad Dei cognitionem per eius mansuetudinem & doctrinam. Etenim per eius preces, faciebat Dñs curationes. & cum ad eum afferentur ægroti, eis imponens manus dimittebat sanos. Non solum autem curabat homines, sed etiam iumenta & bestias. Cum itaq; contigisset aliquẽ os deuorare, vel aliquid eiusmodi, repente ad eum afferebant patientem. & per sanctas suas preces

eum statim reddebat sanum. Contigit itaq; vt filius cuiusdam mulieris quæ eum habebat vnicum, partem piscis comedens, os repente deuoraret, & mutus maneret. Cum ergo mater pueri de sancto audiuisset, eum allatum proiecit ad eius pedes semimortuum, cum fletu clamans & dicens sancto. Miserere mei filij serue seruatoris nostri Iesu Christi. est enim mihi vnigena. narrauitq; sancto quid filio suo repēte accidisset. Sanctus autem Dei & magnus sacerdos Blasius, manu imposita 1 gutturi pueri, sic orauit, extendens in cœlum oculos & Deo dicens. Qui iis qui te inuocabant in veritate, præsto fuisti adiutor ò Seruator, audi meas preces. & spinam infixam huic puero, tua quæ sub aspectum non cadit virtute ei exime, eum curans. & de cætero, seu in hominibus, seu in pueris, seu in bestiis tale quid contigerit, illic autem recordatus fuerit aliquis mei nominis, dicens. Deus intercessione serui tui Blasii, accelera tuum auxilium, fac cito in eo curationem ad gloriam & honorem sancti tui nominis. & cum ipse hęc dixisset, puerū statim sanū restituit sicut prius, & eum reddidit matri suæ, ore nunquam silente Deum laudantem atque glorificantem. Hominum autem sermone celebrabatur Dei Martyr & Episcopus Blasius, non solum Sebasteæ, sed etiam Nicopoli. erat enim eruditus etiam in scientia medendi.

1 *Sāctus imposita pueri gutturi manu, & facta oratione extensis in cœlum oculis, illum sanauit.*

In itinere vero ingrediente sancto, contigit vt cuiusdam pauperculæ mulieris quæ vnū habebat porcū & nihil aliud, porcus à lupo raperetur. Mulier autem quæ erat fidelis, accessit ad sanctum Martyrem contra feram. Sanctus vero Christi Sacerdos & Martyr Blasius subridens, dixit ei. Ne sis tristis ò mulier, nec lachrymeris. Tibi n. redditur porcus viuus & illæsus. Sanctus autem cœpit iter ingredi. eo vero ingrediente, lupus qui porcum illæsum conseruauerat, eum reddidit viduæ, Ingresso autē sancto in metropolim Sebasteam, iussit Pręses Agricolaus eum conici in custodiam. Die vero sequenti sedens Præses in tribunali, iussit adduci sanctum Blasium. Cum is autem adstitisset, videns eum Pręses, cœpit primum cū eo agere blanditiis. et prius eū salutat, dicens. Salue charissime Blasi, Deorum amice & noster. Sāctus autē Blasius dicit ei. Salue tu quoq; Pręses optime. Ne eos vero dicas Deos sed Dæmonia. quæ quidem tradentur igni æterno cum iis qui ea colunt. His Præses ira percitus, iussit eum agrestibus baculis verberari. Multis autem horis verberatus Martyr Christi Blasius, dicit Pręsidi. ò nullo sensu prædite & deceptor animarum, putas me per tua tormenta abducere à Dei mei confessione? Sed non potes. Habeo. n. Iesum Christū qui me corroborat. De cætero fac q; volueris.

Cum autem non potuisset impius Præses eum à fide abducere, iussit eum rursus duci in carcerem. Cum vero accepisset pia anus & vidua sancti Martyris Blasii tolerantiam, & eius fidei constantiam, cum occidisset porcum quē à fera acceperat iussu sancti Martyris, & coxisset caput & pedes, & in canistrum iecisset ex semenibus terrę, & aliquibus aliis ex sua paupertate cum fructibus: cereosq; accendisset attulit ad sanctum Martyrem in custodiam, & procidit ad eius pedes, rogans vt ex eis sumeret. Cum gratias autem egisset sanctus, & ex eis sumpsisset, ei benedixit. & ei mandauit dicens. Mulier in hoc habitu perage mei commemorationem. & in domo tua non deficiet omne bonū à Deo meo. Sed & si quis te hoc modo imitans mei peregerit commemorationē, habebit à Deo meo per-

petuum donum & benedictionem omnibus diebus vitæ suæ. Et venerāda quidem illa & beata anus, accepto mādato à sancto Martyre Blasio, Deum laudans abiit læta in domū suam. & impleta fuit in hac beata vidua, scriptura quæ dicit. Dicetur vbiq; quod fecit ipsa ad eius memoriā.

Tyrannus autem cū secundo progressus sedisset in tribunali, iussit adduci Dei Martyrē. Quo adducto dicit ei Præses. Blasi Diis ne sacrificas, an vis male perire? Dixit sanctus Blasius. Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant. Quam tu autem mihi minaris mortem, ea mihi vitam æternam conciliabit Præses vero cum vidisset eius fidem immutabilem, iussit eū in ligno suspensum cædi vehementer. Cum diu autem cæderetur martyr Dei Blasius, dicit Duci. ò impie & inique, putas ne me terrere plagis? Habeo Iesum Christum qui me corroborat. & non timeo tua quæ videntur tormenta, aspiciēs ad bona quę expectantur, quæ sunt promissa iis qui ipsum quærunt. Tūc iussit Præses eum de ligno deponi. Cū fuisset autem depositus, iussit eum rursus coniici in custodiam. Cum vero abduceretur in custodiam sanctus Martyr Blasius, ecce septem mulieres piæ & timentes Deum, eum sequebantur, excipientes sanguinem qui ex ipso distillabat. & seipsas vngentes. Quas cum vidissent lictores & apprehēdissent, duxerunt ad Præsidem, ei dicentes. Hæ quoque sunt Christianæ. Cum eas autem Præses vidisset, dicit eis. Persuadeamini, & Diis sacrificate. vt magnos honores à me consequamini. Venerandæ vero & sanctæ mulieres illæ respōdentes, dixerunt ei. Si vis ò Præses, vt Diis tuis sacrificemus, eamus prope lacum. & tu quidem immitte Deos tuos in saccū, & eos plumbo obsigna. Nos autem cum abluerimus vultus nostros in lacu, accedemus & eis sacrificabimus. His lætatus Præses, ad eas adduxit Deos suos. Illæ autem cum eos accepissent, deiecerunt & demerserunt in profundo lacus.

Cum hæc vidisset Præses & furore fuisset percitus, valde rugiens sicut leo & plaudens manibus, fuit admodum iratus militibus, & dixit eis. ò pessimi ministri, cur non Deos retinuistis, ne in profundum lacus iniicerētur? Respondentes autem milites dixerunt Præsidi. ò optime Pręses, dolum tibi locutæ sunt hæ mulieres, & Deos tuos demerserunt. Nos vero hoc nescientes, eos non tenuimus. Dixerunt autem illæ sanctæ & venerādæ mulieres. Deus verus dolum non patitur, sed surda ligna & lapides, & aurum & argentum, & omnes qui confidunt in eis. Tunc furore percitus Pręses, iussit fornacem accendi vehementissimam, & dissolui plumbum: & ferreos afferri pectines: & septem æneas laminas candefieri: splēdidum autem linteum extendi in alio loco. dixitq; sanctis mulieribus. Eligite vnum ex duobus. aut adorare & Diis sacrificare, & conseruare animas vestras ambulantes in linteo. aut si nolitis, experiri tormenta quę sunt vobis parata. Vna vero ex iis habens duos pueros, rapuit linteum & iniecit in fornacem, & id combussit. Pueri autem dicebant matri suæ. Veneranda mater nostra, ne sinas nos in hac terra interire. sed qūo nos impleuisti pulchro & sincero & suauissimo tuo lacte, nos quoque imple regno cœlorum.

Præses autem iussit eas suspendi, & earum carnes lacerari pectinibus ferreis. Videbant vero milites ex earū carnibus manare lac pro sanguine. Quinetiam earum carnes cernebantur vt nix candidæ. Angeli enim Dn̄i qui

qui descenderant, cum eas curassent, dicebant eis. Ne timeatis Bonus enim operarius cum æstate inceperit & perfecerit, & à Dño operis fuerit benedictus & mercedem eius acceperit, lætus vadit in domum suam. Sic ergo vos quoque decertate, vt à Seruatore nostro Iesu Christo æternã & quę nunquam desinit vitam accipiatis. Tunc Præses iussit eas depositas iaci in caminum. Cum autem iactæ fuissent, protinus cessauit ignis. & eiectæ sunt ex fornace illæsæ conseruatæ sanctæ mulieres. Dicit vero eis Præses. Abiectis vestris præstigiis, accedite & Diis meis sacrificatæ. Sanctæ autẽ septem mulieres, tanquam vno ore dixerunt ei. Ne tibi bene sit ô fili Diaboli, vt nos relinquamus Dñm nostrum Iesum Christũ & adoremus lapides & ligna, quæ sunt similiter atque tu surda & nullo sensu prædita. De cætero fac in nos quod velis. Nam nos quoque vocatæ sumus in regnum cœlorum. Tunc ira percitus Præses tulit in eas sententiam. & accipientes eas lictores, duxerunt eas ad locum eis propositum.

Sanctæ autem septem mulieres cum venissent ad locum in quo erant consumandæ, rogarunt lictores, dicentes. Concedite nobis vt parumper precemur. & flexi 2 in terram genibus sic dixerunt. Gloria tibi magno & glorificato nostro Deo. Gloria tibi Christe qui regnas in secula, qui nos vocasti in viam bonitatis tuæ. Quis est enim magnus sicut tu Deus noster, qui nos fecisti recedere à tenebris, & vocasti nos ad veram lucem & suauissimam. Quamobrem rogamus te Dñe, nos connumera cum prima Martyre tua Thecla, accipiẽs intercessionem sanctissimi patris nostri & Pastoris Blasii qui deduxit nos ad hanc veritatem & fruitionem vitæ æternæ. Hæc cum sanctæ fuissent præcatæ mulieres & è solo surrexissent, & manus 3 suas extendissent, & oculis in cœlum suspexissent in mũdo corde & vno animo Deo dixerunt. Gloria tibi Dñe Deus noster, qui nos dignatus es sistere ad hanc tuam aram, tanquam agnas immaculatas & ratione præditas, nostras quoque animas suscipe in cœlesti tua ara, vt bonus & benignus. Pueri autem accedentes ad matrem, dixerunt ei. Mater, coronæ vobis sunt paratæ apud Deum cœlestem. Nos ergo & commenda sanctissimo & forti Athletæ, Episcopo nostro & Pastori Blasio. Tunc Speculator abscidit capita septem sanctarum mulierum. & occulte fuerunt consummate.

2 *Flexis in terram genibus orant sanctæ.*

3 *Ecce oratio cum extẽsione manuum & oculorum in cœlum.*

Post hæc autem, iubet Pręses sanctum Blasium educi è custodia. Quo ducto dicit ei. Diis me modo sacrificas an non? Dicit ei sanctus Blasius, Miser, cum sis cæcus, non vides veram lucem. Quis, n. homo qui Deũ viuũ vnquam cognouit, mortuis simulachris sacrificat aut ea adorat? Tu ergo tenebris inuolute & inique, scias te Deum viuum dimisisse & adorare lapides nullo sensu præditos. Sed ego non timebo minas tuas. Vt vis ergo me torque, trado tibi carnes meas. Deus autem habet animæ potestatem. Præses dicit sancto. Si te proiecero in lacum, quid tibi proderit quem dicis Chistus, quem etiam adoras? Dixit sanctus Blasius. Cæce & nullo sensu prædite, adulterina adoras, & putas te esse saluum. Ego autem Christum viuum colens, non ostendam tibi in aqua Dei mei virtutes? Tunc iussit Præses eum iaci in lacum. Sanctus vero præueniens obsignauit aquam. quę stetit perinde ac si fuisset pons. Sedensque in medio lacus, dixit Lictoribus. Si habetis Deos ostẽdite eorum virtutes. & vos quoque ingredimini. Statimque ingressi sexaginta & octo viri, submersi sunt in profundo aquę.

Tunc Angelus Domini descendens ad sanctum, dicit ei. Gratia plena & præclara anima, Dei Pontifex, egredere ex aqua, & accipe à Deo tibi paratam æternam coronam.

Sanctus autem Blasius cum ex aqua surrexisset, tanquam super terrã ambulans est egressus. & resplenduit facies eius sicut lux. adeò vt mirarētur qui eum videbant. Præses vero dixit ei. Adeò ne ò miser statuisti Diis nõ sacrificare? Dixit sanctus Blasius. Scias Tyranne sanguiuore me esse seruum Christi. & nunquam Dęmonibus esse sacrificaturum. Tunc ira percitus Præses tulit in eum sententiã, dicens. Blasius qui mihi non paruit, & Imperatorem contempsit, & Deos probris affecit, & sexaginta octo viros perdidit, gladio trũcetur capite simul cum duobus pueris. Accepta autem sententia cum venisset ad locum, stans sanctus precatus est Dñm, dicens. Dñe Deus virtutum qui me liberasti à simulachris. Qui tenebras fecisti lucem & errorem veritatem. Qui sedes super Cherubim & aperis cataractas cœlorum. Qui extendis arcum tuum in manu tua. Qui Diabolum humilem & abiectũ reddidisti & Draconem confixisti, audi me seruum tuum. & quicunque ad hanc aram tuam accesserit, & quãcunque spinam aut os deuorauerit, aut variis fuerit vexatus morbis, aut in afflictione fuerit aut in necessitate persecutionis, imple vniuscuiusque cordis petitionē Dñe, vt bonus & clemēs. Qm̄ es semper glorificaturus nunc & in secula. Cum hæc autem esset precatus, Christus descendit de cœlo tanquam nubes: & eum obumbrauit. & dicit ei Seruator. Omnes petitiones eorum implebo propter te, Athleta mi dilecte. Non hæc autem solum, sed etiam faciam vt precatus es viduæ. & benedicam omnem domum quæ tui celebrat memoriam. & penaria eorum replebo omnibus bonis propter pulchram tuã confessionem & fidem quam in me habes. Hæc cum Dñs locutus esset Martyri, cum eum antea eduxisset Spiculator è prætorio cum duobus infantibus, capita eis amputauit in Sebastea ciuitate, intra mœnia supra petrã, vndecimo mensis Februarij. Fideles autem & pij viri deposuerunt eum in ipso loco. Vbi etiam vsque in hodiernum diem multę curationes peraguntur ad Dei gloriam.

Cum vero accepisset veneranda & pia anus consummationem beati Martyris Blasii, celebrauit eius memoriam eo ritu quo celebrauit in custodia. & non solum cognatis misit ex seminibus terræ benedictiones & ex reliquis, sed etiam omnibus amicis. Qui vicissim imitantes, rursus in eodem tempore remiserunt non solum fideli viduæ, sed etiam omnibus suis amicis & cognatis. Vnde etiam traditum est hoc pulchrum & bonum exemplum vsque in hodiernum diem, omnibus qui fideliter peragunt venerandam memoriam sancti Martyris Blasii, cum lampadibus & hymnis & magno epulo. Ad gloriam omnipotentis & Dñi nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia simul cum sancto & viuifico spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum.

Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI *Ioannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani, Encomium sancti Meletij Archiepiscopi Antiocheni, & de studio eorum qui conuenerant.*

PER Venerandum & sacrum hunc gregẽ oculos vbiq; circunferens: & vniuersam ciuitatem aspiciens hic præsentem, nescio quẽ prius beatũ pronuntiem. Sanctum'ne Meletium, qꝑ vel post mortem tanto honore fruitur. an vestram charitatem, qꝑ tantam in vestros Pastores beneuolentiã etiam post decessum ostenditis. Beatus enim ille, qꝑ tantũ amorem vobis omnibus potuerit immittere. Beati vos quoque, qꝑ cum charitatis depositum acceperitis, eam ei qui deposuit, integram hucusq; perpetuo conseruaueritis. Quintus enim annus iam præteriit, ex quo ille migrauit ad Iesum quem desiderabat. & perinde acsi heri & nudius tertius eum vidissetis, tam feruenti amore ad eum hodie accessistis. Propterea beatus ille est hodie iudicandus, qꝑ tales genuerit filios. Beati autem estis vos quoq; iudicandi, qꝑ vobis obtigerit vt talem patrem haberetis. Egregia est radix & admirabilis: sed fructus quoque sunt indigni hac radice. Etenim q̃uo radix quæpiam admirabilis quæ latet in sinu terræ, ipsa quidem non apparet: per fructus autem ostẽdit vires suæ virtutis: Ita etiam beatus Meletius in hac capsa conditus, ipse quidem non cernitur à nobis oculis corporis: per vos vero qui estis fructus, ostendit vires suæ gratiæ. Et nos quidem sileamus. sufficit enim dies festus & feruor vestri studij, ad tuba clarius proclamandum sancti Meletij in vos amorem tanq̃ in filios. Sic enim vestras mentes acccendit ad sui amorem. vt vel ad solum nomen incalescatis, & excitemini ad ipsam appellationem. Februa. 14.

Propterea ego quoque nunc non temere, sed studio & dedita opera, id in meis verbis annecto assidue. & perinde ac quispiam qui coronã texit auream, margaritas deinde inserens, gemmarum frequentia præclarius efficit diadema: ita ego quoq; beato eius capiti coronam texens encomiorum, veluti margaritarum quarundam frequentiam, orationi adtexo cõtinuationem eius appellationis. sperans fore vt sic eam iucundiorem reddam & splendidiorem. Solent enim amantes eorum quos amãt vel nuda cõplecti nomina, & incalescere ad ipsas appellationes. Quod vobis quoque in hoc beato vsuuenit. Nam cum eum à principio in ciuitatem ingressum excepissetis, vnusquisq; filium suum appellabat ab illius appellatione per appellationem existimans vnusquisq; in domum suam sanctum illum introducere. patresq́;, auos, & proauos, matres prætereuntes, beati Meletij nomen imponebant liberis quos pepererant. Naturã enim vincebat amor pietatis. & deinceps qui nascebantur, non ex naturali solum beneuolentia, sed etiam ex affectione ad illam appellationem, erant chari parentibus. Ipsum enim nomen, & ornamentum cognationis, & ædium tutelam, & inuocantibus salutem, & amoris solatium esse existimabant. & perinde acsi quidam qui sedebãt in tenebris, cum vna lampas

conspecta fuerit, multas accendentes lucernas, vnusquisque infert in domũ suam: ita etiam cum illa appellatio, tanquam lumen, incidisset in ciuitatem, vnusquisque tanquam lucernam accendens introduxit in domum suam. beati tunc illius nomen, veluti quędam thesaurum bonorum innumerabilium, per illius afferens appellationem. eratque id quod fiebat, doctrina magnæ charitatis & pietatis. Nam cum assidue cogerentur meminisse illius appellationis, illum quoque sanctum complectebantur animo. Habebant enim hoc nomen tanquam arma quędam quibus fugabatur quæuis à ratione aliena affectio & cogitatio. fuitque id adeò frequens, vt vbique in biuiis, in foro, in agris & in viis hoc nomen vndique circunsonaret.

Non ad nomen autem solum adeò fuistis affecti, sed ad ipsam etiam figuram corporis. Quod enim fecistis in nominibus, hoc etiam fecistis in illius imagine. etenim in pallis annulorum, & in simulachris, & in phialis, & in thalamorum parietibus, & vbique sacram illam multi expresserunt 1 imaginem. vt non solum audirent sanctam illam appellationem, sed etiam vbique viderent figuram corporis: & eius excessus duplicẽ haberent consolationem. Etenim cum primum fuit ingressus, fuit expulsus è ciuitate, inimicis veritatis eum expellentibus. Deus vero id concessit, simul & illius virtutem & vestram volens ostendere. Cũ enim ingressus, sicut Moses in Ægyptum, liberasset ciuitatẽ ab errore hæresis, putridisque membris & immedicabilibus à reliquo corpore amputatis, integram restituisset sanitatẽ ecclesiæ multitudini, inimici veritatis non ferentes correctionem, cum mouissent eum qui tunc imperabat, expulerunt eum ex hac ciuitate, expectantes fore vt veritati essent superiores, & euerterent correctionem eorum quæ facta fuerant. Euenit autem contrà quàm expectabant. magisque fuit euidens vester zelus: & resplenduit demõstratio illius scientiæ ad docendum accommodatæ. Illius quidem, quod triginta diebus nec iis quidem integris tantum potuit, vt postea irruẽtibus spiritibus innumerabilibus, illabefacta & inconcussa manserit illa doctrina. Feruor autem vester se aperte ostendit, quod triginta & nec iis quidem integris diebus, tam accurate suscepistis quæ deiecta fuerant ab illo semina, vt ad profundum mentis radices transmiseritis, & nulli deinceps illatæ de cætero cesseritis tentationi.

1 *Vide antiquũ usum imaginũ apud Christianos, et earum uenerationem.*

Operę pretium est autem ne illud quidem prætermittere, quod accidit in eius persecutione. Nam cum Præses ciuitatis curru vectus exiret per medium forum, & prope se fecisset sedere illum sanctũ, lapides niue crebriores vndique in caput Præsidis ferebantur, ciuitate nequaquam ferente separationem, sed potius volente priuari vita præsenti quàm videre sanctum illum auelli. Quid ergo tunc fecit ille beatus? Cum vidisset iactus lapidum, complexus suis vestibus cõtexit caput Præsidis, simul & inimicos pudore afficiens ob insignem mansuetudinẽ: & suos docens Discipulos, quantam ostendere oporteat patientiam in eos qui iniuria afficiunt. & quod non solum nihil oporteat ei mali facere, sed etiamsi ab aliis eis immineat periculum, id quoque omni studio propulsare. Quis tunc non fuit obstupefactus, videns & insanum amorem ciuitatis, & summam philosophiã, lenitatemque & mansuetudinem? Erant enim admirabilia ea quæ tunc acciderunt. Pastor abigebatur, & greges nõ dispergebantur. Gubernator expellebatur, & scapha nõ mergebatur. Agricola fugabatur, & vitis plus

fructus

fructus ferebat. Qm̃ enim vinculo charitatis eratis inter vos inuicem colligati, non illatæ tentationes, non impendentia pericula, non viæ longitudo, non diuturnitas temporis, neque quidq; aliud potuit vos disiungere à beati pastoris Meletij consuetudine. Sed expellebatur quidem, vt esset procul à filiis contigit autem contrarium. magis enim vobis constringebatur vinculis charitatis. & cum secum vniuersam accepisset ciuitatem, iuit in Armeniam.

Et erat quidem corpus positum in patria: mens vero & cogitatio, veluti à quibusdam pennis, in altum elata à gratia spiritus, & apud vos perpetuo degens, vniuersum hunc populum circunferebat in suis visceribus. Quod ipsum quoque vobis vsu veniebat. Nam cum hic sederetis & vrbe cicunscriberemini, spiritu charitatis in Armeniam quotidie euolantes, & sanctum vultum intuentes, & beatam vocem audientes sic reuertebamini. Et propter hanc causam, concessit Deus eum statim expelli è ciuitate. vt sicut dixi, ostenderet Deus vestram fidei firmitatē, inimicis qui vos bello oppugnabant: & illius in docendo peritiam. Illud autem hinc est apertum. Nam post primam reuersus persecutionem, nō triginta solum dies, sed etiam menses, & annum vnum & duos & plures hic est versatus. Nam cum satis magnum dedissetis argumentum vestræ circa fidem firmitatis, dedit vobis potestatem iucunde & secure fruendi patre. erat enim maxima voluptas frui illo sancto vultu. Non enim solum docens nec loquens, sed etiamsi solum videretur, satis erat ad introducendam omnem virtutis doctrinam in eorum qui videbāt animam. Qn̄ enim ad vos veniebat, & vniuersa ciuitas ei obuiam processerat, alij quidē prope accedebant, & pedes prehensabant: & manum osculabantur: & vocem audiebant. alij autem prohibiti à multitudine, ipsum solum videntes tanq; qui sufficientem benedictionem ex aspectu accepissent, & non minus habuissent quam qui propè fuissent, contenti recedebant. & quod fiebat in Apostolis, hoc in eo quoque contingebat. Qn̄o enim in Apostolis, qui progredi & propius accedere non poterant, cum vmbra eorum extēderetur, & tangeret eos qui procul erant, eandem attrahebāt gratiam, & sani similiter recedebant: Ita nunc quoque qui non poterant accedere, tanq; aliquam spiritalem gloriam à sancto illo capite emissam, & ad eos qui longissime aberant peruadentem sentientes: etiam ab eo omni benedictione ex solo aspectu repleti, omnes discedebant.

Cum autem visum esset communi Deo vniuersorum, eum vocare ex vita præsenti, & eum referre in chorum z Angelorum, nec hoc quidem factum est temere. Sed ipsum quidem vocant litteræ Imperatoris, cum Deus mouisset Imperatorem. Vocant vero ipsum non in propinquum locum, sed in Thraciam. Quamobrem? Vt & Galatæ & Bithyni & Cilices & Cappadoces, & omnes qui Thraciam habitant, nostra bona cognoscerent. Vt qui erant vbiq; terrarum Epi, tanq; ad archetypum exemplar, ad illius sanctitatem intuentes, & apertum, exemplum ab illo accipientes sui in hoc munere officij, certissimam & clarissimam haberēt regulam quemadmodum oporteat administrare & regere ecclesias. Nā propter vrbis magnitudinē, & q̃ illic resideret Imperator, multi ex multis locis orbis terræ illuc confluebant. Epi autem ecclesiarum, propterea q̃ ecclesię à longo bello & tempestate respirantes, acciperent prin-

z *Nota, & eum referre in chorum Angelorum. Est enim irrefragabile argumentum, sanctorum animas post emigrationem statim recipi in cœlo.*

cipium pacis & tranquillitatis, litteris Imperatoris omnes illuc vocabãtur. Tũc ergo hic quoque sanctus illuc accedit. Qũo enim in tribus pueris accidit qñ erant publico præconio renunciandi & coronandi, extincta vi ignis, fastu Tyranni conculcato, confutato omni genere impietatis, ex vniuerso orbæ terrę erant eis congregati spectatores. Nam qui vbiq; terrarum erant Satrapæ, Consules; & legati, vocati quidem erant propter aliam causam, illos autem spectauerunt Athletas. Ita etiam tunc accidit. Propter aliam enim causam vocati Episcopi qui vbiq; terrarum administrabant ecclesias, accesserunt & sanctum illum sunt contemplati. adeo vt beato Meletio præclarum fieret theatrum.

Postquam autem eum aspexissent, & accurate eius didicissent pietatem, sapiẽtiam atq; zelum fidei, vt qui perfectam & absolutam in se haberet omnem virtutem quæ decet Sacerdotem, tunc eum ad se vocauit Dñs. Factum est vero id quoque vt leuius ferret nostra ciuitas. Nam si hic emisisset animam, futurum erat intolerabile pōdus calamitatis. Quis enim sustinuisset videre beatum illum extremum ducentem spiritum? Quis sustinuisset videre illa cilia oculorum deprimi, osq; claudi & mandata edere nouissima? Quis hæc aspiciens, non à se discessisset magnitudine calamitatis? Ne hoc ergo accideret, prouidit Deus vt in aliena regione animam emitteret. vt tempore quod intercessit hanc maximã prę meditati calamitatem, cum videremus ingredi corpus, ne animo consterneremur, cum mens iam esset assuefacta luctui. quod etiam factum est. Cum enim venerandum illud corpus excepit ciuitas, luxit quidem & valde eiulauit. sed luctum cito repressit, tam propter causam quam diximus, q̃ propter eam quæ est dicenda.

Benignus enim & clemens Deus misertus nostri doloris, alium cito nobis dedit Pastorem, qui pulchre exprimebat & conseruabat formam omnis illius virtutis. Qui cum sedem ascẽdisset, humili & lugubri veste nos statim exuit, & dolorem extinxit. beati autem Meletij magis renouabat memoriam. & dolor quidem flaccescebat. amor vero accẽdebatur vehementius. & omnino sublata fuit animi ęgritudo. Quã q̃ in amissione eorum qui sunt charissimi non ita solet euenire. Sed qñ quis filium charissimum, vel etiam reuerendum maritum amiserit mulier, quãdiu quidẽ eius feruentem conseruat memoriam, vehemẽtior luctus alitur in animo. Qñ vero succedens tempus luctum emollierit, simul cum vehementia doloris extincta est etiam quæ vigebat memoria. In hoc autem beato Meletio accidit contrarium. Nam animi quidem ægritudo fuit omnino eiecta. recordatio vero non simul abiit cum dolore. sed aucta est vehemẽtius. Testes autem estis vos, qui post tantum tempus, non secus ac apes fauum, circunuolatis corpus beati Meletij. Causa vero erat, non à natura ortus in illum amor, sed discretionis rectæ ratiocinatio. Propterea non fuit morte extincta sancti Meletij memoria. tẽpore non emarcuit: sed augetur & maius accipit incrementum, non eorum solum qui viderunt, sed etiam eorum qui non viderunt. Est enim hoc quoque admirabile, quod qui fuerunt illius vitæ tempore iuniores, ij quoque accenduntur ad idem desiderium. Atque vos quidem senes in hoc solo superatis eos qui non viderũt, ꝗ cum eo versati estis & fructum percepistis sanctæ eius consuetudinis. Qui autem non viderunt, vos superant, ꝗ cum virum non aspexerint,

ostendunt in ipsum non minus desiderium.

Oremus itaq; omnes, tam magistratus q̃ priuati, tam mulieres q̃ viri, tam senes q̃; iuuenes, tam serui q̃; liberi, hunc beatum Meletium harum precum socium accipientes (est enim ei nunc maior fiducia, & amor in vos feruentior) vt hæc nobis augeatur charitas, & nos omnes dignemur, q̃uo hic sumus prope 3 arcam, ita illic quoque posse esse probe beatum & ęternum eius tabernaculum, & consequi bona ęterna quæ sunt ei reposita. Quæ detur nobis omnibus consequi, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia simul cum sancto & viuifico spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

3 Ecce quomodo antiquus mos fuit sanctorum sepulchra in ueneratione haberi, & in eorum anniuersariis frequēti cōcursu uisitari.

NICEPHORI BEATISSIMI

Philosophi & Oratoris. Oratio funebris, seu uita encomio contexta, magni inter Dei Pontifices & admirabilis inter Patriarchas Antonij.

Eodem die.

FIERI ergo non poterat, vt eorum qui in fide prius pręclari extiterunt, non rursus tempus, etiamsi videretur consenuisse, fœtus similes afferret: & per extremum pactum, rebus ipsis & factis, præcedentium fructuū comprobaret admirabilitatem. Cùm enim fictor ab initio humanam fabricatus esset naturam, & bonorum seminum ei indidisset materiam, non siuit vt ea cum tēpore consenesceret. sed vt in dies repubesceret, & ferret fœtus germanos præcedentibus, supernæ cognationis minime adulteratam nobilitatem in se ferentes. Virtus enim non accipit dimensionem ex eo quod est tempore posterius aut prius: sed ex pura & incorrupta mente eorum qui se recte gerunt. q̃uo is qui nunc orationi laudandus est propositus, qui quotidianis accersionibus ascendit totas scalas virtutum & peruenit ad summum.

Sed oportet huic qui per totam vitam in virtute se exercuit, eis qui per totam vitam in dicendi facultate studium posuerunt, cōtexere coronam, Qui quidem sunt lingua boni & potentes: & admirari res præclare & recte ab eo gestas. me autem silentio longo os meum comprimere & linguam vinculo continere: & dum alij oratoriis officio fungerentur, me in numerum referri auditorum: & eorum quidem reuoluere memoriam, quorum inspectio & experientia, non longo abhinc tempore, poterat esse magistra vt veritati possem verum & firmum ferre testimonium: eorum vero quæ ignorantur, narratione per orationem percipere cognitionem. Non autem lingua inerudita, & ęgritudinis animi nube confusa mente, aggredi tantæ rei magnitudinem, timentem periculum quod imminet iis qui suscipiunt ea quæ sunt supra vires. Natura enim ita est comparatum vt verba res non posint assequi. Hic autem nunc vbi & longissimum tempus dimēsum est virtutem, & floridissimum pratum imitantur recte facta, cum omnia tractare nulla posint ratione, merito refugiunt. Neque enim suum ingenitum, nec rerum ignorans magnitudinem. Sperantes tamen se potius aliquid accepturos quam daturos, existimant se virtutum

magnitudine esse suam celaturos imbecillitatem neminem enim iudicare orationes, stupefactum rerum admiratione. Quamobrem sperant fore vt simul & lateant & prædicentur, dum propter horum cõnexionem habentur in admiratione. Sed quoniam mentis quæ inter omnes principatum obtinet vincit sententia, quæ post exequias censet iusta patri esse tribuenda, eius in dicendo gratiæ vniuersum permittentes, quæ, etsi necesse sit ad non assequi, omnino quod deficit adiiciet, vel potius orationi integrã præbebit correctionem, accedimus ad narrationem, veluti quoddam fundamentum patriam primo loco ponentes.

Sed patriæ & maiorum nollem facere mentionem: quoniam nec aliquid eorum quæ ad carnem pertinent, cœlesti illi & carnis propemodum experti, & qui solam nouerat patriam supernam ciuitatem, in quam ciues adsciscuntur qui sunt virtutis operatores, scimus fuisse proprium. Sed quoniam eum qui propter nos massæ nostræ assumptione factus est sicut nos, vniuersi opificem videmus & Dominum, admisisse patriam & maiores: & humilis Bethleem magnitudinem omni lingua prædicari, nec in sancto quoque Pontifice fas esse statui prætermittere, sed in eo potius iucunde immorari, reddendo quodammodo gratiam alimentorum. Sed in aliis quidem fortasse, patria & genus proposita laudem ex arte afferunt. In eo autem de quo in præsentia agimus partus potius iis ex quibus ortus est donat gloriam immortalem, inferne remittens splendorem, similiter solarium radiorum reuerberationibus. Patria ergo quæ sit vna non potest inueniri. Nam Asia quidem & Europa gloriam inter se partitur. hæc quidem propter Thraciam: illa verò propter Phrygiam, eius ortum sibi vendicantes. Cum res autem sit inter eos controuersa, apparet alia tertia patria, nempe regina vrbium, quæ etiam eum aluit vlnis suis amplectens, ex quo fere à puerilibus fasciis eum euolui contigit vt qui ei postea futurus esset 1 decus & ornamentum. Et hæc quidem vtpote caput ei facile, & prompto animo cedit, sperans fore vt fruatur gloria. Asia vero ægrefert quidem, sed non vsque ad immoderatam fertur contentionem, se reginæ autem submittens, & maiorum eius contenta gloria, à quibus sunt huic fontes generationis. quos genus ducentes ex Phrygia, propter munera imperatoria quæ obierunt in exercitu Imperatoris, habuit Regina vrbium habitatores, animo quidem fortes, fortes autem corpore, & eius qui ex ipsis erat gignendus, prius in se describentes fortitudinem contra vitia & constantiam.

1 *vides sanctos decori & ornamẽto esse patriis ex quibus orti sunt, uel in quibus sunt educati.*

A quibus ortus huius pater, ab ipsis parentibus ab ineunte ætate, tanq̃ Samuel, & habitu Dei sorti dedicatur, & re ipsa. & ad generis successionẽ lege mr̃imonij coniungitur mulieri, honestę quidẽ animo, honestę vero omnibus moribus, & corporis specie non afferente dedecus nobilitati animæ. & quæ, vt semel dicam, animi & corporis dotibus, marito qui erat in vtrisq; insignis, nulla in re erat inferior. sed erat biga insignis. biga veneranda. biga quæ beata censebatur. coniugium quod multorum oculorũ conuertebat ad admirationem. parum quidem carni, plurimum autẽ Deo viuens, & iis quę vere ad Deum ferũt, factis & rectis actionibus. pro quibus & per quæ, tanquam aliquod pręmium virtutis, dignati sunt sacrum fructum producere. Qui in materna quadam possessione quę nõ multum aberat à ciuitate, in qua habitabant, vrbanos tumultus, & rabi ei Iconomachorum

machorum quæ tunc vigebat rabiem declinantes, in lucem editus, magis pietate alebatur q̃ lacte. Cum autem iam incepisset balbutire, parentibus iucundam exhibuit admirationẽ. Balbutienti enim linguæ nihil ferè aliud præbebat loquendum, nisi quæcũq; erant mystici nostri cultus, quantum à molli & tenera pueri natura potest imprimi & è labris progredi. & hoc paulatim crescens cum augmento corporis, simul etiam crescentem habebat admirationem. & quicũq; id videbat, erat propheta futuri.

Cum ad quintũ autem annum peruenisset, litterarum figuras doctus à sancto spiritu, neq; enim venire ad laudi magistrum, puerorum irrisiones & alias pueriles ineptias declinans, in animum induxit, omnes sacras orationes, maxime quæ non mystice ac secreto prolatæ, sacrifici voce perueniunt ad aures eorum qui initiantur, ingeniose memoriter pronuntians, de cætero etiam res ipsas imitabatur ac repræsentabat. panem proponens & manu tenens thuribulũ. perinde acsi non sustineret sacra anima, quo minus etiam in imperfecta ętate operaretur res diuinas: & ante tempus perfectionis, ea quę ad perfectionem pertinent inchoaret. & sacro sancto puero pro quouis ludo erat opus & studium, parum quidem matrem comitanti; magna autem ex parte in his seorsum occupato. Postq̃ vero illa ad beatã & quæ nunq̃ senescit migrauit hæreditatem, cum patre versabatur tunc se exercens in sacris discendis psalmis. Ingenij autem felicitate, intelligentiam quidem quam pro ætate maiorem, maturiorem autem quam pro tempore ætatis dabat spectandam staturam corporis, mentem vero eius quod est bonum & honestum capaciorem q̃ quantum consentaneum esset vtrũq; admittere dimensionem temporis.

Hinc cum ad annum peruenisset duodecimum, ad res diligentius considerandas se applicans, ò mentem stabilem, ò bonum propositum, genus vitæ. discreuit & elegit. aliisq; reiectis, ad monasticam intuens, flagrabat cupiditate. Rerum enim principia à fine diiudicata, præbet tutam electionem eius quod est melius. Non enim quod proportione ætati responderet procedens habuit iudicium. sed in iuuenili corpore canam ostendebat intelligentiam. per ea quę operabatur, suam cum eo quod est bonum & honestum indicans coniunctionem. & iis ad quæ se extendebat, significabat incorruptæ mentis stabilitatem. & gloriam quidem despiciens, respuens autem quidquid non fert ad Deum, elegit eam quę fert ad ipsum. asperam quidem, sed 2 quæstuosam, & quæ sola potest bonos mercatores transmittere ad illam vere pretiosam margaritam. Sciebat enim diuino amore prius capta anima ad id solum quod desideratur omnino contendere, & omnia nihil ducere quæ nihil faciũt ad id quod quæritur. Quod enim toto animo electum est ad acquisitionem, est firmum ac stabile. Quod autem est firmiter acquisitum, promptum est ad conseruandum. Qui enim semel fuerat incitatus ad id quod est honestum, tanq̃ ab aliquo carcere à virtute parentum, perpetuo ferebatur impetu, Deũ quęrens & ad ipsũ contendẽs.

2 *Nota monachatum uiã esse quæstuosam licet asperam, quæ ad cœlum homines transmittit.*

Dehinc deducitur ad virum sanctum qui præerat sacro monasterio & erat insignis virtute. cui magnam acquirebat gloriam actio & contemplatio, quę corporis & animæ motus dispertiebant. Qui cum eum statim sibi cõiunxisset, & vt quæ esse potest in iuuene virtutem præuideret, eum traduxit ad suum habitum & amictum. tanq̃ quadã tabula ei suis propositis virtutibus. eumq; suo exemplo informans, facto potius quam ser-

mone fuit ei doctor bonarum disciplinarum. A quo exercitatus in orbe disciplinarum, attraxit dulce fluentum diuinarum scripturarum. externæ ebrietatis crapulam repellens illo institutore. & de cætero nunquam conuersus admouet manum aratro exercitationis. profundos proscindés sulcos virtutis, & ad fructus ferendos recte præparans. Et 3 noctes quidem habebant linguam, precibus & hymnis vacantem, & diuinarum rerum meditationi. dies autem manus vehementer inseruientes iis qui simul cum eo exercebantur. Aperte enim sciebat, quod alij labores, magnum quidem, Quid enim? sed non tantum lucrum prębent. Qui autem conferuntur ad proximo deseruiendum, multiplicem fructum ferētes, quod à Deo datum est vnicuique talentum multiplicēt. cuius summa est charitas quæ est fons bonorum. à quo qui sordes abstergit riuus profluens, splendidos splendide Deo sistit, id quod est ad eius imaginem, diuina imitatione per commiserationem describens indelebile. Optime enim apud se & sapientissime diuidens, hanc charitatem per totam vitam adhibuit sociam. per quam anima à sensilibus euolans, reuertitur ad primam dignitatem.

3 Ecce uigilias, preces & hymnos.

Hanc firmam posuit basim. Super eam, domus virtutis stabile & firmum iecit fundamentum. Per eam neque vanæ gloriæ admisit vestigium. Sui enim ipsius amorem solet hoc vitium consequi. Nam quod tenetur sui ipsius amore, omnino etiam tenetur gloriæ cupiditate. Sui autem amore non tenetur qui fratres diligit. Est ergo vitio superius quod seruit per charitatem. & in seruitutem redigit feras quæ intus sunt bestias, animi inquam perturbationum furiosos impetus, Neque vlli iræ dedit aditum vt qui tanquam freno aliquo eam repelleret, & pulchre veheretur & ferretur ad virtutem. Neque omnino aliquid indulsit cupiditati, à proximi & rei creatæ charitate traducens ad effectorem, quod quidem est vltimum expetendorum & primum desiderandorum. Per hanc, minime adulteratam conseruabat liberalitatem, ab ineunte ætate repellens cōtrariam eius affectionem. & cum ab ea conciliatam secum habitantem acquisiisset commiserationem, Dei omnino factus est. Sic ergo se recte gerens ab ineunte ætate, erat in ore omnium, & conuertebat ad se omnium oculos.

Iam autem in genis florente lanugine & coronante vultum plenum gratia, quæ in agendo versatur philosophiæ pratum in eo simul pulchre florebat. & in corde disponens ascensiones, perfectiore consilio perfectiora aggrediebatur opera. Consultabat vero, non diuina musa, non Demosthenis vtens vehementia: sed diuina quadam prudentia & hominem superabat: vbique inueniebat magnam possessionem, rem, inquam, diuinam nempe quæ Deos facit charitatem. vel potius quam habebat proferens, ad scopum ferebatur, negotiali Hermogenis arte nihil indigens. Per hanc ei aderat morum lenitas & moderatio, grauitas. mansuetudo. simplicitas. suauitas. serpentis prudentia contemperata columbæ sinceritate. Hinc etiam fiebat vt sciret mensuram sermonis & silentij, & motum manus. & gressum pedis. & gustus canum. & terminum visus. & amussim odoratus. & cautionem auditus. vt in pura & secundum naturam specula maneret anima. & non mors, nempe is qui suo vtitur arbitrio, per fenestras ad ipsam latenter ascenderet vt est in prouerbio. Et de cætero vnum erat ei studium, vt 4 carnem efficeret seruire spiritui: & venari feras cogitationum; & antra repurgare, inuestigantibus mentis

4 Vnum erat ei studium, ut carnem efficeret seruire spiritui.

motionibus, sobriis & vigilantibus veluti canibus, mentis celeribus ad meliora motionibus.

Quamobrem nihil magnum existimabat eorum quæ annuunt ad interitum, & quibus innatum est vt tempore diffluant. non gloriam. non diuitias. non ipsam quæ est in dicendo sapientiam. sed vnicas habebat diuitias, nempe virtutem & veram cognitionem. quam reipsa conciliare solũ scit philosophia. Sciebat enim q etiamsi philosophia sit eorum quæ sunt cognitio, actio tamen est ascensus veræ contemplationis. Ex contemplatione autem. eorum quæ sunt exquisita cõsideratio. Actione ergo videtur veram acquirere philosophiam. Talis erat quidem nouus Ioseph, regula temperantiæ. qui aduersus vitia & Dęmones clara erexit trophęa. & fuit quidem ipse præclarus, multos autem præclariores reddidit suo exemplo. Quid mihi Socraticę ad hæc admonitiones: aut leges Platonicę: aut vniuersa virtus gentilium quę ficta specie exercetur? Quis Solon legum decretis, vt hic monitis actiuæ philosophiæ quæ reipsa & factis loquuntur, deduxit homines ad meliora studia? Quis Epimenides in rebus diuinis adeò sapiens, vitæ diuinæ multis fuit occasio? Per quem fuerunt quidem morte affecta vitia: purgata autem fuit anima & corpus: resplenduitq; vita quieta & remota à negotiis. In quo & iræ fabricabatur camus. & frenum linguæ: & partium animæ exercebatur concentus. Ex quibus, & per quæ, pulchre afficiebatur vnum genus quod antiquæ pulchritudinis diuinos emittebat splendores.

Cum autem procedente tempore ad virilem peruenisset ętatem, & virilius actiuam exerceret philosophiam, Lætus eius Pręceptor propter incorpoream vitam in viri corpore, & tanq; propria glorians, eum ducit ad illum qui tunc tenebat clauum Pontificalem ciuitatis regię, vt initiaretur chrismate presbyterij. Qui non solum per gradus 5 intermedios eum deduxit ad indumentum Sacerdotij, sed illius testimonio eum etiam ordinauit vt pręesset monasterio. & de cętero nouo Mosi traditur populi rectio, vt qui parua philosopha collegerit multam pulchre pascendi peritiam. Virtutis enim statuebat esse perfectionem, non solum in eo esse sitam vt ipse se recte gereret: sed vt etiam ex quadam redundantia esset omnibus regula. Non sunt enim tam sonoræ tubæ eo tempore quo stat instructa acies, ad milites ad pugnam excitandos, vt virtutis sudores, eos qui sunt subiecti excitant ad acie decernendum aduersus inimicos qui percipiũtur intelligentia. & qũo Dux exercitus aduersus hostes omnem mouet aciem, qñ ipse pugnam inceperit, factis suos excitans ad virtutem: Ita etiam qui sunt exercitus duces aduersus vitia, cum fuerint redimiti præclaris coronis victoriæ, efficiuntur omnibus efficax admonitio.

5 *Vides in ordine Eccle. diuersos esse gradus, ad quos ordinate ascendẽdum est?*

Hinc erat ei perpetua 6 propemodum inedia, & vigilia, & quæ nũq; intermittebatur precatio. ex quibus & per quæ erat corporis maceratio, & in carne vita carnis expers, & tranquillitas cogitationum. Hũc eorum quæ oportebat erat sincera disceptatio & iudiciũ: & omnium simul voluptarum contẽptio et hyemis ac ęstatis tempore corpus suum vna amicire 7 tunica: humiq; cubatio. & mensa nullo apparatu instructa, vt quę pane & oleribus exciperet exercitatorem. nõ vt multis ad aliquot annos, sed à teneris vnguiculis, à prima ineunte ætate perducta vsq; ad vltimã & senilem. Hinc erat austeritas temperata suauitate & lenitate asperitas.

6 *Ecce uiri sancti piissima exercitia.*

7 *Vide tenuem uestitum, humicubationem, & pauperem mensam pane tantum & oleribus excipientem.*

vt neque reprehensio esset inutilis propter austeritatem. neque disciplinæ non pateret aditus propter asperitatem. adeò vt esset quidam per omnia bonorũ concentus admirabilis. Licebatq́; videre, illic enim mea versatur cogitatio, tempore diuini mysterij stantem sacrificum ante ordinem monasticum, non secus atque Samuelem illum scribit oratio. totumq́; Deo affixum & tribunali, & cum Deo versantem immaculatis mentis applicationibus: & diuinis contemplationibus effectum totum diuinum: & pulchra mutatum alteratione. Mihi vero videntur diuinæ quoque virtutes eum circunsistere & ei ministrare. ò diuinum sacrificium. O' perfectum efficiens mysterium ò vita quæ ab eo degebatur qui in corpore erat tanquam incorporeus.

Hæc videns eius pater secundum carnem, desiderauit mutare vitæ habitum, & indumentum induere 8 monasticum. Nam quod ad virtutis rationem attinet, ei ferrè nihil deerat. vt cuius à meliori institutione tota vita penderet. Idq́; non per aliam manum: sed per illam sacram manum, cuius ipse fuerat Agricola, hanc quoque gratiam cupiebat accipere. Pro omnibus alimentis postulabat vt filij manu initiaretur, & suam viuendi formam mutaret. Regenerat ergo eum qui genuerat. & ei qui ortus corporis fontem præbuerat, animæ filius puram efficit regenerationem. & cum aliquot annos fortiter iugum traxisset monasticum, plenum dierum, plenum virtutum, plenum gratiarum, tanq́; maturum aliquem fructum, in cœlestia horrea cum aduenisset tempus, cum bona spe transmittit, laborum dignas coronas accepturum. Atque sic quidem admirabiliter res eius se habebant. Neque enim fieri potest vt omnia describat oratio.

8 *Qui monachus etiã olim fiebat, indueba tur monasticum uestimentum, & cum uita habitum quoq; mutabat.*

Oblatum autem tempus tanq́; lucrum accipiens, misericordis animi, quod iam diu antè conceperat, fontes aperuit. & riuos immisit misericordię, soluentes squallorem pauperum. expromens quidem, si quid redundabat, ad illorum vsum. expromens autem multa quoq; ex necessariis. Nõ enim in iis quæ redundant impertiendis, sed in iis etiam quæ desunt, ille veram statuebat misericordiam. & communis simul proposita erat vtilitas diuitibus & pauperibus. his quidem soluens inopiam: illos autẽ eripiens ab inuidia quæ est reposita iis qui nulla mouentur misericordia. cõmunis benefactor. communis curator magistratibus & priuatis. omnium mentes suo exemplo trãsformans & componens ad meliora. parum quidem verbis, factis vero plurimum prouocans ad virtutem. Vnde etiam erat reuerẽdus magistratibus. reuerendus iis qui erant in dignitatibus, atq; ipsis adeò Imperatoribus. recteq́; ei procedebat vniuersum opus administrationis, nemine repugnante. Ex his autem nõ erat incredibile, q́ Deus ad communem vtilitatem multa quoque per ipsum fecit admirabilia. etiamsi quantum per virtutem erat potens facere miracula, tantum vt ea celaret & tegeret, nonnunq́; cum fecisset, ænigmatibus & vmbris assequeretur. Sed quod ad multorum venit cognitionem, & factum esse creditur, persequi tentabit oratio.

Nolebat vna ciuitate, etsi sit tam magna, suam circũscribi commiserationem: sed ad quantam Sol aspicit eam contendebat extendere. Hinc manus scatentis misericordia participes erant Scythæ & Thraces, & cũ aliis Mysi quoq; qui sunt in Asia. Quinetiam cum ad eos qui exercebantur in Olympo, quibus studium erat se fortiter gerere aduersus vitia &

Dæmones,

Dæmones, aliquando transiisset, & quidquid auri habebat in manibus in vsus eorum consumpsisset, reuersus est ad ciuitatem, apud se agitans & vndique considerans, vndenam rursus vectigal compararet pauperibus. Sed non siuit eum Deus diu esse anxio animo. Rem autem facit vt solet admirabilem, & eum liberat a solicitudine. Quidam enim ignotus, simul atque ingressus est ciuitatem, siue homo, siue Angelus qui formam hominis susceperat, transeunti per porticum, ex quodam angiportu accedens, ei tradit auri manipulum. & cum dixisset, Accipe quod in sumas in vsus eorum quorum curam geris, dicto citius euolauit & recessit. & manus quidem habebat aurum oculi autem non poterant assequi eum qui præbuerat. Hoc est non leue signum illius cum Deo coniunctionis. hoc est non leue indicium illius magni & excelsi animi. hoc Abrahæ benedictionis habuit multiplicationem, quod fuit hospitali dexteræ veluti quædam sementis. Propter hæc bona magnus recte se gessit Antonius. Hæc manui pauperum amanti, ne suppeditans egeret, fuit occasio. Cum qua ne Crœsi quidem illius Lydi felicitas, & aurei lateres, neque fabula Midæ potest conferri. Eum autem cum in his esset aspiciebant ciuitas, & virtutum non celabat magnitudinem, neque egregia facta terræ mandabat. fama vero excipiebat: & licet non adesset, eum omnibus, ipsis factis ostendebat. & propemodum responsa ab ore omnium excidētia, futurum tanq̃ præsens prædicebant. Hæc canebantur in multis ciuitatibus. canebantur in agris. dicebantur in montibus, in antris, in gentibus. Per omnes enim peruadebat miraculum: & erat cōis orbis terræ narratio. Hæc ecclesiæ Christi sponsæ mouebant amorem: ardebatq; sitiēs eum quem diligebat: & quærebat tempus coniunctionis. & præuidens tempus desponsionis, spe dulci iucunde ducebatur. Sciebat enim fore vt præcedentis sponsi dignitate minime viduetur: sed cum transmiserit sacrosanctum virum qui ab infantia ad Deum vocabatur, eum, inquam, qui ex corona nominatus fuit Stephanus, ei qui ex fasciis & sacrosanctus, sacrosancte coniungatur, qui ex illius priuatione ab ea acceptum mœrorem soluet.

Cùm itaq; aduenisset tempus quo hæc fieri oportebat, suffragia vniuersi cœtus Pontificium & Sacerdotum, & eorum qui vitam agebant monasticam, & ipsius quoq; senatus, ad dignum sponsæ Christi ecclesiæ sponsum ferebantur. Hoc quoq; magnus videns Imperator, in omnem partem circunferens oculos cogitationis, semper curam gerens eius quod vrgebat, vt qui pulchre sciret metiri præteritum & id quod addit considerare, & per vtrūque de futuro certam facere coniecturam, confirmauit electionem: vel potius Deus per ipsum obsignauit vniuersum. & tanquā quempiam victoriam consecutum Athletam transmittens ad Olympiā, euehit ad sedem Pontificalem, maiora habiturum certamina & coronas præclariores. Et deinceps habebat sponsa Christi eum qui recte tenebat leges Sacerdotij, & viuebat spei indigentium, & abunde effundebat misericordiam, & erat manibus pauperum ꝓpositus. qui in rebus diuinis initiabat, & iis qui initiabantur, exemplar virtutis, imaginem fortitudinis, simulachrum temperantiæ, & iustitiæ ostendebat regulam. qui 9 vitam magis q̃ linguam proferebat magistram.

9 *Plenius est opère docere quā uoce, & uitam magis quā linguam proferre magistram.*

Sed non fuit contentus iis quæ pręcesserūt. non ad relaxationes aspexit vt aliquis alius. neque pepercit senectuti. sed sudores succedebant sudo-

ribus. & labores laboribus. & ſanctis curis curæ magis ſancte. & perinde
[illegible] ſancti ſpiritus, in ſenili corpore aſſumit vigen
ac alatus quiſpiam, virtute [illegible]
tem animi alacritatem: & obit omnes Chriſti eccleſias, tum precibus Deū placans: tum eas quæ tempore laborauerant & male erant affectæ pro viribus recreans: eosq́; qui erant è ſuggeſtu & in inopiam deciderant, copioſis ſuccurrens ſuppeditationibus: & quotidianis prouentibus diſtribuens eleemoſynam innumerabilibus pauperibus. Quamobrem & qui laborabat inopia, lætum diem agebat. & hoſpes obliuiſcebatur patriæ. & orphanus non lachrymabatur. & viduitatis ferream fornacem extinguebat vidua. Quis tantam curam geſsit iuſtitiæ? Quis iniuria affectis magis fuit ſalutaris? Quis eorum qui iniuriam faciebant ſic propulſauit impetus? Quis lites compoſuit? Quis nimis erectum detraxit ſupercilium. Quis ſuperbum & arrogantem animum traduxit ad moderationē? Omnia & per omnia ipſe ſuo exemplo complanabat. ſalutare medicamentum effectus morbis animæ. Sed quis ex pauperibus, cum aſperſiſſet lachrymis forum iudiciale vt ius ſuum obtineret, cum paupertate abiit, deflens ꝙ ius ſuum non poſſet aſſequi? Quænam autem vidua, Quis orphanus, ſi veniſſent in ipſius conſpectum, aut ipſam poſtea defleuit orbitatem, aut non leuatus fuit calamitate? Omnibus aderat ſua prouidētia, malum quod vnicuiq; afferebat moleſtiam, ſuis auferens beneficiis. verbis conſolans. auro opem ferens. tegens veſtibus. Videbant etiam quædā ſupra rationem in ipſo conuenire, quæ ſecundum naturam non conueniūt. auſteritatem & ſuauitatem. humilitatem & grauitatem. ſeueritatem & lenitatem. Quorum alia quidē applicabat iis quibus vis afferebatur, alia autem iis qui vim afferebant. & alia quidem erant medicamenta, quæ ſuperbiam & faſtum detrahebant eorum qui aduerſus proximum attollebant ſupercilium. alia autem recreabant id quod erat afflictum.

His eccleſiæ cœtus traducebatur ad meliora, Deusq́; propitius, & magnus Imperator gaudens delectabatur. Incorrupti vero animi videns in ſuffragio iudicium, quod in rebus ipſis falli non poſſet, cum per ipſum ſtatuiſſet vetus eccleſiæ vlcus ſeu ſchiſma ad cicatricem deducere, in vnum cogit orientalia & occidentalia. & cum philoſophiæ florem arte dicendi temperaſſet, linguam profert ſalutarem. & iuſta perſuaſione, læto vultu & ridentibus oculis ſoluit offenſiones. & reipſa oſtendit quantum interſit inter Regem in doctrina educatum, & poteſtatem quæ eius non eſt particeps. tunc maxime temperans viuentem eccleſiæ craterem, in Pōtifice qui menſam propoſuit, actiuę philoſophię bonis lautam & refertam. dicebatq́; & Imperatoris Philoſophi, & Pontificis in agendo induſtrÿ illud magnum & admirabile opus eſſe & ſtudium. per quæ eſt incorruptū iudicium: & tribunal muneribus impollutum, & continuorum iudiciorū ſapiens excogitatio. per quæ & libere loquitur & ſe gerit iuſtitia, & locū non inuenit aduerſaria. per quæ & reprimi poterant orphanorum lachrymæ gemitusq́; viduarum: omnisq́; malignæ & doloſæ machinationis nodi diſſolui. & Dux exercitus imperium accipere præmium virtutis. & à turpi lucro manum præbere mundam communia & publica. & dites non ſuſtinere bonorum publicationem. & pauper nulla affici contumelia. & Agricola ſulcos iucunde proſcindere, non timens vectigalium exolutionem agri cuius fructus non percepit. Horum manus in cœlum

extensæ & riui lachrymarum emissi ex oculis, Deum iam olim placauerunt & quam qui eis erant subiecti, iustam iram in se suis peccatis prouocauerant, eam lachrymarum fluentis. O' benignam & clementem mentẽ, sedatam immutarunt & lachrymas omnium represserunt fusis misericordiæ lachrymis. & sua in eos qui erant eiusdem generis misericordia, è superis diuinam attraxerunt misericordiam. & terræ faciem quæ squallore & siccitate interibat, diuinas miserationes coëgerunt renouare.

Hæc sunt philosophicæ mentis facta præclara, quæ sunt germana factis Mosis & Aaronis, conferenda cum factis Eliæ & Elissæi. similia factis Dauidis & Samuelis. Magnum illius virtutis indicium ꝙ tunc curam sustineret pontificalem, qñ Imperator à pueris laute nutritus iustitiæ, non se dans voluptatibus, non recusans labores, quorum fructus sinceram afferunt voluptatem: sed se doctrinę dedicans & eloquentiæ, philosophiam magis ꝙ̃ alia bona, vt quæ propter ipsam conferantur, eligendam esse ducens, concionantem mouebat linguam, quæ profundebat verba melle suauiora, similia verbis Solomonis, conferenda cum Dauidis. quo tempore magis apponebat mensam verborum ꝙ̃ ciborum. & dogmatum, tanq̃ ex fonte aliquo, fluentum copiose emittebat. & scripturæ profunditatis citra offensionem latens sensus ab eo inuestigabatur. & vniuersus bonorum chorus poterat loqui libere.

Cum in his esset homo Dei, & florentem doctrinam videret cum virtutibus in Imperatoris anima, quæ iuuenili vtebatur corpore, & vestigia antiquæ felicitatis. & vniuersum alium consequentem statum tã ciuilem quam œconomicum, & quæcunq; de iudicio rerum habita oratio, morũ tribuit disciplinę gaudio totus diffundebatur, & Deum laudabat, rẽ eam ducens esse occasionem gratiarum actionis, & dicens se ab Imperatore lubenter superari. qui etsi mundanis obruatur solicitudinibus, accuratius tñ res assequitur ꝙ̃ ij qui in spiritalibus rebus consenuerunt, tum ingenij felicitate, tum dicendi facultate. & cum aliis, ea quoq; apprime sciat quæ pertinent ad animam. tanꝙ̃ qui non solum corporibus sed etiam animis imperet solertia ingenij & mentis acumine. Vnde etiam tanq̃ sui pudore affectus vir ille admirabilis, omnem sui curam despiciebat in ętate illa se nili. corpus omnino negligens & ea quibus sciebat id recreari, & quæ ad opem ferendam animæ in certaminibus virtutis, corpus minime lædere. Quamobrem in longa inedia, & vincendo dolores corporis, suscipiebat labores qui vires corporis superabant. quod quidem est naturæ inimicũ, & quod auersatur ars medicinæ. etsi esset eius corpus calidius temperatione, & significaret non esse ei aptum quod deficit. Ne videretur tñ esse remotus à natura hominum, quid fit? Anima nonnunquam veluti in se contracta & ad Deum excedens, vi naturæ, veluti consulto procurans corpori relaxationem, parum remittebat laborum tenorem perpetuum. Hoc autem iis quidem qui recte nolebãt intueri. esse visum est ostentatio. iis vero qui erant recti corde, & non tardi ad aspiciendum vetera patrũ exempla, virtus & summum virtutum, & re uera ad Deum excessus & emigratio. Talis cursus. talis vita. talia eius recte facta. In necessitatibus tolerantia. in fortunę casibus magnus & excelsus animus. in laboribus ꝑpetua constantia. in ęrumnis fortitudo. in laboribus ꝓ virtute, animi alacritas. in imbecillitatibus robur. ĩ morbis, minime oĩno cedere & cõsumi.

Sed venit morbus vltimus,& aderat excessus & quæ ad excessum p-tinent: & humana arguebatur imbecillitas, intima penetrãte febre & depascente humorem naturalem, & dissoluente vires illas adamantinas. Ille autem benigno aspectu, omnes prosequens benedictionibus, vltimã dedit salutem & cum lingua esset impotens, sacra manus obsignauit eas quæ dici non poterant benedictiones. Deusq; eum vocabat ad supernũ tabernaculum. & chorus Angelorum eum quærebat qui ipsum in terra recte est imitatus à venerandoq; & sacro corpore diuina separata anima vespere cum accenduntur lucernę, cum lampade virginitatis plena oleo, sublatus fuit ad magnam lucem. Nox deinde est consecuta: & fit miraculum quod potest cõferri cum iis quę vnquam fuerunt miraculis. quod publicabat illius germanam ad Deum fiduciam, & aperte describẽs magnitudinem virtutis. Nam cum consuetum signum, ex alto Patriarchæ decessum, circa magnum tẽplum ciuitati significasset, mulier paupercula, quę per manum beneficio afficientem sibi quotidianum parabat alimentum, cum ex vehementi lapsu crus haberet fractum, in tugurio facto ex fœno & palea iacens immobilis, audita causa eius quod significabatur, tristi nuncio repente voce priuata, ad apoplexiam tẽdebat & paralysim. Cum autem parum respirasset & ad se rediisset, fleuit & eiulauit miserabiliter. & lamentari incipiens, tragice deplorabat calamitatem, appellans benefactorem seruatorem. nutrimentum esurientium. nudorum tegumentum. opes indigentium, dicens. O' duram & immanem hanc noctem, in qua extincta fuit benigna lux pauperum. ó tristem noctem quę obscuras offudit tenebras oculis pauperum. O' Eua prima parens, & inobedictia, & inuidia, & serpẽs, & mors humanę naturę pœnę ineuitabiles. O' simul mecum nutrita paupertas, quæ perpetuo assides & acerbe inuadis, non habes ergo amplius venerandam & sacram manum, quę tuam à nobis expellat deformem feritatem. Secure deinceps inuade: insulta iacentibus. cum corporis confractione spes quoq; est confracta vitę. perit pauperum viaticum. O' quęnam erinnys meas pedum plantas mutilauit, vt nec funus quidem quod effertur posim consequi, eius qui multos extraxit à sepulchro molestiarum?

Cum hęc & plura alia, vt est verisimile, deflendo diceret muliercula, & acerbis perfunderetur lachrymis, molestiaq; & doloribus ei vires defecissent, somno opprimitur. & dulci somnio videt accedentem Patriarcham, manu lignum crucis in eius fractura effingentem, & dicentem. Iã es curata & citra impedimentum tibi licet ingredi. & euanuisse protinus ab oculis. somnium autem fuit res ipsa. & quę fuit in somnis visio est veritas. Nam cum à somno esset experrecta, etsi dolores ei amplius nullam afferrent molestiam, rei tam admirabili & tam pręter opinionem non poterat credere mulier. sed putabat se adhuc ali somnio. Sed cum perfectius excitata sustulisset dubitationem, lęta exiluit, gratias agentibus vocibus narrans miraculum, & salutem sibi datam publice celebrans. Alia quoq; mulier quę laborabat diuturna plaga occulti morbi, non secus atque illa

10 quę laborabat pro fluuio sanguinis, 10 tactu loculi suffuratur salutem: & liberationem à longo tormento inuenit breui momento tẽporis. Quis Æsculapius, Quis Chiron talem temperauit medicamentum? Quanam medendi disciplina potest inueniri huiusmodi genus curationis?

Solo tactu loculi sancti mulier curatur à plaga occulti morbi.

Sed

Sed venerandum quidem & sacrum corpus, cum multorum manus vix tandem effugisset, alias aliunde partem aliquam festinantes accipere. confluebat enim vndique multitudo. omne genus. omnis ætas, vtpote quod cum appropinquarent exequiæ, imbecilli plurimi violento impetu studerent rapere aliquam partem, & salutis animę sibi aliquod auferre viaticũ. robore tñ & studio eorum quibus sapienti consilio impositum fuerat vt hęc reprimerent, postquam mãdatum est sepulchro, & natura terrę soluit debitum, & lutum datum est pulueri, ne sic quidem siuit figulus lutum in honoratum: sed etiam conditum sepulchro honorat miraculo. Quidam enim ex iis qui pręerant texendę lanę Sericę Imperatoris, correptus morbo lateris, cum vidisset pręcisam sibi omnem spem salutis, & medicum dies numerantem, & horas obseruantem, & tempus curiose inquirentem, & his tempus terentem. vxorem autem & liberos eum vltimis aspergentes lachrymis, & dolorem grauiorem efficientes eiulatibus. Cum ergo hæc vidisset, & omni humana ope morbum potentiorem, confugit ad diuinum eius seruum Antonium. & cum se 11 vnxisset oleo quod lumen alebat in loculo (nam cum esset fidelis, habebat modicum quod acceperat) morbum statim fugat & fruitur curatione. & pręter oẽm spem accedit ad loculum, confitens, & beneficium clara voce prędicans.

11 Vnctione olei quod lumen alebat in loculo sancti, liberatur homo à dolore lateris.

Cum vero capsa Pontificis, octauo die post iusta facta, quõ non recte se habere videbatur, mutaretur in meliorem, nouus quidam & insignis odor vnguenti sacratissimi, impleuit sensum eorum qui aderãt, tacite honorans 12 eum qui iacebat, & describens eam quæ ei intercedebat coniunctionem & familiaritatem. Nam qui hac caruncula in quam cadit interitus Christum magnificauerat, & mysticus quidã bonus odor ei fuerat ostensus, vt prius describitur Apostolicis eloquiis, merito etiam dignatur gratia quæ spirat vnguentum, virtute immortalem prędicante operationem. Nonus autem magnificentius præbuit miraculum, ad beneficium pauperum qui ab ipso de more alebantur. vel potius Deus per ipsum qui etiam per Mosem in deserto alimentum pluit admirabile: & viduæ Sarephtanæ, aduentu Prophetæ, paruum multiplicauit viaticum. quinque vero panibus, quinque millia: & rursus septem, aluit quatuor millia. & certos testes quæ satietati reliquiarum super fuerunt sportas prębuit. Miraculum autem erat hic quoque additamentum ciborum qui distribuũtur pauperibus. Id vero erat panis & frumentum coctum, non numero quidem indefinito, sed quantum definita mẽsura distributum, solebat sufficere mille animabus. Quinetiam erant omnes eædem mensuræ quæ solebant. iidem cophini qui acceperunt. eædem manus eorum qui ministrabant. Et numerus quidem fuit consumptus eorum qui tesseras ferebant manibus (iis enim prius distributis numerabatur mille hominum multitudo) remanserunt autem tres cophini qui suffecerunt pauperibus qui venerunt absque tesseris.

12 Vides quomodo miracula quæ apud sanctorũ memorias fiũt, illorũ uirtuti & sanctitati testimonium præbent?

Cuiusmodi autem fuit id miraculum quod factum est in Leonem patricium qui præerat militaribus numeris dicatur à nobis. Vir ille laborabat difficultate anhelitus, quod causis quæ affluxerunt obstructa essent instrumenta, & anhelitus liberum non haberet meatum. Quibus cum adeò grauiter obsideretur, tenuemque & imbecillam vocem ederet, aderant quidem qui ad eum genere attinebãt maxime eiulãtes, eos enim qui sunt glo-

ria insignes mors magis exagitat, ei autem nusq; erat morbi solutio, nisi
13 à solo diuino Pastore. Accedit enim 13 ad eum dormientem. & cum eum
è lecto excitasset, rogauit quemadmodũ morbus se haberet. Qui tangens caput & membrum quod dolebat, non pæanicum remedium, neque medicamenta Chironis suis applicat manibus, nã neque aliis est ex his rebus curatio: sed cum adhibuisset preces morbo conuenientes: & incomparabilem malorum nostrorum curatorem Christum inuocasset, ille quidem liberatur à graui morbo: verus autem fuit precum euentus. protinus enim conualuit, absq; impedimento miraculum aperiens, & in tota domo suã salutem celebrans. Hæc sunt facta Põtificis post eius dormitionem. Quę autem in oratione à me sunt prætermissa in iuuenili eius ætate facta miracula, ea narrabo repetens.

Ecce quanta potestate præditi sint sancti post mortem.

Cum olim esset ætate iuuenis, & Dauidicam pulsaret citharam in tẽplo Diui Theodori Martyris quod erat situm super quoddam cœmeterium, in quod proiiciebantur cadauera condemnatorum, vidit quosdam duos aspectu deformes, solent enim plurimum tales quales sunt apparere. apud se iracunde dicentes. Abeamus hinc. Præsente enim adolescente, non sustinebimus hic manere. Qui quidem repente aufugientes, simul cum hoc verbo euanuerunt. Hoc ostendit potestatem quæ prius sancto in eos data fuerat. Hoc quoque secundum conscribatur quod præcedenti fuit æquale tempore Mulier illustris in equo transiens per monasterium cum mundo muliebri, propè fracta delapsa est in terram. Nam cum diuinus Antonius tunc esset inter adolescentes, & improuiso esset è porta egressus, contigit currum repente conturbari. quod eam ex alto deorsum deturbasset, nisi eã seruassent qui cum ipsa ambulabant. Illa autem conturbata eo quod acciderat, venerandum ludificabatur habitum. vt in rebus huiusmodi solẽt qui sunt pusilli & abiecti animi. Cui dixit is qui erat perfectus in iuuentute. Mulier noli eum incessere maledictis. meis enim manibus venies ad hunc habitum. Hæc dixit sanctus: & cum multi anni præteriissent, ad effectum peruenit prædictio, cum ipse quidem beatus horum esset oblitus, mulier vero ei reuocasset in memoriam, & aperuisset eum esse qui hæc tunc ei denuntiasset. Hæc sanctorum Deus, qui omnia facit & transformat. qui dat alimentum omni carni. qui aperit manum & implet omne animal benedictione. qui glorificat eos qui ipsum glorificant, & est mirabilis in sanctis suis. Sed quoniam breui calice orationis, tanq; ex magno mari, admirabilis Antonij & magni inter Patriarchas paruam vitã hausimus, age ex doctorum comparatione discamus Discipulum.

Adam habetur in admiratione vt principium & radix generis. Sed hic quoque fuit princeps & auctor multorum qui non sunt nati ex coniunctione corporum, sed sunt multiplicati spiritali coniunctione. quibus non obtigerunt pœnæ paternæ damnationis, sed donorum potius hęreditatem, nempe vitam æternam, non mortem, sibi conciliarunt. per quam exprimitur vera & germana paterna cognatio. Et illi quidem cessit ferarum natura: sed non eorum qui intus erant & cohabitabant. Hinc serpens & inuidia & dolus mortem sunt fabricati. Hic autem imperio rationis cum quidquid est ferum & agreste reddidisset obediens, nullũ inimico ad fraudem aptum reliquit instrumentum. Abel fuit primus operator Deo acceptorum sacrificiorum: sed cruentorum, & partis quæ caret ratione. Hic

autem sacrificus incruenti sacrificij, cuius illa erant typus & vmbra. ratione sacrificans & spiritu: & quotidie seipsum immolans, à ratione alienarum animi perturbationũ mortificatione, erat inuidia superior & eius fœtibus, dolo & cæde & vniuersa denicꝫ simili catena. Magnus fuit Seth: sed habuit nepotes ex coniunctione cognationis quę fratrem occiderat, qui magnitudine corporum describebant delicti magnitudinẽ. Hic vero illius quidem virtutem superauit: iis autem qui ex ipso nati erant spiritaliter, nullum ferè dedit aditum per bona sua præcepta & monita, vt essent vitij participes Enoch et Noe, ille quidem beatus ducitur propter translationẽ. Hic autem, ꝙ omne genus animantium cõseruarit in diluuio. Noster vero hic quoque exemplis non inferior, est moribus superior. & translatio non habet lætitiam quæ spe mortis interrumpatur, sed vitæ æternæ successio puram percipit voluptatem. & seruat arcam non plenam animantibus rationis expertibus. sed ecclesiam cuius illa sunt imagines, omni genere & ætate rationis participum refertam.

Cum Abraham, vocationi eius qui ipsum vocauit è paterna domo, emigrando peregrinus effectus, paruit vsꝗ ad mortem. Sed ille quidem fugiens errorem cultus Dæmonum, quem fugere vel ipsa docet natura, & mens quæ dominatu deterioris non omnino perdidit vim iudicandi, tenebras & mortem luce commutauit, & pietate impietatẽ, quæ sunt res per se expetendæ vniuersæ naturæ quæ est particeps rationis Hic autẽ à pueris lacte pietatis enutritus, & viuens in iis quæ erant expetenda, nullius enim rei fugiendę ne vestigium quidem vllum vnꝗ admiserat, perfectiori iudicio quærebat magis pium statum & magis eligendum. vita vitam, & luce lucem, & eligendis, vt semel dicam, permutans magis eligenda. Quantum vero interest inter eligenda & ea quę sunt magis eligenda, tantum etiam omnino interest inter eos qui eligunt. Sed Abraham quidem eos hospitio accipiens qui transibant per Mambre, semel imprudens hospitio accepit Angelos. Hic vero totius orbis terrę pauperes perpetuo excipiens, Christum hospitio per totam vitam excipiebat, qui ineffabili benignitate ea quæ sunt illorum sibi attribuit. per quæ non in specie Angelorum, sed in rei veritate, omnium effectricem trinitatem in animam admittens, non habuit promissionem vnius filij qui carnali pręter spem erat nasciturus coniunctione: sed vt multorum potius filiorum, actiuæ philosophię coniugio, in spiritu vocaretur pater, habuit promissionem. & præter spem vidit multiplicationem dignam promissione. vt qui non trecentorum vernarum irruptione multorum Regum represserit impetum, sed virili impetu tripertitę animę, vniuersam euerterit aciem eorum qui inuadebant, & tyrannice id quod est cognatum per voluptatem redigebant in captiuitatem, sub ficta regni specie.

Cum Isaac ascendit, cœlestem patrem sequens iubentem non in tumulum aliquem, sed in montem virtutum, onustus lignis cõtinentię. Per quę in ara cordis desiderij ad Deum ignem accendens, se hostiam prębuit acceptam. Inuenio autem eum valde esse Iacob imitatum. non solum in eo ꝙ non fictis moribus varie vitam suam instituerit: sed etiam in eo ꝙ recessit à patria & in aliena regione degere statuerit. sed nõ propter cohabitationem mulierum sororum, sed propter virtutum sororum desiderium, contemplationis inquam & actionis, vt actione particeps esset contem-

plationis. & quę quidem ad vnum fontem, nempe ad primum bonum, referuntur & erigunt. per quas multiplicatione insigniũ, non à ratione alienarum pecudum, sed ratione pręditarum, euasit insignis inter Patriarchas.

Aaron fuit primus Pontifex, sed typici & vmbratilis tabernaculi. Hic autem veri & cuius illud erat figura. Cum Mose fuit dux noui Israëlis. Cum Samuele fuit sacer ab infantia & ad senectutem vsq; Deo seruiens. Imitatus est Dauidis mansuetudinem, & si vis etiam fortitudinẽ. vt qui non aduersus Goliath hominem quendam magnitudine corporis gloriãtem se recte gesserit: sed aduersus Goliath qui percipitur intelligentia, malignum inquam & carnis expertem Dæmonem, cum virga continentiæ egressus est & virga fidei, & pręclarum erexit trophęum. Elias effugit insidias Iezabelis. Hic autem insidias impudentis peccati. Habuit cũ Elisśęo duplicem spiritus gratiam, vt qui monasticis & Sacerdotalibus donis esset ornatus. Et vt eos qui intercedunt omittamus propter multitudinẽ, Ioannis vitam non agens solitariam, in media ciuitate imitatus est philosophiã. Hic quoq; qđ ad se attinebat, habebat mensam absq; vllo apparatu. & hic ex pilis contexa veste corpus tegebat. & veluti quadã pellicea zona, nempe perturbationum animi mortificatione, lumbos suos constringebat, & ad eũ confluebat non vna ciuitas, neque vna gens, sed turbæ plurimæ populo frequentis ciuitatis, collectę ex omne genus gentibus & ciuitatibus, tam orientales q̃ occidentales. non aqua tingendę: sed spiritali purificandę mysterio quod peragebatur diuinis instrumẽtis illius manus & linguę, & initiabat eos qui dignabantur cõione deificę participationis.

Apostolorum autem sequens doctrinas & traditiones, & eis suam vitã semper componens, factis germanum confirmauit martyrium, in eo q; Martyrum zelum haberet pro pietate. & quotidie sua moreretur consciẽtia, monasticorum laborum diuturna & acerba perpessione. quod martyrica virtute nulla in re est abiectius. Omnium ergo sanctorũ & iustorum, illorum quidem mores, horum verò cursum, aliorum autem actionem. simul vero omnium, ad primum bonum, vehementissimum & cõstantissimum imitatus est desiderium. Quo nunc aperte fruens, protegas

14 & 14 defendas ò diuinum & sacrum caput, sacrum gregem. & tuis precibus corrobora sceptra pietatis. & manum prębeas pię potentię, mundi curas cum eo participans. & intercedas 15 apud Deum assistens sine intermissione. pro eo quod orasti cum esses cũ ipso & eius vitę interesses. & mundanam ei conserues nauem in tuto portu diuinę tranquillitatis. omnes sedans turbines & tempestates improborum: & obruens insultus inimicorum tam eorum qui sub oculos cadunt q̃ qui non cadunt.

In Christo Iesu Dño nostro.
Cui gloria & potentia
nunc & semper &
in secula seculorum
Amẽ.

14 Docet auctor hoc in loco sanctos esse inuocandos.

15 Nota sanctorum animas post mortẽ ferri in cœlo, & apud Deũ assistere sine intermissione, atque pro nobis intercedere.

Vita

VITA SANCTI PATRIS *nostri Martiniani.*

PROXIME ciuitatem Cęsaream Palęstinę, mōs est qui vocatur locus arcę. In eo ergo monte sita est solitudo, in qua habitant multi viri qui vitam agunt monasticam. Inter quos cognouimus etiam beatum & virtute præditum Martinianum, habitātem in hoc monte. Hic ergo beatus cum ab ineunte ætate Deum amasset, multa suscepit certamina aduersus inimicum. Insignis itaq; specie corporis, & ætate iuuenis vt qui esset circiter octodecim annos natus, relicta ciuitate & iis qui in ipsa habitabant, & eorum tumultibus, se tradens quietæ & solitariæ vitæ, venit ad hanc solitudinem. & in ea habitauit, viginti & quinque annos vitam in ea agēs angelicam. Quamobrem dignus quoque fuit habitus qui à Deo acciperet dona curationum. multosq; curauit Dn̄s per sanctas eius preces. Multi enim qui vexabantur à Dæmonibus cum ad eum venissent in monte, liberati sunt ab insultu Dęmonum. Multi quoque qui tenebantur febribus, ab hoc viro benedicti, assecuti sunt curationem. & multa alia miracula fecit Dn̄s per eius preces. In dies autē proficiebat hic beatus Martinianus in optima sua exercitatione. & in omnem partem peruadebat optima & pulcherrima fama huius sancti viri. omnesq; audientes, ad eum veniebant in monte, vt ab eo iuuarentur. Februa. 13.

Sed bono infestus humani generis hostis Diabolus, non passus est videre in adolescente canam virtutem. & primum quidem cœpit ei diuersas excitare tentationes. & per multiplices visiones visum est ei terrere hominem. Deinde etiam per antiqua eius arma, per quæ Adā eiecit è paradiso, machinatus est eum quoque eiicere è bono proposito. Quodam itaq; die psallente beato Martiniano, inimicus mutatus in maximum Draconem, eius, cellam subtus subiens, cœpit acriter & vehementi studio fodere partē eius cellæ à fundamentis, tanq; qui vellet eam euertere. Beatus autem cū sine vlla perturbatione implesset suas preces, per fenestram aspiciens dixit ei. Vere te decet serpere supra terram. Quid frustra laboras ò infelix? me tuæ non terrent visiones. Habeo enim Iesum Chistum qui mihi fert opē, & vincit tuas visiones, & tuam conculcat potentiam. Diabolus autem cum hæc audiisset in turbinē mutatus dixit fugiens. Expecta me expecta Martiniane, & hic te deiiciam. Inueni enim artem per quam sum te deiecturus, & te tua spe frustraturus. Nisi enim te humilem & abiectum reddidero, fieri non potest vt à te recedam. Tantam enim in te fero iram vt eam portare nequeas & te è tua cella educam: & te deiiciam non secus ac folium à vento deiicitur. & videam quis sit qui tibi opem ferat. Hęc cum dixisset Diabolus, euanuit. Vir autem sanctus tam erat quietus quam si nullum spectrum vidisset omnino. sed lætabatur & glorificabat Dominum in meditatione & cognitione diuinorum eloquiorum.

Accidit vero quodam die, ambulantibus quibusdam in ciuitate Cæsarea, & inter se loquentibus de diuina viuendi ratione beati Martiniani, & magis magisq; admirantibus fortitudinem eius & tolerantiam, ecce trā-

ſiens mulier quædam meretrix, audiit quæ dicebant. Quę ſuggeſtione Satanæ viris appropinquans, dixit eis. Quis eſt is quem inter vos admiramini. aut quæ ſunt eius recte facta. aut quamnam habet is viuendi rationem? Quem ego ſi voluero, tanq̃ folium ab arbore detraham. Quodnam eſt enim eius laude dignum ſtudium, q̃ ſe tanq̃ agreſtem feram concluſit in ſolitudine, non valens ferre cupiditates carnis & offenſiones, & non aſpiciens mulierem, ne habet quidem cupiditatem? Scitis autem omnes q̃ ſi non adſit ignis fœnum non vritur. Sed ſi igni propè ſito fœnum manſerit incombuſtum, hoc eſt admirabile & magni faciendum. Ita etiam de illo dicendũ eſt. Si cum ego ad eum iuero, is me aſpexerit, nec à propoſito ſuo fuerit dimotus, nec in me fuerit offenſus, neq; motus fuerit eius animus propter meam pulchritudinem, tunc eis erit admirabilis non ſolum apud homines, ſed etiam apud Deum & Angelos. Hæc cum dixiſſet, & cum viris illis pactum feciſſet de viro illo generoſo, iuit domum. & exutis ſuis veſtibus, laceris ſe pannis induit, & pannoſum velum capiti ſuo impoſuit: & ſe fune cinxit & accepta pera, in eam immiſit omnia ſua ornamenta & veſtes elegantes. & cum adueperaſceret, accepta pera, profecta è ciuitate venit in montem vento ingruente & pluuia.

Cum autem fuiſſet prope eius cellam, cœpit miſerabili voce rogare virum ſanctum, ſic dicens. Miſerere mei ſerue veri Dei, & ne ſinas me miſeram conſumi à beſtiis. à via enim aberraui & incidi in hanc ſolitudinẽ, & neſcio quo vadam. Ne me ergo deſpicias quæ ſum in tali neceſsitate, neque me abomineris infeliciſsimam peccatricem. Nam ego quoq; ſum Dei figmentum. Rogo tuam ſanctitatem ne me miſeram & errantem amandes venerande & ſancte pater. Hæc ea dicente & his plura cum fletibus & eiulatibus, beatus cum aperuiſſet feneſtram & aſpexiſſet, & vidiſſet eam in tali habitu, nempe pannis obſitam & imbre madefactam, motus eſt animo & dixit apud ſe. Væ mihi miſero peccatori. nunc adeſt cordis mei probatio. & vel à præcepto excidam vel à propoſito. Si.n. eſt mulier quæ opprimitur neceſsitate & eam deſpexero, & non eam in cellam introduxero, deuorabitur à beſtiis, & maculabit meam animam. Sin vero ſit tentatio & huc ingrediatur, timendum eſt ne me pellat à pręcepto. neque ſcio quid agam. & 1 manibus in cœlum ſublatis dixit. In te Domine ſperaui, ne pudore afficiar in æternum. neque irrideant me inimici mei. neque ſinas me dominatu teneri à maligno. ſed conuenienter tuæ voluntati ſerua me in hac hora. & protege me ab inimico manu tua valida. Quoniam es benedictus in ſecula. Amen.

1 *Orat cum eleuatione manuum in cœlum.*

Hęc cum dixiſſet, aperuit oſtium, & eam introduxit in cellam. & cum ignem accendiſſet, dicit ei. Mulier caleſce & attende tibi ipſi. tecum enim non manebo. & cum attuliſſet dactylos quibus ipſe reficiebatur, ſtabant enim duæ palmæ extra cellam, ei appoſuit & dicit. Comede & cura teipſam. mane hic & cras vade domum in pace. & deinde cum eam ſic ſiuiſſet, ingreſſus eſt in cellam interiorem & clauſit oſtium. & cum pſalmos ceciniſſet tertia hora noctis & oraſſet, humi dormiit vt conſueuerat. Illa autem nocte ingreſſus Satanas, eum valde conturbauit in carnis inflammatione. & cum mane ſurrepſiſſet, egreſſus eſt è ſua cella vt mulierem emitteret & deduceret. Illa vero cum circa mediam noctem ſurrexiſſet, & omnia ſua ornamenta è pera eduxiſſet, ſe ornauit ad decipiendũ

beatum Martinianum, laceris pannis iniectis in peram. Vir autem sanctus cum eam vidisset sic ornatam non agnouit eam. & cum obstupefactus diu obmutuisset, dicit ei. Quęnam tu es, & vndenam huc es ingressa. & quis hic est diabolicus habitus?

Illa vero respondens dixit ei. Ego sum Domine mi. Dixit ei Sanctus. Et quanam de causa est mutatus tuus habitus, vt quæ esses vespere miserabilis & nunc superba? Illa vero dixit. Ego Domine mi, sum ex Cęsarea ciuitate Palæstinæ. quæ cum audiuissem de tua iuuentute: & quod talẽ habeas corporis pulchritudinem, sisque adeo speciosus & formosus, cor meum valde exarsit propter tuam pulchritudinem. & accessi vt te viderem & explerer tua pulchritudine. non enim temere tantum confeci itineris. 2 Quodnam est autem Dñe mi, hoc vestrum importunum ieiuniũ? & quanam de causa talem vestram iuuentutem & nitidam ætatem maceratis afflictione & intempestiua abstinentia? Quænam scriptura dicit non esse comedendum nec bibendum nec legitimum ineundum matrimonium? Non dicit Paulus Apost. Honorabiles nuptiæ & cubile immaculatum? Quis ex Prophetis aut Patriarchis non fuit iunctus matrimonio, & factus est hæres regni cœlorum? Non Enoch ille magnus & admirabilis, coniunctus matrimonio sublatus est in cœlos, & non vidit mortem vsque in hodiernum diem? Similiter autem ille quoque Abraham insignis & sanctus inter Patriarchas, non habuit tres vxores: & Dei amicus est vocatus: & ipsum Deum vidit in tabernaculo, & cum eo excepit eius Angelos? Isaac vero non habuit vxorem & regnum cœlorũ est assecutus? Rursus autem Iacob non habuit duas vxores & duas concubinas, & valuit luctari cum Angelo: & vidit Deum facie ad faciem? & dignus fuit habitus regno cœlorum. Moses autem ille magnus & Princeps prophetarum & Dei seruus, non habuit duas vxores & cum Deo est locutus. & genus Hebræorum liberauit ex acerba seruitute Ægyptiorum. Similiter vero Dauid quoque & Solomon & omnes qui fuerunt eis similes, nunquid legitimo coniuncti matrimonio, & susceptis liberis, digni sunt habiti regno cœlorum? Hęc dicens mulier, & virum tentans, & eius manus contrectans, emolliit & eneruauit eius bonam cogitationẽ, & cœpit eum deturbare in barathrum peccati & interitus.

2 Vide argumenta quæ afferunt carnales cõtra sanctam uirginitatẽ, & quibus etiã hodie utuntur hæretici.

Rñdens itaque dicit ei. Si te accepero vxorem, quo te ducam aut vnde alam, cum nihil habeam? Ego enim, vt vides, pauperem vitam nihil possidens vixi hucusque omnibus diebus vitæ meæ. Rñdens autem mulier dixit ei. Domine mi, tu solum mihi assentire & mecum habita. & fruar tua pulchritudine, & tua iuuentute. Habeo enim domum, & aurum & argentum, magnasque & præclaras possessiones, seruosque & ancillas. Quorum omnium ego te Dominum constituam. solummodo assentire meo scopo & mecum habita. magno enim amore tui cor meum vritur. Hæc ea dicente, vel potius hæc eo loquente qui fuit homicida à principio, nempe Diabolo, cœpit vir dimoueri à bono suo proposito, & inflammari ad carnis cupiditatem: & de cætero de peccato cum ea loquebatur vt id cum ea faceret. Deinde dicit ei, Mulier, expecta me parumper. Quoniam solent aliqui huc ad me venire & à me benedici, spectabo iam vias ne forte aliqui ad nos veniant, & nos inueniant in hac actione. & si Deum celare non possumus peccatum, inter homines saltem ne nos indecore geramus eos offendentes.

Hæc cum dixiſſet, egreſſus eſt è cella ſua. & ſtans ſupra excelſam rupem, vias conſiderabat.

Illo autem conſiderante & diligenter quoquo verſus ſpectante, benignus & clemens Deus, qui non vult aliquem perire, non deſpexit eius laborem ſuſceptum à iuuẽtute & precationem, ſed ei tulit opem. Nam cum ſtaret ſupra rupem, & vias conſideraret, auertit cor eius vt mutaretur à mala eius cogitatione. & immiſit in eum bonam mentem. & deſcendens ex petra inuenit ſarmenta arida. Quæ cum accepiſſet, ingreſſus eſt in cellã ſuam. & cum ea ieciſſet in mediam cellam, accepit ignem & accẽdit ſarmenta. Magna autem flamma accenſa & in altum ſublata, ſolutis ſuis calceis in medium ignem inſiliens, cœpit comburi toto corpore. & cum valde eſſet ab igne combuſtus, & ei dolerent pedes, egreſſus eſt è fornace. & veluti ſecum depugnans, dicebat. Quid eſt Martiniane? Recte te accepit hic ignis qui eſt ad tempus & hæc acerba pœna. Si autem potes hæc pati, accede ad hanc mulierẽ. Ipſa enim, vel per eã potius Diabolus ignẽ ęternum conciliat. Non eſt enim hæc cauſa, ſed is qui eam mouit vt impediret bonum tuum propoſitum. Cogita ergo ęternum illud ſupplicium ò Martiniane. vermen qui non poteſt ſoſpiri. ſtridorem dentium. Hic.n. ignis qui eſt ad tempus & cadit ſub aſpectum, ab aqua extinguitur, & dum ardet habet lucem. ęternus autem ignis & qui nunquam deſinit, neque vnquam ab aqua extinguitur, neque vllam habet lucem. Illi vermes nunquam ceſſant. Angeli qui præſunt ſuppliciis, in puniendo nunquam defatigantur ſuntq́ plane immiſericordes. Cogita hæc oĩa ò Martiniane: & ſi ea potes ſuſtinere, accede ad mulierem. Hæc autem dicebat ille ſanctus, ei in memoriam reuocans æternum ſupplicium cumq́ parum remiſiſſet labores, rurſus ingreſſus eſt in fornacem et ſtetit in medio ignis. & valde cõbuſtus exiit è fornace & cecidit humi. non poterat enim ſtare, cum ſe omni ex parte vſiſſet. Tunc ex toto corde ſuo ingemiſcens, dixit Deo cum lachrymis. Domine Deus meus eſto mihi propitius ꝓpter aſſenſum meum & impetum ad peccatum, qui examinas corda & renes. Tu enim es examinator cordium & renum. & tu cognoſcis cor meum Domine. Qm̃ te dilexi à iuuentute mea, & te deſideraui. & propter te corpus meum igni huic tradidi. condona mihi qui ex ſolus benignus & clemens Deus. Quoniam tu es benedictus in ſecula.

Hæc cum dixiſſet humi iacens, non poterat enim amplius ſtare propter plagas vſtionis, cœpit hæc canere. Quàm bonus eſt Deus Iſraël iis qui ſunt recto corde. Mei autem penè moti ſunt pedes. propemodum effuſi ſunt greſſus mei. & cum pſalmum impleſſet & precatus eſſet, ad ſe rediens mulier & veluti ſurgens è ſomno profundiſsimo, cum apud ſe conſideraſſet ꝙ propter animæ ſuæ ſalutem, corpus ſuum igni tradidiſſet, & recordata eſſe ſuarum malarumet im probarum actionum exuit omnem ſuum mundum veſtimentorum, & omnia ornamenta ſua iecit in ignem. & laceris pannis è pera eductis, ſe eis induit. & deinde procidens ad pedes beati Martiniani humi iacentis, cœpit cum multis lachrymis clamare & dicere. Ignoſce mihi ſerue Dei quæ ſum humilis & peccatrix. Tu enim Domine ſcis varias artes & fraudes Diaboli. ſed ora pro me peccatrice, rogo tuam ſanctitatem, vt per tuas preces ſalua fiat miſerrima mea aĩa. Hoc autem aperte ſcias, me non eſſe aliquando reuerſuram in meam ciui-

tatem,

tatem, neque ingressuram domum meam, neque esse visuram faciem mei cognati,aut mala esse via ambulaturam,sed conseruaturam esse meã animam. Scias vero hoc quoque ò Domine, ꝙ qñõ Diabolus contendit vt ego aduersus te militarem,ita ego quoq; militabo cõtra ipsum,in nomine Domini nostri Iesu Christi qui mundauit meretricem. & eum pudore afficiam. Arbitratus est enim fore vt me contra te in hunc montem sustolleret:sed me contra ipsum sustulit.& expectans fore vt te vincerem, à me habendus est ludibrio. & ea hæc dicente, assidue manabant lachrymæ ex eius oculis.

Beatus autem Martinianus respondens dixit ei. Dñs Deus meus condonabit tibi peccatum ò mulier. vade in pace.& qñõ dixisti,decerta pro tua salute.milita aduersus voluptatẽ carnis per pœnitentiã. & sic poteris malignum pudore afficere. Mulier vero rñdens.dicit ei. Rogo te,dic mihi quo vadens potero esse salua.Sanctus autem dicit ei. Vade Hierosolyma & cum veneris ad sanctam Bethleem,quære illic virginem sanctam nomine Paulinam,quæ ædificauit templum Domini nostri Iesu Christi:& ingredere ad ipsam: & renuncia ei quod factum est. & poteris apud eam esse salua. Illa vero surgens adorauit eum,dicens. Ora pro me peccatrice ò venerande pater,semper propter Dñm. Beatus autem Martinianus cũ dolore surrexisset è solo ex plagis vstionis, dedit ei paucos dactylos ad viæ solatium.& cum eam è cella eduxisset,& ostendisset viam quę ducit Hierusalem, dicit ei. Vade in pace mulier, & seruans serua tuam animam & decerta pro tua salute. Vide ne retro conuertaris. Nemo enim qui manum misit ad aratrum, & conuersus est retrorsum, aptus est regno cœlorum. Ne ergo retro conuertaris, hoc est, ad huius mundi voluptates. sed attende tibi ipsi ñe irridearis:& perseuera in pœnitẽtia. Deus enim est eorum qui agunt pœnitentiam. Ea autem his auditis,fletum suum auxit,dicens. Spero in Christum. in quem sperarunt gentes & pudore non sunt affectæ,ꝙ Diabolus partem in me non inueniet. Cumq; sic precata esset & adorasset Dei seruum Martinianum, ab eo recessit. Beatus autem cum eam 3 signasset signo crucis, dixit, Dñs Deus meus custodiet animam tuam,& seruabit te in finem. Hęc cum dixisset,ingressus est in cellam suã. humiq; cecidit, & suspirabat ac precabatur. Mulier vero ibat deflens ac precans, vt Dominus eam deduceret ad vitam æternam & salutarem. Et illa quidem nocte cum non potuisset permeare latitudinem solitudinis, mansit in loco ad quem venit. Mane autem cum surrexisset, ambulabat flens & orans.

3 *Beatus autem cum eam signasset signo crucis.*

Cum itaque triginta millia ambulasset,alto vespere peruenit Bethleẽ. & cum venisset in monasterium beatæ Paulinæ virginis, ingressa ad eã renuntiauit omnia quæ fuerant consecuta. Illa autem cum audiisset, Deũ glorificauit qui est clemens & misericors. & eam lubens accepit in monasterium: & eam indies instituebat in iis quæ pertinent ad salutem. Ea verò vsque adeò perseuerabat in fortitudine & exercitatione, vt beatissima Paulina sępe eam admoneret & diceret. Parce tuam carnem tanta affligere abstinentia,vt possit vsque ad finem sufficere. Illa vero magis magisq; intendebat, nulla in re remittens laborem exercitationis. Itaque circa eius finem petiit à Deo hanc gratiam, vt ei ostenderetur an accepta esset eius pœnitentia. Benignus ergo Deus curationes effecit p̃ eius preces.

Quodam enim die mulier quædam cui grauiter dolebant oculi, in monasterium venit vt curaretur. Volens ergo beata Paulina probare eius pœnitentiam, dicit ei. Filia accede ad Christum, & ora pro ea. vt per tuam intercesionem ei Dominus præbeat sanitatem. In paucis itaq; diebus, cum ea precata esset, sanata fuit mulier. Quæ etiam mundo renuncians, seipsam collocauit in eodem monasterio. Hæc autem beata Zoe, hoc.n. erat nomen eius, cum duodecim annos vixisset in monasterio, fuit in Christo consummata peracto cursu. Toto enim tempore suæ exercitationis vinum non 4 bibit. oleum non comedit, nec vuam, nec alium fructum. sed solum panem & aquam eaq; non ad satietatem, sed solum vespere comedens. & nonnũquam secundo die. Ea autem humi quoq; dormiebat. Hic est finis huius beatæ, & hæc sunt eius certamina.

4 *Ecce sanctæ mulieris miram abstinentiam & ciborum delectum.*

Vinum non bibit.

Oleum non comedit, nec uuam, nec alium fructum, sed solum panẽ et aquã.

Longa tenuit ieiunia.

Humi dormiebat.

Sed necesse est vt nos reuertentes ad vitam beati Martiniani, narremus præclara eius facta ad multorum vtilitatem. Post septem ergo menses curatus fuit à plagis vstionis. & ratiocinari cœpit apud se, dicens. Re uera nisi ex hoc loco recessero, & iuero in locum ignotum & occultum, nõ me sinet malignus requiescere. Deinceps ergo debeo talem locum habitare, ad quem fieri non potest vt mulier ingrediatur. Cumq; hæc apud se esset ratiocinatus, surrexit & orauit, sic dicens. Domine Deus qui es Dominus cœli & terræ, qui non vis aliquem perire, sed omnem hominem esse saluũ & ad agnitionem venire veritatis, præsto sis ad prouidendum id quod est conducibile meę humilitati. neque sinas animam meam perire in finem, sed fer mihi opem Dñe Deus virtutum. & esto mihi via, vita, & virga, & pera, & panis. Hæc cum dixisset, & totum corpus suum obsignasset, egressus est ex illa cella, & profectus est ad mare. Exclamauit autem Dæmon ante eum, dicens. Fortitudinem suam iactent meæ virtutes: & sit nomen meum præclarum, q contra te fui fortis. Nam & te è cella expuli. & corpus tuum igne combussi: & te fugitiuum effeci & captiuum. Et rursus dicit ei Dæmon. Fugis Martiniane. quocũq; autem iueris illic adero. & quõ te hinc fugaui, ita etiam te fugabo vbicũque volueris habitare. & à te non recedam donec te plane humilem & abiectum reddidero. Beatus vero rñdens dicit ei. Imbecille & miser, existimasti me esse à te expulsum è mea cella. an putasti me angore confectum recedere? Absit. sed vt te magis conculcem & nihili faciam. Et rursus ei dicit sanctus. Infelix. non tibi suffecit primus & secundus insultus tentationis. aggredere adhuc semel. Officinam quã aduersus me construxeras, eã dissolui & Deo meo obtuli. Vnde etiam illa te reputauit tanq̃ fimum & lutum, & conculcauit tuas improbas & malitiosas vires. & nec eius quidem vmbræ potes amplius appropinquare. eoq; hæc dicente, ab eo euanuit Diabolus.
„ Beatus autem cœpit hunc psalmum psallere. Exurgat Deus & dissi-
„ pentur inimici eius. & fugiant à facie eius qui oderunt eum. & psallens
„ inibat viam quæ ducit ad mare.

Cum autem venisset ad portum, inuenit Nauclerum quendam timentem Deum. & cum accesisset, dicit ei. Frater, scis ne aliquam paruam insulam in medio mari, in qua nemo habitat? Nauclerus autem rñdens dicit ei. Quanã de causa me interrogas, & quid vis? Dicit ei beatus. Volo quietem agere ab hoc mundo & ab hac vana vita. & non inuenio locũ in quo quiescam & fugiam maligni offensiones. Dicit ei Nauclerus. Est

in mari rupes angusta, admodum excelsa & terribilis, & quæ satis longo spatio distat à terra. Si quis enim fuerit proxime illam rupem, terram non videt amplius. Dicit beatus. Tali loco valde delector & eum desidero: ad quem maxime non possit mulier accedere. Dicit ei Nauclerus Et vndenam es habiturus nutrimentum? Dicit ei beatus. Pactum inter nos inibimus. Tu mihi victum suppeditabis & ego pro te ad Deum intercedam. Quinetiam operabor sedes super rupem. ad me solum affer ramos palmarum. & eos contexam meis manibus. quos tu à me tolles & vendes, & ad me afferes alimentum. Porrò autem mihi quoque accipies amphoras in quibus aquam reponamus. & cum panem fregerimus & refrigerauerimus, eum immittemus in amphoras. Venies vero tu in anno bis aut ter ad me afferens panem & aquam. Hæc cum audiisset Nauclerus, & cognouisset eum esse virum spiritalem, prompto & alacri animo cum eo conuenit se omnia esse facturum. Et cum paruam accepisset nauiculã, & beatum in ea accepisset, recta contenderunt ad rupem cum ventus esset secundus: & vespere ad locum peruenerunt. Beatus autem cum locum vidisset valde aptum, valde ei lætatus est animus. & cum Deo egisset gratias, & Nauclero bñdixisset, ascendit super rupem. Cumque ascẽdisset, psallebat dicens. Expectans expectaui Dñm & intendit mihi. & exau- „
diit deprecationem meam. Et eduxit me de lacu miseriæ & de lutu limi. „
Et statuit supra pedes meos, & direxit gressus meos. Cumque psalmũ im- „
plesset & precatus esset, dicit Nauclero. Abi in pace frater: & affer ad me amphoras & panem & aquam. Dicit ei Nauclerus. Vis ne afferam etiã tibi ligna, vt faciamus tibi paruum tabernaculum? Sanctus autem non passus est. sed erat sub dio sedens supra petram. & ęstu quidem torrebat, algore vero concrescebat. Tũc Nauclerus ad suos reuersus, attulit omnia quæ ei iusserat beatus. & ad eum ter quotannis afferebat panem et aquã. Beatus aũt Martinianus veluti requieuit egressus è mundo. lętabaturque & Dñm glorificabat in meditatione scripturarum & bona vita.

Sed sceleratus & malignus Diabolus ne sic quidem cessauit iustum bello lacessere. Sed illic quoque cœpit ei inferre tentationes. Nam cũ vna nocte mare mouisset & fluctus excitasset, ei ostendebat quod fluctus ferebãtur supra eius caput quindecim cubitos. & Dæmon clamauit dicens. Nũc te suffoco in aquis Martiniane. Beatus vero rñdens dicit citra vllam perturbationem. Imbecille & infelix cur frustra laboras? Tua enim spectra me non terrent neque tuæ minæ me timore afficiunt. Spero autem in nomine Dñi mei Iesu Christi, quod te ad finem vsque pudore afficiam. Cumque hæc dixisset, cœpit psallere. Saluum me fac Dñe, qm̃ intrarunt aquę vsque „
ad animam meam. Infixus sum in limum profundi, & non est substãtia. „
Veni in profundum maris, & procella me obruit. Cumque psalmum implesset, orauit dicens. Dñe Iesu Christe fili vnigenite patris inuisibilis, qui propter nostra peccata serui formam accepisti, & in terram descendisti, exaudi me. Certe Domine qui increpasti mare, & continuisti eius qui nequit cohiberi impetum. Qui increpasti ventos, & vicisti ea quæ vinci nequeunt. Qm̃ tibi omnia cum tremore obediunt, exaudi me: & fac cessare eam quæ aduersus me excitata est tentationem & fluctum maris. & pudore affice Diabolum qui impudenter aduersus me erigitur. qm̃ omnia potes Domine: & te solum decet gloria in secula. Amen. Eo ergo hæc di-

cente & orante ab eo euanuit Diabolus, & mansit ab eo illæsus. Sex itaq; annos sic degebat sanctus supra petram, omnem laborem & perpessionem sustinens pro salute suæ animæ.

Sed sic quoque ab eo non quieuit malignus. sed ei aliam intulit tentationem priore grauiorem. Nam cum quodam die obseruasset malignus & immundus Dæmon nauem venientem quæ portabat viros & mulieres, vento confregit nauem & allisit ad petram, & suffocauit omnes qui erant in naui præterq; vnam puellam. Vna enim puella quæ erat longe formosissima, potuit apprehendere tabulam & seruari. Et cum appropinquasset petræ vbi sedebat beatus, ab ea pependit & cœpit clamare, miserere mei serue Dei altissimi: & porrige mihi manum auxilij. & serua me ab hac aqua. & ne sinas me perire in profundo. Beatus aūt Martinianus videns non aliunde eam posse habere salutem aut auxilium, dixit subridens. Hoc quoque est maligni machinatio. Reuera nō vinces promptum meum & alacre animi studium ò Diabole. Deinde dicit apud se. Vę mihi peccatori, rursus mihi adest cordis probatio. Quid ergo faciam? Si eam dimisero in aquis, in eis suffocabitur, & maculabit meam animam in die iudicij. Sin autem eam assumpsero, non expedit mihi esse cum ea. Reuera hęc est in longe grauiori necessitate q̃ prima. Nam illa quidem cum esset in terra, poterat sæpe seruari. hæc vero non potest abiunde seruari. & cum suos oculos in cœlum extendisset, dixit. Domine Deus meus in quem speraui à iuuentute mea, ne sinas me perire. sed prouide id quod est vtile animæ meæ? Cumq; hæc dixisset, tradidit ei manum & eduxit eā ex aqua.

Cum autem animaduertisset eam esse speciosam, dicit ei. Igni cū fœno nequaq; bene conuenit. Non possum ego & tu hic simul esse. malignus enim in me operatur putrefactionem. Sed tu hic mane, neque quidq; timueris. habes enim panem & aquam. & q̄uo comedebam ego tu quoq; comede. vt tibi sufficiat donec veniat Nauclerus qui affert ad me panem & aquam. adhuc enim restant duo menses, post quos huc veniet. & cum huc venerit, narra ei quid acciderit. Is verò te hinc educet & deducet in tuam ciuitatem. Cumq; hæc dixisset, mare obsignauit ¶ signo crucis, & dixit. Domine Deus meus qui increpasti ventos & mare: eaq; tibi cum trem ore obedierunt, me quoq; aspice & mei miserere. & ne sinas me perire. Ecce enim Domine, confidens in sancto tuo nomine. me in mare proiiciam. Malo enim mori inconsiderate, quam cum corporis perturbatione consuetudinem habere cum muliere. Ad puellam autem conuersus, dixit. Esto salua mulier. Dn̄s custodiet animā tuam filia, ab omni insultu Diaboli, & te conseruabit in finem. Quæ cum dixisset, se statim iecit in mare. Statim autem eum duo Delphines exceperunt, & in terra deposuerunt. Puella vero, donec excessit ex oculis eius, videbat ipsum ferri sup aquas. neq; sciebat amplius quid factū esset. Beatus autem Martinianus in terrā egressus, orauit dicens. Ago tibi gratias Domine Deus meus, q fecisti misericordiam in meam humilitatem. sed etiam vsq; ad finem ne me relinquas bone Domine & benigne.

¶ *Mare obsignauit signo crucis, factaq; oratione se iniecit in illud, & à duobus delphinis saluus ad terrā perductus est, ò miraculum stupendum.*

Hæc cum dixisset, dicit apud se. Quid faciam nescio. In montibus non me finit Satanas, nec in mari. De cętero bonum est mihi meditari dictum
„ Euangelij & hoc facere. Docet enim Dn̄s sic dicēs. Si persequantur vos
„ ex hac ciuitate, fugite in aliam. Amen enim dico vobis, non finietis ciuita-

tes

tes Israël. Quæ cum dixisset, cœpit fugere & dicere. Fuge Martiniane, ne te comprehendat tentatio, fuge Monache. sicq; fugiens, & seipsum persequens, finiit dies vitæ suæ. nunquam ferens, neque peram, neque virgam, necq; duas tunicas, neque æs in zona, necq; aliquid aliud portans ad vsum corporis ex iis quæ debent inseruire homini. Sed vbicunq; ingrediebatur in ciuitatem aut in pagum, quærebat quisnam esset in ea vir pius. & illuc veniebat. & sumens quæ necessaria erant ad alimentum, exhibat. & sic fugiens & persequens perfecit dies suos. & vbicunq; eum deprehendisset vespera, seu in monte, seu in solitudine, seu in petra, illic manebat. Duos ergo annos currens & se persequens, pulchrum impleuit cursum, cum centum & sexaginta quatuor ciuitates obiisset.

Cum autem esset de cętero migraturus ad Dominum, venit Athenas. Porro beato Epo qui illic erat reuelatum est de decessu beati. Beatus vero Martinianus ingressus ecclesiam, cum præsciuisset horam mortis suæ, cadens supra scamnum, dicit iis qui illic erant. Vocate ad me cito vestrũ Episcopum. Illi autem eum existimauerunt esse stultũ. Eo vero adhuc magis rogante, ei obedierunt. & iuerunt ad Epm, dicentes ei. Dñe, homo quidam iacet in ecclesia super scamnum. & nescimus sit ne stultus, aut quis sit. Nobis certe dicit. Vocate ad me cito Epm vestrum. Pius autem ille Eps dicit eis. Stulti estis vos. Ille enim & me & vobis est altior. & surgens protinus propere iuit in ecclesiam. Beatus vero cum eum vidisset, non potuit quidem surgere. sed manus suas extẽdit supra solum, & sic debitum honorem ei reddidit. Eps autem abundantiorem ei honorem tribuit, dicens. Iampridem Deus mihi est pollicitus se suum seruum mihi esse ostensurum. & qui est à mendacio alienus impleuit quæ dixerat. Tu autem qñ habitabis in regno cœlorum, meę quocq; 6 animæ recordare rogo te. Sanctus vero rñdens dicit ei. Benedic me venerande pater: & ora pro me, vt inueniam fiduciam dum sistar ante terribile tribunal Christi. Hæc cum dixisset, sustulit 7 oculos suos in cœlum, & dixit. In manus tuas Dñe commendo spiritum meum. & cum totum corpus suum obsignasset, dicit Epo. Commenda me Deo pater. Quod cum dixisset, subridente vultu Domino emisit spiritum, cum cursum consummasset, & fidem seruasset, propositæ coronæ accepta promissione, dignatus regno cœlorum.

6 *Vides sanctorum animas in cœlo existentes rogare pro viuentibus?*

7 *Orat sanctus cum sublatione oculorum in cœlum.*

Quis non miretur hunc sanctum & fortem Athletam? Quis non beatum pronunciet inuictum eius cursum & vitam plenam fiducia? Quis non narret & stupeat eius admirabilem quæ ex virtute agebatur viuẽdi rationem? Quõ ad finem vsque decertauit pro salute suæ animæ? Quin etiam martyrium suæ decertationis ipse sibi destruxit. Nam cum nõ adesset persecutio, neque Imperator neque Præses persequens, ipse sibi extruxit martyrium, vt qui aduerso fronte cum Diabolo bellum gesserit, & conculcauerit insolentem eius exultationem. Ipse ergo fuit sui & persecutor & Rex & carnifex seipsum torquens, & Martyr decertans: & Athleta coronatus, & iustus renunciatus. Quid ergo, eum vocabis Martyrem? Certe. Etenim vt fortis Martyr & Athleta ignem contempsit. & quod est admirabile, ipse sibi ipsi accendit fornacem & per hunc ignem sensilem conculcauit ignem ęternum. & quam aduersus ipsum mulierem excitauit Diabolus, eam per preces fecit perfectam Dei ancillam. ani-

mamq; à reprehensione alienam & puram Deo obtulit.

Sed oportet nos de illa quoq; puella quæ fuit relicta super rupem marinam, vobis narrare quemnam finem acceperit: & quemadmodum finem vitæ suæ peregerit citra vllam quæ in eam caderet reprehensionem. etenim propter eam rursus conceptæ beati preces non manserunt inefficaces: sed eam ad finem vsque conseruauerunt. Ipsa enim relicta supra petram, sic comedebat sicut ei iussit sanctus. Cũ autem venisset Nauclerus qui afferebat panem & aquam, & appropinquasset Petræ: & vidisset puellam stantem, existimauit esse spectrũ. & timore affectus cœpit à petra recedere, remis agens nauiculam. Illa autem clamans dicebat Nauclero. Ne timeas o frater. sum enim re uera mulier, & sum Christiana. veni prope me propter Dominum, & narrabo tibi verum. Illo autem minus fidente & magis timente, ipsa iurabat dicens. Per Regem Christum sum Christiana. De cætero veni prope me: & tibi ordine narrabo quid acciderit. Tunc nauem suam adduxit Nauclerus, & dixit ei. Vbi est qui hic erat Monachus. aut quid ei factum est quod recessit? Quis vero te huc adduxit? Puella autem cum se 8 signasset, narrauit ei quæ ipsis acciderãt. Nauclerus cum audiisset, dicit ei. Veni huc vt te hinc educam: & ibis in tuam ciuitatem. Mulier autem rñdens dicit ei. Ne rogo te Domine mi, ne me eiicias ex hac petra. sed fac mecum misericordiam & clementiam. & vadens in tuam ciuitatem affer ad me pileum & viridem tunicam cõtextam ex pilis & panem & aquam qũo afferebas ad beatum. & eãdem mercedem accipies à Domino Christo. Non est enim apud Deum distinctio masculi & fœminæ, sicut dixit Paulus Apost. Oẽs vos vnum estis in Christo Iesu. Ne ergo me abomineris humilem & abiectam quę volo salua fieri. Nisi enim benignus Deus me voluisset esse saluam, ego quoq; cum omnibus periissem in mari. Volente ergo Deo me seruare, tu ne me perdas qm̃ sum fœmina. Memento quod qui finxit Adam, is Euam quoq; creauit: & ipse ambos est fabricatus. & in vltimis diebus per sanctam virginem est manifestatus. Age ergo rogo te, vade in tuam ciuitatem. & qũo prædixi tibi, affer ad me virilem tunicam & pileum. & panem & aquam, & lanam. & adhuc huc vxorem tuam, vt cum illa verba faciam de lana. & vt illa me induat virili habitu. & Dñs Deus meus erit tecum oĩbus diebus vitæ tuæ. & dabit tibi in hac vita mĩam, & remissionem peccatorum. In illa autem, fiduciam & gloriam ante tribunal Christi.

8 *Ecce quam prompti erant ueteres sancti ad se signo crucis obsignandos.*

Hæc cum audiisset Nauclerus, & vidisset eius in Deum desiderium, dicit ei. Ecce ego faciam omnia quæcũq; mihi mandasti. solum esto fortis & strenua, & Dominus implebit desiderium tuum. Quæ cum dixisset, mouit suum nauigium, & iuit in suam ciuitatem. & accipiens vxorem secundo die, & quæcunque ei iusserat, accessit ad puellam. Et cum mulier ascendisset supra petram, adorauit puellam procumbẽs in faciem: & eduxit omnia ex naui. Puella vero rogauit virum vt secederet in nauiculam, vt virili habitu indueretur. Cum ipsa autem secessisset, simul exuit vestes muliebres & muliebrem imbecillitatem, & virili se accinxit prudentia. & induit vestes viriles, nempe pileum & virilem tunicam contextam ex pilis. & stans precata est Dominum, dicens. Dñe qui exaudisti omnes sanctos tuos à seculo, exaudi me quoq; peccatricem. & consumma me in hoc loco & habitu nulla affectam ignominia. & conserua meam aĩam.

& confirma cor meum. & corpus meum corrobora. & deduc mentem meam & animam ad hoc vt tibi placeam & impleam tua mandata. & iis qui mihi obedierint prębe Dñe bonam mercedem. Qm̃ est benedictus in secula. Amen. Post hæc autem, dicit mulieri. Rogo te Dña, dum panis & aqua ad me affertur, fac vt lanam quoqꝫ ad me afferas. & cum parauero, reddam tibi, ne panem gratis comedam. Has quoqꝫ meas vestes tibi habe ad mei monimentum. Hæc cum dixisset, dimisit eos in pace.

Tertio autem quoque mense accedebant ad eam Nauclerus & vxor eius, ei afferentes quæ necessaria erant ad alimentum Beata autem exultabat & glorificabat Dñm in veneranda & bona vitæ agendæ ratione. Fundebat vero interdiu quidem 9 duodecim preces. noctu autem vi- 9
gintiquatuor. Alimentum autem eius erat, in duobus diebus libra panis, *Nota hic multa.*
& aquæ poculum vnum. Sicqꝫ perfecit cursum suum in bona viuendi ra- *Crebras orationes.*
tione. Erat autem cum venit ad petram, nata annos vigintiquinque. in *Longa ieiunia.*
petra vero vixit sex annos. Duobus autem mensibus antequam veniret *Miram abstinentiā.*
Nauclerus & vxor eius, tradidit beata Photina Christo suum spiritum. *Victum tenuem.*
cum peregisset cursum suæ exercitationis in sincera fide & bona vitæ agē- *Cibum panis & po-*
dæ ratione. vt etiam ipsi Nauclero de ea reuelaretur. *tum aquæ.*

Postqꝫ autem impletum fuit tempus duorum mensium, accessit Nauclerus cum sua vxore. & inuenit eam mortuam & decore honesteqꝫ iacentem. & manus habentem in formam crucis. osqꝫ habens honeste clausum: & similiter oculos diligenter clausos. & vt semel dicam, eam tam honeste iacentem, vt ipsi putarent eam dormire. Accedentes vero, eam inuenerunt mortuam, & Deum glorificarunt. Erat autem eius vultus post tot dies tanq̃ flos matutinus, suauem odorem emittens & cum adoras- 10
sent venerandas 10 & sanctas eius reliquias, acceperunt in nauiculam, *Et cum adorassent*
& tulerunt Cæsaream ciuitatem Palæstinæ: & renunciarunt ei qui tunc *venerandas & san-*
erat Eps̃ vitam qꝫ ex virtute egerat. Quamobrem iussit ipse Eps̃ eam se- *ctas eius reliquias.*
peliri 11 in loco honesto & insigni, cum lāpadibus & hymnis diuinis. 11
Ad gloriam Dei omnipotentis, & Domini nostri Iesu Christi. Cui glo- *Iussit eam Eps̃ sepe*
ria & potentia, cum patre & sancto Spiritu, nunc & semper & in se- *liri in loco honesto et*
cula seculorum. Amen. *insigni, cum lampa-*
dibus & hymnis di-
uinis. Ita enim chri
stiani sepeliuntur.

VITA ET MIRACVLA SANCTI *patris nostri Auxentij Abbatis.*

Februa. 14.

CVM antiqui patres & factis & verbis fuerint insignes. & diuersis operibus, eorum qui in vinea quæ percipitur intelligentia, mane simul & hora tertia & sexta simil'r & nona vocati sunt sanctorum, ad ędificationem corporis ecclesię, labores conscripserint, non est absurdum nos quoqꝫ qui ꝑpter socordiam & inscitiam ab eis lōge sumus remoti, vere conscribere iustorum virorum vitam qui circa horam vndecimam in eadem vinea laborarunt, ad vtilitatem fidelium qui legunt & audiunt. vt qui volunt habere piam rationem ducem vitæ præsentis, constanter sequantur viam Patriarcharum, Prophetarum, & Apostolorum, Martyrumqꝫ & iustorum. cum eorum quidem virtutibus contendentes, sulfulti autem & stabiliti eorum orationibus, Quæcūqꝫ enim prius scripta

sunt, vt dicit diuinus Paulus, scripta sunt ad nostram admonitionem. Eo ergo freti qui dixit. Dilata os tuum & implebo illud, conuertamur ad propositam narrationem.

Tempore Theodosii iunioris, xxxv. anno eius imperij, fuit vir quidam nomine Auxentius qui erat relatus in numerum quartæ scholæ fortissimorum & Christi amantium scholarium. ex genere quidem orietali: in pietate autem & omni christiana doctrina eruditus, roburq́ corporis & fortitudinem in ipsa forma gestans. morumq́ modestiam & virtutem gerens in animo. dogmaq́ habens sanum in fide Apostolica, & plurimũ studium in generalibus vigiliis pernoctationum. Qm̃ vero quæ ante hęc ab eo facta sunt nos latuerunt, ab hoc fundamento initium ducamus orationis. Hic ergo sanctus & diuinus vir Auxentius, habebat patruum Bysantij in militiam relatum, optionem numeri. Quem requirens cum ascẽdisset ex Syria, & non inuenisset propterea ꝙ prius decessisset, militauit scholaris. Cum ergo esset in exercitu insignis, frequenter etiam versabatur cum iis quorum celebrabatur exercitatio & virtus. maxime autem cum quodam Ioanne Monacho qui prope septimum stabat in Clubo cuius etiam vestigiis insistebat tanq̃ nubes Christi. simul cum quodam qui vocabatur Setas, viro omni ex parte honesto, & Marciano qui tunc erat Laicus sectę Nauatianorum, haud ita multo post mortem vnitus fuit ecclesiæ catholicæ, & factus fuit Oeconomus sanctissimæ magnæ ecclesiæ Constantinopolitanæ. & Anthimo viro magno & admirabili, qui tunc erat ordinarius decanus diuini palatij deinde factus fuit Diaconus, & postea etiam Presbyter. qui etiam post decessum eorũ qui prius dicti sunt, ornauit, & cum lætitia, in hymnis & canticis, per choros virorum & mulierum, celebrauit easdem pernoctationes, quibus assidebat beatus Auxentius. Vt plurimum autem ambo simul congregabantur in sancta Irenæ quæ sita est ad mare, domi cubantes & 1 vigilantes, & fontes lachrymarum effundentes, perseuerantes in ieiuniis & orationibus.

1 *Domi cubantes & vigilantes, & fontes lachrymarum effundentes, perseuerãtes in ieiuniis et orationibus.*

Cum ergo quodam die cum eis venisset in vnam congregationem, antequam inciperet glorificationem, noctu siti eum vexante, aquam petiit ab vno ex ministris, qui currens in Diaconicum, dicit Oeconomo, Dominum Auxentium cum reliquis viris bonis petere potum. Iussus ergo in vase temperare vinum benedictionis, ad eum attulit. Postq̃ autem id accepit magnanimus Auxentius, ori admouens refecit naturalem sitis necessitatem. & sic prius dicto pio Marciano qui petierat reliquum tradidit. Ille vero cum labris admouisset & sensisset esse vinum, ęgreferens ꝙ pręter 2 morem talis potus esset eis allatus, proximo vocem emisit. Vinũ est ô frater. Memoratus autem ei dicit Auxentius. Ne ægreferas, inquit, Dei dona. nam nos quidem aquam petiimus. Sin autem Dominus Christus eius loco vinum prębuit, gratias agamus & ne ęgreferamus. Etenim cum vinum defecisset in nuptiis, per suam gratiam aquam mutauit in vinum. Sic alter quidem ostendit inuitus perfectam quæ ei aderat abstinentiam. alter verò lubens conculcauit fastum vanæ gloriæ. Rursus autem quidam ex viris bonis qui sequebantur, se pauperem esse significans, molestus erat beato Anxentio, petens ab eo indusium benedictionis gratia & paupertatis. Is vero dicit ei. Ora vt Dñs mittat, & à me accipies. Nõ enim superauerant ei vestimenta, propterea ꝙ quæcũq́ in eum incidebãt

2 *Ecce quomodo sancti ueteres patres pro uino aquam bibebãt.*

daret

daret pauperibus. Ille vero promissionem arripiens tanquã schedulam, assidue exigebat.

Quamobrem cum multum ei esset molestus, & vna vespera rursus ab eo esset admonitus, dicit ei: Adsis frater, in loco opportuno accepturus petitionem. Postq; autem fuit in loco occulto, exuit se tunica qua erat indutus, & dedit ei. & mansit in sola penula. Post hymnum vero dictum ambobus recedentibus, sensit quod factũ fuerat qui prius dictus est vir pius, & dicit ei. vniuersa ne vita tua ita agitur & hæc est charitas tua vt cares tunica nobis non confidas? Quamobrem tanq̃ subridens dicit ambobus. Ab eo qui mihi sæpissime vobis præsentibus impudenter putabat insidias, vix tandem sum liberatus. Sed rogo vos vt eamus ad dominum Ioannem Monachum qui est in Clubo, visuri Dei gloriam. Cum itaque inter eos conuenisset, post vnum diem ad eum veniunt. & vident eũ qui tunicam acceperat, adesse tristem. Finitis autem precibus dicit beatus Ioannes, tanq̃ amicis suis & familiaribus. Orate fratres pro hoc mendico. Nam quos habebat viles pannos abstulit aliquis & aufugit. Beatus vero Auxentius lęto vultu cœpit ei qui id fecerant benedicere. Dicit autem ei vir iustus sicut Balaam Balaæ. Iussit te execrari, & tu ei benedicis? Rñdens autem beatus Auxentius dicit mendico. Redde vota tua Domino frater, quot habebas indusia? Ille vero rñdit cum fletu, septem. & id quod mihi præbuisti. Dicit ei beatus Auxentius. Q̃m ergo cum septem haberes non fuisti contentus: sed vnum quod habebam, tantam mihi molestiam exhibens, accepisti, hoc effecit vt illa quoq; fugerent. Cum eũ ergo placide redarguisset, & cum iis qui simul erãt ferculum accepisset, recessit.

Quodam vero die in palatio procedens, videt quẽdam teneri & trahi à militibus, orans autem dicit de more, Qui liberas mendicum à manu eius qui sunt ipso fortiores, veni nunc quoq; ad dandum auxilium. Quæ cum dixisset, effecit vt is relaxaretur. Transiens autem per Battopodiũ, vidit quosdam opifices deflentes & dicentes. Venit ad nos tempus quo simus otiosi & nihil agamus. claudamus nostras officinas. Cum vero audiisset & eorum esset misertus Christi miles Auxentius, die sequenti diuertit in vnam ex illis officinis, mutato habitu vt fertur de Serapione. & dicit. Quam mercedem mihi dabitis, & stabo in vestra officina? Illi aũt dixerunt. Ludificaris nos iuuenis. q̃uo tibi dabimus mercedem cũ simus pauperes? Rñdens vero dixit eis. Laborabo vobiscum accipiens quotidie tres pholes. Illi autem lęti eum acceperunt. Qui cum fuisset illic tres dies, valde creuit & floruit illa officina. Acceptis itaq; nouem pholibus, recessit ab illis. Is autem ea dedit pauperibus. Dolore vero affecti sunt opifices illius officinæ, egresso admirabilium effectore Auxentio. Tres. n. dies quos illic egit, non gustauit neque panem neque vinum, nec aliquid aliud. adeò vt mirarentur qui illic erant & dicerent ei. Cur non comedis & bibis nobiscum? Is verò dicebat eis. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod egreditur per os Dei. Illi verò siluerunt, non ausi amplius ei esse molesti. renunciarunt autem oẽm copiam & prosperitatem quæ facta est per preces eius in officina sua, Deum glorificantes.

Rursus vero aliquot pòst diebus, veniente ipso in palatium, occurrit ei quædam mulier prægnans passis crinibus, clamans. O' vis quæ affertur ab Auxẽtio qui comedit Dæmonia. Viginti annos latui in hac creatura.

& eius transitus me abduxit ab huius vnguibus. Sic enim per me transiit tanq̃ ensis, & me discerpsit. & ecce separor ab hac creatura post spatium viginti annorum. Ego autem suo subditis calcaribus Christi seruus Auxentius, ne cognosceretur ab hominibus, festinabat transire celans quæ in se erat gratiam. Immundus autem spiritus sequebatur eum dicens. Quid me trahis? egredior. Congregatæ vero sunt circa eum multę turbę. adeò vt suspirãs & flens beatus 3 orauerit vt ea curaretur. Hoc autem facto & ea statim mundata, illæso fœtu, erat enim grauida, stupebant omnes & admirabantur, Deum glorificantes qui talem potestatem dedit seruis suis aduersus immundos spiritus.

3 *Suspirans & flens Auxentius orauit, et mulier à Dæmonio liberata est.*

Postq̃ autem hæc facta sunt, non volens Christi miles Auxentius laudari ab hominibus, sed encomiis celebrari ab Angelis, spiritu prȩuidens in sanctissima ecclesia nascituram vani dogmatis hæresim, Nestorij, inquã, & Eutychis relicta terrena militia & aula Imperatoris, cum magno gaudio peregit id quod olim desiderabat. Nam ab omnibus quæ ad vitam huius mundi pertinent & magno studio ambiuntur, copiis, inquam & splendore, & aliis rebus materialibus, & ab ipsa regia ciuitate se separãs, proficiscitur ad partes desertas Bithynię. & cum ascendisset ex transuerso montis qui vocatur Oxea, qui distat circa decem millia à Chalcedone, stetit supra petram 4 extollens sanctas manus, Deumq́ glorificans, & dicens. Tu Domine singulariter in spe collocasti me. Cum ipse vero circa vnum mẽsem fuisset in montis latere supra petram, ascenderũt illuc pueri gementes & clamantes, q̃m cum pascerent oues eas perdidissent, & cum vidissent virum iustum, valde sunt mirati, existimantes eum esse feram agrestem: & fugerunt. indutus enim erat veste cõtexta ex 5 pilis & pellibus, imitans vitam Ioannis præcursoris & Baptistæ. Cum eos autem aduocasset beatus Auxentius, dixit. Nolite timere filij. sum enim homo vobis similis. Quid vero quæritis? Dicunt pueri. Greges nostros. eos enim amisimus. & ideo affligimur. Christi autem seruus Auxentius misertus, orauit multas horas. Cum vero ipsis pueris bñdixisset, dicit eis. Ite ad sinistrum latus montis, & inuenietis vestros greges. Rñdentes autem pueri dicunt ei. Ter circũiuimus montem hunc inaccessum: & non potuimus eos inuenire. & q̃uo nunc inuenientur? Sanctus aũt dixit eis. Ite, vt dixi vobis, in nomine Domini ad sinistrum latus montis, & eos inuenietis. Euntes vero, eos statim inuenerunt. & cum domum venissent, renunciarunt suis parentibus. Cum perdidissemus greges, & ter Oxeæ montem circuissemus, & eos non inueniremus, aspeximus virum in veste ex pilis: & graui timore affecti fugiebamus. Ille autem nobis aduocatis precatus est & cum accepisset causam propter quãm flebamus, iussit nos euntes ad sinistrum latus montis inuenire pecudes. Cum sic ergo fecissemus, eas statim inuenimus.

4 *Vide orationem cum subleuatiõe manuũ.*

5 *Vide etiã asperitatẽ uestitus sancti.*

Cum hæc autem audiissent parentes illorum puerorum, congregatis viris ex iis quæ erant circuncirca prædiis, supplicantes ad eum iuerunt. & inuenerunt beatum solum stantem supra petram, & Deum precantem. & omnes vno ore eum rogarunt vt ascenderet supra verticem montis & oraret pro eis. Sanctus vero persuasus eorũ adhortationibus, iussit eis ędificare paruam cellam, & Clubum extra cellam. in quo etiam fuit inclusus lætus corde psallens & dicens. Factus sum sicut passer solita-

ries in tecto Frequenter ergo ascendentes fruebantur eius precibus. Nam per paruam fenestram eis benedicens & consulens quæ pertinent ad salutem, lætos dimittebat. Cum ergo Dei in eo scaturiret gratia, & eius fama in omnem partem peruaderet, quædam Comitissa ad eum venit è Nicomedia repente excæcata. & procidens ad eius pedes dixit, Miserere mei serue Dei Auxenti: & sana meos oculos. Beatus autem præsentibus iis qui conuenerant dixit. Ego quidem sum homo peccator & iisdem affectionibus quibus vos obnoxius. Si vero creditis, quod qui eum qui erat ab ortu cæcus curauit, hanc quoque rogantem nō despicit, sincere pro eius salute deprecemur Cum autem omnes 6 orassent, sanctus tāgens eius oculos, dixit. 6
Sanat te Iesus Christus lux vera. Cumque ea statim respexisset, & pauperibus qui in eo loco assidebant plurima erogasset, eam dimisit sanctus lætantem & Deum glorificantem. Hoc fuit principium miraculorum eius in monte Oxeæ.

Oratione & tactu sanctus Comitissam excæcatum sanat, & respicere facit.

Eorum autem qui ab immundis vexabantur Dæmonibus magna aduētabat multitudo, partim quidem ex indigenis, partim autem ex alienis. ex quibus plurimi per eius preces, fideliter accedentes, & digne pœnitentiam agentes, sunt curati. Non sustinens vero nullam curam geri eorum qui assidebant in monte, & eorum qui longi interualli labore erant afflicti, cum ipse nullo egeret eorum quę oblata fuerant, iussit panes afferri hora sexta & dari iis omnibus. Cum decem autem annos illic esset versatus, & plurima peregisset certamina, non aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus: aduersus potestates, & principes tenebrarū mundi huius, vt dicit Apostolus. aduersus spiritalia nequitię: & ea vicisset fide per patientiam, vir quidam fidelissimus ex iis qui aliquando fuerant eius familiares, cum soleret ad eum accedere, & ex eo magnā caperet vtilitatem, dicit cuidam alij ex eadem quarta schola. Volo die sequenti ire ad Dñm Auxentium. Veni tu quoque, & plurima fruamur vtilitate. Ille autem diabolico quodam instinctu ab eo alienus non solum non fuit persuasus vt iret: sed etiam eum cœpit maledictis incessere & irridere, eū vocans planum & impostorem & mercedem prębentem iis qui se simulant esse Dæmoniacos ex tribus & sex Philibus, vt videantur argui ad multorum deceptionem, Cū alter vero his esset obstupefactus, & maius studium adhibuisset, postquam eum increpauit & iuuit, moderate cū eo egit, ita vt incredulum secum assumeret & cum eo ascenderet. Quem etiam persuasum vix tādem secum sursum duxit. Sed cum ad eum venissent, vt solebat hora tertia excepit eos qui accedebant. Neque enim licebat indiscriminatim ei exhibere molestiam, nisi in tempore solito. in quo eos qui aderant primum adhortabatur ad glorificationem. Deinde sic verbo gratiæ adhortans, & benedicens vnūquemque dimittebat. Cuius quidem glorificationis expressas quoque ab eo laudes dicemus postea. Læto ergo vultu ei qui ad eum accedebat cum fide, dixit quæ erant conducibilia, cum altero qui erat incredulus ne verbum quidem locutus. Quamobrem postquam fuit dimissus, pluribus rursus maledictis beatum Auxentium insectatus est incredulus, vt qui gloriæ causa. & non virtutis quidquam faceret.

Cum ipsi autem ad Hemerum descenderēt ad nauigandum, hoc est autem emporium Chalcedonis, puer increduli fit obuiā scissa tunica, eiulans & lamentans. Cum vero causam sciscitatus eius Dñs non quam primum in-

tellexit, puero præ timore & mœrore id quod acciderat narrare differente: hoc autem solum dicẽte, Res mala nobis accidit ò Domine, acrius & vehementius respondens eius Dñs, dixit. Dic quid sit furtum ne in me est admissum, an passus sum incendiũ? Puer dicit. Nequaquã: sed filia tua domi grauiter vexatur à Dæmone, adeò vt nos eam non posſimus superare. Tunc ille stimulo motus conscientiæ, cœpit faciem percutere & vellere capillos, & magna voce clamare. Væ meæ incredulitati. Eo autem se diu lacerante & lamentante intolerabiliter, alter qui cum ipso erat fidelis, dixit ei sicut Seruator Iairo. Solum crede, & salua erit puella. Cum ille vero incredulitatem perfecta fide correxisset propter hanc occasionem, & clamaret. Credo Domine, fer opem meæ incredulitati, traiicientes simul venerunt domum. Qui cum vidissent calamitatem, & puellam quæ vexabatur intolerabiliter, & inuocantem beatum Auxentium, clamabant oẽs cum fletibus & eiulatibus. Deinde dicit amicus patri puellę. Age ò amice, quomodocũq; poterimus eam vinciamus, & transmittẽtes deferamus ad sanctum virum cum ipse à Deo posſit impetrare eius curationem.

Cum hoc autem fecissent & viro sancto appropinquarent, puella cœpit efferari, & mirandum in modũ furere, & latrare vt canis. & perinde acsi traheretur ab aliquo, maiori cursu currere. Cum vero peruenisset ex aduerso fenestræ cellæ beati, constitit, & ibi grauiter torquebatur. Et qui sequebantur cum valde deflerent calamitatem, & ipsa valde vexaretur, aperiens fenestram sanctus pater noster Auxentius, & eam grauiter aspiciens dixit. Tribus pholibus. aut sex pholibus Qui autem aderant, cum iterum hanc vocem à sancto dictam audiissent, se cum patre puellæ humi proiecerunt, clamantes. Miserere serue Dei altisſimi & ignosce. Omnium enim Dñs & Seruator Christus per te præuidet ea quę per te dicuntur & fiũt, vt qui in te habitet q es eius famulus. Beatus itaq; mansuetudine reprimẽs seueritatem omnibus prope accersitis, dixit patri puellæ. Si etiam reliquis, vt tu dixisti, mercedem præbeo ex tribus & sex pholibus, filiæ tuæ quantum dedi? Ille autem rursus flens vehementer, se proiiciens in terram petebat veniam. Cum itaq; esset precatus beatus Auxentius, & crucem quę super baculum erat in eius manibus, misisset per vnum ex iis qui apud eum perseuerabant, fecit cessare puellæ vexationem: & docuit omnes qui conuenerant, non 7 oportere non habere fidem Dei admirabilibus, quæ ab ipso fiunt in vnaquaq; generatione per eos per quos ei videtur. Patriarchæ enim & omnes Prophetæ, & similiter etiam Apostoli, erant homines. & à diuina incitati gratia, conuenienter diuino Apostolo, extinxerunt vim ignis obstruxerunt ora Leonum. & fecerũt omnia quæ deinceps scripta sunt. Porrò vero ipsa quoque vox Domini que nos adhortatur vt credamus, sic dicit. Omnia quæcũq; precantes petitis, credite q accipietis, & erunt vobis. Benigno ergo Deo præbente qñ vult & per quos vult, non oportet nos esse incredulos. Cum itaq; vnam hebdomadam iussisset puellam manere cum parentibus precatione armatis & ieiunio, & ipsam sanam restituisset, dimisit eos in pace. iubens vt irent frequenter ad sanctisſimam ecclesiam.

7 *Notent hæc hæretici, qui sanctorum merita & miracula impudenter negant.*

Aliquot autem pòst diebus ascenderunt ad eum duo quidam viri laborantes elephantia, qui à Deo per ipsum petebant sanationem. Sanctus vero dicit eis. Quodnam est vestrum peccatum, q hæc plaga in vos incidit?

dit ? Illi autem hæc audientes, prociderunt ad eius pedes, dicentes. Miserere nostri serue Christi, & ora vt nos curemur. Rñdens, vero beatus dicit eis. Hoc vobis accidit ò fratres, propterea ꝙ frequenter iuraretis. Sed de cætero oportet vos desistere ad iram prouocare Dñm Deum vestrum. Quę cum dixisset & omnes esset ad precandum adhortatus, ipse 8 quoque flexis suis sanctis genibus ad aliquot horas, & effusis multis riuis lachrymarũ, surgens accepit oleum sanctorum, & eos vnxit à vertice vsq; ad pedes, dicens. Sanat vos Iesus Christus. Ego enim sum homo peccator. Statim autem sunt sanati. & domum redierunt cum gaudio Deum laudantes & ei tribuentes gloriam: & omnibus renuntiantes. Vidimus hominem qualis nec fuit in antiquis generationibus. Dixit enim nobis omnia peccata nostra. & cum pro nobis multum ad Deum defleuisset, nos curauit vngens sancto oleo.

8 *Ipse quoq; flexis sanctis genibus ad aliquot horas orauit, effusis multis riuis lachrymarum.* Et ungẽs leprosos oleo *sanctorum à uertice usque ad pedes, sanos reddidit.*

Rursus autem due mulieres ad ipsum venerunt è Phrygia. Quarum vna quidem habebat coxam percussam ab immũdo spiritu. altera autem habebat legionem Dæmonum. quæ etiam tertio à monte lapide cœpit clamare & dicere. Quid mihi tecum rei est ò Auxenti, ꝙ me 9 castigans traxisti à Phrygia ? Nescis me esse legionem ? Sed scis rursus legionem Angelorum te circundare noctes & dies. qui quidem accipiunt tuas preces quæ nos vrunt: & eas offerunt altissimo, per quas etiã punimur. Ecce etiam post triginta annos me separat ab hac creatura. Hæc ergo & his plura dicens, accessit proxime cellam in qua beatus erat inclusus. & eam discerpit spiritus ante fenestram, & fecit eam obmutescere. Sanctus autem cum despexisset & eam vidisset, iussit vni ex iis qui aderant, ei dare manum & eam erigere. iacebat enim humi tanꝙ mortua. Cum vero surrexisset, rogabat sanctum cum altera muliere, vehementer flentes & ad eius genua procidentes, vt à Deo impetraret vt ipsas curaret. Sanctus autem dicit eis. Vndenã huc venistis, & quis de me vobis dixit, ꝙ possum vos sanare ? Quę vero lęsam habebat coxam, dixit. Ego ò Domine, huc veni per reuelationem. Quæ autem habebat legionem, dixit ei. Ego nescio qũo venerim. Quamobrem miserere mei quæ triginta annos vexor à legione. Earum itaq; misertus beatus, cum Deum vehementer 10 orasset cũ lachrymis, eas curauit. Illæ autem propter insignem suam grati animi virtutem permanserunt in monte Oxeæ, in quo stabat beatus, domum non reuertentes.

9 *Ecce quomodo Dæmones potestatem et uirtutes sanctorum confitẽtur, quas* Hæ*retici negant.*

10 Oratione *fusa cum lachrymis, duas mulieres sanat.*

Quidam vero alius paralyticus ad eum est allatus, iacens super currũ. Parentes autem eius proni ceciderunt, rogantes beatum Auxentium cum magno fletu, vt eorũ misereretur, & eum curaret, dicentes. Propter multa nostra peccata hoc accidit filio nostro. Sanctus autem Auxentius dixit eis. Et creditis ꝙ per me humilem & abiectum potest Deus eum curare ? Illi vero dixerunt. Certe Angele Dei. Fuisti enim missus ad nostram salutem. & credimus omnia apud Deum esse possibilia. Sanctus autem dixit. Secũdum fidem vestram fiat vobis. & accepto oleo sanctorum, cum totum corpus eius per se vnxisset, & eum sanum reddidisset, tradidit eum suis parentibus. Qui quidem abierunt læti in domũ suam, laudantes Deũ & glorificantes, propter magnalia quæ fecit per sanctum seruum in suum Auxentium in filium eorum vnigenitum.

Paucis autem post diebus venit mulier quædam ex Claudiopoli, filia

cuiusdam ciuis, quæ habebat Dęmonem formæ serpentis similem. vt quę sibilaret solum & non posset loqui, nisi vt canis. propterea q̄ eam desolasset Satanas. Quam cum vidisset Dei seruus Auxētius, fleuit acerbe dicens. Hei mihi, quō redactum est genus hominum in seruitutē alieni. Ipsa enim non est hoc passa pp sua peccata, sed propter multam sęuitiam & in homines maleuolentiam aduersarij. & clausa fenestra cellæ, spatio triū dierum non conuenit aliquem: sed rogabat benignum Deum, vt cōculcaret tyrannidem Draconis. Eo autem orante in cella, cœpit Draco loqui, rugiens in muliere & dicens. o ab vtero qui te edidit mihi infeste Auxēti, quō non combusisti tuam parentem, sed natus es ad mei 11 exterminationem? Riui enim tuarum lachrymarum me cōburunt. & preces tuæ tanq̄ tela arcus discerpserunt mea intestina. Non potes me separare ab hac creatura. Nam valde amo eius crines & eius ætatem. & de cætero ex ea non egredior. Compressus autem statim fuit aër, extiteruntq̄ fulgura & tonitrua & valde magnus imber. Mulierem vero discerpens Draco, & ei os obstruens, eam proiecit humi ab ea egressus. Cū fenestram autem aperuisset beatus post tres dies, vidit eam iacentem tanq̄ mortuam, & cum iussisset iis qui adstabant eam erigere, & solam reclinare, adhortatus oēs ad orationem, cum sanctas suas manus multas horas sustulisset, clamabat cum omnibus. Gloria tibi Domine. Gloria tibi Domine. Gloria tibi Domine. Mulier autem iacebat muta, non dans homini responsum. Post preces 12 vero iussit eam coram se afferri. & cum dedisset ei potum ex oleo sanctorum, statim locuta est. & cum surrexisset, ambulauit, vsq; ad suam senectutem à monte non separata, sed precibus & sancto perpetuo assidens, & Deo agens gratias qui eam sanauit.

11 *Et hic fatetur Dæmon sancti potestatem.*

12 *Longa oratione sanctus Dæmoniacam liberat, quæ etiam ex oleo sanctorum sumpto potu, ex muta loquens redditur.*

Post huius autem decem & nescio quot annos, cum quadraginta ante annis decessisset fidelissimus & orthodoxus Imperator Theodosius minor, imperassetq̄ venerandus & Christi amans Marcianus, fuit magna confusio & perturbatio circa dogma veræ nostræ fidei, sicut etiam cœpimus dicere superius, cum esset beatus Auxentius recessurus à rebus huius vitæ. Quidam enim Eutyches Presbyter & Archimandrita vnius ex monasteriis vrbis regiæ, conabatur renouare deliramēta & verba quę fuerant refutata & abolita à sanctæ & beatæ memoriæ Episcopis, à Basilio, inquā magno beatoq; & luminari orbis terræ, & Gregorio inclito Theologo, & Ioāne Chrysostomo, & iis similibus. Cum ergo alij quidem eius dogma sequerentur, alij verò eadem sentirent quæ Nestorius, adeò vt venirent in periculum dogmata fidei catholicæ, videns magnus & Orthodoxus Imperator Marcianus ecclesiam in magna confusione & perturbatione, decernit vt Episcopi tocius ferè orbis terræ 13 venirent Chalcedonem ciuitatem Bithyniæ.

13 *Intellige Imperatorē hanc generalem synodum auctoritate, sententia ex cōcessu Rom. Pont. cōuocasse ut patet in actis illius concilij, alioquin iuxta patrum canonica instituta nullū fuisset.*

Cum omnes ergo conuenissent Episcopi, adeò vt essent numero sexcēti triginta, iusserunt etiam conuenire beatum Auxētium Imperator & Epi. Cū autem magnus & diuinus pater noster Auxentius resisteret & nollet descendere, dicens non esse Monachorū docere, sed potius doceri. hoc vero iis solis conuenire qui sunt honorati potificatu, misit Imperator Marcianus quosdam ex monachis & Clericis qui erant circuncirca. simul cum militibus, res eius cognoscentes: & iussit vt nisi vellet sua spōte venire cū eis, inuitum adducerent. Illi autem cum accessissent, eū maxime vrgentes

nequaq; persuasere. adeò vt conuersi sint ad eum incessendum maledictis: & affirmarent eum non sapere. Conabantur itaq; eum vi exturbare: Sanctus autem eis cedebat. sed nondum perfecta mente, absq; superna volũtate. Nam cum duxissent artifices ad globum in quo erat soluendum, & totũ diem permansissent, nihil potuerũt facere. Mane vero dicit eis. Dicite mihi fratres & patres in quanam re male credo. & deinde sic prouidentia Dei globus aperietur. Illi autem dixerunt. Quòd cum pius Imperator Marcianus, pios qui vbiq; sunt Epos congregauerit ad vtilem considerationem dogmatum sanctissimæ ecclesiæ, tu non vis venire. Scis enim eam quæ nunc est confusionem. cum alij quidem sentiant cum Nestorio & schisma moliantur, propterea q; vocem Deiparentis auferant à casta & veneranda virgine & matre Domini. alij vero Eutychis vel Apollinaris potius tuentur dogmata, & confitentur Dominum Iesum Christum non perfecte carnem suscepisset ex semine Dauid: sed visione eum fuisse hominem prodigiose asserunt.

Hęc cum beatus audiisset Auxẽtius, dixit. Ego confiteor verbum perfecte carnem suscepisse ex virgine non experta opus nuptiarum. & ipsum adoro vt qui sit filius vnigenitus. qui cum patre quidem est expers principij quod attinet ad diuinitatem. in vltimis autem diebus ex ea visus, est quod spectat ad humanitatem. Solum enim hominem, vt nonnullli nugantur, filium Dei confiteri, est impium. Hæc cum dixisset, & eos vidisset instare, & manibus in cœlum sublatis iussisisset intensam fieri precationem, non tradidit seipsum. Illis autem insultantibus & globum dissoluere rursus aggredientibus, & nihil omnino valentibus efficere, beatus cum signasset globum, & ter dixisset, Benedictus Dñs, miti voce imperauit artificibus & sic eius volũtate sublatis tabulis quæ erant clauis affixæ eius fenestræ, eum eiecerunt. Adstiterunt vero iumenta & currus. vt eum collocarent vbi vellet ascendere. Cum autem recusasset locari super iumentum, strato curru, sanctum in eo reclinarunt, erat enim imbecillus & deiectus toto corpore, ex nimia exercitatione, & maxime ex laboribus, adeò vt exiret sanies cum vermibus. Inter quos quidam nomine Theophilus acri fide accurrens, cum vidisset effluxisse vnguẽ magni digiti dexteri eius pedis, eum abstulit. Sanctus vero dolens dixit. Frater, ego quoque sum homo, obnoxius iisdẽ quibus vos affectionibus. ne mihi exhibeatis molestiam. Cum autem cum magno tumultu imperarent bobus ij qui missi fuerant, vt emouerent currum, & nihil afficerent, diu animalibus manentibus immobilibus, cæperunt eos crudeliter verberare, & stimulis pellem eorum sauciare. Ægreferens ergo beatus cum iussisset eos cessare, & cruce quam 14 vt solebat habebat in manibus signasset animalia, & eis statim imperasset, ea fecit iter ingredi.

14 *Cruce quam habebat sanctus in manibus, signat animalia, & eis imperat ut gradiantur, cum prius essent immobilia.*

In via autem occurit Agricolis deflentibus & lamentantibus propter suas bestias, q. s. parerentur sicut homines, vexati ab immũdis spiritibus. Misertus itaq; beatus, cũ omnes iussisset intentos esse orationi, & ex imo corde suspirasset, & Deo supplicasset, eas curauit. Quædam autem mulier passis capillis, & mox occurit in via. quę etiam ad eum attulit infantem circiter trium annorum, qui possidebatur à Dæmone. Iustus vero cũ eum vidisset, cœpit manus extẽdere, & lachrymas effundere, & dicere iis qui aderant. Ne existimetis ò viri qui corde estis submersi, hunc puerum

peccasse, & vexari ab immundo spiritu. sed hoc propter nos contigit & propter nostram conuersionem. erat enim vultus infantis poné conuersus. Cum ergo precatus esset beatus Auxentius, & increpasset immundum
15 spiritum, inspirans 15 in faciem infantis, eum curauit. Egresso enim maligno & execrando Dæmone, fuit eius vultus sicut prius restitutus. Cúmq; eum sanctum recepisset mulier, domum rediit læta & Deo agens gratias. Rursus autem in via, puella quædam neptis Dorothei Comitis, ex peregrinatione venit eques vexata à sæuo Dæmone. Quam etiam à modico spatio allisit humi immundus spiritus ex Basternio. Cum autem surrexisset, scissa veste concurrit ad currum in quo erat beatus, latrans & clamans. Quid tibi rei mecum est Auxenti? Quid me vris? Quid me persequeris? Vtinam abortum fecisset vterus qui te peperit ad nostrum exitium. Ecce enim cum quatuordecim annos latuerim in hac creatura, studes me ab ea separare. Cum autem vidisset Christi seruus Athleta Auxentius eius nuditatem cum vexaretur à Dæmone, magna ira percitus, non siuit eam loqui. sed eum increpasset immundum spiritum, clamans magna voce dixit.
16 Egredere 16 immunde spiritus ex hac creatura, in noīe Domini nostri Iesu Christi, qui incarnatus fuit ex Spiritu sancto & Maria virgine. Stridens itaq; & eiulans Dæmon exiit protinus ex puella, cũ nec ei quidem fuisset omnino permissum nugari per creaturam.

Oratione & inspiratione à puero Dæmonem fugat.

Solo imperio Auxentius Dæmonem pellit à puella.

Milites autem cũ Clericis & Monachis qui consequebantur ex mõte, cum viderent signa quæ per ipsum faciebat seruator, admirabantur, & magis dubitabant q̃ credebant, dicentes ei. Hæc facis vt oculis appareãt ò illusor Christi. Sanctus autem subridens, dicit eis. Ego non sum Christi illusor, sed seruus Dei, credens in sanctam eiusdemq; essentiæ & indiuiduã trinitatem. confitensq; Deiparentem, sanctam & incorruptam virginem. Cum vero peruenisset ad prædium quod dicitur Sycides, iuuenis quidã nomine Gregorius ex pago Lyddorum, habens spiritum immundum, accessit ad sanctum in eandem possessionem, ad eius pedes procidens & dicens. Miserere mei serue Dei altissimi. qm̃ vexor à maligno Dæmone:
17 Beatus autem Auxentius, imposita manu eius capiti cum esset 17 precatus, spiritum quidem nõ sinit loqui. vt ipse autem exiret per Christi gratiam procurauit. Malus vero Dæmon egressus, latebat sub spina ꝑpter viam. vt reuertente adolescente ad eum rursus rediret. postq̃ autem percussi sunt boues, & ipsi currum erant moturi, cognoscẽs beatus in sancto spiritu, dixit adolescenti. Adolescens, caue ne eas per viam sinistram per q̃ iuisti. Illic enim à spinis est absconsus qui te expectat malignus. sed vade ad dexteram, Deo agens gratias, & dicens. Gloria patri. gloria filio. gloria Spiritui sancto qui locutus est per suos Prophetas.

Oratione & impositione manus Gregorium adolescẽtem à Dæmone liberat.

Cum autem iam accessissent in martyrium sancti Thalelæi, eum sequentes pauperes ex monte Oxeæ, simul deflebant & lamentabantur, & amplectebantur sancta eius vestigia. Videns vero Christi Discipulus Auxentius intolerabilem luctum cordis eorum, dixit eis. Abite filij, & sedete in monte in pace. ego enim sum vobiscum. Nam etsi corpus meum abducunt, at meus spiritus est inter vos. nec vos vnquam relinquam. Atq; milites quidem hæc ęgreferebant. pauperes autem reuersi sunt in mõtem sicut eis dixit Christi seruus. Cum in curru autem venisset ad monasteriũ quod erat in Phelio, repente iuuenis quidam nomine Isidorus, cœpit vexati

xari à Dæmone & clamare. Vę tibi Auxenti, qui non dedisti mihi potestatem vlciscendi impios Deorum hostes qui te suscipiunt, ad meam & meorum perniciem. Tuus enim transitus 18 omnia sanctificauit: & fugauit ex nobis plurimos, Dixit autem ei beatus. Tace & obtumesce qui malis gaudes Dęmon, in Christi nomine. Deduxerunt ergo è curru virũ iustum: & eum introduxerunt in ecclesiam sancti Ioannis. Stans ergo orauit horas aliquot, propterea ꝙ non posset genu flectere, ob vibices qui erant in suis pedibus. Postꝗ autem impleuit suas preces, eum introduxerunt in inferius triclinium, vndique clausis ianuis. Eo vero intus precante, foris fuit curatus Isidorus qui vexabatur à Dæmone.

18 *Solus sancti trãsitus sanctificabat oẽs & Dæmones fugabat.*

Quædam autem mulier vxor Maximiani Aurigæ, putans beatum Auxentium esse in monte Oxeę, venit ferens oneratis animalibus, oleũ, vinum, panem, caseum, legumina, stuppam, & ceram. Et magno quidem dolore est affecta, cum sanctum virum illic non inuenisset. Distribuit vero omnia pauperibus qui in eo loco perseuerabant. Eius.n. puella quæ vexabatur ab immundo Dęmone, ab ipso assecuta fuerat curationẽ: & beato viro valde erat dedita. Mirata ergo ꝙ vi propemodum deductus fuerat à monte. & degeret inclusus in monasterio quod est in Phelio, venit illuc meditans eloquium scripturæ, quod dictum est in pulcherrima sapientia Solomonis, & impletum in vita sanctissimi patris nostri Auxentij. Examinemus iustum, qm̃ inutilis est nobis. & aduersatur operibus nostris. Nam cum condemnassent eum tanꝗ maleficum, incluserunt, non concedentes vt quisquam eum conueniret. Cum fidelissimæ ergo huic fœminæ beatum videre non licuisset, aut eum conuenire, abiit flens domum, & marito suo omnia renuncians. Constantinus autem Dux exercitus & Artabius Comes, qui soliti erant venire ad sanctum virum, venerunt vbi erat, vt fruerentur solita vtilitate. Qui cum eum conuenissent, & ab eo consecuti essent bñdictionem, rogarunt ne daret occasionem iis qui male sentiebant: sed spe in Deum omnia quidem probaret, quod bonum autem est teneret, ad vnionem & concordiam sanctissimæ & catholicæ Dei ecclesiæ. Sanctus autem dicit eis. Fiat voluntas Dei sicut in cœlo & in terra. Rogarunt vero beatum vt aureos aliquot acciperet qui dedita opera ab eis afferebantur. Ille autem id non sustinuit, dicens eis. Pauperibus qui sunt in monte Oxeę, & fratribus meis in Domino, eos date. Ego enim habeo omnia & abundo per gratiam Dei. Valde vero magna sunt ex hac re affecti molestia, qui erant in loco Monachi. Sed illi quidem Christi amantes impleuerunt quod eis fuerat mandatum. Plurimi autem cum de cætero audiuissent, beatum de monte esse deductum & illic degere, eo venerunt.

Cum vero ad eum accessissent Monachi monasterij, rogabant tentantes quare non comederet. Ille autem dixit eis. Qm̃ experimentum quæritis Christi qui in me loquitur, qui non est infirmus sed potens in nobis, scriptum est. Non in solo pane viuet homo, sed in omni verbo quod egreditur per os Dei. Quodam itaq; die aperuerunt domum in qua erat, & posuerunt in ea sportam betarum. & sportam dactylorum. & sportam diuersorum bellariorum. Omnia autem certa mensura. & eum rogabant vt ex eis sumeret. Cum itaq; candelam fecissent, & puerum apud eum manere iussissent, incluserunt eum vna hebdomada. Et candelam quidem in-

uenerunt non consumptam & ardentẽ. puerum vero rogarunt quidnam faceret, & vndenam aleretur. Is autem dixit eis. Cũ eo quidem vidi glorificantium multitudinem. quinetiam ingredientem columbam & eum pascentem. Vermes autem qui cadebant è suis pedibus recolligens, eos rursus imponebat vlceribus. Quoniam autem puer à sancto iussus nemini dicere quæ viderat, rursus coactus fuerat ea effari, febre arreptus vno pòst die decessit.

Cum hæc autem facta essent, deductus fuit à Monachis & Clericis, & quibusdam aliis viris præclaris ad Ruffinianas, prope sanctos Apostolos in monasterio beati Hypatij, illic iussus agere silentium. Cum magno vero gaudio eum exceperunt qui illic erant Monachi cum eorũ Præfecto, viro vndiquaque optimo & gratia Dei dignato, vt qui esset Christi discipulus. Ab illo autem tempore non clauserunt fores monasterij, ꝓpter multitudinem eorum qui affluebant, partim ex hac regione, partim autem ex longe beatissima Constantinopoli. sed omnes benigne excipiebant promptoq; & alacri animo, plurimas accipiens oblationes. magnũ vero propter victum facientes apparatum, adeò vt fieret illud monasterium tanq̃ Abrahæ tabernaculum. Omnes enim ferè, seu dignos seu indignos, tanq̃ Angelos Dei accipiebãt. Beatum autem Auxentium cum in alto triclinio cancello inclusissent, rogabant vt oraret pro mundi & ipsorum salute. omne ei ministerium, & iis qui ad ipsum concurrebãt, impigre offerentes, propter cuiusuis bonis operis à Deo promissam remunerationem. Multi enim qui immundos habebant spiritus & lunatici, infirmiq; & paralytici illic asidebant: & illic curationem petentes per seruum Dei Auxentium, omnes curabantur. Vnde etiam quædam Comitissa cum de hoc beato audiuisset Auxentio, contendit venire & eum adorare Chalcedone ergo venit equo vecta. Et cum fuisset prope sanctos Apostolos, descendit ex equo, & pedes venit in monasterium. Cum autem esset ascensura vbi erat beatus, rupta veste & abiectis ornamentis suis, cœpit clamare. Quid mihi rei tecum est Auxenti Vermipes? pulchre abscondebar in eius intestinis. & ecce me eduxisti post viginti annos. Eam enim ingressus sum cum esset duodecim annos nata. nec me cognouit quispiã ad hoc vsque tempus: & me inuitum ab ea separas. Signifer vero & magnus pr̃ noster Auxentius, cum increpasset malignum & immundum spiritum: & iusisset eum obmutescere & è creatura non erumpere, à Deo supplex petiit vt faceret suam cum ea misericordiam. Cum autem dedisset ei de oleo sanctorum, & eam ieiunare iussisset quadraginta dies, sanam eam di
19 misit Christus, eam curans per eius 19 orationem. Multa vero præbuit pauperibus & monasterio sancti Hypatij.

Christus per orationem sancti mulierẽ Dæmoniacã curat.

Post hæc autem pius Imperator misso dromone ex Hebdomo, ꝙ illic esset Procensus, ad se accersiit beatum Auxentium. & cum eum vidisset toto corpore afflictum & exercitatione, magnam in eum ostendens reuerentiam, dicit ei. Scio te esse Dei seruum Dñe Auxenti. & debes consentire sanctæ & œcumenice synodo, ad hoc ne tu fias auctor offensionis iis qui eam volunt admittere. Sanctus autem r̃ndens dicit Imperatori. Quis sum ego canis mortuus, quod vt cum sanctis pastoribus connumerer iubet tua potentia, qui non recuso pasci & doctrina egeo? Imperator vero postq̃ plurima cum eo esset locutus, dixit. Considera quid expediat. &

ne nos afficias molestia. Nam nec nos quidem quidquam præter id quod oportet, sed vt decet, ad sanctisimæ ecclesiæ vnionem & non destructionem, concilium congregauimus. Hæc cum dixisset Imperator, & preces ab eo petiisset, eum dimisit. Cum vero venisset beatus Auxentius in monasterium sancti Hypatij in Rufinianis. & vidisset illuc magnam affluxisse multitudinem, cœpit omnibus præcipere vt abstinere à theatris, vt quæ essent causa impudicitiæ, adulteriorum, & falsi testimonij, periuriiq; & blasphemiæ, & omnium denique quæ sunt prohibita & Deo minime placent. sincere autem credere in sanctam & quæ est eiusdem essentiæ trinitatem. & confiteri Dominum nostrum Iesum Christum suscepisse carnem ex sancto spiritu & Maria semper virgine & Dei parēte. & asidere sanctisimis ecclesiis, in 20 psalmis & hymnis & canticis spiritalibus. Quidam vero ex multitudine qui accesserant febricitantes & horrentes, dignati contactu eius manus, sani sunt redditi. Ei autem significatum est adesse puellam quandam recens nuptam, quæ in thalamo correpta fuit ab immundo Dæmone, & se diuellit & comedit. Sanctus vero cum eam iussisset ascendere, dixit lachrymans. O' malam vestram phalāgem quę generi hominum semper insidiatur. obtumesce maligne spiritus. & egredere è Dei creatura, sine perturbatione & vlla iniuria. Perinde ergo ac si in soporem esset resoluta puella, ab ea recesit Dæmon. Cum autem surrexisset, abiit rursus sana in domum suam, lętans & Deo gloriam tribuens.

20 *Docebat sanctus audientes asidere sanctisimis ecclesiis, in psalmis & hymnis & canticis spiritualibus.*

Cum vero rursus mittens Imperator eum accersiisset, rogauit an assentiretur sanctæ synodo, & cum sancta cōmunicaret ecclesia. Dixit autem beatus. Quō possum cōicare, si non confiteatur esse Dei parētem semper virginem? Dixit ei Imperator. Si videris quæ sunt recte confirmata & stabilita à synodo ad destructionem reliquarum hæreseū, tu ne quoque assentieris? Si nihil aggressa est hæc sancta synodus quod tendat ad euertendum concilium trecentorum decem et octo patrum qui erant Niceæ: sed perfectam enuntiauit carnis susceptæ œconomiam Seruatoris nostri Iesu Christi, & quæ conuenit virgini Dei parentis vocem nō rursus abstulit, cōmunico & assentior, Deo agens gratias & vestræ pietati. Hæc cùm audiisset Imperator, osculatus est venerandum & sanctum eius caput. & sic deinde iusit tum cum maximo honore venire in magnam & sanctisimam Dei ecclesiam. Quamobrem magna eum populi consequebatur multitudo. Significans autem Imperator Archiepiscopo Constantinopolitano quæ ab eo dicta fuerant, iubet ei legi omnia quæ à sancta synodo fuerant definita.

Qui cum diligenter & accurate acta legisset, & persuasum habuisset, quod Dei voluntate, quæ aduersus Nestorij impias nugas, & Eutychis manifestum furorem decreta fuerant sancta confirmauit synodus. quandoquidem illa quidem direxit aciem aduersus eos qui negabant essentiā vnigeniti Dei filij. hæc autem aduersus eos qui infirmant & conuellunt Dei œconomiam dicendo quòd cum Deus esset ex Deo Dei filius, coæternus & eiusdem essentiæ & similiter atq; pater carens principio, in vltimis diebus nostræ vnitus naturæ, carnem suscepit. immutabiliter inconfuse. indiuidue. Nam cum quidam plane emotæ mentis, quæ propter nos facta est seruatoris dispensationem ausi essent corrumpere, humanæ naturę susceptionem putantes esse visionem quidam aūt cœleste corpus Do-

minum detulisse prodigiose assererent. alij vero duarum quæ definiuntur naturarũ cõmixtionem & confusionem: & alij mutationem Deum passum esse nugarentur: reliqui autem virginem Deiparentem nominare recusarent, qui in hac magna & Oecumenica synodo erant sancti patres, omnium quos ante scripsimus euertentes hæreses, non ex suis syllogismis, sed ex diuinis scripturis, & præclaris qui antea fuerunt doctoribus, magnum pietatis mysterium obsignantes, confirmauerunt vnicum & vnigenitum Dei filium, conuenienter fidei trecentorum decem & octo sanctorum patrum, propria sua natura esse inaccessum. hoc enim labefactant Arriani. aduersus quos fuit illa synodus Nicena. & q̃ postea fuit in vrbe regia, synodum. CL. patrum aduersus Macedonianos vt qui cum spiritu sancto pugnarent, scripturæ testimoniis munitam comprobarunt. & de cætero aduersus eos qui abolebant Seruatoris nostri Iesu Christi Oeconomiam, vt qui visione & non veritate esset incarnatus, & nudum esse hominem, qui natus erat ex sancta virgine & Deiparente Maria, nugati fuerant, aduersus eos, inquam, vacarunt. & ex synodalibus beatiss. Cyrilli Alexandrini, & Leonis sanctissimi Archiepiscopi Romani, & omnium qui fuerunt eis similes, vt quæ beatiss. Petri conuenirent confessioni, congruenter ei quod est, Tu es Christus filius Dei viui, excelsam quandam columnam merito erexerunt, ad confirmanda recta & vera dogmata. Nã & aduersus eos dirigunt aciem qui Oeconomiæ mysterium conantur distrahere in duos filios. & eos qui patibilem vnigeniti filij Dei audent dicere diuinitatem, expellunt à sacro cœtu. & iis resistunt qui duarum naturarum in Christo inducunt confusionem. & eos qui cœleste corpus aut alicuius alterius essentiæ dicunt esse ex nobis ab eo acceptam serui formã, tanq̃ delirãtes eiiciunt. & eos qui duas quidem Domini naturas fabulantur ante vnionem, post vnionem verò, vnam, feriunt anathemate. vnum & eundem filium concorditer confitentes, Dominum nostrum Iesum Christum. perfectum in diuinitate. & perfectum in humanitate. Deum vere, vnum & eundem. & hominem vere, ex anima rationis compote & corpore. qui est eiusdem essentię cuius pater quod attinet ad diuinitatem. & eiusdem essentiæ cuius nos præter peccatum. eundem, quod ad humanitatem, ante secula quidem natum ex patre. in vltimis autem diebus propter nos homines & propter nostram salutem, ex Maria virgine & Dei parente, quod attinet ad humanitatem. vnum & eundem filium vnigenitum. & Dominum Iesum Christum in duabus naturis. inconfuse. immutabiliter. indiuidue. qui pie cognoscitur & adoratur ab omnibus fidelibus. qm̃ sanctus quidem Ioannes conscribens principium Euangelij,
„ dixit. In principio erat verbum. & verbum erat apud Deum. & Deus
„ erat verbum. Sanctus vero Matthæus. Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid. filij Abraham. & iis conueniẽter, qui postea secuti sunt sancti patres, diuinitatem & humanitatem vnius filij Dei docentes tradiderunt
„ omnibus. qũo etiam dicit diuinus Paulus. Paulus seruus Iesu Christi,
„ vocatus Apostolus, segregatus ad euangelium Dei, quod prius annuncia
„ tum fuit per Prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo qui factus fuit
„ ex semine Dauid secundum carnem. definitus filius Dei in virtute, secun-
„ dum spiritum sanctificationis, ex resurrectione mortuorum Iesu Christi
„ Domini nostri. Qui etiam rursus dicit reuerentius. Qm̃ enim per hominẽ

mors.

mors. & per hominem resurrectio mortuorum. Et hæc interpretans subiungit. Quo enim in Adam omnes moriuntur, ita etiam in Iesu Christo 22
omnes viuificabuntur. Hæc ergo cum legisset & admisisset beatus, in diuina satisfactione & spiritali intelligentia assensus, abiit Ruffinianas. Nō oportet autem nos ex ignorantia maledictis insectari aut calumniari hāc sanctam synodum, sed potius quod manifestum est & verum agnoscentes, admittere.

Itaq; cum sancti quidem patres hęc cōcorditer in synodo declarassent & definiissent, & vnusquisq; ad suos reuerteretur, noluit beatus Auxentius redire ad priorem montem. sed in alium asperiorem & altiorem, propriorem autem Ruffinianis, nomine Scopem, rogauit eos qui conueniebant ipsum deducere. Sicq; in priori habitu eius desiderium implentes, cū fratribus qui erant ex monasterio in quo est versatus, cum psalmis & hymnis & canticis spiritalibus, eum deduxerunt. & cum globum ex lignis fecissent, tanq; auem sublime volantem, ipsum in eo incluserunt, vnam solam sinentes fenestram, ad conueniendū eos qui accedebant, eo ritu quo prius. Quibus bene precatus & vnūquenq; osculatus, omnes dimisit in pace. relictus rursus tanq; passer solitarius supra tectum. Deo agens gratias propter consuetam quietem & glorificationem.

Non alienum autem existimamus atq; adeò vtile, sigillatim narrare quæ hic ei contigerunt tentationes ab immundis & malignis spiritibus. Vna enim nocte eo orante, accedentes Dæmones innumerabiles, diuersarum visionum species præ se ferentes, strepentes. rugientes. minantes, non potuerunt mentem eius terrere. Cum eum ergo plagis affecissent, putabāt fore vt se deturbaret per fenestram. cum vi magna tumultum edentes, & seipsos magis q; illū conturbantes, inconditis vocibus exclamātes. Quid tibi cum nostris desertis? Recede à rebus nostris. male enim es periturus. Sed beatus Auxentius fortiter ferens, crucis 21 figurā in eos exprimens, 21
reddidit imbecilliores. Cum fuisset autem mane, vt Deo placuit, ex sæpe dicto emporio Ruffinianarū & eo quod illic erat monasterio, accesserunt plures monachi & mundani, vt benedictionem ab eo consequerentur, & fruerentur pulcherrima eius contentione. Cum vero propter nimiam immundorum spirituum afflictionem vix tandem eis aperuisset fenestram, & verbis vsus esset apud eos consolatoriis, rogarunt causam tantæ imbecillitatis Cum is autem dixisset non esse afflictionem corporis, sed Diabolicam operationem, id cognoscentes qui aderant siluerunt. Frequentius autem accedebant ad eum visitandū, maxime qui erant ex monasterio. Nos vero ne in immensum cresceret oratio, reliquas tentationes quæ in priori monte & in hoc factæ sunt in eum, narrare recusauimus. In Angelū enim lucis mutatus malignus, vt dicit Apostolus, putabat se eum decepturum. sed non facile capi poterat beatus. sed pulchre resistebat cum esset valde peritus doctrinæ diuinarum scripturarum. Vnde etiam iis qui ad ipsum conueniebant ex clarissima Constantinopoli, & reliquis eius loci hominibus, erat valde mitis & placidus & ad eos consolandos accommodatus, vt si quis alius. omnes aduocāte eius verborum virtute, & eius fama trahente eos etiam qui procul erant remoti.

Auxentius crucis figuram in Dæmones exprimens, imbecilliores eos reddebat.

Vt ergo consueuerat, eos qui mane veniebant dimittebat post horam tertiam. & qui postea, post sextam. Non sinebat autem in otio considere

eos qui accesserant: sed erant intus cum ipso dum ipse legeret aut oraret. Conueniebat enim sine intermissione ad ipsum multitudo, maxime ex Ruffinianis & reliquis emporiis, propter eius beneficia quæ accipiebant per curationem eorum qui ægrotabant & laborabant. Multi enim gratia Domini nostri Iesu Christi, dum ipse illic esset curati sunt Dæmoniaci: & quotidie, vt semel dicam, curabantur. Quosdam autem versus ex duobus aut tribus dictis, valde iucundos & vtiles, cum simpliciori & minus curioso ritu descripsisset, faciebat omnes eos psallere. Nam cum primus sæpe dictus esset per successionem, rursus quoque iussu beati incipiebant alterum. & deinde post secundum, tertium. & reliquos ordine. Consentaneũ autem fuerit eorum quoque dicta inserere narrationi, ad eorum qui legunt vtilitatem. Sunt vero hæc. Mendicus & pauper laudamus te Domine. Gloria patri. gloria filio. gloria spiritui sancto. Qui locutus est per Prophetas. Cum eo autem exercitus in cœlis hymnum emittunt: & nos quoque qui sumus in terra, glorificationem. Sanctus. Sanctus. Sanctus Dñs. Plenum est cœlum & terra gloria tua. Et deinceps. Creator omnium, dixisti, & facti sumus. mandasti, & creati sumus. Præceptũ posuisti, & non præteribit. Seruator, agimus tibi gratias. Et rursus. In anima afflicta tibi procidimus. & rogamus te Seruator mundi. Tu es enim Deus eorum qui agunt pœnitentiam. Et rursus. Qui sedes super Cherubim & cœlos aperuisti, miserere & serua nos. Deinde. Exultate iusti in Domino intercedentes pro nobis. Gloria tibi Christe Deus sanctorum.

Atq; multitudo quidem eorum qui aderant, tam diuitum quam pauperum, & tam virorum quam mulierum, seruorumq; & liberorum, ex cantico à vana gloria alieno à beato definito, hæc psallebat numerose. alij quidem eorum vsq; ad horam tertiam. & dimittebantur in spiritali exultatione. alij autem perseuerabant vsq; ad horam sextam. Ipse vero de cętero per se eis acclamabat finem hymnorum trium puerorum, Ananiæ Azariæ & Misaël qui sunt in Propheta Daniele. Benedicite oĩa opera Domini Domino. respondentibus omnibus. Laudate & superexaltate eũ in secula. Cum autem hymnum implesset, conuenienter gratiæ Dei quæ ipsi aderat, eos qui aderant consolabatur sic dicens.

Omni tempore propter facultates & copias, in astutiis & negotiis rerũ quæ ad hanc vitam pertinent corpus consumentes, debemus etiam propter res spiritales aliquam partem tribuere glorificationibus. vt Dominus Iesus Christus, & nostra opera dirigat, & vitam nostram ædificet. Oportet ergo menti nostræ quæ ita est occæcata, vt neq; diuinarum scripturarum doctrinam admittat aut intelligat, adhibere ducem piam rationem, & præcipue timorem Dei, qui recte suo fungitur officio per frequentem orationem. ad hoc vt relictis rebus terrestribus & in quas cadit interitus, suspiciat. Qui enim est animo perspicax, & mente eruditus, non corporeis solum mandat oculis inspectionem eorum quæ cernuntur: sed animę quoque atq; adeo multo magis oculis, intueri considerationem eorum quæ non cadunt sub aspectum. eorum quę intelligentia percipiuntur contemplans quidem sine errore substantiam: fugiens autem errantem & improbam vitę affectionem. & sensus diligenter exercens ad boni & mali discretionem. Homines enim qui à cura & studio eius quod est vere bonũ, defecerunt ad amorem corporum in inanimam pecuniæ materiam quæ

lapsa est per auaritiam, estq; inanis & superuacanea, & in ventrem omne suum studium posuerunt. Vnde nobis quoque vetus lapsus contigit. Qui ergo ab his defecimus, erigamus animum ad ea quæ sunt diuiniora. Fruamur illa magnificentia quę est supra cœlos quidem elata, promissa est autē omnibus electis. & nihil mali patiamur à lapsu affectionis, sed efficiamur digni bonis ęternis. Deus. n. nos fecit libero 22 arbitrio pręditos, neque seruientes vlli externę necessitati: sed libere nostro arbitratu eligentes quod nobis placet. Hanc enim calamitatem qua nunc tenetur humanum genus fraude inducti attraximus non à Deo factam. Deus enim mortem non fecit, neque delectatur interitu viuorum. sed quodammodo nos homines sumus mali creatores. Qūo enim lux solis est communiter proposita omnibus, quibus adest vis videndi. Potest autem si velit quispiam claudens oculum, separari à dono lucis. non q̄ sol in illo effecerit tenebras. sed q̄ radij splendorem auersatus, tenebras sua spōte attraxerit. & qūo si quis domum sibi construens, nullum luci aditum præbeat intrinsecus, obscurā domum efficit: Ita nos quoque in natura habentes bonum & honestum, nostro arbitratu innouamus quæ sunt præter naturam, nostra sponte malorum experientiam in boni & honesti auersione, electione nostra & instituto fabricantes. Malum enim extra propositum, propria substantia consideratum nullum est in rerum natura. Quidquid enim à Deo creatum est bonum est: & omnia quæcunq; fecit Deus sunt valde bona. Sed qm̄ eo modo qui dictus est, peccare vitæ nostræ fuit excogitatū: & consequenter ex parua occasione in nos maximum est effusum vitium. adeò vt diuina illa animæ pulchritudo quæ facta erat ad imitationem primariæ, tāquam ferrum est nigrefacta rubigine vitij, nō amplius nobis propria à natura ad imaginem conseruata gratia, sed ad extremum peccati transformata, vt propterea nobis perierit dignitas incorruptionis quę est secundum imaginem, debemus omni studio à mortuis operibus recurrere ad opera vitæ per pœnitentiam: vt nostram recipiamus naturam summo Dei munere. Si ergo à nobis expurgemus sordes quæ à vitio inuruntur, & quæ latet in anima illustremus pulchritudinem, tunc fit intra nos regnum Dei, & est intra nos. Hoc autem dicens, ostendit q̄ bonum Dei non est separatum à nostra natura qui liberum habemus arbitrium: sed est in vnoquoq; ignoratum quidem & latens, qn̄ à curis & voluptatibus huius mundi suffocatur. inuenitur autem & cognoscitur, qn̄ ad illum solum nostram conuerterimus cogitationem. Hoc enim etiam in drachmæ quæ periit inquisitione, nobis Dn̄s ponit in Euangeliis. Si enim accensa lucerna nostræ cogitationis, quæ latet & periit drachmam inquisierimus, sub stercore eam oīno inueniemus. Stercus vero intelligere oportet sordes carnis. Quibus ablatis & per bonæ vitæ curam ac studium repurgatis, fiet manifestum quod quæritur. & cum inuenerit anima quæ est per boni priuationem vidua, id quod perierat, gaudet gaudio ineffabili. & ad talis lætitiæ societatem conuocat omnes vicinas, nempe proprias facultates, per sensus, dicens, Mihi congratulemini, qm̄ inueni drachmam quam perdidi. hoc est, id quod erat ad Dei imaginem, quod perdidi per peccatum: recepi autem per pœnitentiam. Si est ergo hæc intelligentia eius quod quæritur inuentionis, nempe diuinæ imaginis restitutio quę nunc est absconsa in sordibus animæ, studeamus illud fieri quod erat Protoplastus in prima eius vita.

22 *Nota, Deus nos fecit libero arbitrio prædito, neque seruientes ulli externæ necessitati, sed libere nostro arbitrio eligētes quod nobis placet.*

nudus quidem ab amictu mortuarum pellium,reuelata autem facie & libera gloriam Domini speculans. Per quam ergo rationem extra paradisum eiecti sumus,expulsi simul cum primo parente,per contrariam assensionem licet nobis reuerti ad antiquam beatitudinem. Nam tunc quidem voluptas quę ingressa est per deceptionem,dedit initium lapsui. Nunc autem vitæ puritas per doctrinam Christi mandatorum & curam bonorũ, nos illic rursus restituit. Sed qm̃ est paradisus viuentium,& purum habitaculum. nos vero carnales & mortales & sordidati peccatis: nec in hac regione esse possunt qui mortis tenentur potestate, necesse est admodum aliquem & rationem inuenire,vt cum fuerimus extra hãc potestatem,acquiramus ciuitatem quæ potestatem mortis non extimescit. vt æternis quoque bonis fruamur.

Cum hæc & his plura beatus diceret Auxentius, ex iis qui conuenerãt non solum viris,sed etiam fœminis,plures diuino amore sauciati, volebãt renunciare rebus mundanis & malis, & per ipsum Christo Domino adhærere. Ille autem eos magis admonebat vt vitam suam corrigentes, dispensarent eas quas habebant facultates. & non in præsentia quidem bonum & honestum expetentes,postea vero labentes,reuerterentur tãquam canis ad vomitum,nempe rursus ad imbecilla & egena huius mundi elementa. Cum maxima enim cautione & non leui consideratione oportere eum qui vult,ad præclarum hoc opus accedere, tanq̃ iam moriturum & simul expellentem omnem voluptatẽ corporis. Deinde panibus de more distributis,sicut in priori mõte,omnes dimisit. Quidam autem ex eis stabiliori armati cogitatione, illic perseuerabant, quæ quotidie illic suppeditabatur cõtenti benedictione. Si quis enim volens aliquid ad sanctum afferret,nihil accipiebat præter oleũ & ceram. iubebat autem id rursus dari Mancipi qui illam faciebat suppeditationẽ. Plurimi enim ex iis qui morbis aliquibus laborabant & qui egebant,illic permanebãt,vt quibus subueniretur per beneficentiam eorum qui accedebãt. Maximam vero molestiam & plurimũ laborem sustinebat ab iis qui erant Dæmoniaci.adeò vt quosdam ex eis,non enim omnes,sed eos qui erant digni,per suas preces curauerit Dominus.

Quod autem rei faciendæ & pecuniæ amplificandæ nullam haberet rationem,vere sciet tam qui legit quam qui audit,ꝙ cum post eius decessum deberet pistori plusq̃ centum numismata,admonitus ab eius successore & discipulo, de quo suo loco dicetur, quidam Christi amans & pius ea soluerit. Æmulantes autem & beatam ducentes quidam hãc diuinam eius vitam, negotium ei exhibebant vt ab eo initiarentur & consecrarentur eius habitu. Cum itaq; dedisset tunicam ex pilis contextam aut pelliceam ex iis quibus erat indutus, precabatur dicẽs. Vade frater quo te ducet Dñs. Inter quos ex numero eorum qui illic perseuerabãt,Basilius quidam nomine hoc petiit. Cum largus ergo esset beatus & fratrum valde amans,ei bene precatus,& data quam induerat pelle ouilla,eum dimisit. Ille autem lõgius abiens ad viginti millia,cum in quodam colle curasset cellam sibi ædificari,illic habitauit. Post aliquod vero tempus accedentes Dæmones eum adeo inuaserunt, vt eum propemodum fecerint expirare. Ad quem cum qui ex locis quæ erant circuncirca venerant ĳ qui pascebant pecora,abiissent,& consuetas eius preces, dum sæpe clamassent,non

essent

essent assecuti, cellæ fenestra vi aperta, vident eum mutum & pronũ iacentem. & existimantes eum esse mortuum, rursus accurrentes suis renunciarunt. Qui cum ascendissent, inuenerunt eum ferrè semimortuum, & nec valentem omnino loqui sed solum parum respirantem. Cum autem corpus eius vidissent sauciatum, curru cito allato eum in ipso imponunt, & ducunt ad beatum Auxentium. Qui cum post horam nonam despexisset è fenestra, & eum vidisset, voce dixit apertiore. Frater Basili. Cum is ergo secundo eum vocasset & ille non exaudiisset, tertio magna vi clamauit. ò tibi dico frater Basili. Cum is autem cito assedisset, dicit ei. Surge, accipe potestatem aduersum tentatorem, non amplius timens improbos & immundos Dæmones, Iussit itaq; eum surgere & sumere venerandum corpus & viuificum sanguinem 23 Domini nostri Iesu Christi. & statim rursus reuerti in suum locum. Qui cum abiisset & hoc modo non amplius fuisset tentatus, & se tribus annis fortiter exercuisset, in pace migrauit ex hac vita.

23 *Cõmunicauit hic sub utraque specie, quia adhuc uigebat in ecclе. consuetudo huiusmodi cõionis, quæ modo cessat, unde nõ est amplius necessaria.*

Sed post eius aduentum, Monachis & mundanis qui aderant, & omnibus reliquis dixit beatus. Dæmones hominibus inuidentes ò fratres dilecti, perpetuo machinantur nobis esse impedimento in bonis operibus. & maxime in temperantia & continentia, humilitateq; & beneficentia orationeq; & silentio, leuitateq; & patiẽtia, paceq; & tolerantia, & charitate in proximum, qua nihil est maius. Obiiciunt enim iis quidem qui volunt esse temperantes, diuersas quasdam & inter se discrepantes species, & corporis titillationes. quõ etiam abstinentibus, ventris appetitiones. & iis qui volunt humiliter de se sentire, vanam gloriam. iis autem qui in animo habent benefacere, suorum potius curam. iisq; qui orant & agunt silentiũ, diuersas animi perturbationes & multitudinem veterum negotiorum. iis vero qui se in lenitate exercẽt & tolerantia opponit animi angorem atq; timiditatem. & oẽm suam improbitatem. paci autem & patientię odium & maleuolentiam per quam perdit eam quę est in Christo charitatem. & omnes, vt semel dicam fructus sancti spiritus, quos enumerauit Apostolus, per contraria conantur euertere. Sed qui sunt muniti gratia Domini nostri Iesu Christi, permanent immobiles. Quamobrem non est mirandũ qñ nos plagis conscindunt. Qñ enim per cogitationes & reliquas corporis perturbationes non possunt nos deturbare, tunc per se exercitatorum terrent petitionem. Qui sæpissime signo 24 crucis repressi, deflẽt se esse victos. Nos ergo ne cedamus, & illi deiiciuntur. Nos resistamus, & illi euertuntur. Nos Dñm inuocemus: & dissipatur vniuersum eorum consilium. Est enim stadium, certamen & martyrium, vita cuiuslibet Christiani, qui vult ingredi cõuenienter præceptis nostri Seruatoris: & maxime eius qui est insignis in vita monastica, vt dicit Apostolus. " Non est nobis colluctatio aduersus sanguinem & carnem. sed aduersus principatus. aduersus " potestates. aduersus principes tenebrarum mundi huius. " Præcipio autem vobis, dicẽs, induere armaturam Dei. vt possitis resistere insidiis Diaboli. " & loricam fidei, & galeam salutis. & gladiũ spiritus docet ipse nos possidere. vt per hæc inuicta arma quæ non cadunt sub aspectum, resistamus cogitationibus quæ videri nequeunt, & per eas inimicis. quõ dicit. " Cogitationes destruentes & omnem altitudinem quæ erigitur aduersus Dei " scientiam. & omne cogitatum captiuantes ad Christi obedientiam. qui "

24 *Dæmones p signum crucis sæpissime deflent se esse uictos.*

ſemper vincit in noſtra imbecillitate Diabolicam audaciam. & non permittit nos tentari ſupra id quod poſſumus. ſed præbet euentum per tolerantiam vt nos poſsimus ſuſtinere. Nam abſq; eius 25 auxilio nos infirmi & imbecilli, & quibuſuis volucribus & pecudibus captu faciliores. Dignati autem eius auxilio, qui imbecilli, fortes. qui abiecti, glorioſi. qui terreni, cœleſtes. qui mortales, immortales reddimur per multitudinem eius miſerationum: & æterni regni hæredes efficimur.

25 *Vides quomodo ſine diuina gratia nihil poſsimus, cum illa uero, omnia.*

Cum ſatis ergo vtilitatis percepiſſent qui germane audiebant, læti deſcenderunt, gratias agentes vniuerſorum Domino noſtro Ieſu Chriſto. Porrò autem hoc quoque præcipiebat beatus, vt non ſolum die Dominico, ſed etiam die 26 paraſceues ſingulis hebdomadis feriarentur ſi poſſet fieri. maxime quibus quotidianus victus abunde ſuppetit. hunc quidem in ieiunio & precatione propter paſsionem Seruatoris. illum autem in cõuiuio & ſacramẽtorum participatione, propter eius reſurrectionem. Quãobrem ſi qñ contigiſſet ipſum habere operarios, aut etiam eius ſucceſſorẽ, de quo ſuo loco dicemus, hos duos dies iubebant feriari. die quidem paraſceues cum impenſis mercedem quoque præbentes. Dominico autem ſolum impenſas. Illuceſcente vero die Sabbatorum, familiares ſuos cum iis qui inueniebantur Pater iubebat tota nocte 27 vigilare. Cum de more ergo in quadã nocturna vigilia ipſe intus precaretur, & reliqui foris permanerent, aperta feneſtra beatus, cum Benedictus Dñs Deus, ter vehementer dixiſſet, & ſuſpiraſſet, & caput in terram inclinaſſet, dicit. Quod erat in oriente luminare ò filij, Symeon pater noſter dormiit. Cum ij autẽ propter pſalmodiam non ſenſiſſet quod dictum fuerat, valde flens beatus rurſus dicit eis. Sanctus pater noſter, eccleſiæ columna & firmamentum Symeon, requieuit. & nulli culpæ affinis & munda eius anima, me inutilem & ſordibus inquinatum, non eſt dedignata præteriens ſalutare. Hæc cũ audiiſſent & valde eſſent perculſi, non potuerunt reſpondere, ſed ſiluerunt, ſignantes noctem in qua hæc dicta fuerant. Cum autem paucis pòſt diebus hoc ad pium Imperatorem Leonem in principio ſui imperij relatũ eſſet, & omnibus id eſſet notum, diligenter ſcrutati qui audiuerãt, inuenerunt fuiſſe certum quod ſanctus dixerat, vt quod diuina gratia prędixiſſet per reuelationem in cõſummatione ſancti Symeonis. Valde ergo obſtupefacti & Dñ glorificantes. in hoc quoq; doc̃ti fuerũ Deum poſſe oĩa.

26 *Nota ieiunium ſextæ feriæ antiquiſsimum in Eccl.*

27 *Ecce magnas uigilias ſancti patris Auxentij & diſcipulorum eius.*

Quòd vero hæc à nobis non ſola motis coniectura dicta ſint, ſed quæ accuratiſsime didicimus ab vno ex eius adminiſtris, ea etiam perſecuti ſumus. Nemo ergo dubitet. Nam qui nos de hoc inſtruxit, erat quidẽ lingua barbarus, vt qui eſſet ortus ex Myſia, mente autem honeſtiſsimus. vt qui perſeuerans apud beatum Auxentiũ, non 28 vinũ biberit, non oleo vſus ſit, non pulmento, non fructu, non deniq; vllo alio. Nam præter panem & aquam & ſemina quæ non coquebantur, eaq; non ad ſatietatem, quauis fere nocte, nihil comedebat aut bibebat. Interdiu autem paruas quaſdam cruces ex ſiliquis valde elegantes ſuis manibus aſsidue faciebat. Qui autem aſcendebant, eas accipiebant gratias benedictionis. Ipſe nobis hæc ore ſuo ſignificauit qui etiam poſtq; dormiit beatus, cum moribus loco quoque ſucceſsit. Rurſus ergo pluribus congregatis, & prædicta conſueta regula hymnum dicentibus, cum beatiſsimus Auxentius aperuiſſet feneſtram, & vt conſueuerat precum finẽ feciſſet, rñdens vnus ex iis qui ade-

28 *Vide mirã uiri abſtinentiam cum ciborum delectu, & opus manuum.*

rant,dixit. Rogo te Domine,benedic & precare. ꝙ cum tribus mensibus vnam pro mercede menstrua ouem accipiam,ea perdita, frustror mercede vnius mensis.ad Macellarium.n.ferebat quæ mactarentur. Ad hæc subridens rñdit beatus. Mihi hoc dicis vt qui sim solitus diuinare,aut qui greges possideam? Ille dixit. Nequaq́. sed adoro te vt ores & inueniatur. Deinde cum paululum intermisisset, Alypium quendam clara voce vt solebat beatus accersiit. Cum duo ergo inuenti essent eiusdem nominis. Tibi, inquit, dico qui stas à sinistris. Scio te non esse surfuratum ouem sed inuenisse. vade ergo & redde. Hic enim qui perdidit dat vobis ad sumptũ sex Pholes vt vos congregemini. Qui cum fecisset vt iussus fuerat,recepta oue Domino egit gratias qui per sanctos suos facit magna & inuestigabilia,gloriosaq́ & admirabilia,quorum non est numerus.

Quodam autem die congregata multitudine tam rusticorum q̃ ciuiũ, & beato ea disserente quæ pertinebant ad salutem,quidam qui aduenerat rusticus dixit ei. Bonus dies tibi Domine mi. Cum ille autem honeste arrisisset,erat enim reuera lepidus, & dixisset,Bonum tibi tempus,qui aderant apud se ridebant. Ille vero dicit eis.Est sermo scripturæ ô fratres.Responde insipienti ad eius insipientiam.Si dixisset Benedic,audiuisset. Dñs te benedicet,sicut consueuimus. Ipse est enim qui honorem per suos seruos in se accipit. & vnũquenq; remuneratur mercede suæ gratiæ. Qm̃ autem bonum diem mihi attribuit,is contra,accepit bonum tempus. Cũ sic correxisset nõ solum eum qui offenderat,sed etiam reliquos omnes,intro ingressus rursus siluit. Seruatoris autem nostri Iesu Christi opem ei ferente gratia, multi Dæmoniaci ad eum veniebant, sua quidem sponte & per se quærentes curationem. Quos quidem 29 oleo sanctarum reliquiarum irrigans,quartũq; & parasceues diem maxime iubens ieiunare,cum oratione intensa & sincera fide, curans dimisit. Inter quos quidam ab eo sunt deprehensi qui turpis lucri gratia se simulabant esse Dæmoniacos. Quos quidem sanctus vehementer increpauit, dicens. Nisi essetis dignati domo sancti baptismatis,immedicabilis Dæmonis dominatus vos tenuisset.

29 *Nota nouum genus curationis Dæmonia corũ. Irrigatione nãque olei sanctarum reliquiarum, ieiunio quartæ & septæ feriæ, oratione intensa & syncera fide eos sanabat.*

Quædam vero nomine quidem Eleuthera, mente autem splendidiore suam coronas appellationem, quæ piæ inprimis Pulcheriæ fuerat Cubicularia, solebat ad eum venire, & cum omnibus eius fruebatur precibus. Ea cum esset ipsi animus diuino amore saucius, quas habebat sanctorum reliquias deposuit apud beatum. Deinde tentabat supplex ei persuadere, vt vitæ monasticæ ab eo initiatam auelleret à turbulentis huius mundi negotiis.Eo autem variis modis differẽte, & dicente,eam,se recte gerẽdo, & beneficentia vtendo, etiam in mundana vita posse placere Domino, illa non cessabat ei negotium exhibere vt hoc assequeretur. Postq́ vero perspicaci oculo animaduertit firmam & immobilem eius constantiam & quæ nũq̃ deficiebat compunctionem,voluntate Dei qui vult omnes esse saluos,annuit sanctus: & in campo suburbani qui distabat circa vnũ milliarium, nomine Cyreta, iussit interea perseuerare vacantem meditationi diuinarum scripturarum. Atque hac quidem se in Domino iucundissima explente voluptate,& omnem laborem corporis lubenter ferente ob gratiam quæ à Deo patre ei suppeditabatur, coniux quoque alterius cuiusdam Pãtepitropi,nomine Cosmia, accedens rogabat eum cum illa locaretur recedens à corruptione. Cum autem plurimis admonitionibus nõ

potuisset ei persuadere vt marito coniungeretur, eius quoque necessariis eā cum minis ad id incitantibus, neq; quidq; proficientibus, propter insuperabilem eius in Deum amorem, id animaduertēs sanctus, iussit hanc quoque versari cum priore. Quinetiam vxor cuiusdam Arcotrophi, omnibus relictis suam exigens salutem, rogabat sanctum ne eam expelleret. Quam cum satis instituisset vt fieret templum Dei, quō ostendit eius vita quæ postea est consecuta, iubet eam admitti. Nō multo post autem dat eis habitum 30 ad exercitationem plane accommodatum. vt qui tunicis ex pilis contextis eas induerit & magnis quibusdam palliis. adeo vt reueretur quispiam vel solum videns tantam tristitiam. Nondum enim in his partibus talis vnquam habitus apparuerat.

30 Ecce quomodo dat sanctus pater his religiosis mulieribus habitum conueniētē, uilem tamen & austerum, sed uenerendum.

Deinceps ergo ab eo tempore aliæ quidem ad eā rem accedebant, aliæ quidem quæ ab ingenuis adducebantur parentibus ad custodiam virginitatis. aliæ autem theatro & scena relictis Diabolo renunciantes, & Christo cum magno fletu & laboriosa lamentatione se 31 cōiungentes. adeo vt breui tempore congregatæ sint plusq̄ septuaginta: & de cętero iusserit beatus domum oratoriam eis ædificare. Citra vllam vero intermissionē in die parasceues & in die dñico eas accersens, & de virginitate & pudicitia eis verba faciens, rogabat eas, admonens & eis persuadens, vt obliuiscerentur omnium quæ sunt in vita iucunda, vtpote q̄ sint iucundiora & incomparabilia bona quæ sunt in promissionibus. & ne attraherentur a carnis voluptatibus. Nam & si mitem & placidam naturā dedit Creator in mulieribus. at nos rursus dignatus est meliori instituto. vt bono id quod est melius præferentes, pro naturali matrimonio in quo sitū est crescere & multiplicari & replere terram, opponitur autem ei viduitas & orbitas liberorum, & ad virum conuersio cum seruitute intolerabili, mysticas 32 & admirabiles & in quas non cadit viduitas nuptias eligamus, sponso vnitæ immortali, forma specioso præter filios hominū. Quāobrem nō oportet intueri ad alium qui sit in terra speciosus, cum filij Dei specie non sit alia speciosior. Si autem & diuitiæ & insigne ornamentum a marito procedit, quid eo ditius qui est cœli & terræ Dñs, & præbet spiritum & vitam? Si vero sponsus est claro genere natus, quid est Regis Angelis clarius & gloriosius? Si autem est sapiens & arripiendus ac amplectendus coniux, quid est sapientius opifice omnium tam quę sub aspectum cadunt q̄ quæ non cadunt? Cuius coniunctio suis sponsis est gaudium ineffabile. iis autem quæ ordinem deserunt est supplicium ineuitabile. Huius desponsationis nulla est voluptas carnalis experientię: sed vniuersæ virtutis beneficentiæq; & concordiæ, cum ea quæ percipitur ex ieiunio vigiliisq; & animi fortitudine.

31 Vides etiā tunc fuisse sanctimonialium fœminarum monasteria?

32 Palam hic præfert sanctus uirginitatē matrimonio.

Maiori vero cautione & diligentia est opus, q̄ iis quidem qui in mūdo vexantur a libidine in promptu est remedium per legitimum consensum. Virginibus autem & continentibus si propensæ sint ad voluptates, graue est naufragium & grauis casus. est enim magnum certamen temperantiæ, q̄m magna quoq; est eius corona. Sed quod est maior labor, eo est etiam maior merces. Si eam ergo non tradideritis corpori & segnitiæ, in vestris membris frustra laborabit voluptas fores obsidens. Audite enim a vobis q̄ id quod peccati quidem est iucundum, est breuissimum. æterna autem est grauitas supplicij. Recede a nobis. cœlesti enim sponso desponsę

sumus

sumus Christo, vt nos virgines castas exhiberemus. Statuite ergo rationes vestras custodes huius thesauri. in sensibus mandata Christi semper ferentes. primum autem virginitatis & temperantię sanctificationem. ne forte eius latrones ascendant per fenestras, & ingrediantur per auditum, ne persuasa mente tanquam ianitore, & aperta virginitate, clanculum vobis vestrã eripiant lætitiam: & faciant virginitatem quauis viduitate miseriorem. Est vero hoc magnum & graue peccatum iis qui faciunt. Non est enim par peccatum tunicam frangere & purpuram. Imperatoris imaginem rũpere & priuati. Dei enim imagines sunt virgines, ipsum habentes descriptũ in cogitationibus. in quas audere aliquid admittere, est facinus tyrannicæ amentiæ. & ideo virgini, quam ei quę fornicatur vitium afferre, est magis sceleratum. Non est enim par libido in eam quæ prostat & in eam quæ est Christo coniuncta. Non est enim par furtum vasis forensis & Sacerdotalis. Vas autem Sacerdotale est virgo, & purpura quam nulli alij licet induere, præterquam Regi & Domino vniuersorum.

Quòd si etiam vos legitimum mouet matrimoniũ, audite eius calamitates & quæ in Euam pronuntiatę sunt sententiæ, à quibus vos estis liberatæ, remotæ per virginitatem à mala suspitione patiendi crimina mariti fornicantis, qui habet potestatem prohibendi ne eas quo tibi expedit. de alimento discerptandi. tanquam nondum vxori, ei quæ peperit, exprobrandi, Cur non est masculus sed fœmina fœtus quem peperisti? Quòd si sit etiã masculus, cur non formosus? Maior restat cura. nondum est ablactatus, & de educatione magna est contentio. Sinautem creuerit, ne egrotet. ne forte moriatur. quõ etiam si viuat maior est solicitudo, ne non fiat eruditus. ne malus euadat. ne euertatur ab aliquibus. ne in improborum pertrahatur consuetudinem. ne à bestiis mutiletur. ne dum proficit, in inuidiã vocetur & seditionem. vndenam suppeditabunt quæ sunt necessaria. Vndenam comparabunt quæ pertinent ad contrahendum mr̃imonium. Vndenam suppeditabant quæ faciunt ad eius decus & ornamentum. Vndenam alent ministros. & denique à reliquis quæ huc & illuc distrahunt curis & solicitudinibus. ne dicam dolores partus & naturæ necessitates. Re uera vt dicit diuinus Apost. innupta curat quæ sunt Dñi, ab his omnibus liberata, sola autem ornata incorruptione, cuius suppeditator est & perfector Iesus, & qui vos potest custodire in tolerãtia, & augere in spe bona. Custodite ergo vos ipsas in ea in qua vocati estis vocatione, vt virgines Christo exhibeatis. vt etiam bona æterna consequamini gratia Dei qui vos vocauit in suum regnum & gloriam.

Postquam autem cessauit ab adhortatione, bene precatus, eas Christo cõmendauit. iubens omnibus vt die sequenti venirent ad synaxim, quę circũcirca erant hymnis sanctificans. Postquam ergo venisset in monasterium quod extruebatur, intensis fusis precibus cum multitudine quæ eum sequebatur, ascendit in montem. vbi post tres quidem dies ęgrotauit, post alios vero decem est mortuus. Congregata ergo multitudo piorum virorum ex clero 33 & iis quæ circuncirca erant monasteriis cum iis qui erant amantes virtutis ex mundanis, & iusta fecerunt quartodecimo mẽsis Febr. Atque volentibus quidem aliquibus, & maxime iis qui erant ex monasterio beatiss. Hypatij in quo versatus est cum descendisset propter synodum, pretiosas 34 eius reliquias deponere in templo sanctorum

33 *Vide sancti honorificam sepulturã, comitantibus clericis, monachis & laicis.*

34 *Nota pretiosas eiũs reliquias, non dicit vile eius cadauer.*

Apostolorũ quibusdam autem in templo s. Zachariæ, quod est aliquot milliariis illinc situm in predio quod dicitur theatrum, quę ab eo congregata fuerant monasteria, iis qui aderant supplicabãt cum multis lachrymis, ne pater separaretur à filiis. tunc Dei voluntate ad eorum qui illic erant salutem, in oratorio ab eo condito instar monasterij, eum deposuerunt.

35 Cuius 35 monumentum per multiplicem Christi benignitatem efficit curationes vsque in hodiernum diem.

Curationes quæ ad sancti sepulchrũ exhibentur, splendorem anteactæ eius vitæ demonstrant.

Consummatus autem fuit sanctus noster Presbyter & Archimandrita & magnus inter exercitatores Auxentius in imperio pij & Christi amantis Zenonis, Februarij mensis. XIIII. Fuit vero depositus in prędicto monasterio, ad gloriam Dei nostri qui operatur dona in sanctis suis. Quoniam eum docet gloria cum patre & sancto Spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

CERTAMEN SANCTI APOSTOLI *Onesimi, Discipuli sancti Apostoli Pauli Principis Apostolorum.*

Februa 15.

LAETATVR seruile quoque genus agnitum propter pietatem. qñ fide contritis Diaboli stimulis, malum seruũ qui à Domino defecit falsa circundatum potentia arguerit. Qui enim liberalibus moribus seruitutis tristitiam submiserit, inuenitur Dñs exitiosi Dæmonis qui Tyrannis delectatur, conuenienter ei qđ dicit diuinus Apostolus, succinctus lumbos in veritate & indutus lorica iustitiæ. Tale quid enim Romę factum est, quę creditur esse prima & maxima omnium ciuitatum quæ sunt in orbe terrarum. cum Satanas quidem ampliorem suam rabiem in seruos Dei extendisset: Seruator autem noster Iesus Christus, germanis suis famulis latenter suas explicasset gratias. Multiplices enim Dæmonum machinationes variæ cœlestibus consumebat auxiliis: & mentem eorum qui ad ipsum accedebant faciebat robustiorem insania minantium. nunc quidem par spiritale, gratiæ apostolicæ coronis in quas non cadit interitus, redimiens aduersus cultum simulachrorum. nunc autem efficiens vt principes romani Senatus à delitiis discederent & diuitiis propter meliorum desiderium.

Sed cum oporteret genus quoque seruile superare tyrannidem exitialiũ Dæmonum. ne aduersus seruum bonum videretur conseruus se extollere, in altũ elata superbia, ducitur beatus Onesimus ad tribunal Romæ Tertullo tunc Præfecti vrbis obtinente potestatem. qui communem quidem quandam induerat potestatem aduersus Christianorum genus, iussit Tyranni ad pios persequendos excitatus: duplicatum vero suum odium in hunc virum iustum aperuit, quæ laudi ei danda erant trahens ad vituperationem. Qm̃ enim diuinis & pudicis doctrinis, vxorem eius qui videbatur ei frater, docuerat continentiam: & veræ & viuificę in Deum fidei memoriam eius animo impresserat, sanctum quidem vocabat prestigiatorem. adulterum autem eum qui decreta temperantiæ moderato animo pdicabat. Hic est enim Onesimus qui apostolicis decoratur testimoniis.

Hic est qui theologicæ & veræ Pauli linguæ persuasi vt litteris pro eo
intercederet apud Philemonem Dominum suum. Hic est qui seruilis ne-
cessitatis tristem humilitatem, piis moribus & bonis actionibus ad mentẽ
excitauit liberam. Hic est qui inutilem quotidianam vitæ decepit dece-
ptionem, & suis in Apostolos ministeriis, ad pietatis altitudinem totum
seipsum extendit. quõ eos qui legunt docent litteræ ad Philemonem, quæ
aperte sic habent. Rogo te pro meo filio quem ego genui in vinculis ,,
meis. Onesimum aliquando tibi inutilem, nunc autem tibi & mihi vtilẽ. ,,
quem misi. Tu autem eum, hoc est mea viscera, accipe. quem ego volebã ,,
apud me retinere, vt pro te mihi seruiret in vinculis Euangelij. Sine tua ,,
autem sententia nihil volui facere. me tuum bonum esset veluti ex neces- ,,
sitate sed voluntarium. Fortasse enim propterea à te separatus est ad tem ,,
pus, vt eum recipiens ęternum. non amplius vt seruum, sed suprà seruum. ,,
fratrem dilectum maxime mihi. Quanto autem magis tibi in carne & in ,,
Domino? & quæ deinceps sequuntur.

Atq; sufficerent hæc quidem quæ per tot laudes procedunt, ad aperien
dum thesaurum bonorum quæ aderant Onesimo. Non sunt enim adula-
toris nec falsa alicuius testimonia, sed Præconis veritatis qui functus est
munere apostolico. Eundem ergo vocat & filium & fratrem. filij quidẽ
appellatione, sui in eum amoris ostendens magnitudinem. per fraternita-
tem autem, ęqualem ei conseruans honorem in Deum fiduciæ. Qui præ-
sentia enim sua leuauit vincula, & tristitiam exhilarauit consuetudine,
& corporalibus ministeriis Apostolici corporis alleuauit labores, quõ nõ
viatico pietatis onustus erat peruenturus ad talem finem doni in quod
non cadit interitus? Atque hunc quidem qui sic animam in Dei pietate
præclare exercuit, ieiunio 1 autem & orationi corpus assuefecit, vt in sta 1
dio pietatis incorruptionis corona aduersus malignum aperte redimeret, *Ieiunio autẽ & ora-*
tunc adductum ad tribunal Tertulli cũ Romulo adiutore & Papia spi- *tioni corpus assue-*
ritali commilitone, interrogauit Tertullus, dicens, Quis es? r̃ndit One- *fecit.*
simus. Christianus. Dixit autem Præfectus. Cuius conditionis? R̃ndit.
Olim quidem famulus, vt est consentaneum, hominis. nunc vero gratus
seruus boni Dñi & Seruatoris nostri Iesu Christi. Dixit Præfectus. Et
quænam est occasio tuæ tam facilis in alienum dominium trãslationis?
Dixit Onesimus. Cognitio veritatis & odium cultus simulachrorũ. Di
xit Præfectus. Quanto pretio fuisti translatus, tam nouum dominium?
Dixit Onesimus. Dei filius Iesus Christus, prætioso suo sanguine empto
meo interitu, me transtulit ad incorruptionem. quemadmodum scriptum
est. Scientes q; non corruptibilibus auro aut argento redempti estis à va
na vestra conuersatione tradita à patribus: sed pretioso sanguine tanquã
agni immaculati Christi.

Dixit Præfectus. Quamnã hanc vanam conuersationem vestræ an-
nunciant scripturæ, Ostende rebus ipsis accommodans. Dixit Onesimus
Adulterium, quod propter paucas cupiditates ad infinitum supplicium
alit suos operarios. Auaritiam, quæ propter nullum bonum armatur in
proximum. Præstigias, quæ cohabitant cum Dæmonibus & sunt inuen
trices spectrorum, & sunt radices vniuscuiusq; insidiarum. Arrogantiam,
quæ per nouam mentis agitationem in immensum elata est fastum aduer
sus potentiores. Inuidiam, quæ Cain cum multis alijs docuit esse fratri-

cidam. & in iis quæ ipsam possident, perniciosas seminauit cogitationes. Maledicentiam. linguam effrenatam, quæ tanq̃ nubem quandã in omnes extendit irrisionem. Simulationem, veritatis inimicam & amicam Diaboli. & quod est hæbes ad amicitiam, & velo prætenso est absconsum, pusillanimi vitium, inferens errantem mentis conceptionẽ. per quod Euã quoque, vt arbitror, supplantauit malignus. Iram maledicti inuentricẽ, malarum autem plagarum effectricem, & vulnerum procreatricem, & matrem cædis. Ebrietatem quæ cohabitat cum intemperantia, & est soror voluptatis, & inuẽtrix turpis sermonis, aliena à bona cogitatione. quę est indecora & habitu & oratione, & dissoluit decorem eorum quæ sunt secundum naturam.

Posthæc autem omnia, quæ materialis & mundanæ cõstitutionis est cisterna, & eorum quæ dicta sunt mater, idolatriam. quæ quidem est fundamentum fornicationis. magistra vere Dei ignorationis. inuentrix egestatis rationis. animæ occæcatio architectatrix suauis delitiarum titillationis. aliena ab honestate. quæ cum Domino pugnat vniuersorũ, & aggreditur excindere terminos veri Dei cultus. quæ est Dux mortis & ministra draconis. esca malorum. virtuti contraria. fugiens incorruptionem, & prædicans interitum. & circa terram & tartarum proponens spem iis quæ ad ipsum intuẽtur. amica sanguinis. duxq; & princeps inuidiæ. quæ Dei ignoratione illaqueat eos qui sunt simplices moribus. quæ tenebrarũ quidem & vmbræ est germana conciliatrix, à lucida autem gratia est aliena. quæ laqueis inhonestæ actionis constringit eos qui ipsi seruiunt. quæ est argumentum turpis & blasphemi sermonis. quæ ad vanam exercet gloriam eos qui sunt ei dediti. quæ est operatrix saltationis, cupiditatis carnalis conciliatrix. quæ canos senis probro afficit & ignominia, ad indecoram tibiam iubens saltare eum qui est consistentis ætatis. quæ honestatem excindit virginitatis per indecoram capillorũ solutionem. quæ eas facit scenicas quæ domi sunt honestæ pudori dedicatæ. quæ ferro & ense suos dies festos commiscuit. quæ animalium immunditiis & sanguinis effusionibus annunciat sordes suæ impudicitiæ. quæ eas quæ honeste cœlãtur partes corporis, turpiter publicat in media ciuitate. quæ viri aperit pudenda, & quæ non fas est indicat mulieribus. quæ masculi excindit naturam ad cultum effœminati Dæmonis. quæ sua effecit mysteria ex cędibus & adulterio & puerorum amoribus. quæ instar cymbæ in maximis fluctibus variis modis agitat mentes hominum. nunc quidem venenatos serpentes gustare suos mystas adhortans. nunc aũt docens ea quæ diuellũtur coli ab iis qui diuellunt. quæ aliis piscem renunciat. quæ alios adhortatur vt aliorum Deos comedant. quæ bouem sacrificat & bobus offert holocausta. quę oui ouem sacrificat: & eundem efficit & Deum et bestiam. quæ homini mactat hominem & cædem facit pro sanitate. quæ inanimis animata offert ad sacrificium. & sculpto lapidi mactat hominem qui factus est ad Dei imaginem. quę sordida animalia et malas escas rationis expertibus fraudibus in Deos retulit. quæ est turpia efficiens dedecus, & muscam ex verme habet principiũ sui ortus. Quid enim opus est dicere, ꝙ vel cepi diuinum honorem tribuit Idololatria. ab animalibus ad materiam inanimam varie transiens deceptionibus. vt summa cęcitate hominum ignorantiam deducat ad inferos. Ita etiam fecit lapidem

vt Deum

vt Deum honorari. & lignum, partim quidem colere iussit profanis legibus. partim autem edixit vt in ara vreretur ad manifestam probationem impiæ mentis eorum qui ipsi parent.

Cum hanc ergo per tot absurda procedētem impiam idololatriā effugissem, & eius malitiæ satellites forti animo conculcassem, veluti ex maris tempestate perueni ad portum pietatis, ancoris cymbam substantiæ mei corporis in tuto & stabili loco faciens quiescere. nēpe vita nulli culpę affini. fide in Deum. & charitate in proximum. In his enim vtrisq; simul coniunctis credimus contineri vniuersam mentē doctrinæ cœlestis. Quāobrem te quoque adhortor ô Tertulle, amoris in fratres legem volens extendere, vt dimittas quidem has omnes quę sunt ad tempus visionis suauitates, & instar somnij sensum cito prætereunt: celeri autem mente de cętero accedēs ad vniuersorum inspectorem & opificem Deum. & errorem quidem soluas: fide vero fias saluus, & vt scriptum est venias ad agnitionem veritatis. Non enim delectatur Deus morte eius offendit: sed pœnitentia, eorum qui accedunt abstergit præcedentia scelera. Dixit Pręfectus. Videri, non solum metu tormentorum repressus, nolle venire ad sacrificādū. sed etiam nos ad tuam trahere deceptionem. Dixit Onesimus. Neq; tua probabilis oratio ô aliene à veritate, etiamsi secum afferat persuasionem, neque tua tantum possunt tormenta, etiamsi ea efficias terribilia, vt in spe futurorum bonorum non perseuerem per ea quæ à te mihi offeruntur. His & quæ sunt huiusmodi hactenus agitatis, Præfectus quidē beatum Onesimum cum iis qui cum ipso erant, tenebrosæ iubet tradi custodiæ & afflictionibus quæ producunt dolorem tormentorum. vt singulorum probrorum ac pœnarum illatio, ad impietatem traduceret eius fidē. Ille autem iustus, vt qui iam esset amplexus delitias quæ sunt in paradiso, magis lætabatur iis quæ in ipsum facta fuerant. non secus ac aurum q per ignem & vstionem efficitur magis probatum ad sui purgationē.

Cum ergo afflictio in carcere producta fuisset ad totos decem & octo dies, extrinsecus quidem affluens populus, magis corroborabat beatum ad veram in Deum fidem. Tertullus autem studens quod fiebat reprimere, sub prætextu clementię, eos expellit è ciuitate. Onesimus vero cum Apitione strenuo in vero Dei cultu commilitone, cum peruenisset Puteolos, non cessabat viuifica prædicare gratiam iis qui accedebant. Cum complures ergo hoc modo venissent ad agnitionem veritatis, ægrefer quidem Tertullus id quod factum fuerat: & ad immensam irę speciem, vt est verisimile, armatur à Dæmone. Huius autem Satellites, quorum manibus impia fuerat cura commissa, sanctorum manus lignis affixerunt in dorso eos torquentes. & in hoc habitu Præfecto cedem spiranti sanctos ad tribunal adduxerunt. Tertullus autem venenatis Diaboli furoribus agitatus, rursus interrogauit, toruo aspectu se putans territurum beatum Onesimum. Quid te mouit, inquit, ô ferro & igne digne, vt meam clementiam in immensam tibi reconderes fiduciam: & malum malum, vt videtur, addens, deinceps ad inexorabile in te intenderes supplicium? Dixit Onesimus. At ego existimabam te de cætero effectum amatorem meliorum, mihi quoque concessisse potestatem vt docerem. vt per omnes absq; vllo impedimento currens gratia, nullum eorum qui crediderant redderet expertem doni Dei. Hæc lepida verba tanq; dicta per ludibrium accipiens

Tertullus, iußit beati corpus vehementer extendi à quatuor, & virgis cædi per ignominiam strenuum Athletam pietatis.

Cum longum autem tempus dum hæc fierent prætercurreret: & ligna quidem sanguinem & carnem corporis simul attraherent: pia autem illa anima magis corrobaretur ex desiderio bonorum quę expectantur in cœlis, minabatur Tertullus se corpus eius esse membratim dissecturum, nisi vellet sacrificare. Ille autem vir fortis & propter pietatem plane inexpugnabilis, cum suam mentem tanquam murum aliquem validum opposuisset tormentis, erat immutabili sententia, ne omnino quidem propter minas suam inclinans fiduciam & loquendi libertatem. Postremo ergo cum totum corpus disruptum esset tormentis, & vidisset Tertullus eum iacentem supinum, iubet eius tibias & fœmora confringi. & sic coronam incorruptionis consummatus beatus Onesimus à Deo accipit ad bonorũ remunerationem quintodecimo Calendas Martias.

Quædam aũt mulier quæ erat ex genere Imperatoris, cũ thecam construxisset ex argẽto, in ea imposuit reliquias Martyris, 2 ex sua in sanctum memoria, æternorum bonorum sibi mercedem comparans. Quam detur nobis omnibus consequi, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri cum sancto spiritu gloria, potentia & honor, nũc & semper & in secula seculorum. Amen.

2 *Vide quam gratum Deo sit opus sanctos honorifice recondere, ut per illud hæc mulier æternorum bonorum mercedẽ sibi comparauerit.*

CERTAMEN SANCTORVM,

Martyrum, Pamphili, Valentis, Pauli, Seleuci, Porphyrij, Theoduli, Iuliani & sociorum.

TEMPVS inuitat ad omnibus narrandum magnum & gloriosum spectaculum Pamphili, & sociorum, virorũ admirabilium cum eo consummatorum, & qui ostenderunt multiplicia certamina pietatis. Atque cum plurimi quidem in nobis cognita persecutione se fortiter gesserint, eorum de quibus agitur rarißimum certamen quod nos cognouimus, conscripsimus. quod in se simul omne genus ætatis & corporis & animi vitæque diuersorum studiorum est complexum. Variisque tormentorum generibus, & diuersis in perfecto martyrio fuit coronis exornatum. Licebat enim videre quosdam adolescentes & pueros atque adeò plane infantes ex iis qui erant cum ipsis. alios autem pubescentes, cum quibus erat etiam Porphyrius, corpore simul vigentes & prudentia. nempe mihi carißimum Iamnitem Paulum Seleucumque & Iulianum, qui ambo orti erant ex terra Cappadocum. Erãt autem inter eos sacris quoque canis & profunda ornati senectute, Valens quidam Diaconus ecclesiæ Hierosolymitanæ, & cui verum nomen obtigerat Theodolus.

θεόδουλος Dei seruus.

Atque hæc quidem fuit in eis ætatum varietas. Animis autem inter se differebant. Nam alij quidem erant rudiores, vtpote pueri & quibus erat ingenium adhuc tenerius ac simplicius. alij vero seueri & morum grauitate præditi. Erant autem inter eos quoque nonnulli disciplinarum sacrarum non ignari. Aderat vero omnibus congenita insignis & admirabilis

animi fortitudo. Veluti autem quoddam in die resplendens luminare in astris fulgentibus, in medio eorum emicabat meus Dñs. non est enim fas mihi aliter appellare diuinum & plane beatissimum Pamphilũ. Is enim & eruditionem quæ habetur apud Græcos in admiratione non modice attigerat. & in diuinorum dogmatum & diuinitus inspiratarum scripturarum eruditione, si quid audacius sed verum dicendum est, ita erat exercitatus, vt nullus æque ex iis qui erant suo tempore. Quod autem erat his longe maius & præstantius habebat donum, nempe dominatam, vel potius ei à Deo datam intelligentiam & sapientiam. Et quod ad animum quidem attinet, omnes ita se habebant.

Vitæ autem conditionis & conuersationis erat inter eos plurima differentia. cum Pamphilus quidem duceret genus secundum carnem ex iis qui erant honesto loco nati, fuisset autem insignis in repub. gerẽdis in patria sua. Seleucus vero fuisset insigniter ornatus militiæ dignitatibus. alij autem nati essent ex mediocri & communi loco. Non erat autem eorum chorus nec extra seruilem quidem cõditionem. Nam & ex Præsidis domo in eorum numerum relatus fuerat Porphyrius, qui specie quidem erat Pamphili famulus, is autẽ ipsum affectione habebat loco fratris, vel germani potius filij, vt qui nihil omitteret quo minus in omnibus imitaretur Dñm. Quid aliud? Si quis dixerit in summa eos ecclesiastici cœtus typũ esse complexos. is non procul abfuerit à veritate. cum inter eos 1 presbyterio quidem dignatus esset Pamphilus. Valens vero Diaconatu. & alij sortiti essent locum eorum qui è multitudine consueuerunt legere. & confessionibus per fortissimam flagrorum tolerantiam diu ante in martyrio præclarissime se gessisset Seleucus, & militaris dignitatis amissionẽ fortiter accepisset. & reliqui deinde per Catechumenos & fideles, reliquã implerent similitudinem innumerabilis ecclesiæ vt in parua imagine. Sic aspexi admirabilem tam multorum & talium Martyrum electionem. qui & si non essent multi numero: nullus tamen aberat ex iis ordinibus qui inueniuntur inter homines.

1 *Habes hic tres ordinis Eccle. gradus. Presbyteratum, Diaconatum, Lectoratum.*

Quo autem in lyra quæ multas habet chordas & ex chordis constat dissimilibus, acutis & grauibus, remissisq; & intensis & mediis, arte musica concinne adaptatis omnibus: eodem modo etiam in his. adolescentes simul & senes. serui simul & liberi. eruditi & rudes. obscuri generis homines, vt multis videbatur, & gloria insignes. fideles simul cum Catechumenis. & Diaconi simul cum Presbyteris. Qui omnes tanq̃ à sapientissimo musico, nempe Dei verbo vnigenito, varie pulsati, & quæ erat in ipsi potentiæ vnusquisque per tormentorum tolerantiam, hoc est confessionem, ostendentes virtutem, & clarissimos numerososq; & concinnos sonos edentes in iudiciis, vno & eodem fine in primis piam & longe sapientissimam, per martyrij consummationem, Deo vniuersorum impleuerunt melodiam.

Operæpretium autem est admirari virorum quoq; numerum, qui significat propheticam quandam & Apostolicam gratiam. Contigit.n. omnes esse duodecim. quo numero Patriarchas & Prophetas & Apostolos fuisse accepimus. Non est autem prætermittenda vniuscuiusque sigillatim laboriosa fortitudo: laterum lacerationes: & cum pilis caprinis laceratarum corporis partiũ attritiones. & flagella immedicabilia. mul-

tiplicia〈que〉 & varia tormenta. graues〈que〉 & toleratu difficiles cruciatus, quos iubente Iudice manibus & pedibus infligentes Satellites, vi cogebant Martyres aliquid facere eorum quæ erant prohibita. Quid opus est dicere memoriæ perpetuo mandãdas voces virorum diuinorum, quibus, labores nihil curantes, lęto & alacri vultu rñdebant Iudicis interrogationibus, in ipsis tormentis ridentes viriliter, & bonis moribus ludificantes eius percontationes. Cum enim rogasset vndenam essent, mittentes dicere quam in terris habebant ciuitatem, ostendebant eam quæ voce est eorum patria, dicentes se esse ex Hierusalem. Indicabant vero eadem sententia Dei quo〈que〉 cœlestem ad quam tendebant ciuitatem. & alia q̃ sunt huiusmodi, ignota quidem & quæ non possunt perspici ab iis qui sacras literas nõ gustarunt, eis autem solis & qui à fide diuina sunt incitati aperta, adducebant. Propter quæ Iudex indignatus & valde animo cruciatus, & plane quid ageret dubius, varia ne vinceretur in eos machinabat̃. Deinde cum à spe cecidisset, concesit vnicui〈que〉 auferre pręmia victoriæ. Erat autem varius modus eorum mortis, cum duo quidem qui erant inter eos Catechumeni, consummati sint baptismo ignis: alius vero fuerit traditus figuræ salutaris pasionis. qui autem erat mihi charus, fuerit diuersis brauiis redimitus.

Atque hæc quidem dixerit quispiam horum magis vniuersam faciens mentionem. Sigillatim autem vnũquẽque persequens, merito beatum ꝓnunciarit eum qui in choro primum locum obtinet. Is autem erat Pamphilus vir re uera pius, & omnium, vt semel dicam, amicus & familiaris, reipsa nomen sibi impositum verum esse ostendens. Cæsariensium ecclesię ornamentum. Nam Presbyterorum quo〈que〉 cathedram cum esset presbyter, honestabat, vt qui simul ornaret ministerium & ex eo ornaretur. Quinetiam aliis quo〈que〉 erat diuinus & diuinę particeps inspirationis, q̃m tota sua vita fuit maxime insignis virtute, multum quidem iubẽs valere delitias & copiam diuitiarum, cum se totum dedicasset Dei verbo, renuntians 2 quidem iis quę ad ipsum redibant à maioribus, nudis mancis & pauperibus omnia distribuit. ipse autem degit in vita q̃ nihil posidebat, per valentisimam exercitationem, diuinam persequens philosophiam. Atque ortus quidem erat ex Berytensium ciuitate, vbi in prima ętate educatus fuerat in iis qui illic erant ludis litterariis. Postq̃ autem eius prouidentia ad virilem peruenisset ętatem, transiit ab his ad sacrarum litterarũ scientiam. Assumpsit vero mores diuinę & prophetice vitę: & ipse se verum Dei martyrem exhibuit etiam ante vltimum vitę finem. Sed talis quidem erat Pamphilus.

2 Vides euangelicam paupertatem à sancto uiro electam, q̃ est rerum omnium spontanea renunciatio; & in pauperes Christi distributio.

Secundus autem post ipsum, accesit Valens ad certamen, qui senili & quę decet Sacerdotem erat ornatus canicie, ipso〈que〉 aspectu venerandus & sacrosanctus senex. quinetiam diuinarum scripturarum sciens, vt si quis alius. eas quidem certe ita erat complexus memoria, vt à lectione nihil discreparent, quę memorię mandatę ab eo conseruabantur sacrosanctorum Discipulorum promisiones. Erat autem Diaconus, etsi esset huiusmodi, ecclesiæ Eliensium.

Tertius in eorum numerum relatus erat Paulus, qui vir acerrimus & spiritu feruens agnoscebatur ex ciuitate Iamnitarum. qui etiam in martyrio per cauterĳ tolerantiam susceperat certamen cõfesionis. His incar-

cere

cere duobus annis contritis, martyrij occano fuit Ægyptiorum aduentus qui etiam cum eis fuere consummati. Ii autem cum vel sic valde afflicti in metallis vsque ad loca peruenissent, domum reuertebantur. Qui cum in ingressu portæ Cæsariensium interrogati essent à custodibus quinam essent & vnde venirent, & nihil veri celassent, dixissent autem se esse Christianos, perinde ac malefici in ipso furto deprehensi, vincti sunt & comprehensi. erant vero quinque numero. Ad Præsidem autem adducti & coram eo libere locuti, in vincula quidem statim coniiciuntur. die autē sequenti qui erat sextusdecimus mensis Peritij, more vero romano quartusdecimus Calend. Martij, hos ipsos cum Pamphilo & sociis adducunt ad Firmilianum. Ille autem Ægyptiorum solum periculum fecit ante tormenta, omni ratione eos exercens. Atque eorum quidem principem cum adduxisset in medium, rogauit quisnam esset & vnde. Qui cum ꝓ proprio nomine quoddam propheticū audiisset. hoc autem fiebat ante alia, vt qui pro patriis eis impositis idolicis nominibus, sibi prophetica nomina imposuissent, vt qui Eliam & Hieremiam, Esaiam, Samuelem & Danielem ipsi seipsos nominarent: & qui est in occulto Iudæum & germanum Israëlitam, non solum factis, sed etiam vocibus proprie enuntiatis indicarent.

Cum tale ergo nomen Iudex audiisset à Martyre, vim autem nominis non attendisset, secundo rogauit quænam esset eius patria. ille vero cœlestem Hierusalem dixit esse suam patriam, illam intelligens de qua dictum est à Paulo Quæ sursum est Hierusalem est libera quæ est mater nostra. & Accessistis ad montem Sion & ciuitatem Dei viuentis, Hierusalem cœlestem. Et hic quidem hanc cogitabat: ille autem humi suam abiiciens cogitationem, quænam hæc esset, & vbi terrarum sita esset, accurate perscrutabatur. atque adeò ei etiam inferebat tormenta, vt verum fateretur. Hic vero dū torqueretur, se verum dixisset affirmabat. Deinde eo hæc rursus & sæpe sciscitante, quænam esset & vbi sita esset dicta ciuitas Hierusalem, solum dicebat eam esse patriam Christianorum, nullos enim alios præter eos esse eius participes. sitam autem esse ad orientem et ad ipsam lucem & solem. Atq; hic quidem rursus per hæc mente sua philosophabatur, nihil sentiens eos qui circūcirca ipsum tormentis afficiebāt. Tanq̄ autem carnis expers & incorporeus, nihil videbatur pati molestū. Iudex vero animi dubius odio cruciabatur. & existimans Christianos hanc sibi ciuitatem quę esset infesta Romanis constituisse, valde vrgebat tormentis, & curiose scrutabatur eam quæ dicta fuerat ciuitatem, & quę est in Oriente inquirebat regionem. Cum autem adolescentem diu cęsum flagellis videret non posse dimoueri ab iis quæ prius dixerat, statuit in eū ferre sententiam capitis. Et in eum quidem res hoc modo processit. reliquos autem Ægyptios cum simili palęstra exercuisset, similem quoq; in eos fert sententiam. Deinde cum ab his transiisset ad Pamphilum, accepit ꝙ ij iam prius essent plurima experti tormenta. Absurdum autem esse arbitratus eosdem iisdem rursus afficere tormentis, & frustra laborare, hoc solum est percontatus an nunc saltem obedirent. Cum vero ab vnoquoque eorum audiisset vltimam vocem martyrij, in eos similiter fert sententiam capitis.

Nondum autem dictum vniuersum absoluerat, & alicunde exclamat

quidam adoleſcens ex familia Pamphili: & ex media turba accedens in medium eorum qui circunſidebant iudicium, alta voce corpora eorum petiit ſepulturæ. Is autem erat beatus Porphyrius, Pamphili germanum pecus, nondum totos octodecim annos natus, recte ſcribendi ſcientiæ peritus, modeſtia vero morum has laudes celans, vt qui à tali viro fuiſſet inſtitutus. Is poſtq̄ aduerſus Dominum latam cognouit ſententiam, exclamauit ex media multitudine. Corpora rogo vt humi mandentur. Ille autem non homo ſed fera, & quāuis fera agreſtior, neque honeſtam & rationi conſentaneam admittens petitionem, neque iuuenili ętati dans veniam, cum hoc ſolum intellexiſſet eum fateri ſe eſſe Chriſtianū, iubet tortoribus vt totis viribus in eum vterentur. Cum vero eo iubente ſacrificare, recuſaſſet vir admirandus, non vtique tanq̄ carnes hominis, ſed tanq̄ lapides & ligna, aut aliquid aliud inanimum, vſque ad ipſa oſſa & ima viſcera iubet eum torquere & corpus eius cędere. Cum autem hoc diu fieret, agnouit ſe hoc fruſtra aggredi, cum ꝓpemodum mutum & inanimū effectum eſſet corpus generoſo Martyri. Perſeuerans vero Iudex in ſæuitia & inhumanitate, iubet latera tormentis excogitata pilorum textis amplius atteri. Deinde cum ſic eum cepiſſet ſatietas & furore eſſet exatiatus, pronunciat ſententiam vt tradatur lento & molli igni. Atque hic quidem cum ante Pamphili cōſummatione poſtremus acccepiſſet ad certamen, prior & corpore exceſſit ad Dominum.

Licebat autem videre Porphyrium non ſecus affectum q̄ victorem in ſacris certaminibus qui in omnibus pugnis euaſerat ſuperior. corpore puluerulentum. vultu lętum, audenter & exultando ad mortem progredientem. re uera plenum diuino ſpiritu. Philoſophico autem habitu, ſuo indumento amictus inſtar ſuperhumeralis, ſurſum aſpiciens, & omnia humana deſpiciens ſicut vitam mortalem, quietu animo accedit ad rogum cum iam flamma ei appropinquaret. & tanq̄ nihil ei adeſſet moleſtum, ſana mente & nulla affecta perturbatione, de rebus ſuis mandauit ſuis neceſſariis, adhuc vultum & vniuerſum corpus lętum conſeruans & immutatum. Poſtq̄ autem notos ſuos ſatis allocutus eos valere iuſsit, iam de cętero contendebat ad Dominum. Cum vero rogus ſatis longo ſpatio diſiunctus circa eum eſſet accenſus, hinc & illinc ore flammam arripiebat, ipſe ſeipſum incitans ad iter propoſitum. Hoc aūt faciebat nihil aliud q̄ Ieſum inuocans. Tale eſt certamen Porphyrij. Cum eius autem conſummationis Pamphilo nuncius fuiſſet Seleucus, dignus habetur cui ſors eadem cum eis obtingeret.

Cum primum itaq̄ renūciaſſet Pamphilo exitum Porphyrij, & vno oſculo ſalutaſſet Martyres, comprehendunt eum milites & ducunt ad Præſidem. Ille autem perinde ac vrgens vt ipſe abiret ſimul cum prioribus, iubet eum affici ſupplicio capitis. Is erat ex regione Cappadocum. cum autem militiæ ſe præclare geſsiſſet, ad non paruos gradus dignitatū peruenerat in romano exercitu. Quinetiam ſtatura viribusq̄ & magnitudine corporis reliquos omnes longe ſuperabat. ipſo quoq̄ aſpectu erat omnibus ſuſpiciendus. & tota forma corporis plane admirabilis, tam ꝓpter magnitudinem q̄ propter pulchritudinem. Atq̄ in principio quidē perſecutionis, per flagellorum ꝑpeſsionem clarus extitit in certaminibus confeſsionis. Poſtq̄ autem fuit liberatus à militia, ſeipſum conſtituens

ęmulatorem eorum qui se exercent in pietate, efficitur Christi germanus miles, orphanorum desertorum, & viduarum quę carebant præsidio, eorumq́ue qui paupertate opprimebantur & imbecillitate, tanquam Eps quispiã & procurator curam gerens. & instar diligentis & soliciti patris, omniũ qui abiecti erant labores recreans & afflictiones. Quãobrem merito Deo his magis lætante, quam per fumum & sanguinem fiunt sacrificiis, dignus fuit habitus consummatione quæ fit per martyriũ. Hic decimus Athleta cum iis qui dicti sunt, consummatus fuit vno & eodem die. in quo, vt est consentaneum, maxima Pamphili martyrio porta cœlorum aperta, facilis & expeditus ei fuit aditus regni cœlorum.

Seleuci institit vestigiis Theodulus quidam venerandus & pius senex, qui primum honoris locum obtinuerat inter seruos Præsidis, & morum & ętatis gratia: & quod trium filiorum esset pater: & maxime propter beneuolentiam quam conseruabat in suos. Is autem cum similiter fecisset atque Seleucus, & quendam ex Martyribus salutasset osculo, adducitur ad Dominum. Quem cum magis ad iram irritasset quam alij, salutaris passionis, cruci traditus, subiit martyrium.

Cum post hos vnus adhuc restaret qui inter eos qui dicti sunt numerum impleret duodecimum, eum impleturus aderat Iulianus. Is cum ea ipsa hora rediisset ex peregrinatione, ne ingressus quidem ciuitatem, ita vt erat ex itinere, hoc audito profectus ad videndos Martyres, postquam aspexit sanctorum corpora humi iacentia, gaudio repletus vnũquẽque amplectitur, omnes salutans osculo. Eo autem hoc adhuc agente, eum comprehendunt lictores & adducunt ad Præsidem. Impius vero suo instituto faciens consentanea, eum quoque tradit lento igni. Sic itaque Iulianus lętans & exultãs, & magna voce Deo qui tantis bonis eum erat dignatus agens gratias, assumptus fuit in choros Martyrum. Erat autem is quoque genere quidem Cappadox: moribus plenus quidem pietate, plenus & fide, vir mitis & mansuetus & alioqui vir bonus, & spirans bonũ odorem sancti Spiritus. Tanta turba comitatus, dignata fuit consummatione martyrij cum beatissimo Pamphilo.

Et quatuor quidem dies & totidem noctes, iussu Firmiliani, sanctissima Martyrum corpora exposita fuerunt bestiis carniuoris. Cum autem Dei prouidentia nihil ad eos accessisset, non fera, non auis, non canis, non aliquid aliud, sed salua permansissent & integra, iustum & conuenientem honorem assecuta, consuetæ mandata sunt sepulturæ, reposita in pulchris templorum ędibus, & sacris tradita oratoriis ad perpetuam memoriam vt honorarentur 3 à populo Ad gloriam Christi veri Dei nostri. Cui gloria & potentia simul cum patre & sancto spiritu nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

3 *Nota sanctorum corpora fuisse sepulturæ mandata, & sacris tradita oratoriis, ut honorarentur à populo.*

MARTYRIVM SANCTI ET GLOriosi Martyris Christi Theodori Tironis.

Februa. 17.

MAXIMIANVS & Maximinus Imperatores, emiserũt decretum in vniuersam terram quæ parebat eorum imperio, vt omnes gentes q̃ credebant piæ religioni Christianorum, si execrandos cibo gustassent salui essent. qui autem contradicebant, traderentur iudiciis. Quo tempore militans s. Theodorus Tiro in Orientis regione cum multis aliis, ductus est ad legionẽ quæ vocabatur Marmaritarum, sub Præposito Brinca, quæ legio sedebat in ciuitate Ponti, nomine Amasea. Ductus vero s. Theodorus, cogebatur sacrificare simulachris. Verus autem Christi miles Theodorus, cum esset Deo fidelis, repletus sancto Spiritu, dixit in medio legionis. Ego sum Christianus, & iussus sum non sacrificare adulterinis. habeo enim Iesum Christũ Regem in cœlis. Dixit Brincas Præpositus. Velis me audire Theodore: & accipe totam tuam armaturam. & cum militaueris, veni Diis sacrificatum. Sanctus Theodorus rñdens dixit. Ego milito meo Regi Christo: & de cætero non possum alij militare. Dixit Brincas Præpositus. Et ij omnes qui adsunt, sunt Christiani & militant? Rñdens autem sanctus dixit. Vnusquisq; scit q̃uo militet. Ego vero milito meo Domino & Regi cœlesti Deo, & filio eius vnigenito.

Posidonius Ducenarius qui adstabat dixit. Et filium habet Deus tuus ô Theodore? Rñdens autem s. Theodorus dixit. Habet certe filium verbum veritatis, per quem fecit omnia. Dixit vero ei Præpositus. Possumus ne ipsum cognoscere? Dixit s. Theodorus. Vellem, si vobis Deus talem dedisset intelligentiam, vt eum cognosceretis. Dixit Posidonius. Et si eum cognouerimus, non possumus relinquere nostrum Imperatorẽ & ad illum accedere? Dixit s. Theodorus. Nihil est quod vos impediat quominus relinquatis tenebras, & q̃ ad breue tempus habetis fiduciam erga vestrum breui tempore duraturum & terrenum Imperatorem: & accedatis ad Deum viuum & Regem & Dominum æternum: & ei militetis q̃uo ego. Dixit Brincas Præpositus. Ei cedamus vsque ad aliquot dies, vt cum seipsum admonuerit, accedat ad id quod est vtile.

Cum ergo accepisset id quod concedebatur, orabat sine intermisione & laudabat Dominum. Ira autem fremebant impij, & erant soliciti de quibusdam aliis ex ciuibus. quos etiam comprehenderunt & duxerunt in carcerem. Beatus vero Theodorus eos sequens acclamabat, docẽs viam salutis & tolerantiæ. ne negarent Christum Regem. Cum illi autem fuissent inclusi. ipse s. Theodorus inuento tempore opportuno, noctu combussit templum matris Deorum. Visus autem fuit à quibusdam è ciuitate & accusatus. Cronides vero quæstor propter hoc timore affectus, eum comprehendit & adduxit ad Præsidem Publium, sic eum docens. Domine mi, Hic vir pestifer, recens electus Tiro, qui male venit in nostrã ciuitatem, combussit templum matris Deorum, & Deos affecit iniuria. Eum ergo comprehensum duxi ad tuam magnitudinem. vt conuenienter diuino & imperatorio edicto Dominorum orbis terræ, det pœnas eorum

quæ

quæ ausus est facere. Iudex autem accersito Præposito Brinca dixit ei. Tu ne ei dedisti potestatem vt igne consumeret templum matris nostrorum Deorum? Ille vero rñdit, dicens. Ego sæpe eum sum adhortatus, ei etiam dato certo tempore, vt cum apud se considerasset, Diis sacrificaret. Si autem hoc fecit, omnino Deos contempsit & iussa imperatoria. Cũ sis ergo Iudex, sequere edicta Imperatorum.

Pręses itaq; sedens in tribunali, iussit ad se adduci beatum Theodorũ. Cum esset autem adductus, dixit ei Iudex. Quamobrem cum te oporteret Deę sacrificare & ei libare & thus offerre, ignem ei obtulisti? Dixit sanctus Theodorus. Quod feci non nego. accendi ligna vt lapis vreretur. est autem talis vestra Dea & eius virtus, vt ignis eam tangat & eã vrat. Ego ligna accendi, vt vreret lapidem. Ira vero motus Iudex iussit eum verberari, sic dicens. Molliora mea verba te audaciorem fecerunt & confidentiorem. Quamobrem noli mihi rñdere multa verba. Nam te manent dura & grauia tormẽta ac cruciatus, vt pareas edictis Imperatoris. Dixit S. Theodorus. Neque tibi pareo. neque tormenta tua timeo, etiam si sint valde formidabilia. De cętero fac quod velis. Nam expectatio bonorum Dei me adhortatur vt confidam, propter spem mihi repositam. & coronam quæ mihi à Deo contexitur. Dixit Iudex. Diis sacrifica Theodore. & te libera ab iis quæ te manent tormentis. es enim malè & acerbe moriturus. Dixit S. Theodorus. Non sunt mihi tormenta quos tu infers cruciatus. Dñs.n. meus & Rex Iesus Christus, est ante faciem meã, me liberans à tuis tormentis. quem tu non vides. qm̃ non intueris mentis oculis. Ira autem percitus Iudex & rugiens vt Leo, iussit eum coniici in carcerem: & portam obsignari custodiæ. & eum sini illic fame mori.

In custodiã vero coniectus beatus Theodorus, alebatur à sancto spiritu. & in nocte illa visus est ei Dñs, & dixit ei. Confide Theodore. ego enim sum tecum. Ne ego acceperis cibum aut potum ab his hominibus. erit enim tibi vita ab interitu aliena & æterna mecum in cœlis. Hæc cum dixisset Dñs, ab eo euanuit. Cum recessisset autem Dñs, beatus Theodorus cœpit psallere & exultare. eũ vero exaudiebat magna turba sanctorum Angelorum. Custodes autem carceris cum audiissent suauitatẽ psalmodiæ, surrexerunt & cucurrerunt ad portam custodiæ. Qui cum vidissent portam clausam & saluum signaculum, obseruabant per fenestram. Cum autem vidissent magnam turbam candidatam & psallentem simul cum sancto Theodoro, timore affecti renunciarunt id Præsidi Publio. Statim vero surgens Iudex Publius, cursim venit ad portam custodiæ. & vidit portam quidem clausam, & catenam similiter, & salua signacula. Audiuit autem vocem quoque eorum qui intus psallebant simul cum Theodoro. & fecit armatos milites circuncirca seruare custodiam, putans aliquos Christianos esse cum Theodoro. Ingressus autem nullũ inuenit, nisi solum seruum Christi Theodorum in ligno constrictum. Eum vero inuasit magnus tremor & tremor, & omnes qui cum ipso erãt. Cum autem custodiæ fores rursus clausissent, recesserunt, cũ iussisset Iudex ei dari vnciam panis & aquæ poculũ quotidie. Magnus vero & fidelis Martyr Christi, prout scriptum est. Quod iustus ex fide viuet, nequaquam voluit ab illis accipere panem aut potum, dicens eis. Me alit Dominus meus & Rex Iesus Christus.

Cum fuisset autem mane, iussit Præses eum produci ad tribunal. Qui cum adfuisset, dicit ei. Morem mihi gere absq; tormentis & suppliciis: & sacrifica magnis Diis. vt q̃primum scribam ad Dominos orbis terræ, vt tu fias Pontifex Deorum, & accipias non leues quoslibet honores, & in eadem sede nobiscum maneas. Beatus autem Theodorus cum in cœlum suspexisset & se signasset per totum corpus, dixit Tyranno. Etiamsi carnes meas in igne liquefeceris, & multiplicibus tormentis deleueris, gladiisq; & bestiis me tradideris, quandiu est flatus in meis naribus, non negabo nomen Christi mei. Tyrannus autem consilio inito cũ Præposito, iussit ipsum suspendi in ligno. imperans lictoribus vt eius latera vngulis carperent. Qui ipsum vsq; adeò carpserunt vt eius nudarētur latera. Beatus vero Theodorus nihil respondit Pręsidi. sed psallebat sic dicens. „ Benedicam Dñm in omni tempore: semper laus eius in ore meo. Obstupefactus autem Tyrannus tanta tolerantia & fortitudine beati Theodori, dixit ei. Non te pudet ò omnium hominum infelicissime, ꝙ speras in homine qui dicitur Christus, qui affectus fuit morte violenta: & tam inconsiderate te tradis tormentis & suppliciis? Sanctus vero Christi Martyr Theodorus dixit. Hoc sit mihi dedecus & omnibus qui inuocant nomen Domini mei Iesu Christi. Exclamante autem populo vt ipse iã de medio tolleretur, per pręconem eum interrogauit. Vis ne sacrificare an à me amplius cruciari? Rñdens sanctus Martyr Christi Theodorus, libere dixit Tyranno. Impie & plene omni iniquitate & dolo. fili Diaboli, & vere digne operatione aduersarij, non times Deum qui tantum tibi imperium & tantam potestatē est largitus. Per ipsum enim Reges regnant, & Tyranni terram tenent dominatu. me enim cogis relinquere Deum viuum & adorare lapides inanimos. Iudex autem cum magna deliberatione dixit sancto Theodoro. Quid vis, esse nobiscum, an cum Christo tuo? Sãctus vero respõdit cum magno gaudio. Cum Christo meo & fui, & sum, & ero. de cætero fac quod voles.

Videns autem Tyrannus nihil posse tormenta aduersus eius tolerantiam, nec posse eum superare, dat in eum sententiam, sic dicens. Theodorũ qui non paruit potentiæ gloriosorum Imperatorum & Deorum: credidit autem Iesu Christo qui fuit crucifixus sub Pontio Pilato, sicut audio ex Iudæis, ipsum iubeo igni tradi. Postq; autem solum sententiam pronuntiauit Iudex, dicto citius res mandata fuit executioni. Nam cum lictores ex officinis & balneis ligna repente collegissent, beatum quoque Theodorum duxerunt ad locum propositum. Et cum ipse sibi fecisset 1 signũ crucis in fronte & toto corpore, copiosus circa illum ignis accensus est. Tunc autem adfuit Spiritus sanctus, & relaxatus fuit sanctus Martyr. & sic Deum laudans & glorificans, in pace reddidit Domino sanctum suum spiritum. & vidimus venerandam & sanctam eius animam, tanquam fulgur assumi in cœlos.

1 Signo crucis se in fronte & in toto corpore sanctus munit.

Quædam autem mulier, quæ merito vocabatur Eusebia, vt quę pie & ex virtute viueret. petiit corpus sancti & gloriosi Martyris Theodori. Quod cum vnguẽtis 2 perfudisset & sindone munda inuoluisset, deposuit in loculo in domo sua, in ciuitate Euchaitarum sub metropoli Amasenorum, quotannis peragens memoriam eius venerandi & colendi martyrij. Consummatus autem fuit sanctus Martyr Christi Theodorus Fe-

2 Pia mulier martyris corpus unguentis pfusum et sindone mũda inuolutum, deponit in loculo, quotannis venerandi eius martyrij memoriam peragens.

bruarij mensis decimo septimo, imperante Maximiano Tyranno, in nos autem regnante Domino nostro Iesu Christo. Cui gloria & potentia cū patre & sancto spiritu nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

NECTARII ARCHIEPISCOPI

Constantinopolitani narratio propter quam causam in primo sabbato sanctorum ieiuniorum, celebramus memoriam sancti Martyris Theodori. & de ieiunio & eleemosyna.

QVAM magna est multitudo benignitatis tuæ Domine, æquum est vt nos hodie cum magno Dauide eloquamur melodice. Quo enim non est maxime admirabile? Nos cum non essemus produxit. Produxit autem non similiter iis quę prius est fabricatus, cœlo, inquam, & iis quæ sunt in ipso, terraq; & mari & iis quæ sunt in eis. Eorum enim opus & machinatio materiaq; & constitutio erat Verbum. Dixit enim vel potius cogitauit. & cogitatio fuit omnibus natura & generatio motioq; & ordo. & quæcunq; ea quæ apparent consequuntur. factaq; sunt & manent & erunt vsq; ad secundum eius ad nos aduentum. Quinetiam ipsas quoq; supremas potestates, verbo solo vel nutu potius constituit. Nos autem manu sua propria ò miraculum, cum Deus esset ante secula & carens principio, & quod est admirabilius, ad imaginem & similitudinem suam cū esset Dn̄s effinxit. Deinde non hucusq; solum constitit huius bonitas: sed etiam eum diuina ornauit insufflatione, præbens animam intelligentem & ratione præditam. Præter hæc autem paradisi quoq; ciuem effecit animam paradisi, inquā, cuius pulchritudo neq; verbis exprimi neque mente comprehendi potest. & omnia quæcunq; prius creauerat & fuerat fabricatus ei subiiciens & largiens, tanquam pater quispiam bene affectus in filium & eum amore complectens, eum instituit hæredem & Dominum, quem reliqua omnia obseruarent & ei ministrarent.

Atque hæc quidem scio vos nosse qui estis studiosiores & diligentiores. Quinetiam ea quæ restant quę etiam vt qui ea sciatis reliquimus. Eorum autem quæ deinceps sequuntur, ne prolixiori vtar oratione, prætermittam plurima quæ passus est deceptus à maligno Dæmone. præceptū inquam, & diuinitatis opinionem. & præcepti, ò meum lapsum, obseruationem & transgressionem. Deinde nudationem. occultationem, & quæ sunt ea consecuta, ne ea ipsa dicam. Sed est hoc quidem magnum & oīum Dei in eum beneficiorum longe maximum. & eius sumus, vt ita dicam lapsus. Qui tam multa beneficia fuerat consecutus, se erexit & extulit aduersus eum qui ipsum fecerat. Quid ergo Deus qui ipsum fecit? Puluerē illum, terram illam informem quam suis formauit manibus, & tā multis ditauit beneficiis. Cur non dico id quod est peius? eum qui ab ipso defecerat & diuinum eius iussum fuerat tansgressus, num despexit? num re-

liquit? Minime. sed latentem quæsiuit. & cum inuenisset, castigauit quidem, sed benigne. Quæ autem postea sunt consecuta quid opus est dicere, quibus hominum feritas creatorem suum ad iram prouocauit. fratrum cædes. adulteria. insanos hominum amores. simulachrorum cultus. & quę ea consequuntur? Quid ergo, nũquid propter hęc eum repulit aut est abominatus? nequaquã sed tanquã pr̃ cum multis modis benignitatis nos prius castigasset: Deinde vidisset nos nõ posse declinare ab eo quod est deterius, quid facit? Descendit è sinu patris, papè quanta misericordia, cum esset Deus æternus & immortalis & vt paucis absoluam, carnem suscepit ex casta virgine, mei qui sum seruus formam ferens. Deinde fuit cruci affixus, sepultus. resurrexit, simul etiam surgere faciens eum qui ciciderat. Quid his esse potest benignius aut misericordius?

Et pater quidem suum filium quem genuit, quem ex suis produxit visceribus, si à suo consilio & iussu parum deflexerit, non satis habet ei plagas imponere & flagella intẽtare, sed abdicat. execratur. persequitur eum qui prius erat ei charus, propter causam nullius momẽti. Et Dñs similiter cum suum famulum qui vel parum offenderat, miserũ pœnis & vinculis fameq; & siti oppresserit, eum vendit ablegans quã longissime. Res autem nostræ quõ? Formati sumus, honor & gloria nobis fuit tributa. innumerabilibus bonis sumus ditati. horum autem datori quid contra reddidimus? Contẽptui habuimus. ad iram prouocauimus contumelia & molestia affecimus. & ne nos quidem despexit. sed cum sit Deus & Dñs, nõ dedignatur vocari pater ab ingratis & pastor, ponens suam animam pro ouibus. Quinetiam eos qui labuntur erigit: & eorum qui offendunt misere-
tur. & nõ reddit pro meritis malorum nostrorum. Si enim iniquitates
obseruaueris Domine, Dñe quis sustinebit? Est solicitus de cuiuslibet vel minimæ ouis correctione. expectat vniuscuiusq; conuersionem. Ego enim
sum, inquit Deus, qui nolo mortẽ peccatoris, sed vt conuersus viuat. Rursus autem fert opem iis qui bello appetuntur: & adiuuat partim quidem per se, partim vero per sanctos suos. Qui etiam hoc miraculum quod nũc à nobis celebratur, fecit per clarissimum suum & gloriosum Martyrem Theodorum, quod est summum & in primis admirabile. ad quod nunc declarandum descendit oratio propter quod prædictis quoq; magnis Dei nostri operibus. eius bonitatis magnitudo euasit manifesta omnibus. quod quidem procedens tempus volebat mandare profundo obliuionis. sed nõ potuit imponere finem suæ voluntati. cum fideles & pij viri nos ad hoc incitassent, qui etiam scriptos ferentes commentarios, quibus fidem faciebat tempus, & præterea nobis affirmantes seipsos vidisse miraculũ, hortati sunt vt quod à multis ignorabatur, magnũ Dei opus manifestũ redderemus omnibus. Sed iam rogo mihi incipienti narrare, aures fideliter præbentes, excipite orationem. vt imbecillitati meæ orationis animũ adhibẽtes, vna cum orõne auferatis miraculum. summã Dei nostri bonitatem. lenitatẽ. benignitatem. mansuetudinẽ et clementiã. paterna eius in nos viscera. queadmodum non despicit, nec sinit nos etiãsi imprudentes bello impetamur à malorũ auctore Dæmone & eius symmystis, incidere in la psum interitus. maxime si insidiæ afferant aĩæ aliquod periculum. sed semper nostram roborans imbecillitatẽ, nos semper reddit illęsos & intactos, & superiores inimici insidiis & periculis. Miraculum autem sic habet.

O' chare

O' chare cœtus Orthodoxorum & fidelissimum auditorium. persuasum habeo vos non ignorare, quantæ & quales à Satana qui nobis semper inuidet, & à pessimis eius ministris, insidiæ & doli aduersus venerandam & inuictam nostram fidem, tanꝗ quædam procellæ. diuersis temporibus fuerunt excitatæ. etiamsi benignus & clemens Deus, propter nostram humilitatem magna & omnipotenti missa sua dextera ad nos defendendos, non dedit nos, vt Prophetice dicam, prædam dentibus eorum. Quarum, vt eos qui olim fuerunt & primos omittam, vna fuit insania & rabies Iuliani Apostatæ aduersus diuinam & inuictam nostram fidem. Iuliani qui locutus est in altum Dei blasphemiã, & manum extulit impiam aduersus diuinam & piam nostram fidem. De eo sat scio, & si non visu at auditu saltem accepistis, ò vos qui adestis, ꝙ grauia & inania & palam ex insidiis ausus sit aduersus Christianos. Cui nullo modo quidem erat curæ gentes vincere, & barbaros propulsare, & diripere vrbes inimicorum. existimabat enim esse rem pusillam & inutilem. sed Christianos destruere, & eorum delere fidem, & vt Deus quidem despiceretur ô calamitatem, ò insaniam, qui nutu omnia cõstituit atq; adeò eum ipsum, qui vtinam nunꝗ fuisset natus neque vitæ superstes: simulachra autem honorarentur & vbiq; extolleretur gloriæ eorum altitudo, magnum ducebat opus & magno studio elaborandũ. idq; magis curabant ꝗ alia oĩa.

Cum ergo hæc sic haberent, & eius instituti rabies magis cresceret. impietas enim tanꝗ flamma quædam quæ aptam apprehenderat materiam & in cœlũ sublata fuerat, vicina delere properat: similiter cum ipsa quoq; eius animam tanꝗ aptam apprehendisset, accẽditur & excitatur ad exurendos Christianos, eis vehementer minitans. Cum autem hæc fierent, maiorq; ira & insania in summum assurgeret, quid opus est dicere qualia & quam multa tormenta excogitata fuerunt in Christianos ab illo impio. ventrum sectiones. sectiones viscerum. vehementes virgis verberationes, oculorum effossiones. dentium eiectiones, linguarum & manuum amputationes. tibiarum confractiones. ignis conflagrationes. multiplices & callido artificio excogitatæ craticulæ & lebetes. subulæ & sartagines. & quæcũq; instrumenta mortis tunc inuaserunt Christianos. Sic ergo insaniens sceleratus, cum non posset finem imponere impietati. Nam alij quidẽ flagris cęsi efficiebantur Christi Martyres per tolerantiam. alij autem nondum subiecti tormentis, tanꝗ ad aliquod pulchrum exemplũ ad eos intuentes, ea quæ dolorem afferunt despiciebant. Nam & vnũquẽq; flagris cædere & morte afficere neque poterat, neque verò id ei expediebat. Necesse enim erat si omnes fuissent de medio sublati, eius esse imperium vacuum iis quos regeret & quos administraret.

Cum hæc ita se haberent, & Christianissima quidem fides non deleretur, cor autem eius intrinsecus malitia inflammaretur, capit consilium sæuum & inhumanum. mihi vero iucundissimam referenti narrationem aures quæso adhibete fideliter. Cum enim considerans sceleratus se huc & illuc versasset, inuenit vt existimauit occasionem viamq; & rationem deducendæ ad finem impietatis qua nec flagris cæderet aliquẽ aut morte efficeret. & tamen ciues omnes per desperationem adduceret ad cultum simulachrorum. etiamsi Deus effecerit vt euanesceret impium eius consilium. Nam cum venissent 3 casti & diuini dies quadragesimæ. in quibus

3 Nota Quadragesime magnam com-

omnis ætas apud se cogitat quæ prius sunt admissa peccata. in quibus & facile est cadere, cum tunc grauius oppugnet inimicus, & reuocari est difficile. Cum iam primus dies cœpisset, accersito eo qui tunc erat præfectus vrbis, qui eadem quę ipse sentiebat & erat ei in incredulitate similis, dixit. Qm̄ ó Præfecte, multis & variis vsi machinationibus, res Christianorū minime potuimus extinguere. est autem hoc mihi non paruæ curæ, mihi à Diis fuit subministratum pulcherrimum consilium & contra quod nihil dici potest. Nam qm̄ Christiani hanc hebdomadam statuunt esse primam suorum ieiuniorum: & studium adhibēt vt purius & incorruptius custodiantur q̃ alij dies ieiuniorum, iubeo vt quæcunq; in foro esculenta & poculenta sunt proposita auferantur, & nihil aliud proponantur q̃ cibus & potus quem ego tibi præbebo, mixtus sanguine sacrificiorū. Necesse est enim cum hoc factum fuerit, vt aut omnes ementes comedant & nobis obediant, vt qui gustarint Deorum sacrificia: aut fame pereāt cum agnouerint consilium quod cœpimus, vt qui nō habeant quanam ratione suæ succurrant inopiæ. Hæc cum ex impio illo ore audiisset Præfectus, fertur dixisse. Nunc plane scio q cor Regis est in manu Deorum. & cum primum dixisset, quod dixerat est executus. & quæ in foro quidem erant proposita, domi fuerunt reposita. quæ autem erant Imperatoris incestata & execranda, in foro fuerunt proposita.

mendationem, dies enim eius castor & diuinos appellat, in quibus omnes prius commissa peccata recogitant.

Quid ergo qui nos creauit Deus, nunquid neglexit aut despexit? Nequaquam. sed simul cum his grauissimis insidiis & improba machinatione salutem excogitauit. Pontifici enim & Pastori Christianorum qui tunc erat, hoc impium aperuit consilium, mittens ad eum in somnis magnum Martyrem Theodorum, re uera Dei donum, donatum ad salutem nostræ fidei. Dei itaq; Martyr accedit ad Patriarcham, 4 re uera & nō in somnis apparens, memini autem eorū quæ dixit ad verbum. Sic enim dixit Principi Pastorum. Surge & congrega gregem Christi. & omnes diligenter admone ne quidq̃ emant ex cibo & potu qui est in foro propositus. Impius enim Iulianus, omnia polluit execrando sanguine sacrificij simulachrorum. Pontifex vero sancto r̄ndit. Qūo ó Domine mi potest hoc fieri? Nam hoc quidem possunt fortasse qui sunt diuites. Nam sibi quidem prius habent reposita quę sunt necessaria. Pauperes autem ne habēt quidem victum vnius diei. Quidnam ergo erit quo possint solari inopiam rerum necessariarum. Martyr vero dixit Præbens eis Colybem, solare necessitatem. Patriarcha autem dixit. Et quidnam hoc fuerit? nescio enim quod sit hoc vocabulū. Martyr vero, ó solidam & acrem eius defensionem, respondit. Frumentum, 5 inquit, coque: & eis in cibum distribue. sermone enim Euchaitarum solemus hoc vocare Colybem. Cum sic ergo feceris, conserua Christi gregem illæsum & impollutum. Et quis tu es Domine, dixit Patriarcha Martyri, qui tam benigne & misericorditer nostrę salutis curam geris? Ego, sum, inquit, Martyr Christi Theodorus, qui ab ipso missus sum ad vestram salutem.

4 *Vide num sancti sint emortui ut garriunt nonnulli, & nō igno rent q̃ circa nos agun tur, aut negligāt promouere quæ nostræ salutis sunt.*

5 *Facit totius iste locus mirum in modum pro delectu ciborum. Si enim ut dicunt hæretici omnia munda mundis, cur noluit Deus christianos de cibis comedere sanguine sacrificiorum pollutis?*

Quid hoc admirabilius vnquam factum est à Propheta Iona, qui Nineuitis annunciauit euersionem ciuitatis: & ex eo eos induxit ad pœnitētiam? Hoc quidem certe est illo magis admirabile. quandoquidem illic quidem missus est solum Propheta significaturus euersionem ciuitatis. Martyr autem Christi Theodorus significauit futuram animarum euer-

sionem. Et ille quidem solum significauit euertēdam esse ciuitatem. Martyr vero & causam & medicinam ne tā multæ euerterentur animæ, neq; simul perirent cum cultu simulachrorum, aperte nobis declarauit. Quo est ergo anima corpore præstantior, eo est hoc illo maius & admirabilius. & quo est quæ animas euertit euersio, grauior euersione quæ euertit ciuitatem, eo, vt ego quidem sentio, is qui ab hac eripit, eo qui illam præsignificauit, est auxilio benignior & excelsior. nisi indignum aliquid diximus, Prophetæ adequantes Martyrem. sunt enim ambo vnius & eiusdem Christi Dei. & ab eo iussi sunt ambo facere quæ fecerunt. Pergat autem nostra oratio sequens ea quæ prius dicta sunt.

Postq̄ ergo hæc sic audiuit Patriarcha, admiratione plenus & lætitia, surrexit & Christi populum congregauit. Martyrisq; Christi aduentum, & quodnam ferendum significarit auxilium, aperte narrauit omnibus. & cum fecisset vt sanctus statuerat, seruauit illęsum gregem Christi. Peracta autem hebdomada, cum inutilem fuisse machinationē, & successu caruisse insidias accepit Iulianus, aperte quidem & summe victus, é foro quidem extulit ea quæ erant polluta: proponi vero iusit ea quæ consueuerant. Quamobrem cum venisset sabbatum, intellexissent autem Christiani irritam fuisse machinationem furiosi Iuliani, hymnum gratiarum actionis glorioso Martyri Theodoro exhibentes, lætum & splendidum 6 festū ei celebrarunt. frumentumq; coquentes & pauperibus distribuentes, fecerunt eorum salutem omnibus manifestam. Singulis itaq; annis ab eo tēpore vsq; in hodiernum diem, miraculi incliti Martyris memoriam pie fidelibus peragendam reliquere. Hoc est quod à nobis nunc peragitur & celebratur miraculum. Talis fuit acerrima gloriosi Martyris in nos defensio, & impiarum impij Tyranni insidiarum deletio.

6 *Lætū & splendidū festū martyrij Theodoro celebrauerunt, & singulis annis miraculi memoriā agēdam reliquerunt.*

Sed quis re uera pro dignitate laudarit Dei nostri bonitatē. qui ex faucibus ipsius Diaboli, homines qui tunc erant extraxit vno momento, nēpe admirabili & præclaro aduentu venerandi Martyris Theodori. quinetiā nos quoque quotidie, qui nostra negligentia Diabolo prodimur cōseruas, & eripit ex illius faucibus. Hæc ego cum sciamus ò dilecti, ipsi quoq; aliquid conferamus Deo qui donat talia. Quid autem offeramus aliud nisi eleemosynam? Nulla enim re ex omnibus æque ac ea solet Deus delectari. maxime cum ipsum tempus pulcherrime nos ad hoc adhortatur. Est enim ieiunij tempus & sancti ieiunij. in quo est purificatio aīæ & corporis iis qui id vere exercent, per copiosam misericordiæ elargitionem. Quinetiam ad intemeratarum Christi perpessionum per ipsum inducti recordationem nos purgemus, non solum à cibo & potu, sed etiam ab oī tetro inquinamento. periurio, inquam, detractione. mendatio. inimicitiis. intemperantia. & quæ est omnium malorum prima & vltima auaritia. Ab his enim alienatio, est præclara purgatio, & ieiunium verum & nulli affine reprehensioni. Ante hæc autem, & cum his, & post hæc faciamus eleemosynam. quæ re uera non ad tertium cœlum, sed ad ipsum cœlorum effectorem nos deducit. eleemosynam quæ est tanquam currus igneus, & quæ é terris supra cœlum extollit quos acceperit. Cum his nostrum quidem præclarum & Deo acceptum fiet ieiunium. tanquam suffitus vero dirigentur preces.

Nec mihi dixeris quatriduana aut sex dierum ieiunia. Nam sunt quidē

hæc quoque pulchra & Deo accepta ieiunia: & auertunt animi perturbationes. Sed vt absque spiritu & inutile & inefficax nostrum corpus: ita etiam absque eleemosyna vanum erit nobis ieiunium. Vnde hoc autem? Ex ipsis scripturis ostendemus. Dicit. n. Eleemosyna & fides ne tibi deficiat. Et rursus. Ante quem ambulabant misericordia & veritas. Et alibi. Misericordiam volo & non sacrificium. & Qui miseretur pauperis, Deo fœneratur. Vt autem in præsentia plurima prætermittam, exemplo vel potius reipsa vobis ostendam excellentem dignitatem eleemosynæ. Si n. crastino die veneris, vultu quidem pallidus & deorsum intuens, & afferens omnia euidentia argumenta ieiunij, ad te vero accedat examen pauperum fame & siti confectum & frigore concretum, a te supplicibus vocibus petens misericordiam, a te autem inane recesserit, nullam accipiens inopiæ suæ consolationem; dic quidnam de cætero tibi tuum reputabitur ieiunium? num solum maceratio corporis, quæ ei qui ipsam exercet nullam affert vtilitatem?

Sed mihi dices quicunq; sis qui hæc dicis. Scio enim frigidas vestras dilationes & inanes prætextus. Sunt mihi multi liberi. vxoris curã gero, famulorum, famularum. Vtinam sufficiam ad eis suppeditanda quę sunt necessaria. tantum abest vt possim suppeditare hominibus pigris & otiosis. qui re uera non volentes laborare, arte voluntariam sibi asciscunt paupertatem. Præterea autem vulgo quoq; tritum inducis prouerbium, primam vocans mercedem eam quæ datur suis. Quid tu rogo in peccatis prætexis excusationes? Propterea q te Deus fecit patrem liberorum & te familiæ Dominum constituit, debes agere gratias, & implere eius præcepta, miserendo egenorum qui sunt eiusdem generis. Contra autem ex beneficio sumis occasionem duritię & inhumanitatis. nec hoc solum, sed eos etiam quibus nihil vnquã suppeditasti, insectaris probris & maledictis. Quid facimus o homines. reuereamur si nihil aliud vel ipsam naturam. similem enim habemus naturam & animam pauperes & diuites: & ab vno opifice sumus omnes effecti. estq; vna nostra dignitas adoptionis & regenerationis. etiamsi nescio qũo instabilis huius vitæ motus, impares ad victum facultates distribuit hominibus. & quod est maximum, ab vno Iudice iudicabimur, & ad idem tribunal sistemur. Hæc ergo cum sciamus omnes, quandiu stat hic dies festus, emamus nostræ salutis viaticum per eleemosynam. & studeamus habere defensores & non accusatores apud illud tribunal pauperes. Videamus Dñm qui in omnes obtinet imperium & omnes superat, quemadmodum quotidie a nobis ad iram prouocatus & iniuria affectus non odit: non auersatur. sed a nobis rogatus statim prębet id quod est vtile. Et Deus quidem sic. & hæc Deus cui supplicant ingrati famuli.

Nos autem eum qui est eiusdem generis, qui nos nunquam ad iram prouocauit, imo vero qui suos vocat Dominos & quæ sunt huiusmodi, vt attrahat ad misericordiam, despicimus, & aures obstruimus vt aspis ad incantationes. Et qũo sunt hæc benignitatis aut misericordiæ? imo vero contra sunt maximæ crudelitatis. Bonus est Deus, q hunc aërem quē spiramus, & fluenta aquarum, & lucem solis, ex ęquo abunde suppeditauit omnibus, diuitibus & pauperibus. Nullus enim pauper libere vllum aërem hausisset, aut hanc lucem percepisset: sed prius q̃ exiissent ex vtero,

arrepti

arrepti fuissent miseri, si ad se pretio emptam attraxissent respirationem, q̄ in iugera & modos, q̄uo terram & mare, hæc diuites diuisissent. O' du ritiam. O' crudelitatem. q̄ viuant pauperes propemodum ęgreferimus. Nequaquam hoc faciamus o amici & fratres. neq; propter immisericordiam amandemus pauperem Lazarum. ne nos sicut diuitem ipse illinc ostendat. neque eius manum quæ tota nobis modo porrecta est ad misericordiam, auersemur. ne illinc rogemus vel summum eius digitum, & eū non assequamur. Ne inuideamus saltem superuacaneorum participes accipere pauperes, ne audiamus. Recepistis bona vestra in vita vestra. Oīa peribunt. omnia prætereunt. eleemosyna autem manet in seculū. Dispersit ,,
enim, inquit, dedit pauperibus. iustitia eius manet in seculum seculi. In hāc ,,
vitam nihil nobiscum attulimus. Deus nobis omnia est largitus. largiamur ipsi quoq; egentibus, etiamsi sint Dei, tn̄ tanq̄ nostra sint, ipse nobis reddit mercedem. Et si quis quidem ex nostris amicis aut proceribus, iussit nos non solum pecunias, sed etiam vitam propriā despicere propter illius amorem, quam prompto & alacri animo aggrediamur eius iussum exequi, & re ipsa si fieri potest id effectum reddere, dici nō potest. ipso autem vniuersorum Deo & non alio aperte clamante in Euangeliis. Quod fecistis vni horum fratrum meorum minimorum, mihi fecistis, contemnimus & despicimus. Resipiscamus. videamus q̄ sit leue & facile præceptum. Ex superuacaneis & inutilibus & hic & illic dispersis rebus nostris, clamat vt regnum cœlorum comparemus, & nolumus? o quantum lugebimus, quando volentes nihil omnino poterimus.

Sed mihi, inquit, rerum necessariarum ne satis quidem suppetit. Quid dicis, ne frigidæ quidem aquæ poculum dare potes petenti: & nec sermonem quidem benignum. & quonammodo possunt hæc esse rationi consentanea? Et pro his, O' miraculum & clemētiam, si dantur pauperibus bono & non nimis curioso animo, pollicitus est Deus se pro his esse nobis daturum regnum cœlorum. Hæc ergo omnia scientes o dilecti, cum ieiunio iungamus misericordiam. qua tanquam pennis anima nostra è terra in cœlum extollitur. & ieiunio quidem nos liberante ab animi perturbationibus: eleemosyna autem æternam vitam conciliante, nulla in re deficientes simul cum Christo sponso ingrediamur. Hæc quidem satis superq; dicta sunt misericordibus. duris vero id totum ne syllaba quidem esse videbitur.

Nos autem Martyrem laudemus iis quas par est laudibus. & miraculi semper recētem memoriam in nobis circūferentes, glorioso Martyri fideliter exclamemus. O' splendor Martyrum, & decus sanctorum. O' vere Dei donum. O' custos 7 & inuictissime defensor fideliū, ne obliuiscaris nostræ paupertatis et humilitatis. sed semper p̄ nobis intercedere ne te pigeat o vir imprimis admirande nec nos qui quotidie ab aīarum nostrarū q̄ cadit in intelligentiam Iuliano, nempe qui & tunc & nunc est auctor mali, inimico oppugnamur, despicias o vir maxime venerande. Te. n. etiam post mortem credidimus viuere, vt Dominus dixit dicens. Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet. Tu autem qui non solum credidisti, sed etiam pro ipso es mortuus, o merito laudande Martyr, in Deo viuis vita inquam non cadit senium & quæ non terminatur. Vt qui ergo in Christo viuas & stes prope eum, redde eum tuis precibus propitium

7 *Multa hic habes cōtra hæreticos.*

Sanctos fidelium esse custodes & defensores.

Sanctos nostri memores esse.

Sanctos pro nobis apud Deum intercedere.

Sanctos post mortē uita immortali uiuere.

Sanctorum p̄cibus nos hic à molestiis liberari & futura bona consequi.

Sanctos esse inuocandos.

tuis famulis. vt per te liberati ab iis quæ hic sunt molestiis quæ illic sunt bona consequamur. Gratia & benignitate Dñi nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTORVM *& gloriosorum Christi Martyrum, Leonis & Paregorij qui martyrium subierunt Pataris.*

VARIAE quidem sunt Diaboli machinę aduersus seruos Dei. magis varium autem & maius est vnigeniti auxilium in suos ministros. Nam ille quidem nō carnem & sanguinem obiicit iis qui sunt natura Christiani, sed spiritalia nequitiæ. Christi autem auxilium suos efficit fortiores aduersus Diabolum. Satis vero probatur id quod dictum est ex generosorum Martyrum Leonis & Paregorij tolerantia. Nam cum beatus Paregorius fuisset prius consummatus in tolerantia in Domino, & multorum laborum requiem, inuenisset regnum cœlorum, beatus Martyr Christi Leo, eius quidem qui fuit consummatus certamen beatum esse ducebat: ipse autem afficiebatur magno dolore, q̄ non fuisset consecutus idem certamen, cum esset communis via eis proposita.

Illis vero diebus contigit Proconsulem Lollianum electum ab Imperatoribus, venire vsq; ad eos. cum rectio esset eo tempore penes Procuratorem vrbis qui erat Pataris. Celebrans autem sceleratus Procurator diem festum Serapidis & congregans concilium impiorum, consultabat aduersus Christianos, & cogebat omnes ad cultum insanum idolorum. Cum multi vero concurrerent, & metu humano tenerentur. ęgretulit quidem beatus Leo, ne audire quidem sustinens impiorum audaciam. Apud se autem differens, egressus est ad locum in quo iacebant reliquiæ beati Martyris Paregorij. Cum autem fuisset in illo loco, in quo peragebant festum execrandum & impium qui eo digni erant, vnusquisq; eorum qui videbant, tam ex ipsa statura quam ex vultu & veste, & ex eo q̄ non assentirentur malis quæ ab ipsis fiebant, existimabat eum esse Christianū & plane reuerendum. erant enim ei moderata omnia. 1 monasticā enim vitam exercuerat a iuuentute. & ideo deditus fuerat continentiæ castitati & temperantię. Indumentum 2 autem eius erat ex pilis contextum. & plane reipsa vitam emulabatur Apostolicam. & fuerat imitator sancti Ioannis præcursoris.

Cum ergo accessisset ad locum ei propositum & preces fudisset consuetas, domum est reuersus. & cum fuisset ingressus & de more 3 precatus & panem sumpsisset, manebat apud se, nihil aliud meditans quam præclara facta pij Paregorij. Cum hæc autem apud se animo agitaret, paululum insomnum est resolutus, vt rerum sibi futurarum gloriam aspiceret. Qūo enim Patriarcha Ioseph vidit quæ a Deo essent sibi inferenda: ita etiā beatus Leo vidit per spiritum sanctum rerum sibi futurarū euentum. Visus est ergo videre cum esset vehemens tempestas, & torrentes magno impetu defluerent, Paregorium & se stare in medio torrente. &

1 *Vide monasticæ uitæ commendationem, et quibus uirtutibus monachi præditi sint.*

2 *Vide & austeritatē uestitus.*

3 *Ecce Christianū morem, ante cibi sumptionem preces ad Deum fudit.*

licet esset fluctum valde periculosum, se proiicere & accurrere ad beatum Martyrem Paregorium, qui ingrediebatur iter ad martyriū. Itaq; postq̃ visionem aspexisset excitatus, apud se euentus faciens coniecturam, coniecit ea quæ erant euentura. Seipsum autem beatum pronuntiabat, q̃ aliquanto tempore versatus esset cum beato Paregorio.

Deinceps ergo ad eum accedebat tanq; ad fidelissimum aliquem socium certaminis, sed per medium forum, & per id quod dicebat Tychęū. & cum venisset ad locum, videt lucernas & cereolos accensos, circa delubrum. & eorum quidem qui accederant misertus est vt qui decepti essent cum proprius vero accessisset, contriuit lucernas suis manibus. & cereos conculcauit pedibus, eis dicens. Si Deos existimatis habere vires, seipsos defendant. Mystę autem iniquitatis, cœtu congregato impiorū, clamabāt aduersus sanctum Leonem, vt qui auerteret eam quæ à fortuna erat oblata in ciuitatem beneuolentiam. Cum vero creuisset tumultus, & fama esset per totam ciuitatem, eius quod factū fuerat: & peruenisset ad aures Procuratoris qui tunc administrabat rempublicam, sua vsus iniquitate, iubet milites obseruare eius reditum, & virum comprehēdere. Et sanctus quidem Leo est reuersus, per se cōsiderans id quod erat euenturum, oculos mentis ad Deum extollens. Milites vero cum prope accessissent, & eum apprehendissent, non resistentem neque tumultuantem, adducunt eum ad Procuratorem. Ille vero tanq; immanis quædam fera vorans sanguinem, plenus furore, mouebatur aduersus Martyrem.

Postquam autem vidit propè esse beatum Leonem, statim ei obiecit audaciam qua vsus fuerat aduersus lucernas, dicēs. Mihi videris ò senex, vel ignorare vires Deorum cœlestium, q̃ eorum euertas religionem, aut insanire, vt qui facias pręter id quod videtur diuinissimis nostris Imperatoribus: quos secundos seruatores & Deos, optime faciētes nos vocamus. Ad hæc dixit Leo sanctissimus. Multos cœlestes Deos dixisti ò Procurator. Veritas autem nō ita habet. est enim vnus Deus cœlestium & terrestrium, Dn̄s noster Iesus Christus, filius Dei viui, qui non habet opus vt sic colatur ab hominibus. Spiritus enim contritus, & anima quæ consueuit humiliter de se sentire, sunt apud Deum in magna existimatione. Lucernæ autem & cerei qui circa simulachra accenduntur, sunt vani & & inanes. q̃m sentire non possunt lapis & æs & lignum quæ ab hominū arte sunt extructa & fabricata. Si vero ò Procurator, eum qui verè est Deus intelligeres. non hanc materiam nullo sensu præditam honorasses honore suffituum. Cessa ergo in his frustra laborare: & lauda Deum vniuersorum, & eius filium vnigenitum, Dn̄m nostrum Iesum Christum, seruatorem mundi & opificem animarum nostrarum. Ad hęc dixit Procurator. Non respondisti in præsentia ad crimina quæ tibi obiiciuntur. sed alia dixisti pro aliis. Nam cum de Diis accuseris, prompto & alacri animo doces de Christianismo. Diis autem gratia qui non siuerunt te latere, cum hæc ausus fueris Aut ergo agnosce Deos, & imple eorum sacra, eorū qui adsunt parens sententię, aut da pœnas eorum quę ausus es admittere.

Ad hæc dixit Martyr. Mihi quidem fuisset iucundum nullum hic esse lapsum à cœlesti cognitione, non solum tātam multitudinem. Q̃m autem video multos impie insaniisse, ne putes me esse vnum ex his, cum sim Christianus. Ego enim qui intus habeo præcepta Apostolica, his vtar ad

obedientiam. Sin autem propter hæc pœnas à me exigis, ne differas. Non enim propter tormentum quod à vobis existimatur grauissimum, cauebo, sed omnia sum paratus sustinere, ne quis det Diabolo in nos locum aliquem. Sin vero non omnes eadem quæ nos sentiunt, hac sola vita viuent. Futura enim vita acquiritur per has afflictiones. Sic enim dicit scriptura, arctam esse viam quæ ducit ad vitam æternam. Dixit Præfectus. Si tu ergo confiteris arctam esse viam quæ est apud vos, transi ad nostrã quæ est lata & melior. Dixit autem sanctus. Non eam dixi esse adeò arctam vt non capiat eos qui illa ingrediuntur. Multi enim pulcherrimam hanc viam sunt ingressi. Sed dicta est angusta, quę cum afflictione angustia & necessitate & pro iustitia persecutione, initur ab iis qui ad eam accedunt. Iis vero qui ea sua sponte suscipiunt fides est latissima, deducens ad proprias virtutes. Cur non autem pronuntias, viam quidem quæ apud nos dicitur angusta, esse latissimam ad salutem cum didiceris q̃ ex fide vnius parentis nostri Abrahæ, multitudo innumerabilis iustificatur in fide, requiescẽs in eius sinu. viam vero quę est apud vos lata, esse angustam per incredulitatem? Est autem hoc verum. Virtutes enim cum sint diuersæ & latæ, sunt imperitis arctæ & inaccessæ.

Hęc ergo & his plura sancto disserente Leone, & Christianismi rationem strenue confirmante, impiorum Iudæorum & gentilium exclamauit multitudo, rogans ne ei cõcederet loqui quę vellet. Dicit autem Procurator ad ea quæ dicta sunt à multitudine. Ego nunc ei do potestatem loquendi libere: & communem amicitiam polliceor si Diis pareat. Dixit autem sanctus Leo. Si meorum quidem verborum oblitus es ò Procurator, recte rursus interrogas. Sin vero meministi, scias fieri non posse vt assentiar adorandos esse Deos qui non sunt natura. Tunc his verbis ira motus, iubet cædi flagris venerandum corpus Martyris. Cum autẽ multitudo plagarum esset innumerabilis, & maior q̃ vt id sustinere posset humanum corpus, fortissimus Athleta Christi Leo, nullo ex iis quæ fiebant quidq̃ afficiebatur, ne minimum quidem emittens suspirium. totam enim mentem suam & desiderium conuertebat ad Dñm. Dicebat autem Procurator. Parua sunt ò Leo hæc quibus affectus es tormenta, si conferantur cum futuris. De cætero mihi pare. & Diis offer quæ sunt lege cõstituta sacrificia. Dixit sanctus Leo ò Iudex. Quod sæpe prius dixi, non recusabo rursus dicere. Neque hos noui Deos, neq̃ vnq̃ in animum inducam vt eis sacrificem. vt qui sciam præcepta sacrarum scripturarum. Dij enim qui cœlum & terram non fecerunt, pereant à facie terræ.

Adhæc dixit Procurator. Hoc solum dic, Magni sunt Dij. & liberaberis à tormentis. Parco enim tibi: tuam respiciens caniciem, & alium habitum corporis. Dixit sanctus Leo. Hoc ipse quoque dixerim, eos re uera esse magnos & idoneos ad perdendas animas quę ipsis credunt. Dixit ira percitus Imperator. Iubeo te trahi per petras tanq̃ furore correptum, & sic mori acerbe. Dixit beatus Leo Quiuis mortis modus est mihi iucundus, propter regnum cœleste. Eam enim voco vitam & salutem, quæ postq̃ hinc excessero, dabit mihi vt habitem cum sanctis Martyribus. Dixit Procurator, Pare ò Leo edicto Imperatorum, & dic Dij seruatores. qm̃ es alioqui cito acerbe moriturus. Dixit autem sanctus Leo. ò Iudex. mihi videris esse valde imbecillus qui solùm asidue mihi verbis minaris:

minatis: præter verba autem nihil facias. Cum vero propter hæc seditionem agitasset multitudo, valde perturbatus Procurator iussit sanctum quidem capi pedibus, trahi autem in torrentem. in eo vltimum daturum supplicium.

Cum itaq; sententiam pronunciasset Procurator, statim serui peccati & ministri tenebrarum, beatum Leonem traxerunt in torrentē inhumane & crudeliter. Tunc sciens esse impletum suum desiderium, ad Deum extollens oculos sic cœpit dicere. Domine Iesu Christe ago tibi gratias nunc & in secula, ꝙ me non diu separaueris á famulo tuo Paregorio. sed mihi velocem occasionem dederis eũ sequendi. Lætor ergo iis quæ facta sunt. nempe ꝙ pro meis prioribus peccatis nouum viaticum accipio martyrium. & ꝙ in manus Angelorum tuorum meum trado spiritum, in ęternum liber conseruandus á iudicio improborũ. Atque pro iis quidem quæ in me fiunt, esto iis qui ausi sunt propicius. eis autem concede vt te agnoscant Deũ vniuersorum. qm̃ non vis aliquem perire, sed omnes esse saluos & venire ad pœnitentiam. Quinetiam cuilibet qui 4 inuocat nomen meum, condona Domine sua peccata. & colloca eum vbi videat lucem vultus tui. Quoniam tu es Deus solus, patiens, & multæ misericordiæ. Et te decet gloria in secula seculorum. Amen.

4 *Si rogat martyr Dominum cōdonare eis peccata qui nomen eius inuocauerint, bona est sanctorum inuocatio.*

VITA SANCTI ET GLORIOSI

& admirabilium operum effectoris, Patris nostri Auxibij, Archiepiscopi Soliensis, qui fuit Discipulus sancti benedictiq; Apostoli & Euangelistæ Marci.

Februa. 19.

VOLO vobis narrare patres & fratres dilecti, admirabilem & præclaram vitam venerandi & sancti patris & Archiepiscopi Auxibij qui fuit effector operũ admirabilium. Vereor autem hoc facere, propterea quod sit indigna vilis & abiecta oratio. Hic enim primus, lanq̃ sol quidam lætus, exortus est in hac ciuitate, illuminãs eos qui sedebant in tenebris erroris simulachrorum, radiis diuinæ doctrinæ. & tanq̃ lucida lucerna in sordido loco diuino oleo irrigatus luxit in hac ciuitate, donec Christus illuminauit eos qui in ea habitabant: & exortus est lucifer in cordibus eorũ. Sed date mihi, rogo vos veniam. Ego enim miser qui sum rudis sermone & scientia, existimaui necessarium, cum sint multa et admirabilia beati Auxibij facta et virtutes, narrare pauca vestræ charitati. quõ audiui & accepi á viris venerandis & qui ętate processerant, vt dicit diuina scriptura. Interroga patrem tuũ & annunciabit tibi seniores tuos & dicent tibi: Incipiamus ergo Deo adiuuante pulchram narrationem & animæ vtilem.

Hic ergo beatus Auxibius ortus quidem fuit ex magna ciuitate Romanorum. Eius autem parentes erant quidem valde diuites, sed gentiles religione. Fuerunt vero eis duo filij, beatus Auxibius & eius frater Themistagoras. Beatus autem Auxibius erat valde vrbanus. & mitis sicut Moses. erat vero mente quoq; casta & pudica sicut beatus Ioseph. & vt

semel dicam, erat omni virtute ornatus scitus puer, ætate proficiens. pater autem eius eum erudiit omni externa sapientia. Cum fuisset vero ætatis legitimæ, voluerunt eius parentes eum matrimonio vxori coniungere. Beatus autem Auxibius, cum mentem haberet diuinam & perfectam cogitationem, vitamq́ꝫ quam agebat ex virtute, & carnis castigationem, ad hæc contradicebat. A' multis enim de Christo audiebat: & desiderabat fieri Christianus. Parentes autem eius cum hæc audiuissent, ei succensebant. Et pater quidem cogebat minitans. mater vero blandiens, consulebat vt hoc faceret. Videns aũt beatus Auxibius hanc illorũ volũtatem, quæ afferebat impedimentum bono suo instituto, voluit Roma recedere.

Cum hoc itaꝗ statuisset, neque vlli quidq̃ dixisset, paucis post diebus se subduxit à suis parentibus. & cũ in portum descendisset, inuenit nauem nauigaturam in partes Orientis. Omnibus itaꝗ relictis pauca pecunia sumpta ad se alẽdum, nauem ingressus est. Cum Roma autem soluissent, post aliquot dies venere Rhodum. & cũ illinc traiecissent in mare quod est in Pamphylia, venerunt in Cyprum. & appulerunt in quendam vicum qui vocatur Portus. distat autẽ circiter quatuor miliaria à ciuitate Soliensium. beatum Auxibium diuina ducente prouidentia, ad ędificationem & salutem multarum animarum. E' naui vero egressus, versabatur in vico qui vocatur portus, vt se recrearet à nauigatione ab ea enim fuerat valde iactatus & defatigatus. Accidit autem vt Barnabas Apostolus Christi, in secunda sua circuitione veniret Cyprum, postq̃ ipse à Paulo fuerat separatus, faciei visione, nõ cordis. Cum Marcum autem secum assumpsisset, appulerunt Lapethum. Obeuntes vero totum insulã, venerunt salaminem quæ nunc dicitur Constantia, vt dicit Marcus. & cum inuenissent Heraclidem insulæ Archiepiscopum, & eum agnouissent, docuerunt eum quemadmodum oporteat prædicare Christi Euangelium, & constituere ecclesias, & ministros in eis. & eum valere iubentes dimiserunt in pace. Cum autem cursum peregisset Barnabas, & martyrij corona fuisset redimitus Constantiæ, Marcum quoꝗ de medio tollere conabantur iniqui Iudęi. Fugit vero Marcus, et persecuti sunt eũ vsꝗ ad Ledron. & cum inuenisset speluncam, & eam esset ingressus, ibi latuit tres dies. & post tres dies recessit ex illo loco. & montem peruadens transiit per limnitem. erant autem cum eo Timon & Rhodon. & cum iuissent in vicum qui vocatur Portus, inuenerunt in eo beatum Auxibium qui Roma recens venerat.

Cum autem cõtigisset eos sibi inuicem occurrere, rogauit beatus Marcus Auxibium, è quanam esset ciuitate. Ille vero dicit, Ex magna vrbe Roma, propterea quod factus fuisset Christianus. Apostolus autem Christi Marcus, videns eum teneri Christi desiderio, & esse fidelem & eruditum, descendens ad fontem eum baptizauit in nomine patris & filii & spiritus sancti. & postq̃ ipse fuit baptizatus, imponẽs ei manus dedit spiritum sanctum. & cum eum ordinasset Epm, & docuisset qũo oporteat prædicare Christi Euangelium, misit in ciuitatem Soliensium, ei mandans & dicens. Fili Auxibi, qm̃ ciuitas est dedita cultui simulachrorum: & nõdum susceperũt Dei eloquia, sed versantur in tenebris erroris simulachrorum, fac hoc quod tibi dico. Nemo iam cognoscat te esse Christianum. sed simula te illorum vti religione. & procedente tempore incipies eis recte

loqui tanquam infantibus, sermone eos tanquam lacte alens. donec cum perfecti euaserint, sint solidi nutrimenti participes. Cum hæc & his plura dixisset magnus Apostolus & Euangelista Marcus Auxibio, eũ dimisit in pace. Inclitus autem Marcus cum nauem inuenisset Ægyptiam, eam ascendit cum Timone & Rhodo. & nauigantes iuerunt Alexandriam, & illic annunciabat & docebat regnum Dei.

Ex Limneto autem profectus beatus Auxibius & iter faciens, percõtatus venit Solos. erat vero prope portas ciuitatis, ad partem occidentalem, templum Iouis qui falso apud eos vocatur Deus. in quo etiam habitabat sacerdos. & cum per locum illum transiret beatus Auxibius, vidisset autem sacerdos Iouis eum esse hospitem, eum benigne domi suæ accepit hospitio: & ei mensam apposuit. Mansi ergo apud eum illo die. & die sequenti eum sacerdos interrogauit dicens. vnde venis & quęnam est causa quod huc veneris? Rñdens autem s. Auxibius dixit ei. Romanus sum. cum mihi vero vsus esset nauigare in Palæstinam, descendi in Limnetem. & cum accepissem huius ciuitatis pulchram esse habitationem, sciscitatus huc veni, & lubenter in ea habito. sed si facis mecum misericordiam, maneam apud te donec inueniam locum vbi habitũ. Dicit autem sacerdos. Mane feliciter. Mansit ergo in loco qui appellatur Iouis aliquanto tempore, non ostendens se esse Christianum, sed simulans se illorũ vti religione. hæc apud se reputans. Si Diabolus transfiguratur in Angelum lucis, vt eos qui ei credunt ad se attrahat: blandisque & compositis verbis à luce transfert ad tenebras, vt etiam faciunt eius ministri: quanto magis debemus nos transfigurare in homines obnoxios iisdem affectionibus, vt eos abducamus à potestate tenebrarum & Diaboli: & transferamus ad admirabilem & terribilem lucem agnitionis Iesu xpi filij Dei.

Hæc autem & his similia apud se cogitans & faciens Dei seruus Auxibius, mansit in loco prædicto. Cum vero pauci dies præteriissent, dicit beatus Auxibius sacerdoti Iouis. Frater, habeo quod tibi dicam. Ille autem dicit. Dic. Ei itaque dicit. Quanam de causa colitis Deos, cum sint ligna & lapides? Os habentes non loquuntur. oculos habentes non vident. & aures habentes non audiunt. neque odorantur oblatum sibi sacrificium. Quem autem colunt Christiani, ipse est verus Deus, vt audiui ab aliquibus Christianis. Multas enim fecit virtutes sicut audiui. Hæc ergo cum Iouis audiisset sacerdos, compunctus fuit à verbis Auxibij. & nõ amplius sacrificabat idolis. sed de cętero docebatur à beato Auxibio. Hoc modo satis longo tempore fecit latenter ingrediens in ciuitatem, & secreto docens & rursus recedens. & exiens manebat extra ciuitatem in prædicto loco Iouis. Dum ipse ergo versaretur in illo loco, erat Marcus Apost. Alexandriæ, prædicans Dei Euangelium. qui postquam multi crediderunt & fuerunt baptizati, exiit ad quęrendum Paulum Apost. & cum eum inuenisset & adorasset, accepit eum Paulus cum magno gaudio. Tunc Paulo narrauit Marcus quæ Barnabæ euenissent, & quemadmodum pulchrum cursum confecit Martyr effectus Salamine. Quòd autem Paulus vere Marcum exceperit, ipse mihi fert testimonium scribens ad Colos. Salutat vos Marcus consobrinus Barnabę. & dicit Timotheo. ,, Assumens Marcum duc tecum. est enim mihi vtilis ad ministerium. Man ,, sit ergo Marcus cum Paulo vsque ad eius decessum.

Cum vero accepiſſet Paulus exceſsiſſe Barnabã ex hac vita humana. & nullum eſſe Apoſtolum qui in Cypro doceret & annunciaret Chriſtũ. id animaduertens miſit Epaphram & Tychicum & quoſdam alios in Cyprum ad Heraclidem inſulę Archiepiſcopum. ad eum ſcribẽs, vt Epaphram quidem Paphi conſtitueret Ep̃m. Tychicum autem Neapoli. & ſimiliter vt alios in vnaquaque ciuitate dignos conſtitueret Ep̃os. Deſcende autem etiam in ciuitatem Soliorum. & in ea quære virum Romanum qui vocatur Auxibius. Eum Solis conſtitue Ep̃m. Sed vide ne ei imponas 1 manus ad ordinandum. iam enim dignatus eſt ſacerdotio, ordinatus à Marco. Cum autem accepiſſet litteras beatus Heraclides, quę ad eum miſſæ fuerat à magno Apoſtolo & orbis terræ luminari Paulo, & eas legiſſet, ſtatim nihil cunctatus, fecit quod iuſſerat. & cum veniſſet in ciuitatem Solos, & quæſiuiſſet beatum Auxibium, ei ſignificatum eſt in quonam loco habitaret. Egreſſus vero extra ciuitatem in locum qui vocatur Iouis, inuenit eum illic ſedentem. & cum ſe inuicem ſalutaſſent, dixit beatus Heraclides. Fili Auxibi, ad te miſſus ſum ab Apoſtolis Chriſti. Quouſq; delitеſcis in hoc loco & te non aperis? Quouſq; abſcondis lampadem ſub modio, & non eum potius ponis ſupra candelabrum crucis, vt luceat in hac ciuitate? Agedum de cætero ſis præco veritatis, illumina eos qui ſunt obſcurati errore ſimulachrorum. Quandiu occultas pecuniã quam accepiſti à Domino tuo? Et lucrare ſeptuplum. Stude ipſe quoq; audire. Euge ſerue bone & fidelis, in paucis fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam. Non audiuiſti diuinam ſcripturam dicentem. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metẽt? Semina in hac pręſenti hyeme, vt illic metas in exultatione in pace. Ne timeas eos qui occidũt corpus, ſed time potius eum qui poteſt animam & corpus perdere in gehenna. Ipſe enim dixit. Ecce ego mitto vos tanq̃ oues in medio luporum. Et rurſus, Qñ tradent vos Præſidibus & Regibus, ne ſitis ſoliciti q̃uo aut quid loquamini. Sanctus enim ſpiritus docebit vos quæ oporteat loqui.

1 Semper cum impoſitione manuum ordinati ſunt presbyteri & Epi.

Hæc & his plura cum ſanctus dixiſſet Heraclides, aſſumens ſanctum Auxibium ingreſſus eſt Solenſem ciuitatem & fuſis precibus impreſsit in terra figuram eccleſiæ, pondere quidem paruam ſed magnam Dei gratia. & cum eum docuiſſet omnem eccleſiaſticam regulam & formam, ſicut ipſe didicerat ab Apoſtolis, commendauit eum Domino. & cum eum iuſsiſſet valere, iuit cum pace in propriam ciuitatem Dominum glorificans. Sanctus autem Auxibius ſtatim nihil cunctatus, cœpit ędificare eccleſiam. & poſtq̃ eam dedicauit, 2 ingreſſus & ſe pronum humi deiiciens, cœpit clamare & dicere cum lachrymis, Domine omnipotens Deus qui feciſti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis ſunt. qui finxiſti hominem puluerem è terra accipiens, & eum tua honorans imagine: inuidia autem Diaboli deceptum non es auerſatus in finem o bone. ſed ad nos miſiſti vnigenitum tuum filium Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum ad ſalutem & reſtitutionem generis humani. qui in hac pretioſa cruce triumphaſti de principatibus & poteſtatibus Diaboli. Qui ſanctis Diſcipulis & Apoſtolis dediſti virtutem ex alto: & dediſti eis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem poteſtatem inimici, corrobora me quoq; tuum famulum. & da mihi audaciam, vt libere & ſine metu prædicem Verbum tuum. & eos illumina tua gratia, vt conuerſi ab errore

2 Vides quod etiam tunc Eccleſias dedicabant? Nõ eſt ergo nouitium inuentum.

errore Diaboli, agnoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Certe benigne & clemens Domine, fac vt inhabitet ſanctiſsimus tuus spiritus in hac ſancta domo quæ eſt ędificata in ſancto tuo nomine. eamq; ſtabili & confirma, immobilem eam conſeruans in tua fide, vſque ad conſummationem ſeculi. Tu enim dixiſti Domine, ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Conuerte Domine hunc gregem tuum errantem ad ſanctam mandram tuam eccleſiam. bone paſtor qui poſuiſti animam tuam pro tuis ouibus, extende dexteram tuam omnipotentem, brachium tuum excelſum & terribile & quod non cadit ſub aſpectum. & baculo tuæ pretioſæ crucis expelle Domine lupum rapacem & ſanguinem vorãtem ex tuo grege. Certe Dñe Ieſu Chriſte, congrega errantes medicare ęgrotantes. vni omnes in vnũ, vt ſit vnus grex. vnus paſtor. Porro autem mihi quoq; humili & abiecto aperi portam verbi per tuam clementiam, dum extendo manum meam ad ſigna & miracula, per vnigenitum tuum filium Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cum quo tibi gloria honor & potentia, cum ſancto & immortali tuo ſpiritu, nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

Cum vero peregiſſet preces, è ſolo ſurgens, iuit ad locum publicum ciuitatis: & cœpit docere regnum Dei. & cum magna fuiſſet ad ipſum congregata multitudo, docebat eos beatus Auxibius dicens. Viri fratres & patres audite me. & credite in Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum quẽ ego annuncio vobis. ipſe eſt enim Seruator & refugium omnium qui credunt in ipſum. Rogo vos & obſecro accipite lucem cognitionis. extollite in altum oculos mentis veſtræ. & obliuiſcimini à patribus traditæ conuerſationis. & cognoſcite eum qui eſt vere Deus & creator vniuerſorum, qui poteſt ſeruare & perdere animas veſtras. Hæc & his ſimilia docens beatus Auxibius, & publice prædicans multis perſuaſit, vt deponerent quidem vanum errorem ſimulachrorum. crederent autem in Dñm noſtrum Ieſum Chriſtum per eius ſuauem & pulcherrimam doctrinam. Data eſt autem ei quoq; à Deo gratia curandorum ęgrotorum & expellendorum immũdorum ſpirituum. Quamobrem in dies adiiciebatur magna turba credens Dño. & baptizabantur ab Auxibio in nomine Patris & filij & Spiritus ſancti, ei peccata confitentes. Quicũq; vero habebãt ęgrotos, afferebant eos ad beatum Auxibium. Qui cum eis manus impoſuiſſet, omnes ab eo curabantur in nomine Dñi noſtri Ieſu Chriſti. Cum hæc autem didiciſſent agreſtes regionis qui erat circũcirca, veniebant in ciuitatem & afferebant ſecum ſuos ęgrotos. Ille vero curabat oẽs per inuocationem intemeratæ & viuificæ trinitatis. & credentes baptizabantur.

Erat autem vir quidam ex agro quodam qui vocatur Solopotamius cui nomen Auxibius. Is cum audiiſſet de beato Auxibio et eius doctrina & de viri virtute, ad eum venit & ſe abiecit ad eius pedes, eum rogans & dicens. Venerãde pater & bone magiſter, da mihi Chriſti ſignaculum. Venerãdus autem & ſanctus Chriſti põtifex Auxibius, cum diuinas accepiſſet ſcripturas & eũ docuiſſet de patre & filio & Spiritu ſancto, eum baptizauit in noĩe ſanctæ & quæ eſt eiuſdem eſſentiæ trinitatis. Manſit vero hic Auxibius & Solopotamia cum ſancto & admirabilium operũ effectore patre noſtro Auxibio toto tempore vitæ ſuæ, ab eo diſcens. Fuit

autem hic quoq; vir venerandus & admirabilis, proficiens in Dei sapientia & gratia, sequens magistri vestigia, & ambulans in timore Dei, doctorem suum imitans in omnibus. Quodam autem die exiit hic Auxibius Discipulus beati Auxibij, extra ciuitatem ad partem orientalem in locum qui vocatur Tarichi ad meditandum. Qui cum venisset ad quandam arborem, sedit sub vmbra eius. & decumbens dormiit. Dum vero dormiret, ecce formicarum multitudo circa caput eius imposita erat tanquam corona Cum autem venisset in locum beatus Auxibius & id aspexisset, valde fuit miratus. & in corde suo conseruauit quæ vidit. Genus enim formicarum, significat excitare oportere pigram & socordem mentem ad alacre & promptum animi studium ad bona. sicut dicit Solomon. Vade ad formicam o piger, & æmulare vias illius. Corona autem ei præsignificabat dignitatem sacerdotij. erat enim Discipulus sessurus super sedem boni magistri & pastoris. & excitato Discipulo ingressus est in ecclesiam. eratq; de cætero Discipulus subiectus magistro in omnibus. & eum obseruabat tanquam bonus seruus Dño seruiens. Beatus ergo Auxibius non cessabat diu & noctu rogare benignum Deum pro salute & conuersione populi, assidue eos docens & admonens. Et grex quidem Domini nostri Iesu Christi crescebat & in dies multiplicabatur. perniciosi autem inimici nostri in dies minuebatur.

Post hæc autem cũ audiisset Themistagoras frater beati Auxibij vbinam is ageret, accessit ipse quoq; Solos simul cũ sua vxore beata Timo. Erat enim hæc quoq; mulier admirabilis & plane studiosa virtutis. Cũ vero venissent in ecclesiam, se sunt inuicem complexi: & fuit magnum gaudium propter eorum aduentum & amborum congressionem. & de cætero in episcopatu docebantur & per 3 catechesim instituebãtur a beato Auxibio. Qui deinde eos baptizauit in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Ordinauit autem s. Auxibius, beatum quidem Themistagoram, Diaconum sanctæ ecclesiæ: beatam autem Timo eius vxorem, Diaconissam ipsius ecclesiæ. Ex quo enim acceperunt sanctum & salutarem baptismum, se a seinuicem separarunt 4 ex consensu, propter regnum cœlorum, & ambo de cætero tanquam fratres processerant ad impatibilitatem. Cum prouidentia ergo & Dei gratia aduenisset in ciuitatem Soliorum, & omnes ferè credidissent Dño nostro Iesu Christo, per adhortationem & doctrinam sancti patris nostri & Archiepiscopi Auxibij, ei opem ferente sancto Spiritu, animaduertens Auxibius paruam esse ecclesiam. si ratio habeatur eorum qui in eam ingrediuntur, statuit ædificare maiorem ecclesiam in nomine benigni & clementis Dei. & flexis 5 suis genibus diu orauit vt Deus eum adiuuaret. & fusis precibus cum descripsisset formam sanctæ ecclesiæ, benigno Deo fauente & adiuuante, admirabile hoc templum magnumq; excitauit. hoc est, hanc sanctam catholicam & apostolicam ecclesiam, eam omni ornamento exornans tanquam sponsam Christi Dei nostri. O bonum pastorem & magistrum, qui pulchre pauit gregem Christi. O splendidum luminare, quod illuminauit eos qui sedebant in tenebris erroris simulachrorum. O peritum medicum qui eos qui fuerant sauciati a Diabolo, curauit per inuocationem sanctæ trinitatis. Nõ solum enim morbos corporis curabat beatus Auxibius, sed etiam occulta animæ vulnera medicabatur per sanctum Spiritum. nempe

3 Ecce quomodo catechesis semper præcedit sacramentum baptismi.

4 Etiam in orientali Eccl. promoti ad diaconatum. de cõsensu uxorum seruarunt quandoque deinceps perpetuam continentiam.

5 Vide orantẽ sanctum flexis genibus, uide eum secundam Eccl. ædificantem, magnã quidem & admirabilem, & omni ornamento illam exornantem.

cogitationes destruēs & omnem altitudinem quę extollitur aduersus Dei scientiam imitans magnum Apost. Paulum, qui omnibus factus est oĩa, vt omnes saluos faceret. quotidie moriens propter Christum, qui pro ipso mortuus erat & resurrexerat.

Hic ergo beatus Auxibius 6 virginitatem exercuit à tenera ætate, Elię cursum persequens. Cum precatione autem & ieiuniis eam auxisset, & fide fuisset roboratus, & spe ductus, consummauit in charitate. Hanc dilexit Auxibius, & eam ornauit, & ab ea fuit ornatus & in vita pręsenti collegit fructus laborum. Nam cum dilexisset virginitatem cum magna abstinentia, & honorasset sacerdotium, ei sedes excelsa traditur induitur talari tunica vt seruus Christi. corona decoris ei caput ornatur. Cũ spõsa virgo ei esset credita ecclesia, eius sponsus appellatur per gratiam & cum seminasset in spiritu sancto ex eo metit vitam æternam. Quis ergo ò dilecti, non admiretur & laudet fortem Christi Athletam Auxibium. quod solus pugnarit & superarit inimicum, & rapuerit magnam prædam ex eius moribus. Sibi enim mancipatos omnes habebat inimicus. ingressus enim sanctus in ciuitatem Soliorum, nullum inuenit Christianum: & oẽs Christianos fecit per Dei gratiã. Quõ enim Rex qui misso aliquo Duce exercitus ad ciuitatem quæ ei resistit, primum quidẽ mittit speculatores. Deinde is circunsidet ciuitatem postq̃ eam explorauit, donec eam ceperit & subiecerit Regi. Ita etiam fecit beatus Auxibius. Missus enim à cœlesti Rege in hanc ciuitatem ad bellum gerendum cum inimico, non prius aperte ingressus est in ciuitatem. sed tanq̃ speculator, idololatræ habitum ferens alienigenis. intrinsecus autẽ habens arma crucis occulta in pharetra cordis. & aspiciens simulachra quę ab eis colebantur, rursus secedebat extra ciuitatem. Hoc autem fecit longo tempore. & quod est admirabilius, habitans in templo inimici, nempe Iouis, illic primum cœpit vincere. Nã cum Iouis Sacerdotem per catechesim initiasset. eum latenter baptizauit. & euertit templum simulachrorum. & tunc de cętero libere ingressus in ciuitatem, tanq̃ fortis miles, manibus in cœlum sublatis, & seipsum componens in figuram venerandæ crucis sicut Moses, Amalec quidem fudit ac profligauit qui percipitur intelligentia, nempe Diabolum. liberauit vero eos qui detinebantur sub eius potestate. Nam cum omnes conuertisset à tenebris idololatriæ & interitus, ad admirabilem lucẽ agnitionis filij Dei, subiecit eos Regi cœlesti.

6 Ecce seruare virginitatem non esse rem impossibilẽ. Ipsa uero oratione, ieiuniis & aliis uirtutibus decoratur.

Quamobrem cum omnia recte gessisset, & fuisset præstantissimus præco veritatis & quinquaginta annos honorasset sacrificium, postquã multos docuit & illuminauit fide in Christo, venit deinde ad finem vitæ suæ. & accersito vniuerso suo & venerãdo Clero, dixit eis. Patres & fratres & filij, inclinate aures vestras ad verba oris mei. ecce ego ingredior viam patrum meorum, quõ omnes qui sunt in terra. de cętero vobis animum adhibete filij. State in fide firmi ac stabiles. Nemo vos decipiat verbis vanis & inanibus. Vos scitis quantas afflictiones sustinui in hac ciuitate. noctu & interdiu rogans benignum ac clemẽtem Deum. vt aperiret mihi ostium verbi, ad significandum vobis mysterium Christi. Qui est autem à mendacio alienus & solus verus Deus, non despexit meas preces: sed vos apprehendit, & eum agnouistis. porrò autem nunc fratres & patres, vos commẽdo Domino & verbo eius gratiæ quod potest ędi-

ficare, & daræ hæreditatem in omnibus ſanctificatis. State ergo firmi &
7 inmobiles in fide: & valide tenete 7 traditiones quas à me accepiſtis.
& quem ex vobis elegit sacerdotem benignus & clemens Deus, ne vos
eius pudeat, q̄m eſt ex vobis, & manet vobiſcum vt vos curet. Hæc ergo
& his plura cum dixiſſet, apprehendens Auxibium eius à Deo honoratū
Diſcipulū, oſculatus eſt eum & dicit. Fili & frater Auxibi, Te elegit benignus
Deus hic sacerdotem. Tu vero de cætero paſces gregem Chriſti,
quem acquiſiuit proprio ſuo ſanguine. Hæc cum magnus dixiſſet Auxibius,
vnūquenq; eorum eſt oſculatus eius Diſcipulus qui fuit etiam ſucceſſor.
Tertio autem die audita eſt fama per totā ciuitatem, q̄ Auxibius
ſanctus eorum pater & magiſter eſt è vita humana exceſſurus, omnesq;
ſimul congregantur cum fletu & planctu in eccleſia. Quos quidem cum
vidiſſet & eis eſſet bene precatus, & deinde eos valere iuſsiſſet, tradidit in
pace Domino ſuum ſpiritum decimo nono menſis Februarij.

7 Nota quomodo mandat ualide teneri traditiones quas acceperunt.

8 Tunc accipientes 8 venerandas & ſanctas reliquias ſancti patris noſtri
& Pontificis Auxibij viri pij cum clero ſuo, cum eis iuſta feciſſent cū
vnguentis 9 & ſuffitibus & omni alia cura ac diligentia, eum depoſuerunt
in loculo quem ipſe beatus Auxibius ſibi pręparauerat, & extra arcam
ſic inſcripſerat. Adiuro vos per ſanctum corpus & ſanguinem Ieſu
9 Chriſti, nemo aperiat hanc arcam, donec conſummatus fuerit frater meus
Themiſtagoras. Poſtq̄ autem ſuiſſent depoſitæ venerandæ & ſanctæ reliquię
ſancti Patris noſtri Auxibij in loculo, aduenieus Dei gratia in ſanctas
eius reliquias, fecit ex ipſis ſcaturire fontes curationum. Multi vero
illo quoque die ſunt curati à variis morbis & ſpiritibus immūdis. Cum
autem audiiſſent qui circuncirca habitabant, viri & mulieres, de gratia
curationum quæ fiebant apud ſanctas reliquias ſancti Patris noſtri Auxibij,
magno ſtudio veniebant in ciuitatem vbi ſitæ ſunt ſanctæ eius reliquiæ.
10 Curabantur 10 vero omnes gratia Dn̄i & ſancti interceſsione.

8 Vocat uenerandas et ſanctas defuncti patris reliquias, idq; nō ſemel aut bis.

9 Vide celebres exequias cum clero & populo, cum unguentis & ſuffitibus & omni alia cura.

Cum autem ij quoq; audiuiſſent qui Paphum habitabant, fieri multas
curationes per ſanctiſsimum & beatiſsimum patrem noſtrū & Archiepiſcopum
Auxibium, cōgregati viri numero quadraginta qui vexabantur
ab immundis ſpiritibus, è Papho profecti, in Solienſium ciuitatē
veniebant. Cum ij vero veniſſent in quēdam locum, qui circa quindecim
11 milliaria diſtabat à ciuitate, 11 occurrit eis ſanctus Auxibius. & cum
ab eis exegiſſet malos & immundos ſpiritus, curauit omnes per Dei gratiam
ei datam. Viri autem illi cum ſenſiſſent curationem, nempe q̄ per
ſancti Auxibij obumbrationē mundati fuiſſent ab immundis ſpiritibus,
curſu venerunt Solos, & eis expoſuerunt omnia quæ in via euenerunt &
omnes his auditis, benignum & clementem Deum noſtrum laudauerunt,
qui talem dedit gratiam ſeruo ſuo Auxibio. & cum acceſsiſſent qui curati
12 fuerant in locum vbi ſitæ erant ſancti reliquiæ, ſe pronos in 12 faciem
proiecerunt ante loculum, laudantes ſanctum, & Deo emittētes hymnos
gratiarum actionis, qui gloriam tribuit ſuo ſamulo. & deinde redierunt in
pace in ſuam ciuitatem lætantes & Deum glorificantes. Vnde etiam ex
eo tempore celebrant Paphij ſanctam memoriam ſancti Patris noſtri
Auxibij vſque in hodiernum diem.

10 Curationes q̄ fiebāt gratia Domini et ſancti interceſsione ad illius reliquias, ſplendorē uitæ eius aperte confitentur.

11 Vide num ſancti ſint mortui, & quā poſt mortem ij poteſtatē habeant.

12 Pronos ſe in faciem ante reliquiarū ſancti loculum proiecerunt, illum laudantes, & Deo hymnos gratiarum actionis emittentes.

Cū autem vidiſſet beatus Themiſtagoras frater ſancti, miracula quæ
fiebant in loculo in quo ſitæ ſunt venerandæ reliquiæ ſancti Patris noſtri
& Archi-

& Archiepiscopi Auxibij. & è sancta eius capsa perpetuo manare vnguẽtum cum miraculis, arbitratus se esse indignum qui deponeretur cum beato Auxibio in vno loculo, iureiurando adegit Clericos sanctę ecclesię, dicens. Patres & fratres, adiuro vos per Deum viuum & per sancti virtutem, vt post meum decessum nemo audeat aperire loculũ sancti patris nostri Auxibij propter me. sed in alio loco ecclesiæ sepelite humile & abiectum meum corpus. Quamobrem vsq; in hodiernum diem sic mansit sanctus loculus non apertus, sed obsignatus signo Christi qui ipsum glorificauit magnumq; & præclarum reddidit. ò beatam capsam in qua est repositus thesaurus qui non potest eripi, ex qua perpetuo scatent fontes curationum. ò venerandum & sanctum 13 tumulum qui congregat fidelem populum ad Dei honorem & gloriam, memoriam autem pretiosarũ quæ in eo habitant reliquiarum. ò patrem & pastorem & magistrum & bonum medicum qui in æternũ memoratur cum encomiis. ò ciuitas Soliorum qualem habes defensorem, & thesaurum qui non potest consumi in te repositum. & luminare quod extingui non potest sole lætius. Nam sol quidem à nubibus & nocte sępe tegitur. Luminare vero beati, noctu & diu lucem habet quæ non deficit. illuminans eos qui versantur in tenebris, & lætificans vniuersam ciuitatem. & curans ægrotos per Iesum Christum, Qui sanctos suos glorificauit. Ego autem quousq; laudo sanctum. Quidquid enim dixero, non potero laudare pro dignitate sanctum patrem nostrum & admirabilium operum effectorem Auxibium. Hic vero de cætero finiamus orationem. Laudantes patrem & filium & sanctum Spiritum. Cui gloria & potentia in sęcula seculorum. Amen.

13 *Ecce sanctorum sepulchra sancta dici, & in ueneratione haberi. Ecce sanctos Vrbium uocari defensores.*

MARTYRIVM SANCTI SADOTH

Episcopi, & centum uigintiocto qui cum eo subiere martyrium in secundo anno persecutionis.

Februa. 20.

POSTQVAM sancti Symeonis fuit perfectum martyrium, eius loco successit sanctus Sadoth in ciuitate quæ dicitur Salec & Ctesiphon, quæ sunt regiæ apud Persas ciuitates. Is quodam die vidit visionem terribilem: & apud se miratus, conuocauit clerum suũ, Presbyteros & Diaconos. erant enim occulti propter timorem Regis. & incipiens eis narrare, dixit.

Vidi hac nocte in somnis scalas stantes cum magna gloria, quarum principium erat in cœlo. super eas autem stabat sanctus Episcopus Symeon cũ magna & infinita gloria. ego vero stabam infra in terra. & me vocans cum magno gaudio, dixit mihi. Ascende ad me Sadoth, ascende, ne timeas. ego enim heri ascendi. tu autẽ cras ascendes. Ab illa vero hora credidi fore vt assumar ad venerandam & pulcherrimam Christi confessionem. Quòd autem dixit, Ego heri ascendi: tu vero cras ascendes, significat eum quidem anno superiore subiisse martyrium: me autem hoc anno futurum Martyrem & occidendum. cœpitq; eos admonere & adhortari ex sacris scripturis, dicens. Fratres mei dilecti & patres, Deum amemus ex tota anima; & Dñm Iesum Christum ex tota mente. & in-

duti lorica fidei, non timebimus omne malum. Mors autem & cædes si ad nos venerit, nō formidemus. sed vnusquisq; nostrum bellum gerat pro viribus, & decertet vt præfectus Athleta. Nam siue moriamur, moriemur vt perfecti. siue viuamus, viuemus vt iusti. Quod si etiam moriamur, moriamur pp nostrum Seruatorem Iesum xpm. Cum ergo ensis det vitam, adeste & eam rapiamus. & q̄uo micat gladius, æternæ vitæ opes nobis comparemus. Quâdiu enim est dies, celeri pede pergamus ad mansionem regni cœlestis, vt abundātiorem honorem & gloriam æternam cōsequamur. & omni futura generatione nobis nomen & gloriam relinquamus. Fratres oremus Deum nostrum, vt cito nobis impleat hanc visionem. Nam cū gaudio & desiderio & magno amore, accipit spiritalis aduentum talis mortis. necq; timuerit aliquis qui fuerit præparatus. Carnali autem est terribilis & formidandus eius aduentus. Spiritalis non timet mortem, vt qui vitam possideat spiritalem. Carnalis vero caligat & tremit, vt qui carnalem vitam habeat. Qui sunt viri boni promptoq; & alacri animi studio, talem mortem persequūtur, vt ex ea vitam æternam possideant. Qui sunt autem ignaui & pigri, iis ea visa se abscondūt. Qui Deum diligunt, ad Deum excesserunt. Qui vero mundum, manent in mundo. illi quidem resoluti ad lætitiam & exultationem. hi autem ad afflictiones manentes & suspiria.

Secundo autem animo nostræ persecutionis, venit Sapores Rex Persarum indictam ciuitatem Salec & Ctesiphontem. & apud eum fuit accusatus Eps & Athleta Sadoth. quod quidem interpretatum idem est quod Regis amicus. reuera enim dilexerat cœlestem Regem Christum ex tota anima sua & totis viribus. Sanctus enim Sadoth & cum esset perfecte cōtinens, plenusq; fide & iustitia, fuit imitator sancti Symeonis cuius erat successor. Mittens ergo Rex Sapores, eum comprehendit cum clero suo, & cum aliis clericis finitimæ regionis & Monachis, numero centum viginti octo. & omnes simul vincti catenis ferreis, inclusi sunt in carcere, in loco obscuro & tetro, quinque mensibus sustinentes magnas afflictiones. Impij enim eorum tibiis impositis funibus, lumbisq; & humeris, lignisq; constringentes, eos vsq; adeo contenderunt & torserunt, vt ossa eorum non secus atq; ossa lignorum quæ constringuntur, stridorem emitterent, & magnum eis dolorem afferrent. Eos autem valde torquentes & immisericorditer, eis subinde dictitabant. Adorate Solem, & facite voluntatem Regis: & viuetis. Rñdens vero sanctus Sadoth tanquam ex ore omnium, dixit. Nos Christiani in vnam fidem, & vnam potentiā & veritatem credimus. & vnum testamur testimonium. & vnum Deū adoramus, factorem cœli & terræ. & ei seruimus ex tota anima & potestate nostra. Solem autem qui fuit ab eo creatus non adoramus. Sed nec ignem honoramus. Qui enim ea fecit Deus, ipse administerium dedit nobis hominibus. nec ex tuo scelerato edicto euadimus trāsgressores ex quo mors nobis à te imminet, quæ nos ab hac caduca vita liberans, ducit ad vitam æternam. Ne ergo vel tantillum distuleris nos occidere. necq; parcas ante tuos oculos effundere nostrum sanguinem. Tua enim in nos lenitas & patientia, nobis procurat interitum.

Rursus ergo dictum est sanctis tanquam ex ore Regis. Si voluntatem meam non feceritis, & edicta mea nō audieritis, ecce ad vos peruenit pes-

ſima hora veſtri interitus. R̃ndentes autem ſancti tanq̃ vno ore dixerunt. Nos nõ perimus apud Deum noſtrum. neq; morimur in Chriſto eius. ſed nos viuificat beata & æterna ſua vita. & dat nobis ad hæreditatem & requiem, immortale regnum & qũod nunq; terminatur. De cætero nobis celeriter affer mortem, qui parati ſumus prompto & alacri animo mori propter Deum noſtrum. Neq; enim Solem adoramus, neq; ignem. neque audimus hæc iniqua iuſſa Regis. q̃m ſunt plena morte & interitu. Cum autem vidiſſent ſtabilitatem & conſtantiam eorum fidei & confeſsionis, tulerunt in eos ſententiam. Cum verò audiuiſſent beati Chriſti Martyres, in ſe datam eſſe ſententiam vt omnes ſimul gladio ferirentur, ſe forti animo pararunt ad cædem & ad mortem. Regis autem magiſtratus eos vinctos eiecerunt extra ciuitatem. Sancti vero Martyres cum magno gaudio & lętitia ſic pſallebant & dicebant. Iudica nos Deus & diſcerne cauſam noſtram à gente non ſancta. & ab hominibus doloſis & qui bibunt ſanguinem ſerua nos. Q̃m tu es fortitudo noſtra & ſpes noſtra.

Cum autem perueniſſent ad locum in quo erant conſumandi, vno aĩo ora ſua aperientes dixerunt. Benedictus es Deus qui nos dignatus es hac gratia, & non noſtras preces habuiſti contemptui: ſed dediſti nobis hanc pretioſiſsimam coronam martyrij. Scis enim Domine nos eam quæſiuiſſe. Et benedictus Deus noſter vnigenitus filius tuæ bonitatis. Qui ſeruauit nos & vocauit ad vitam æternam. Ne ſinas ergo nos Domine aſfligi in hoc mundo. ſed confirma coram te in æternum propter tuam clemẽtiam. & dignare nos lauari in pretioſo baptiſmo ſanguinis noſtri. Q̃m tu es ſolus Deus glorificatus, & vnigenitus tuus filius, & ſanctiſsimus tuus ſpiritus in ſecula Amen. Hæc cum precati eſſent beati, interempti fuerunt ab iniquis. neque ceſſauit ex ore eorum glorificatio, donec vltimus fuit interfectus. Conſummati ſunt autem CXXVIII. Martyres viceſimo menſis Februarij.

Venerandum vero & glorioſum Ep̃m & Athletam Sadoth, duxerũt vinctum in aliam patriam quæ vocatur Bethuza. in ciuitate quæ vocatur Bethlapat. & illic amputarunt venerandum & ſanctum eius caput. Cõſummati ſunt autem omnes ſancti & glorioſi Martyres in pace, laudantes & glorificantes Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Quem decet omnis gloria honor & adoratio cum patre & ſancto ſpiritu, Nunc & ſemper & in ſecula ſeculorum. Amen.

MARTYRIVM SANCTI ET GLOrioſi Martyris Chriſti Mauricij, & ſeptuaginta militum qui erant etiam eius Diſcipuli.

MARTYRVM memoria eſt oſtenſio pietatis in Deum. & mentis quæ tenetur amore ſapientiæ cum Deo coniunctio. materię commixtio cum rebus expertibus materiæ. & pax impatibilitatis quæ refrenat animi perturbationes. Quis enim venerandum & diuinum eorũ certamen mentis intuens oculis, nõ erit remotus à carne & à mundo, conculcatam intelligens eorum carnẽ propter ſuam in Deũ pietatem? Non enim caro his concupiſcit: neq; puluis

terræ rebellat contra Dei imaginem. Sed sapienter ducebatur id quod est deterius, gubernatum ab eo quod est præstantius, & habens mentem quę dimoueri non poterat à meta cœlesti. Tale certamen aliquando proponitur septuaginta Martyribus, quorum pretiosum & Christi amantem sanguinem. Apamensium excipiens ciuitas, sanctum & Deo gratũ emisit sacrificium, pro pretioso vnguẽto, totum corpus Christi, nempe sanctam ecclesiam in eorum sanguine inungens.

Maximianus enim in primis impius & iniquus Imperator, quamlibet quãtumuis magnam crudelitatem contendens superare, studebat vt omnes qui subiecti erant eius imperio, offerrent execrandis & immundis simulachris. vt per eorum adorationem & Deorum qui falso nominãtur falsam religionem, suo imperio acquireret præsidium & magnificentiam. Cum hoc ergo facere statuisset, ipse seipsum ad hoc sedulum & industrium constituit ministrum. Non enim sustinebat iubendo scribere ad locorum Præsides vt Imperatores qui eum præcesserant, vt idolorum cultus curam gererent sed ipse impigre & diligenter obibat orbem terrę, effectus velox minister altarium Dæmonum. separans infelix per suum aduentũ se effecturum vt qui defecerant ab eius superstitione, & accesserant ad veritatis Christi cognitionem, transfugerent ad errorem suorum immundorum & execrandorum Deorum. Tali ergo animo Romam relinquens Maximianus impius Tyrannus, & per orientis partes iter faciens, peruenit Apameam quæ est metropolis secundæ prouinciæ Syrorum. Quo in loco idolorum sacerdotes ad eum accedentes, accusabant Christianos, dicentes ei. ó diuinissime Imperator. Cum Dij nobis dederint loquendi libertatem apud tuam pietatem, deferimus ad tuam inuictam potentiam, ꝙ vnusquisq; eorum qui sunt apud nos, cum timore & desiderio honorat maximos & patrios Deos. maxime autem Iouem patrem Deorum & Apollinem admirabilem, qui sunt aliis Diis superiores, & imperium tuæ potestatis valde conseruant & tuentur. Mauricius autem & qui sunt cũ eo septuaginta milites tuæ potentię, in altum elati honoribus tuis & muneribus, & qui ditia & magnifica dona ex te perceperunt, Deos habent contemptui: & aduersus magnum tuum & inuictum imperium exercẽt tyrannidem, abducti ab errore Christianorum.

Hæc ergo cum audiisset tyrannicus Imperator Maximianus, animo valde fuit iratus, & præcordiis incensus, & mente magis arsit quam fornax. præcipue cum accepisset ꝙ in suo exercitu tales milites. Et cum diẽ obseruasset insignem, & locum inuenisset aptum ad populi spectaculum, in medio portarum septentrionalium metropolis Apamensium, quæ dicitur vicinia amaxica: & iussisset illic parari iudicium, iussit duci inclitos Martyres. Cum in alto autem tribunali impius sedisset Tyrannus Maximianus, concurrisset vero vniuersa ciuitas & omnis ætas ad eos spectãdos. adeò vt nec virgines quidem quæ degunt in thalamis remanserint in suis habitaculis, duxerunt Satellites septuaginta Christi milites. Quos cum aspexisset Imperator, dixit eorũ Duci. Nos sperabamus ó Maurici, ꝙ nostris fruentes donis, & alimento educti imperatorio, primosq; honores & dignitates à nobis consecuti, insisteretis vestigiis nostræ tranquillitatis: & eos qui conarentur resilire à nostra Deo grata legione, fortibus factis & omne genus doctrinis, conuerteretis ad sanitatem quod ęgrotaret

curantes:

curantes: & quod claudicat corrigentes : & quod bellum gereret pacificantes. & vt semel dicam, quidquid se non ex nostro haberet instituto, tanquam inimicum & hostile subiicientes. Sed de vobis, vt videtur, contrarium accepimus. Non solum enim non conuertistis eos qui aduersus nostram rebellarunt religionem. sed etiam ipsi aduersus Deos nostros omnipotentes tyrannidem exercentes: & qui eis sunt constituti honores & sacrificia ac libamina abolentes, aliis fuistis duces ad barathrum interitus. si vera sunt quæ de vobis ad nostras aures peruenerunt.

Dixit s. Mauricius. Imperator. Quæ à nobis exercetur tyrannis aduersus Deos qui sunt nullo sensu præditi, nobis validam acquirit victoriā à vero Deo, & coronam gloriæ. Non.n. aspernamur & nihili faciamus Deum qui nos finxit vt stulta est tua traditio. sed glorificamus eum qui est solus verus Deus, qui fecit cœlum & terram & mare, & omnia quæ in eis sunt. Improbos autem & immundos Dæmones & qui hominibus afferunt exitium, quæ sunt surda & cæca simulachra & nullo sensu prædita, non conuenit Deos vocare ò Imperator. Dixit Imperator Maximianus. Cū honorem à Diis sis consecutus, & militiæ primum locum sortitus ò Maurici, eis pulchram refers gratiam. Dixit s. Mauricius. Nunq̄ honorem accepi à Diis vestris, neque volo eos honorare. Quis enim vnq̄ ex hominibus qui Dei habet cognitionem, sustinuerit honorare materias nullo sensu præditas? Sed quibus non est meus quæ rectis gubernatur rationibus, propterea q̄ iumentis comparati sint insipientibus & similes facti sint eis, ij lapides & ligna in Deos referunt: mentemq́ue eis tribuunt & honorant tanquā Deos. Dixit Imperator Maximianus. Q̄m primas partes obtinuisti in ordinibus nostræ administrationis, ò Maurici, id tibi magnam præbuit confidentiam: & effecit audaciorem. adeò vt splēdide & citra vllam conturbationem rn̄deas nostræ serenitati. iubetq́ue eo separato reliquos interrogari. & blande eis dicit Imperator. Quis vobis tantam fecit iniuriam ò fratres, vt deficeretis à Diis Seruatoribus. accederetis autem errori hominum qui adorant hominem crucifixum tanq̄ vnum homicidam. Non.n. sic vos erudiimus: neque in tali doctrina eduximus.

Tunc vere beati Theodorus & Philippus, tanq̄ ex ore sanctorum septuaginta Martyrum, dixerunt Imperatori. Nos, ò Tyranne Imperator Maximiane, tantum absumus ab errore, vt te quoq; optemus liberari ab errore, à quo nos quoq; fuimus liberati, vnum & solum adorantes verum Deum, patrem omnipotētem. & vnigenitum eius filium Iesum Christū Dominum nostrum, qui est Dei virtus & Dei sapiētia. & sanctissimum eius spiritum, qui nobis inspirauit cognitionem & intelligentiam. vt confitearis quidem trinitatem quæ est eiusdem essentiæ. abomineris autem immundam tuam religionem. & hanc quidem abiicias quæ est ad tempus militiam: Deo vero milites qui est Rex exercituum. Dixit Maximianus Imperator. Video ò Philippe te senectutem quidem habere reuerendam. intelligentia autem multum cedere iuuenibus. Confuge ergo ad Deos, & sis bonus consiliarius reliquis tuis militibus de Diis adorādis, vt maiora dona & honores à nobis consequaris. Dixit s. Philippus. Notum tibi sit ò Imperator, me non futurum malum consiliarium, iis q̄ sua sponte deducti sunt ad timorem veri Dei. Scriptum est enim. Væ ei per quem malum venit. Dixit Imperator Maximianus. Lenitas nostræ pa-

tientiæ,te audaciorem effecit ô Philippe. Nolite ergo in his insistere,ne iustas pœnas in vos irritetis, & euadatis exemplum nostræ indignationis, audentes nominare hominem qui à vobis est relatus in Deos. Rñdentes vero sancti septuaginta Martyres, dixerunt Tyranno Imperatori. Varę & inanes minæ ô Imperator,tuę abominationis,virtutem nobis ex alto largiuntur. Non enim ingreditur aut inhabitat metus tormentorum, in bona mente & stabili eorum qui diligunt Dominum.

Tunc Maximianus Imperator valde iratus,iussit auferri à sanctis septuaginta militibus habitum militiæ.& eis abscindi zonas. & deinde sic eos ad ipsum adduci cum magna ignominia. Cumq; hæc magna celeritate effecissent Satellites, dixit eis Tyrannus. Videte à quali gloria & honore excidistis, & quale vobis obtigerit dedecus & contemptio propter vestram inobedientiam. Sancti dixerunt Tyranno. Etiamsi tu, vt existimas,nos exuisti habitu militiæ, & abscidisti zonas nostras, est Deus noster in cœlis quem colimus,qui nos induit vestibus & zonis incorruptæ & æternæ eius gloriæ.quam ipse non es dignus videre aut audire propter Satanam patrem tuum, qui in te loquitur & operatur. Tunc valde iratus Tyrannus dixit sanctis. O' execrandi & indigni Deorum beneuolentia. Vos vestram ignominiam vobis conciliastis. A' nobis enim honore affecti, maximos Deos affecistis contumelia, & nostram contempsistis amicitiam. De cætero accipite conuenienter vestris factis. Respondentes autem sancti dixerunt Tyranno. Imperator, hæc militia tua vt quę nihil sit pręterit.& qui adest honor,est tibi dedecus.qm̃ oblitus es Dei qui hãc tibi dedit potestatem. Vana vero & inanima simulachra,quę te nihil iuuant,q; ea non cognoscant eum qui ipsa honore afficit aut contumelia, in Deos stolide vt qui plane sensu careas refers. Dixit Tyrannus. Propter nostri imperij clementiam,vobis parcens,& volens vitam vobis esse saluam,adhuc vos patior,iussitq; eos tres dies includi in carcere: vt caperent consilium quod eis expediret.

Cum autem Satellites implessent iussum Imperatoris, & eos in custodia inclusissent cum collaribus, sancti dixerunt inter se. Fratres charissimi,paremus omnes nostras animas ad orationem: & intense oremus benignum & clementem Deum nostrum, vt det nobis sapientiam & cognitionem per sanctum Spiritum: & iniiciat in os nostrum quid respondeamus Imperatori. vt admiretur ipse quoq; Tyrannus veritatem nostræ fidei. & se ad precandum conferentes sancti septuaginta Christi Martyres, dixerunt tanq̃ ex vno ore & vna anima. Dñe Iesu Christe Deus omnipotens. cuius potestas ęterna & regnum non interibit, mitte ad nos sanctissimum tuum spiritum. & nos per eum erudi. vt in ipso exultemus & lętemur. & vincamus erroris nequitias: & extollamur in vera tua fide per sanctum spiritum qui loquitur in nobis, conuenienter tuæ veræ & à mendacio alienæ promissioni. & pro a nobis ablata mundanã dignitate,efficiamur milites in sancta tua ciuitate: & adscribamur in numerum ciuium cum oĩbus tuis sanctis, qui tibi à seculo recte in fide placuerunt. Qm̃ tu est solus Deus: & te decet gloria & potentia in secula. Amen.

Completis autem tribus diebus, Præsidens rursus Maximianus, in eundem locum portæ Amazicæ rursus concurrente vniuersa ciuitate, accersiit sanctos. Sancti vero Martyres accesserũt tracti à ministris, & ste-

terunt ante impium Iniquus autem Imperator minas temperans clementia, dixit eis. O' viri, discite tandem quid vobis expediat. & accedentes Diis sacrificate. & vitam accipite, & non mortem acerbam. Dixerunt sancti Martyres. De hoc bonum consilium cepimus ò Imperator. Audi attente, & ne nos amplius cogas aut vim nobis vllam afferas. statuimus enim odio habere hanc vitam quæ est ad tempus, diligere vero mortem propositam, propter Christi desiderium. Per ipsum enim vitam ęternam speramus lucrifacere. De cætero ergo fac breuiter in nos quod vis. Nos. n. non negamus Deum nostrum. neque Dæmones tuos vnquam adorabimus. Nam in condemnatione huius mortis quæ est ad tempus, liberamur ab ęterna condemnatione. Hæc cum dixissent sancti Martyres, videns Tyrannus in medio eorum adolescentem, dixit ei. Dic adolescens, quod est tibi nomen, & cuius es genere? Dixit adolescens. Nominor quidem Photinus, à vera luce accepto nomine. Sum autem miles Christi, qui pudore affecit patrem tuum Satanam. Et sum genere quidem Romanus. filius vero & carnalis & spiritalis Mauricij clarissimi. Ex eo enim ortus, & ab eo accepta Dei cognitione, in Christi fide sum educatus. Quē tu negans ò Imperator, comparatus es iumentis insipientibus, & similis factus es illis.

Dixit Tyrannus. Stultus es adolescens. & sunt tua verba ętate digna. At iã disce quod est tibi conducibile. & accedens sacrifica maximo Ioui. & parcæ tuæ iuuentuti. Dixit adolescens. Propterea ꝙ non facio quod vis, neque sacrifico simulachris, dicis me stultum esse. Nam quod attinet quidem ad fidem Dñi mei Iesu Christi, valde sapio. Tunc dixit Tyrãnus rursus sanctis. Quousq; importunitatem vestram sustinemus ò miseri. & tormenta differimus ex benignitate incõparabili? Sacrificate ergo Diis, ne in vos armetis iustitiam. Dixerunt sancti Martyres Tyranno. Sceleste & administer immundorum Dęmonum. Si quid ingenij habeas aut scię, didicisti à Photino nostram fidem & vires nostras. Si enim ille cum sit ętate iuuenis, pudore affecit impiam tuam mentem & nullo sensu præditam per sinceram suam fidem, & Christi cognitionem: quanto magis nos contendemus tormenta oĩa sustinere: vt pudore afficiamus patrem tuum Diabolum, & placeamus Christo nostro & Deo. Tunc iratus Tyrannus iussit sanctos verberari crudis boum neruis. & cœperunt ministri eos cædere, donec carnes eorum discerpserũt. & cum valde emanaret eorum sanguis, Sancti sursum aspicientes in cœlum, clamabant, Christo supplicãtes vt eis vires adderet, & leuaret eorum labores. Qui cum audiisset intẽsam eorum precationem, ad eos accessit potestate quæ non cadit sub aspectũ: & alleuauit labores tormentorum, & confirmauit corda eorum in charitate in ipsum.

Cum defessi autem essent tortores, Tyrannus dixit sanctis. Cognouistis ò audaces homines & temerarij, ꝗ; sit mihi facile vitam vestram perdere? De cætero ergo Diis sacrificate, ne acerbiora tormenta sentiatis. Sancti vero rñdentes dixerunt Tyranno Imperatori. Hoc cognosce ò impie & aliene à vero Deo nostro, ꝙ quõ tu Christi charitatem non sentis & eius splendorem, propter tenebras quæ mentem tuam operiunt ex errore Dęmonum: ita neque nos tormenta tua sentimus: propterea ꝙ mens nostra sit illuminata à fide & charitate Christi Dei nostri. Excogita ergo

o Tyranne & insane canis alias in nos nouas machinas tormentorum. Sitit enim mens nostra,& desiderat quæ est ex Christo charitas,per tuam in nos sententiam, contemplari Deum viuum & regnantem in sæcula. Hæc cum audiisset Tyrannus & valde fuisset iratus,iubet accendi rogũ maximum: & in eum iaci sanctos martyres Cum implessent vero Satellites acerbum & inhumanum eius iussum, sancti sua sponte accesserũt ad rogum, se inuicem adhortantes vt ad ignem tanq̃ ad aquã accederent, neque vllam ducentes rationem carbonum exustionis, magno & constanti spiritu dixerunt Tyranno. Nos ó Imperator, considerantes cæcitatem tuam & sensus egestatem, lapidei tui cordis miseremur. q̧ fueris minister erroris improborum & immundorum Dæmonum, non valens resipiscere, aut agnoscere Deum cœli & terræ, qui tantam nobis fortitudinem dedit & tolerantiam. Quis enim absque diuina refrigeratione, aduersus omnia excedentem flammam decertauerit? Qui autem spiritu feruent & Deum induerunt,ignis cõsumens illos qui sicut tu sunt impij, nequaquam pios lœdere poterit. Flammæ enim non est à natura ingeneratum,vt consummatur à flamma quæ est ad tempus & in q̃ cadit interitus. Quamobrem frustra laboras ó stolide Tyranne, qui nos qui Christi conflagramus charitate, igne contendis consumere. Nos enim ignis candefecit sicut candefit argentum.

Cum omnes autem qui audiebant, propter hæc verba admirarentur, Tyrannus qui ab initio erat vas interitus,perseuerauit velle sanctos perdere.& neque persuasus fuit verbis gloriosorum Martyrum.neque rebus ipsis fuit obstupefactus. Quamobrem iubet eis rursus palis affixis, ferreis vnguibus latera fortiter cædi. Cum ergo sancti & generosi Martyres,hoc quoq; certamen strenue decertarent: & omnes admirarentur Imperatoris amentiam & furorem,præclarus Martyr Mauricius dixit Tyranno. Nõ sentis tuam imbecillitatem & miseriam ó immunde & profane Tyrãne, q̧ Photinus paruus hic adolescens tui imperij fregerit audaciam. Talia enim & tam multa subiisse tormenta,est tui crudelissimi imperij confractio. Q̃uo ergo vniuersam nostram phalangem frangere poteris,qui à tãtillo adolescente fueris superatus? Propter hæc verba ira percitus sceleratus Maximianus, & ardentibus eum intuens oculis, & stridens in eum dentibus, & volens sanctum & beatum Christi Martyrem Mauricium acerbe vlcisci, iubet spiculatori vt ante oculos patris filium conficiat & occidat.Eo itaq; p̃nte & filium aspiciente,eius caput abscidit Spiculator.

Cum ergo hoc modo beatissimi Photini caput venerandũ fuisset amputatum, isq; pulchre & gloriose migrasset ad Dominum, dixit p̃clarus Mauricius. Nostrum desiderium impleuisti ó Tyranne.& de cætero firmum & stabilem habemus cursum cœlestem. Quis.n.ex nostra multitudine sustinebit superari à Photino Christi milite, qui migrauit in cœlum,& pudore affecit patrem tuum Diabolum? Ad hæc, maiori studio & contentione,tormentorum in nos excogita cruciatus. & nihil à te p̃termittatur eorum quæ probant,an firmam & immobilem fidem Xp̃o seruemus. Q̃n autem vidit Maximianus sanctos Christi Martyres prõpto & alacri animo perpetientes, & rectam suam fidem non deserentes, conuocato suo belluino & inhumano senatu, cum eis consultabat quemadmodum sanctos Martyres morte afficeret acerbissima per quos terrorẽ

afferret

afferret Christianis qui erãt in toto orbe terrarum: & efficeret vt deficerent a sancta & nulli affini reprehensioni religione Christianorum. Tunc cum ipsi multa consultassent & alius alia dixissent, quidam ex iis qui in senatum conuenerant, qui erat radix acerbitatis, & fructus nequitiæ, & cuiusuis alterius malitiæ & iniustitiæ arbor feracissima, consuluit Tyranno, dicens. Imperator, hic mensis est tempus maximi ęstus. erat enim tunc mensis Iulius. situs est vero extra ciuitatem versus occidentem inter duos qui propter eam siti sunt fluuios & lacum, locus positura quidẽ planus, fœno autem plenus & infinita alia materia. quem qui in eo loco habitant vocant Rogam. propterea ꝙ sit vesparum & crabronum acerbum habitaculum. quos meridie ne facile quidem potest aliquis transire sine periculo. Iube ergo eorum corpora vngi melle. & in eo alligabuntur animalcula. vt in hoc cruciatu sentiant interitum grauiorem tormentis omnibus quæ præcesserunt: & cognoscãt non esse maledictis incessendos inuictos nostros & ęternos Deos.

Hæc ergo cum dixisset pessimus & sceleratissimus ille Senator, eius consilium placuit Imperatori & vniuerso Senatui. & iubet Imperator eos tradi huic supplicio. Cum itaq; meridiem obseruassent ministri iniquitatis & tempus quietum, in quo, flatu ventorum carentia animalia, corporibus quæ incidunt grauem & molestam efficiunt perforationem, catenis vinctos deduxerũt sanctos in prius dictum locum. & cum obiissent & elegissent locum humidum, situm prope fontem perennem & limosum, ex quo euasci solent limosæ lacunæ & voragines. vbi etiam solet degere multitudo eiusmodi animalculorum, melle quidem vngunt sanctorum veneranda corpora. lignis autem eos vehementer alligant in eo loco, iacientes etiam venerandum corpus incliti Martyris Photini ante faciem patris sui benedicti Mauricij, reputantes se ex eo ei maius allaturos suppliciũ. Hęc ergo cũ fecissent, q̃primum recesserunt, vt qui venenatorum animalculorum minime ferrẽt impetum. Cum itaq; sancti decem dies & noctes hoc intolerabile & acerbum pertulissent supplicium, sublatis ad Deum oculis, Dñm precati sunt, dicentes. Domine Deus noster, qui nos creasti ad imaginem & similitudinem tuam: & deduxisti nos ad agnitionem tuæ veritatis & diuinitatis, & vnigeniti tui filij, & sanctissimi & viuifici spiritus, apud te nostras animas deponimus: & rogamus vt eas colloces cum omnibus sanctis qui tibi placuerunt a seculo. Q̃m te dileximus, & te desiderauimus ex toto animo nostro. & pro te nos ipsos ad mortem tradidimus. Tu es enim Deus solus benignus & clemens. & te decet gloria in secula. Amen. Hæc cum dixissent, Deo tradiderunt beatas & diuinas animas. & sic dignati fuerunt coronis decertationis.

Sceleratus autem & tyrannicus Imperator Maximianus, etiam post mortem irascens semper viuentibus Martyribus. Deo enim 1 viuunt qui ex Deo emigrarunt, etiamsi hinc excesserint, cũ audiuisset eos emisisse animas, iubet abscindi veneranda & sancta eorum capita, & iaci in eundẽ locum. Pessimi vero ministri scelerati Imperatoris, cum e ligno deposuissent 2 venerandas & gloriosas eorum reliquias, non veriti sunt amputare colenda eorum capita. Cum ea autem abscidissent, vbiq; per illam syluam proiecerunt ac dissiparunt. Quidam vero fratres fideles, noctu cũ magno timore accedentes, collegerunt veneranda eorum capita & san-

1 *Vides sanctos quãuis e uita excesserint, Deo uiuere. Male ergo ab hæreticis uocantur emortui.*

2 *Nota uenerandas & gloriosas eorum reliquias.*

5 ctissima 3 & honoranda eorum corpora. & cum eo quo par est honore, & multo ac suaui odore, diuinaq; psalmodia, & intensis precibus, in terra fodientes, deposuerunt ipsa in eo loco vbi decertauerunt. preclare & fortes Christi milites. In quo etiam apparent tanq; luminaria in mundo. Quorum nos quoque omnes dignemur esse celebris conuentus participes & gratiæ, vno animo & consensu fruentes quæ ab eis proficiscitur curatione. In Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potentia, Cum patre & sancto spiritu Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

Ecce quomodo cum honore sepeliuntur sanctissima & uene randa horum martyrum corpora, uidelicet cum multo & suaui odore, diuina psalmodia, & intensis precibus.

IGNATII MONACHI, QVÆ FIT *singulatim expositio, Vitæ & miraculorum, sancti Patris nostri Tarasij Archiepiscopi Constantinopolitani.*

Februa. 25.

NATATVRVS per ingentem maris magnitudinem, incliti Patris & vita inaccessa præstantis, vereor ne aduersos ventorum flatus linguæ agrestis, & vastorum fluctuum obscuritatis excitem, salumq; & tempestatẽ mihi procurem animæ naufragij. Talis enim est inscitię temeritas, quę orationem effundit tanq̃ paleam, ad nihil quod sit opportunum conducibilem. & affert damnum ei quod oportet fieri & est vtile. & in naufragiũ incidit multiloquij. quod fieri non potest vt omnino effugiat peccatum, vt est Solomonis & diuina admonitio. Hoc meum reprimit ingenium & terret cogitationem, & refrenat orationem. & diuinarum viri dotium profundum intueri properãtem retardat. Sed cum altum longi temporis silentium res eius tegens, esset multorum auribus damnum allaturum, vt quæ teneantur desiderio audiendi res optimas & præstantissimas quæ ab illo in vita gestæ sunt, vt quæ sint plenæ vtilitate animæ, age valere iubens omnem dubitationem, pauca quædam de ipso quæ dignatus sum videre oculis, & quæ accepi auribus, & quę ipsa noui experientia, & in mea humili & egena scio manere memoria, cũ pura & sincera veritate in lucem edere, si Deus concedat, iam conabor. Nam & si non possim dicere pro dignitate, non ideo vniuersum deseram. sed quia nolo abscondere talentum sicut ille malus & piger seruus, ideo quod Deo gratum est prompto & alacri animo offero pro viribus. & si non potero debitum soluere cum fœnore, in eo quidem certe q̃ sortem exerceam & procurem vt ei nihil detrahatur, ero aliqua ex parte accipiendus.

Hic ergo sacrosanctus & magnus Tarasius, qui Christi mansuetudinẽ & humilitatem ab infantia vsq; ad senectutem imitatus pulchre expressit. in cuius, sicut prius dixi, virtutum mari me vt natarem demisi, quisnã esset & vnde, & ex qua patria & parentibus ortus sit, arduum fuerit dicere, iis etiam qui ex scientia sciunt ample & magnifice dicere. non solum mihi cuius est plane humilis & abiecta oratio, tantam præclari generis ab alto repetere magnitudinem, & à maioribus deductam eius stirpem recensere qui gloriari non vult eiusmodi laudibus. neq; fluentibus diuitiis cor apponere, cõuenienter diuino Psalmographo, vnq; est meditatus. Hoc

vnum autem possumus dicere, q̄ omni auctoritate & maxima excellentia apud eos qui per id tempus imperabant, Georgius eius pater, & rei nomen cōueniens sortita mater eius Encratia, propter summam iustitiam primas partes obtinuerunt, ex patriciorum serie deriuati appellati patricij. Quorum pater quidem cum ascendisset ad altitudinem tribunalis iudicialis, integreq; & incorrupte ius omnibus ex æquo tribueret, Solone & Lycurgo antiquis illis legislatoribus, conspectus fuit longe iustior. Qui etiam aliquando rectam & legibus conuenientem tulit sententiam, cum quid esset iustum tunc ignorassent qui videbantur imperiū obtinere, neq; id vellent exequi. Iuris vero dicendi difficultas in his fuit. Pauperculæ quædam fœminæ, fuerant grauissimi criminis accusatæ. Quænam autem fuerit ea accusatio, iam dicam.

Accusatę fuerant cædem fecisse lactantium infantium, per foramen domorum vel portis etiam clausis subeuntes, & ex improuiso infantes interficientes. Quæ etiam trahebantur in iudicium ab iis qui credebant fabulis, & nolebant Christi Dei nostri sequi doctrinam quę simulachris & phantasmatibus nequaq̄; decipitur. Est enim apud Gręcos in fabulis fœmina quædam Gello nomine, quę dicitur cum immatura morte vitam abrupisset, quibusdam spectris accessisse ad recens natos infantes, & eos interfecisse. Huius fabulæ improbo pellecti ac decepti spiritu, qui ea dicebant probabiliter, conantur etiam ad mulierculas transferre hoc execrandum scelus, & eis adscribere in spiritum conuersis, causam eorum qui moriebantur ante tempus. ò stuporem. ò cordis oculorum cæcitatem. Si corpus longitudine profunditateq; & latitudine compactum ac constipatum, in spiritum dissolutum procedit, & hęc facere conceditur, Christus ergo qui est ipsa veritas, dicens. Spiritus carnem & ossa non habet, reputatus est phantasma ab iis qui hęc asserunt. Quinetiam Christus quoque qui veram carnem accepit, & spiritum carnem & ossa non habere vere affirmauit Discipulis, nulla re circunscribetur quę obstet quominus sit phantasia. Sic ergo censens & citra dubitationem iudicans Georgius, fœminas absoluit à criminibus. Qui tunc autem rerū potiebatur, valde enim defendebat phātasiam, cum sensisset sic iudicasse Georgium, iussit eum ad se adduci. À quo euidenter edoctus de vero exitu latę à se sententię, eum quidem cæcidit per summam ignominiam: latam autem ab eo sentētiam vel inuitus comprobat, vt qui à criminibus absolutas cōseruarit mulierculas. Et Georgij quidem constantiæ & iustitiæ pars hic sita sit.

Mater vero clara pietate, & id quod ipsa appellabatur cernēs proficere in filio, venerandum reddit suum filium & vere templum continentię. Et cum æqualibus quidem suis & improbis docens eum nullam habere cōsuetudinem: inire amicitiam cum iis qui amant decus virtutis suadebat & eis coniungi iure charitatis spiritalis. Quamobrem ingressus per vniuersum virtutem, erat apud omnes reuerendus, vt etiam consulari dignitate fuerit honestatus: & electus sit primus scriba arcanorum Imperatoris: & in aula imperatoria luciferi instar resplenduerit. vt qui diuinas quidem disciplinas abunde esset complexus: & ex externa eruditione collegisset quæ sunt præstātissima. Illas quidem meditans ad ascensum virtutis, & plantatus secus decursus aquarum diuinæ cognitionis. vt rationales fructus proferret in tempore. harum autem vtilitatem per attentio-

nem & cautionem, in animo recondens obsignauit. per quas posset corrigere quod est prauum & barbarum: & linguæ suæ imponere legem accurate loquendi.

Cum sic de cætero per vtrasque laudem esset assecutus, & totum se Deo dedicasset per pietatem & puram conscientiam venit ad habitum spiritalis perfectionis. & mundi munera obiens in mundano habitu, se à mundana remouit ambitione. & spiritui adaptans animam, Vas sacrum efficitur, electione melioris, etiam ante sacerdotium. & pastor pecudum rationis compotum, qui pascebatur adhuc, prænunciabatur. & sperabatur fore vt susciperet vniuersam omnium præfecturam, vt lucida lucerna iã accensa, igne virtutum mundum illustrans vniuersum. & omnem hæreticam dispellens caliginem, & lucem procurans rectæ fidei. Nec populũ sua spes fefellit, vt qui mox acceperit id quod desiderabat. Paulus enim quem Cypria natum excepit Salamis, sancte & integre clauum regens sacerdotij, cum nefaria adhuc vigeret hæresis quæ accusat Christianos eorum, inquam, qui abolent imaginem Christi veri Dei nostri carnis susceptionis: & eius quæ eum vere & proprie peperit Dei matris, & incorporearum, vt visæ sunt potestatum: & iam omnes sancti oppugnatores hæresis à breui & caduca hac vita excessissent: & traducti essent ad eorũ quæ in vita gesserant quæ fit illic discretionem: & serpentinæ doctrinæ virus etiam post exitum euomuissent ex ecclesia, ægreferebat & animo angebatur Paulus, cum non haberet qui ei opem ferret, & manum præberet ad rectæ fidei correctionem. propterea quod omnes adhærerent hæresi, eamque confiterentur & assentirentur. Capit itaque consilium dignum sua prudentia. Nam cum incidisset in morbum qui ei mortem erat allaturus, & deducturus ad longæuam quæ illic est resolutionem, se clam subducit è sede. & cum venisset ad Flori monasterium, in numerum Monachorum se retulit mutato amictu.

Postquam autem notum fuit quo se demisisset Pontifex, idque iam peruenisset ad aures eorum qui per id tempus rerum potiebantur. Irene autem & Constantinus eius filius, primas potentiæ partes tunc pulchre obtinebant, ij quod res accidisset noua & insolita animo nõ parum conturbati, statuerunt venire ad dictum monasterium. Postquam vero agnouerunt Pontificem subiisse habitum humilitatis, ira repleti & metu, rogauerunt eum qui se ad tãtam dederat audaciam quænam fuisset causa Pontificis fugę & tonsuræ, reputantes num nihili esset facturus grauem Imperatoris indignationem. Paulus autem miti ac placida oratione, talis enim erat si vllus alius, iram leniens imperatoriam, persuasit vt irasci desisterent: & aperuit causam quæ eum adhoc deduxerat, hoc modo verba faciens.

Me ô Imperatores, & morbus, & improuisus mortis aduentus, coëgit hoc facere. multo autem magis ad id impulit ecclesiæ deformitas quæ laborat hęresi, & ex diuturna mala opinione tantum accipit dolorem, vt ei inhęserit vibex immedicabilis: & ter iam per manus & atramentum inscripta hæresi assensio. Neque enim mihi licuit effugere retia malę opinionis: sed accidit vt & lingua & manu in ea implicarer. Quod etiã ne magis angit, vt quod exedat sensus animi. Video omnes orbis terrarum partes, quę in vestra manu tanquam in statera appenduntur, fidei immobilem conseruantes trutinam, & in recta permanentes doctrina & exultantes, ab ec-

ab ecclesia nostra longe dissidere, & tanq̃ à Christi grege alienas oues repellere. Et ideo recuso esse pastor cœtus hęretici. & statui potius habitare sepulchrum, q̃ esse obnoxius anathematibus sacrę quaternioni sedium Apostolicarum. Sed cum sceptri potentiam in vestras manus Deus tradiderit, & imperialem curã geratis Christianissimi gregis qui est sub sole, ne despiciatis tristitiam matris vestrę ecclesia. sed studete vt ea rursus veterem recipiat pulchritudinem. Ne patiamini abominandã hęresim, nunc quoq;, tanq̃ suam ex querceto vt dicitur, vastare ac perdere vineam vestrę imperatorię & fidelis agriculturę, & à viam transeunte non trita & aspera mala opinione turpiter eam peruadi. Est vobis scientissimus Agricola qui aluerit botrum verę confessionis: & eum expresserit in diuina torcularia vnius & solius ecclesię. & cum implerit craterem sapientię, parauerit fidelissimo populo poculum rectę sententię. Et quemnam hunc innuis, ei dixerunt Imperatores, Tarasium mea significat oratio qui est primus à secretis diuini vestri imperij. Illum scio, & quicũq; recte sapit, ecclesiam esse opportune suscepturum: & virga quidem rationis participe hęresum nugas esse exacturum: docendi autem & pastorali baculo introducturum & foras educturum ad stabula & mandras veritatis, gregem diuissimum.

Cum in auribus imperatoriis sic seminasset orationem, & eam effecisset genitalem, & quę iam fructum tulerat in centuplum, grauitate morbi oppressus, ad tabernaculi dissolutionem, per mortem confidenter festinabat. ędificationem à Deo per incorruptionem, vt dicam Apostolice, sortitus Et sic quidem se gessit Paulus. Imperatores autẽ in Pastoris electione mentem habentes occupatam, & Pauli sermone stimulati, in Tarasium aperte defigunt oculos: & eum, Deo volente, vt viduato gregi præesset, communi consensu sapienter eligunt. Eis assentiebatur quidquid erat optimum & præstantissimum è sacro senatu, diuinus plane cœtus. vt qui omnino scirent virum in omnibus præsulgere, & dignum cui demandaretur dignitas pastoralis. Quidquid autem erat promiscuum ac circunforaneum, & lucernam redolebat hæreticam, patris sanctitatẽ, etiam ante sacram ab eo acceptam vestem, vt ad arguendum vehementissimam & acutissimam suspectam habens securim, nolebat assentiri communibus suffragiis. non volens ab antiqua sua resipiscere sententia: & malebat inuolui cœno limi hæreseos, quam potari viuifico fluento puri & imperturbati fontis doctrinæ Tarasii. Sed vicit id quod iustum erat: & admissum est quo pro pietate ferebatur decretum. Iubent itaque Imperatores statim coram sisti Tarasium. vt quæ Deo videbantur & legibus ecclesiasticis, iura in eo confirmarent. Ille verò aderat cum pia & honesta specie, & quas à Deo habebat gratiis circundatus. Apud quem honestis & egregiis agentes sermonibus, & tanq̃ iam cum patre, de eo quod erat postea constituendum, consilium ineuntes, vsi sunt verbis eiusmodi.

Non putamus latere tuam prudentiam, q̃ præteritis temporibus ecclesiam inuasit vertigo hæreticæ caliginis. quæ nihilo tolerabilius eam operuit quam nona plaga Ægyptiaca, tenebræ inquam palpabiles. & vsque in hodiernum diem cancri more serpit per gregẽ: & per vniuersum ferè mundum in animam commouit tempestatem. Sed q̃m Deus ineffabili nutu eam produxit, & eius ductores qui non iuste iustum persequi

ſtatuerant, iuſto iudicio ab imperio exemit & à vita: & tanq̃ lampadem prælucentem noſtram accendit potentiam. vt malæ opinionis abigamus tenebras: & faciamus exoriri ſolem cognitionis, ecce te euocamus defenſorem & propugnatorem, & adhoc certamen adiutorem. vt qui ſciamus te pulchre poſſe armari ad rectam tuendam ſententiam: & ſtructa ex diuinitus inſpiratis ſcripturis acie pro ea cõfligere & te præclare gerere. Ne ergo terga vertas ad ea quę pie à nobis proponũtur, qui mũdanis opibus & copiis ſtudemus procurare pacis vtilitatẽ. quinetiam pedibus & manibus opem ferre, & omnem mouere lapidem, vt dicitur in prouerbiis, vt inueniatur quod quæritur, & apprehendatur quod deſideratur. Tempus eſt ergo vt contexatur præclara & valde optanda eccleſiæ tunica, quam ſcidit peſtis hæreſis. Nunc appropinquat dies inſignis & ſalutaris, in quo Chriſtus ceſſare faciens fremitum erroris ſimulachrorum, annuit copioſis ſuis miſerationibus vt eius veneranda erigeretur ſtatua, quod attinet ad humanitatem. Tranſiens ergo ad ſeptum ſacerdotij, cum aduerſus hæreſim decertaueris, cane victoriæ canticum aduerſus inimicus. A' Deo præmium & coronam accepturus, egredere.

Taraſius autem Imperatoris allocutione obſtupefactus, & tanq̃ à cœleſti aliquo ſono attonitus, reſpondit in hanc ſententiã ad ea quæ dicta fuerant. Tempeſtatem quidem quę in fidem & vniuerſum commune vehemẽter irruit, & vſq; ad fundamenta eccleſiam periculoſis agitauit fluctibus, & animæ naufragium multis conciliauit, nulla eſt auris quæ non acceperit, etiamſi pauci effugerint vim procellæ. Hunc vero ſedare turbinem, & nocturnæ pugnę luna non lucente hanc pacare procellam, maius eſt q̃ vt vllæ vires id queant præſtare. Quis enim quæ tam neſarie inualuit conſuetudinem, & naturæ vim accepit, & mundum propemodum iureiurando adegit aduerſus diuinam poteſtatem, conuerterit & fecerit diſcere quod eſt melius, niſi Deus aſpexerit & defenderit veſtram diuinam poteſtatem? Eccleſia quæ impietatis tyrannide olim fuit exuta veteris decoris pulchritudine, laceriſq; pãnis diu eſſe induta ſuſtinuit propter putria & imbecilla dogmata hæreſis, nunc à Deo & à vobis ornetur piis varietatibus. Per vos ergo renouentur mandata Apoſtolorum, per quæ

1 refulſit ſplendor veræ fidei. Reſpirent ſacrarum 1 ſynodorum pura decreta quæ Euangelicis ſeruantur traditionibus, nec ſuſtinent in æternum vllo modo poſſe ſurripi. Aperiantur veſtibula paternorum dogmatum: & Chriſti pecudum in eis greges tranſeant: & tanq̃ ex diuino paradiſo confiteantur doctrinam rectæ confeſsionis. Per Caiaphaicum enim concilium facta eſt abortio fœtus hæreſis. Per œcumenicam ſynodum naſcantur filij eccleſiæ: & ad menſuram ætatis Chriſti incrementum accipiant. Nam ſi hoc factum fuerit, & antiqua ac prima amictus dignitate fuerit decorata, & veræ opinionis pius dogmatum Lucifer veſtro ſtudio eam illuſtrauerit, habebit omnes fideles in eadem ſententia conuenientes, & ſuas animas profundentes, vt ea ſtabiliter fundata conſeruetur ſupra firmam petram fidei.

Vide quanta ſit œcumenicarum ſynodorũ auctoritas & vtilitas.

Cum hæc coram Imperatore animæ vtilia declaraſſet myſteria, ipſe

2 eum rogat vt eum quoque de his differentem audiat communis cœtus populi. Nam hoc caput rectæ fidei ægreferebat turba militaris, vt cui nõ videretur eſſe admittendas & 2 adorandas venerãdas imagines. Nutu

Militaris turba ægre ferebat hoc caput re-

ergo ecclesiæ hoc facere incitatus, cum fuisset in inclito Magnauræ palatio, vniuersa confluente ciuitate & sacerdotali multitudine, se quidem excusauit, validis demonstrant rationibus qualis esset sacerdotij professio & dignitas: & ad quantam altitudinem euehat & magnitudinem, eum qui vult ad hoc procedere seq; non esse idoneum ad id suscipiendum, vt qui iam olim fuerit implicatus in mundi dignitatibus, & in huius vitæ turbis & solicitudinibus plurimum inuolutus, & mysticum hūc statum nondum gustauerit. Eum enim qui ad hanc vocationem & hūc gradum properat, illotis. vt dicitur, manibus cito ad id insilire, & quæ non tangi possunt tangere, non est tutum. sed eum qui est educatus in iis quæ ad hoc ferunt iustificationibus, & directus euangelicis & Apostolicis, vt par est, viuificis doctrinis, ad discernendam viam rectam & incuruam. vt illa quidem pastoraliter deducat ad meliora: hanc autem declinet & vitet, conuenienter diuinæ admonitioni, vt quæ procul ferat à Deo & eius constitutionibus. His fretum traduci oportet ad hanc magnitudinem. Me autem, vt scit Deus, ad hoc suscipiendum ministerium inuitum coëgerunt Imperatores, cum hoc mihi nunq; venisset in mentem, neque de hac vnq̃ rectione cogitassem. Tanq; electo ergo Dei populo & gregi meam communico conscientiam. vt si me huic maximo muneri volueritis alligare, & me huius iugum subire statueritis, 3 traditioni Oecumenicę fidei vos quoque ipsos inclinetis. & ne vos pigeat sequi patres qui hac via sunt ingressi. & sex sanctis Oecumenicis synodis, & iis quæ pie ab ipsis sunt decreta, consentire ne recusetis. Ad supernam enim hæreditatem transmittūt eos qui ipsis parent. & fiunt auctores magnæ & immortalis remunerationis. Eius itaq; admonitiones tanq̃ Angeli voces admittit populus. & polliciti se instar ouium secuturos ducentem pastoraliter, se vt Deo & ei videtur in omnibus parituros affirmabant.

cta fidei. Non enim illi uidebatur esse admittendas & adorandas uenerandas imagines, Et ob hoc erat hæretica.

3 *Viri sancti nulla in re ab uniuersali Eccle. fide, aut à uiis priscorum patrum, uel à decretis sanctorum conciliorum separantur.*

Tunc de cætero inspiratione principalis & diuini spiritus, conspirante etiam consilio Imperatoris, limi mundani mutata dignitate & tonsa coma ritu Clerici, honestoq; & venerando alio sumpto amictu, diuinis & spiritalibus inuocationibus, sicut Aaron & Phinees, suscipit vnctionem honoris sacerdotalis, & ascendit ad altitudinem cathedræ Pastoralis. luci lucem adiungens, & virtutem augēs virtutibus, & modum superantibus profectibus datum sacratissimum talentum multiplicans. Continentiam enim tanq; Eucrateæ filius, & qui eum iampridem abunde exercuerat, vsque adeo sibi parauit ex eo q̃ esset paucis contentus, vt esset eius victus à rebus superuacaneis omnino alienus & non luxurians vsque ad satietatem. Vitæ autem suæ habenas ita moderabatur, & animi perturbationum tumultus ita reprimebat, vt esset omnibus diuinissimum exemplar propositum, cui nunquam persuaderi poterat vt moueretur ad appetitum voluptatis.

Cum autem ad diuinarum scripturarum 4 meditationem sibi domesticam asciuisset vigiliam, somnum vt membra soluens & inutile amandabat mācipium. & cum vsus exigeret rursus iubebat adesse. Quis enim eum in lecto recumbentem, aut mollibus stragulis vnquam vidit inuolutum? Quis tunicam & zonam super cubile dimittentem vnquam accepit, & præparauit vt esset elegantior & concinnior? Quis ex eius pedibus vnquam detraxit calceos, & alligata spōgia, vt mos est, leuigauit

4 *Vide hic successiue catalogum uirtutū, in quibus uir sanct⁹ exercebat seipsum.*

& poliit? Sed ipse erat sibi, vt dicitur, balneator, & inseruiebat sibi ad vsum corporis. in hoc quoque Christum magistrum diuino zelo incitans. qui dixit. Non veni vt mihi ministraretur, sed vt ministrarem, exemplū humilitatis præbens suis Discipulis.

Habebat autem precationem quæ mētem sublime ad cœlos euehebat, & soli Deo reddebat familiarem, & coniungebat incorporeis, & expellebat omnem tentationem conuenienter Domini eloquio. Nullum.n.erat tempus, quo non habebat solum eum 5 genu flectentem & surgentem, & manus ad cœlum extollentem & superne accipientem à Deo illuminationem. Humilitatem vero, vt quæ ei à puero fuerat familiaris, ita est complexus, vt non solum ea in ipso conspiceretur, & ex ea laudem assequeretur, sed etiam transiret ad alios qui exemplo suo informabantur. Multis enim ex iis qui erant relati in numerum Clericorum, qui suos lumbos zonis cingebant aureis, & ornati erāt variis & pretiosis vestibus sericeis, aurum quidem ademit. fecit autem succingere lumbos cingulis contextis ex pilis caprarum. Iis vero qui toti corpori ex isdem filiis purpureas vestes habebant contextas, excogitat tunicas remotas à curiositate nimia & delitiis, vt quæ essent vestitus honestus, & conuenirent iis qui Deo seruire statuerunt & profitentur humilitatem. Ex quo quid euenit? Vt tolleretur quidem quidquid damni ex eo nascebatur: honoraretur autem frugalitas, vt thesaurus quispiam pretiosissimus. Castitatem vero, & quæ cum ea simul degit temperantiam, vt quæ sanctificationem conciliarent, appellauit sorores. per quas, quæ carnē inuadit sordidam & adulterinam exterminans cogitationem, & ignominiæ affectiones depopulās, à Deo fuit redimitus victrice corona impatibilitatis.

5 *Ecce orationem cum genuflexione, et manuum ad cœlum sublatione.*

Commiserationem autem & ditissimam in pauperes misericordiam, tam hilariter, vt ille dixit, impertiit, vt superare omnes qui suppeditabāt pauperibus, & fieret nouus Ioseph dans frumentum egentibus. Suæ.n. mensæ obsonia in frustra comminuens, ad accipiendos eos qui esuriebāt, in dies eis parabat conuiuium. Abunde autem huius rei sunt testes vsque in hodiernum diem definita receptacula eorum causa qui hospitio accipiebantur & pauperum nostrorum fratrum. Quinetiam mensuram pecuniæ dationem aliis pie attribuit, in pugillaribus nomen vniuscuiusque significans. Quotidianam autem distributionem quam manu sua ꝑpria, in manus pauperum immittebat. Quis ratiocinator dimensus fuerit Diophantus, aut multiplicans numerarit Nicomachus, quæ erat arena copiosior, & egenorum ventres reficiebat? Ieiunio vero quod est ante Christi passionem, magnam erogare largitionem in diuersis locis & cœnaculis, iis qui magna premebantur inopia, ipse excogitauit, vsque ad Christi lucem afferentis, festum festorum, 6 resurrectionem.

6 *Resurrectio est festū sanctorum Christi afferentis lucem.*

Et otio & tempore longo mihi opus fuerit, vt per ordinem collocem accubitus inuitatorum hospitum & proselytorum, claudorumque & cæcorum & mutilorum, ordinatam sequens consequētiam: & posteris dem exemplum munifici ac liberalis instituti. Tempus autem hyemis, quod erat acerrimum, niueque & gelu & glacie terræ vinciebat intestina, & iis qui in ipsa erant imponebat instar collaris, frigefacientem eamque grauissimam molestiam, quo in eos qui horrebant & laceris pannis erant obsiti & solum pudenda contegebant, vsus machinationibus fouentis recreationis,

tionis, propulsauit? Tunicas enim penulas, & præterea tegumenta ex crassissimis lanæ filiis & staminibus confecta & vellere denso grauia, magno auri pondere emens, & iis qui sub dio misere affligebantur distribuens, arcebat grauem molestiam frigoris. In salutari autem prius dicto die reuerendæ Christi resurrectionis, post diuinæ synaxis & cõmunionis peractum mysterium, adhuc sacris vestibus candidatus, ad veteris basilicæ iam dirutum locum qui vocabatur Estia veniebat. Illic enim parabat egentibus maximum quo acciperentur epulum. Quos cum fecisset recumbere, incipiebat ipse ministrare, vinum effundens ex cratere, & potum eis distribuens. Deinde cum hoc minus obiisset, ibat in domum suã patriarchicam, non aliquorũ hinnulorum, vt dicit fabula medullis se nutriens, neq; mensa sybaritica excipiens, nec quæ ventrem titillant & impinguant bellariis, sed frugalibus obseniis & quæ non spectabant ad delicias se reficiens.

Quis ad tantam humilitatis altitudinem memoratur fuisse erectus ex iis qui vnq; fuerunt? Quis demissionem Christi sic est imitatus, qui paterni sinus non exinanita magnitudine, nostræ paupertatis subiit speciem & ministrando docens ad cœlum euolare, fecit considere cũ paterna maiestate. Hic ipse qui nunc laudatur, etiam si in mediis iactaretur tumultibus, non solum amauit quietem & silentium, sed aliis quoq; ea affatim suppeditauit, eos à mundo abducens & Deo reddens familiares, & virtutis efficiens filios, vt huius sanctæ vitæ & operationis genitor & productor. Huius autem rei fidem facit omnino, ex hæreditate eorum quæ ad ipsum lege dotis ex bonis paternis redibant ędificatum monasterium in sinistra parte bosphori thracii. In quo cum arborum rationis participum plantasset generosa 7 germina, quæ pinguescebant fluentis exercitationis, & augebantur copiosis condimentis abstinentiæ ea fecit Christi agriculturam tricesimum & sexagesimum & centesimum virtutum fructũ fideliter producentia in sanctitate & iustitia. Ex quibus multi ab ipso sunt vocati ad dignitatem pastoralem, &, vt par erat, ornarunt professionem sacerdotiĩ: fuerũtq; columnæ immobiles fidei catholicæ? Quod quidem ostendit tenebrosa inundatio hęresis. aduersus quam fortiter pugnantes. & nubem subeuntes multorum periculorum in persecutionibus & afflictionibus, & sub dio perpessionibus, ad splendorem superni luminis, eã fuderunt ac dissoluerunt. In qua etiam suum cognitum reddidere magistrum tanq̃ semper lucentem Luciferum. Et hæc quidem postea.

7 *Ecce quanta horum monachorum cõmendatio.*

Ipse autem perfectis virtutibus vsus ad satietatem, cum mentem suã actione prius exercuisset vt ascenderet ad contemplationem, & eius fuisset capax receptaculum, conci nne animum adhibebat iis quæ ad rectam fidem pertinent. & vt quæ Deo volente visa fuerant, & Imperatoribus promissa erant, ad effectum venirent cõtendebat. Hoc aũt erat vt Oecumenica procederet synodus: & ab eo quod iustum est minime aberraret ecclesiam. Iussu ergo Imperatorum omnes Pontifices ex vnaquaq; regione & ciuitate proficiscuntur in ciuitatem regiam. & iam edicto conuentu in inclito templo diuinorum Apostolorum, & iam sedentibus Episcopis in sedibus propositis, ecce quoddam examen vesparum virorum inquam qui erant animis leoninis, ex exercitu Constantini qui olim imperiĩ sceptra non pie administrarat, exurgens veluti ex quibusdam alueis

malæ opinionis,accedit ad dictam ædem sacram,bellicis armis eam obstructurum. Qui cum venerandæ ædis atriis appropinquassent,incondita voce locum replerunt.dicentes non esse ferendum infirmare & trãsgredi ea quæ olim visa fuerant Constantino. Non enim permittemus aiebãt illius abrogari dogmata:& prædicari esse statuendas imagines. Quod si quis hoc inceperit, & ante nostros oculos viderimus abrogati synodum quæ fuit ab ipso congregata,sanguine sacerdotum terram reddemus purpuream. Hæc dicebant & in portas irrumpentes, volebant eos qui erant intus interficere.

Tunc nutu imperatoriæ potestatis sessionem relinquunt Pontifices. Imperatores autem in eos qui res nouauerant cum ira frementes,cito venerunt in suum palatium. eorum insolentiam & insurrectionem & euersionem vniuersi reputantes. Tarasius vero ad sacram aram accedens, timoris nullum signum præ se ferens, incruentum incipit sacrificium. & mystica communione peracta domum reuertitur. vbi vacabat prioribus laboribus nempe in sacra scriptura & in demonstrationibus faciendis ex patrum eloquiis. Rursusq; statuebat necesse esse congregari synodum.ne communio hæretica in peius proficeret. Imperatores vero cum eos qui illam seditiosam fecerant conspirationem,& insultauerant in gloriam eorum imperatoriam, zona exutos à militari dignitate exauctorassent, & ab omni armorum auxilio desertos & nudos effecissent, iubent vnumquenque eorum ignominia notatum redire in patriã. Non enim,aiebant, sustinet Deus tales parentes' seditionis habere defensores & propugnatores eius quod ex eo relucet palatij.

Hæc cum Deo volente sapienter statuissent, & aliquod tempus intercedere bonum esse existimassent, pulchro rursus mandato 8 edicunt, vt in præclaram Bithyniæ metropolim simul conueniret cœtus sacerdotũ & Pontificum. Nicæam,inquam,in qua trinitatis quæ est eiusdem essentiæ & expers omnis materiæ, aduersus Arrij & suorum rabiem acutissimus gladius fuit fabricatus, in qua trinitas hypostaseon indiuidua diuisione & diuisa vnione theologice refulsit. Et cum sanctissima classis dicto citius in dictam venisset ciuitatem. Tarasius quoq; venit ex vrbe regia, ex Apostolicis sedibus secum assumens eximios quoslibet & præstantissimos. Nempe ab Adriano quidem Papa Romano Petrum primum Presbyterum,& Petrum Monachum & Præfectum.ab Apostolica autem Diœcesi,à Politiano,inquam,sacratissimo Papa Alexandrino Thomam Monachum & Presbyterum.& à Theodoreto Patriarcha Antiocheno,& ab Elia principe pastorum Eliæ, Ioannem Monachum Presbyterum & syncellum. adducens etiam secum quosdam ex iis qui gerebant magistratus,pietate claros & gratia doctrinę & facundiæ.inter quos fuit etiam Nicephorus qui erat à secretis Imperatoris qui cum vixisset in sanctitate, & esset ornatus diuinis virtutibus & doctrina ac dicendi scientia, Byzantij sedis patriarchalis suscipit honorem post Tarasii sanctam cõsummationem. & quicũq; erant venerandi & eximij Monachi qui mouebantur zelo disciplinæ & regulæ ecclesiasticæ,& contendebant semper sequi synodalem accurationem,profecti sunt Niceam.

8 *Ne putes hanc generalis Synodi conuocationẽ citra Rom. Pontificis sentẽtiam fuisse factam,fuisset enim cõtra ecclesiasticam regulam, & Rom. Sedis priuilegia. Vnde uides etiã Adriani Papæ legatos in ea interfuisse. Hæc autem priuilegia data sunt ei à Christo, contra quæ conuocatum conciliũ nullum habent robur.*

Die autem præstituto,is vero erat in quo Thecla aperuit stadium certaminibus fœminarum Martyrum,vnusquisq; Eps', in sacerdotali gradu

&habitu,ſedebat in ſua ſede. Primus autem loqui incipit Taraſius,& ſermonis oſtium aperit ſynodo. Deinde imperatorio & diuino edicto audiẽtibus omnibus recitato, quod de recta & ſincera fide magna voce acclamauit, poſt quod fuerunt etiam vocales Apoſtolicarum ſedium ad eos qui rerum potiebãtur reſponſiones, ordine canonicæ conſequentię,ſynodo reſonantes, & omnes ſanæ aſſentiri doctrinæ,& vt vnuſquiſq; ſuam diceret opinionem, & quam de hac ſana fide haberet ſententiam & voluntatem aperiret,adhortantes,acclamauit 9 ſacroſanctus cœtus, ita eſſe & ſe ita ſentire de venerandarũ imaginum antiqua effictione & adoratione, multis libris patrũ allatis & ſynodalibus decretis, veriſq; adductis ſententiis & demonſtrationibus, & diligenti perſcrutatione impreſsis in auribus omnium. Id autem non ſemel nec bis, ſed ad ſeptimam vſq; ſeſsionem & auditionem toto die conſpectum eſt fieri. quõ etiam acta ſcriptis mandata, per diuinam conſequentiam & ordinem indicant. Tandem cũ Taraſius & pius qui cum eo erat cœtus collecto patrum, venerandum decretum litterarum tutis monimentis mandaſſet: & vt id ſaluum & integrum maneret precatus eſſet: & vt patres qui primã aduerſus furioſum Arrium victoriam erant conſecuti adiutores haberent, & eorũ quæ recte decreta fuerant cuſtodes, Deum inuocaſſent: & vanæ inaniſq; huius ſententiæ 10 auctores, & omnis hæreſis inuentores, ab atrio eccleſiaſtico per anathema ſeparaſſent, in vrbem regiam delata orthodoxa dogmata conſeruarunt. Quos ſumma beneuolentia exceperunt Imperatores.

9 *Synodus venerãdarum imaginum antiquam effictionem et adorationem acceptat, & decretum ſuum ſuper libros patrum & priſca ſynodalia decreta ſtabilit & firmat.*

10 *Nota quod damnarunt anathemate auctores contrariæ ſententiæ,& huius hæreſis inuẽtores. Quid ad hæc quod ſubſiſtat, dicere poſſunt præſentes hæretici?*

Erecta itaq; cathedra ipſorum Imperatorum, & totius à Deo electæ ſynodi,in iam dictæ Magnauræ inſigni æde,& nouo decreto recitato,cũ aures imperatorias diuinus impleſſet ſpiritus, audiebant enim eos in vnũ conueniſſe concentum auxilio eius qui omnia continet, & in vnam conſenſiſſe ſententiam,admirati ſunt accurationem: & eſſe doctrinam diuinæ inſpirationis quę ab eis decreta fuerant ſapienter iudicãtes,penna & manu imperatoria ea optime comprobant & confirmant. & non vilibus donis ſynodum proſecuti, vnũquenq; mittunt in ſuam ciuitatem & ad greges rationis participes.

Taraſius autem & Apoſtolicarum ſedium myſtæ eximij, cum ad ſacroſanctæ eccleſiæ veniſſent Præfecturas, & diuinis doctrinis populum inſtrinxiſſent ac corroboraſſent, iis qui in clerũ cooptati fuerant aut Epiſcopatum tenebant,nullum ante ſynodum,aut in ſynodo, aut poſt ſynodum crimen intendunt de priori mala opinione neq; eos qui ordinati fuerant ab Hereticis,à paſcuis ſegregant eccleſiaſticis. Sed ſynodalem & paternam ſequentes diſpenſationem, eos quidem qui ad piam transfugerant ſententiam, manibus ſuis complexi ſunt tanq; fratres & collegas in munere Pontificatus. eos vero qui in re aliqua claudicauerant, & in iis quæ ad fidem pertinent peruerſis aſpexerunt oculis, & deinde à lapſu reſipuerant, & libellis reprehendendam abrogarant opinionem, iiſdem amplectentes viſceribus,collocabant in ſuis ſedibus. & in pacifico ſtatu,& trãquillitate nullis agitata fluctibus, conſeruarunt eccleſiam orbis terræ. Et in iis quidem quæ ad glorioſam fidem pertinẽt ſic magnus affectus Taraſius,ad eam recte & aperte explicandam, & ad eos qui vacillabant & vtriſq; pedibus claudicabant,vt recto pede incederent perſuadẽdos, magnum ſuſcepit certamen & immenſum laborem. quotidie quidem eos qui

accedebant honeſtis monitis inducens. & ſi quos videbat corde peruerſos, eos dirigebat verborum congreſsionibus. eosq; legibus colligans veritatis, addducebat eccleſiæ ſacras hoſtias. Oſtendebat autem

11 nullam oino habere conſenſionem aut conuenientiam, prout videbatur fidei accuſatoribus, idolorum abominationes, cum piis & diuinis figuris venerandarum imaginum. Nam illorum quidem, aiebat ille, productio ſimul inquinata cum primis exemplaribus, efficitur plena omni turpitudine. Harum vero cum ſint veneranda prima exemplaria, neceſſario etiam ſimul veneranda apparent quæ ex illis producuntur. Et ſunt illa quidem inuẽta gẽtilis falſæ religionis, efficta ex eo quod nuſq̃ eſt. hæ autem quæ à Chriſtiana recte fiunt ſanctitate, ex eo quod eſt ad id quod eſt efformatæ, habent conſequẽtem exemplaris archetypi ſanctitatem. Cum enim inueniſſet eccleſiam præſtigiatoris & circulatoris in morem affectam & erranté in montibus hæreſis, & ſuſtinentem famem & ſitim, non panis & aquæ, ſed famem audiendi verbi Domini, eam alens in paſcuis quietis, & deducens ad ſemitas iuſtitiæ, gregem fecit pinguiſsimum, ſalutaribus pinguefactum actionibus, & dulci lacte fidei acrem hæretici fermenti amaritudinem expuentem, & effectum nouam conſperſionem.

Ecce pulchram rationem cur imagines gentilium non ſint admittendæ, christianorum vero & recipiendæ & adorandæ.

Et primum quidem ſimoniacæ crumenę ſcindens vinculum, quo Sancti ſpiritus donum venale proponitur, ſtatuit vt ſacerdotum gratis fierẽt creationes & ordinationes. ex atrio eccleſiaſtico omnem pecuniariam expellens conſuetudinem, & quidquid erat aſperum eiiciens, rectas facit ſemitas fidei, gregem mults prouocans ſermonibus. & aſcendens in ſacratiſsimum ambonem, parabat mẽſam doctrinę, ex diuinitus inſpiratis ſcripturis venans obſonia ad alendas animas vtilia. Quinetiam ſparſim colligens cantica Dauidica, per perſpicuitatem & euidentem rerum diſtinctionem, clare aperiebat ea quæ intelligebantur. adeò vt eſſent veluti in conſpectu iis qui erant lecturi, & recta iis qui inueniunt cognitionẽ. Quod autem propemodum pretermiſi, & quod memoriam effugiens non erat enunciandum, & erat celaturum curam diuini patris quam gerebat in eos qui laborabant, qua ipſe eos leuabat, & cuius, vt opinor, fuit ipſe primus opifex, cum in hunc locum venerim, tanquam condimentum aliquod & mel dulce admiſcens reliquo corpori orationis, viſcera clementię & miſericordię ſtatui inſerere in cordibus eorum qui ſunt benigni & clementes.

Nam aliquando quidam ex iis qui gerebant magiſtratus, ſplendore & gloria & diuitiis inſignis, qui etiam vt enſem imperatorium geſtaret honorem erat adeptus, pro magno pecunię põdere luens pœnas, cum graues & acerbę de eo haberentur quęſtiones, neque ei quidq̃ daretur laxamenti, ſed afflictione & cruciatu omni ex parte vrgeretur, deturbabatur in profundum deſperationis prę animi ęgritudine. Is cum noctem obſeruaſſet intempeſtam, eos latens quorum cuſtodię fuerat creditus, ad templi diuinum ſe contulit refugium. Cum autem fuiſſet intra adyta, venerande mẽſę mordicus apprehenſis cornibus, ea tenebat cum magno tremore & timore. Cum ergo eum cognouiſſent aufugiſſe, metu ne idem ſubirent ſupplicium, velocibus pedibus venerunt ad diuinum templum. & eum aſpicientes menſam diuinam apprehendiſſe, circundant adyti ambitum, tempore cibi ſumendi reo aperientes ingreſſum. non dantes locum vt poſſet vti reliquis neceſſariis. ſed ſperabant fore vt eum proderet neceſsitas, & eũ

vel

vel nolentem expelleret. Adhibebant itaq; maiorem custodiam. Prohibent enim omnino ingressum ad aram. vt nemo eum sermone impertiret, aut ad eos qui erant extra aliquod verbum ab eo transmitteretur. Cum hęc igitur venissent ad aures Pastoris, eum repleuerunt maxima animi ęgritudine, vt qui videret contemptionem diuinorum sacramentorum, mouere ad indignationem bonorum datricem Dei benignitatem.

Sed videte à misericordi patre suppeditatum tunc ei auxilium, & admiremini prudentiam. Eo enim tempore quo oportebat cibum sumere eũ qui affligebatur, sacra veste se induens, proficiscebatur ad adytum. & per dexteram portam ingrediens, quę ad reficiẽdum virum erant necessaria suppeditabat, abunde ex se afferens. & deinde abibat eum relinquens. Si quando autem venter cui negari non potest, eum cogeret facere quæ sunt requisita naturę, ex alto rursus descendens, & eum ad secessum deducens & expectans, & eum postea manu capiens, restituebat tribunali. Idq; non semel & bis in die faciebant. sed quoties euocatus erat ad hoc ministerium ab eo qui grauiter periclitabatur. Hanc insatiabilem diuini viri demissionem admirantes milites: & fieri non posse cogitantes vt qui supplex erat caperetur, quandiu iusti manus eum regeret, improbum in eũ struunt consilium quod superabat omnem fraudem & astutiam. Clam enim per alium aditum collocant insidias. vt qñ ex sacris adytis ouem Pastor traheret naturę seruientem, eam instar luporum raperent. quod etiã factum est. Nam cum sanctus viri vt solebat curam gereret, & ad requisita naturæ eum duceret, ij qui secure latebant in insidiis, per aliam portã irrumpentes, eum rapiunt, & ad regiam per vim trahunt.

Postq; autem sceleratam infelicium machinationem in eum adornatam cognouit Pastor sanctissimus, ira & dolore arreptus, nulla vtens dilatione, ad Eleutherij aulam regiam, illic enim tunc forte contigit degere Imperatricem, accedit. Cum ij vero patris aduentum sensissent, & eius præsentiam in ipsos futuram zelo plenam & instar acuti gladij suspicarentur, eum siuerunt extra regiam, ne sermone quidem dignati. Ille autem videns suum aduentum nihil sibi profuisse, 12 ecclesiasticæ pœnæ vinclis omnes communiter alligat, pronuntians indignos communione xpi sacramentorum, si vllo graui damno afficerent eum qui confugerat supplex ad ecclesiam. Cum hæc ergo tanq̃ ex Apostolica auctoritate libere dixisset, est reuersus. Illi autem magistri linis adstricti, cum non possent effugere sacra retia pœnæ ecclesiasticæ, de reo quidem non amplius habuere quęstionem tormentis, sed verborum solis examinationibus. de quibus agebatur pecuniis trutinam exinanientes, tanq̃ innocentem eum absoluunt. Talis erat in omnes vir diuinus, diuina vindicans ac defendens, & pro gregis ouibus periculum adiens.

12 *Vides antiquos patres eos excommunicasse qui ui extrahunt confugiẽtes ad sacras ædes.*

Cum autem & leges accurate teneret, & in omni genere canonicæ rectitudinis esset exercitatus, quæ vniuerso communi incidebant lites iudicabat: & acutissima cogebat prolata sententia eos inter se conuenire. non pauperis qui in ius vocabatur flexus misericordia: neque quidq; personæ diuitis gratificans. sed in omnibus iuris indeclinabilem seruans distributionem, non dabat locum iis qui volebant proximo facere iniuriam. Sed forte legum quidem rectam & nusquam propendentem conseruauit trutinam; despexit autem iura quæ præclare statuuntur à canonibus. Mi-

nime. sed cum sciret legum seueritatem canonicæ auctoritatis in multis esse sororem & consortem, vt prudens Iudex hanc cum illa contemperat. & ostendit esse legitimam canonum accurationem in iis quę canonice corriguntur. legum vero rectitudinem in iis quæ legitime agũtur. canonicam obsignationem. Quòd autem non prodiderit hoc Dei & diuinum præceptum: sed ex ęquo canonem seruarit & legem, non est obscurus testis quẽ est consequenter adductura oratio.

Dictus fuit Imperator Constantinus iuuenis, desistente matre Irene à cum illo coniuncta rectione imperij, & solus tenebat clauum administrationis. Qui cum esset alioqui bonus: non omnino autem firmiter tenebat quæ ad puram & sinceram fidem pertinent. & quod iuniorũ mentibus sępe solet vsuuenire, elatus vana sui persuasione, quod sibi videbat existimabat iustius scriptis legibus. Is aggreditur infermare leges et quod à Domino dictum est in Euangeliis, patrocinio vtens suæ potentiæ. & cũ statuisset à sua coniuge facere diuortium, & aliam in animo haberet extollere ad imperij altitudinem iuuenis, adornat facinus indignum sua potestate. Id autem fuit mortiferæ insidiæ à coniuge Imperatrice ei paratæ. Affirmabat autem id esse venenum, quod cum potu haustum mortem simul attrahebat. Quod quidem conabatur probare & cuilibet persuadere vt putabat. putabat enim fieri non posse vt fides sibi non haberetur cum esset Imperator, & verba faceret apud eos qui subiecti erant eius imperio. Nullus vero persuadebatur, nisi qui gratificans Imperatori, propter gloriam in animum inducebat iusto ius adimere.

Postq̃ autem excitata fama hoc transmisit vsque ad atria ecclesiæ, & nefaria actio peruenit vsque ad aures Pontificis. id eum reddidit valde dubium & perplexum dum apud se cogitat quõ se armaret aduersus hanc decertationem: & in ipsum Imperatorem rei bellicæ peritissimum & fortissimum pugnatorem, ex pharetra & arcu telum iacularetur, iam olim honoratus sacerdotali horum omnium nuditate. Cum hæc apud se magnus mente versaret Tarasius, & pararet se ad congrediendum cum Imperatore & decertandum armis sacerdotalibus, ecce quidam ex iis qui gerebant magistratus, ab Imperatore instructus renuncians quod fructum ac comparatum inaniter dicebatur veneficium, accessit ad gnomonem castitatis. cumq́ id quam potuisset accuratissime & subtilissime contexuisset, omnia esse verissima & quæ nullam admittant calumniam affirmabat: & vt consentiret vt Imperator posset venire ad secundum contractum matrimonij instabat. Hęc cum dixisset, expectabat vt de iis responsum acciperet. Cui, cum ex imo suspirasset & lachrymabiliter subrisisset, sanctus rñdit. Si hęc, vt tu dixisti, cogitauit Imperator, & carnem diuina lege conglutinatam, & quæ vna cum ipso facta est statuit excindere, nescio quemadmodum feret grauissimum quod in eum à gentibus inferendum est probrum. aut quemadmodum eius potestas gregem coget ad tẽperantiam: & fornicationem puniet & adulterium, cum ipse sit tam turpium conuictus flagitiorum. Nam etiamsi dederimus fide digna esse quę à te adducuntur, & esset mulieris euidens maleficium, sic etiam oporteret id cauere propter reuerentiam vocis Domini quæ dicit. Qui dimittit vxorem suam præterq̃ propter fornicationem, mœchatur. Quemnam autem imperio excellentiorem sibi societate matrimonij voluit coniungere, quę

ad tantum procesſit flagitium? Sed hoc ideo prætexitur, vt honorabiles nuptiæ & torus immaculatus violetur: introducantur vero dedecus fornicationis,& germanum ſemen fiat adulterinum,& alienet id quod eſt cognatum, introducto ſurtiuo & turpi concubitu. Hanc ergo à nobis & iis qui ſunt noſtri ſimiles accipe reſponſionem.& eam aperi iis qui miſerunt. Non enim cedemus iis quæ à te iactantur. Mortem potius & grauia ſubibimus ſupplicia, quàm in rebus eiuſmodi ei vllo modo velimus inſeruire. Audiat Imperator nos huic improbabili conſilio non eſſe parituros.

His verbis cœleſtibus attonitus is qui imperatoriis ſeruabat rūſis,vultu tegens triſtitiam,venit quam citiſsime ad eum qui miſerat. eorum quę ille ſperabat nihil quod ei eſſet cordi oīno afferens. Poſtquàm autem ſacroſancti paſtoris conſtantiam vidit Imperator quercu eſſe firmiorem,quæ ab impetu ventorum non concutitur, in admiratione habuit quod factū fuerat. timens ne incliti patris mens inflexibilis nullo ſtrepitu torreretur. Rurſus ergo mittens iubet adeſſe ſanctum,credens ſi coram adfuiſſet, fore vt ſe ſubmitteret poteſtatis auſteritati. Cum ergo veniſſet in regiam & ad ipſum Imperatorem. & cum eo de more conſediſſet,habens ſecum ſenem illum Ioannem, quem cum in ſynodali verſaretur expoſitione, admonuit oratio fuiſſe legatum diœceſis Orientalis: multiſque ſalutaribus admonitionibus apud Imperatorem eſſet vſus Princeps Paſtorum, & non perſuaſiſſet.erat enim,vt eſt in prouerbio,hydram ſcindere,eum à lapſu liberare,qui iā ſuis inſtar volutabatur in fornicatione.Impulſus enim ab impudentia,his verbis vſus eſt ad Pontificem.

Ego quidem id quod iampridem mihi accidit, ad veſtram retuli ſanctitatem. Nihil enim te volui celare,affectionem ac beneuolentiam patris in te indicans. Porrò autem nunc quoque per meam linguam imperatoriā, ſtatui clarius agere meam cauſam. Meo enim imperio inſidiantem, quæ non ex Deo mihi vnita fuerat,adiutricem,cum lex aperte iubeat, quin ab ea poſsim diuertere nemo contradicet. Nam cum ſint manifeſta crimina, aut mors eam excipiet.aut quod eſt benignus,per totam vitam aget pœnitentiam. Non enim ad quempiam ex vulgo erat tranſiturum quod ab ea adornatum erat ſcelus: ſed ad germanum coniugem, & fideliſsimum Imperatorem, & gentibus terribilem. & ad vniuerſum orbem terrę peruaſurum erat maleficium.Quod quid eſſe potuerit periculoſius & magis horribile? adeò vt ipſa deinceps poſsit ad nullam cōfugere defenſionem. eſt enim priuata oī oratione & quę ipſam commēdare poſsint probationibus,vt quę argumentorum quę euitari non poſſunt habeat cōtra ſe veritatem ad perfectam condemnationem. De cętero autem vocat tempus vt ipſa lęti ferę potionis venena aperiam. vt cum veſtra ſancta viderit paternitas ſceleris magnitudinem, id certum habens & exploratum, non amplius dubitet:neque vllam expectet moram aut temporis dilationem. ſed quàm primum eam iugis ſubiiciat canonicis: & perſuadeat ei vitam eligere quietam ac monaſticam.ſi velit eam manere inter viuos. Nam cum hoc maleficium ſit mihi poſitum ante oculos, fieri non poteſt vt cum ea amplius ſeruem iura coniugij, aut amice amplius cum ea coniungar & fœdus ineam. Nocentem enim, vt dicit prouerbium,Deus quoque perſequitur. Innuit ergo & allata ſunt vaſa vitrea cum liquore turbido curioſe compoſito ad falſam accuſationem. quę ante faciem eius & magni patris

ſtatuerunt qui afferebant. quibus dicebat coniugem vel mortem ei eſſe machinatam vel mentis emotionem. Videns ergo magnus Taraſius, iis qui nequaq́; conueniebant nexibus captum Imperatorem,& falſi labyrinthis ita inuolutum vt euadere non poſsit, labi in peccati periculum,ſacerrimum telum infigit in eius corde,ſic dicens.

Ne moueas,ó Imperator,arma ſurda aduerſus Dei leges. neq; propter horum tranſgreſsionem, clanculum contra milites. Eſt enim imperatoriæ poteſtatis indicium, oía cum libera facere conſcientia. & nihil tectum ac diſsimulatum mente agitare aduerſus eum qui dedit coronam. & maxime euertendo diuinum eius mandatum & voluntatem. Neminem enim latet,nullum interceſsiſſe ſcelus ad ea quæ nunc nefarie ſtruuntur aduerſus Imperatricem: & quæ ea volunt ſubiicere maleficorum veneficiis. & affirmant eam machinatam eſſe mortem maieſtati tuæ incomparabili. Quis enim, vt prius dixi, glorians ſpecie iuuentutis, comparari potuerit cum tua pulchritudine, vt á fraude ineſcata tibi venenum præberet muliercula, & ſe ab ea quæ eſt in te abduceret amicitia & germano ardore? Quiſnam apparet maiori glorians excellentia, q́; veſtri imperij quadruplici purpuras, quem oculis & nutibus pellectum ſummæ veſtræ prætulit dignitati? Quis contra aduerſarios in tot pręliis ſe tam pręclare geſſit ſupra veſtram plusq́; Dauidicam fortitudinem: vt ab ipſa amaretur plusq́; tua imperatoria dominatio? Non eſt,non eſt ita. Fuerunt hæc inuenta & excogitata vt prætenderentur ad omne vitium,propoſita vt labem inurant ceptro imperij: parabolam in gentibus & motionem capitis in populis vos ponere grauiter vrgentia. Propterea legitima iura veſtræ coniugalis & imperatoriæ vnionis non audemus diſſoluere, Dei legiſlatoris timentes ſententiam. neque verbis quæ ſpectant ad accuſandam tuam coniugem credere ſuſtinemus.etiam ſi mille mortibus & tormentis ſubiecti fuerimus.vt qui ſciamus diuturna inflammatione teneri tuam affectionem in mulierculam illam fornicatricem. Quinetiam hoc quoq; notum facimus coram Deo in primis honorandæ tuæ purpureæ, q; intra cancellos incruentæ menſæ,in qua ſacrificium magnæ hoſtiæ Chriſti venerabiliter peragitur,non ſinemus amplius nobiſcum veſtram ingredi potentiam. ne nos quoq; audiamus quod in execrationibus iam olim dr̄ ad ſacerdotes.Calcare atrium meum non adiicietis.

Hęc Taraſius qui primi paſtoris Chriſti oues regebat ſpiritaliter,cum coram Imperatore pronuntiaſſet cum cordis contritione,orationem concluſit ſilentio.Prædictus autem Ioannes cum ipſe quoque ad Imperatorem multis eſſet vſus admonitionibus, ſuſtinuit maximos fluctus ignominiæ, ab iis qui præturæ dignitate gloriabantur & honore patriciatus. qui etiam minabantur ſe enſem adacturos per inteſtina ſenis, vt qui imperatoriæ poteſtati verba expueret contraria. & non cito acquieſceret & voluntati Imperatoris. Cum autem firmã & ſtabilem manere vtriuſq; ſententiam, Imperator his verbis ſenſiſſet & minis,feruente ira incenſus, & ſciens ſe non poſſe contra hæc dicere,iuſsit eos á ſe expelli,victores ſine vibicibus,& Martyres,quod ad ſe attinet,proclamans corona redimitos. Quid hoc abeſt á Ioannis miraculo? Ille enim Herodem qui poſt mortem fratris eius ſponſæ inſano amore tenebatur arguit. Hic autem cum adhuc eſſet ſuperſtes vxor Imperatori. & cũ eo ornata eſſet imperij diademate,

demate,& deinde expulsa esset,non ferendum esse ratus quod factum fuerat,fuit conuenienter Psalmographo, ad matutinum acutissima reprehẽsio.etiamsi cribro, vt dicitur,hauserit, & acinum inflarit, cum saucia esset & perflueret mens Imperatoris. Etenim cum statim eam quæ sibi matrimonij iure coniuncta erat à se amandasset,& ab imperatoria aula alienasset: & priuato habitu & loco eam circũscripsisset,à tempestate & caliginoso illo salo, quod subierat animo, destitit,per separationẽ à germano suo membro. Cum vero volutaretur in cœno introductij illius concubitus, & maxima vi ei allata crebro Pontificem incitasset, vt eius vertici contexeret coronam tenebrosi illius & occulti contractus, non fuit quod volebat assecutus. De cætero autem huc & illuc obibat, quærens sacerdotem qui coronam contexeret,vt turpem illum celebraret hymenæum.

Et de Imperatoris quidem in infirmando præcepto recusatione, & diuini patris forti ac generosa constantia, hactenus. Neq;.n.fas est res illius vlterius mandare monimentis litterarum, quæ iis qui audiunt nullam afferunt vtilitatem. Hoc autem oportet commemorare, ꝙ à tempore illius lapsus Imperator magnum oppressit Tarasium multis tentationibus, ei adhibens custodes qui nomine quidem vsi sunt Syncellorum, moribus vero longe aberant à pietate. Quos nisi assumpsisset, & nisi per eorum oculos transiisset,non licebat cuiquã ad diuinum & sapientem pastorum principem accedere, & ea quæ videbantur eloqui, Taceo quantam Imperator ostenderit crudelitatem in eos qui illi appropinquabant & eum obseruabãt germana seruitute,plagis afficiens & condemnãs exiliis nulla iusta de causa, studens eum deiicere à cura rerum diuinarum, & tentans eum afficere tristitia. Ille autem forti ac constanti excelsoq; & infracto animo ea quæ accedebant tanq̃ quæ erant vtilia reputans, graues illos præfectos, tanq̃ Ægyptiacos operum exactores sustinuit. & in omni tẽtatione & labore se probum esse ostendit, adamantina Iobi ratiocinatione tanq̃ armis munitus: & illius inexpugnabilem imitatus patiẽtiam, adeo vt ignaue verbum insipientiæ è labris suis nunq̃ emitteret, Neque enim habebat humilem & abiectum animum vir ille iustus in iis quæ accidebant, sed virtutibus sublimem & excelsum, & pontificalibus canonibus 13 & legibus pulchre erectum, & plane expertẽ omnis limosæ nequitiæ. Diuino enim sermone nutritus, & omnem sensum irrigans nitidis & sacrosancte scatentibus fluentibus, docebat habere oculum videntem omnem rectitudinem, & declinare theatralem omnem ostentationẽ, eum cõercendo ne circa res externas vagaretur.

13 *Ecce quomodo pontificales canones priscorum illorum patrum animos exornabant.*

Multos itaq; ex iis qui erant in sacris, qui equorum certaminibus mirandum in modum delectabantur, repressit, & vt se domi continerent cũ hæc fierent, sibiq; & diuinis scripturis attenderent, admonuit: & vt nullã turpem & ab honestate alienam auditionem omnino admitterent: Dauidicis vero fidibus portam aperirent, & iis magis delectarentur vt quæ graues sermones & animæ vtiles continerent, quam indecoris & inhonestis canticis quæ canuntur cum tympanis & tibiis persuasit. Omnem autem rerum suauium odoratum qui mortem attrahit admittere dehortabatur. eum vero qui conseruabat suaue olentiam Apostolicam, festinantem ad odorem vnguentorum Christi, maxime attrahere adhortabatũ, & vociferari illud sponsæ quod in cantico canticorum ad sponsum præ-

„ clare canitur. Sauciata charitate ego, & curram ad odorem vnguẽtorum „ tuorum. Auersabatur autem mortuas & male olentes non sanæ doctrinę abortiones, vt q̃ essent causæ tetri odoris malæ opinionis. hoc enim ante alia omnia præcipiebat, declinare asperas vias hæresum: simul vero ferri citra errorem cum sulci axibus ecclesiasticis, congruenter diuinæ admonitioni prouerbij. Tactum autem qui est necessario minister gustus, cohibebat frenis legis spiritalis. vt rationis particeps attingeret alimentum & cibos salutares: & perpetuum animæ præberet epulum. ex quo accedit concoquens distributio eorum quæ intro aggregantur immaterialiter: & excernitur oĩs superfluitas malę habitudinis q̃ dissoluit locum animæ.

Sed quis in his tam se recte gessit, aut melius castigauit eorum repugnantias, quam pura & reuerenda Tarasii conscientia? Quis eo in diuinis fuit frequentius occupatus? Nunq̃ enim dedit otium auribus, qñ vocabat tempus precationis: sed ipse semper sua sponte prompte accedens, Deo abunde offerebat primitias diuinorum hymnorum, tanq̃ fructuum oblationes. & neque eum retardabat aut emolliebat socordia. nec quæcunque accessisset multitudo curarum publicarum, abstrahebatur à præcibus. sed cum suo tempore nunquam deesset precibus, rerum externarũ turbam suscipiebat. Sic in diuinis mysteriis initiatus, & sic pulchre sacra perages mysteria, vir vnus cognoscitur ex iis qui post gratiam, & ex iis qui in gratia & ante gratiam, refulserunt in ecclesia.

Et vt nobis certa via & ratione procedat oratio: & regula collationis procedat immobiliter, e uestigio ordinem accipiat comparatio. Etenim eos qui in sanctitate & actione & contemplatione pulchre sunt educati, & q erant propemodum carnis expertes & sanguinis, nihil amplius q̃ se habere sinebat, nisi q seorsum in spe habitarunt, & in solitudine & solos seipsos exercuere: aut q cognoscantur etiam seruasse pauciores. reliqua autem virtutis priuilegia, partim quidem ab eis sunt neglecta: partim vero longe ab eis absuerunt. Martyrum autem eximiam & incomparabilem fortitudinem, & generosissimam phalangem quæ ad sanguinem vsque restitit peccato, corporaq; & animas propter Deum prodegit, non ad tribunal se sistens tyrannicum, in stadiumq; & arenam decertaturus prodiens est imitatus: & erexit trophæum veritatis. sed eos qui hæc & his maiora sustinuerunt desiderans, & miris extollens laudibus, & coronãs veluti quibusdam victoriam significantibus verborum diadematibus. & eorum salutares ad Deum reuerens intercessiones & vocans ad auxilium, paratam scripturam & librum se sua sponte offerentem, in sacris tẽplis, honorifice descriptis eorum certaminibus, posuit. vt iis qui viderent aperiret vestibula compunctionis: & Athletas induceret, eorum zelo accensos, vt similem, si tempus vocaret, beatam arriperent decertationem. Res enim eiusmodi scit cõciliare oculus, qui est bonum argumentum consecutus, & auditum præcedere. Ipse enim secundum honorem post visum est adeptus. & cum oculos absque expositione, eorum quæ sunt subiecta figuras accipiat euidentes, auditus semper secundum locum tenet, vt dixit quidam sapiens.

Quis enim coloribus expressum videns eum qui decertat, & ignem despicientem, & nube flagellorum circundatũ, & in his creatori confidenter spiritum emittentem, non calidis circũfunditur lachrymis, & suspiriis ac

gemitibus compungitur? Quis eum qui se exuit ad grauia cruciatuum & suppliciorum genera, & postremo tortus fuit, aspiciens, nō cordis contritione pectus tundens recedit? Quis eum videns qui pro Christo se tradidit lictoribus, compedibus manicisq; & fidibus constringi, & deinde fortiter expirare in suppliciis intolerandis, non admiratur patientiam inuictamq; excelsi animi virtutem & fidem? Quis alium spectans, qui ne aliquod verbum emitteret indignum pietate, & in lateribus & in dorso laniatur, nō emollescit commiseratione? Quis non impletur admiratione & quatitur timore, qñ videt eum qui ꝓ fide patitur, omnia membra sua distribuentem, dum scinditur, & ad Dei sacrificium & oblationem ea secreuit quæ vsque ad musculos fœmoraq; & talos & tarsos diuiduntur immisericorditer, non admiratur laboriosissimam in decertando patientiam? Quis eum aspiciens qui Leonibus obiicitur deuorādus, & dentibus eorum molendus, & veluti cœlestis panis mensæ cœlesti cōspergitur, non est intelligentia particeps illius martyrici spiritalis conuiuij? Quis eum contemplans qui acerba catena propter Deum exagitatus, & in altum sublatus, & loris ac stutinis vibices habet extantes, & tandem gladio mortem subit, non seipsum omnino cordis contrahens contritionibus, conuertitur ad gratam Dei glorificationem? Quis eum videns qui rectus in ligno vincitur, & cuius exinaniuntur intestina frequentibus ictibus flagellorum, & qui diuturnam illam sustinet in ligno perpessionem, & sine visceribus ingrediens funebrem quandam saltat saltationem, nō diuino telo in corde sauciatur: tabernaculumq; & templum pietatis efficitur? Quis eum videns cui caput tyrannica propter Christum fuit amputatum sñia, & qui omne genus fluctibus seorsum fertur à reliqua cymba corporis, & nutu diuini auxilij ea vnita, & per mare tanq̃ per aridam recto itinere ingredientia, etiamsi duritie cor habeat fluctuans, non statim venit ad portum tranquillitatis spiritalis? Quis eum cuius vngues arūdinibus acutis perforantur, & qui in bullientem picis lebetem præceps immergitur & rursus emergit, & gladio hostiliter consummatur, aspiciens, non manus ad Deum sustulit: & non optauit deinde talem experiri cruciatum? Quis eos qui gelu hiberno & aëris algore concrescunt, & nudi decertant attēte considerans, & qui crurum sustinent fractiones, & cum ardentes carbones naturæ robore effugerint, in fluuiorum fluenta mittuntur eorum reliquiæ, non desiderauit eos habere patronos, & precibus attrahere eorum acrem & dignam defensionem?

Hæc autem videris non solum fieri in masculis: sed etiam in fœminis, quæ paribus decertant certaminibus, & equuleorum & rotarum & cæterorum tormentorum nullam ducunt rationem. Quis enim hęc fieri aspiciens in mollissima natura, si veluti litteras attendens legat colores, non muliebrem abiiciat timiditatem, & fiducia indutus non autem temeraria audacia, & ad Deum funebrem canat laudationem, & aperte pronunciet beatam hanc inuictam fortitudinem? Quis videns immaturorum puerorum ętatem in asperrimis doloribus tanq̃ in aquis innatantem, & tanq̃ lac coagulatum emulsum ex vberibus fidei, & omne genus tormenti & supplicij simul ferentem pp Christum, non coniecerit hoc esse opus diuini auxilij, quod & muliebrem imbecillitatem virtute virili fecit robustiorem; & impuberem ac puerilem imperfectionem ostendit spiritu ac sensu

esse mutatam in senilem vetustatem? Quis Theclam & Stephanũ, qui primi post Christũ athleticam portam aperuerunt Martyribus, hũc quidem ridens lapidibus appetitum, & occisorum per precum intercesionẽ apud Deum curam gerentem: illam vero & ferarum sæuitiam despicientem, propter suam non fictam in Christum quem desiderabat charitatẽ, non statim discit non male precari inimicis, sed tanquam benefactoribus eis gratiam referre, & aduersus omnem belluinam & amentem decertare hæresim?

Sed transeo ad Deum meum & Dominum, qui Martyr est appellatus, & fuit posteris dispensator victoriæ. quem in ligno cernens clauis affixũ, & spongia aceto & felle potatum, & latere lancea punctum, & ex eo viuifica fluenta emittentem, horreo & à me discedo, honoroq; eius inuestigabilem & stupendam sui demissionem. eiusq; admiror summæ malorum tolerantiæ pelagus. Etenim propter clementiæ magnitudinem, & ineffabilem misericordiæ bonitatem, cum accepisset carnem eiusdem cuius nostra essentiæ, nequaquam se esse Deum inficiatus, verbo quidem veritatis, á verbi ministris atramento colorato, vt licet annunciatur. re uera autem coloribus ab ipsis & eorũ affectis circũscribitur & depingitur. non crassæ materiæ comiscentibus simplicitatem & formæ vacuitatem. neque enim circũciditur nec subit affectionem. sed quod sua natura cerni potest & cõtrectari q̃ optime depingentibus & circũscribentibus. Quamobrem tota anima corde in cogitatione, quæ sunt ab eis decreta tuentes & amplectentes, & qui ex Deo sunt mentis nostræ gressus ab eo apertissime habentes dilatatos, magno studio contendimus ad excipiendam & vt fas est adorandam Christi imaginem & eius perpesionum: & ad nos exhibendos dignos sanctis qui fuerunt á seculo. Qũo ergo non ex his bonus efficitur

14 aliquis, etiamsi cor habeat sententia lapideum? Quis non 14 reueretur coloratam picturam, quæ fert exempla pietatis. per quæ doceri possunt veteres res gestæ mundi ortus legisq; & Prophetarum, senemq; & antiquam efficere cogitationem. Per quam accedit meditari diuina & magna gratiæ miracula, quæ ad Dei gloriam inducunt spectatores, qui omnia fecit in sapientia, & suos seruos per suam in ipsos beneuolentiam, maximis extulit honoribus, & propterea aperte voluit eos depingi ac describi, & eorum memoriam esse perpetuam in nostris cordibus. Quodnam ex his vnquam damnum ad aĩam redierit? Quisnam autem non potius ex iis accepit vtilitatem? Quis ex crebra ac diligenti eorum consideratione nõ perpetuam comparauit memoriam salutis conciliatricem?

Nota fructum prouenientem ex ueneratione sacrorum imaginum.

Dic mihi enim qui infamis & ignominiosæ partis ordinem laudas ó Hæretice, neque enim didicisti honorare quod est dignum honore. qui idolis & venerandis imaginibus lubenter eandem tribuis ignominiam, qñ profani & sancti scies differentiam: & iis quæ ex illis deducuntur tribus id quod conuenit? Est enim proprium legis & eruditionis, sancta discernere á profanis & immunda á mundis. qũo rursus est iniquitatis & inscitiæ, quæ inter se pugnant simul cogere, permiscendo & confundendo omnia. Si enim Iouem cum Seruatore comparans, in eo q̃ venerabiliter exprimatur effigies, hoc affirmas sine omni distinctione, nunquid contumeliam & dedecus quod Ioui qui falso dicitur tribuis, sanctæ quoque Christi formæ inures? Audiui enim te inania quædam huiusmodi adducere

cere ac blaterare, & iis qui à Christi vocantur nomine, & trinitatis gloriȩ cultum honorem & solam latriæ adorationem inuisibiliter & canunt & tribuunt, intentare crimen idololatriæ, & maligne miscere quæ non possunt inter se conuenire. Non das differentiam imaginis Christi & simulachri Iouis? Non honoras Christum, quod sit eius exemplar venerandum. & eum abominaris propter execrandam eius libidinem atque petulantiã? Non Christum Deum pronuncias ob sanctitatem eius incomparabilẽ: & quæ expressa & per materiam, ab antiquis honoratam, Deum & hominem referentis imaginis admittis similitudinem. fabulosum autem illũ parricidam, & eius quæ à diuinitate excidit effigiem transmittis in profundum, in qua ipse patris sui quæ absciderat veneranda est iaculatus? Ne tu Christum Seruatorem habeas propitium, qui materiali sanctorum expressa delectatur effigie, odio autem habet Satanæ & improborũ eius Satellitum abominationes. qui cum vident Christi & eius seruorum erectas imagines, euertuntur, ingemiscunt & deflent. & aduersus eos qui hæc lubenter faciunt, strident dentibus, & puluerem excitant calamitatum. His encomiorum verbis excitans Tarasius, & in tabulis honorifice insculpens ab eis pro Christo suscepta certamina & pericula, eorũ insistebat vestigiis, etiamsi manserit sine vibicibus, non autem eos à tergo sequebat.

Videamus vero an etiam contenderit cum iis qui erant in gratia. Nã cum verbi Discipuli mentis in magistrum immutabilitatem per diuinam ostenderent confessionem, ipse quoque eam seruauit integram & inuiolabilem, à materno vtero & faciis ipsum verum Deum prædicans, qui ex Maria in vltimis temporibus, & ex patre ante secula est genitus. ȩqualem patri quod attinet ad eiusdem gloriæ virtutem diuinitatis. Sic cum Philippo & Thoma decretum protulit, Dominum & Deum Christum dicens. non palpatis quæ clauis confixæ fuerant manibus. neque quæsitis quæ per lanceam factæ erant punctionibus. Quamobrem beatum quoque finem aperte accepit per fidelem & feruentem confessionem. Sic Zebedȩi filium secutus est qui appellatus fuit filius tonitru. propterea quod aperte meminit in principio verbum esse: & apud Deum esse: & Deum esse. & erudiens effecit alios spiritu Apostolicos. propterea quod Euangelistarum diuinitus inspiratum instrumentum, vt quorum voce mundi salus resonet, in ecclesiis quæ erant vbique terrarum, coloribus expressum materialibus, conuenienter diuinæ & paternæ traditioni, iusserit. vt mens compuncta per euangelicam sacramque effigiem & sanctitatem, ad Deum qui hȩc eis inspirauit, multifariam honorem transmitteret: & efficeretur receptaculũ venerãdarum auditionum. Andreȩ vero qui fuit vocatus primus ex Apostolis, adeo fuit propinquus & coniunctus germano vitæ instituto, vt habenas eiusdem pastoralis cathedræ, post tot secula, sed numero valde multiplicatȩ acceperit: & ad metam cœlestis cursus gregem per virtutem deduxerit, & victoriæ eis causa fuerit contra aduersarios. Paulo autem fuit colligatus, in eo quod in docendo primas partes obtinuerit. Totum. n. mundum verbi nexibus inclusum intra decreta ecclesiastica, sapiẽter efficit populum Deo acquisitum & regale sacerdotium. Petrum vero, quod multorum patrum summus sit appellatus: & quod ei creditum fuerit ligare & soluere quæcunque sunt vinculo digna & solutione, abunde expressit. Cum Præcursore, conuenienter quidem ei qui ab ipso fuit prædictus, & dixit

maiorem Ioanne non surrexisse inter natos mulierum, non audendum est eum in multis conferre. nisi solum in acri & præfracta libertate reprehendendi zeloq; qui reprimi non poterat, affirmandum est non procul absuisse Tarasium.

Vt autem eum quoq; videas merito sequi eos qui floruerunt ante gratiam, hinc scies. Cum diuinitus moto cœtu Prophetarum, conspirauit diuino spiritu inspiratus, quandoquidem illi quidē populo qui Duce Mose per mare rubrū nuper fuerat à dura seruitute liberatus, & ab insano cultu idolorum admirabiliter transierat, post diuinum illum Dei contemplatorem, salutares portus diuinitus affuerunt. prophetiæ ancoras relaxātes, & validis pietatis. alligantes rudentibus: & citra errorem deducentes ad terram Dei cognitionis. Hic autem, ecclesiam quæ non secus ac cimba in mari agitabatur fluctibus, & veniebat in periculum ne faceret iacturam eorum quos vehebat, propterea quod deesset peritus gubernator qui resisteret fluctibus, sanæ fidei clauo regens, in portu collocat. & eos qui erant in ea, conseruatos, idolica & vana q̄ in lingua habebant aduersus sacras imagines ablata opinione synodalibus paternisq; & rectis circūuallauit decretis. Cum sacrosancto autem psalte Dauide concurrit in innocentia. & cum eo diligens decorem domus Domini, non dedit somnum oculis & palpebris dormitationem, & requiem tēporibus. donec seipsum exemplar Dño & tabernaculum Deo Iacob, sicut ille, exhibuit. Zelo motus cum Phinees, hæresim & eius amatores, tanq̄ veræ fornicationis introductores, & dogmatum adulterinorum genitores, confodit. Aaronis superauit sacerdotium. Non enim tintinabula, & mala punica, & lapides pectoris & superhumeralis, neque mitra & cydaris & talaris, & auri lamina, hunc sicut illum amiciebant ritu sacerdotis. neque sacrificium per sanguinem taurorum & hircorum, eius & populi expiabat ignorantias. sed moderatus amictus cum spiritu paupertatis eum reddebat splendidū. & legali holocausto erant sacratiora quę ab eo offerebantur. vt q agnum qui tollit mundi peccatum Christum 15 sacrificaret sacris inuocationibus, & fidelium distribueret manibus: & oēs aspergeret pretioso illo sanguine, quem ostendens dabat ad debitorum animæ solutionem.

15 *Vides Missam esse sacrificium, & in sacra Eucharistia esse uerum corpus et sanguinem Christi?*

Mosem autem expressit in eo quod esset mitis, & in nullum ostenderit vestigium odij & maleuolentiæ. etiamsi furiosi & maleuoli, patris Tarasii dicendi libertatem quæ ad insipientium spectabat correctionē, iram & odium esse malè coniecerint. Gustauit Iobi tentationes, etiamsi non in rebus similibus. Cum Iacob vt gratiæ Israëlita, & appellatus mēs quæ Deum videbat, simul purgatus sanctificatur anima et cogitatione. Simul cum Isaac fuit fide sanctificatus. etiamsi non à patre, sed ipse cor suum in holocaustum offerens. cumq; fuisset victima & sacrificus, in odorem suauitatis obtulit pulcherrimum Deo sacrificium. Cum Abraham, eo q fuerit pater spiritalis multarum tribuum & populorum, & crediderit, & ei qui eum fecerat pure seruierit, diuinarum promissionum fructuum est consecutus. Sed quid eius virtutum transmitto mare athlanticum? Imponamus ergo rebus conclusionē: & ex prooemio finem efficiamus. & ne promisso non stare arguamur, plus q̄ par sit producentes orationem.

Post plurima enim certamina, & profundum doctrinæ infinitum, & vitæ honestæ puritatem, & veræ fidei confessionem, & ratione præditi

gregis ad ea quæ sunt præstantiora & diuina, eius monitis deductionem, & in alendis pauperibus copiosam suppeditationem, & assiduam sanctis rebus datam operam & in pastorali munere diuturnam moram, viginti enim & duos annos pōtificalem decorauit cathedram, ingruens morbus & valde grauem ei dolorem afferens, non persuasit vt obliuisceretur perpetui & diuini officij. Nam & morbo & senio laborans, nequaq̃ satiabatur sacrosancta mysterij celebratione. sed intensio ad Deum amore ardens, & morbi nullam ducens rationem, pectore innitens mensæ ligneæ quæ ponebatur ante aram diuinam, sancta peragebat. ò fidem & sapientē in rebus diuinis diligentiam. ò interminatum in Deum amorē. Non enim curam gerebat corporis, vt cum rerum diuinarum eum cepisset satietas, mysteria diuina interrumperet sed laboribus corroboratus & cum Paulo clamans. Cum infirmor tunc potens sum, acriter vacabat diuino cultui. Inualuit ergo morbus, & eum de cętero cessare faciens à diuinorum operatione, ei parauit lectum infirmitatis, quod vtinā non fecisset, ante oculos eorum qui eum nunq̃ in lecto conspexerant. Tunc tunc fit miraculum nouum & terribile. quod nos qui aderamus admiratione impleuit & timore, videntes eum veluti in extasi, & luctantem cum aduersariis qui nō cadunt sub aspectum. Non enim aduersus carnem & sanguinem erat ei certamen: sed aduersus principatus, aduersus potestates, aduersus spiritalia nequitię. Tanq̃ enim verba faciens cum aliquibus, qui eum examinabāt, & actæ vitæ rationem ab eo exigebant, ita causam suam agebat.

Quamobrem multis videbatur esse reus debendi, & rationem reddere exactionis. erat vero iustum indicium superni auxilij omnem vitæ maculam eluere, & nullum illinc ferre delictum: appellari autem lucis participem: & simul obire cœlestibus materiæ expertibus potestatibus. Nam quādiu quidem habuit linguam iis qui audiebant sensa aperte explicantem, verbis resistebat, & prompta dabat responsa ad ea quæ obiiciebātur, dicens se nullius eorum esse sibi conscium quorum eum accusare voluerant. ò nulli culpę affinem cum Deo coniunctionem. Non potuerunt maligni inimici eam vel parua in re deprehendere obnoxium, vel abominādis suis sceleribus ei aliquid effingere. sed eos redegit ad omnem consilij inopiam, per generalem & terribilem inficiationem: vt nec in eum quidē possent vllam causam in speciem dicere probabilem. Qñ autem linguæ obtorpuit instrumentum, nec se verbis poterat defendere, labro & manu & nutu eos euertebat. & non cessabat eos expellere. Videbatur enim nobis tanq̃ in inimicos ferociter fremere, & eos cūm ira repellere, donec sensus cœperunt conniuere. Tunc enim tranquillissimo habitu vespertinas laudes celebrante ecclesia, & clamante, Inclina Domine & exaudi me, ipse pelliceum hunc exuit amictum: & relictis vinculis carneis, venit ad luminosa 16 atria cœlestium: & habitat in ineffabili lætitia quę percipitur intelligentia, ex ea quæ hic est improbitate in anima nullum signum inferens. Nam cum hic ageret, virtutibus morte affecerat mortale hoc tabernaculum. erubescebat enim dimidia ex parte naturam habere immortalem. Mortuus tamen est. existimo autem simul quoque cum eo virtutes esse mortuas. nisi forte fallor, insigni audacia magnum quid & terribile eloquens.

16 *Ecce quomodo sancti anima ad cœlum emigrauit.*

Vniuersa vero ciuitas, inconsolabili luctu & lachrymis eum non ces-

sabat deflere tanq̃ suum patronum & defensorem. Qui autẽ fideliter tunc sceptra administrabat, is vero erat Nicephorus, non cessabat dolore cruciari. Procidẽs enim supra pectus gloriosi corporis, & ipsum tegens purpura, funebrem faciebat lamentationem, eum vocans pastorem, patrem, imperij adiutorem, luciferum qui nunq̃ occidit, reip. ducem ad ea quę sunt meliora: & diuinum magistrum. exercitus inexpugnabile propugnaculum, inimicorum sua ad Deum intercesßione strenuum profligatorẽ. Quid deniq; non faciens, quid non dicens, orbis terræ damnum reputans pastoris iacturam. Quæ autem in potestatibus & honoribus maximum splendorem obtinebat, Patris tanquam qui contineri posset cupiens prohibere decessum. Lachrymis fœdata, acerbeq; eum reuocans & amplectens, & tanquam quæ multorum bonorum pateretur amisionem, perinde atque riuis rigabatur lachrymis.

Ecclesiæ autem lætitia deflebat vtilisßimum suum procuratorem. agricolam. plantatorem. eum qui omni ætati incrementum dederat ad virtutem. qui nullli maculæ obnoxium conseruarat Sacerdotium. qui omnem rugam malæ opinionis à diuinis atriis absterserat. qui pro veritate sermones, tanq̃ pretiosos lapides in ecclesiæ infixerat diademate. qui erat incorruptus Antistes. qui ad manuum impositionem donis allici non poterat. qui Simoniacæ magiæ aurum adulterinum esse ostẽderat. qui erat Apostolorum successor in virtute. qui considebat & conuersabatur cum Patriarchis & patribus qui cum electis consentiebat synodis. qui omnia factus est omnibus vt aliquos omnino saluos faceret, cõuenienter magno & diuino Apostolo. Monachorum autem cœtus religiosisßimus, in eum vt probum suum excitatorem, & summũ ducem ad abstinentiam, ostendens tristitiam, & hymnos cõtexens lachrymis, prosequebatur ad patres qui prius refulserant in exercitatione, patrem qui erat continentiæ propugnaculum inexpugnabile. Qui erãt egeni, suum suppeditatorem. Qui orbi, oculum. Qui claudi, pedem. Qui nudi, vestem. Qui hospites, exceptorem. Qui in vinculis, visitationem. viduæ, defensorem. Orphani, adiutorẽ. Omnis conditio & omnis ætas confluebat instar fluminis, lectum tangens, & sacro illo spectaculo frui pie contendens. Et nisi Imperator populi tumultum & impetum militari manu cito represßisset, multi venissent in mortis periculum, dum trudunt & vicisßim truduntur, & laudabile ostendunt desiderium in eum qui desiderabatur.

Sepelitur ergo gloriæ plenum inclitum corpus sanctorum virorũ manibus, qui lembis & lentribus latum mare terram solidam effecerãt, dum transirent ad monasterium ab eo ædificatum in bosphoro Byzantino, in venerando templo omnium Martyrum qui pro Christo sanguinem effuderunt, cum mensis Februarius quintum teneret diem cum quintuplo quaternione. Eum autem longum tempus celare non poterit. est enim oĩ tempore excelsior. Natura enim virtutis non sustinet obliuionem. Non tabe inuidiæ hebetatur. Sui enim memoriam facit immortalem nostris animis: & non finit dispergi & tegi silentio.

Tempus est autem, vobis qui estis virtutis studiosi, exponendi res à patre præclare gestas in sepulchro, quas non poterit prohibere monimentum. Non est enim illius monimentum: sed est ille monimentum, monimenti. Multi enim ad eum accedunt: & liberantur ab iis quæ ipsos vexabant

xabant affectionibus. ò miraculum. etiam postquam hinc excessit, eorum qui hic sunt 17 curam gerit: & ab iis qui quærunt inuenitur. & iis qui pulsant aperit ostium medicantis suæ visitationis. Adiuturno enim sanguinis profluuio grauiter quondam agitatæ quędam mulierculæ, & magnos subeuntes fluctus & tempestates, cum in medicamenta maximam partem suarum facultatum consumpsissent, & non potuissent inuenire mali tranquillitatem, Euangelicam illam profluuio sanguinis laborātem imitatæ mulierem præ laudabili impudentia, non licebat enim mulieri tangere monasterium, cum id inclitus pater olim constituisset, muliebri astu optime vsæ, virili veste tegentes pudorem fœmineum, & præ se ferentes speciem Eunuchorum, clam confugiunt ad egregij huius gubernatoris capsam 18 quæ nullis agitatur fluctibus. & cum ex lampade quæ in ea lucet oleum hausissent, citissime appellunt in portum curationis. Quinetiam vir quidam cui alter ex oculis læma cæcutiebat, cum fuisset prope diuinam thecam, & salutaris vnctionis auxilio esset vsus, lemam non ita multo post eluit: & à Deo visum aperte recepit. Alterius quoque manus quæ allatrabat corpori, & longo tempore manserat in assiduo motu operatione mali Dæmonis, sola inuocatione sacrosancti corporis, & vnctione oleo illius thecæ quæ facit miracula, etiamsi procul abesset, repressa est manus ab illa rabie, & reddita fuit sana sicut altera.

17 *Sancti etiā post mortem, nostri curam gerunt, & curationum nobis beneficia præstant.*

18 *Ad sancti corporis capsam unctione olei ex lampade q̄ ante eam lucebat sumpti, multæ ægritudines successiue curantur.*

Multis quoque aliis qui vexabantur à malis spiritibus, inuentus fuit pater medicus. Et Dęmonum quidem expulit operationes. eos autem qui tormenta sustinebant alleuauit voluntate & ope omnipotentis. Quinetiā quosdam qui ab aduersa potestate spectris fuerant obstupefacti, & qui surdos & mutos eos reddebat torporem sustinuerant, & deinde ad diuini viri sepulchrum fide manserant, per vtilem & salutarem lucentis olei vnctionem, Deus visitauit. & liberatis à spectri vertigine, dedit vt auditu rursus & lingua sane agerent quæ ad ea pertinent. Quinetiam quæ ab inflammatione grauiter cruciabantur, & laborantibus dolores afferebant intolerabiles, diuina inuocatione olei thecę quod purgat ac mundat, assecuta sunt doloris relaxationem.

Iā verò etiam aduersus Hęreticos, postquam hinc excessisset, diuinum zelum ardenter ostendit. Leo enim adhuc imperatoriæ gloriæ sceptra administrans, & Iconomachorum hæresim nefarie amplectens, cum ei appropinquaret vitæ finis quo erat gladio feriendus, vt ipse adhuc superstes sua voce declarauit, vidit beatum Tarasium in somnis ad eum accedere, & cum graui ira iubere cuidam Michaëli nomine vt ensem in eum adigeret. Ille vero iussui morem gerens, gladio transegit Imperatorem. Hinc autem Leo multus in hoc fuit, eum qui in somnis ipsum sauciauerat Michaëlem omnino conās inuenire in sancti monasterio. Quamobrem cum quosdam ex iis qui in ipso erant Monachis ad se iussisset adduci, carceribus & tormentis eos subiecit, nocturnum eius interfectorem per eos sibi esse indicandum fremens. quem etiam vt euersorem imperij esse extrema passurum. hoc enim ei persuasit vel inuito quod factū erat narrare, Monachis. A' quibus cum nos quoque miraculum, tanq̄ maturum fructum decerpserimus, venimus ad vos fideles, afferentes craterem lætitiæ. Non enim prætererat tempus sex dierum, cum Michaël suscipit sceptra imperij, & eum interficit. Ita Deus etiam post mortem glorificat suos famu-

los, & eos delet qui nolunt ipsum pie colere.

Sed me tempus deficiet, narrantem præclari & diuini patris magna miracula, quę tanq̃ in prato rosę, vbiq; nascuntur, & hortantur vt feramur ad vniuscuiusq; electionem. Nos autem cum non habeamus linguã quę possit metiri ac referre quęcunq; à beato facta sunt per miracula, hactenus ceptum orationis cursum perficientes, malumus ad silentium trãsire, statuẽtes à periculo remotam requiem plus lucri afferre, quam si vincamur cum periculo. Prompti enim & alacris animi insatiabilitas, sępe arrogantiam solet conciliare. Tu vero veneranda basis sacerdotij, ne meę temeritatis reprehendas vomitum, qui audacissime sed rudi & incondito sermone tam magnas referam narrationes. sed intensam meam beuolentiam ac fidem tanq̃ paruum munus oblatum reputans, concede verbis locum vt accipiantur & quiescant. Non enim obliuiscar vtilitatis tuę in me doctrinę: nec feruẽtis mei in te ministerij mediocritatis. cũ illius quidẽ delitiis me expleuerim in flore iuuentutis, & à te fuerim iniatiatus in iis q̃ sunt optima et p̃stantissima ex trimetris tetrametris trochaicis & anapęsticis ac heroicis. hoc aũt obierim in sacris q̃ à te concinne quotidie habitę sunt orationibus, ad animarum ędificationem, & augmentum vniuersę venerandę ecclesię. quas celeri calamo & atramento notis excipiens, & optimis tradens scriptoribus, studium adhibui vt artificiose referrentur in codicem. Sunt eę vero eiusmodi vt per eas omnibus proponatur pius purusq; cultus ac fides: publica autem notetur ignominia omnium Hęreticorum. Si enim tui obliuiscar, excidam à Dei memoria. & nisi tui meminero, lapidibus proiiciar in profundũ: & lingua, vt dicit diuinus Psalmographus, adhęreat faucibus. hoc est enim mihi omnium debitorũ pretiosissimum, tui semper habere in corde monimentum.

De cętero autem æquum est vt ad te conuertamus orõnem ò Dei serue, quicũq; es qui me nolentem incitasti ad hoc certamen: & coegisti aggredi ea quæ vires superant. Tibi mea accepta sit obedientia. & me orationis aspiciens humilitatem & inornatam dictionem, me accuses negligentiæ. Non enim diuino patri aliquid dignum attulimus. aut potuimus propè accedere ad dignitatem harum quę prope sunt virtutum. Res enim eius omnem dicendi facultatem superant. adeò vt omnes laudatores ex æquo non assequantur oratione eum qui ipsi debetur honorem. ego autẽ qui omnium longissime absum ab eo laudãdo pro meritis, propono prõptam & alacrem voluntatem vt accipiatur, vt qui & laborem dicendi inopia, senioq; & morbo frangar. Tu vero mercedem ac 19 remunerationem à Deo acceperis, intercessorem defensorem & propugnatorem, & tuæ spei ad impletorem, quem ex Deo dilexisti habens Tarasium. Qui et suis ad Deum intercessionibus affatim & secure præbeat quæ sunt vsui ad hanc caducam vitam: & præstet vt tuę vitę ita illic reddas rationem vt reus non peragaris. Quod tecum detur omnibus consequi qui pure ac sincere in Deum sperauerunt. Eius grã & copiosis miserationibus, intercedẽte 20 intemerata & casta Dei genitrice & cœlestibus & omnibus sanctis.

Amen.

19 *Audi rem miram, remunerationem adeo accipiet, qui intercessorem, defensorem et propugnatorem habet Tarasium.*

20 *Vides intemeratam dei genitricem, celestes & sanctos oẽs p̃ nobis apud Deum intercedere?*

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI *Porphyrij Episcopi Gazæ*.

SANCTORVM virorum certamina, & diuinum eorũ zelum & desiderium, pulchrum est contemplari oculis. Dum enim cernuntur, digna euadunt quæ amentur. Afferunt autem non mediocrem quoq; vtilitatem quę de iis fiunt narrationes ab iis qui accurate sciunt, subeũtes animos auditorum. Est visus quidem auditu fidelior. Persuadet vero etiam auditus, si à fide dignis dicãtur quæ dicuntur. Atque si rerum quidem vtilium esset eiusmodi narratio vt in eam nihil posset aut negligentia aut malitia: & non veritati falsum misereretur, superuacaneum esset hæc conscribere, cum sufficeret veritas ad ædificationem, quę semper per successionem insereretur auribus posterorum. Sed qm̃ corrumpit ac perdit tempus, seu per obliuionem, seu per malitiam atque negligentiam, necessario accessi ad hanc pręsentem scriptionem. ne processu temporis obliuioni mandetur hic vir sanctus, Sanctus inq; Porphyrius. Meminisse enim rerum recte & ex virtute ab eo gestarum, fit iis qui audiunt opem ferens medicamentum. Februa. 26.

Est vero absurdũ tragicos Poëtas & alios eiusmodi, in rebus ridiculis & anilibus fabulis consumere orõnem: nos autem despicere sanctos viros & dignos qui mandentur memorię, tradi obliuioni. Quas non ergo dabo pœnas, si non scriptis mandem vitam huius viri pij, vitam, inquam, philosophię magistram, eius qui est ęmulatus vitam quę est in cœlo, & qui bella gessit & decertauit, non solum aduersus duces & defensores insani cultus simulachrorum, sed etiam aduersus vniuersum populum plenum omni insania? Meminerat enim eorũ quæ à beato Apostolo dicta sunt. Accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die terribili, & omnibus confectis stare. Hac armatura indutus, ad certamina descẽdit dictus Apostolus. Sed quãuis tales & tãtos haberet aduersarios, qui Apostolo similem decertationem habuit Porphyrius, ei tamen parem victoriam est assecutus. & in media Gaza erexit trophæum, nempe in sancta Christi ecclesia quæ fuerat ab eo condita. Præbuit autem ei victoriam, non humana natura, sed mens quæ diuinam attrahebat gratiam. Nam cum fuisset Christi amator ardentissimus, omnia pati & facere sustinuit.

Quam multos bellorum impetus excepit hic ab aduersariis? Quàm multas sustinuit conspirationes & subsannationes? Sed qm̃ de præclaro viro fieri non potest vt dicamus omnia, quę sunt & multa, & multis videntur incredibilia, pauca exponam quæ memini cum longo tempore cũ eo habitauerim, & ex beata illa & stupenda anima diuturnum fructum perceperim quæ iam versatur cum Angelis. Hunc ergo qui omne genus virtutis est sortitus, quis non iure laudauerit? Atq; scimus quidem q huius viri virtutem assequi nulla possit oratio. est tamen mihi aggrediendum confidenti eius sanctis precibus. Conscribam autem illius laudationem, non magnifica & splendida oratione. Neque enim verborum facũdia solet ornare vitam eorum qui sunt huiusmodi. Sed virtus factorum ipsam quoque magnificam efficit dictionem. Ego itaq; confidens sanctis

dicti sancti precibus, ad hãc accedo scriptionem. per ipsas à Domino Iesu Christo gratiam petens & opem. vt possim qualicũq; occasione narrare sancti viri virtutem. Peto autem ab iis qui hæc scripta legent, ne diffidere velint iis quæ dicuntur. Ipse enim fui spectator viri virtutis, vt qui simul cũ eo habitauerim, simul nauigauerim, & simul cũ eo sim afflictus vsq; ad vltimũ diem eius ex hac vita decessus. Hinc vero mihi ducatur principium narrationis.

Gaza est ciuitas Palæstinæ in confinio Ægypti. est autem non obscura, sed populo frequens & clara ciuitas. Illo vero tempore in ea viguit hominum insania in colẽdis idolis. Huius accepit sacerdotium qui à nobis laudatur Porphyrius: qui patriam quidem habuit cœlestem Hierusalem: nam in eam fuit adscriptus: terrenam autem Thessalonicam. Erat vero ei genus insigne. Diuinus eum amor subiit relinquendi patriam & splendorem generis & opes infinitas, & vitam amplectẽdi monasticam. Cumq; nauigasset Thessalonica, venit in Ægyptum. Recta autem profectus est in Scetem. & paucis pòst diebus 1 dignatur venerando habitu. Et cum illic esset versatus quinque annos cum sanctis patribus, alius diuinus amor eũ subiit 2 adorãdi sancta & venerãda Dei loca. Cumq; illic fuisset & adorasset, abiens in partes Iordanis, habitauit in spelunca. Cum illic autem esset versatus quinque annos cum multa afflictione, ex magna siccitate & inæqualitate locorum illorum, incidit in magnũ morbum. Videns vero se adductum in extremum periculum, Dei prouidẽtia accersit quẽdam ex suis notis, vt eum duceret Hierosolyma. Morbus autem erat scirrus Epatis cum continua febre tenuissima. Hoc ergo morbo inualescente, & assidue pungente intestina, & corpore tabescente, ipse non cessabat quotidie obire sancta loca, incuruatus, & non valens recto corpore ingredi, sed innitens baculo.

1 Ecce quomodò qui monachus fiebat, nouum induebat habitum, sicut & modo fit.

2 Vide peregrinationem ad loca sancta adorandi gratia.

Accidit autem illo tempore vt ego ex Asia nauigarem ad adorãdum loca veneranda. Cumq; in eis essem, diu ibi sum versatus me alens operando manibus. callebam enim pulchre scribendi artem. Aspiciens vero sanctum continenter vadentem ad Christi resurrectionem & ad alia oratoria, mirabar, q̃ in tanta corporis imbecillitate, non dubitaret se sic cruciare. Quodam autem die cum ei occurrissem in gradibus martyrij, quod fuerat conditum à Constantino Imperatore, non valenti progredi accurrens & ei manum meam porrigens, rogaui ipsum vt ei immitteretur, & gradus ascenderet. Ille vero nolebat, dicens. Non est iustũ, vt ego qui vado ad petendam veniã peccatorum, nitar manui alterius. Sed sine frater Deũ videre meum laborem, vt ineffabili sua clementia mei quoq; misereatur. Ibat ergo & diuina audiebat eloquia, Doctõribus aures adhibẽs, & mysticam mensam semper participans. Deinde reuertebatur ad suum habitaculum. Et quamnam quidem vitam ageret erat manifestum. Morbũ enim adeò contemnebat, vt existimares ipsum habere morbum in alieno corpore. Dei enim spes ipsum eo leuabat. Hoc autem eum solũ male habebat & mordebat, q̃ remansissent facultates, & non conuenienter ei q̃ dicit Euangelium, venditæ essent & distributæ pauperibus. Causa autem huius impedimẽti fuit, q̃ essent ei fratres pueri, quando excessit è patria.

Hoc ergo ægreferens, petit à me qui iam ei erant familiaris, ei enim ministrabam propter eius infirmitatem, vt nauigarem Thessalonicam. & diui-

diuiderem facultates, cum suis fratribus. Et cum dedisset mihi scriptum mandatum, & me Domino commendasset, dimisit præbitis mihi minimis impensis. neq; enim opes suppetebant. Tunc cum statim venissem Ascalonem, & nauem inuenissem, illinc solui. & cum spatio tredecim dierum secunda fuisset nauigatio, venimus Thessalonicam. & ostenso quod in scriptis habebam mandato, diuisi bona cum eius fratribus. Vendidi autem quæ mihi obtigerant possessiones ter mille aureis. Vestes vero & argentum mecum tuli, & alios mille quadringentos aureos. & cũ omnia collegissem, post tres menses renauigaui. Cum autem spatio duodecim dierum venissem in emporium Ascalonis, & illic iumenta conduxissem, & ea onerassem, ascendi in sanctam ciuitatem. Cum me autem aspexisset vir beatissimus, me est amplexus cum gaudio & lachrymis, potest enim etiam gaudium exprimere lachrymas. ego vero ipsum non cognoscebam habebat enim corpus valde robustum, & faciem rubicũdam. voluebam. autem meos oculos, frequenter ipsum intuens. Ipse vero cum animaduertisset & subrisisset, placide dixit. Ne mireris frater Marce, me videns sanum & robustum: sed disce causam sanitatis. & tunc admirare Christi benignitatem ineffabilem, & quemadmodum quæ sunt plane desperata apud homines facile possunt apud ipsum corrigi. Ego vero rogaui ipsum vt mihi diceret causam sanitatis: & quemadmodum talem morbũ propulsauerit. Ille autem mihi respondit.

Quadraginta abhinc diebus cum ego essem in vigilia sanctæ Dñicæ, me inuasit dolor. Quem cum nõ possem ferre, iui & recubui prope sanctã caluariam. & cum præ magno dolore essem veluti in extasi, video Seruatorem clauis affixum in cruce. & vnum ex latronibus cum ipso pendentem in alia cruce. & incipio clamare & dicere vocẽ latronis. Memento mei Domine, qñ veneris in regnum tuum. Respondens autem Seruator dixit latroni pendenti. Descende de cruce & serua illum qui recumbit, quõ tu quoque fuisti seruatus. Latro vero descendens de cruce me complexus fuit & deosculatus. & porrecta dextera me fecit surgere, dicens. Veni ad Seruatorem. & statim surrexi & cucurri ad eum. & video ipsum descendisse de cruce & mihi dicere. Accipe hoc lignum & serua. Cumq; accepissem & portassem hoc pretiosum lignũ, statim ad me redij ab extasi. & ab ea hora nullus dolor mihi fuit amplius: neque apparuit locus morbi. Ego autem his auditis valde sum admiratus & Deum glorificaui. & de cętero fui in virum magis affectus. & ei inseruij diligentius. Re uera enim eum remunerassem Dei seruo pecuniam & cum ei restituissem quæcunque attuleram, mansi apud eum ei inseruiẽs, & fruens spiritalibus eius orationibus. Erat 3 profecto nulli reprehensioni affinis. mitissimus. misericors. habens etiam facultatem dscernendi diuinam scripturam, & ea dissoluens quæ in ea occurrebant dubia, si vllus alius. Sed neq; externæ erat doctrinæ ignarus. respondens & os obstruens hominibus infidelibus & iis qui non rectam habebant fidem. amator pauperum. misericors. promptas habens lachrymas. senes honorans vt patres. iuniores vt fratres. pueros vt filios. moribus & sermone mitis & humilis. non in simulatione veritatis. neq; enim erat in eo dolus. moderatissimus, adeo vt peruenerit ad perfectam impatibilitatem. ab ira alienus non memor acceptę iniuriæ. non sinens solem occidere super suam iracundiam. mortuas ha-

3 *Ecce uirtutum cœtus quibus uir dei erat præditus.*

bens omnes animi perturbationes, præter iram quam mouebat aduersus inimicos fidei.

Cum autem accepisset à me pecunias & alia quæ attulli, & vendidisset vestes, & conflasset plurimum pecuniæ, reliquam omnem pretiosam suppellectilem paruo tempore. dedit egentibus, non solum in sancta ciuitate, sed etiam in aliis ciuitatibus vicis & monasteriis, & maxime iis quę erant in Ægypto erant enim valde egena illic monasteria. Quinetiam hospitibus qui illic versabantur fuit secundus Abraham. Quamobrem breuissimo tempore distribuit omnes suas facultates. adeò vt ipse egeret alimento quotidiano. Seipsum ergo dedit arti sutoris coriarij, pelles lauans & consuens: & in omnibus imitans diuinum illum Apostolum, qui nolebat panem gratis comedere. & licet posset ex alia manuum operatione sibi victum quærere, in omnibus tamen voluit esse imitator illius præclari viri quē diximus, in afflictionibus, & laboribus, & persecutionibus, & periculis maris, & gentium insurrectionibus. Porrò autem ego eum rogabam vt communem vitam mecum ageret. erat enim mihi ex meo vitæ studio victus redundas copiam. Ille vero non sustinuit, dicens. Nihil intulimus in mundum, neque possumus aliquid efferre. Et rursus dicebat. Si quis non operatur, nec comedat. Ego autem libere apud eū loquēs, dicebam. Cur ergo q̄n eras diues, non operabaris? nec sinebas vt operarer? Ille autem mihi respōdit. Quod prius operabar erat multis partibus maius quam quod nunc operor. Nam hoc nunc quidem alit vnum aut duos: illud autem prius alebat innumerabiles. Non solum vero illam alebat multitudinē: sed etiam spiritale alimentū suppeditabat meę animę.

Cum hæc ita se haberent, audiisset autem sancti Porphyrij nomen & vitam qui erat sanctorum locorum sacerdos Parylius, eum accersiit, & inuitum ordinauit Presbyterum. Quinetiam ei credidit custodiam venerandi ligni crucis. Tūc cognouimus ea illi euenisse quæ viderat in extasi. q̄n scilicet vidit Dn̄m in cruce, & cum eo latronem. Dn̄m autem dicentē. Accipe & serua mihi hoc lignum. Erat vero beatus Porphyrius q̄n accepit ordinationem, circiter quadraginta annos natus. Hunc autem honorem adeptus, non mutauit mores priores. sed mansit in illa afflictione exercitationis. Erat vero illi 4 alimentum panis sordidus & olera. idq́ue post occasum solis. aliis autem sanctis diebus hora sexta comedebat, accipiens oleum & caseum & madefacta legumina. Sumebat autem etiam vnum poculum vini temperati, idq́ue propterea quod se malè haberent eius viscera. Hanc viuendi rationem & regulam perpetuo seruauit toto tempore vitæ suæ. Tribus autem annis postq́uam fuerat ordinatus, accidit vt Episcopus prædictæ ciuitatis Gazæ è vita excederet. Is erat Æneas qui minimo tempore gesserat Episcopatum. ante Æneam autem Irenion, qui ipse quoque fuit ciuis angelicarum potestatum. cuius laudes fieri non potest vt scribantur in digressione: sed opus esset opere separato, ad hoc vt conscriberemus vitam huius dicti incliti Irenionis. Aliis vero id relinquimus scriptoribus, qui eius vitam sciunt accurate.

4 *Nota paruitatem & tenuitatem cibi & potus sancti viri.*

Cum dormisset ergo prædictus vir sanctus, congregati qui tunc erant Christiani, valde pauci numero, cum suo clero, & consultantes palam cui nam traderent Episcopatum, nihil efficiebant, cum exorta esset inter eos contentio, cum alium quidem vellent Clerici, alium verò Laici. erant n.

re uera inter Clericos quidam vitæ honestate ornati. Cũ magna ergo esset confusio & nihil deduceretur ad effectum, tandem visum est vt quinque Clerici & totidem Laici viri insignes irent ad Pontificem Metropolitanum, & peterent ab eo Epm̃, quem ei reuelasset Spiritus sanctus. Pontificatus autem munus tunc obibat Ioannes, qui ipse quoq; erat vir probus & omni virtute ornatus. Cum ergo ad eum accessissent Gazæi, rogarunt ipsum vt daret eis Pontificem. potentem opere & sermone resistere Idololatris. Quod cum audiisset, statim indixit ieiunium. 5 & post tres dies reuelauit ei Dominus de beato Porphyrio. & scribit epistolam ad sanctum Präylium Epm̃ Hierosolymorum. cuius fecimus antea mentionem. vt ad ipsum mitteret beatum Porphyrium, propter quandam scripturæ quæstionem quæ erat ab eo soluenda. erat enim beatus Porphyrius idoneus ad soluendum quidquid erat difficilæ diuinæ scripturæ Spiritus sancti.

5 *Ecce mirum ieiunij effectum.*

Litteris beati Ioannis credens pius Präylius, eum dimisit, iubens ne moraretur illic plus q̃ septem dies. Cum autem audiuisset beatus Porphyrius vim eorum quæ scripta fuerant à sanctissimo Ioanne, primum quidem fuit conturbatus. postea vero dixit. Fiat voluntas Dei. & cum illa vespera me accersiisset, dicit mihi. Frater Marce, eamus & 6 adoremus sancta loca & venerandam crucem. Multum enim est præteriturũ temporis donec sumus ea rursus adoraturi. Ego autem dixi. Cur sic dicis pater? Ille vero rñdens dixit. Præterita nocte vidi Seruatorem dicẽtem mihi. Redde depositum quod apud te deposui. Volo enim te coniungere vxori, humili quidem & abiectæ, sed præditæ bonis moribus. Tu autem accipiens, orna eam, vt obliuiscatur prioris suæ mendicitatis. Nam etsi est abiecta & humilis, non est tamen aliena, sed mea soror germana. Tu vero caue ne habens vxorem & domus curam gerens, ex iniustitia aut violentia aut iniquitate congreges. nam & me ad iram prouocabis, & eam molestia afficies. hæc enim ei quoq; displicent. Sis vero solum bono & prõpto animo, & omnia tibi suppeditabuntur vnde non expectas. Hęc mihi significauit Dominus Christus nocte præterita. & timeo ne dum volo expiare mea peccata, expiem etiam peccata aliorum multorum. Sed tñ Dei voluntati non licet repugnare.

6 *Eamũs & adoremũs sancta loca & uenerandam crucem.*

Hæc cum dixisset, profectus est & ego cum eo. & cum adorassemus sancta loca & venerandam crucem, isq; multum esset precatus & lachrymatus, reposuit in aurea theca venerandam & viuificam crucem. & cum eam tuto clausisset, exiit. & vadens ad beatum Präylium Epm̃, tradidit ei claues. & cum accepisset preces, & ab eo fuisset Deo commendatus, est egressus. Cũ autem venissemus ad nostrum habitaculum, nos paramus. conductis vero tribus iumẽtis & accepto viatico, egressi sumus. Viatica autem erant omnia quæ domi erant. Eramus vero quinque in via. ipse beatus & ego: & duo Agasones: & alius iuuenis minister, nomine Barochas, quem quidem inuenerat paulo antè beatus abiectum in platea, cum esset in extremo periculo. eumq; accepit & collegit. & cum multa in eum expendisset, Dei auxilio eum sanum reddidit. Ab illo ergo tempore manebat apud ipsum ei mecum seruiens. De pio vero Barocha dicam procedente oratione. Illa autem die iter ingressi, sequenti venimus Cæsaream. Per totam autem ciuitatem dispersum fuit eũ aduenisse. erat enim beatus

magni nominis, propterea quod amaret pauperes. Profecti vero sumus ad id quod erat illic hospitium. Cum autem audiuisset beatus Ioannes Archiepiscopus, cursu ad nos accessit, Cumque se inuicem salutassent & precati essent, paululum assederunt. Dixit autem ei Archiepiscopus. Surge frater propter Dominum, & vescere mecum. vt cito surgamus ad 7 vigiliam sanctae Dominicae ingressi enim sumus vespere sabbato. Beatus vero Porphyrius rogauit eum vt ei concederet vesperam propter viae laborem. Dixit autem se post primum somnum surrecturum ad vigiliam. Cum autem non potuisset persuadere Epo, surgens beatus cum eo est profectus me quoque accepto. Fratrem enim Barochã dimisimus in hospitio prope vestes. & ab eo inuitati cœnauimus.

7 *Vide quomodo antiqui patres nocte sabbati dominicam praecedentis surgebant ad uigilias.*

Cum multa autem locuti fuissemus spiritalia et parum dormiissemus, surreximus ad vigiliam. Illa vero nocte accersit beatus Ioannes Gazeos. & dicit eis. Parati eritis ad exitum. hodie enim accipietis sacerdotem, virum quem ostendit Dominus. Cum fuisset autem mane, rapientes beatum Porphyrium, ordinarunt eum Epm Gazae. Multum vero est lachrymatus, nec erat satietas vlla eius lachrymarum. Dicebat enim se esse indignum tali sacerdotio. Vix tandem autem, cum Gazaei & qui illic Christiani inuenti sunt, eum consolati essent, quieuit. Cum autem fecissemus sanctum Dominicae ministerium, rursus inuitati sumus ad vescẽdum cum Archiepiscopo. Iussit vero nobis quamprimum exire. cumque vnum alium illic diem egissemus, exiuimus. dormiuimus autem Diospoli. & illinc cum pernoctassemus sero vespere ingressi sumus Gazam valde lassi & afflicti. Haec autem fuit causa afflictionis.

Prope Gazam pagi sunt in via, qui sunt dediti cultui simulachrorum. Eorum vero incolae consulto totam viam strauerant spinis & vallis, vt non possent aliqui transire. Effuderunt autem cœnum, & aliis male olentibus fumis vaporarunt, vt nos fœtore suffocaremur. & veniremus in periculum ne visum amitteremus. Vix tandem autem conseruati circa horam nocturnam, ingressi sumus ciuitatem. Haec vero difficultas ac molestia beato accidit suggestione Daemonis. Sed id non ęgreferebat. existimauit enim Diabolum has parasse insidias, quod voluisset iustũ ab eius ingressu auertere. Profecti autẽ sumus ad ędes Epi quas ædificauerat prius nominatus sanctus Irenion Eps, simul cum sancta ecclesia quae vocatur Irenes. eum vero hoc nomen dicunt habere duobus modis. Dicunt enim Gazaei, quando capta fuit ciuitas ab Alexandro Macedone, quodam signo dato illic cessasse bellũ. & ab illo tempore vocari locum Irenem. i. pacẽ. Hunc locum cum inuenisset beatus Irenion coli à Gazaeis, in eo construxit ecclesiam. Siue ergo propter ea quae prius dicta sunt: siue propter nomen conditoris, mansit sic appellata vsque in hodiernum diem. Illic ergo profecti sumus ad minimas ędes episcopatus ab eo ędificatas.

Accidit autem vt illo anno esse siccitas & defectus pluuiae. Cuius vero omnes id ascribebant ingressui beati Porphyrij, dicentes. Nobis responsum dedit Marna, fore vt Porphyrius esset auctor malorum ciuitati. Cũ autem pergeret Deus non pluere, primo mense qui ab eis vocatur Dios, Deinde etiam secundo qui dicitur Epilleos omnes affligebantur. Congregati autem Idololatrae in Marnaeo, multa sacrificia & multas preces faciebant ea de causa. Dicebant enim Marnam esse Dominum imbrium.

Marnam

Marnam vero dicunt esse Iouem. Cum autem perseuerassent septē dies hymnos dicentes & egredientes extra ciuitatem in locum qui vocatur orationis,animum despondētes reuersi sunt ad sua opera.nulla re effecta. His sic factis,congregati Christiani cum viris & fœminis & pueris, numero ducenti & octoginta, rogarunt sanctum Porphyrium, vt cum eis egrederetur, & precaretur vt demitteretur pluuia. iam enim erat fames. eoq́; magis ꝙ beati ingressui adscriberent siccitatem. Persuasus autem sanctus cum edixisset 8 ieiunium,iussit omnes vespere congregari in sancta ecclesia, vt illic vigilias perageremus. Fecimus vero tota nocte triginta preces & totidem genu flexiones præter choros & lectiones. Cum fuisset autem mane,accepto signo venerandę Crucis quod nos pręcedebat, egresli sumus cum hymnis ad antiquam ecclesiam quæ est à parte occidentali ciuitatis quā aiunt ædificasse sanctissimum & beatissimum Asclepam Epm̄,qui multas sustinuit afflictiones ꝓ fide orthodoxa.cuius vita & facta scripta sunt in paradiso delitiarum. Cum ergo fuissemus in dicta ecclesia,illic quoq; fudimus totidem preces. & illinc egressi iuimus in sanctum martyrium gloriosi Martyris Timothei. in quo repositæ sunt etiā aliæ reliquiæ Męuris Martyris & Thees quæ relata est in numerum confessorum.Cumq́; illic fecissemus totidem preces & genu flexiones reuersi sumus in ciuitatem.factis tribus precibus & tribus genu flexionibus.

Cum autem fuissemus circa ciuitatem, inuenimus eam clausam. erat vero hora nona. Idololatræ enim hoc fecerunt volentes dissipare populum,ne perficeremus supplicationes. Cum autem mansissemus duas horas ante portam, & nemo esset qui aperiret, videns Deus populi patientiam fletusq́; & ineffabiles lachrymas maxime sancti viri, motus misericordia, quō tempore magni Eliæ Prophetæ, mouet ventum austrum. & nubibus tegitur cœlum. & incipiunt fieri fulgura & tonitrua simulatq; sol occidisset,& decidit multus imber,vt existimarentur non guttę, sed grando è cœlo deiici. Nos autem præ magno gaudio propemodum non sensimus. Nos enim eramus inuicem complexi. Quidam vero gentiles cum aspexissent miracula quæ Deus nobis fecerat, & credidissent, nobis portam aperuerunt,& commixti sunt nobiscum clamantes. Christus solus Deus. ipse solus vicit.conuenerunt autem nobiscum in sanctam ecclesiam. & illinc beatus eos dimisit in pace, Christi signatos signaculo. Erant vero viri numero centum vigintiseptem.& fœminę XXXV.& infantes XIIII. ex quibus erant puellæ quinque. Nos autem cum fecissemus perfectam gratiarum actionem,recessimus vnusquisq; domum cum gaudio & pace. Tanta autem pluuia descendit illa nocte & altero die, vt omnes timerent ne domus corruerent, ex quibus erant plurimæ constructę ex lateris. Pluit vero Dominus noster Iesus Christus assidue,ab octauo Lydengi vsque ad decimum.est autem apud eos Lydenęus,apud Romanos Ianuarius. Præcedunt autem quinque diebus eorum menses romanos. Vndecimo vero die peregimus diem Theophaniorum Domini Iesu Christi,cum gaudio laudantes & gratias ei agentes,propter omnia, quæ nobis fecit eius benignitas. Accesserunt autem gregi Christi eodem anno pręter illos CXXVII. alij quoq; CV. Alij vero idololatrę non cessabant insidiari beato & reliquis Christianis. Qn̄ enim eis Præses obtingebat gentilis,eum vel pecuniis corruptum,vel etiam per impiam eorum

8 Habes hic multa per ordinem.

Ieiunium.

Nocturnas uigilias in Ecclesia.

Orationes limitatas cum genuflexionibus.

Procesionem præcedente signo uenerandæ crucis.

Stationes & uisitationes Ecclesiarū.

Quibus omnibus etiam hodie utitur sancta Eccl.ad obtinendum aliquid à Deo.

religionem persuasum, inducebant vt vexaret Christianos. & ab eo tempore beato Porphyrio non leuis eueniebat afflictio. Assidue ergo noctu & diu rogabat benignum & clementem Deum, vt eos ab errore conuerteret ad suam veritatem.

Qm̃ autem superius memini beati Barochæ, de ipso narrabo reliqua. Habebat is zelum diuinum vt si quis alius. multa enim grauia sustinuit ab idololatris. Cum enim iuisset ipse aliquando in vicum propter canonem ecclesiasticum, non procul à ciuitate. erat autem is qui canonem debebat idololatra. cum ab eo vero canon exigeretur, isq; rem vellet protrahere & differre, & ex eo nata esset inter eos cõtentio, accersit impius Agricola quosdam eius pagi ei similes. & incipiunt verberare clauis beatum Barocham. & portantes eum semimortuum proiecerunt extra pagum in solitudinem. Illic vero iacebat mutus & nullo sensu præditus. Alio autem die Dei benignitate, transit per illum locum Cornelius Diaconus, cum aliis duobus Christianis. & cum inuenissent pium Barocham & eum agnouissent, importarunt in ciuitatem. Cum vero idololatræ eum vidissent portari, arbitrati esse mortuum, conuersi sunt in furorem. propterea q̃ existimabant esse abominandum mortuum ferre in ciuitatem. & cum eum vi eripuissent ab humeris eorum qui ipsum portabant, incipiunt verberare pium Cornelium Diaconum, & duos Christianos. & ligato pede beati Barochæ, trahebant eum.

Interim autem renunciant quidam fratres beato Epõ. Is vero conturbatus me accersit, & alios tres fratres qui sunt inuẽti apud ipsum, & dicit nobis. Confidentes currite ò fratres. est enim tempus martyrij. Postq; autem peruenimus ad locum vbi ligarãt beatum, concurrit populus. & alij quidem sanctissimum Epm̃ afficiebant contumeliis. alij vero vidẽtes eius tolerantiam, & q̃ cum contumeliis afficeretur, non irascebatur: sed rogabat vnũquẽque, dicens, ne sic probris & contumeliis afficerẽt corpus quod est obnoxium iisdem affectionibus, fiunt nostrarum partium, & in se inuicem conuertuntur ad plagas vsque. Nos autem cum multam vidissemus confusionem, portantes pium Barocham, discessimus in sanctam ecclesiam. Postq; vero vidimus eũ adhuc spirantem, eius curam gessimus.

9 Pro eo autem fundebantur per totam vesperam 9 & noctem intensæ preces Omnes enim fratres conuenerant. Sanctus vero Eps non cessabat lachrymari & Deum pro ipso rogare. Sciebat enim qualis esset diuinus eius zelus. Cum aũt vidisset Deus lachrymas sancti Pontificis & preces populi, eum enim numerabant secundum Phinees, aduersus idololatras, accelerauit ei suam misericordiam. & illa nocte aperit oculos eius & incipit loqui & petere dari sibi potum. Ego autem qui ei assidebam, statim cucurri vt renunciarem beato Epõ. præ magno enim gaudio oblitus sum dare ei potum. & mihi id accidit quod ancillæ tempore beati Petri. qñ audita eius voce præ gaudio non aperuit ostium: sed eum dimittens primum annũciauit iis qui erant domi. Tale quid ego quoq; sum passus. Cum id autem beatus audiuisset Eps, non fuit victus ab animi affectione, sed perseuerabat in precibus. Nos vero cum intellexissemus eius firmitatem & constantiam, eum mittentes recessimus, ego & pius Cornelius Diaconus. assidebat enim mecum beato Barochæ. Postq; autem impleuit preces & oẽm consequentiam sanctissimus Eps, ipse quoq; nobiscum

Assiduis precibus, uigiliis & lachrymis Epi & sociorum, redditur Barochas sanitati.

sedens, interrogauit pium Barocham, quemadmodum id esset passus ab initio. Ipse vero narrauit nobis omnia.

Dum nos autem consultaremus quid esset faciẽdum, fit mane: & ecce defensor populi cũ Irenarchis, & duobus primoribus, Timotheo & Epiphanio, & aliis multis, venientes incipiunt clamare & tumultuari, dicentes. Cur intulistis mortuum in ciuitatem cum patriæ leges hoc prohibebant? Interim autem contumelia quoq; afficiebant beatum Episcopum. Nos vero cum tumultũ audiuissemus, egressi sumus. & cum nos vidissent, cœperunt me verberare, & pium Cornelium Diaconum. Cum autẽ eos qui erant ex populo vocassemus in testimonium, sanctissimus Episcopus os nobis obstruebat, vnũquẽque rogans & admonens, ne irascerentur tam inconsiderate. Illi vero impij, quo magis rogabantur, eo magis furebant, & virum sanctum afficiebant contumelia. Cum igitur ꝑgerent tumultuari, confirmatur & corroboratur pius Barochas & impletur diuino zelo, surgitq; & arripit fustem, & incipit verberare eos qui incidebant. & eos inuadit metus. & incipiunt cadere vnus super alium fugientes. eosq; est persecutus vsq; ad id quod tunc erat Marneium, reuertiturq; cũ magna victoria nouus noster Sampson, stratis ipse quoque mille alienigenis. Ab illo ergo tempore ipsum timebant idololatræ, & nec eius quidem nomen audire poterant. Breui autem post tempore dignati sumus ordine diaconatus ego & pius Barochas. ego quidem plane indignus qui eum assequerer, ille vero meritissimo iure id assecutus.

Videns aũt sanctus pater noster Porphyrius nefaria quæ quotidie fiebant ab idololatris, statuit me mittere Byzantium, vt peterem ab Imperatoribus vt diruerentur templa simulachrorum. Gazæ enim adhuc maxime celebrabatur quod vocatur Marneium. & scriptis literis ad sanctissimum Epm Constantinopolitanũ, cuius laus & gloria memoratur ab omnibus, nauigauimus, & spatio viginti dierum eo peruenimus. & redditis litteris beato Ioanni, ore eum omnia docui. Cum primum autem audiuisset, id significauit Eutropio Cubiculario, qui tunc erat asiduus apud Imperatorem Arcadium. Cumq; ei legisset epistolas beati Episcopi, & petiisset ab eo vt concurreret cum litteris, acceptis ab eo promissis, exiit & dixit mihi. Quieto animo esto ò fili. Spero enim in Dominum Christum, quòd suam sicut solet sit facturus misericordiam. Ego vero nõ cessabam quotidie eum admonere. Ille autem mittebat et instabat Eutropio. Septem vero post diebus pronũciatur edictum Imperatoris, vt clauderentur simulachra Gazęorum ciuitatis, & ne consulerentur amplius. Traditur autem hic iussus in manus cuiusdam Hilarij, hominis subadiubæ Magistri. Ego vero tribus post diebus egressus sum Byzãtio. & spatio decem dierum peruenio in ciuitatem Gazęorum, septem diebus præueniens Hilarium. Inueni autem sanctissimum Porphyrium ęgrotantẽ.

Postquàm vero ei tradidi responsum beatissimi Ioannis Epi Cõstantinopolitani, & id legit, lætitia affectus conualuit à febre. Dicebat autem se in morbum incidisse ex multa afflictione idololatrarum. Septem vero post diebus venit dictus Hilarius, habens duos commentarienses consulatus, & multos adiutores ex Azoto et Ascalone, & omnes ministros publicos. Statim autem comprehendit tres primores, & accepta ab eis satisdatione, ostendit eis diuinum edictum, quod iubebat vt clauderentur ido-

lorum templa Gazæ ciuitatis. & euersis omnibus quæ erant in eis simulachris, ea clausit. Marnæ vero simulachrum fuit latenter consuli, pro eo plurimis acceptis pecuniis. Rursus autem faciebant vt solebant Idololatræ nefaria. Contigit vero aliud fieri miraculum, quod multos prouocauit vt venirent ad cognitionem veritatis. Deus enim, vt qui sit clemens & misericors, scit per occasiones conuertere genus hominũ, ad lucem suã quæ mente percipitur. Fuit autem eiusmodi id quod accidit.

Mulier quædam clara in ciuitate nomine Ælia, cum esset paritura, incidit in magnum periculum. Fuit autem hęc causa periculi. Fœtus eius nõ exibat secundum naturam: sed conuersus erat ad id quod est præter naturam. & cum vnam manum demisisset, non poterat reliquum corpus educi. erat enim obliquum in vtero. nec poterant obstetrices id deducere ad id quod est secundum naturam. Cruciabatur vero mulier dolore ineffabili, fœtum tunc impellentibus ad enixum doloribus. Fuit autem maius dolorum incrementum, cum successisset primo secundus dies. & similiter tertius dies maiorem dolorem attulisset quam secũdus. Creuerunt autem dolores vsq; ad septem dies. semper additamentum malo accipiẽte. Quin etiam voluerunt Medici eius fœtum execare: sed cum vidissent eius virtutem cecidisse, omnem spem plane abiecerunt. Eius ergo parentes & maritus eius Heros, cum essent Dæmonum dediti superstitioni, pro ea quotidię faciebant sacrificium. Adducebant etiam incantatores & vates, existimantes se ex eis vtilitatis aliquid accepturos: sed nihil id proderat. Erat autẽ eis fidelis nutrix, quæ affecta maxima animi ægritudine, pro ea fundebat preces in ædibus oratoriis. Quodam ergo die ea in ecclesia orante cum lachrymis, ingressus est sanctus Porphyrius circa horam nonam. & ego quoque cum eo. Videt autem anum tristem Deum orantem cum lachrymis. stansq; eam rogauit causam. Illa vero eum contemplata, procidit ad eius pedes, rogans eum vt pro ipsa rogaret Christum.

Postq̃ autem cognouit sanctus causam a muliere, ipse quoque est lachrymatus. erat enim summe misericors. Dicit vero nutrici. Audio illam domũ esse deditam cultui simulachrorum, & seruari posse difficiliter. Sed tamen Deus potest omnia. & enim per occasionem seruat eos qui erant perituri. Abi ergo & congrega omnes cognatos, & parentes, & maritum. & dic eis. Qm̃ est hic optimus Medicus qui potest eam curare, si effecerit vt ea euadat hoc periculum, quid ei dabitis? sunt autẽ omnino tibi multa polliciturí. Dic vero eis hoc quoque. Si eam curauerit, hoc quoque mihi promittite, q; eum non falletis, nec ibitis ad alium. Fac eos omnes extendere manus ad cœlũ, & promittere eos esse facturos omnia quæ sunt polliciti. Et qñ hæc fecerint, dic parturienti mulieri coram omnibus. Sanat te Iesus Christus filius Dei viui, crede in ipsum & viues. Cum autem audiuisset anus quod beatus dixerat Episcopus, isq; eam Deo commendasset, cucurrit domum. & cum inuenisset omnes flentes, & mulierem in extremo periculo, rogauit eius parentes & maritum ne angerentur animo. Dixit autem. Me ad vos misit optimus Medicus, vt mihi promittatis, q; si ea curetur ipsum non negabitis. Cum vero audiuissent eius parentes & maritus, dixerunt. Si voluerit omnes nostras facultates accipere, non recusabimus. videamus solum viuam nostram filiam. Dixit autem nutrix. Manus vestras in cœlum extollite. & fidem date vos non esse negaturos

medicum.

medicum. Illi vero alacri animo & cum lachrymis manus extenderunt, dicentes. Toto tempore vitæ nostræ eius erimus. Quamnam enim consolationem habituri sumus si ea decedat? erat enim eis vnica, scitaq; & elegans moribus, si vlla alia. Cum hoc autem audiuisset nutrix magna voce dixit corã omnibus. Dicit magnus sacerdos Porphyrius. Iesus Christus filius Dei viui te curat. crede in eum, & viues. Statim vero mulier cum valde eiulasset, edidit fœtum viuum. Omnes autem qui illic sunt inuenti, obstupefacti exclamauerunt. Magnus est Deus Christianorum. magnus est sacerdos Porphyrius.

Die autem sequenti parentes mulieris, & maritus & cognati & omnes necessarij, euntes ad beatum Porphyrium prociderunt ad eius pedes, petentes Christi signaculum. Beatus vero cum eos signasset & fecisset Catechumenos, dimisit illos in pace. præcipiens eis vt vacarent sanctæ ecclesiæ. & paulopòst cum eos 10 catechesi instituisset, baptizauit etiam infantem cum muliere. Vocauit autem nomen eius Porphyriũ. Qui fuerunt vero illuminati propter occasionem mulieris, erãt numero sexaginta quatuor. Quo magis autem videbant Idololatræ multiplicari Christianos, eo magis efferabantur: & non sinebant eis obire officia ciuilia; sed eis vtebantur tanq̃ malis famulis. Videns autem rursus beatus Porphyrius magnam iniuriam quæ fiebat Christianis, & non ferens. aspiciens vero probris & contumeliis appetitos, proficiscitur Cæsaream ad beatũ Ioannem Archiepiscopum. & rogat eum cum lachrymis vt præbeat ei quietem. Dicebat enim se non posse amplius pati grauia & absurda quæ fiebant à Gazæis. Beatus autem Ioannes cum audiuisset, rogabat eum vt æquo & forti animo pateretur, & retineret episcopatũ. Rñdens vero sanctissimus Porphyrius dixit ei. Te adtestor coram Deo qui non est aspectabilis & spem nostram Iesum Christũ, Dñm omnis rei creatæ, & adorandum & viuificum sanctum spiritum, ne despicias meam petitionem, ne requiratur à nobis interitus animarum innumerabilium. Sed rogo te pater vt mecũ nauiges ad vrbem regiam, vt rogemus Imperatores, rege cœlesti annuente, vt euertant templa idolorum. Respondens autem beatus Ioannes dixit ei. Fili iusta quidem est petitio. sed non est aptum tempus. iam enim imminet conuersio hyemalis. Respondit beatus Porphyrius. Si vult nos Deus esse & Gazæ populum conuertere, potest etiam seruare in hyeme. Tu vero pater, eius fidens clementiæ & misericordiæ id velis. & iter nobis succedet feliciter. Dicit ei beatus Ioannes. Fiat voluntas Christi.

Postq̃ autem beatus Ioannes est ei pollicitus, scribit ad me vt q̃primum venirem Cæsaream, & afferrem mecum tres libros, & quadraginta tres nummos qui ei restabant ex redditu sanctæ ecclesiæ. Ego vero acceptis literis, cum sumpsissem libros & nummos, protinus sum egressus, & cum venissem Cæsareã inueni sanctissimos Episcopos paratos ad nauigandum. & cum post duos dies soluissemus nauigamus vicesimotertio mensis. & cum Dei benignitate fuisset nobis secũda nauigatio spatio decem dierum appulimus ad Rhodum insulam. Erat autem tunc in insula, in auersa eius parte, quidem Monachus nomine Procopius qui nunc est relatus in numerum Angelorum. Dormiit enim quinque abhinc annis. cũ vixisset vitam nulli culpæ affinem, in 11 ieiuniis & vigiliis, & summa

10 *Vides quod semper baptismum præcedit catechismus?*

11 *Ecce qualis uita san*

Eli Monachi, in ieiunio, uigiliis, & summa paupertate.

paupertate. Habebat vero donum quoque prophetiæ, & virtutem expellendi Dæmones. Cum nos autem, vt dictum est, Rhodum appulissemus, & audiuissemus de vita sancti viri, necessariũ duximus eum nõ prȩterire, sed eius angelica frui cosuetudine. & cum rogauissemus vbinã haberet monasterium, ad eum profecti sumus nauigantes in cymba. & cum peruenissemus, pulsauimus ostium. Statim autem egressus per se nobis aperuit, etiamsi haberet apud se alium Discipulum.

Cum autem aspexisset sanctissimos Episcopos, procidẽs in terram eos adorauit. Deinde surgens me quoque est osculatus & pium Eusebiũ Diaconum, quem secum ducebat sanctus Ioannes Archiepiscopus. & cũ nos introduxisset in oratorium, retrocessit dans priorem locũ beatissimis Episcopis, dicens. Decet vos sacerdotes habere priorem locum. me autẽ humilem & abiectum & qui ordinationem nõ sum assecutus, posteriorem. Tunc cognouimus sanctissimum Procopium esse perspiciendi potestate præditum. Cum enim nos nunq̃ aspexisset, neq; de nobis audiuisset, cognouit per spiritum eos esse Episcopos. beatissimos, inquam, Ioannem & Porphyrium. & ideo eos effecit honore dicendi preces priori loco. Deinde post preces sedimus. & cum esset nobis locutus multa animæ vtilia, rogauit causam susceptæ itineris molestiæ. Beatus vero Porphyrius ei oĩa narrauit de Gazæis, quantus sit eorum furor in colendis simulachris, & quam multa mala ab eis patiantur Christiani. & q̃ ea de causa ascendũt vt rogent Imperatores vt euertantur templa idolorum.

Cum autem audiuisset sanctus Procopius Anachoreta, dixit. Domine Iesu Christe, cõuerte tuos famulos à fraude diabolica, ad fidem illuminatam. Deinde dicit sanctissimis Episcopis. Ne sitis anxĳ animo ò patres. Deus enim qui nouit zelũ vestræ fidei, iter vobis diriget, & dabit omnia quæ sunt vobis cordi. Agite ergo, ea vobis dabo monita quæ Deus reuelauit meæ humilitati. Primum conuenite sanctissimum Episcopum Ioãnem: & cũ eo preces ad Deum fundite. & ei rẽ exponite. & ipse est vobis cõsulturus ea quȩ ipsi reuelauit Dñs. Non põt enim loqui in palatio, qm̃ ei irascitur Imperatrix Eudoxia. Ipse ergo vos comendabit Amãtio Cubiculario Dominæ, viro pio & qui habet in honore sacerdotes. ipse vos introducet ad Imperatricem. & qñ ad eam ingressi fueritis, vos est benigne exceptura. Exponite ergo ei rem vniuersam, & iubete eam valere, & exite. In secundo autem ad eam ingressu, postq̃ vos eam huius rei admonueritis, dicite ei. Speramus in Christum filium Dei, q̃ si rei præsenti studueris, est tibi daturus filium masculum. Cum hoc autem audierit, est lȩta futura. est enim pregnans. & hic est mensis nonus ex quo concepit. & est factura omnia vt re vobis reddat effectam Deo annuente.

Nos autem cum audiuissemus quod dixerat vir sanctus, & credidissemus iis quæ fuerat locutus, & ipse nos Deo commendasset, egressi sumus. & soluentes illo die nauigauimus. & post alios decem dies peruenimus Byzantium. & accepto hospitio, die sequenti iuimus ad sanctissimũ Archiepiscopum Ioannem Cum vero cognouisset quinam essemus, nos accepit magno honore & obseruãtia. Nos autem rogauit, quanam de causa hunc viæ laborem sustinuimus. & ei narrauimus. & cum cognouisset, recordatus est nos lõgo antè tempore hoc rogasse litteris. & cum me agnouisset, benigne est complexus. Rogat vero nos ne angamur animo, sed spẽ

habeamus in Dei misericordia. Dixit autem nobis. Ego quidem non possum loqui cum Imperatore eum enim in me irritauit Imperatrix. qm̃ eã reprehendi propter possessionem quam cum concupiisset eripuit. Et mihi quidem non est hoc curæ quod irascatur. Seipsos enim læserunt, nõ me. Nam & si lœdant meum corpus, animæ multo magis proderunt. hoc tamen relinquamus Dei misericordiæ. De nostro autẽ edicto, si videatur Domino, cras accersam Eunuchum Amantium, qui est Eunuchus Imperatricis, & multum potest apud eam. & est vere Dei seruus & ei rem exponam. & est magnum studium adhibiturus Deo annuente.

Nos vero cum ille sic nobis promisisset & nos Deo commendasset. iuimus in nostrum hospitium. Die autem sequenti iuimus ad sanctum: & inuenimus apud eum Cubicularium Amantium. rei enim nostræ curam gesserat, & eo accersito de re nostram eum docuerat. Postq̃ autem ingressi sumus, & cognouit Amantius nos esse eos de quibus cum ipso fueramus locuti, surgens adorauit sanctissimos Episcopos, facie inclinata in terram. Illi vero cum cognouissent quisnam esset, eum sunt complexi & osculati. Porro autem eis quoque iussit sanctissimus Episcopus Ioannes ore proprio Cubicularium docere de re sua. Sanctissimus autem Porphyrius ei omnia narrauit de idololatris. quẽadmodum libere ac confidenter faciũt res nefarias: & quemadmodum affligũt & vexant Christianos. Ille vero audiens fleuit, & impletur zelo diuino. & dicit eis. Ne sitis anxij patres. Dñs enim Christus est defensurus suam religionẽ. Orate ergo vos, & ego loquar cum Augusta. & spero in Deum vniuersorum fore vt consuetam suam faciat misericordiam. Die autem crastino vos ad eam introducam. & ipsa ora vestro à vobis docebitur quæ vultis. inuenietis vero eam à me prius instructam. Cum hæc autem dixisset, nobis valere iussit recessit. Nos quoque cum multa spiritalia locuti essemus cum sanctissimo Archiepiscopo Ioanne, isq; nos Deo commendasset, recessimus.

Die vero sequenti nos accersit Cubicularius Amantius per duos Decanos, vt iremus in palatium. & surgẽtes propere iuimus. Inuenimus autem ipsum nos expectantem. Qui accepit duos Episcopos, & eos introduxit ad Augustam Eudoxiam. Postq; vero eos aspexit, prior salutauit dicens. Benedicite 12 patres. Illi autem eam adorauerunt. Sedebat vero super aureum lectum, & dicit eis. Ignoscite mihi sacerdotes Christi propter ventris quæ me premit necessitatem. Debebam enim in vestibulo occurrere vestræ sanctitati. Sed propter Dñm orate pro me vt quod est in vtero in lucem edam cum Dei benignitate. Sanctissimi autem Ep̃i admirati tantam eius demissionem, dixerunt. Qui benedixit vterum Saræ & Rebeccę & Elisabet, benedicat & viuificet id quod est in tuo vẽtre. Post quam vero locuti sunt alia quoque verba spiritalia, dicit. Scio cur hunc viȩ laborẽ suscepertis. me enim prius docuit Amantius Eunuchus. Quod si vos quoq; me vultis docere, iubete patres. Iussi autem docuerunt oĩa quæ pertinebant ad idololatras. quemadmodum secure faciebant res impias. & quemadmodum sua potentia opprimebant Christianos, non sinentes eos obire vllum officium publicum: neque sua prædia colere, ex quibus vectigalia publica pendunt imperatoriæ potentiæ. Cum hæc audiuisset Imperatrix, dixit. Ne sitis anxij patres. spero enim in Dñm Christum filium Dei, fore vt persuadeam Imperatori ea facere quę decẽt ve-

12 *Nota Ep̃os solere benedicere Imperatoribus.*

ſtram ſanctam fidem,et vos hinc dimittat compotes deſiderij. Abite ergo & vos reficite. eſtis.n.defatigati. & orate vt Deus opẽ ferat meę petitiōi.

Cum hæc autem dixiſſet,iuſsit afferri pecunias. & cum accepiſſet circa tres pugillos,dedit ſanctiſsimis Epiſcopis,dicens, Hęc interim accipite ad expenſas. Epī vero his acceptis, cum multum ei benedixiſſent, exierunt. Exeuntes autem, magnam pecuniæ partem diſtribuerunt Decanis qui præerant portis, adeò vt paucæ apud eas remanerent. Imperatrix vero cum Imperator eſſet ad eam ingreſſus, docuit eum negotium Epiſcoporum. petiit autem vt euerterentur templa Gazæ. Imperator vero cum audiiſſet,ægretulit,dicens. Scio illam ciuitatem eſſe deditam cultui ſimulachrorum.ſed eſt in nos grato animo in pẽſitandis vectigalibus publicis. quæ quidem cōfert plurima. Si ergo eorū templa repente diruamus,metu ſe in fugam coniicient & perdemus tantum canonem. Sed ſi videtur, eos particulatim affligamus, Idololatris adimentes dignitate, & alia ciuilia officia.& iubeamus templa eorum claudi & non amplius celebrari,Cum enim afflicti fuerint ad omnes redacti anguſtias, agnoſcent veritatem. Nā quod exuperat, ſi idem ſit repentinum,graue eſt iis qui ſunt ſubiecti.Imperatrix autem cum id audiiſſet,fuit magno dolore affecta erat enim acris & feruens in fide. Imperatori vero hoc ſolum rñdit. Dñs eſt opem laturus ſeruis ſuis Chriſtianis,ſeu non velimus,ſeu nolimus Hęc nobis narrauit pius Amantius Cubicularius.

Die autem ſequenti accerſiit nos Auguſta. & cum de more prior ſalutaſſet ſanctos Epiſcopos,iuſsit eos ſedere.Poſtq̃ vero locuti eſſent multa verba ſpiritalia, dicit eis. Locuta ſum cum Imperatore, & aliquantum ægretulit. Sed ne animo angamini. Deo enim volente non ſum ceſſatura, donec vobis ſatisfiat,& egrediamini aſſecuti veſtrum qui eſt ex Deo ſcopum. Epī autem his auditis adorarunt. Stimulatus vero ſanctus noſter Porphyrius, recordatus eius quod dixerat beatiſsimus Procopius Anachoreta,dixit Imperatrici. Labora propter Chriſtum,& ipſe pro tuo labore eſt tibi daturus filium,qui viuet & imperabit te vidente & eo fruẽte multos annos.Cum hoc audiiſſet Imperatrix,repleta eſt lætitia,& ruber euaſit eius vultus, & ei acceſsit maior ea quam habebat pulchritudo. ea enim quæ apparent oſtendunt ea quæ latent. Dicit itaq; ſanctiſsimis Epiſcopis. Orate patres vt quō dixiſtis Deo volẽte pariamus maſculum. & ſi hoc factum fuerit,polliceor vobis me facturum oīa quæ petitis. Quinetiam aliud quoq; quod non petiiſtis ſum factura, Chriſto annuente. Sāctam enim eccleſiam ædificabo Gazæ in medio ciuitatis. Abite ergo in pace, & quieſcite aſsidue pro me rogantes vt cum Dei benignitate pariā. & paulopòſt id implebo.Cum ergo vale dixiſſent Epiſcopi,& eam Deo commendaſſent, egreſsi ſunt ex palatio.Precabamur autẽ vt pareret maſculum.credebamus enim ei quod dixerat ſanctus Procopius Anachoreta. & ibamus quotidie ad ſanctiſsimum Ioannem Archiepiſcopum. & fruebamur ſanctiſsimis eius eloquiis dulcioribus ſuper mel & fauum. Veniebat vero ad nos Amantius Cubicularius,aliquando quidem ferens reſponſa Imperatricis.aliquando autem etiam vt nos conueniret.

Paucis autem pòſt diebus parit Imperatrix maſculum. & imponunt ei nomen Theodoſium,quod erat nomen eius aui Theodoſii Hiſpani,qui imperauit ſimul cum Gratiano.Natus vero iunior Theodoſius fuit in lu-

cem

cem editus in purpura. Vnde etiam cum primum fuisset natus, fuit renũtiatus Imperator. Fuit autem magna lætitia in ciuitate. & fuerunt quidã missi per ciuitates qui hęc renunciarent, donaq́; & munera. Domina vero cum primũ peperisset & surrexisset è cella puerperij, misit ad nos Amãtium, dicens nobis per ipsum. Ago Christo gratias, quod per vestras sanctas preces Deus mihi donauit filium. Precemini ergo patres illi vitã & mihi humili & abiectæ, vt impleã ea quæ sum vobis pollicita, rursus ipso volẽte Christo per sanctas vestras preces. Cum autem impleti essent septem dies à puerperio, nos accersit & nobis occurrit in porta cubiculi, portans infantem in purpura. Inclinauit vero caput, dicens. Benedicite 13 patres mihi & filio, quem donauit mihi Dñs per sanctas vestras preces. Infantem quoque tradidit vt ipsum signarent. Sancti autem Episcopi & ipsam & infantem signarunt signo crucis & cum precati essent, sederunt.

13 *Imperatrici caput inclinanti eiusq́; paruulo recens nato benedicunt sancti Epi, & utrunque signo crucis signant.*

Postq́; autem ipsi locuti essent multa verba plena compunctione, dicit eis Domina. Scitis patres, quid de re vestra statui facere? Dñs vero meus Porphyrius rñdens dixit. Quæcunque statuisti, ex Deo statuisti. etenim in hac nocte reuelatum fuit meæ humilitati per visionem, me esse Gazæ. & stare in delubro quod illic vocatur Marnium. & tuam pietatem mihi tradere euangelium, & dicere. Accipe, lege. Ego autem cum aperuissem, inueni locum illũ in quo dicit Dñs Christus Petro. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. & portæ inferi non præualebũt aduersus eam. Tu vero Domina rñdens dixisti. Pax tibi. esto fortis & strenuus. Post hæc autem sum excitatus. & ex hoc persuasum habeo, fore vt Dei filius tui animi instituto opẽ ferat. Dic vero nobis Domina quid statueris. Imperatrix respondens dixit. Si Christo placuerit, paucis post diebus, dignabitur infans sancto baptismate. Ite ergo & facite supplicationem, & petite in ea quęcũq́; volueritis. & qñ egressus fuerit infans ex venerãdo baptismate, tradite supplicationem ei qui ipsum portabit. ego autem docebo eum quid facere oporteat. & spero in Dei filium, eum rem totam esse dispensaturum è voluntate suæ clementiæ. Nos autem his promissis ab ea acceptis, cum ei & 14 infanti multũ benedixissemus, egressi sumus, & euntes fecimus supplicationem, in charta multa ponentes. non solum euersionem simulachrorum, sed etiam priuilegia dari sanctę ecclesię & Christianis, & præberi redditum. erat enim pauper sancta ecclesia.

14 *Cum ei & infanti multum benedixissemus.*

Cum autem dies præteriissent, venit dies in quo erat illuminandus nouus Imperator Theodosius erat vero coronata & ornata vniuersa ciuitas holoserico & auro, & omni alio ornamento. adeò vt non posset quispiam explicare ornatum ciuitatis. Quinetiam fluctuantem habitatorum multitudinem licebat intueri variatam multiplici & diuerso genere vestium. Non est autem mearum virium dicere splendorem illius ornatus, sed illorum qui sunt in dicendo exercitati. ego vero transibo ad præsentem veram conscriptionẽ. Baptizato iuniori Theodosio, et ab ecclesia egresso in palatium, licebat rursus intueri virtutem eorum qui præerant multitudini, & vestem eorum refulgentem. erant enim omnes candidati, vt existimaretur multitudo esse niue repleta. Præcedebant autem Patricij, illustres, & omnis dignitas cum ordinibus militaribus, omnes portantes cæreos, 15 vt putarentur astra cerni in terra. Erat vero prope infantem qui portabatur ipse quoq́; Imperator Arcadius, vultum habens hilarem &

15 *Vides fuisse antiquum morẽ ferendi cæreos accẽsos in die lætitiæ causa?*

nitidum magis q̃ ea quam gestabat purpura. Vnus autem ex Proceribus portabat puerum in splendida veste. Nos vero admirati sumus vidētes tantam gloriam. Dicit autem nobis s. Porphyrius. Si ea quæ paulopost euanescunt, tantam habent gloriam: quanto magis cœlestia quę sunt parata sanctis quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascẽderunt? Stetimus autem nos in vestibulo sanctę ecclesię, habentes etiam chartam supplicationis.

Postq̃ vero fuit egressus à baptismate, exclamauimus dicentes. Rogamus tuam pietatem, chartam quoq; porrigētes. Cum autem aspexisset is qui gestabat puerum & cognoscebat rem nostram, eam enim prius didicerat à Domina, iussit chartam ei accipi. & cum accepisset, cōstitit. iussit autem fieri silentium. & cum soluisset, legit partem. & cum inuoluisset, subiecit manum capiti infantis: & cum id inclinasset, clamauit corā omnibus. Iussit eius potētia ea fieri quę sunt in supplicatione. Omnes autem cum aspexissent sunt admirati: & adorabant Imperatorem, eum beatum pronuntiantes, q́ dignus esset habitus qui videret in vita filium imperātem. exultabat autem audiens. Imperatrici quoque Eudoxię fuit annunciatum quod factum fuerat propter suum filium. Lętata est autem & genibus flexis Deo egit gratias. Ingresso vero infante in palatiũ, ei occurrit Domina, & eum accepit & osculata est. & eum portans, ipsum quoque salutauit Imperatorem, dicens. Beatus es Domine propter ea quę viderunt oculi tui in vita tua. & Imperator lætabatur audiens. Cum autem Imperatrix eum vidisset hilarem, dixit. Si videtur, sciamus quidnā continet supplicatio: vt omnino fiant quæ in ea continentur. Imperator vero iussit legi chartam. & postq̃ lecta fuit, dixit. Grauis quidem est petitio: sed grauior est recusatio, qm̃ hæc est prima iussio nostri filij. Dicit autem ei Domina. Non solum prima iussio, sed etiã in hoc sancto habitu & pietatis gratia supplicatio, & petita à viris sanctis. Vix tandem annuit Imperator, cum Domina valde ei instaret. Hæc omnia renunciauit nobis pius Amantius.

Die autem sequenti nos accersit Imperatrix. & cum de more prior salutasset sanctos Episcopos, iussit sedere, & dixit eis. Vestris precibus concessit mihi Deus rem vestram. idq; factum fuit eius auxilio. vidistis autẽ quanā via & ratione sum vsa. Sed si videtur, crastino die accersam Quęstorem. & coram vobis iubebo, vt conuenienter ei quod cōtinet supplicatio, fiat rescriptum diuinum ex nomine duorum Imperatorum: & vt semel dicam, faciat omnia quæ cōsequuntur. Epi autem, his auditis, ei multum benedixerunt & eius filio, & Imperatori. Cumq; multa alia disseruissent animę vtilia, postq̃ vale dixissent exierunt. Die vero sequenti accersiit Quæstorem & nos. Dicit autem ei. Accipe hanc chartam. & conuenienter ei quod in ea continetur, diuinum rescriptũ manda litteris. Quęstor vero accepta charta, diuinum rescriptum dictauit celeriter nobis prę sentibus. Ei autem suggessimus, vt Duces & consulares & res eorum deputaret ad ferendam nobis opem. Postq̃ vero perfectum fuit diuinum rescriptum & subscriptum, rogauimus Dominam vt hoc negotium mādaretur alicui viro illustri. Iussit autem Amantio quærere virum bono zelo præditum Christianum, cui hoc negotium deberet committi. Multi enim ex iis qui erant in dignitatibus simulate habebant fidem. de quibus

ſumpſit pœnas diuina iuſtitia. Cum enim reſciuiſſent Imperatores, eos non recte ſe habere circa fidem intemeratam, eos priuarunt ſuis dignitatibus, eosq; & in corpore punierunt & multarunt pecuniis. hæc autem facta fuerunt antea. Quocirca iuſsit Auguſta negotium noſtrum cōmitti viro Orthodoxo. Commiſſum vero fuit cuidam nomine Cynegio ex conſiſtorio, vir admirabilis & fide feruens. Eo autem accerſito iuſsit Auguſta, vt omnia idola vſq; ad ſolum euerteret & igni traderet. Porrò ei quoque manu ſua dedit pecunias dicens. Accipe ad ſumptus, & nihil capias à ſanctiſsimis Epiſcopis.

Cum talia autem mandata accepiſſet a Domina. egreſſus eſt prōptior & alacrior. Cum tranſegeſſemus vero reliquum hiemis & feciſſemus ſanctos dies feſtos 16 paſchales & diem reſurrectionis, parabamus nos ad nauigandum. Rogauimus autem admirabilem Amantium vt id ſignificaret Domine, vt eam iuberemus valere. Ille vero cum hoc audiiſſet, fuit magno dolore affectus, ꝓpterea quod nos eſſemus nauigaturi. nos enim tantum dilexit, vt ipſe rogaret Dominam vt eum dimitteret ad orandū in ſanctis & venerandis locis. Timebat autem Domina eum dimittere, ne ſi illuc iret, fieret Monachus & ibi maneret. Sciebat ſiquidem viri vitam. erat enim reuera nulli culpæ affinis. multas præbens eleemoſynas: & 17 perpetuo ieiunans: & multos hoſpitio accipiens. & concurrens ad pios vſus. Hactenus quidem de pio Amantio. Domine vero de nobis ſignificauit. & ingreſsi ſumus ad eam. & dicit ſanctiſsimis Epīs. Quando Deo volente nauigabitis? Illi autem dixerunt. Propterea ſumus ingreſsi vt iuberemus tuam valere potentiam. Illa autem dixit. Recordamini ſemper mei & mei filij. Iuſsit vero protinus afferri pecunias. Quæ cum fuiſſent allatæ, dixit Domino meo Epiſcopo Porphyrio. Accipe pater hæc ducenta & ædifica quam ſum pollicitus eccleſiam in medio Gazæ. & ſignifica mihi ſi opus habueris pluribus pecuniis, et eas ſtatim mittā. Conſtrue etiam Xenodocheum, vt excipias fratres qui veniunt in tuam ciuitatem: & tribus diebus eis ſumptum præbeas. Dedit autem ſanctiſsimo quoq; Ioanni aureos mille, & vaſa pretioſa vtriſq;. Ad ſumptus vero dedit vtriſq; ad centum aureos.

16 Nota dies feſtos paſchales & diem reſurrectionis.

17 Vide uirtutes Amātij qui etiam ex perpetuo ieiunio commendatur.

Obtinuit autem prædictus ſanctiſsimus Ioannes Epiſcopus Cęſareæ quæcunque voluit priuilegia ratione ſuæ eccleſiæ. Cumq; precati eſſent & multum benedixiſſent Dominæ & eius filio & Imperatori, exierunt. Rogarunt etiam vt ingrederentur ad Imperatorem. Imperator autē eos interrogauit an eſſent omnino expediti: & an Auguſta eis aliqua donaſſet. Ipſi vero dixerunt. Sumus omnino expediti à ſoſpite veſtra pietate & pia veſtra coniuge, & à filio veſtro quem Deus cuſtodiat. fueruntq; multa & magna nobis donata. Statim autem iuſsit etiā Imperator Præfectis, eis dare ex publicis vectigalibus palæſtinæ circa viginti libras auri. Dedit autem ipſe quoque pro ſumptibus circiter vnum pugillum. qui inuentus eſt cōtinere circiter nūmos quinquaginta, Cum vero ei quoque multum benedixiſſent, ſunt egreſsi. Egimus aūt in ciuitate alios tres dies, donec accepimus legationem quadraginta librarum. & poſt tres dies nauem aſcendentes nauigauimus Gazam, viceſimo tertio Xanthici qui eſt apud Romanos octauusdecimus Aprilis.

Pręclariſsimus vero poſt nos egreſſus eſt Cynegius vſus publico na-

nigio. Peruenimus autem Rhodum spatio quinque dierum. valde vero studebamus ira ad sanctum Procopium Anachoretã. Cumq; nos valde rogassemus Nauclerum vt nobis concederet tres horas, nõ concessit, dicens. Non possum ventum inuenire tam secundum. Nos autem ei dicebamus. Possunt preces sancti viri nos seruare, & dare nobis ventum secundum. Nauclerus autem indignatus non admisit nostram petitionem. Sed cum aquati fuissemus, soluimus. valde uero cruciabamur quod non licuisset nobis eum cõuenire. Precibus ergo ab eo petiimus vt nobis ignosceret & pro nobis oraret vt salui essemus, & effectum redderemus opus quod fuerat nobis commissum. Cum ergo Rhodo nauigassemus, & duos dies in maris tranquillitate & serenitate felix fuisset nobis nauigatio, repente oritur tempestas, ventiq; fulgura & tonitrua, & in altum tollebantur fluctus instar montium. & attollebatur nauis vt nos existimaremus eam nubes tangere. Erãt autem clamores & lachrymę & oratio ad Deũ. implorabamus quoque preces sancti Procopij Anachoretę. Cumq; fuisset vespera & tempestas non cessat, permansimus vigilantes totam illã noctem circa matutinum autem ex multa afflictione parum dormitarũt sanctissimi Epi: & videt in somnis Dominus meus Porphyrius sanctum Procopium Anachoretam dicentem eis. Nauclerum catechismo instituite & obsignate. est enim ex execranda hæresi Arrij. & efficite vt ipse anathemate notet Arrium & malam eius fidem. & statim cessabit tanta tẽpestas. Propterea enim ꝙ sit ipse ex dicta hæresi, non concessit vobis vt ad me veniretis. Eum tamen catechesi instituite. est enim rectam doctrinã á vobis accepturus.

Hæc cum audiisset sanctus noster Porphyrius, fuit excitatus, & nobis accersitis narrauit quæ viderat in somnis. Statim vero vocato Nauclero ei diximus. Vis nauem tuam esse saluam & nos omnes, & ante omnia tuam animam? Ille autem dixit. Non est hoc rogandum Ei vero dixerunt Epi. Abnega malam tuam fidem, & crede in rectam fidem: & saluus eris tu & nauis & omnes nos. Dicit eis Nauclerus. Qm̃ video vos habere præscientiam. comprehendistis enim quę erant in corde meo cum nemo id vobis renunciauerit, Ecce dico vobis. credo vt creditis. & abnego hæresim Arrij. Rogo autem vos vt per otium me ex sanctis scripturis illuminetis in recta fide. Sancti vero Epi eum acceperunt & obsignarunt, super eum fusis precibus. & eum quoq; impertierũt diuinis sacramentis.
18 Interim autem 18 cessarunt fluctus. & vespere mutatus fuit ventus. & feliciter nauigauimus. & cum fuissemus in pelago alios quatuor dies, quinto mane adnauigauimus in maritimam partem Gazeorum quam vocant Maiumam. Postq; autem descendimus, nos cognoscentes qui illic erant Christiani exceperunt cum Psalmodia. Similiter vero ex ciuitate quoque cum audiuissent, occurrerunt nobis habentes signum venerandæ crucis, & ipsi psallentes. Commixti sunt autem qui erant ex duobus locis. et facti sunt non paruus populus. erant enim plures qui erãt ex maritima, propterea ꝙ haberent multos Ægyptios vini mercatores. I dolorũ vero cultores, videntes ea quæ fiebant, dissecabãtur. sed nihil audebant facere, qm̃ audiuerant in quanto honore fuissent habiti sanctissimi Epi apud Imperatores. & ꝙ essent euertenda simulachra. & magna angebantur cura & animi ęgritudine.

Mira res, abiurata à Nauclero Arriana hæresi, cessauit maris tempestas.

Postq;

Postq̃ autem fuimus ingressi ciuitatem, in loco qui vocatur Tetramphodos, idest quadriuium, stabat statua marmorea. & dicebant eam esse Veneris. erat autem supra aram marmoreã. statuę vero effigies erat nudę mulieris q̃ habebat aperta tota sua pudẽda. Statuam autem in honore habebant oẽs ciues. maxime vero mulieres, lucernas accendẽtes & thure suffiiciẽtes. Dicebant.n.eam in somnis r̃ndere iis q̃ volunt inire matrimoniũ. Decipiebant aũt seinuicem mentientes. Sępe vero iussi à Dęmone contrahere m̃rimonium, tantum absuit vt id recte eis procederet, vt inter eos fierent diuortia, aut male cohabitarent. Hæc cognouimus ab iis q̃ fuerant auersi ab errore, & veritatẽ agnouerant. Quinetiam nonnulli Idololatræ non ferentes calamitates grauium coniugioꝝ, q̃ iussi fuerant contrahere à Dęmone Venere, succẽsentes confessi sunt deceptionẽ. Tales.n.sunt Dęmones, vt q̃ decipiant, & nihil vnq̃ veri dicant. Neq;.n.possunt aliq̃d certo scire: sed ex verisimilibus prę se ferunt se prescire apud eos q̃ eis seruiunt. Q̃uo.n.possunt verum dicere q̃ exciderunt à veritate? Quòd si in aliquibus contingit eos diuinare, hoc fit ex eo quod euenit. q̃uo etiam accidit in hominibus vt sæpe quædam p̃dicant futura de re q̃ est euentura. Ea ergo quæ ex iis q̃ accidunt successerũt, quod quidem raro fit, admiramur. Quę autem coniectura non assequuntur, quod quidẽ fit assidue, silemus. Hactenus quidem de Dæmonibus & de eorum deceptione.

Cũ nos ergo vt dictum est, nauigassemus in ciuitatem, & venissemus in locũ in quo erat dictum simulachrum Veneris, portarent autem Christiani venerandum lignũ Christi, hoc est figuram 19 crucis, videns Dæmon q̃ habitabat in statua, nec videre sustinens signum quod ferebat, turpiter egressus ex marmore, deiecit ipsam statuã, & confregit eã in multa fragmenta. Accidit vero vt duo Idololatrę starent prope arã in qua stabat statua. & corruens, vnius quidẽ caput fregit in duas partes: alterius autẽ humerum & brachiale. Stabant.n.ambo sanctum populum subsanãtes. Multi autem ex gentilibus cum vidissent signum quod factũ fuerat, crediderunt. & cõmixti cum Laicis, vnà cum eis sunt ingressi in sanctam ecclesiam, noie Irenem. Fuit autem illo die magnum gaudium inter xp̃ianos tribus de causis. Primũ quidem q̃ sanum recepissent sacerdotem. & q̃ ea fecerat quod desiderabat. Sc̃do, q̃ contriti esset Dij gentium, & facti essent tanq̃ puluis q̃ dispergitur ab area ęstiua: quinetiam similiter atq; ipsi cõfracti sunt q̃ confidebant in eis. Tertio aũt & maxime, q̃ conseruatę sunt animæ q̃ errabant, & accesserũt gregi Christi. Cum eos vero obsignasset Ep̃s, dimisit in pace, iubens vt vacarent sanctis scripturis. erant vero viri numero XXXII. & septem mulieres. Cum duos autem alios dies fuisset Gazę Ioannes Archiepiscopus, profectus est Cęsaream. quem Christiani omnes & sanctus Ep̃s deduxerunt vsque ad duo milliaria.

19 *Vide uirtutem uenerandæ figuræ sanctæ Crucis, ut Dæmõ fuerit coactus recedere ad eius aspectũ.*

Post decimum autem diem venit admirandus Cynegius, habens secũ Consularem & Ducem, & magnam manum militarem & ciuilem. Pręsciuerunt vero multi ex Idololatris, & exierunt è ciuitate. alij quidẽ in vicos. alij autem in alias ciuitates. erãt vero cõplures ex diuitibus ciuitatis. Eorum autem ędes q̃ fugerant annotauit quẽ diximus Cynegius. Die autem sequenti, accersitis ciuibus, p̃ntibus Duce & Consulari, aperuit eis litteras imperatorias, q̃ iubebant, vt euerterentur simulachra & delubra, & igni traderent. Cum primum vero id audiuissent Idololatrę, eiularũt ma-

gna voce. adeò vt id ęgretulerint magiſtratus: & in eos cum minis emiſerint milites q eos virgis & clauis verberabant. Chriſtiani aũt cum magno gaudio laudibus ꝓſequebantur Imperatores & magiſtratus. Statim vero cum magiſtratibus & cohortibus militaribus impetum fecerunt & euerterunt delubra. Erant autem in ciuitate, ſimulachrorum publica templa octo. nempe Solis & Veneris et Apollinis, & Proſerpinę & Hecates. & quod dicebatur Hierion, ſeu ſacerdotum. & fortunæ ciuitatis quod vocabant Tycheon. & Marnion, quod dicebant eſſe Critæ generis Iouis. quod exiſtimabant eſſe glorioſius oĩbus templis quæ ſunt vbiq;. Erant autem alia quoq; plurima ſimulachra in ędibus & pagis, q̃ nemo poſſet numero ſubiicere. Dęmones. n. cum Gazęorum animum vt ductilem apprehendiſſent, errore impleuerunt vniuerſam ciuitatem & q̃ circũcirca ſita erat regionem. hoc aũt eis accidit ex nimia ſimplicitate. Quamobrem traducti ad ſanctam fidem, fiunt magno zelo incitati Chriſtani. Hactenus quidem de Gazæis.

Iuſsi ergo milites cum Chriſtianis ciuitatis & maritima eius parte, impetum fecerunt in ſimulachra. Et primum cum voluiſſent euertere ſimulachra & Marnium, repulſi ſunt. Illius enim idoli ſacerdotes cum prius de eo audiuiſſent, portas interioris templi intrinſecus magnis lapidibus obſtruxerunt. & cum exportaſſent in ea quæ dicuntur adyta, quæcunq; erant vaſa in templo pretioſa: quinetiam ipſa Deorum ipſorum animalia, illic occultauerunt: & per ipſa adyta fugerunt per alias vias. Dicebãt enim dicta adyta habere multas vias in diuerſa loca. Repulſi ergo, ſicut prius dixi, conuerſi ſunt ad alia ſimulachra. & alia quidem euerterunt. alia vero igni tradiderunt. Cum ergo rapuiſſent omnia quæ in eis erant
20 vaſa pretioſa, Sanctus autem Porphyrius 20 anathemati ſubieciſſet in eccleſia quemlibet ciuem Chriſtianum qui ex delubris aliquid accipit ad lucrum propriũ, nullus ex fidelibus ciuibus aliquid accepit, niſi milites, & qui illic inuenti ſunt aduenę. Obibant ergo cum laicis ex clero viri pij, & ipſe ſanctus Porphyrius Epiſcopus reprimentes eos ne aliquid acciperent. Fuerunt vero decem dies euertentes templa ſimulachrorum.

Vides etiã apud priſcos patres excommunicationem fuiſſe in uſu?

Poſt dictos autem dies conſilium cœperunt quonammodo vterentur Marnio & quid ei facerent. Alij enim dicebãt id debere effodi. alij autem comburi. Alij locum purificari, & ſanctificari ad Dei eccleſiam. & erat de
21 ea re magna deliberatio. Tandem ſanctus Eps edicit populo 21 ieiuniũ & orationem, vt eis reuelet Dñs quidnam eos facere oporteat. Cumq; illo die ieiunaſſent, & Deum de hac re precati eſſent, veſpere peregerunt ſanctam ſynaxim. Cum perageretur autem puer circiter ſeptem annos natus ſtans cum matre propria, repente exclamauit dicẽs. Comburite intus templũ vſq; ad ſolum. Facta ſunt. n. in eo multa grauia, & maxime hominum ſacrificia. Id vero hoc modo comburite. Afferte picem humidam. ſulfur, & ſæuum porcinum. & hæc tria commiſcete. & vngite portas æneas. & ignem in eas inijcite. & ſic totum templũ comburetur. Nõ poteſt. n. aliter fieri. Id aũt ꝙ eſt exterius ſinite cum ambitu. & poſtq̃; fuerit cõbuſtum, purgantes locum, ædificate illic ſanctam eccleſiã. Dicebat autem hoc quoq;. Teſtificor vobis corã Deo ne fiat aliter. Neq;. n. ego ſum qui loquor, ſed Chriſtus qui in me loquitur. Hęc aũt dixit lingua Syriaca. Poſtq̃ vero audierunt, oẽs admirabantur & Deũ glorificabant.

Ieiunio & oratione quid non obtinetur adeo?

Venit autem hoc miraculum etiam ad aures sancti Epi. & cum manus suas ad cœlum extendisset, Deum glorificauit & dixit. Gloria tibi Pater sancte, qm̄ abscondisti à doctis & sapientibus, & reuelasti ea paruulis. Iussit autem puer suam quoq; matrē, postq̄ dimissa esset ecclesia, iuueniri in epi ædibus. Separato itaq; pueros, dixit Eps mulieri. Adiuro te per filiū Dei viui, vt dicas, an suggestione tua aut alicuius alterius te sciēte, filius tuus illa est locutus quæ dixit de Marnio. Mulier autem cū hæc audiuisset, dixit. Trado meipsam terribili & tremendo Christi tribunali, si vnq̄ præsciui aliquid ex iis quæ filius meus hodie est locutus. Sed si videtur tibi, ecce accipe puerum & cum minis de eo habe quæstionem. & si alicuius suggestione, metu confitebatur. Sin vero nihil aliud dicet, est euidens q̄ à spiritu sancto fuit inspiratus.

Cum hoc audiisset Eps quod dixerat mulier & laudauisset, iussit eam paululum secedere, & introduci puerum. Cumq; adductus esset puer, dixit ei. Quis tibi suggessit vt loqueretis in ecclesia illa quæ es locutus de Marnio? Puer autē tacebat. Iussit vero sanctissimus Eps afferri flagellum & extendi puerum ad hoc vt ab eo terreretur. Ille autem tenens flagellum alta voce clamauit dicens. Quis tibi dixit vt loquereris? dic, ne flagello cedaris. Puer vero stabat mutus nihil loquens. Tūc nos qui eramus circa ipsum, hæc ei cum minis diximus. ille autem erat immobilis. Tandem postq̄ oēs cessassent, os suum aperiens dixit puer, lingua græca. Vrite templum quod est intus vsq; ad solum. Multa.n.grauia in eo facta sunt. & maxime hominum sacrificia. Hoc autem modo id vrite. Afferte picem humidam, & sulfur, & sæuum suillum. & miscete hæc tria. & vngite portas æneas. & ignem eis immittite. & sic templum comburetur. Alias enim non potest fieri quod est exterius autem finite cum ambitu. & postq̄ fuerit combustum, expurgato loco statuite illic sanctam ecclesiam. Testificor.n.vobis coram Deo non posse aliter fieri. Non enim sum qui loquor, sed qui est in me Christus. Admiratus est autem sanctissimus Eps Porphyrius, & omnes qui cum eo erant, audita pueri libera loquendi fiducia, & q̄ partite & distincte esset locutus, Accersita vero matre eam interrogauit, an ipsa aut filius eius sciret linguā græcam. Illa autem iureiurando affirmabat, neq; se, neq; suum filium scire græce. Cum hoc rursus audiuisset sanctissimus Porphyrius, laudauit Dn̄m. & afferens tria nomismata ea dedit mulieri. Puer autē cū vidisset nomismata in manu matris suæ, exclamauit dicēs lingua Syriaca. Ne accipias mater, ne tu quoq; auro vendas donum Christi. Rursus autem cum id audiuissemus, summe mirati sumus. Mulier vero reddidit tria nomismata, dicens Epo. Ora pro me & filio & cōmenda nos Deo. Sanctus autem Eps eos dimisit in pace.

Mane vero congregatis religiosis Clericis & Christi amante populo, & præterea admirabili quoque Cynegio & magistratibus, dixit eis. q̄uo locutus est puer de Marnio. Cū autem audiuissent, mirati sunt & cōi cōsensu dixerūt, vt sicut dixerat puer sic combureretur. Allata ergo pice humida, & sulfure, & sæuo suillo, & his tribus mixtis, vnxerunt portas interiores. & fusis precibus ignem admonuerunt. & statim vniuersum templum eum arripuit, & fuit exustum. Quotquot autem milites & hospites poterant, rapiebant ex igne quæ inueniebant, seu aurum, seu argentum, aut ferrum, aut plumbū. Erat vero illic quidā ex Præfectis militaribus quos

vocant Tribunos,qui aderat combustioni templi.erat autem,vt apparebat Christianus:in occulto vero erat idololatra, Hic ergo cum interesset & videret conflagrationem & direptionem quæ fiebat a militibus,dissecabatur.& sub prætextu q curaret vt seruarent ordines,flagellis crudeliter cædebat quem inueniebat ferentem aliquod spolium. Cum hæc fierēt & ab igne corrupti essent parietes,repēte lignum ardēs incidit in Tribunum.& ei duplicem affert mortem. Perfracto enim capite eius, vsit reliquum corpus. & statim fideles milites & Christi amans populus, scientes eum esse propensum ad simulachra, Deum glorificarunt, & dixerunt
" illū psalmū qui dicit. Quid gloriaris in malitia potens iniquitate. Tota
" die iniustitiam cogitauit lingua eius.Tanq̄ nouacula acuta fecisti dolum.
" Dilexisti malitiam magis q̄ bonitatem.iniustitiam magis q̄ loqui iusti-
" tiam. Dilexisti omnia verba submersionis linguam dolosam. Propterea
" Deus destruet te in finem. Euellet te & emigrare te faciet ex tabernaculo
" tuo, & verbum tuum ex terra viuentium. & quæ deinceps sequuntur in
" psalmo. Dies vero plurimos perpetuo arsit templum.

Postea autem facta est etiam domorum perscrutatio.erant.n.multa simulachra in plurimis atriis.& quę inueniebantur,partim quidē igni tradebantur.partim autem in cœnum iaciebantur. Inueniebātur libri quoq; pleni pręstigiis & incantationibus,quos quidē dicebant sacros ex quibus sua faciebant mysteria & alia nefaria idololatræ. Ipsi quoque eadē passi sunt quæ Dii sui. Accurrebant autem multi ad sanctam fidem, alii quidē metu.alii verò cōdemnantes priorem suam viuendi rationem. Omnibus vero portas sancta aperiebat ecclesia.Meminerat.n.sanctæ scripturæ quę dicit. Pulsanti aperietur: & qui quærit inuenit. Et rursus Sine prætextu, sine veritate Christus annunciatur. Dicebant autem quidam ex fidelibus sancto Episcopo,non oportere eos accipere qui accedunt propter metum, sed eos qui bono proposito. Sanctus vero Episcopus dicebat iis qui hæc dicebant.

Sunt etiam virtutes quæ casu & calamitate accidūt hominibus. Qūo qui seruum aliquem possidet improbum & ingratum, prius eum admonet vt sit semper memori & grato animo.Postq̄ autem eum nullo modo videt parere admonitioni, ei de cætero metum infert necessario, plagasq; & vincula,& alia huiusmodi.nō volens eū perdere,sed seruare,& agnoscere id quod oportet. Talem etiam Deū existimate qui fert patienter nostrum ingratum animū: sæpe autem suadet quæ sunt nobis vtilia per scripturas & alios viros sanctos. Nobis vero nō parentibus,volens oīno vt bonus & benignus nos possidere & non repellere,nobis infert suum timorem & disciplinam, nos inuitans vt cum necessitate agnoscamus id quod
" oportet.Quamobrem dicit scriptura. Qñ interficiebat ipsos,tunc quęre-
" bant eum,& conuertebantur,& mane vigilabant ad Deū. Et rursus dicit propter eos qui resiliunt & iugū à Deo excutiunt. In chamo & freno constringes maxillas eorum qui non appropinquant ad te. Oportet ergo ô filii mei,admonere humanitatem per metus & minas & disciplinā. Propterea rursus dicit. Bonum est q humiliasti me,vt discam iustificationes tuas. Hæc autem à me dicta sunt propter eos qui volunt accedere ad nostram sanctam fidem. Nam & si dubitantes accesserint, potest eos mollire tempus Christo annuente. Vt autem aliud quoque vobis renunciem.

Si non

Si non conſpecti fuerint fide digni, vt qui iam fuerint in mali habitu, qui ex eis naſcuntur poſſunt eſſe ſalui, vt qui cum bono conuerſentur.

Cum hæc ſanctus dixiſſet Porphyrius, & perſuaſiſſet fratribus. accipiebat omnes qui volebant illuminari, catecheſi 22 eos inſtituens multis diebus non ſolum ante baptiſmum, ſed etiam poſtea. Aſsidue enim docebat verbum, non ſplendida & magnifica vtens oratione & ſe volens oſtentare: ſed ſimplici vtens dictione, & omnia ſoluens ex ſcriptura. Acceſſerunt ergo illo anno gregi Chriſti circiter trecenta nomina. & ab illo tempore augmentũ accipiebant ſingulis annis res Chriſtianorum. Marnio vero omnino exuſto & conſtituta ciuitate, ſtatuit beatus Epiſcopus cum religioſo clero & Chriſti amante populo, ſanctam eccleſiam condere in loco exuſto, quomodo ei reuelatum fuerat quando erat Conſtantinopoli. propter quod etiam acceperat pecunias à religioſiſsima Imperatrice Eudoxia. Dimiſsis ergo magiſtratibus & Chriſti amante populo, retinuit partem auxilij, ne fieret aliqua nouitas poſt eorum exitum. Non propter hoc autem ſolum: ſed etiam vt opem ferrent ad congregandam materiam ædificij dictæ ſanctæ eccleſiæ. Quidam autem conſulebant vt ædificaretur ſicut poſitum fuerat idoli templum. Erat enim formæ rotundæ, circundatum duabus porticibus, ſeinuicem interius ſubeuntibus. eius vero medium erat ad emittendos vapores conſtitutum, ſeptemtrionaleq; & extenſum in altum. Habebat autem quædam etiam alia quæ decebant ſimulachra. apta ad execranda illa & nefaria quæ fiebant ab idololatris. In hac ergo forma & poſitura dicebant quidam ędificandam eſſe ſanctam eccleſiam. Alij vero contradicebant, dicentes ipſam quoque poſituræ memoriam eſſe dolendam. Qui autem hoc dicebant, perſuadebant omnibus vt qui recte dixiſſent. Dixit vero ſanctiſsimus Epiſcopus. Hoc quoque relinquemus conſilio.

22 Ecce quomodo qui adulti baptizabantur, multis diebus ante & poſt baptiſmum cathecheſi illuminabantur.

Interim autem dum repurgatur locus, venit Magiſtrianus epiſtolas afferens imperatorias ſemper memorandæ Eudoxiæ. Continebant vero litteræ ſalutationem & precum petitionem pro ſuo marito & filio. Erat autem in alia charta intra litteras deſcripta forma ſanctæ eccleſiæ in figuram crucis, quõ nunc quoque Deo volente cernitur. & continebant litteræ, vt conuenienter dictæ figuræ ſancta conderetur eccleſia. Lætatus eſt autem ſanctus Porphyrius cum legiſſet & vidiſſet formam deſcriptam. Sciebat enim hoc quoque factum fuiſſe ex diuina reuelatione. & meminit ſcripturæ quæ dicit. Cor Regis in manu Dei. Continebant autem litteræ pretioſas quoque columnas eſſe mittendas & marmora. Eiecto autem cinere & ablatis omnibus abominationibus, relicta rudera marmorum Marnij, quæ dicebant eſſe ſacra & in loco inacceſſo, maxime mulieribus, ea cenſuit ſanctus Epiſcopus incruſcari in platea ante templum. vt conculcarentur non ſolum à viris, ſed etiam à fœminis, & canibus, & porcis, & beſtiis. Hoc vero idololatris fuit magis moleſtum quàm templi conflagratio. Quamobrem complures ex eis, maxime autem mulieres, vſque in hodiernum diem marmora non aſcendunt.

Breui autem poſt tempore edicit ieiunium vno die. & cum dimiſſæ

fuiſſent preces matutinæ, iuſsit pius Epiſcopus quemlibet virum Chriſti amantem afferre ligones & raſtra & alia huiuſmodi inſtrumenta. Hoc vero veſpera prius edixerat, vt omnes mane inuenirentur parati, quod etiam factum eſt. Congregato autem populo cum dictis inſtrumentis in ſancta eccleſia quæ appellabatur Irene, iuſsit omnes pſallentes ſimul proficiſci in Marnium quod olim fuerat. Ipſe vero ſequebatur portans ſanctum Euangelium, & circa ſe habens pium clerum, re uera imitans Chriſtum cum diſcipulis. Præcedebat autem populum
23 ſemper memorandus Barochas, venerãdæ 23 crucis portans effigiem. Ab vtriſque vero partibus populi erant milites, qui relicti fuerant ad continendam in officio ciuitatem. Euntes autem pſallebant. & in verſiculorum pſalmi interciſione dicebant, Alleluia. Erat autem pſalmus quem dicebant. Venite, exultemus Domino. iubilemus Deo Saluatori noſtro. Præoccupemus faciem eius in confeſsione. & in pſalmis iubilemus ei. Quoniam magnus Dominus & Rex magnus ſupra omnem terram. Quoniam in manu eius ſunt fines terræ & altitudines montiũ. Quoniam ipſius es mare, & ipſe fecit illud. & aridam formauerunt manus eius. Venite adoremus & procidamus ei. & ploremus coram Domino qui fecit nos. Quoniam ipſe eſt Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius.

Vide quomodo etiã antiquitus cum fieret, solennis proceſsio, præcedebat uexillũ ſalutiferæ. Crucis.

Dicebat autem alios quoque pſalmos, donec ingreſsi ſunt in Marnium. Hortatus eſt autem ſanctus Porphyrius Epiſcopus Ruffinum quendam Architectum Antiochenum, virum fidelem & ſcientem, per quod fuit etiam perfectum totum ædificium. Is accepto gypſo deſignauit poſituram ſanctæ eccleſiæ, conuenienter formæ quæ miſſa fuerat ab in primis pia Auguſta Eudoxia. Cumq; precatus 24 eſſet ſanctiſsimus Epiſcopus & genu flexiſſet, iuſsit populum fodere. Statim autem omnes vno animo & eadem alacritate fodiebant clamantes. Chriſtus vicit. Non licebat vero videre differentiam inter virum & mulierem, aut ſenem aut puerum. ſed promptus & alacer animus vires præbebat omnibus. Et alij quidem fodiebant: alij autem terram exportabant. adeó vt paucis diebus fuerint & omnia loca effoſſa & terra egeſta. Prius itaque præparata materia, & ingentibus lapidibus ex tumulo qui dicitur Aldioma, á parte orientali ciuitatis, & alia materia, Sanctus rurſus, congregato Chriſti amante populo, multiſq; precibus & pſalmodiis dictis in loco, ipſe primus ſe ſuccingens cœpit portare lapides, & iacere fundamenta. Deinde pij quoque Clerici, & omnes Laici lætantes & magna voce pſallentes, adeó vt audirentur á tribus milliariis ex ciuitate. Factum eſt aũt illo die magnum miraculum.

24 *Cum precatus eſſet ſanctiſsimus Epiſcopus, & genu flexiſſet.*

Sunt putei intra ſacrum ambitum. ex quibus eſt vnus ab occidentali parte ſanctæ quæ nunc eſt Dei eccleſiæ, non parum profundus. Tres ergo pueri ſitientes iuerunt ad bibendum. & appropinquantes ori putei, ſe inclinabant imitentes ligno quod erat in ore putei, vt ſolent facere pueri. & fracto ligno tres ceciderunt in puteum. Quidam vero qui forte illic aderant, iuerunt & renunciarunt populo quæ facta fuerant. Fuit autem non paruus tumultus omnibus concurrentibus ad puteum. Cum vero quod factum fuerat cognouiſſet ſanctiſsimus Epiſco-

pus, ipse quoque currens ad locum, iussit fieri silentium. Quo facto cœpit præcari & rogare 25 Deum cum multis lachrymis, & viuos & illæsos conseruaret pueros: & maxime propter Idololatras. ne dicant, vbi est Deus eorum in quem sperabant? Et cum fuisset hora vna humi inclinatus, & surrexisset, iussit aliquem descendere per funes cadorum, & scrutari pueros. Clamabant enim qui erant ex populo, appellantes pueros: neque erat vllus qui eos inferne audiret ex puteo. Cum autem vir ille descendisset, inuenti sunt tres pueri, sedentes super magnum lapidem, illesi & hilares inter se colloquentes. Cum vero vir ille eos aspexisset, valde est admiratus, & Deum glorificauit. & inferne clamans, dixit. Laudate Dominum. viuunt enim tres pueri. Cum autem audiuisset sanctus Episcopus, & populus, lætati sunt. & demissa magna sporta, iusserunt simul efferri tres pueros. erant enim parui ad sex vel septem annos nati. Sporta vero accepta is qui erat inferius, tres illos ligatos fecit tuto sedere. iubens eis claudere oculos, donec sursum peruenissent, & dicere. Iesu Christe serua nos. Cum'q; hoc fecisset, clamauit vt apte funem traherent. & trahentes dicebant hymnum trium puerorum. Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. Cum'q; peruenissent, & eos aspexisset sanctissimus Episcopus, erat enim is stans in ore putei, & tenebat funem, repletus gaudio & lachrymis, exclamauit, dicens. Benedicite omnia opera Domini Domino, & laudate Dominum. Postquam autem eos e sporta sustulerunt, scrutati sunt nunquid fracta esset aliqua pars eorum corporis. & nihil inuentum est in eis male affectum.

25 *Ecce oratio cum lachrymis, et mirabilis eius effectus.*

Sed magnum aspeximus miraculum. Inuenti sunt enim tres pueri habentes signa 26 crucis tanquam acu infixa. Vnus quidem in media fronte. alius autem in summa dextra manu circa digitos. alius vero in humero dextero. erant autem pulchre expressæ cruces, neque obliquæ, neque incuruæ. sed vnius mensuræ. vt apertum esset eas diuina esse signa. Neque enim eis afferebant dolorem, neque eduxerant sanguinem. sed erant impressæ tanquam ex cinabari. manserunt autem in eis longo tempore, ad hoc vt viderent omnes & admirarentur. Nam multi etiã ex alienigenis cum vidissent, crediderunt. Cum vero ille quoque ascendisset qui propter pueros descenderat, iureiurando affirmabat, dicens. Quando eos immisi in sportam, & sursum ferebantur, videbam circa eos tanquam fulgur, donec peruenissent ad os putei. Fuit autem Christianis illo die lætitia: cultoribus vero simulachrorum dolor & offensio. Ædificium autem procedebat in dies, omnibus prompto & alacri animo operantibus. Neque enim erat qui vllum sua mercede frustraretur: sed etiam amplius præbebat, se munifice gerens in eos qui operabantur. Dicebat enim iustum esse vt non execrationem sed benedictionem acciperet omne opus ędificij.

26 *Nota miram uirtutẽ signi sanctissimæ crucis.*

Anno autem sequenti mittit Eudoxia Imperatrix columnas quas erat pollicita, quæ quidem erant magnæ admirabiles, numero triginta. Duæ vero vocantur Carostiæ. quæ quidem sunt in sancta ecclesia, lucentes tanquam smaragdi. Cum ij autem adnauigassent, qui eas ferebant, rursus apparuit studium promptus'q; & alacer animus populi

Christum amantis. Omnes enim cum audiuissent, statim cucurrerunt ad littus. non solum vero viri, sed etiam fœminæ & pueri & senes. omnes enim corroborabat fidei desiderium. Et cum currus adduxissent, impositam vnāquāque columnam traxerunt, & in templi hypæthro eam deposuerunt. & rursus reuersi sunt & aliam attulerunt, donec omnes portarunt. Et de his quidem hactenus.

Illo autem tempore venit in ciuitatem mulier quædam Antiochena quæ vocabatur Iulia. erat vero ex execranda hæresi eorum qui dicuntur Manichæi. Cumq; cognouisset aliquos esse recens illuminatos, & in sancta fide nondum stabilitos, in eorum irrepens animos, eos corrumpebat per doctrinam suam oculos præstringentem & incantātem: sed multo magis per pecuniæ erogationem. Qui enim inuenit dictam impiam hæresim, non aliter potuit inescare aliquos nisi datis pecuniis. Eorum enim doctrina, iis quidem qui sapiunt plena est omni blasphemia & condemnatione, & anilibus fabulis, quæ attrahunt muliercuias, & viros pueriles qui leuem habent mentem & cogitationem. Ex diuersis enim hæresibus & gentilium dogmatibus, hanc suam peruersam constituerunt opinionem, callide & vafre volentes omnes capere. Deos enim multos dicunt, vt placeant gentilibus. Præterea tempus ortus obseruant, fatumq; & astrologiam asseuerant, vt secure peccent, vtpote quod non sit in nostra potestate peccare, sed ex fati necessitate. Porro autem Christum quoque confitentur. Dicunt enim eum hominem fuisse visione. etenim ipsi quoque visione dicuntur esse Christiani. Ea enim prætermitto quæ sunt ridicula & digna execratione, ne eorum qui hæc legunt aures impleam molesta auditione & prodigiosis narrationibus. Res enim Philistionis, Sceni, & Hesiodi, & aliorum qui dicuntur philosophi, commiscentes cum rebus Christianis, suam hæresim constituerunt: Quomodo enim Pictor mixtione faciens ex diuersis coloribus, efficit existimatione hominem, aut bestiam, aut aliquid aliud, ad decipiendos eos qui aspiciunt. vt stultis quidem & insipientibus videatur esse verus. iis autem qui sapiunt vmbra & deceptio & humana excogitatio. Ita etiam Manichæi ex diuersis dogmatibus haurientes, effecerunt improbam suam opinionem. vel potius ex diuersis serpentibus virus congregātes & miscentes, letiferum effecerunt venenum ad hominum animas interimendas.

Vt autem prius dictum est cum illic versaretur pestifera mulier, quidam fallaci illius doctrina sunt seducti. Post aliquot vero dies, cum id cognouisset à quibusdam fidelibus sanctus Porphyrius, eam accersitam interrogauit quisnam & vnde esset, & quamnam haberet opinionem. Illa autem & patriam & se esse Manichæam est confessa. Is vero qui erant apud ipsum ira motis, erant enim quidam pij, eos rogat beatus ne irascantur, sed patienter eam admoneant & semel & bis. seruans id quod dictum est à sancto Apostolo. Deinde dicit mulieri. Abstine ò soror ab hac mala opinione est enim Satanica. Illa autem respondit. Dic & audi, & aut persuadebis, aut persuadeberis. Sanctus vero dixit. Para te ad crastinum diem, & veni huc. Illa autem cum valere

27 *Vides sanctos uiros* eum iussisset, & egressa. Beatus autem cum ieiunasset, 27 & Christum

stum multum rogasset, vt Diabolum pudore afficeret, paratus fuit in diem sequentem. Aduocauit vero quosdam ex piis Clericis & Laicis, ad disputationem suam & mulieris. Die autem sequenti accedit mulier habens secum duos viros & totidem mulieres, quæ erant iuniores & formosæ, omnes vero pallidi. Iulia autem erat prouecta ętate. Ducebatur autem tota eorum disputatio à scriptis & orationibus mundanæ disciplinę. multo vero magis Iulię. Erat aũt humilis eorum habitus & modesti mores. & quod dicitur, extrinsecus oues: intrinsecus vero lupi rapaces & venenata animalia. Omnia enim dicunt & faciunt cũ simulatione. Deinde iussi sedere disceptabant & inquirebant.

nihil arduum attentare sine oratione & ieiunio.

Sanctus autem Porphyrius ferens sancta Euangelia, cum fecisset signum crucis 28 in ore suo, cœpit eum rogare vt diceret suam opinionem. Illa vero cœpit. Frater autem Cornelius Diaconus qui fuit paulo ante nominatus, sciens notis scribere quibus vtuntur in iure, iussus à beatissimo Episcopo, notabat omnia quæ dicebantur & opponebantur, me & fratre Barocha admonentibus. Disputationem autem non scripsi in hoc libro, propterea quod sit magna. vt qui velim compendio hoc scriptum mandare litteris. eam vero in alio libro exposui iis qui volunt scire sapientiam à Deo datam sanctissimo Porphyrio: & aniles fabulas quas effutiit prodigiosa loquens & venefica Iulia. Quam quidem cito est persecuta diuina iustitia. Postquam enim multa horis plurimis esse fabulata, & consuetas dixisset blasphemias in Dominum & Deum vniuersorum, motus à diuino zelo sanctus Porphyrius, videns eum qui omnes fines continet, tam qui cadunt sub aspectum, quã qui non cadunt, blasphemiis & maledictis incessi à muliere in quam operabatur Diabolus, & quæ se submittebat illius voluntati, in eam tulit sententiam, dicens. Deus qui facit omnia qui est solus æternus, neque principium habens nec finem. qui glorificatur in trinitate, tuam percutiet linguam. & obstruet os tuum, ne loquatur blasphema. Sententiæ autem prolationem consecutum statim fuit supplicium. Cœpit enim tremere Iulia & mutari vultu. & manens in extasi longum tempus non loquebatur: sed erat muta & immobilis, habens apertos oculos & intuentes sanctissimum Episcopum. Qui vero cum ea erant, cum aspexissent ea quæ sustinebat, magno timore sunt affecti. eam autem consolabantur, & carmina cantabant ad eius aures. & non erat vox, nec auditus.

28 *Cũm fecisset signum crucis in ore suo.*

Cum longo autem tempore mansisset muta, emisit animam, profecta ad tenebras quas in honore habuerat, eas lucem esse arbitrans. conuenienter scripturæ quæ dicit. Væ iis qui faciunt id quod est dulce amarum, & quod est amarum dulce. qui tenebras ponunt lucem & lucem tenebras. Iussit autem sanctus componi eius corpus & tradi sepulturæ, misertus humanæ naturæ. erat enim summe clemens & misericors. Quicunque vero audiuerunt id quod factum fuerat, valde sunt admirati. non solum qui erant nostræ fidei, sed etiam alienigenæ. Qui autem cum ea erant, duo viri & mulieres, & quicunque ab ea corrupti fuerant, currentes prociderunt ad pedes beatissimi Episcopi, dicentes. Errauimus. & petebant pœnitentiam. Beatus vero fecit omnes subii-

cere anathemati, Manetem auctorem eorum hæresis. ex quo etiam appellati fuerũt Manichęi. & cum plurimos dies eos instituisset catechesi, adduxit ad sanctam Catholicam ecclesiam. Occasione autem illorum, alij quoq; ex aliis gentibus pœnitentia ducti fuerunt illuminati.

Post tempus autem quinque annorum, perfectum fuit opus sanctæ magnæ ecclesiæ. appellata vero fuit Eudoxiana, ex nomine in primis piæ Imperatricis Eudoxiæ. Pergit autem dedicationem 29 sanctissimus Episcopus Porphyrius die Resurrectionis sancti Pascatis splendide ac magnifice. non parcens sumptui, sed congregatis omnibus Monachis qui erant circiter mille, cum aliis piis Clericis & Laicis & Episcopis, hilariter transegit omnes dies sancti Paschatis. & licebat videre choros angelicos, non solum in ecclesiastica consequentia, sed etiam in horis quando fiebant. Non solum enim erat mensa sensilis, sed etiam spiritalis. Nam 30 post obsonium dicebatur psalmus, & post potum hymnus. Idolorum autem cultores videntes quæ fiebant, corde tabescebant. Vndiquaque enim veniebant hospites ad videndam pulchritudinem & magnitudinem dictæ sanctæ ecclesiæ. Dicebatur enim maior omnibus ecclesiis quæ erant illo tempore. Ea de causa quando iecit ab initio fundamenta, reprehendebatur à quibusdam fidelibus, quòd eam magnam descripsisset cum essent pauci Christiani in ciuitate. Respondens autem sanctissimus Porphyrius, dixit. Ne sit vestra fides parua Spero enim in Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, quòd sit multiplicaturus gregem suum: & ampliorem faciet hanc domum, ex eo quòd non posit capere multitudinem Christianorum. Non est enim humanum dogma Christianorum, vt aspiciatur ad tempus & dissoluatur. sed diuinum & quod accipit incrementum. Hæc & talia semper differebat beatus Porphyrius fidelibus, non solum in ecclesia, sed etiam in vnoquoque loco illuminans & iuuans populum Christi amantem. Post dies autem festi populos dimisit in pace, vnũquẽque ad suos.

26 Episcopus dedicauit Ecclesiam. splendide ac magnifice. Est ergo antiquus Ecclesiarũ dedicationis usus, non recens.

30 Vides quod orare post cibum & potum Christianus mos est.

Postquam vero condidit & sanctificauit dictam sanctam ecclesiam, constituit vt daretur vnicuique hospiti qui erat in ciuitate sumptum vnius diei. Suppeditabat autem vnicuique mendico tam peregrino q̃ꝫ ciui quotidie ad sex obolos, præter ea quæ ipse per se præbebat iis qui ad ipsum accedebant, in veste, argento, & auro. vnicuique præbens conuenienter suæ dignitati. neque vllus ex iis qui indigebant, erat expers suorum donorum. In diebus autem 31 ieiuniorum sancti festi Paschalis, suppeditabat vnicuique pauperi ad decem obolos quadraginta diebus. Iussit autem in pio suo testamento omnino dari dictos decem obolos quadraginta diebus. & assignato redditu ex quo volebat eos dari, in dicto testamento statuit, vt nisi hæc quotannis suppeditarentur, dictus redditus veniret ad sanctam Cæsareæ ecclesiam. Hæc vero postea facta sunt.

31 In diebus ieiuniorũ sancti festi paschalis, idest in Quadragesima.

Idolorum autem cultores quo magis aspiciebant proficere Christianos, eo magis furebant & studebant malis afficere Christianos, & ante omnes, sanctum eorum pastorem Porphyrium. Nam cum aliquando orta esset de prædiis controuersia inter Oeconomum sanctæ eccle-

siæ, & Sampsychum qui erat primus inter idololatras, videns pius Barochas Oeconomum affici iniuria eum defendit, & cœpit contumeliis afficere dictum Sampsycum. Cum id autem audiuissent reliqui Curiales, congregati inuaserunt Oeconomum & pium Barocham. Simul vero cum Curialibus ascenderunt etiam multi ex ciuibus, inuenta occisione male afficiendi fideles. & ex parua, vt dixerit quispiam, scintilla tantus est ignis accensus, vt omnes Christiani in periculum venirent ne perirent. Tanto enim furore perciti fuerunt idololatræ, vt ipsi gladios & clauas acceperint: & septem homines occiderint: & alios multos sauciauerint: Deinde his non contenti in ipsum Pastorem irruerint. Quidam autem qui bono lætabantur. Præcurrentes renunciarunt sanctissimo Episcopo incursionem multidinis. Cum vero audiuisset beatus, me accersito dixit. Fugiamus frater, & parum occultemur, donec transeat ira Domini. & ascensis muris fugimus per tecta. Idololatræ autem, fractis portis domus episcopalis, ingressi sunt & cum non inuenissent sanctum Porphyrium, diripuerunt omnia quæ illic sunt inuenta.

Ego autem & beatus Porphyrius per tecta fugientes, inuenimus puellam circa quatuordecim annos natam, quæ cum sanctum agnouisset Episcopum, procidit ad eius pedes Beatus autem rogauit eam quænam esset & quibus nata parentibus. Puella vero respondens dixit se esse orbam patre & matre. & auiam habere anum corpore imbecillam. seq; operari & se alere & suam auiam. Rogauit vero eam an esset Christiana. Illa autem rursus dixit, se non esse, sed iamdiu abhinc esse cupere, si sit digna. Clemens autem Porphyrius cum audiisset quod dixerat puella, & compunctus esset, lachrymatus est, dicens. Quàm propensum est ad bonum genus Gazęorum? sed aduersarius studet impedire bonum eorum animum. quem Dominus percutiet verbo oris sui. Dixit autem puellę. Affer ad nos huc stoream in hoc tectum, vt hic maneamus donec sedetur tumultus ciuitatis: & ne renuncies alicui nos hic esse. Illa vero iureiurando affirmauit se ne auiæ quidem suæ indicaturam. Cum autem per quoddam tectum ascendisset in domum suam, attulit stoream, & eam strauit. & procidens ad beati viri pedes, rogauit eum vt vesceretur modicis suis cibis, & ne suam dedignaretur paupertatem: erat enim circa vesperam. Sanctus autem volens fieri imitator magni Prophetæ Eliæ, dixit puellæ. Festina filia, & affer, vt Dominus det tibi per me alimentum spiritale & carnale. Illa vero propere descendit, emitq; panem & oliuas & caseum, & legumen madefactum. Attulit autem omnia, & apposuit nobis dicens. Accipite Domini mei: & benedicite paupertati meæ. Beatus vero rursus compunctus fleuit. cum præuidisset si habitura erat fidem in Christum. Cumq; surrexissemus & 32 preces fudissemus solitas & sedissemus, comedimus. Ego quidem comedi caseum & bibi vinum. Sanctus autem comedit panem & 33 madefactum legumen, & bibit aquam. & cum dimisissemus puellam ad suam auiam, nos in tecto dormiuimus. erat enim tempus æstatis. Porro autem puellæ quoque nomen interrogauimus. Dixit vero, Salaphtha. quod interpretatur grece Irene, idest pax. Diem quo-

32 *Etiam ante cibum orare christiana est consuetudo.*

33 *Vide sancti viri abstinentiam & ciborum delectum.*

quæ sequentem transegimus in illo tecto, bona Irene nostri curam gerente prompto & alacri animo.

Postquam autem cognouimus esse sedatum tumultum ciuitatis, noctu ambulauimus ad sanctam ecclesiam. Cumq; ascendissemus in ędes Episcopales, in iis nihil inuenimus, nisi pium Barochum iacentem & adductum in extremum periculum, ex plagis ei illatis ab impiis idolorum cultoribus. Post paucos vero dies cum cognouisset Proconsul quæ facta fuerant in ciuitate, vocabatur autem Clarus, mittit Commentariensem cum magno auxilio: & coniicit in custodiam eos quos ostenderunt ij qui gerebant res publicas: & adducit Cæsaream. & de aliis quidem sumpsit supplicium: alios verò dimisit, cæsos neruis boum. & non paruo incusso timore sic sedauit ciuitatem. Paucis vero pòst diebus recordatus est sanctus Porphyrius bonæ illius puellæ quæ nos accepit. & eam per me accersiit. Illa autem venit currens, habens etiam aliam mulierem, quam dicebat esse amitam. Ingressæ vero ad beatum Episcopum prociderunt ad eius pedes. qui eas benigne accepit tanquam pater beneuolus. Dixit autem puellæ. Re uera ò filia, cupis fieri Christiana? Illa respondit. Iam tibi dixi, ò Domine, me iamdiu abhinc hoc teneri desiderio. & nunc adduxi testem meam amitam. quæ ipsa quoque tenetur eodem desiderio. Ille autem lætus ei & eius auiæ iussit dari quotidie argenti quatuor nummos. eius autem amitę dedit vnum nummum, & cum eas signasset signo crucis, dimisit eis iubens vt 34 vacarent precibus, & per catechesim institutioni Cathecumenorum. Misit autem ad eius quoque domum pium Timotheum Presbyterum & per catechesim institutorem. & ei iussit signare auiam puellæ. Nam sicut prius dixi, corpus habebat imbecillum & solutum. Tres autem illæ per catechesim institutæ, paulopòst dignatæ sunt venerando baptismo.

34 *Ecce quomodo baptizādi adulti per dies aliquot āte, orationibus & catechesi præparabantur.*

Postquam vero sanctum deposuisset habitum, Sanctus accersita puella dixit ei. Vis te viro iungamus legitimo matrimonio? est enim tibi tempus nubendi. Neque enim nostra scriptura prohibet honorabiles nuptias. Puella autem cum audiisset quod vir sanctus dixerat, cœpit flere & dicere. Bone pater, postquam me coniunxisti viro magno, vis me ab illo disiungere, & dare viro humili & nihili. Nequaquam hoc feceris Domine mi. Admiratus autem sanctus dixit ei. Et quis est is quem tibi coniunxi? Illa vero respondit. Iesus Christus seruator nostrarum animarum, verus meus sponsus. à quo non separabor in æternum. Cum autem audiuisset sanctus & compunctus fuisset, est lachrymatus. adeò vt præ magna compunctione puellam sit complexus & eius caput deosculatus. erat enim re uera planè impatibilis, & præ magna ad misericordiam propensione prōptus ad effundendas lachrymas. Porrò autem nos quoque qui eramus apud ipsum, cum vidissemus gratiam sancti spiritus datam piæ puellæ, glorificauimus Deum qui dat electis suis sapientiam & gratiam. Dimisit vero illo die puellam.

Contigit autem in ipsis diebus anum requiescere & migrare ad Dominum. Tunc aduocata puella, accersiuit beatus piam Manaridem Diaconissam, quæ interpretatur ipsa quoque greca lingua φωτεινή, id est lucida. Ei commisit Salaphtham, ipsi dato habitu 35 regulari. Et cum

35 *Etiā olim quæ mundo renunciabat, regularē sumebat habitum.*

cum eas Deo commendasset, dimisit in pace. Ea verò suscepit talem vi- 36
uendi rationem qualem non habuit alia illo tempore, quotidie 36 ie-
iunans, & post ieiunium modico panis vescens cum sale & madefacto
legumine, aut subtiliter comminuto olere & aqua sola. vinum enim
non sumebat omnino. Diebus autem festis vtebatur oleo, & vescebatur
oliuis. Nihil autem aliud gustabat quod fuisset igne coctum. In ieiuniis
vero quadragesimæ secundo quoque die comedebat legumina madefa-
cta aut comminuta olera sine pane. Totam autem sanctam paschalem
hebdomadam transigebat nihil sumens, præterquam quinta sancta fe-
ria, post communionem sanctam, aquam calidam. & corpus suum
vsque adeò macerauerat, vt qui videbant, putarent se vmbra aspicere.
Fuit autem aliis quoque multis exemplum. Sunt enim æmulati vitam
sanctæ puellæ Salaphthæ. quæ in hodiernum vsque diem videtur viue-
re. est enim mundo morte affecta. viuit autem Christo, & est cum ipso
perpetuo. cuius sanctarum precum simus nos participes. Et hæc qui-
dem dicta sint de sancta puella Salaphtha.

Habes i sancta puella multa notatu digna. Quotidianum ieiunium. Victus parcitatem. Vini abstinentiam. Ciborum delectum. Austeram Quadragesimæ obseruationem. Et eã denique mũdo morte affectam. Christo uiuere.

Beatissimus autem Episcopus Porphyrius cum regulam constituis-
set ecclesiasticam, & omnem consequentiam, & alios paucos annos
fuisset superstes postquam sanctam sanctificasset ecclesiam, in morbum
incidens pium fecit testamentum. In quo cum multis legasset, & om-
nes Christum amantis populi Deo commendasset, in pace dormiit cum
sanctis, secundo mensis Dystri, anno, vt est Gazæorum computatio,
quadringentesimo octogesimo. episcopatu ab eo gesto XXIIII. mense
XI. & præclaro peracto certamine aduersus idololatras vsque ad diem 37
suæ dormitionis. Et nunc 37 est in paradiso delitiarum, intercedens
pro nobis cum omnibus sanctis. Quorum precibus nostri miserebitur
pater & Deus cum filio & sancto spiritu. Cui gloria & potentia in se-
cula seculorum. Amen.

Nota sanctorũ animas esse in cœlo, pro nobis orare, & illorũ precibus Deum nostri misereri.

VITA SANCTORVM ANDRONICI

& eius Coniugis Athanasiæ.

Februa. 27.

IN DIEBVS Theodosii magni Imperatoris, erat in magna vrbe Antiochia iuuenis quidam argentarius nomine Andronicus. accepit autem vxorem filiam Argentarij, nomine Ioannis. Erat vero eius nomen Athanasia. erat enim re uera Athanasia, idest immortalis, & factis & cogitatione. Erat autem Andronicus valde pius, & plenus bonis operibus. Similiter vero eius quoque vxor. erant autem valde diuites. Sic vero vitam suam agebant Argentariam & facultates suas diuiserunt in tres partes. vnam quidem in rationem pauperum. & aliam in rationem Monachorum. & aliam in rationem facultatum & officinæ. Vniuersa autem ciuitas amabat Dominum Andronicum propter eius modestiam.

Cognouit autem suam vxorem: & cum concepisset, peperit filium. & nominauerunt eum Ioannem. Cum vero adhuc in vtero concepis-

ſet, peperit filiam, & nominauit eam Mariam. neque amplius appropinquauit vxori Andronicus. Conferebat autem ſuum ſtudium ad diligenter & lubenter laborandum, cum aliis Christi amantibus Argentariis. Dominico & die ſecundo & quarto & in paraſceue, à veſpera vſque ad matutinum ibat Andronicus ad lauandos viros ſuos fratres. Similiter autem eius quoque vxor ad lauandas diligenter mulieres. Poſt tempus vero duodecim annorum, ingreſſa eſt quodam die mane Domina Athanaſia à voluntario illo labore ad videndos ſuos filios. & inuenit eos ſuſpirantes. Illa autem conturbata aſcendit in lectum ſuum: & poſuit ambos ſupra pectus ſuum. Beatus vero Andronicus ingreſſus, cœpit clamare in vxorem ſuam ꝙ multum dormiret. Illa autem dixit. Noli iraſci Domine mi. pueri enim ſunt infirma valetudine. & cum tetigiſſet, inuenit eos teneri à febre. & dicit ſuſpirans. Fiat voluntas Dei. & iuit extra ciuitatem ad precandum ſanctum Iulianum. illic enim iacebant eius parentes. fuit autem illic vſque ad horam ſextam. & reuerſus audit eiulatum & tumultum qui fiebat domi ſuæ. Ille vero conturbatus cucurrit, & inuenit omnem ferè ciuitatem domi ſuæ & pueros mortuos.

Cumq́ue vidiſſet infantes in lecto ſimul iacentes, ingreſſus in ſuum oratorium, ſe proiecit ante Seruatorem: & flens dixit. Ipſe egreſſus ſum nudus ex vtero matris meæ. nudus quoque illic reuertar. Dominus dedit. Dominus abſtulit. Sicut Domino viſum eſt ita fiat. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc & vſque in ſeculum. Vxor autem eius quærebat ſe ſuffocare, dicens. Moriar cum meis filiis. Conuenit vero vniuerſa ciuitas ad efferendos pueros. adeò vt illic eſſet Patriarcha cum toto clero ſuo. Eos verò depoſuerunt in martyrio ſancti Iuliani, ſupra auos ſuos. Accipiens autem beatum Andronicum Epiſcopus ingreſſus eſt in ædes eius. Illius autem vxor noluit abire in domum ſuã, ſed dormiit in martyrio. Media vero nocte apparet ei Martyr in habitu Monachi, dicens ei. Cur non ſinis eos qui hic ſunt requieſcere? Illa autem dixit. Domine mi, ne mihi iraſcaris. Nam ſum valde afflicta. habebam enim duos ſolos filios. & hodie ambos ſimul extuli. Ille vero dicit. Quot annos nati erant tui pueri? Illa verò dicit ei. Vnus erat duodecim annos natus. Altera vero decem. Ille autem dicit ei. Cur igitur illos defles? Vtinam defleres peccata tua. Dico enim tibi mulier, ꝙ quomodo natura hominis exigit cibum, & fieri non poteſt vt non detur ad comedendum: ita etiam pueri in illo die poſcunt à Christo bona futura, dicentes. Iuſte iudex, priuaſti nos rebus terrenis: ne nos etiam priues cœleſtibus. Illa autem cum audiuiſſet, eſt compuncta: & mutauit luctum in gaudium, dicens. Si ergo viuunt filij mei in 1 cœlo, quid fleo? & conuerſa quæſiit Abbatem qui ei fuerat locutus. & cum totum locum obiiſſet, non inuenit. & ſciſcitatur à Ianitore, dicens. Vbi eſt Abbas qui eſt modo huc ingreſſus? Dicit ei Ianitor. Vides oẽs ianuas obſeratas: & dicis, vbi eſt Abbas qui modo eſt huc ingreſſus. Eã autem erudiit Paramonarius, vt qui ſciuiſſet eam vidiſſe viſionẽ. Illa vero metu correpta, rogauit vt abiret in domum ſuam. Eam verò accepit Ianitor & introduxit in domum ſuam. & narrauit marito ſuo ea quæ viderat.

1 *Sancti qui in cœlo viuunt, non poſſunt dici emortui.*

Tunc dicit ei beata Athanasia. Re uera Domine, etiam viuentibus filiis volui dicere, & erubui. Ecce ergo etiam post mortem eorum dico tibi. Si me audias, coniicies me in monasterium, & deflebo peccata mea. & dicit ei. Abi, proba tuam cogitationem vna hebdomada. & si permanseris in hoc proposito, loquemur. Illa autem cum rursus venisset, idem dixit. Beatus verò Andronicus accersit socerum suum, & ei tradit omnes suas facultates, dicens. Ad 2 sancta loca proficiscimur adorandum. Si quid ergo nobis acciderit humanitus, habebis has facultates vt de eis facias quod tibi videbitur. Rogo ergo te vt recte agas cum tua anima. & ex iis quæ hic sunt fac nosocomium. & Xenodochium monachorum. & manumissis seruis suis dedit eis legata. & accepta parua benedictione & duobus equis, exiit noctu ex ciuitate ipse & vxor eius soli. Beata autem Athanasia eminus vidit domum suam, & sursum aspiciens in cœlum, dixit. Deus qui dixisti Abrahæ & Sarræ, Egredere è terra tua & è cognatione tua: & veni in terram quam ostendam tibi, ipse nunc quoque deduc nos in timorem tuum. Ecce enim relinquimus domum nostram apertam propter nomen tuum: ne ante nos claudas ostium regni tui. & flentes ambo abierunt. & cum ad sancta loca peruenissent, adorarunt. & cum multos patres conuenissent, veniunt ad sanctum Menam Alexandriæ: & fruuntur Martyre.

2 Ecce peregrinationẽ ad loca sancta orationis causa.

Circa horam autem nonam aspicit Andronicus, & videt Monachum & contendentem cum Laico, & ei dicentem. Cur Abbatem iniuria afficis? Is verò ei dicebat. Domine, locaui bestiam meam ad Scetem. Ego verò ei dico. Eamus iam, vt totam noctem ambulemus & cras vsque ad sextam: vt perueniamus ante æstum diei, & non vult vt iam eamus. Dicit ei Dominus Andronicus. Habes ne aliquod aliud animal? Is verò dicit. Maxime. Dixit autem ipsi. Vade, duc eum ad me, & veni, & accipiam ego vnum animal: & Abbas vnum. quoniam ego quoque volo ire ad Scetem. Andronicus vero dicit vxori suæ. Mane hic apud sanctum Menam, donec descendam in Scetem, & accipiam benedictionem à patribus & reuertar. Dicit ei vxor eius. Accipe me tecum. Ille verò dicit ei. Mulier non ingreditur in Scetem. Illa autem dicit ei cum fletu. Habebis me apud sanctum Menam, si remanseris, & me non collocaris in monasterio. Cumque se inuicem salutassent & complexi fuissent, fuerunt separati. Ipse autem descendit ad Scetem. & cum adorasset sanctos patres in Laura, audiuit de Abbate Daniele. & cum eo accessisset, non sine magna difficultate eum potuit conuenire. Seni vero omnia exposuit. Dicit autem ei senex. Abi & adduc vxorem tuam. & faciam tibi litteras. & depones eam in Thebaide in monasterio Tabennesiotarum. Andronicus autem fecit sicut dixerat ei senex. & abiens duxit eam ad senem. Qui locutus est eis verbum salutis. & factis litteris misit 3 eos ad monasterium Tabennesiotarum. Reuerso vero Andronico dedit senex habitum, & docuit quæ ad statum pertinent monasticum. & mansit apud eum annos duodecim.

3 Vides quod de consensu ambo coniuges religiosi effici possunt. Et quod qui monachus fiebat, nouum habitum induebat.

Post duodecim autem annos rogauit senem, vt se dimitteret ad sancta loca. Ille vero bene precatus eum dimisit. Abbas autem Andronicus iter faciens per Ægyptum, sedit sub spina, vt animam recrearet ab

ætu. Ecce autem ex Dei dispensatione veniens in habitu virili eius vxor, quæ ipsa quoque ibat ad sancta loca. Cumq; se inuicem salutassent, cognouit columba coniugem. Ipse vero quomodo potuisset cognoscere talem quæ emarcuerat pulchritudinem, & quæ videbatur vt Æthiops? Dicit ergo ei. Quo vadis Domine Abba? Ille verò dicit ei. Ad sancta loca. Ipsa autem dicit ei. Ego quoque volo illuc ire. Ipsa ergo rursus dicit ei. Si velis, eamus ambo simul. Sed tanquam non simul simus, ingrediamur silentio. Dicit Andronicus. Vt iubes. Deinde ipsa dicit ei. Non es re uera discipulus Abbatis Danielis? Ipse verò dicit ei. Maxime. Dicit ipsa. Preces senis nos comitabuntur. Dicit Andronicus.

4 Amen. Cum autem simul ingresi essent & 4 adorassent sancta loca, reuersi sunt Alexandriam. Dicit Abbas Athanasius Abbati Andronico. Vis maneamus simul in cella? Dicit Andronicus. Certe vt iubes. Volo autem primum ire & accipere preces senis. Dicit ei Abbas Athanasius. Vade, & expectabo te apud octauumdecimum. & si venias, sicut iter fecimus manebimus silentio. Nam si te non ferat, ne veneris. ego enim te expectabo apud decimumoctauum. Ille autem profectus salutauit senem. & de eo ipsi renuntiauit. Senex vero dicit ei. Vade, &

5 dilige 5 silentiū, & mane cum fratre. est enim Monachus vt esse oportet. Eo autem reuerso cum inuenisset Abbatem Athanasium, manserunt simul timore Dei muniti, alios duodecim annos. & non cognouit Abbas Andronicus eam esse suam coniugem.

Ingressi sancta loca adorauerunt.

Vide quam diligentes silentij obseruatores essent antiqui monachi.

Sæpe ergo ascendebat senex ad eos visitandos, ea illis disserens quæ pertinebant ad vtilitatem. Semel autem cum ascendisset senex, & eos valere iusisset antequam iret ad sanctum Menam, venit ad eum Abbas Andronicus, & dicit ei. Abbas Athanasius vadit ad Dominum. Reuersus vero senex inuenit eum magnis compressum angustiis, & cœpit flere Abbas Athanasius. & dicit ei senex. Cum te oporteret gaudere q migras ad Dominum, lachrymaris? Dicit ei Abbas Athanasius. Non ploro, nisi propter Abbatem Andronicum. Sed fac hanc charitatem postquam me sepelieris. Inueniens schedulam sitam ad caput meum,

6 lege eam, & da ipsi Abbati Andronico. Cumq; ipsi 6 preces dixissent, communicauit & dormiit in Domino. Venerunt autem ad ei faciendas exequias. & ecce inuenta fuit sexu mulier. & auditum fuit in tota laura. & mittens senex exciuit vniuersam Scetem & interiorem solitudinem. & venerunt omnes Lauræ Alexandriæ & conuenit vniuersa ciuitas, & 7 Monachi Scetæ ferentes legumina. ita enim mos est in

7 Scete. Cum ramis ergo & palmis extulerunt venerandas reliquias Athanasiæ, Deum glorificantes qui tantam tolerantiam præbuit mulieri. Expectauit autem senex septimum diem beatæ Athanasiæ. Postea verò voluit senex accipere secum Abbatem Andronicum. sed non id sustinuit, dicens. Moriar cum mea Domina. Cumq; eum rursus iusisset valere Senex, priusquam ipse iret ad sanctum Menam, venit ad eum frater dicens. Laborat Abbas Andronicus & est redactus ad angustias. Senex vero rursus misit in Scetem, dicens. Adeste huc venientes. Abbas enim Andronicus sequitur Abbatem Atharasium. Illi autem cum audiuissent,

Sic serui Dei moriūtur, nam & communicant, & ipsis preces promigratione dicuntur.

Ecce splendidas sanctæ exequias, cū ingenti hominum & monachorū frequentia, extollentium cū ramis & Palmis uenerandas eius reliquias.

diuissent, accesserunt, & inuenerunt eum viuentem. A' quo cum accepissent benedictionem, dormiit in Domino.

Exortum est ergo bellum inter patres decimioctaui & Monachos Scetiotas dicentes. Noster & frater, & eum habebimus in Scete. vt nobis opem ferant eius 8 preces. Patres autem octauidecimi dicebant. Ponemus eum cum sua sorore. Vehementer igitur instabant Scetiotæ. & dicit Archimandrita octauidecimi. Si quid senex dixerit, faciamus. Abbas vero Daniel dicebat eum oportere illic sepeliri. Illi autem non audiebant eum, dicentes. Est senex, & non timet amplius bellum corporis. Nos autem sumus iuniores, & volumus fratrem, vt nobis opem ferant eius preces. Sufficit enim vobis ꝙ reliquimus vobis Abbatem Athanasium. Cum vero vidisset senex esse magnam perturbationem, dicit fratribus suis. Si me non audiatis, ego quoque hic manebo, & sepeliar cum meo filio. & tunc quieuerunt, & extulerunt fratrem Andronicum. Dicunt ergo seni. Eamus in Scetem. Dicit eis senex. Sinite vt faciam 9 septimum diem fratris. & non siuerunt eum manere. Ita confidit Abbas Daniel suo discipulo. Oremus nos quoque vt veniamus ad mensuram Abbatis Athanasii & Abbatis Andronici, 10 precibus omnium sanctorum. Cui gloria & potentia simul cum patre & filio & sancto Spiritu, Nunc & semper & in secula seculorum. Amē.

8 *Nota sanctorū preces eos adiuuare apud quos conditi sunt.*

9 *Vides etiā antiquitus obseruatū fuisse diem septimum post obitum fratrum &c*

10 *Precibus omniū sanctorum. Ergo omnes sancti pro nobis orāt.*

FINIS.

Lippomani
in
Vit: Sanctor
Tom: 5:


calibrite
colorchecker CLASSIC
mm